BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 P
9 M

DE
DEO TRINO
ET VNO

Tomus Primus,

IN QVO AGITVR DE ABSOLVTIS.

VBI GERMANA SCOTI MENS APERITVR,
atque ad eius Inſtitutum diſceptatur.

AVTHORE

P. F. CLEMENTE BRANCASIO DE CAROVINEA

Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Reformat.
Prouinciæ Neap. Sacræ Theologiæ Lectore.

CVM DVPLICI INDICE, ALTERO DISPVTATIONVM,
Quæſtionum, & Articulorum; altero rerum notabilium.

Ad Eminentiſſimum, & Reuerendiſſimum Dominum

D. FRANCISCVM BARBERINVM
S.R.E. Cardinalem, Sanctiſs. VRBANI VIII. Nepotem,
ac Seraphicæ Religionis Protectorem, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



Col.

NEAPOLI, ex Regia Typographia Egidij Longhi MDCXXXVIII

SVPERIORVM PERMISSV.

AD SERAPHICVM PATRIARCHAM FRANCISCVM.

P.F. CLEMENS A CARAVINEA
Dicat, & Conſecrat.

AD TE SERAPHICE PATER redeant, quæ ex ſchola Sapientum Religionis Tuæ iam dudum proceſſerunt, & procedent mea ſtudia: nunquam enim vel calamum ad ſcribendum arripuì, vel cathedram ad docendum conſcendi, nec iota quidem minimum, aut apicem didici, niſi te inuocato, te primitus auſpicato, Tuo implorato præſidio. Sat enim eſt hanc tuam fuiſſe vltimam voluntatem in ſtudijs, vt ſtudijs eatenus incumbant filij tui, quatenus non extinguant Spiritum orationis. Qua lege Antonio Patauino miraculorum patratori facultatem ad ſtudia feciſti, qua ſtudia non tepefacerent feruorem deuotionis. Tuq; merito doctus es, & cenſeris, & enunciaris, *doctus doctrina, gratia, doctus experientia, quæ ſunt perfectionis: Hac fratres*

Regul. c. 10.

Chron. p. 1. in vita D. Ant.

doces omnia tàm factis, quàm frequentia mellifluí ſermonis. Vtinam & ego hanc ipſam ſim aſſecutus normam, hanc ſcholam perfectionis. Sed quæſo, SERAPHICE PATER, vt frigida hæc mea ſcripta, inſulſa hæc mea verba Seraphico inflammes ardore, & charitatis condias dulcedine: quin potius mentem ſcribentis illuſtra, perure cor, acue calamum, purga os, vt quæ vera, quæ recta ſunt, quæque in DEI gloriam vergunt, & animarum ſalutem aptè valeam enunciare. Interim ad tuos ſtigmatibus inſignitos pedes animo flexus, & corpore proſtratus, & aduolutus, hæc qualiacunque Theologica monumenta Tibi dedico, Tibi nuncupo, Tibi BEATISSIME PATER FRANCISCE deuoueo.

In offic. D. Franciſci.

Eminen-

Eminentisſimo, ac Reuerendisſimo Domino

D. FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI,

ac Vicecancellario,

INTER GENERALES INQVISITORES aduerſus hæreticam prauitatem Vigilantiſſimo,

SERAPHICÆ RELIGIONIS PROTECTORI, Correptori, & Gubernatori Optimo,

ATQVE SANCTISSIMI D. N. VRBANI VIII. Nepoti Amantiſſimo.

SATIS facile mihi fuit, imò in ipſo limine deliberationis obuium ſtatuere, cui nam labores hos meos, quos legendo, & diſputando ad iuſtum volumen redegeram, de more deſtinarem: etenim ſi magnos magna decent, & tribuendum cuique ſuum naturali, ciuilique iure eſt ſtatutum, iure merito hic Te petit liber; quid enim maius, quam Clarisſimis ortum Parentibus, & Patria, Maximo inter quotquot fuerint Maximos, Optimo Maximi Dei Vicario Vrbano tàm charũ, quàm arctisſimo agnationis vinculo coniunctum, videre inter Eminentisſimos Purpuratos Eminentisſimum, ac ſplendidisſimè conſpicuum, pari cura, ac vigilantia ad partem moderationis totius Terrarum Orbis aſcitum: Tanta mole dicerem, aliàs penè deprimendum, nì pluribus mundis humeros haberet pares, ferentem opem. Quid maius, quod tanto magis in

Fr. Clemens Brancaſius ...

pre-

pretio, qui ſua luce, quam qui aliena lucet videre in iuuene ætate florido magnam ingenij vim cum maturitate conſilij, & ſenili prudentia coniunctam, humanitatem incredibilem in adeundo, dexteritatem in agendo, conſtantiam, iuſtitiamq; in decidẽdo; charitatem in populos confluentes, confluunt autem ab Vniuerſo? Videre tanto virtutum cumulo ornatisſimum, quantus parem reddat tam excelſo faſtigio. Quid maius pietate, qua protegis, qua tueris, & regis Seraphicam Religionem, cuius gregem amplisſimis totius Chriſtiani Orbis finibus diſtentum tanta facilitate ac fęlicitate ſimul dirigis ad normam à Seraphico inſtitutam, vt iure optimo, pium eſt credere, lætetur Franciſcus ſe fuiſſe ſortitum alterum, qui eius reſpondeat cordi, ſicut & nomini, non modico apud largisſimum bonorum operum Remuneratorem adiumento: quibus de cauſis ego ex eadem Religione minor, Theologica profesſione minimus, puſillus, & ſine calceo, & pera, animi tamen gratitudine non deſtitutus, quamuis tantæ magnitudini humilia, ſi de me ſẽntias, non reſpondeant, cum primum ſe præbuit occaſio intimo grati animi affectui, & deuotioni erga Eminentiſſimum Protectorem ſatisfaciendum operepretiũ duxi. Tibi igitur offero Eminentiſſime Princeps quid magnum, & quo nihil vnquam maius offerri poteſt. agitur de Deo, cuius vices gerentem colimus, veneramur: merito rem tuam magno magnam omni iure debitam, meq; ipſum, quamuis puſillum do, dedo, & voueo, ſupplexq; rogo, vt hoc deuotionis in te meæ teſtimonium læto vultu tuæ auctoritatis præſidio ſuſtineas, nominis ſplẽdore illuſtres, protectione defendas. Quod reliquum, & caput omnium eſt, Te, Patruumq; tuum Maximum, Optimumq; Pontificem publico Sacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, ac totius Vniuerſi beneficio, quibus tam vigiles ſtudetis Dei cauſa, ipſe Deus diutisſimè ſeruet incolumes.

Eminentiæ Tuæ

deditisſimus Seruus

Fr. Clemens Brancaſius à Carauinea.

AD BENEVOLVM LECTOREM.

PErſuadere nunquam mihi poteram fore aliquando, *vt quos in Sacræ Theologiæ ſtudijs, & diſputationibus, ſiue ex cathedra libros ſcripſerim, vt meo tantum muneri, Superiorumq; mandatis, & Scholarium commodo ſatisfacerem, clauſtro prodirent in publicum, tum quia quæ intra domeſticos parietes, & in priuatis ſubtellis arrident ſæpè ſæpius viſo maiori lumine caligant, contrahunt frontem, retrahunt pedem, & contra conceptam ſpem ſæpe contingit Horatianum illud in poetica,*

Nam neq; corda ſonum reddit quem vult manus, & mens,
Poſcentique grauem perſæpè remittit acutum.
Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.

Faciliusq; ſatisfit paucis, vt plurimum familiaribus, quam multis, & quidem innumeris, & incognitis, tum quia agẽdum non de lana caprina, nec de vmbra Aſini, parua autem ingenia teſte Hieronymo non patiuntur materias magnas, ſcribendum ergo eſt pro dignitate materiæ, hinc Plaut. probam, inquit, nactus es materiam tu facito probum artificem te præſtes. & Tit. Calphur. ecloga 4.

Magnæ męnia Romæ
Non ita cantari debent vt ouile Menalchæ.

Mouebar non leuiter, quod ſcribendum poſt tot Illuſtriſſimos Præceptores, quorum eminentiſſimis laboribus illuſtratur, & velut odoratiſſimis roſis, & lilijs decoratur, & validiſſimis fundamentis, ne dicam demonſtrationibus roboratur, & ſtatuitur Theologicus theſaurus: poſt quos quid facerem velut acus inter ferramenta? an tot Patribus contradicerem? ſi autem ſequerer;

querer, ad quid actum agere, & membranas occupare: Attamen neſcio quo impetu, & maiore vi, ne dicam repentino caſu ecce iã euulgantur Superiorũ mandata, quæ, et amicorũ voluntas hoc effecerunt: hæc ſola ſoluerunt argumenta, quæ adducebã: hæc animum mihi fecerunt ex teſtimonio Taciti volentis excitari quoſdam ad meliora magnitudine rerum, quodque non ſit effœta natura, quæ nouas in dies edit formas, ne & noua pariat ingenia, quæ ad maiora aſpirent: prodeſſe præcipuè, & ordinem quæſtionum, & articulorum, prodeſſe explicandi facultatem. Nec iuraſſe me in verba magiſtri, ut ſcripta maiorum, quæ magna cum admiratione, & humilitate veneror, & à quibus didici, quæ profiteor, ſint tanti facienda, vt ſi quid mihi pruriat in aduerſum, non audeam indicare, ſalua ſemper eorum auctoritate, & debito eis obſequio neceſſitati potius, quam electioni hoc tribuendum puto; nõ enim poterit quiſquam adduci, vt ſentias, quod verè non ſentias, ni rationibus incõcuſſis ſenſus hic euincatur: fateor non ita facile diſſentiendum; ſed poſt multos labores, & vigilias ad remouenda dubia exorta, & caſtigandum quoad poſſit intellectum, ſi his adhibitis viget adhuc dubitatio quis prohibet contradictionem, quæ ſaltem excitet ingenia ad excogitanda meliora? hoc nos docent exempla antiquorum: ſi enim Ariſtoteles contra Platonem: Si Carneades contra Zenonem: ſique Labeo calamo pugnauit contra Capitonem, quid non licebit, & alijs, res vbi minus ventilata extet, quam decet; vel vbi veritas, minime, vt fas eſt, eluceſcat, cur non, inquam, liberum cuique erit, oppugnare, repugnare, expugnare, improbare, reprobare? Licuit Sanctis quandoque Doctoribus iurgia litteraria inter ſe adoriri; etenim Auguſtinus, & Hieronymus certant in ceſſatione legalium: in authoritate Pſalmorum: Diſcrepat Auguſtinus à Beda in Sacerdotio Samuelis: Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus non concordant in productione Angelorum, & de propria loquens Auguſtinus doctrina, ita ad Hieronym. ſcribit,

Epi. 18. & in c. Ego ſolis 9. d. Ego fateor Charitati tuæ, ſolis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum Authorem ſcribendo, aliquid erraſſe firmisſimè credam: Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrinaq; præpollent, non ideo verum putem, quia ita ipſi ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per alios Authores cano-

nicos,

nicos,vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te mi frater, ſentire aliud exiſtimo prorſus,inquam,non te arbitror ſic legi tuos velle, tanquam Apoſtolorum,vel Prophetarum,de quorum ſcriptis,quod omni errore careant,dubitare nefarium eſt. *Et rurſus alibi habet*, Neque enim quorumlibet diſputationes, quantumuis Catholicorum,& laudatorum hominum,velut ſcripturas canonicas habere debemus,vt nobis non liceat,ſalua honorificentia, quę illis debetur Hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, aut reſpuere,ſi forte inuenerimus,quod aliter ſenſerint, quam veritas habet,diuino adiutorio,vel ab alijs intellecta,vel à nobis;talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe Intellectores meorũ: *Audiamus autem quale iudicium tulerint inſignes illi Theologi, Scotiſta alter, atque alter Thomiſta: Alphonſus nempe de Caſtro, & Melchior Cano: Alphonſus ſic loquitur*, Fateor me non poſſe cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum ſcriptis, vt impium autument, ſi vel in modica re quis ab eorum ſententia diſcedat:volunt enim hominum ſcripta, velut Diuorum Oracula recipi,iſtumque honorem illis exhiberi, qui ſolis Sacris literis exhibetur:non enim iurauimus in verbis Hominis,ſed in verbis Dei,Ego enim miſerrimam hãc dicere ſeruitutem,ſic eſſe humanæ ſententiæ addictum, vt non liceat vllo modo repugnare:qualem patiuntur hi,qui ſe tantum B.Thomæ, aut Scoti,aut OKami dictis ſubijciunt, vt ab eorum placitis, in quos iuraſſe videntur,nomina ſortiantur:quidam Thomiſtæ,quidã Scotiſtæ,alij OKamiſtæ.Paulus quidem captiuare intellectum noſtrum iuſſit,ſed in obſequium Chriſti, non autem in obſequium hominis: quo fit, vt hi, qui tam leuiter de hæreſi pronunciant,non expendentes de qua re loquantur, ſæpe ſua ipſorum feriantur ſagitta, incidantque in eam foueam, quam alijs parabant: nam velle humanas ſcripturas in diuinarum ordinem connumerare,hoc verius dixerim hęreſim, quod faciunt hi, qui humanis ſcriptis diſſentire, impium autumant, perinde,ac diuinis *hæc Caſtro. Audiamus & Canum*, Theologorum Scholaſticorum, etiam multorum, teſtimonium, ſi alij contra pugnant viri docti non plus valet ad faciendam fidem,quam vel ratio ipſorũ,vel grauior etiam authoritas comprobant:

Epiſt. III.

Lib. I. aduerſ. Hæreſ. cap. 7.

Lib. 8. de loc. Theolog. cap. 4.

probant:

probant:quo loco arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum,quas in Schola acceperunt,præiudicijs,Viros alios Catholicos notis grauioribus inurunt: idq; tanta facilitate, vt meritò rideātur. *Deſcendēdo tñ ſingulariter ad Scotiſtas, et Thomiſtas, ita ſubdit;* Nec.n.ſi quid,aut Scoticis,aut Thomiſticis pronūciatis contrariū eſt,illico error eſt:*hęc Cano. Iudices profectò habemus, à Schola vtraque, tanquam ex Equo Troiano, ſtrenuos veluti Commilitones deſcendentes:nec tamen pro Thomiſtis potius,Cano pœana canit,nec pro Scotiſtis magis,Caſtro ad caſtra clangit, ſed pro veritate tantum, pectore inconcuſſo, candido animo,ſine fuco,ac fallacijs, ad vtrumlibet hinc inde certat vterque:fuit eis amicus Cicero,amicus Plato, ſed magis amica Veritas. Sed an & in verba nos quoque iurare debemus Magiſtri? imò potius in verba Veritatis. Ego nec in verba iuraui Scoti,nec me Scoto deuoui: bene tamen doctrinæ Scoti memetipsū addixi, cuius delectu demulceor,licet ordinem, non vt Cōmentator aſſequor:Cuius ſententiam oppoſitā, ſi viſa quandoque fuerit probabilior, nec reticeo, nec reſpuo, nec amplexari dedignor. Cæterorū placita,vel cum Scoto concilio, vel inualidis ab infeſtationibus contueor,uel ſi coactus,non tamen ut iniurioſus,inficior. Propugno,vt vires ſuppetunt, nuſquā verò laxato calamo in Aduerſariū:finem dicendi faciat Auguſt.* Nec me

Cap.1.de Trinit. pigebit,*inquit*,ſicubi hęſito,quærere:nec pudebit,ſicubi erro, diſcere:proinde quiſquis hæc legit,vbi pariter certus eſt, pergat mecum:vbi pariter hæſitat,quęrat mecum: vbi errorem ſuum cognoſcit,redeat ad me:vbi meū,reuocet me: ita ingrediamur ſimul viam charitatis,tendentes ad eum,de quo dictū eſt,quærite faciem eius ſemper:& hoc pactū meū coram Domino Deo noſtro cum omnibus inierim,qui hæc legens dicit, non verè dictū eſt,afferat,ſi placet,ſuā ſententiā, & redarguat meā,ſi poteſt:quod ſi cū veritate, & charitate fecerit, mihiq. cognoſcendū facere curauerit,vberrimū laboris mei fructum cæpero. *Ita in ſui,ita in aliorū tutelam ſcribit Auguſt. & iure quidem,quoniam hoc fraterna charitas exigit,hoc Religioſa diſciplina efflagitat. Habes igitur Lector amantiſſime typis excuſum primum tomum,vtere interim hoc primo, & in dies expecta ſecundum. Vale.*

ELOGIVM

ADMODVM REVERENDO PATRI,

& Patrono meo Colendiſſimo

P. F. CLEMENTI BRANCASIO A CAROVINEA

Sac. Theol. Lectori Conſpicuo,

QVI

(Alcides velut Inuictus)

In Ampliſſimo hoc Orbis Theatro, Diuini Amoris igne,

& impauidis verborum

Sagittis errorũ Hydrã extinxit, & rerum altiſſimarũ clara indagine

Clepſydram exantlauit.

Ex Scotiſtarum Emisphærio tenebrarum noctem abſtulit, &

Idem ibidem Lucis Diem attulit.

Cuius namque

Indefeſſus, & inexpugnabilis calamus

Balſamo aromatizanti inunctus,

(Tanquam Achillis Haſta) ſauciat, & ſanat, &

Præclara norma, & eleganti methodo

Ignauiam pungit, & ſcientiam pangit,

Tumidos exanimat, & timidos

Identidem animat,

Cui verò

Lucubrationibus aſſiduis

Indeclinabilem rerum ſeriem congerenti, & accuratè indaganti

Debentur potius

Apum opus, quam Opis opes,

Orbis afflatus, quam Vrbis affatus, &

CARAE ſui ipſius VINEAE
Cenſus
Floribus iugiter vernantes, frõdibus pollentes, & fructibus ſemper
Redundantes.
Lector vbi cernis Trino cum palmite Vitem.
Quem autem
Seraphicæ Religionis Incrementum
In eius ortu
E Cœli culmine Fortunæ
Prouincialatus Miniſterio: Religionis totius à Secretis:
Proregis à Conſultis:& Cathedræ Magiſterio
Decorarunt.
A quo tandem
Ingenij Rutro admirabili
Ocium arcetur, Liuor, exploditur tabes profligatur,
Elatio deuincitur.
Tempus Æternitate compeſcitur,
Siniſtrum Fatum, Deo auſpice, debellatur,
Mors immortalite contunditur, ſors rea damnatur,
Ars erigitur, & Natura penè
edocetur.
Hæc dicta dixit, & miſit
In Obſeruantiæ, & ſeruitutis Profeſſionem,
In Authoris ſtemma,& Trophæum,ac
Sanctisſimæ, & Indiuiduæ Trinitatis
Gloriam, & Honorem,
ALEXANDER PORCARIVS A CARPINETO
Medicus, & Academicus.

FR. DIO:

P. FR. DIONISIVS A CANVSIO
SACRAE THEOLOGIAE LECTOR GENERALIS,
Curiæ Archiepiſcopalis Examinator,
& Sancti Officij Conſultor.

AD AVCTOREM.

OPVS labore lucidante Maximum,
Deſumat Auctor præmium,
Honore plena tranſit vnde Gloria
Ad Poſterorum Poſteros.

Trias Beata publicatur famine
CLEMENTIS oris candido
Tenore prorſus, ac nitoris ordine
Virtutis optatiſſimo.

Deus ſit ipſemet remuneratio,
Qui tanta flauit dogmata,
Perenne tradat ipſemet Chariſmatum
Largitor ipſi gaudium.

FR. IA:

FR. IACOBVS A CARPINETO
THEOLOGVS
Reformationis Romanæ Alumnus.

AD AVCTOREM.

PLVS vltra Octauum flagranti aſcendere Cœlum
Empyrei primum mobile planat iter.
Ignis vt in Sphæram ſic mens contendit, & intrat,
Ac peregrina ſuper ſiſtit in Arce Syon.
Hoſpes apud Superos præcurrit viuida mortem
Mens, Natura ſtupet, dum ſibi Corpus alit.
Æternum, Immenſum, ac Incomprehenſibile Numen
Proſpicit è Speculo, poſt, prout ante, carens.
Atque vnam cernit triplicato in Lumine Lucem,
Cumquè Patris Genito cernit vtrique Parem.
Mens fæcunda patet, nedum fæcunda Voluntas,
Sic intra ex Sacro Germina Patre videt.
Dædalus in pennis, qui pluſquam Dædalus alas
Altius extollens trans ſuper Aſtra meat.
O furtum, ò raptum, fœlix, iuſtumque Promethei,
Qui Triadis clarum clepſit ab Axe diem.
Arte Syracuſius girantes tranſtulit Orbes,
Hic Rerum centrum tranſtulit arte potens.
Si Sphæra effigiem monſtrauit vitrea moles,
Hæc Trinum, ac Vnum dat pia Charta Deum.
Hæc Arcana Dei Clara de mente redundant,
In cordis tabulis imprime Lector opus.
Tempus, & inuidiam, CLEMENS, dum penna ſagittat,
Virtutum promet Pallados haſta decus.

FR. BARTHOLOMAEVS A SANCTO VITO
Sacræ Theologiæ Lector Generalis, Reformationis
Romanæ Alumnus,

AD AVCTOREM.

DVDVM iam ſtatuens affabre Vineam
Plantauit Dominus, Germina pullulant,
Engaddi pariunt en quoque palmites
Orbes racemi plurimos.

Botros iam tumidos proſpice præcoces,
Statis temporibus proſpice ſurculos
Semper fætificos, ac ſuper alteram
Vnam vides vindemiam.

Eſt vitis rutilans florida fructibus
Cum Caro Ambroſiam nectare proferens,
CLEMENTI Charites cum ſophos Aulicis
Dant de Corymbis Gloriam.

FR. ANGELICVS A VERVLIS
Sacræ Theologiæ Lector Generalis, Reformationis
Romanæ Alumnus,

AD AVCTOREM.

EN Voluptatis Paradiſus alter
Semper emittens roſidos odores,
Ecce virtutum genus omne profert
Vinea florens.

Campus en Sorec, Ager ecce Segor,
Hunc ſuper fundunt pluuias, & imbres
Imbrices Cœli, Charitumque nimbos
Numina ſpargunt.

Hic bonum noſcit renouatus Adam,
Hic malum neſcit glomerare Mundo,
Vitis eſt Vita Deus, atque Cara
Vinea CLEMENS.

MAVRVS

MAVRVS OLIVADISIVS
IN EVNDEM LIBRVM.

TERNO noſce facem in lumine ſimplicem,
In panno triplicem continuo plicam,
Et vitem grauidam in palmite nectaris;
Ardoremque iubar ſpecta in Apolline.
Exempla adde decem, ſuggere millia,
Nunquam tu Triadem noſcere ſenties,
Fies cæca magis noctua lumini.
Vt noſcas Triadem, diſce ſilentio,
Seu tanti effigiem conſpice numinis,
Quod Cœli ſpatium non capit integrum.
CLEMENS his folijs ſculpſit imaginem.

SCIPIO BRANCASI
EX ALTERO FRATRE NEPOS
In eundem.

QVI legis haud magnum, preſſoque volumine librum
Perlege; Nam magnos maximus inter erit.
Quid ni? quem tellus, pontus, quem non capit æther
Perſtringit gremio maximus ipſe ſuo.

CAESAR

CÆSAR BRANCASI I.C. NEAPOLITANVS
Frater Germanus in Librum de Deo Trino,& Vno
FR. CLEMENTIS BRANCASI MINORITÆ.

LIS antiqua fuit, qua mundi conditor eſſe
Parte velit, ſolium qua velit eſſe ſibi?

Mobilis hunc medio Primi, Circoue locarunt
Priſci vbi motus agit maximus in reliquos?

Dant alij Cœlum capiti, Cœloque ſedere,
Et pedibus terram ſuppoſuere ſuis.

Immenſos noſtri campos, nec finibus vllis,
Claudi, qui claudit omnia limitibus.

Iurgia iam ceſſant, litem Deus ipſe diremit,
Hic ſibi vult ſolium; hic Regia Magna Liber.

LEONARDVS BRANCASI V.I.D.
EX ALTERO FRATRE NEPOS
In eundem.

CLauſit amor Triadem ardenti ſub pectore ſacram
Iamdiù Clementis Sanctus amor Triadis.

Creuit amor, flammaque ſimul, iam non datur vltra
Anguſtis Triadem claudere limitibus.

Impatiens rumpit latebras, totumque per Orbem
His volat æternis geſta voluminibus.

Sic mage flamma micat, ſuperasque emergit ad auras
Quo mage celatur, quo mage comprimitur.

FR. IO. BAPTISTA A CAMPANEA
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
Totius Ord. Min. Generalis Miniſter, & Seruus.

Dilecto nobis in Chriſto P. F. Clementi à Carauinea eiuſdem. Ord. & Inſtituti: Reformationis verò Prouinciæ noſtræ Neapolis Prædicatori, ac Sacræ Theologiæ generali Lectori Salutem in Domino ſempiternam.

VT primum, & ſecundum tomum Theologicarum Controuerſiarum de Deo Trino, & Vno à te non minus ſubtiliter, quàm fæliciter elaboratarum, ac luculenti teſtimonio probatarum, Typis tradere poſſis, & valeas, his noſtris tibi ad meritum ſalutaris obediētiæ facultatem elargimur: ea tamen lege, vt in omnibus Apoſtolicarum, & noſtrarum etiam Conſtitutionū ſeruetur præſcriptum. Datis Romæ in noſtro Conuentu S. Mariæ de Aracæli die 19. Iunij 1638.

Fr. Io: Baptiſta à Campanea Miniſter generalis.

APPROBATIONES CENSORVM.

COntrouerſiarum Theologicarum de Deo Trino, & Vno ad mentem ſubtilis Doctoris Scoti Tomum primum, & ſecundum à Reuerendo Admodum Patre Fr. Clemente Brancaſio de Carauinea Min. Obſer. Reformationis Neapolitanæ compoſitum, inoffenſo pede attentè percurri; in quo, nedum clara indagine, ac diſtincta methodo Theologorū Principis doctrina enucleata, ſed & Sāctorum Patrum auctoritatibus ſuffulta, atque illuſtrata cernuntur: quare ad tanti Doctoris, necnon alienæ Scholæ ſectatorum profectum, prælo mandandum, exoptando arbitro. Datum ex noſtro Cænobio Sanctæ Crucis Neap. die 4. Februarij 1637.

Fr: Dionyſius de Curphaneis à Canuſio Refor. Ord. Min. de Obſer. Cur. Archiep. Examinator, & in cauſis Sancti Officij Conſultor, Theologus Deputatus.

Idem dico, & ſubſcribo. Neapoli die prima Martij 1637.

D. Io. Dominicus Auliſius Doct. Theol. Collegialis, Canon. Deput.

Imprimatur,

Felix Tamburellus Vicarius Generalis Neap.

INDEX.

INDEX DISPVTATIONVM, QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM.

DISPVTATIO PRIMA
De Theologia in sè.

QVæſt.1. *De Ethymologia, antiquitate, & partitione Theologiæ, fol. 1.*
Quæſt.2. Vtrum Theologia ſit ſcientia, 3.
Quæſt.3. Vtrum Theologia ſit Sapientia, 12
Quæſt.4. Vtrum habitus Theologicus ſit adhæſiuus, an declaratiuus, 20.
Quæſt.6. Vtrum Theologia ſit ſcientia ſubalternans, vel ſubalternata, 22.
Quæſt.7. Vtrum Theologia ſit practica, vel ſpeculatiua, 26.
Artic.1. Quid ſit praxis, quid ſpeculatio, 26.
Artic.2 Quid ſit notitia practica diſtincta à ſpeculatiua, 28.
Artic.3. Theologiam Viatorum, & Comprehenſorum eſſe practicam, non ſpeculatiuam, 31.
Artic.4. Vtrum Thelogia Dei ſit practica an ſpeculatiua, 34.
Quæſt.8. Quodnam ſit ſubiectum in Theologia, 37.
Artic.1. Referuntur, & refelluntur varia placita, 37.
Artic.2. Reſpondetur ad Quęſt. iuxta multiplicem acceptionem Thelogiæ, 40.
Artic.3. Soluuntur argumenta alia cõtra præcedentem articulum, 46.
Quæſt.9. Vtrum ſacra doctrina ſit argumẽtatiua, 49.

DISPVTATIO SECVNDA
De modo argumẽtandi à ſenſibus Sacræ Scripturę.

QVæſt.1. *Quid importet Sacræ Scripturę nomen, 51.*
Quæſt.2. Vtrum Sacræ Scripturæ Author ſit Spiritus Sanctus, 53.
Quæſt.3. Quid importet vox iſta ſenſus in Sacra Scriptura, 60.
Quæſt.4. Vtrum plures admttat ſenſus Sacra Scriptura, 61.
Quæſt.5. Quotuplex ſit ſenſus Scripturæ, & quinam vnuſquiſque, 63.
Quæſt.6. Quid ſit ſenſus literalis, 65.
Quæſt.7. Quinam ſit ſenſus literalis in metaphoris, parabolis, ac figuratis loquutionibus, 69.

Quæſt.8. Vtrum in omni Scripturæ loco reperiatur ſenſus literalis, 72.
Quæſt.9. Vtrum idem Scripturæ locus plures habere poſſit ſenſus literales, 74.
Quæſt.10. De ſenſu ſpirituali, & myſtico, 77
Quæſt 11. De ſenſu per Accomodationem, 80.
Quæſt.12. Vtrum aliqua loca Scripturæ ab Euangeliſtis citentur per accomodationem, 82.
Quæſt.13. Quinam ex ſenſibus ſit præſtantior, literalis, an myſticus, 83.
Quæſt.14. Vtrum ex ſolo ſenſu literali ſumitur efficax argumentandi locus, an etiã ex myſtico, 85.
Quæſt.15. Vtrum adeo ſit clara ſcriptura, vt vnicuique liceat pro libito inde formare ſenſus, 87.
Quæſt. 16. De Regulis eliciendi ſenſus è Sacra Scriptura, 99.

DISPVTATIO TERTIA
De Diuinis Nominibus.

QVæſt. 1. Dei nominum generalis, ac vniuerſalis diuiſio, 93.
Quæſt.2. De Nomine Deus, 96.
Quæſt.3. Nomen Deus an connotet eſſentiã, an Perſonas, 99.
Artic. 1. Sententia D.Thom. & Henrici, 99.
Artic.2. Verior ſententia de quæſito, 101
Artic. 3. Soluuntur argumenta articuli primi, 105.
Quæſt.4. De nomine Tetragrammaton, Iehoua, Adonai, & quia eſt, 108.
Quæſt.5. De nomine Elohim, ac reliquis Dei nominibus, Eſer, Helion, Sabaoth, El, Saddai, 114.
Quæſt.6. Dei nomina an ſint vniuoca, an ſymbolica, 116.
Quæſt.7. Vtrum Deus poſſit perfectius, & diſtinctius nominari, quam ab intellectu creato coniugi, 120.
Artic. Aſſertur ſententia Thomiſtarum, & Henrici, 120.
Artic.2. Statuitur veriſimilior de re hac ſententia, 121.
Artic.3. Satisfit obiectionibus primi articuli 126.
Quæſt.8. Vtrum exiſtentia ſit de quidditate Dei, 128.
Artic.1. Aſſertur ſententia negans, 128.
Artic.2. Statuitur exiſtentiam eſſe de intrinſeca ratione Dei, 129.
Artic.3. Soluuntur argumenta primi articuli, 135.
Artic.4. Reſoluitur quæſtio problematice, pro vtraque parte, 136.

DISPVTATIO QVARTA
De Deo.

QVæſt.1. Vtrum Deus ſit, & demonſtrari poſſit Deum eſſe, 138
Artic.1. Qui negauerint Deum eſſe, 138.
Artic.2. Rationes naturales, quibus probatur Deum eſſe non eſſe efficaces, 139
Artic.3. contenta in præced. artic. procedunt gratia diſputationis, non veritatis, & cenſuratur opinio præcedens, ac oſtẽditur poſſe naturaliter demonſtrari Deum eſſe 134. il2.
Quæſt.2. Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum, 146.
Artic.1. Quid ſit propoſitio per ſe nota ex D.Thom. 146.
Artic. 2. Aſſertur completior explicatio propoſitionis per ſè notæ, 149.
Artic.3. Demonſtratur quænam propoſitiones de Deo ſint per ſè notæ, & quænam demonſtrabiles à priori, 153.

DISPVTATIO QVINTA
De Simplicitate Dei.

QVæſt.1. Vtrum Deus ſimplex ſit, an aliqua compoſitione compactus, 159
Artic.1. Referuntur errores circa Dei ſimplicitatem, 159.
Artic.2. De ſimplici, ſummè ſimplici, ac ſimpliciter ſimplici, deque multiplici compoſitione oppoſita, 160.
Artic.3. Simplicitatem de ſe formaliter non dicere perfectionem, nec imperfectionem ſed connotatiuè vtrumque 164.
Artic. 4. Oſtenditur Deum non componi ex forma, & materia, 168.
Artic.5. Non componi ex trina dimenſione quantitatiua, 172.

Artic.6.

Artic. 6. Non componi ex accidenti, et ſubiecto, 176.
Artic. 7. Non componi ex Natura, & Hypoſtaſi, 179.
Artic. 8. Non componi ex genere, & differentia, nec eſſe in genere, 182.

DISPVTATIO SEXTA
De Vnitate Dei.

Quaſt. 1. Vtrum ſit tantum vnus Deus, 186.
Artic. 1. Quam varij extiterint Gentiliũ Dij, 186.
Artic. 2. Conuincitur Dei vnitas naturalibus demonſtrationibus, 187.
Quaſt. 2. Vtrum vnitas addat aliquid poſitiuum, 193.
Artic. 1. Vnitatem nihil addere poſitiuũ ex D. Thom. 193.
Artic. 2. Vnitatem addere veram entitatem poſitiuam ſupra ens, 194.
Artic. 3. Reſponſiuus ad rationes tertij Articuli, 197.

DISPVTATIO SEPTIMA
De Veritate Dei.

Quaſt. 1. Vtrum Deus ſit Veritas, 199.
Quaſt. 2. Vtrum veritas addat aliquid ſupra ſubiectum.
Artic. 1. Referuntur aliorum placita, 202.
Artic. 2. Statuitur veritatem addere entitatem poſitiuam ſupra ens, & confutantur placita Artic. prec. 204.
Quaſt. 3. Vtrum veritas ſubiectetur in re, an in intellectu, 208.
Artic. 1. Veritatem ſubiectari in intellectu, non in re, ex multorum placitis, 208.
Artic. 2. Aſſignatur ordo veritatis circa ſubiecta ſecundum prius, & poſterius, 210.
Quaſt. 4. Vtrum veritas reperiatur in omni operat. intellectus: tum compoſit. tum ſimplici apprehenſ. tum in ſenſu, 218.
Artic. 1. 218.
Artic. 2. Eadem ſententia amplius confirmatur, & reſpondetur argumentis alijs in oppoſitum, 222.
Quaſt. 5. Vtrum falſitas poſſit eſſe in prima intellectus operatione, 226.
Quaſt. 6. Vtrum etiam in operat. ſenſus poſſit reperiri falſitas, vbi etiam expenditur tota materia falſitatis, 228.
Quaſt. 7. Naturam veritatis eſſe de genere relationis ſecundum dici, 240.

DISPVTATIO OCTAVA
De Bonitate Dei.

Quaſt. 1. An Deus ſit ſummè, & per eſſentiam bonus, 246.
Quaſt. 2. In quo conſiſtat formalis ratio bonitatis, 258.
Artic. 1. Aſſeritur ſententia dicentium in ſola relatione ſitam eſſe rationem bonitatis, 258.
Artic. 2. Statuitur rationem bonitatis nõ eſſe præciſe relatiuam, 258.
Artic. 3. Declaratur, in quo conſiſtat totalis ratio bonitatis. Addit aliquid ſupra ens, &c. 261.
Artic. 4. Oſtenditur bonitatem conuerti cum omni genere entis, 267.
Artic. 5. De multiplici diuiſione boni, 273

DISPVTATIO NONA
De Immenſitate Dei.

Quaſt. 1. Artic. 1. Oſtenditur Dei immenſitas 279.
Quaſt. 2. Vtrum ex operatione Agentis alicubi ſequatur præſentialitas, 161.
Artic. 1. Aſſeritur ſententia Diui Thomæ, 289.
Artic. 2. Quæ ſint rationes agendi, vel nõ agendi in diſtans, et remotum, 291.
Artic. 3. Ex operatione Agentis alicube non ſequitur conſequentia formali, præſentia ſua exiſtentia, 296.
Artic. 4 Soluuntur argumenta in oppoſitum, 303.
Quaſt. 3. Vtrum Deus ſit extra Cœlum in ſpatijs imaginarijs, 307.
Artic. 1. Aſſertur ſententia affirmans, 307.
Artic. 2. Enodatur quæſtio, & reconciliãtur ſententiæ, 309.

Artic. 3.

Artic.3. Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ, 306.

Quæſt.4. Vtrum immenſitas poſſit communicari creaturæ, 310.

DISPVTATIO DECIMA
de perfectione diuini Eſſe in ſe.

QVæſt.1. Vtrum Deus ſit omnium perfectiſſimus, contineatque in ſe cæterorum perfectiones, 323.

Artic.1. Oſtenditur Dei perfectio ſupra omnes, 323.

Artic.2. De modo, quo Deus continet perfectiones cæterorum, 328.

Quæſt 2. An creatura ratione alicuius perfectionis ſit ſimilis Deo, 333.

Quæſt.3. An Deus ſit ita perfectus, vt Creatura cum eo non faciat maius, 336.

DISPVTATIO VNDECIMA
De Infinitate Dei.

QVæſt.1. Vtrum Deus ſit infinitus.

Artic.1. Quid ſenſerit Ariſtot. de Infinitate Dei, 343.

Artic.2. Oſtēditur Dei infinitas ex Theologis, 349.

Artic.3. Afferuntur capita infinitatis diuinæ, 356.

Artic.4. Soluuntur argumenta contra infinitatem, 359.

DISPVTATIO DVODECIMA
De Aeternitate Dei.

QVæſt.1. Vtrum Deus ſit æternus, 362.

Quæſt.2. Qualis æternitatis acceptio, & definitio, 365.

Quæſt.3. An æternitas addat aliquid poſitiuum, ex natura rei, an pendens ab intellectu, 370.

Quæſt.4. Vtrū æternitas addat aliquid poſitiuū, an cōſiſtat in ſola negatione, 376.

DISPVTATIO DECIMATERTIA
De immutabilitate Dei.

QVæſt.1. Vtrum Deus ſit immutabilis,

Artic.1. Quid ſenſerit Ariſt. de immutabilitate Dei, 377.

Artic.2. Oſtenditur Dei immutabilitas ex Theologis, 379.

Quæſt.2. Vtrum aliqua creatura ſit prorſus immutabilis, 385.

DISPVTATIO QVARTADEDIMA
De Omnipotentia Dei.

QVæſt.1. An ex Ariſtot. naturali demōſtratione oſtendi poſſit immediata Dei Omnipotentia, 389.

Quæſt.2. Vtrum ex Ariſt. Deus per Omnipotentiam ſuam operetur neceſſariò.

Artic.1. Diſputatur hinc inde, & ſtatuitur pars affirmatiua, 396.

Artic.2. Soluuntur argumenta in oppoſit. Ariſt. 401.

Quoſt.3 Vtrum ex Theologis concedenda ſit loquutio, Deum operari contingenter, an ſolum liberè ad extra, 406.

Quæſt.4. In quo conſiſtat formalis ratio diuinæ Omnipotentiæ, an in Eſſentia, an in intellectu, an in voluntate, 309.

Quæſt.5. Vtrum admittenda ſit in Deo potentia exequutiua, 319.

Quæſt.6. Vtrum prima ratio poſſibilitatis, ſeu impoſſibilitatis originetur ex parte Dei, an ex parte rei, 423.

Quæſt.7 Quid poſſit, vel non poſſit cadere ſub Omnipotentia Dei, 435.

Quæſt.8. Vtrum facere poſſit per Omnipotētiam, vt præterita non fuerint, 439.

Quæſt.9. Vtrum ea, quæ fecit Deus, potuerit facere meliora, 441.

Quæſt.10. Vtrum producere poſſit ſpecies in infinitum perfectiores, 446.

Quæſt.11. An præter ea, quæ fecit, poſſit plura facere, & mundum alium creare, 451.

Quæſt.12. Expenditur duplex genus potentiæ ordinatæ, & abſolutæ, 455.

DISPVTATIO QVINTADECIMA
Vtrum Deo competat viuere.

QVæſt.1. Oſtenditur Deum eſſe ſubſtantiam viuentem, 462.

Quæſt.2. Vtrum vita intellectualis ſit de quiddi tate Dei, 467.

Quæſt.3. Vtrum vniuerſæ creaturæ dicātur viuere in Deo, 472.

DISPV-

DISPVTATIO SEXTADECIMA De Scientia Dei.

*Quaſt.*1. *Vtrum Dei ſcientia ſit de eius quidditate, an ſit habitus, an actus primus, an uniuerſalis, an propter quid* 475.
*Quaſt.*2. *Vtrum Dei ſcientia ſit habitualis, vniuerſalis, & propter quid* 479.
*Quaſt.*3. *Vtrum Dei ſcientia ſit comprehenſiua de mente Philoſophorum*, 482.
*Quaſt.*4. *Vtrum ex probationibus aliorum concludatur Deum comprehendere ſeipſum*, 485.
*Quaſt.*5. *Vtrum Dei ſcientia de ſeipſo ſit practica, vel ſpeculatiua*, 490.
*Quaſt.*6. *Vtrum Sciemtia Dei ſit practica reſpectu contingentium*, 493.
*Quaſt.*7. *Vtrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum*, 497.
*Quaſt.*8. *De multiplici obiecto diuinæ ſcientiæ in genere*, 505.
*Quaſt.*9. *De duplici obiecto diuinæ ſcientiæ, primariò, & ſecundariò*, 508.
*Artic.*1. *Vtrum creaturas cognoſcat in diuina eſſentia Deus, an in ſeipſis, loquendo de poſſibilibus*, 511.
*Artic.*1. *Quid de hoc ſenſerit Scotus, utrū exiſtimauerit Deum videre creaturas in ſeipſis*, 514.
*Quaſt.*10. *Vtrum creaturas poſſibiles cognoſcat Deus in ſua Eſſentia, tanquam in cauſa, vel tanquam in ſpeculo, vel alio modo*, 516.
*Quaſt.*11. *Vtrum Deus cognoſcat creaturas, vt præſentes in æternitate, an in Ideis*, 522.
*Artic.*1. *Affertur opin. Thomiſti cognoſcere, vt præſentes æternitati*, 522.
*Artic.*2. *Confutatur præcedens opinio, & oſtenditur quinam ſit obiectiua futurorum præſentialitas intellectui Dei*, 523.
*Artic.*3. *Vtrum creaturas cognoſcat in Ideis*, 528.
*Artic.*4 *Soluuntur obiectiones primi, & tertij Articuli*, 532.
*Quaſt.*12. *Vtrum vt Deus creaturas intelligat requirantur in eo diſtincti reſpectus ad ipſas creaturas*, 535.
*Quaſt.*13. *Vtrum Dei ſcientia diuidi poſſit in intuitiuam, & abſtractiuam*, 538.
Quaſt 14. *Vtrum, & quomodo Deus cognoſcat non entia, priuationes, ac negationes, verum, & falſum*, 544.
*Quaſt.*15. *Vtrum, & quomodo cognoſcat malitiam, & peccatum*, 548.
*Quaſt.*16. *Vtrum Deus cognoſcat ſingularia ſecundum omnem conditionem exiſtētiæ*, 522.
*Quaſt.*17. *Vtrum per ſuam ſcientiam comprehendat infinita*, 556.
*Quaſt.*18. *Vtrum ſcientia de creaturis ſit neceſſaria, immutabilis, et infallibilis*, 560.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA De Prouidentia Dei.

*Quaſt.*1. *de vocis Prouidentia Ethymologia*, 564.
*Quaſt.*3. *Prouidentia quid ſit, & vtrum pertineat ad actum intellectus, an voluntatis*, 569.
*Quaſt.*4 *Vtrum Prouidentia non ſolum verſetur circa media, ſed etiam circa finē*, 573.
*Quaſt.*5 *Vtrum aſſequutiō finis ſit de intrinſeca ratione Prouidentiæ*, 575.
*Quaſt.*6. *Vtrum caſus, & fortuna ſint etiā à* Deo, *& cadant in Prouidētiam* Dei 578.
Quaſt 7. *Vtrum mala culpæ, & pœna cadāt ſub Prouidentiam* Dei, 582.
*Quaſt.*8 *Vtrum mala pena cadant in Prouidentiam* Dei, 585.
*Quaſt.*9. *Vtrum proſpera impiorum, & aduerſa hominum fortuna piorum cadat ſub Prouidentia* Dei, 587.
*Quaſt.*10. *Vtrum vniuerſis paruulis fuerit* à Deo *prouiſum de ſufficienti auxilio ad ſalutem*, 595.
*Quaſt.*11. *Vtrum Deus ſemper prouideat de auxilijs excitantibus ad conuerſionē, ad legem implendam, ad tentationes vincendas, & ad peccata vitanda*, 598.
*Quaſt.*12. *Vtrum Deus prouideat omnibus de auxilio vitandi omnia peccata venialia*, 602.

Quæſt. 13. Vtrum Deus infidelibus prouiderit de auxilijs gratiæ ad ſalutem, 605.
Quæſt. 14. Vtrum aliquibus magnis peccatoribus Deus deneget omninò auxilia gratiæ ſuæ.
Artic. 1. Affertur ſententia affirmatiua, & impugnatur, 607.
Artic. 2. Statuitur probabilior, & communior ſententia de præſenti quæſito, 608.
Artic. 3. Satisfit argumentis in oppoſitum 609.
Quæſt. 15. Vtrum Scotus negauerit Prouidentiam auxilij ſpecialis gratiæ præuenientis, & excitantis, 612.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.
De Iuſtitia Dei.

QVæſt. 1. Vtrum in Deo ſit Iuſtitia, cæteræq; virtutes morales, 620.
Quæſt. 2. De virtutibus moralibus in ſpecie, vtrum ſingulariter reperiãtur in Deo, 224.
Quæſt. 3. Vtrum Iuſtitia ſit diſtincta à voluntate Dei, tanquam à regula eius, an verò Dei voluntas ſit ſui ipſius regula 631.
Quæſt. 4. Vtrum inter Deum, & creaturam intercedat vera ratio Iuſtitiæ, 633.
Artic. 1. Affertur ſententia affirmãs, 633.
Artic. 2. Quale ſit obiectum, & quænam conditiones Iuſtitiæ, 639.
Artic. 3. Non reperiri in Deo ad creaturam veram rationem debiti, aut Iuſtitiæ, 637.
Artic. 4. Reſpondetur argumentis in oppoſitum, 642.

DISPVTATIO DECIMANONA
De Miſericordia Dei.

QVæſt. 1. Vtrum in Deo ſit verè, & formaliter miſericordia: an diſtincta à Iuſtitia: an prior, & nobilior ea, 645.
Quæſt. 2. Vtrum in omnibus operibus Dei interueniat ſimul Miſericordia, et Iuſtitia, 649.

DISPVTATIO VIGESIMA
De diuinis Attributis à ſè.

QVæſt. 1. Quænam ſit ratio nominis, & naturæ attributi in ſè, 656.
Quæſt. 2. Vtrum attributa reperiantur in Deo realiter, & formaliter, 659.
Quæſt. 3. De perfectione, atque ordine diuinorum attributorum, 661.
Quæſt. 4. Attributa diuina an ſint numero infinita, 664.
Quæſt. 5. Vtrum attributa, & ralationes diſtinguantur formaliter à diuina Eſſentia ante omnem actum noſtri intellectus.
Artic. 1. Proponuntur variæ ſententiæ Theologorum, 666.
Artic. 2. Probatur diſtingui ſola relatione, 667.
Artic. 3. Probatur dari diſtinctionem ex natura rei formalem ante opus intellectus, 670.
Artic. 4. Diſtinctionem formalem non obſtare diuinæ ſimplicitati, nec facere compoſitionem cum Deo, 677.
Artic. 5. Opinionem Gilberti eſſe omninò diuerſam à ſententia Scoti, 679.
Artic. 6. Vtrum verè Scotus admiſerit diſtinctionem formalem, actualem, an virtualem inter attributa, & Eſſentiã, 681.
Artic. 7. Vtrum attributa quatenus formaliter diſtincta ſint Deus, aut creatura, 683.
Artic. 8. Soluuntur argumenta pugnantia contra diſtinctionem formalem, 685.

FINIS.

ERrata, quæ plurima, Typographi incuria irrepſerunt, Sapientis Lectoris benignitati corrigenda commendantur:

DE

DE THEOLOGIA IN SE.

DISPVTATIO PRIMA.

QVÆSTIO PRIMA.

De Ethymologia, antiquitate, ac partitione Theologiæ.

Theologiæ nominis deriuatio à Græco.

1 THeologiæ nominis ea eſt ratio, vt vox hæc græcè originè trahens, idem ſignificet, ac *ſermonem de Deo*. Ita teſtantur vniuerſi Theologi, ac præcipuè Auguſt. qui l. 8. de Ciu. Dei c. 1. ait: *Hoc verbo græco ſignificari intelligimus rationem, ſeu ſermonem de Diuinitate.* hoc habito, hinc duo colligimus; Primum, quod omnis ſcientia loquens de Deo, poſſit appellari Theologia; Secundum, quod omnes, quotquot loquuntur de Deo, ipſi veniant appellandi Theologi: Primo ſenſu appellauit Metaphyſicam Ariſtot. Theologiam; l. 6. met. c. 1. & l. 11. c. 6. Secundo autem ſenſu ipſimet antiquiores Poetæ appellabantur Theologi, vt Auguſt. notat 18. de Ciu. c. 14. Clemens etiam Alexandr. l. 5. ſtrom. Orpheum vocat Theologum, pluresq; alij. At verò Theologia ſic ſumpta, valde lato nomine vſurpatur, inde enim ſequitur, vt fideles omnes, immo Ethnici vniuerſi loquentes de Deo ſint Theologi: id vero contingit fusè, & largè ſpectando ipſam Theologiam: eſt autem valdè ampla acceptio, ſed ſtrictius aliquanto, & arctius contemplantur ipſam Scholaſtici, vt videbimus Theologiam.

Metaphyſica appellata Theologia.

Poetę appellati Theologi.

Theologia antiquitas.

2 Theologiæ antiquitas tanta eſt, vt omnem antecellat ſcientiam, & diſciplinam; probatur, creatis primis noſtris Parentibus, mox illis infuſa fuit cognitio de Deo: repletus fuit Adam omni ſcientiarum genere per infuſionem: in primis verò ſcientia, & habitu theologico, quo nouit Deum, arcana Dei, media quibus colere, & amare tenebatur ipſum Deum. Ab Adam inde ad poſteros traducta fuit ipſa Theologia, cum vniuerſis alijs diſcipli-

Ab Adam traductę ad poſteros ſcientia.

ſciplinis. Hic verò modus pendet ex non ſcripto; ad Adam namque immediatè reuelauit ipſe Deus: ab Adam verò ad poſteros ex traditione, & deinceps. De modo tamen traducendi Theologiam ex ſcripto, id conſtat per Moyſen habitum fuiſſe, quando cœpit Orbis creationem texere, & plura deinceps, in quibus arcana tradidit ipſius Dei. Fuiſſe verò Moyſen cæteris inde Scriptoribus antiquiorem, tum Græcorum, tum Hebræorum, latisſimè probant recentiores ex Auguſt. l. 18. de Ciu. c. 37. 36. tum Philoſophorum, tum Poetarum, vt Ioſeph. l. 1. contra Apion. Iuſtin. orat. parænet. ad Gent. Tertull. in apologet. c 19. Lactant. l. 4. diuin inſt. c. 5. idemque Auguſt. c. 37. & vltra. Nedum autem Moyſen, ſed plerosque etiam Prophetas vetuſtiores fuiſſe Thalete Mileſio, Platone, Socrate, pluribusq; Philoſophis, vt Iſaiam, Hieremiam, Ezechielem, Ionam, Danielem, Oſæam, Abdiã, pluresque conſtat ex Chronico Euſebij; quo fundamento poſito, mirum nõ eſt, ſi Philoſophi plures multa admiſerint, & tradiderint de Deo; etenim ea deprompſerint ex ipſis Prophetis, vt Iuſtinus notat, & Clemens vbi ſupra, atque Auguſt. 2. doctr. Chriſt. c. 4.

Moyſes cæteris antiquior ſcriptoribus.

Philoſophi multa trãſcripſerunt ex Prophetis.

3 Nedum Græcis ſapientibus auterior fuit Moyſes, verum & Græcorum literas à Moyſe ſucceſsiuè, licet longo poſt tempore dariuatas fuiſſe hinc comprobatur; nam literas à Iudæis inuentas eſſe, & à Iudæis ad Græcos translatas fuiſſe hinc poteſt elici, quoniam tum Hebræorum, tum Græcorum prima elementa affinia inuicẽ ſunt, & valde ſimilia; & quidẽ id, quod Hebræi *Aleph* dicunt, ideſt literam primam, id Græci appellant, *Alpha*: quod pergunt inde Hebræi, vocando *Gimel*, ſequuntur Græci nominando *Gamma*. illi rurſus *Daleth*, iſti *Delta*. ipſi *Zain*, hi *Zita*, & ſic deinceps. Cum verò Moyſes Grammaticam Hebræis tradidit, ab his inde accepere Phænices, & à Phænicibus Cadmus, & hic inde ad ipſos Græcos tranſtulit primus, vt inquit Herodot. l. 5. Iuſtin. orat. ad Gent. Euſeb. l. 10. de præpar. euang. c. 2. & Eupolem. l. de Regib. Iudeæ.

Literæ ab Hebræis ad Græcos trãſlatæ.

Aliquarũ literarum Græcarum cũ Hebræarum affinitas.

4 Theologiam antiqui in triplex genus diuiſerunt, teſte Auguſt. 6. de Ciu. c. 5. aliam namque appellauerunt *Myſticam*, aliam *Phyſicam*, aliam *Politicam*. Primam tractarunt Poetæ, quam & *fabuloſam* licuit appellare; plena enim erat fabulis, ac Poetarum figmẽtis, & adinuentionibus. Secundam agitarunt Philoſophi: ea enim eſt ſcientia naturalis, quam *Philoſophiam* appellant. Tertiam agebant Templi Miniſtri, ſeu Sacerdotes, quibus cura incumbebat rerum ſuis Dijs conſecratarum.

Theologiæ diuiſio ex Antiquioribus in miſtic. phyſic. & polit.

5 Verius tamen Theologiam diuidunt Catholici Theologi, quapropter diuiſio Theologiæ talis erit; diuiditur namque primo *in ſymbolicam, & demonſtratiuam*: & hæc ſit prima diuiſio, ſic eã Dionyſius diuidit epiſt. ad Tit. Prima eſt, quæ figuris vtitur in explicãdis diuinis; ac propterea Theologi figuratè loquentes appellantur Theologi *Symbolici*. verſatur hæc circã ea, quæ dum Deo in propria, ac naturali vocum ſignificatione competere non poſſunt; ſaltim operatur, vt cõpetãt eidem in translatitia, ac figuratiua ſignificatione: & quidem Deus cũ ſit incorporeus, & inalterabilis, ac impaſſibilis ſiue immutabilis, vtique nec oculos habere poteſt, nec aures, nec paſſionibus ſubiacere poteſt iræ nec furoris; dicimus tamen hæc ſibi competere figuratiuè, quatenus effectum exercet tum furoris, tum iræ, tum ſenſuum oculi, & aurium, videndi, audiendi metaphoricè, demptis tamen imperfectionibus: non enim hæc exercet more humano; & Theologia hæc eſt admodum vtilis, & neceſſaria ad pleraque Sacræ Scripturę loca explicanda; vtitur namque ſæpiſſimè ſymbolicis loquutionibus, ac figuratis; ita vt plura de Deo efferri queant non ſecundum affectum, cum nulla animi paſſio cadat in ipſum Deum, ſed ſecundum effectum, quatenus verè effectus exercet iræ, & furoris. Secunda eſt, quæ conceptus ipſos proprijs verbis demonſtrat: hinc dicimus Deum eſſe ſapientem, & bonum: quæ vtique verè enunciantur de Deo, vereq; explicant ſapiẽtiæ, & bonitatis conceptus, quos nomina præſeferunt.

Theologiæ diuiſio ex Catholicis in ſymbolicam, & demonſtratiuam.

Paſſio ſenſus, vel animi nulla cadit in Deum, niſi figuratiuè, & metaphoricè: ſecundum effectum, nõ ſecundùm affectum.

6 Diui-

Theologiæ diuiſio in poſitiuā, et ſcholaſticā.

6 Diuiditur ſecundo in *poſitiuam, & ſcholaſticam*: illa eſt, quæ poſitiuè, ac de plano procedit; iſta, quæ diſputando, arguendo, reſpondendo pergit ad diuina myſteria expendenda: illa præcipuè viget in exponenda Sacra Scriptura: circa quam tantopere elaborarunt Patres: ex ipſa etiam habemus firma, ſiue prima principia alterius Theologiæ; nam Scholaſtica ſcripturæ innititur, & reuelationi diuinæ, veluti primis principijs, vt infra dicemus; hæc verò ſuper iactis iam fundamentis poſitiuæ Theologiæ ædificans, vberius inde elaborat, ac vltro ſe extendit, ſiue confirmando, ſiue arguendo, ſiue reſpondendo, ſiue diſtinguendo, ſiue denique confutando, quæ Aduerſarij obiciunt in ipſam vtramq; Theologiam, & hinc eſt, vt hanc ſectãtes methodum *Theologi*; nomen ſortiti ſint *Scholaſticorum*; antiquitus enim pollentes arte, doctrina, acumine ingenij in diſceptando appellabantur *Scholaſtici*, & ob id Hieron. de Scriptor. Eccleſ. de quodam Serapione Epiſcopo Aegyptiorum aiebat, ob ingenij elegantiam cognomen ſortitum eſſe *Scholaſtici*.

Theologia diuiſio in practicam, & ſpeculatiuam.

7 Diuiditur tertio in practicam, & ſpeculatiuam: hæc verò membra reuocari poſſunt ad præcedentia; practica namque reducitur ad poſitiuam: quam & appellare licebit moralem: ſpeculatiua ad Scholaſticam; ſed de his infra in proprijs locis.

QVÆSTIO SECVNDA

Vtrum Theologia ſit ſcientia?

Ex Henr. datur lumē mediū inter lumen fidei, & gloria.

1 HEnricus in ſum. q. 1. art. 7. & quol. 8. q. 14. & quol. 12. q. 2. abſolutè docet, Theologiam eſſe ſcientiam, & eſſe euidentem. Docet verò in Theologis dari quoddam tertium lumen, quod ſit medium inter lumen gloriæ, & lumen fidei; atque mediante eo lumine ſubdit, cognoſcere euidenter Theologos, licet abſtractiuè res fidei. quomodo verò habeatur in ipſis hoc lumen medium inquit, produci ex frequenti vſu, atque exercitio Theologiæ; quo tandem fiant eis euidentia ipſa myſteria fidei: probat in primis ex Aug. qui ep. 85. ad Conſen. & l. 83. q. 48. diſtinguit inter lumen fidei, & intelligentiā rerum diuinarum. Et ſup. Io. 1. *Aliud*, ait, *eſſe lumen ad credendum, aliud ad intelligendum*. Inſuper ex Apoſt. 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*. perfecti autem Sapientes ſunt Theologi, eſt enim Theologia ſumma Sapientia. Idemq; Aug. l contra Ep. fund. c. 14. *Ego*, inquit, *Catholicam fidem profiteor, & per illam ad certam ſcientiam me peruenturum præſumo*. Demū arguit, ſi non habent Theologi talem euidentiæ intelligentiam non vtique poſſent contra hæreticos fidem propugnare; cum verò hæc optimè faciūt, vtique vltra lumen fidei habent quoque lumen euidētiæ de articulis fidei, eritque inde Theologia propriè, & euidens ſcientia.

Reijcitur ſent. Henrici de lumine medio.

2 Sētentia hæc ab vniuerſis Theologis reijcitur, & in primis lumen hoc medium reijcit Scot. in 1. loco infra citando; poſt quem impugnat illud Dur. OKam. Gabr. Marſil. & vniuerſi Sententiarij, ſiue in prol. ſiue in 1. p. q. 1. D. Thom. facillimeq; improbatur; eſt enim contra Apoſt. 1. Cor. 13. dicētem, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*. Idem quoque de fide ait, Hebræor. 11. *Eſſe ſubſtantiam rerum non apparentium*: vnde fit, vt hæc poſitio Henrici deſtruat ipſam fidem. Item

Paulus ſapientiſsimus fuit, ac apprimè edoctus de rebus diuinis; & nihilominus ſe tunc videre aiebat per *Speculum in ænigmate*; quanto magis cæteri Theologi Paulo inferiores. hoc argumentum deſumitur ex Nazianz. qui orat. de dogm. & ſtat. Epiſc. ſic arguit, *An quiſquam eſſe, inquit, mortalium, qui in eam ſublimitatem efferri poſſit, vt ad Pauli gradum perueniat; at ille tamē videre ſe per Speculum, & in ænigmate dicit.* Inſuper eſſent Theologi non iam viatores, ſed comprehenſores; quod eidem Paulo obſtat, cum ſubdit, *Poſtea autem videbimus facie ad faciem.* Rurſus quod ait, ex frequenti Theologiæ exercitio poſſe tale lumen euidentiæ acquiri, id vſque modo compertum nō eſt; nullus enim Theologus quantolibet diuturno ſtudio occupatus gloriari poterit de fidei articulis euidentem aſſecutum fuiſſe hucuſque cognitionem. Demum ſi daretur tale euidēs lumen; poſſent vtique euidenti lumine naturali demonſtrari Trinitas, Incarnatio, Creatio de nihilo, Reſurrectio, & huiuſmodi, atque inde Philoſophi facili methodo manu duci poſſent ſimul & hæretici ad fidem amplectendam: quia verò euidentia non ſunt, ſed fidem poſtulant in euidentem ipſa myſteria fidei, hinc eſt, vt negato lumine fidei remaneant in ſua cæcitate.

Occurritur argumentis Henrici

3 Ad fundamenta Henrici, dicimus pro explicatione Auguſtini, quod in Theologis manet duplex lumen, fidei quidem, & intelligentiæ: illud eſt commune omnibus, etiam infantibus, & rudibus, atque ſimplicibus: iſtud eſt peculiare Scholaſticorum: addit verò hoc ſupra illud ampliorem rerum fidei extenſionem; conſiſtit autem extenſio hæc in explicandis, confirmandis, tuendiſq; rebus fidei, ſiue aduerſariorum argumentis ſoluendis: hoc tamen præſtare non poſſunt pueri, infantes, ac rudes, & ineruditi, ſed ſolummodo eruditi Theologi: & hoc eſt illud lumē intelligentiæ, de quo loquitur Auguſt. taliſq; eſt illa Sapientia, quam Apoſtolus loquitur *inter perfectos*. quod ſi inde inferas tale lumen eſſe omnino euidens, & naturale, fallitur Henric. ſiquidem Scholaſtica Theologia, ſiue habitus Theologicus eſt habitus concluſionū deductarum ex principijs fidei; iacto enim principio fidei, arguit inde Theologus, & confirmat ipſam fidem: quod ſi fidem negaueris, nihil aget Theologus circà fidem; probatur hoc ex Iſa. 7. *Niſi credideritis non intelligetis*, & hæc eſt intelligentia, de qua loquitur Auguſt. exemplum ſit: Pater æternus generat filium, hoc eſt de fide: pergit inde Theologus concluſionem inferens dicendo, ergo Pater diſtinguitur realiter à Filio, quia nihil gignit ſeipſum, ſed generans diſtinguitur à genito, diſcurſus hic, & concluſio ſupponit principium fidei, quod nempe Pater generat filium: hoc verò eſt ineuidens; ſuper hoc autem expandit Theologus intelligentiam ſuam, explicando amplius res ipſas fidei; & deducendo inde diſtinctionem realem: ecce quomodo intelligentia fundatur ſuper ineuidentia fidei: & hæc eſt illa intelligentia, quam profitetur alibi Auguſt. citatus. Ad id, quod dicit non poſſe fidem defendi abſque tali lumine, dicimus fidem defendi, & lumine fidei, abſolutè credendo, & ſanguinem pro fide profundendo, vt ſimplices fideles faciunt ex ſolo habitu fidei: & lumine Theologico, & hoc Sapientiores, & eruditi faciunt, arguendo, diſtinguendo, ſoluendo; tale verò lumen, vt diximus pro fundamento habet ipſum ineuidens, & obſcurum lumen articulorum fidei, & hinc Auguſt. l. 14 de Trin. c. 1. *Hac ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide; aliud enim eſt ſcire quid credere debeamus, quod docet fides, aliud autem quemadmodum hoc ipſum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur; quam proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus.*

Fidem alio modo tuentur Rudes, ac Simplices: alio Scholaſtici Theologi.

4 Franciſcus de March. in proh. q. 3. Tgeologiam ait, eſſe propriè ſciētiam; ratio quia eſt ſcientia euidens, & certa; itaut articuli fidei ſint non modo certi, verum & euidentes, virtute fidei, & lumine naturali intellectus agentis, qui producit inde ſpecies intelligibiles de talibus articulis, vt merito inde habeatur cognitio nedum certa; ſed euidens. Sententia hæc quo ad euidentiam coincidit cum opinione Henrici: & confutatur, vt ſupra

Vtraq; autem opinio deſtruit ſtatum vitæ, quia *ambulamus nunc per Speculum in ænigmate.* deſtruit fidem, vbi nãque euidentia adeſt, inde recedit fides, nam viſio, & euidentia euacuat fidem; *fides enim nõ habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum* ex Greg. homil. 26. in Euang. denique ſi euidentes ſunt fidei articuli, cur non recipiūt illos hæretici, cur non Philoſophi? cur indigemus fide? Quod verò ait de ſpecie intelligibili articulorum fidei, ſi articuli non cadunt ſub ſenſu, quomodo poterit intellectus abſtrahere ab ijs ſpeciem intelligibilem. *nihil enim eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu: & omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſib.* ex 3. de anim. Si Trinitatem nõ videmus, ſi Verbum humana carne indutum non intuemur; ſi Chriſtum ſub hoſtia degentem non inſpicimus, quomodo poterimus abſtrahere inde ſpecies intelligibiles: hæc inania ſunt, & Theologo indigna. Vtrum verò dari poſſit ſpecies talis, ſiue à Deo communicari, euidens notitia articulorum fidei etiam pro ſtatu iſto de potentia abſoluta, concedit Scot. 2. d 3. q. 9. & alij plures; de potentia tamen loquimur ordinata, quod non contingit: fuit verò error Manichæorum, qui gloriabantur de myſterijs fidei ſe habere euidentiam, vt patet penes Auguſt. lib. de vtil. credit.

Manichæorum error æſtimantiū de rebus fidei habere euidētiam.

Theologia an appellanda ſciētia diſcrepant Theologi.

5 De cæteris autē vniuerſis Theologis id compertum eſt negare myſteria fidei habere euidentiam; ac propterea docere communiter Theologiam eſſe ineuidentem: in quo omnes conueniunt: vtrum verò ſit appellanda ſcientia, in eo diſcrepant. Ratio verò diſcrepantiæ ortum habet ex parte conditionum requiſitarum ad veram ſcientiam, vtrum an ne ipſi Theologiæ competant: ob quod diuiſi sūt ipſi Theologi; vt tamen ſententias ſecernamus operepretium eſt conditiones ipſas ſcientiæ primum recenſere, vt inde patere facile poſſit, ſit an non appellanda ſcientia.

Scientiæ multiplex acceptio.

6 Initio deducimus ſcientiam capi poſſe multipliciter; primo quatenus eſt notitia cum firma adhæſione obiecti: taliter ſumit eam Auguſt. 15. de Trinit. c. 12. *Abſit, inquit, quod nos ſcire negemus, quæ teſtimonio aliorum didicimus; alioquin neſciremus eſſe Oceanum, eſſe terras, atque Vrbes, quas celeberrima fama commendat.* Sumitur inſuper pro habitu, quo quis determinatè dicit verum, & ſic eam ſumit Ariſt. 6. eth. c. 4. dicens, *Habitibus intellectualibus aſſerimus determinatè vnam potius partem, quàm alteram*: & hoc modo ſcientia ſumitur, prout opponitur opinioni; eſt enim ſic ſumpta habitus, quo determinatè dicimus verum. Sumitur rurſus ſcientia quatenus eſt notitia certa, euidens, de obiecto neceſſario, atque cauſata per diſcurſum ſyllogiſticum: & hoc modo ſumit eam Ariſt. 1. poſt cap. 2. dicens, *Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, quoniam illius eſt cauſa, &c.* deducuntur autem ex ea quatuor conditiones à Scoto, Prima, quòd ſit notitia certa: & in hoc diſtinguitur ab opinione, ſuſpitione, & errore: Secunda, quod ſit de obiecto neceſſario, quod non contingat aliter ſe hebere: & per hoc excluduntur contingentia, quæ aliter ſe poſsūt hebere: Tertia ſit euidens, & per hoc diſtinguitur à fide, quæ eſt ineuidens: Quarta, quòd huiuſmodi notitia cauſetur per diſcursū ſyllogiſmum diſcurrendo per præmiſſas, applicando eas ad concluſionem. Tres ex his cõditionibus dicunt perfectionem in ſcientia, vtpote eſſe notitiam certam; perfectior namque eſt notitia certa, quàm ſit notitia dubia, opinatiua, & infirma: eſſe euidentem dicit perfectionem ſupra notitiam ineuidentem, & obſcuram: ac propterea notitia, quam habent Beati in Patria de Deo eſt perfectior notitia, quã habent viatores de eodem Deo, cum illa ſit viſio, hæc fides. eſſe de obiecto neceſſario, perfectior eſt quàm de obiecto contingenti, ſcientia namq; mẽſuratur à Scibili; at neceſſarium eſt perfectius contingenti: & propter eã ſubdit Ariſt. *Et non contingit aliter ſe habere*: vltima verò conditio vtique imperfectionis eſt in ea vtpote cauſari per diſcurſum ſyllogiſticum: prob. quia diſcurſus eſt nota imperfectionis ex parte diſcurrentis: ratio quia non poteſt creata mens vnico intuitu percipere omnia, ergo indiget varijs in-

Scientiæ cõditiones.

Certitudo, neceſſitas; & euidentia sūt perfectionis in ſcientia.

Cauſari per diſcurſum eſt imperfectionis in ſcientia.

telle-

tellectionibus,& hinc diſcurſus;tum etiam quoniam propter ſui imbecillitatem non poteſt ſtatim, & ſubito penetrare ſingula, ergo paulatim, & ſenſim res percipiēdo, diſcurrit. eſt quoq; in ipſa ſcientia imperfectionis cauſari per diſcurſum, quia eſt effectus æquiuocus: effectus autem æquiuocus eſt imperfectior ſua cauſa æquiuoca: patet eſſe æquiuocum, nam cauſatur à cognitione, ſeu notitia principiorum, quæ eſt euidentior, quàm ſit ſcientia concluſionis; ait enim Ariſt. 1. poſt. 2. *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* ex parte quoque diſcurrentis dicit imperfectionem, vtpote procedens de non ſciente, ſiue neſciente, ſeu ignorante, ad ſcientem: atque eſt in potentia ad recipiendam perfectionem ſcientiæ, quam prius non habebat.

Neceſſitas eſt conditio eſſentialis ſcientiæ.

7 Circa inſuper conditionem illā, vt ſit de obiecto neceſſario, vtrum ſit ſcientiæ intrinſeca, & eſſentialis, an accidentalis; vtique erit eſſentialis; patet, implicat enim aſſerere habere aliquem ſcientiam variabilem; ſi namque variabilis eſt, ſcientia non eſt; certitudo namque eſt intimè coeſſentialis ſcientiæ: at maxima certitudo eſt illa, quæ habetur ab obiecto inuariabili, & immutabili: dices poſſe certitudinem haberi aliunde, vtpotè ab euidentia rei de aliquo contingenti verò, vt quod viderim, quòd Petrus currat; Reſp. erit quidem notitia hæc certa, & certa, & certiſſima ex parte euidentiæ, non tamen ex parte obiecti, quia obiectum variabile eſt, & deficiet aliquando à ſua firmitate; hodie namque Petrus currit, cras non curret; ergò hodie ſcientia hæc erit vera, cras falſa: ecce quomodo non ſubſiſtit in ſua firmitate; ſciētia autem de hoc, homo eſt animal, eſt vera ſciētia, quia ſemper fuit talis, eſt, & erit infallibiliter, & æternaliter talis; eſt enim ſemper homo animal. quapropter concludimus eſſe conditionem hanc ſcientiæ intrinſecam; & propterea ſubiunxit Ariſt. *Quod non contingit aliter ſe habere.* Dices, contingit immutabilitatem, & neceſſitatem ſufficere ſe tenere aliquando ex parte notitiæ, & ſciētis, licet obiectum in ſe ſit contingēs; vtpotè ſcientia, quam habet Deus de incarnatione Filij ſui, deque myſterijs alijs eſt omnino immutabilis, certiſſima, inuariabilis, quia non mutatur Deus: eſt etiam neceſſaria, quia neceſſariò, ſcit omnia iſta. Reſp. nihilominus deeſt neceſſitas ex parte obiecti, licet ſtet ex parte ſcientiæ, quæ cū ſit idem ac Deus, eſt ens formaliter neceſſarium; tum etiam, quia non cauſatur ex tali ſecundario obiecto; vnde licet non habeat contingentiam ab obiecto in cauſari, cùm non cauſetur ab eo, habet tamen contingentiam extrinſecam ſaltem in terminari, cùm terminetur ad contingens obiectum: ſcientia autem ſuſcipit denominationem ab obiecto, ſiue in cauſari ſi cauſetur; ſiue in terminari; ſi ſolummodo terminatur.

Non ſufficit neceſſitas Scientis, aut notitia ad ſcientiam.

Scientia Dei de contingentib. an perfectior notitia creata de obiecto neceſſario.

8 Dices, Scotus 4. q. prol. docet ſcientiam, quam habet Deus de contingentibus eſſe perfectiorem ſcientia, quæ requirit neceſſitatem obiecti, ergo conditio neceſsitatis obiecti nō eſt eſſentialis ſcientiæ. Reſp. notitiam Dei de contingentibus ob duplicem rationem eſſe perfectiorem notitia alia de neceſſarijs. Primo, quia notitia Dei formaliter tenta eſt ens infinitū, neceſſarium, vndequaque perfectum, atque inuariabile, quia Deus non mutatur de cognitione in cognitionem; ille namque vnicus ſcientiæ ſuæ actus ſemper perſeuerat idem, & non corrumpitur: at notitia creata ſiue Angeli, ſiuè hominis, licet ſit de obiecto neceſſario, defluit, corrūpitur, ac mutatur inde creatus intellectus de cognitione in cognitionem de actu in actum: perfectior autem eſt notitia, quæ eſt inuariabilis, & perſeuerat omnino in ſua entitate, quàm omnis alia, quæ corrumpitur, & deficit ab entitate ſua. Item ſecundo, quia cognitio, quā habet Deus etiam de contingentibus, habetur ex eſſentia diuina, in qua quidem res continentur eminentiori modo, quàm in ſeipſis, vt idem Scot. probat ex Auguſt. in 4. d. 1. q. 1. quia *inferiora perfectius eſſe habent in Superioribus, quàm in ſeipſis.* at cognitio etiam de neceſſarijs, in intellectu creato cauſatur ab ipſo obiecto creato motiuè: cauſatio autem illa eſt per-

fectior

fectior omnino iſta. & tertio licet cognitio creata de neceſſarijs perfectionem ſuam habeat ex parte obiecti neceſſarij, quod vt ſic, perfectius eſt obiecto contingenti, vt contingens eſt; quia variabile eſt obiectum, & mutabile; nihilominus ſpectando fidei myſteria, & ſi contingentia, quatenus in diuina ſunt memoria, atque Dei acceptatione, vtique ea ſunt immutabilia, æterna, & perennia ac prorſus omnino indefectibilia; nuſqnam enim ceſſabit Chriſtus, nuſquam incarnatio, atque Diuini Verbi cum humana natura vnio: nuſquam beatifica viſio, nuſquam damnatorum cruciatio, & huius generis, quia hæc ſemper erunt; quapropter ſi neceſſitatem non habent ex parte obiecti, habent tamen inuariationem, & immutabilitatem ex parte diuini decreti, ex parte diuinæ ſcientiæ, quæ ſemper fertur ad illa, & vt ſempiterna, & incorruptibilia intelliget Deus illa ad aliquem ſenſum iſtorum loquitur Scotus, & præcipuè ad primum; expendit enim perfectionem ex parte ſcientiæ, & ſcientis, qui eſt Deus, non ex parte ſcibilis, quod cum ſit contingens, ea ratione, qua contingens, exceditur ab obiecto neceſſario ipſum obiectum contingens. Dixi, ea ratione, qua contingens; quia poteſt obiectum contingens alio ex capite excedere obiectum neceſſarium, vtpote incarnatio Verbi, Mariæ maternitas, viſio beatifica, omnia ſunt obiectū contingēs; at qua talia, ſunt perfectiora multis propoſitionibus neceſſarijs; ratio, quia docent Sancti Bonau. & Thom. quod non poteſt Deus facere maius opus opere Incarnationis, maternitatis diuinæ, atque beatificæ viſionis: & vt ſic propoſitiones iſtæ, Beatitudo eſt viſio Dei: Maternitas Mariæ eſt generatio, & parturitio filij Dei; Incarnatio eſt vnio humanæ naturæ cum filio Dei, vtique perfectiores omnino ſunt propoſitione hac, homo eſt animal rationale; nulla enim eſt comparatio inter eas ratione termini; licet ea ratiône qua contingentes ſunt, vt ſic, excedantur à neceſſaria connexione prædicati, rationalis, ad hominem, qui eſt ſubiectum.

Aliqua cōtingentia ſunt perfectiora creatis neceſſarijs.

Non poteſt dari maius opus opere maternitatis Diuinæ vnionis hypoſtatic. & viſ. beat.

9 Circa conditionem vt ſit cauſata per diſcurſum, vtrum hoc ſit de intrinſeca ratione ſcientiæ, negat Baſſol. q. 5. prol. & Rad. 1. p. controu. 2. art. 2. quia id potius eſt imperfectiò intellectus creati, quam cōditio ipſius ſcientiæ, vt namque procedat à cognitione magis noti ad cognitionem minus noti; eſt imperfectio intellectus creati; admittere quoque pluralitatē actuum ſciendi, eſſeque mutabilem de non cognoſcente ad cognoſcentem, hæc ſunt imperfectionis ſcientis; verū quia datur intellectus diuinus, qui vnico intuitu videt omnia; nec tranſit de ignorantia, ſiue neſcientia ad ſcientiā, ergo dari poteſt in eo vera ſcientia, quæ ſit ſine diſcurſu. Herrhera tamen poſtulat neceſſariò ad intrinſecam rationem ſcientiæ diſcurſum in 1. d. 3. q. 2. Barg. Paul. ſcrip. Lych. ad 3. q. prol. æſtimantq; eſſe de mente Scoti. quidquid tamen ſit, non videtur eſſe de intrinſeca ratione, aliàs ſcientia Dei eſſet diſcurſiua, vel ſequeretur Deum de nulla re habere ſcientiam: quod ſi ſcientia admittitur in intellectu creato, multò amplius in increato, cum ſit perfectio intellectus: prob. ſequela. prædicata ſuperiora, & eſſentialia competunt quibuſcunque ſuis inferioribus; ſi enim animal eſt de ſui natura ſenſitiuum, ergo omne inferius animal erit ſenſitiuum; ſi igitur de intrinſeca ratione ſcientiæ in ſe eſt diſcurſus, ſequitur vt etiam Deus diſcurrat, atque eius ſcientia ſit eſſentialiter diſcurſiua. Vel ad hoc euitandum effinges Dei Theologiam non eſſe ſcientiā; ſed quæro de quare habebit Deus ſcientiam? Si de ſeipſo non habet ſcientiam, de quo ergo habebit ſcientiam? at negare in Deo veram ſcientiam eſt negare ab eius intellectu ſummam perfectionem: diſcurſus ergo eſt conditio ſolius intellectus creati.

Cauſari per diſcurſum an de intrinſeca ratione ſciētia.

Affirmant Barg. Her. Lych.

Confutantur.

Diſcurſus eſt conditio ſolius intellectus creati.

10 Circa euidentiam, vtrum ſcientia debeat procedere à cauſis, & principijs euidentibus in ſe ipſis, an ſufficiat vt procedat à principijs habentibus euidentiam in ſcientia ſuperiori. Thomiſtæ affirmant ſecundum, Scotiſtæ primum. & quidem hoc videtur probabilius; nam ſi ſcientia eſt notitia euidens, ergo non erit euidens, ſi ſua principia non in ſe videt. Item ſi Pe-

An ſufficiat habere euidētiam in ſcientia ſuperiori.

trus

ſtrus videret per oculum exiſtentem in Franciſco, & non in ſeipſo,non vtique diceretur videre oculus Petri; ita ſi ſcientia eſt euidens per principia viſa in ſuperiori ſcientia, non eſſet ſcientia talis euidens in ſe ipſa. hinc ſequitur, vt negata propria euidentia in ſeipſa, non ſit ſcientia,ſed fides:eſſet enim obſcura. obſtant Thomiſtæ contra hoc,tum ex rationib.tum ex Ariſt. de quo infra.

Theologia Dei de obiecto neceſſario eſt ſcientia.

11 His actis ſit prima aſſertio, Theologia Dei de obiecto neceſſario eſt vera ſcientia. prob.ſi non eſſet vera ſcientia, id obſtaret, quia non eſt cauſata per diſcurſum, at vidimus diſcurſum non eſſe de intrinſeca ratione ſcientiæ, ſed eſſe conditionem intellectus imperfecti ſcientis:huiuſmodi autem non eſt Deus. Item Theologia Dei eſt notitia certa, & euidens, de obiecto neceſſario nato producere eam in intellectu ſibi proportionato talis eſt Theologia Dei, cuius cognitio habetur ab obiecto primario, tum ſui, tum omnium ad intra; eſtque certiſſima, quia infallibilis, & euidentiſſima, quia vndequaque clariſſima; eſt namque obiectum primarium diuinæ eſſentiæ Speculum ſine macula, & candor lucis æternæ. Inſuper ſi obſtat ratio diſcurſus, arguitur contra, poteſt Deus ſupplere efficientiam cauſarum ſecundarum, ergo poteſt ſupplere in ſemetipſo vicem diſcurſus,ne fiat ſciẽtia cum diſcurſu. eſt hoc argumentum Gabr. 2.q. prol. Denique hæc ſententia eſt communior,quia eſt etiam Thomiſtarum, qui in Angelis veram ſcientiam admittunt ſiue diſcurſu; ergo abſolutè exiſtimant ad ſcientiam non requiri diſcurſum. Idem eſto iudicium de Theologia in ſe; quia & ipſa de obiecto neceſſario eſt vera ſcientia: & rationes adductæ militant etiam pro ea.

Theologia Beatorum eſt ſcientia.

12 Secunda aſſertio, Theologia Beatorum eſt veriſſime ſcientia. iſtam enim admittunt ſine diſcrimine omnes Scotiſtæ, & quidem habet conditiones omnes ſcientiæ, certitudinem, euidentiam,neceſſitatem obiecti, atq; diſcurſum. Solos habent Thomiſtas negantes diſcurſum in Angelis; propter quod negant in eorum ſcientia conditionem diſcurſus.Obſtare etiam videtur Auguſt. 15. Trin c.16. qui de Beatis ait, *Fortaſſe non erunt ibi volubiles cogitationes noſtræ ab alijs in alia euntes, & redeuntes.* ergo non diſcurrunt:ſed reſpondetur primo.loqui dubitatiuè per verbum fortaſſe.Secundo, non negat, inquit Scot. diſcurſum in Beatis;ſed comparat verbum noſtrum ad Verbum Diuinum, & hoc eſt multo perfectius illo, & noſtra beatifica viſio quantumcunque perfecta nunquam adequabitur in perfectione Verbo Diuino: vel tertio duplex eſt in Beatis viſio, altera Beatifica, altera Theologica: prima eſt circa eſſentialia Dei,& circa hæc non diſcurrunt: Secunda circa veritates alias reuelatas ab ipſo Deo. & circa eas diſcurrunt. Item veritates naturales, quas vident in proprijs cauſis, poſſunt videre in eſſentia diuina,& ita diſcurrere.

Theologia viatorum nõ eſt propriè ſcientia.

13 Tertia aſſertio Theologia viatorum non eſt propriè ſcientia eſt Scot.& Baſſol. Mayron. & communis Scotiſtarum in prol.q.4.probatur non eſt euidens,ergo non eſt ſcientia;antecedens patet,quia *ambulamus per fidẽ, & videmus nunc per Speculum in ænigmate.* Cæterum licet ei conueniant cæteræ tres conditiones, quia tamen deficit euidentia, ideo non eſt ſcientia. Caetanus reſpondet ſufficere eſſe euidentem in ſcientia Dei, & Beatorum. Contra quia Ariſtot. poſtulat euidentiam in propria vniuſcuiuſque ſcientia. Reſp. D.Tho. de ver.q.14. art.9. Ariſtot. loqui de ſcientia ſubalternãte. in ipſa namque debent principia eſſe euidentia, & per ſe nota; non autem in ſubalternata,at huiuſmodi eſt Theologia noſtra, quæ ſubalternatur. In primis Theologiam Viatorum ſubalternari ſcientiæ Dei, id negat Scot. vt infra. Item ſequuntur abſurda, quæ prius nam poſſet eſſe ſcientia ſine euidentia.item ſcientia eſſet fides.Inſuper euidentia competeret ei non per ſe, ſed per accidens, non per ſe.dum non requirit euidentiam in ſe;ſed per accidens, quia haberet euidentiam aliũde. Rurſus ſcientia talis eſſet ad inſtar cæci manu ducti ab aliquo vidente ; etenim diceretur cæcus videre quidem, quia bene ambularet, & vitaret fo-

ueam,

ucam, vt videret non per ſe, ſed per alium, qui & à fouea diſtrahat, & viam paret. attamen his non obſtantibus, quòd cęcus benè, & ſecurè ambularet. nihilominus non appellaretur videns, ſed cæcus; non enim ſibi eſt via euidens, ſed duci; talis eſſet ſciẽtia in ſe, ſi nõ requireret vt in ſeipſa haberet euidentiam; ſed in ſuperiori; etenim tunc ſcientia non eſſet ſcientia, quia non euidens ſicut per eam ſciens non eſſet videns, ſed cæcus, & ſcientia non eſſet ſcientia, ſed fides. Præterea hoc aſſerere idem eſſet, ac dicere, diſcipulo eſſe notam aliquam propoſitionem metaphyſicalem, quia eſt euidens ſuo Magiſtro; vnde non eſſet opus vt elaboraret diſcipulus ad capeſſendam doctrinæ intelligentiam, ſufficeret enim dicere, non opus eſt mihi ſtudio, etenim omnia mihi clara, & patentia ſunt, propter euidentiam exiſtentem in intellectu Magiſtri. requiritur autem euidẽtia in vtroque, adhoc vt vterque poſſit appellari ſciens; ita in vnaquaque ſcientia requiritur propria, & formalis euidentia, adhoc, vt verè poſſit appellari ſcientia. Redeundo autem ad intentum, noſtra Theologia nõ habet propriam euidentiam in ſeipſa, ergo verè, & in rigore non erit appellãda ſcientia, deficit enim ſibi euidentia.

Theologia contingentiũ in Deo non eſt vera ſcientia.

14 Quarta aſſertio, Theologia cõtingentium in intellectu diuino non appellatur vera ſcientia à Scotiſtis, & Scoto. probant, quia non eſt de obiecto neceſſario, ergo non eſt vera ſcientia. Item cõtingentia cognoſcit Deus, vel quidem vt contingentia, vel vt neceſſaria; ſi primum, ergò non habetur ſcientia, quia non ſunt neceſſaria; ſi ſecundum, ergo non cognoſcit contingentia, prob. nam cognoſcere contingentia, vt neceſſaria, eſt non cognoſcere contingentia. confirmatur ex ijs, quæ diximus in explicatione conditionis de obiecto neceſſario. Hinc deducimus, quòd Theologia contingentium in intellectu diuino magis aſſimilatur intellectui principiorum, quàm ſcientiæ concluſionis: prob. tum quia non eſt de obiecto neceſſario, vt diximus, ergo non eſt ſcientia concluſionis; tum etiam quia contingentia in tantum ſunt vera, in quantum pendent

Magis aſſimilatur intellectui principiorum, quàm ſcientiæ cõcluſionis.

à voluntate diuina copulãte terminos, & extrema ad faciendam propoſitionem, propoſitio namque contingens non eſt vera ex terminis, vt eſt neceſſaria; ſed eſt vera ex vnione extremorum, & in tali vnione videtur vt vera; non enim ex Petro, & curſu, ſequitur vt ſit vera propoſitio, Petrus currit; niſi videamus actualem copulationem Petri ad curſum: ita ex Diuinitate Verbi in ſe, & humanitate in ſe, non ſequitur incarnatio, aliàs ab initio Mundi, ex quo cœpit habere eſſe humana natura, tunc facta fuiſſet Verbi incarnatio; ſed vera fuit propoſitio iſta, Verbũ caro factum eſt, quando facta fuit vnio Verbi cum humana natura. hinc ergo ſequitur, vt Deus intueatur iſtã, ſicut & cæterã contingentia, quatenus sũt à ſola volũtate ſua copulãte, & propterea ſciẽtia, quam habet de iſtis potius comparanda ſit intellectui principiorum, quàm ſcientiæ concluſionis deducibilis aliunde, quàm à voluntate diuina.

Cõtingentia non cognoſcũtur vt vera, niſi cognita vnione extremorum.

15 Quinta aſſertio, licet Theologiæ ſiue Viatorum, ſiue Dei circa contingentia, non competãt abſolutè omnes conditiones ſcientiæ rigoroſè acceptæ; nihilominus non propter hoc priuandæ erunt titulo ſcientiæ: quamuis namq; Theologiæ noſtræ deſit euidentia; & contingentium in Deo deſit neceſſitas obiecti; tamen aliunde poterunt mereri nomen ſcientiæ. æquidẽ Ariſtoteles definiuit ſcientiam ſummo rigore: vnde fit, vt minimè omnes eius conditiones reperiantur etiã in Theologia Dei de neceſſarijs, & in Theologia ſecundùm ſe, quia deficit diſcurſus, ex ſcientia igitur deſcripta in lib. poſter. minimè adaptari ei poterit nomen ſcientiæ: at verò aliundè meretur titulum ſcientiæ; primò ſumendo ſciẽtiam pro habitu oppoſito opinioni, quo firmiter adhæremus vero, ſeu quo determinatè dicimus verum, ſine formidine de oppoſito, prout eam deſcribit Ariſt. 6. ethic. vtique tum Dei de contingentibus, tum Viatorum Theologia erit ſcientia. vtraque enim excludit opinionem, & ſuſpicionem de oppoſito, & eſt notitia certa, vera, & infallibilis. Probatur quoque diſcurrendo per habitus intellectuales; nam cùm ſit

Theologia Dei, et viatorum de contingentibus nõ ſunt omnino priuandæ nomine ſcientiæ.

Ariſtoteles definiuit ſcientiam ſummo rigore.

ſine formidine de oppoſito, non poteſt nominari opinio, aut fides fallibilis humana, quia fidei humanæ poteſt ſubeſſe incertitudo, & dubietas. Cùmq; ſit noticia vera: (fidei autem humanę poſſit ſubeſſe falſum) vtique erit ſcientia non humanitus adinuenta, ſed diuinitus, & per reuelationem acquiſita. Itē cùm procedat per diſcurſum ex præmiſſis nō appellabitur intellectus, ſeu habitus principiorum; Inſuper non ars, nec prudantia, cùm non verſetur circa agibile, & factibile ſingulare, quę ratio eſt Thomiſtarum: reſtat igitur vt ſit appellanda ſcientia.

Nō eſt opinio, nec fides humana, non intellectus principiorū. non ars, nec prudentia.

Theologia quia eſt de altiſſimis, ideo nobilior ſciētia.

16 Quidquid tamen ſit de hoc diſcurſu ex ſufficienti enumeratione habituum intellectualium deducto; tamen non eſt priuanda titulo, & decore ſcientiæ omnis Theologia; quia eſt de obiecto eminentiſſimo, quod eſt Deus: eſt de myſterijs noſtræ ſalutis, de Incarnatione, & Paſſione Filij Dei: de beatifica viſione, de Sacramentis, deq; myſterijs altiſſimis, cæteriſque in ordine ad vltimum finem, qui eſt Deus: quòd ſi noticia de rebus inferioris ordinis, vtpotè de rebus creatis fruitur titulo ſcientiæ, cur honorem hunc denegabimus omni Theologiæ? Inſuper ſub nomine ſcientiæ circumfertur penes diuinas literas; vtpotè 2. Cor. 8. *abundatis fide, ſermone, & ſcientia.* 1. Cor. 12. *Alij datur ſermo ſcientiæ,* & 13. *ſiue ſcientia deſtruetur.* 1. Petr. 1. *in virtute autem ſcientiam.* Sap. 10. *dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Sap. 13. *vani ſunt omnes homines, in quibus nō ſubeſt ſciētia Dei:* & Hier. 13. *dabo vobis Paſtores, qui paſcent vos ſcientia, & doctrina.* ex quib. & conſimilib. locis deducitur notitiā de diuinis appellari penes ſcripturas ſcientiam: cur verò non merebitur nomen idem Theologia, quæ vnà cum fide exactius explicat ipſa diuina? & ſcientiam appellat Auguſt. 14. Trin. c. 1.

An de ſingularibus ſcientia in Theologia.

Reſponſio D.Th.

17 Obſtabis, de ſingularib. non habetur ſcientia: multa autem myſteria fidei ſunt ſingularia, ergo Theologia non eſt ſcientia. Reſpondet D.Th. 1. p. q. 1. art. 2. de ſingularibus non tradi ſcientiam in Theologia principaliter, ſed quia in exemplum adducūtur. Verùm quomodo poterit hoc ſubſiſtere, cùm de Incarnatione Chriſti, de Sacramentis, ac myſterijs cæteris verè habeantur proprij, ac ſingulares tractatus, & de ipſis in ſubiecta materia principaliſſimè agatur, vt conſtat: Reſpondemus igitur de ſingularibus in ſe, quatenus corruptibilia ſunt, & non neceſſaria, vtique non haberi ſcientiā, aliàs eſſet cōtra doctrinam Ariſt. quia ſcientia eſt de obiecto impoſſibili aliter ſe habere: at quia ſingularia contemplamur, quatenus habent eſſe in diuina memoria, ac Dei acceptatione, vt ſunt myſteria fidei, & vt ſic, habent eſſe firmum, & perpetuū, & incorruptibile; meritò de ipſis haberi poteſt Theologiæ ſcientia. Confirmatur, quia Deus hic, eſt ſingularis: & nihilominus habetur propriſſimè ſcientia de eo, quia eſt ens omnino neceſſarium, & incorruttibile: licet verò ſingularia contingētia myſteria fidei non ſint indefectibilia ſecundùm ſe, tamen prout in diuina exiſtunt acceptatione ſunt indelebilia, & ideo eſt de ēis ſcientia.

Reſponſio Authoris.

18 Obſtatur, ſi Theologia nō eſt ſciētia, maximè id prouenit, quia nō habet euidentiā in ſeipſa: at id nō eſt neceſſe, cum ſufficiat habere eam in ſciētia ſuperiori, prob. ait enim Ariſt. 1. topic. c. 1. *quòd demonſtratio debet procedere ex primis, & immediatis, vel ex his, quæ per prima fidem acceperunt.* vnde deducitur duplex genus ſcientiarum, aliæ enim ſunt ex primis, & immediatis, & hæ ſunt ſubalternantes; alię ſunt, quæ procedunt ex his, quæ per prima fidem acceperunt, ideſt per principia demonſtrata, ſeu euidentia in ſcientia ſubalternante, & hæ ſunt ſcientiæ ſubalternatæ: huiuſmodi eſt Theologia viatorum, igitur non opus habet euidentia in ſeipſa. Reſp. mentem Ariſtot. eſſe vt ſcientia ſit vel ex per ſe notis, vel ex his, quæ ex per ſe notis probari poſſunt, dummodo tamen talis probatio fiat in eodem habitu ſcientiæ: licet namque aliqua ſcientia pendeat ab altera, vt ſubalternata à ſubalternante; & licet principia vnius ſint probata, ſeu manifeſta in altera; tamen eadem euidentia, & manifeſtatio debet quoque eſſe in propria inferiori ſcientia, licet aliter: & quidem aliud eſt dicere principia ſubalternatæ eſſe anterius in ſubal-

Declaratur Ariſt. de proceſſu demonſtrationis in ſcientia ſuperiori.

ſubalternãte, quod quidem verum eſt, quia principia ſubalternatæ ſunt concluſiones ſubalternantis; aliud eſt dicere talia principia eſſe nota in ſola ſubalternante, quod tamen non concedimus: primum docuit Ariſtot. non ſecundum.

Principiorum ſcientia eſt ſcientia, vel maius, declaratur.

19 Obſtabis, Ariſtot. 1. poſter. c. 2. ait, *principiorũ ſcientia eſſe ſcientiam, vel aliquid maius ſcientia.* at concluſiones Theologicę cognoſcuntur notitia, quæ eſt maior ſcientia, ſciuntur .n. per fidem, quæ eſt maior omni ſcientia, ergo & ipſa multo magis erit ſcientia. Reſp. ſcientiam haberi poſſe tum per præmiſſas omninò primas, & immediatas; tum mediatas: harum maius eſt, & perfectius demonſtrationem haberi per immediatas, quàm mediatas: illa, quæ habetur per immediatas eſt habitus principiorum: & hæc eſt omnino quid maius. demonſtratio igitur, quæ ſit per præmiſſas mediatas vtiq; bona eſt: at quæ habetur per immediatas, ſeu per habitus principiorum perfectior, & maior eſt: vtraque tamen euidens eſt: demonſtratio verò Theologica habetur per fidem, cuius principia nobis nota non ſunt, & conſequenter ſcientia eſſe non poteſt.

Scientiam procedere ex euidentib. declaratur.

20 Obſtatur, cùm docet Ariſtot. ſcientiam debere procedere ex principijs euidentibus, & notis, quæritur, aut loquitur de euidentia quoad ſe, aut quoad nos: non ſecundùm, aliàs metaphyſica non eſſet ſcientia, ipſius enim principia non ſunt nota multoties quoad nos, vt de ſubſtantijs abſtractis, de primo motore, de æternitate Dei, & huiuſmodi: igitur erit ſcientia quatenus ſua principia erunt nota quoad ſe: taliter ſe habet Theologia; ipſius namque principia, vt Trinitas, generatio, ſpiratio, & ſimilia, ſunt nota quoad ſe, & hoc ſufficit. Reſp. ſemper ſcientiam debere procedere à per ſe notis: ſiue ſint nota in ſe, ſiue in nobis, hoc vnum ſufficit, vt ſint nota ipſi demonſtranti, aliàs non eſſet in eo ſcientia, ſed fides: vnde eſt, vt neſciens principia metaphyſicæ, ſed ipſa ſolummodo per fidem habens, non dicatur ſciẽtificus, ſed credulus Metaphyſicus, deficiente ipſi Metaphyſico euidentia: cum vero Theologo principia Theologiæ non ſint euidentia, ſed per fidem credita, hinc non eſt ſcientia.

Perſpectiua an ſcientia, quia euidens in Geometria ſolũmodo.

21 Arguitur, Perſpectiua eſt vera ſcientia, & tamen principia eius non ſunt nota in perſpectiua, ſed in geometria; ergo licet Theologiæ principia non ſint nota in ſeipſa, ſed in ſuperiori, erit nihilominus ſcientia. Reſp. negando perſpectiuam eſſe verè ſcientiã, ac perſpectiuum eſſe verè ſcientem, per euidentiam ſolummodo in Geometria; cum requiratur euidentia in ipſomet perſpectiuo per ſuam perſpectiuam. Dices, poteſt eſſe perſpectiuus ſine geometria, ergo non eſt neceſſaria euidentia concluſionum demonſtratarum per principia Geometriæ. Cõfirmatur, quia perſpectiua, & Geometria ſunt diſtincti habitus, ergo vnus poteſt eſſe ſine altero. Reſp. negando antecedens; nuſquam enim datur ſcientificus perſpectiuus ſine Geometria, quia principia perſpectiuæ ſũt demonſtrata in Geometria, & ſunt cõcluſiones deductæ ex principijs Geometriæ. Ad confirmat. ſunt quidem diſtincti habitus, ſed accidentaliter; quia ſcientia ſubalternata addit differentiam accidentalem ad ſubalternãtem: at non ſequitur vt perſpectiua eſſe poſſit ſine Geometria, quia eſt quid poſterius eſſentialiter pendens à priori; nam ſumit ſua principia à Geometria.

Non datur ſcientificus perſpectiuus ſine Geometria.

22 Obſtatur, Theologia eſt habitus intellectualis: at non eſt habitus principiorum, quia verſatur circa cõcluſiones deductas ex principijs fidei, qui vocatur intellectus: nec eſt prudẽtia; quia non verſatur circa ſingularia agibilia ſecundùm hic, & nunc: non eſt ars, quia non circa factibilia; ergo erit ſcientia, patet à ſufficienti habituum intellectualiũ enumeratione ex 6. eth. Reſp. eſſe habitum fidei, & propterea eſſe habitum intellectualem: Verum, quia non eſt habitus ſolius fidei, aliàs eſſent omnes fideles, immo & rudes, eſſent Theologi; ideo reſpondetur vlterius, quod eſt habitus Theologicus, conſtãs ex vna credita, & altera naturali. quod ſi quæras, ad qualem habitum intellectualem ſpectabit, reſpond. Ariſtotelẽ non cognouiſſe talem habitum, & ideo non collocari in aliquo ipſorum: col-

Theologia eſt habitus conſtans ex vna credita, & vna naturali.

locatur tamen ſub habitu ſcientiæ ſolummodo indirectè, non directè, ſumendo. ſcientiam impropriè, prout ſumpta eſt ab Ariſtot. in Eth. Vel dicas eſſe habitum intellectus, ſed non virtutem intellectualem, quia non eſt euidens.

23. Obſtabis, Comentator 1. poſt. t. c. 6. ait, *ad habendam ſcientiam ſufficere inductionem, quæ procedit à ſingularibus ad vniuerſale*: at noſtra Theologia perfectiori via procedit, quàm via inductionis, quia vtitur tum inductione, tum alijs perfectioribus generibus demonſtrandi, & arguendi, ergo erit multo magis ſcientia. Reſp. ex inductione cauſari quidem ſcientiam; attamen fundatam ſuper euidentia; ſi quidem inductio fit ex euidentibus, vt hic currit, ille homo currit, & ſic de ſingulis, quæ quidem nota, & euidentia ſunt, ergo euidenter deducitur, quod omnis homo currit. at Theologia in ſuis demonſtrationibus ſiue procedendo per inductionem, ſiuè per medium aliud, initium ſuæ argumentationis deducit non ex euidentibus, ſed ex obſcuris principijs fidei.

Inductio Theologica innititur fidei.

24 Vltima aſſertio, Theologia Viatorum non eſt abſolutè, & tantummodo habitus fidei, ſed aliquid vltra addit ad ipſam fidem. prob. ſi eſſet abſolutè fides, ſequeretur omnes fideles eſſe Theologos. Inſuper ita ſe habet fides, & Theologia, ſicut intellectus, & ſcientia: ſiuè ſicut habitus principiorum, & ſcientia concluſionum: ſicut autem intellectus ex ſe aſsētit primis principijs lumine naturali notis; intellectus fidelis credit fidei principijs lumine fidei ſibi oſtenſis; ſicut verò intellectus ex principijs lumine naturali notis elicit inde concluſiones, ad quas ſpectat habitus ſcientiæ; ita Theologus ex principijs fidei elicit inde concluſiones, ad quas ſpectat ipſa Theologia: cuius inde munus eſt argumentari, diſtinguere, reſpondere, confutare, probare, vt ait Auguſt. 12. Trin. c. 14. vbi Theologiam appellat ſcientiam, *qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

Theologia non eſt ſolus habitus fidei.

Theologiæ munus.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Theologia ſit ſapientia.

1 VIſo vtrum Theologia appellanda ſit in rigore ſcientia; videndum occurrit, vtrum appellanda veniat *Sapientia*. & quidem licet de primo ſit altercatio, vt diximus; tamen de ſecundo concedũt Theologi, & Patres omnes ipſam eſſe ſapientiam. Sic Alenſ. 1. p. q. 1. m. 1. Alber. tract. 1. q. 1. & in 1 d. 1. D. Bonau. in prol. q. 3. Scot. q. 4. litt. D. & 2. later. ac D. Thom. 1 p. q. 1. art. 6 cum expoſitoribus Diui Tho. & Scoti. Vnde & nos etiam dicimus Theologiam eſſe ſapientiam.

Theologia eſt ſapientia.

2 Verum primo loco expendamus rationem nominis, atque eius deriuationem. Sapientiæ Ethymon idem eſt, ac *ſapida ſcientia*: ita Bonau. ita quoq; Scot. qui in 3. d. 34. q vn. litt. P. ſic ait, *Sapientia eſt, qua ſapit mihi Deus in ſe, & qua ſapit mihi vt bonum. nam qui ſapit in ſe, ſaporem approbat. eumque ſibi appetit*: ſapientia igitur eſt ſapida ſciētia. loquimur vero de ſapientia affectiua, ſiuè practica: & eam aſſequimur quotieſcunque id, quod percipimus intellectu, ordinamus in Deũ amore, & affectu. inde verò oriũtur in anima dulcedines illæ ſpirituales, amores illi caſtiſſimi; quibus anima ſponſa Dei vnitur cum ſponſo, & appetit oſculari à Deo, *oſculetur me oſculo*, inquiens,

Sapientiæ Ethymolo.

Sapientia, .i. ſapida ſcientia.

oris

Cant.1. *oris ſui*; ſed non immeritò, quia *introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me haritatem.* hinc Pſaltes 118. *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* & Cant.4. *mel, & lac ſub lingua eius*: ſicut paſſim in ipſis ſcripturis recolitur dulcedo diuini amoris; & penes Sanctos Patres, qui totũ id, quod concipiebant intellectu, dirigebant in Deum amore, & affectu: de qua re quàm affectuosè ſcribit Bernard. ſer. 1. de Circumciſ. *aridus eſt*, inquit, *cibus animæ, ſi non oleo iſto infunditur: inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur: ſi ſcribas, non mihi ſapit, ſi non legero ibi Ieſum: ſi diſputes, aut conferas non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus.* meritò hoc, quia hæc eſt vera ſapientia, qua id quod ſcitur, dulce eſt, & ſapit amanti: ſapientia ergo idem eſt, *ac ſapida ſcientia.*

Sapientiæ cõditiones. 3 His actis videamus, an illi conueniant conditiones ſapientiæ, vt meritò vocari poſſit ſapientia: & quidem Ariſtot. 1. met. cap. 2. ſex conditiones exigit ad ſapientiam, 1. vt ſit ſcientia vniuerſalis, atque omnium quoad fieri poteſt: 2. vt ſit circa difficilia, & à ſenſu remota: 3. quod ſit certior cũctis ſciẽtijs: 4. quod tradat rem per cauſas, vtpote quod debeat eſſe cũctis alijs ſcientijs aptior ad docendum: 5. quod appetẽda ſit gratia ſui, & per ſeipſam: 6. quod præſit cæteris alijs ſcientijs, iiſque præcipiat, ſibi vero præcipiatur à nullis, nec aliunde principia percipiat, videndum vtrum ſibi adaptentur iſtæ conditiones.

Theologia quia eſt de Deo, ideo eſt de omnibus. 4 Quoad primam, dicimus ei cõpetere, vtpote quod ſit vniuerſalis, & ſit omnium. id verò ita intelligitur, vt Theologia ſit vniuerſalis obiectiuè, obiectum eius eſt Deus, ergo eſt vniuerſalis, & omniũ. eſt verò Deus vniuerſalis, non vtique in prædicãdo, quale eſt vniuerſale Porphyrij, ſed in cauſando non in prædicando, cùm nomen Deus prædicetur de vno ſolo Deo, nõ de pluribus, niſi falſis Dijs. eſt verò vniuerſalis in cauſando, cùm ipſe ſit prima omnium cauſa, primus motor, primum efficiens, & vnus omnium finis: cùm autem Theologia agat de Deo, meritò hinc primo appellabitur ſapientia, quia eſt vniuerſalis, & omnium. Explicatur amplius, nam ſiue cõſideremus ad intra, ſiue ad extra, hoc vtique apprime reperimus: ad intra quidem primo loco adeſt diuina eſſentia, quæ eſt radix omnium ad intra; ex ipſa enim emanant modi intrinſeci, attributa, diuinæ hypoſtaſes, & quidquid eſt ad intra cum ipſa Trinitate, vnde à Damaſc. vocatur *pelagus omnium perfectionum Dei.* Ad extra quoque, omnia, quæ ſunt, vel fuerunt, vel erunt, à diuina manant voluntate; eſt namque diuina voluntas prima radix contingentiæ ad extra: cuncta etiam, quæ fiunt, ſiue corpus ſpectes, ſiue animam: ſiuè in ordine naturæ, ſiue gratiæ, & gloriæ, omnia reducuntur ad eã; etenim eius obiectũ Deus liberè agẽs ad extra, orbem condidit, conſeruat, fouet, ac ſingula, quæ neceſſaria ſunt ſiue gratia corporis, ſiue animæ, ſiue gratiæ, ſiue gloriæ, omnia prouidet, omnia adminiſtrat: ſiue medicinam creãdo gratia corporis, ſiue dona ſupernaturalia, habituſque ſupernaturales, atque ſuperna auxilia infundendo gratia animæ. & hinc ratione primi ſcientiæ naturales; hinc ratione ſecundi ſupernaturales; vt tractationes de gratia Concilijs, Sacramentis, Incarnatione, glorificatione, reſurrectione, & huiuſmodi, ſiue etiam ſi cuncta ſpectes, vel in ordine ad perficiendum intellectum, vel affectum: ratione illius ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ, iſtius ſciẽtiæ practicæ, & in ſummo adeo vniuerſalis eſt Theologia, vt quidquid promanat à Deo, totum reducatur in ipſam, veluti in primariam huius diuinæ oſtenſionis radicem. & confirmatur, quia omnia propter ſemetipsũ operatus eſt Deus, ſiuè cælos, ſiuè elementa, ſiuè ſimplicia, ſiuè mixta, ſiuè animata, ſiuè inſenſata; hæc quidem propter hominem fecit Deus, at cùm non ſit homo vltimus finis inde eſt, vt hominem, & conſequenter omnia creata propter hominem, fecerit Deus propter ſeipſum: ita & de Angelis. eſt ergo ſub his rationibus ſpectata, vtique vniuerſalis, & omnium, ac propterea competet ei prima hæc conditio, vt ſit vniuerſalis.

5 Quoad ſecundam manifeſtè cõſtat Deum, de quo agit Theologia eſſe à ſenſu remotiſſimũ, *Deum enim quis* *Deus eſt à ſẽſu remotiſſimus.*

vidit

vidit, vnquam myſteria ſiquidem Trinitatis, Incarnationis, Sacramẽtorum, reſurrectionis, beatitudinis, Angelicarum Hyerarchiarum, prædeſtinationis, reprobationis, creationis, incæptionis, terminationiſquè Mundi quiſnam Philoſophorum cognouit, vnde meritò clamat Apoſt. ò *altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quis cognouit ſenſum Domini, at quis Conſiliarius eius fuit.* Dices, Ariſtoteles nouit Deum, vt primum motorem ex effectibus: nouit quoque Angelos, & intelligentias ex motu Cęlorum. Reſp. vtrumque nouiſſe, ſed valdè imperfectè: licet namque ſub aliquibus rationibus à poſteriori nouerit Deum, attamen non ſub rationibus ſpecialibus, ſub quibus cognoſcit eum, & credit Theologus. non enim attigit Ariſt. Deum ſub ratione Creatoris, cùm negauerit creationẽ: non ſub ratione Trini, & vnius vt Theologus, qui ſolus, & ſimilia præſtat, non Philoſophus: ea autem, quæ Philoſophus attingit, valdè imperfectè cõcipit, nõ qualiter Theologus. ita & de intelligẽtijs cognouit eas ſub rationibus aliquibus, vt mouentibus aſtra, & huiuſmodi, non tamen in ordine ad ea, de quibus credit, & diſſerit Theologus. caruit. n. Philoſophus habitu fidei.

Ex creaturis Philoſophi imperfectè cognoſcunt Deũ.

6 Circa tertiam, quoad certitudinem, id dupliciter concipi poteſt; vel quoad certitudinem infallibilitatis, vel euidentiæ: vtrumque examinandũ. loquendo de prima, videtur non eſſe in ea talem ſapientiæ conditionem; ratio quoniam agit etiam de contingẽtibus, vt creatione, myſterijs Incarnationis, Sacramentorum, & huiuſmodi: multæ verò naturales diſciplinæ ſunt quoad hoc certiores, vtpote quia de obiecto agunt neceſſario, ſiue de propoſitionibus neceſſarijs; ergò deficit Theologiæ iſta conditio ſapientiæ. Nihilominus dicendum, quod loquẽdo de certitudine obiectiua, contingit aliquas facultates, vtpote naturales, certiores hoc modo eſſe, quia obiecta ſunt propoſitiones neceſſariæ, aliqua verò Theologicalia ſunt contingentia, vt eſt dictum: loquendo verò de certitudine formali, dicendum eſt omninò certiorem eſſe Theologiam; quia formalis ratio, cui innititur Viatorum Theologia eſt diuina veritas ſub ratione reuelantis: hoc verò motiuum eſt vtique certius quocunque motiuo naturali; ſi namque comparemus primam veritatem, quæ eſt Deus ad veritatem ſcientiarum naturalium. vtique illa in infinitum excedit iſtam, quia illa eſt infinita, hæc finita, finiti autem ad infinitum nulla eſt proportio: item veritates naturalium ſunt de rebus creatis, veritas autem prima eſt quid increatum: at omnis creatura de ſe eſt defectibilis, prima autem veritas indefectibilis. Dices, ita eſt vera, & certa iſta, homo eſt animal rationale, ſicut iſta, Deus eſt trinus, & vnus, quia ambę ſunt neceſſariæ. Reſp. ambas quidem eſſe neceſſarias, at non in eodem gradu neceſſitatis; ſiquidem Deum eſſe trinum, & vnum eſt neceſſarium altiori, & eminentiori, & perfectiori, atque maiori gradu neceſſitatis; etenim Trinitas, Deus, & quidquid eſt in Deo, eſt neceſſarium à ſe, independenter, primario, homo verò in ratione animalis rationalis eſt quid dependens, ens ab alio, non à ſe, non primum, & propterea ſua neceſſitas in veritate talis propoſitionis erit inferioris ordinis: inſuper Trinitas eſt quid infinitum, vnde eſt vt ſua neceſſitas ſit infinita: veritas definitionis hominis eſt quid finitum, quia diffinitum eſt ens finitum, ergo neceſſitas talis propoſitionis erit finita. nõ igitur æquabitur neceſſitas vtriuſque propoſitionis. Denique prima veritas eſt Deus, obiecta ſcientiarum naturalium non ſunt Deus; ergo excedit illa veritas, veritates etiam naturales iſtarum, hinc fit, vt licet Theologiã ſuperent quandoque in obiecto, vtpote penes Theologiæ contingentia, sũt tamen inferioris conditionis ad eam in certitudine formali, cuius fundamẽtum, & radix ſit prima veritas. hinc Chriſtus, Matth. 24. *Cælum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Confirmatur, intellectus fidelis firmius per fidem aſſentit principijs Theologicis, ſiuè neceſſarijs, ſiue contingentibus, quàm principijs neceſſarijs ſcientiarum naturalium, ergo eſt firmior, & certior Theologia. Probatur aſſumptum, mallet verus Catholicus negare omnes veritates neceſſarias

Theologia quomodo certior cæteris ſcientijs.

Propoſit. Deus eſt trinus, & vnus, & homo eſt animal rat: ambæ ſunt neceſſariæ, ſed non in eod. gradu neceſſitatis

Fidelis firmius aſſentit propoſitioni cõtingenti de fide, quã naturali neceſſariæ.

rias

tias creatas naturales, quàm minimam propoſitionem, etiam contingentem, de fide. hinc idem Chriſtus aiebat, *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant:* hinc fidelis mallet, exempligratia, ſi neceſſitas fidei vrgeret, negare ignem eſſe calidũ, quàm negare minima quæque ſcripturæ, vtpote canem Tobiæ, riſum Saræ, & ſimilia inferioris generis: quid dixerim de myſterijs altioribus, vt Incarnatio, Trinitaſque. hinc etiam mallent aliqui negare principium illud, *quæ ſunt eadẽ vni tertio ſunt eadẽ inter ſe,* quàm negare diſtinctionẽ realẽ perſonarũ, ſi fortaſſe ignorarẽt axioma illud gloſſare, & adaptare vnitati, & diſtinctioni perſonarum, de quo in propr. quæſt. omniũ autem fundamentum eſt prima veritas, quæ eſt altiori gradu certior, quàm certæ ſint veritates ſcientiarum naturalium; etiam loquendo de prima veritate reuelante, in ordine ad contingentia: & hinc deniq; fideliſſimus Pater Sãctus Auguſtinus aiebat, *facilius dubitarem me viuere, quàm eſſe vera, quæ audiui,* l. 7. confeſſ. c. 10.

Fidelis ſi opus foret, mallet negare ignem eſſe calidũ, quam minimam aſſertionem ſcripturæ, aut myſterij fidei.

7 Obſtabis, eſt firmior aſſenſus præſtitus à ſcientia, quàm à fide: quod docet Scot. 3. d. 24. q. vnic. §. ſi loquamur, vbi ait, *fidem non excludere omnem dubitationem ſtare poſſe cum fide:* quod etiam Scholaſtici aiunt in ead. diſt. docentes ſciẽtiam naturalem eſſe certiorem fide. Sed reſp. quod aliud eſt loqui de certitudine obiecti crediti; aliud eſt loqui de ſtabilitate, & firmitate credulitatis: loquẽdo de primo, iam diximus res fidei eſſe certiores: loquendo de ſecundo, vtique ſciẽtia in hoc præeminet, quia cum ea non poteſt ſtare titubatio, & dubietas, & propterea ex præced. quæſt. eſt aſſenſus firmus: credulitas vero, non excludit omnem dubitationem, inquit Scot. excludit enim dubitationem vincentem, & trahentẽ in oppoſitum, ita ait in 3. d. 23. quæſt. vn. lit. G. ſiuè excludit dubitationem prouenietẽ ex determinatione, & deliberatione, non autẽ ſubreptitiã, & inuolũtariã, vt dicunt Caſtr. & Cordub. citãdi infr. q. 5. n. 8. ac Bann. 2. 2. q. 8. ar. 8. dubitatio verò hæc inuoluntaria nõ prouenit ex fide, ſed ex infirmitate intellectus creati: at vera ſcientia excludit omnem prorſus dubitationem.

Sciẽtia excludit omnem dubitationem, non autem credulitas.

in 3. d. 23. q. vn. lit. S.

Fides vtrũ excludat omnem dubitationem

8 Circa euidentiam, in hoc facultates naturales ſuum habent locum, & gradum; vtrum verò hinc perfectiores ſint Theologica fide, equidem perfectio facultatis nõ tàm elicitur ex euidentia, quàm ex certitudine: licet enim vtrumque ſit de eſſentia, vt ſuperiori quæſt. diximus; tamen nunc addimus magis ſpectare ad perfectionem habitus certitudinem, & infallibilitatem, quàm euidentiam: cum verò certior cunctis ſit Theologica fides, hinc nullatenus cedere debet, & ſi non ſit euidens; Deus enim, qui eſt eius obiectũ nec fallit, nec fallere poteſt. Item quod non ſit euidens, hoc indicat ſui maximam eminentiam ſupra facultates cæteras; ratio quia quo facultas aliqua eſt perfectior, eo obſcurior, ac difficilior ad diſcendum; hinc Mathematica, hinc Metaphyſica, & huius generis, eo eminentiores, quo à materia, & ſenſibus abſtractiores: cùm verò res fidei ſint abſtractæ à sẽſibus, & agant de altiſſimis, quæ adeò difficilia sũt, vt capi nequeant naturaliter à ratione, à ſenſibus, inde fit vt fides ipſa ſuperemineat, ac ſuperexcellat cunctas ſcientias: ineuidentia igitur, & obſcuritas ſignum eſt perfectionis maioris ſupra ſcientias cæteras; quapropter tantùm abeſt vt erubeſcat fides ad naturales facultates ratione ineuidentiæ comparata, vt erubeſcant potius illæ, vtpote de ijs quandoque agentes, quæ lippis quoque oculis intueri liceat: & ſi quæ abſtractiora ſunt, vt mathematicalia, & methaphyſicalia; ad hæc quoque poteſt naturaliter perueniri, vt iam eſt peruentum; ad dogmata verò fidei, nec quidem Aquilæ oculi pertingunt, quin quo eminentius quis extollitur, altiuſque ſuperuolat, vt attingat, eò magis cæcutiet, & minus attinget, iuxta illud, *accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Pſal. 63.

Vtrum habitib. ſit eſſentialior certitudo; an euidentia.

Ineuidẽtia fidei indicat eius excellẽtiam.

9 Quoad conditionem quartam, vtrum Theologia demonſtret rem per cauſas, & vtrum ſit cunctis aptior ad docendum. videtur quod non, quia id Dialecticæ competit docere: & ea vtitur etiam Theologia. inſuper dum Theologia innititur fidei, quomodo procedit per cauſam; ratio enim, & cauſa ſi exquiratur in rebus fidei euacuatur meritum, inquit Gregor. *fides*

An Theologia demõſtret per cauſas.

non

non habet locum vbi humana ratio præbet experimentum. Sed Reſp. hoc quoque ſibi competere ſuo modo. & quidem Teeologia agit de Deo; at Deus eſt prima omnium cauſa; ergo verè demonſtrat rem per cauſam. ita quoque Metaphyſica, quam & *ſapientiam* appellat Ariſt. tradit principia & cauſas vniuerſaliores, & abſtractiores, à quibus alia in ratione prædicãdi, vel emanandi, ſeu metaphyſicè producendi. Differt verò vna ab alia, quia Metaphyſica eſt valdè abſtracta, vtpote cõſiderans paſſiones, & huiuſmodi, abſq; vlla concretione; Theologia conſiderat quidem Deum abſtractum à noſtris ſenſibus, & à materia, quia ſimplex, attamen Deum non contemplatur vt eſt ens abſtractum, ſed vt verè à parte rei, hunc, triuum, & vnum, cum attributis, & huiuſmodi; tum etiam ad extra ſub varijs reſpectibus, creandi, conſeruandi, & ſimilium, à quibus quidem abſtrahit Metaphyſica. Item Theologia naturalis, vt Metaphyſica, agit de omnibus in communi, quatenus eſt ſcientia omnium in prædicando, vtpotè ens prędicatur, de omnibus, & ſimilia; Theologia autẽ ſupernaturalis eſt ſcientia omnium in cauſando, cuiuſmodi eſt Deus cauſa omniũ: ac denique Theologia addit multa ſupra Metaphyſicam, vt myſteria ſupernaturalia, reuelationes, finem ſupernaturalem, & huiuſmodi, ad quæ non attingit Metaphyſica.

Theologia quomodo cunctis aptior ad docendum.

10 Circa alterum, quomodo ipſa ſit aptior ad docendum, cùm id dialecticæ competat: Reſp. id dictum gratia materiæ non gratia formæ; & quidem ſi formam docendi, ſyllogizandi, diffiniendi, arguendi, reſpondendi ſpectemus, id ad dialecticam pertinet: vt cõſtat, ideoque appellatur ianua ſcientiarum. ſi materiam conſideremus, id ſpectabit ad Theologiam; ratio, quia quidquid eſt, aut eſſe poteſt, aut eſt Deus, aut creatura: at Theologia agit de vtroque, nulla autem ſcientia ſic. quòd ſi dicas id præſtare etiam Metaphyſicã, de Deo, de ſubſtantijs abſtractis: atque ipſãmet Phyſicam, probando, ſaltim à poſteriori Deum. id nihil refert; valdè enim hæ facultates imperfectè agunt de Deo, vtpote primo motore, primo efficiente, immutabili, vno, & ſimilia; at Theologia id perfectius præſtat, & multò ampliùs; tum etiã in ordine ſupernaturalis, ad quod nulla facultas attingit naturalis, nec enim Phyſicus, aut Metaphyſicus attingit myſteria Redemptionis, Sacramentorum, gratiæ, & gloriæ: nec habẽt Deum ſub ratione reuelantis, ſed ſub ratione primi motoris, efficientis: quæ quidem conſiderat Theologia, at vltra hæc addit & plura alia.

An Theologia ſit gratia ſui.

11 De quinta conditione, ꝙ ſapiẽtia ſit gratia ſui, & nõ gratia alterius, verũ id verum ſit de Thelogia. ad quod facile ita eſſe ſapientiam etiam iuxta hãc conditionem, reſponderent qui tenent Theologiam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam. at quid dicerent ſuſtinentes eſſe practicam, vt Scotiſtæ? Reſpondent aliqui Ariſtotelem nõ cognouiſſe dari praxim in nobis circa vltimum finem, & propterea docuit eſſe gratia ſui: quomodo etiam Metaphyſicam appellauit ſapientiam, quia eſt gratia ſui. At obſtatur, quia non eſt credibile Ariſtotelem negaſſe debere nos amare vltimum finem, immo eſſe colendum, & ipſum diuinum numen adorandum, ergo admiſit quoque praxim. Reſpondẽt aliqui docuiſſe vltimum finem neceſſariò rectè amari; vnde fit vt non ſit opus praxi dirigente ad vltimum finẽ. Verum hoc non ſufficit, quia voluntas creata nõ eſt naturaliter, & neceſſariò recta, ſed obliquabilis in ſuo amore, ergo indigebit praxi ordinante, & dirigente eam ad debitum, & regulatum amorem, ideo dicendum, quòd non obſtante, quòd Theologia ſi practica, nihilominus identidem erit gratia ſui, ſeu obiecti ſui; nam Theologia practica docet nos cognoſcere Deum gratia ſui, & amare Deum gratia ſui, quia Deus eſt de ſe, & in ordine ad ſe, & propter ſeipſum amabilis; non enim amare debemus Deum ſiuè propter diuitias, ſiuè propter noſtrum cõmodum, niſi ſecundariò, & allectiuè, vt faciebat Dauid, Pſal. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem*: at amãdus eſt ipſe Deus propter ſemetipſum primariò, & principaliter: & ita benè remanet, vt Theologia ſit gratia ſui; quã-

Ariſtoteles vtrum cognouerit, dari praxim circa vltimum finem.

quãuis enim nos dirigat, & operationes noſtras practicè regulet, nihilominus talis praxis, & directio eſt gratia ſui, quia omnia ordinat ad ipſum Deũ, veluti ad vltimum finem: eſt ergò gratia ſui: & non ideo gratia ſui, quaſi ſit ſpeculatiua, ſed quia finis omnium eſt ipſe Deus, & docet nos omnia agere propter Deum.

Theologia praeſt cũctis ſciẽtijs.

12 Circa denique vltimam conditionem, quod præſit alijs ſcientijs, id ex eo patet, quod nobilius cũctis ſciẽtijs habet obiectum quod eſt Deus: & licet etiã Metaphyſica ſit de Deo, valde tamen perfectiori, & ampliori modo conſiderat de Deo Theologia, quàm Metaphyſica, vt eſt dictũ. quod autem cæteris ſcientijs præcipiat, clarè colligitur ex ſcriptura prouerb. 9. *ſapiẽtia*, ideſt Theologia, *ædificauit ſibi domum: excidit columnas ſeptem*: per domum vtpotè intelligere liceat *Eccleſiam, quæ eſt domus Dei*: per columnas ſeptem *ipſas ſeptem artes liberales*. pergit textus, *miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem*: ancillæ ſunt ſcientiæ naturales: quas Theologia deſtinat ad inſeruiendum Deo, docendo ignorantes: ac proptereà ſubdit, *inſipientibus loquuta eſt, ſi quis eſt paruulus declinet ad me*, cum alijs vt ibi: patet ergo ſacultates cæteras Theologiæ ipſi tanquam ancillas inſeruire, ac præcipere illis Theologiam. quod denique ipſa à nullis principia recipiat, inde patere poterit, quod ipſa nulli alij ſciẽtiæ ſubalternatur, de quo infra; id namque eſt principia aliunde recipere, vel renuere, ac ſubalternari alijs, vel nõ ſubalternari: Theologia verò vtique prima eſt, agitq; de omniũ entiũ primo, ideo nulli ſubalternatur, & à nulla ſcientia principia recipit. & de omnibus collectim loquens Auguſtinus ep. 3. ad Voluſ. dicit, *hic*, nẽpe in ſcriptura, & Theologia: *eſt Phyſica. quoniam rerum naturalium cauſſæ in Deo ſunt: hic Ethica; quia vita beata, & honeſta non aliunde ſumitur, quam cum ea, quæ diligenda ſũt diliguntur, vt diligenda ſunt, quod docet hæc ſcientia: hic Logica, quia veritas naturæ rationalis Deus eſt.* hæc ille. ſic de alijs.

Theologia præcipit cęteris ſcientijs, quę tãquam ancillæ ei deſeruiunt.

13 Obſtabis, Theologia ſumit principia à ſcientijs naturalibus, ergò vel ſubalternatur eis, vel eſt inferior, & de pẽdet ab illis. anteced. pb. quia Theologia eſt habitus conſtans ex vna credita, & altera naturali. ex quibus inde deducitur concluſio theologica: vt Pater æternus genuit ab æterno Filium; ſed generans diſtinguitur realiter à genito, ergo Pater diſtinguitur realiter à filio. maior eſt credita: & minor eſt naturalis, quam etiam Ariſtoteles nouit, quia nihil gignit ſeipſum. Reſp. tunc ſcientiam vnam ſumere principia ab alia, quando illa conſtituitur in eſſe ſuo per principia, quæ ſumit, vt muſica per arithmeticam: perſpectiua per geometriam: medicina per phyſicam: non ſic ſe habet Theologia: quando verò ſciẽtia vtitur principijs alterius, adeoque ea ſumit ad vſum, non autem ad conſtitutionem, non dicitur pẽdere ab ea, nec eſſe inferior, immo ſuperior, & dicitur imperare: taliter ſe habẽt dominus dum vtitur miniſterio ſerui: dum verò exigit miniſteriũ à ſeruo non dicitur pendere à ſeruo, ſed ſeruus à domino; ita Theologia vtitur miniſterio ſcientiarum naturaliũ imperãs illis, & ob hoc illæ pendent ab imperio iſtius, non iſta ab illis.

Theologia vtitur miniſterio aliarũ ſciẽtiarum tãquã domina.

14 Arguitur, ſciẽtia, quæ eſt præſtãtior alijs debet iudicare de illis ex 4. met. Theologia non poteſt iudicare de cæteris; prob. quia iudicium hoc competere potius debet lumini alicuius ſciẽtiæ naturalis euidentis, Theologia autem eſt obſcura, prout innixa lumini fidei. Reſp. quamuis Theologia ex parte fidei habeat lumẽ obſcurum, tamen aliunde habet lumen clariſſimum, & clarius quocunque lumine naturali, id verò eſt lumen diuinæ reuelationis factę à prima veritate, cui lumini nõ poteſt ſubeſſe falſum, & hinc eſt, vt ad fidem, & Theologiam ſpectet iudicare de ſcientijs cæteris, atque doctrinis, veræ ſint, an falſæ; confutare hæreſes, ac demoliri errores, iuxta conſilium Apoſt. 2. Cor. 10 *conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei.*

Theologia iudicat de cęteris ſciẽtijs.

15 Ex dictis concludimus Theologiam appellandam eſſe *ſapientiam*. ſolet verò ſapiẽtia ſumi tum pro quodam dono Spiritus Sancti, vt inter cętera eius dona nominatur ſapientia; tum

Sapientiæ acceptiones plures.

tum pro ſcientia inter naturales ſciẽtias præſtantiſſima, qualem appellat Ariſt. Metaphyſicã 1. met. & 6. eth. vel pro habitu aliquo intellectuali, quandocunq; aliquis in eo eſt præſtantiſſimus: vt illũ, in quo ſit perfectus habitus prudentię appellare ſolemus magnæ ſapientiæ virũ, ac ſapientiſſimum. vel denique, vt eam deſcribit idem Ariſt. 6. eth. c. 7. *ſapientiam eſſe intellectum, & ſcientiam: & vt omnium ſcientiarum Principem verſari in contemplatione eorum, quę nobiliſſima ſunt.* & hinc diſcrimen conſtare aiunt Theologi inter ſapientiam, & ſcientiam, quòd illa ſit de rebus altiſſimis, æternis, perfectiſſimis; iſta de rebus inferioris ordinis. illa de diuinis iſta de creatis, & humanis. Theologia autem noſtra amplectitur vtraque, tum diuina, tum humana; tum creata, tum Deum Creatorem: at creata altiori modo contemplatur, quàm ſcientia naturalis, vt diximus.

Diſcrimen inter ſapiẽtiam, & ſcientiam.

QVÆSTIO QVARTA

Vtrum habitus Theologicus ſit diſtinctus ab habitu fidei.

1 His fundamẽtis probari poteſt eſſe habitus diſtinctos Theologiam, & fidem; primo, in ſcientijs naturalibus habitus principiorum eſt diſtinctus ab habitu cõcluſionis, vt conſtat: ergò alius erit habitus principiorũ fidei, alius habitus Theologicus deductiuus concluſionum ex principijs fidei. Secundo in naturalibus aſſentimur concluſioni propter ſe, & principijs propter ſeipſa, & vtrumque horum habet de ſe ſuam euidentiam, ideoque diſtinguuntur ſpecificè, ergò ſimiliter in creditis aſſentimur fidei principijs propter ſe, & concluſionibus fidei propter ſeipſas, ergò generabunt habitus diſtinctos. Tertio ſi articuli fidei eſſent reuelati clarè, & manifeſtè, poſſet inde aliquis naturaliter deducere concluſionẽ tanquam habitum diſtinctum; ergò & ſi non reuelẽtur, ſed ſub obſcuritate remaneant, tamen habitus cõcluſionum inde deductus erit ſpecie diſtinctus. fauet vltimo Scotus, qui in 3. d. 35. q. vnic. lit. F. ait, quòd concluſio poteſt generare habitum à fide diſtinctum. In hac ſententia ſunt Thomiſtæ: & ex Scotiſtis nouiſſimè aſſentitur Smiſing. t. 1. in proæm. n. 167. & vltra.

Arguitur pro parte affirmatiua.

2 Dicimus tamen habitum fidei, & Theologiæ non eſſe habitus ſpecie diſtinctos. Supponimus verò habitus iſtos conſiderari poſſe vel metaphyſicè ſecũdùm eorum entitatem: vel moraliter, quatenus ex ductu luminis ſupernaturalis inclinant ad credendum res fidei.

Fides, & Theologia nõ ſunt habitus diſtincti ſpecificè.

Hoc ſuppoſito dicimus primò diſtingui ſpecificè, ſpectando eos iuxta naturas entitatiuas metaphyſicas eorum. prob. habitus fidei eſt habitus infuſus, habitus Theologicus eſt acquiſitus: diuerſitas autem medij acquiſitionis poteſt cauſare diſtinctionem ſpecificam. Item habitus fidei habet eſſe immediatè à Deo per creationẽ: habitus Theologicus habet eſſe per attingentiam ipſius intellectus creati, patet, quia addendo propoſitionem naturalem, verè attingit ex parte cauſalitatem habitus theologici, cum cõſtet ex vna credita, & altera naturali.

Metaphyſicè ſunt diſtincti.

3 Dicimus ſecundò ſpectando hos habitus ſecundo modo non diſtinguũtur ſpecificè, ſed ſunt idem. eſt Scoti, qui in 3. d. 25. q. vn. ait, in cognitione in-

Moraliter ſunt idem.

infuſa, veluti eſt Theologia, habitum cognoſcendi articulos fidei non eſſe alium ab habitu cognoſcendi concluſiones. Item, idem eſt obiectum fidei, & Theologiæ penes eundem Scotum: ergò ratione eiuſdem obiecti erunt idem ſpecie habitus. Præterea eſt idē lumen vtriuſque habitus, ergò non sūt diſtincti habitus. Inſuper per idem fidei lumen aſſentimur principijs fidei, & concluſionibus theologicè deductis ex ijſdem principijs fidei: nam in ſyllogiſmo iſto clarè deducimus quod dicimus: vtpotè, Pater ab æterno generat Filium: ſed generans diſtinguitur realiter à genito, ergo Pater æternus diſtinguitur realiter à filio. tum maior eſt nota lumine fidei; tum concluſio ſequitur etiam de fide, prob. tum quia eſt de fide, quòd Pater æternus diſtinguitur realiter à filio; tum quia concluſio ſequitur debiliorem partem: at licet hic minor propoſitio ſit nota lumine naturali; nihilominus concluſio quatenus ſequitur debiliorem partem, (nempè propoſitionem creditam, quæ ratione ineuidentiæ appellatur debilior, non autem ratione certitudinis, quia vt ſupra vidimus eſt cæteris ſciētijs naturalibus verior, & ſolidior) vtique erit etiam de fide. vnde conſtat tū principia, tum concluſiones eſſe nota eodem lumine fidei, quapropter non erunt diſtincti ſpecie habitus.

Theologia ſcholaſtica accidentaliter differt à fide.

4 Dicimus tertiò, Theologiam ſcholaſticam ſolummodo accidenter aliter differre ab habitu fidei: prob. ſcholaſtica addit propoſitiones naturales ſupra habitum fidei: ergo aliquo modo diſtinguitur ab habitu fidei: ſed non diſtinguitur per ſe, & eſſentialiter, probatum eſt, quia eiuſdem habitus vis directiua eſt lumen ſupernaturale obſcurum, ergò diſtinguntur ſaltim accidentaliter. Item habitus fidei non diſcurrit; ſe enim habet, vt fuit inſuper dictum, veluti habitus principiorum: habitus theologicus diſcurrit: vnde fit vt aliquo modo diſtinguantur, at non eſſentialiter.

Theologia, et fides habet euidentiā ex parte reuelantis.

5 Ad oppoſita reſpondendo dicimus ad primum negando paritatem; quia vterque habitus tùm principiorum, tum concluſionum ſuam habet naturalem euidentiam de ſe; at euidētia habitus Theologici non eſt ex habitu Theologico, qui eſt obſcurus, ſicut eſt obſcurus habitus fidei: ſed euidentia tum fidei, tum Theologiæ eſt ex parte reuelantis. Dicimus ſecundò, quod tum principijs theologicis, tum concluſionibus deductis ex illis aſſentimur eodem lumine fidei, & non alio lumine principijs & alio concluſionibus, ſicut euenit in ſcientijs acquiſitis; vnde fit vt ratione ſiue vnius reuelantis, ſiue eiuſdē fidei luminis ſint vnus, & idem habitus. Ad ſecundum negatur quoque paritas, quia in acquiſitis principia habent ſuam euidentiam ex terminis, & concluſiones quoque habent propriam, & diſtinctam formalē euidentiam: at ſecus in reuelatis, vbi & principia, & concluſiones pendent ab eodem lumine fidei, & reuelationis. Ad tertium neque currit paritas, quia ſtante reuelatione manifeſta principiorum fidei, ſequeretur quòd concluſio inde deduceretur manifeſtè, & euidenter, & ita ipſa quoque haberet ſuā formalem euidentiam, aliam ab euidētia principiorū: at in caſu noſtro vnica eſt ratio aſſentiendi principijs & concluſioni, nempe fides, & ineuidens, ſiue obſcura reuelatio.

Concluſioni aſſentimur propter principia.

6 Dices, concluſioni aſſentimur propter principia, etiam in acquiſitis; ergo eſt par ratio vtrobique. Reſp. ly *propter*, dicere circumſtantiam cauſſæ efficientis, non formalis: primo modo eſt verū, quia ſicut principia ſunt cauſa concluſionis formalis, ita ſunt cauſa euidentiæ concluſionis: at erūt cauſa efficiens: cæterum cum hoc habent vtraque ſuam euidentiam formalem diſtinctam; quia euidentia formalis principiorum non eſt cauſa euidentiæ concluſionis, ſed benè cauſa eius erit in ratione efficientis.

7 Dicimus vltimo, licet aſſenſus concluſionis Theologicæ pendeat ab eodem lumine fidei, à quo pēndet aſſenſus principiorum eiuſdem fidei; tamen id non intelligitur præciſè, & vndequaque, ſeu adęquatè. prob. habitus concluſionis Theologicæ pēdet ex duplici propoſitione, vna reuelata, altera naturaliter cognita: habitus verò principiorum fidei pendet ex vno ſolummodo lumine, nempe fidei, ſeu reuelan-

Ex vna de fide, & altera naturali ſequitur cõcluſio de fide.

uelantis: igitur non eſt vna præciſa, & adæquata ratio amborum; Theologia igitur pendet ex credita, & altera euidenti naturaliter; cum tamen principia pendeant ex ſola fide ineuidenti, & reuelata; ergo ſe habent inadæquatè. At quæres ſi inadæquatè ſe habent, cur nõ diſtinguuntur ſpecificè. Reſpõſio patet ex nu. 3. itẽ, quia concluſio licet ſit etiã ex euidẽti naturali, nihilominus appellabitur cõcluſio reuelata, quia cõcluſio ſequitur debiliorẽ partẽ, ea autẽ eſt propoſitio de fide. vnde in prætacto ſyllogiſmo, Pater æternus generat Filium: ſed generãs diſtinguitur realiter à genito; ergo Filius æternus diſtinguitur realiter à Patre æterno. concluſio hæc non eſt naturalis, ſed credita, & reuelata, quia ſequitur naturam maioris, quæ eſt reuelata. Dices, Patrem diſtiugui realiter à Filio eſt euidens naturaliter, ergo concluſio hæc erit euidens, & nõ reuelata. Reſp. aliud eſt loqui in ſubiecta materia, aliud in ſe: primo modo, in materia, de qua loquitur ſyllogyſmus, concluſio talis diſtinctionis non eſt euidens, ſed reuelata, quia quòd hic Pater, qui eſt Deus, diſtinguatur à Filio, qui eſt Filius æternus, eique conſubſtantialis, hoc totum non eſt euidens, ſed reuelatum: licet loquendo abſolutè, & in ſe, præſcindendo à ſubiecta materia Trinitatis, notum ſit naturaliter Patrem diſtingui realiter à Filio, quod & nouit Ariſt. quia nihil gignit ſeipſum. Dices, quomodo propoſitio de fide appellatur debilior pars, cùm oppoſitum cõſtet ex quæſt. præc. Reſp. debilior quoad euidentiam, quia obſcura, non autẽ quoad certitudinem, cùm ſit impoſſibile fidei ſubeſſe falſum.

Concluſio ſequitur debiliorẽ partem.

Propoſitio de fide appellatur debilior, quia caret euidentia.

8 De Scoto, melius eſt dicere ipſum non admittere diſtinctionem, quã admittere: hæc eſt eius probabilior ſententia: & in hunc ſenſum trahit eũ Fauentin. in 1. prol. q. 3. num. 36. quod verò Scotus indicet poſſe concluſionẽ cauſare habitum diſtinctum, loquitur de diſtinctione accidentali, non eſſentiali, quia eſt idem tum fidei, tum concluſionis motiuum, & ob id ſunt idem.

Explicatur, Scotus de diſtinctione habitus concluſionis ab habitu fidei.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum habitus Theologicus ſit habitus adhęſiuus, an declaratiuus.

1 HAbitum Theologicum non eſſe adhæſiuum, ſed ſolummodo declaratiuum, ſiuè expanſiuum principiorum fidei docet Aureol. 1. q. prol. probat verò, ſi eſſet adhæſiuus, vtique generaret aſſẽſum. quæro autẽ aut ille eſſet aſſenſus ſcientiæ, aut opinionis; non ſcientiæ, quia Theologia Viatorũ non eſt ſciẽtia ex dictis, ratione ineuidentiæ: nec opinionis, prob. aſſenſus opinatiuus eſt cum formidine de oppoſito: at fidelis Theologus aſſentit firmiter ex motiuo fidei catholicæ: ergo hæc erit opinio: quapropter ſequitur, vt nullũ pariat aſſenſum adhæſiuum, ſitque inde habitus potius ſacrę Scripturę, miſteriorumq; fidei declaratiuus.

Sententia Aureol.

2 Vaſquez 1. p. d. 16 c. 2. habitum ait Theologicum eſſe productiuum aſſenſus opinatiui: vnde aſſenſum, ait, Theologicum, eſſe opinatiuum, & opinionem. prob. ſi non eſſet opinio, maximè, quia opinio eſt aſſenſus cum formidine de oppoſito; at talis formido non eſt de eſſentia opinionis, ergo talis aſſenſus erit opinio.

Opi. Vaſq.

3 Dicimus primo, habitus Theologi-

Habitus theologicus eſt adhæſiuus.

logicus eſt adhęſiuus principiorũ fidei, ita Scot.3.d.23. q.1.art.1. prob. habitus Theologicus eſt fides acquiſita, & innixa fidei, quo mediãte poſſumus firmiter adhærere principijs fidei, ergo eſt habitus adhæſiuus. prob. fundamentum fidei Theologicæ eſt reuelatio fidei infuſæ: at hæc inclinat ad firmiter adhærendum, ergo. Item fides infuſa non eſt opinio, nec habitus opinatiuus, ergo nec erit opinatiuus habitus Theologicus. Inſuper opinio eſt aſſenſus cum formidine de oppoſito: at fides acquiſita Theologica innixa fidei diuinæ facit fidelem, quantum eſt de ſe, conſtantem vſque ad martyriũ: Rurſus, ſi eſſet opinatiuus, non vtique tantopere inſudarent fideles in aſſecutione gloriæ, dicere enim poſſent, quis ſcit ſi vera ſunt fidei myſteria: omnia poſita ſunt in opinione, igitur in incertum laboramus, atque inſudamus.

Habitus theologicus mediat inter ſcientiam, & opin.

4 Dicimus ſecundo, habitus theologicus eſt habitus fidei acquiſitę medians inter ſcientiam, & opinionem: & quidem non eſt ſcientia, quia ineuidens: non opinio, quia eſt firmiter adhæſiuus abſq; formidine de oppoſito; ergo eſt quid mediãs inter ea. erit ergo infra ſcientiã, cũ deficiat euidentia: erit ſupra opinionẽ, cùm ſit firmiter adhæſiuus. vtraque aſſertio eſt cõtra Vaſq.

Dubietas non prouenit ex habitu theologico fidei ſed ex infideli.

5 Sed dices, quomodo eſt adhæſiuus abſque formidine, cum plurimi dubitent in fide, immò veluti hæretici, declinent à fide? Reſp. defectum prouenire nõ ex habitu theologicæ fidei, ſed ex ipſo infideli, & incõſtãti Theologo: defectus namque non tribuitur Arti, ſed imperito, & malè affecto Artifici: & quòd ita ſit, en ipſæ quoque fragiles mulieres, immo tenellæ puellæ, martyrium ſuſtinent, Agnes enim *tredecim annorum fecit martyrium*, inquit Ambr. firmitas autem talis, ſicut & in Catharina Alexandrina Theologa, proueniebat non ex ſexu, alioqui fragili, ſed ex fide theologica.

Artis defectus nõ eſt artis, ſed imperiti Artificis.

Habitus Theologicus diſtinctus à fide humana.

6 Dicimus tertio, habitus theologicus eſt diſtinctus à fide humana. prob. motiuum habitus theologici eſt fides diuina, ac reuelatio diuina: motiuum credulitatis humanæ eſt fides ipſa hominum, & atteſtatio humana. habitui theologico non poteſt ſubeſſe falſum: fidei humanæ poteſt falſum ſubeſſe. author illius eſt Deus, author iſtius eſt homo: ille non poteſt fallere, nec decipi: iſte poteſt falli, & mentiri. denique materia theologici habitus eſt certiſſima, materia fidei humanę eſt ambigua. cùm deficiat ſæpiſſimè ipſa fides humana. Cùm hoc tamen nõ excludimus ab habitu theologico ipſam fidem acquiſitam humanam; nam fides infuſa non exit in actum ſine fide acquiſita, *quomodo enim credent ſine prædicante*. Requiritur autem fides externa humana docens, & explicans fidẽ infuſam; nõ vt certitudinẽ, nẽpè, ac veritatẽ prębeat fidei diuinę; ſed tãquã ratio, ſeu cõditio ſine qua non; requiritur ergo humana fides, vt explicet, ac declaret myſteria, quæ per fidẽ infuſam nobis ſunt obſcurè propoſita.

Fidei infuſa cur coniũgitur acquiſita.

De eſſentia opinionis eſt formido de oppoſito.

7 Ad fundamentũ Vaſq. falsũ eſt nõ eſſe de eſſentia opinionis, quod ſit aſſẽſus infirmus, & cũ formidine de oppoſito; in hoc enim diſtinguitur à ſciẽtia, quæ eſt notitia firma, & certa: quare cùm aſſẽſus theologicus ſit effectus fidei, erit vtique firmus, & certus, & ob id non erit aſſenſus opinionis.

Differẽtia inter opinionem, & fidem. explicatur Scotus.

8 Dices Scotus docet fidem non excludere omnem dubitationem, ſed aliquam dubitationem ſtare poſſe cũ fide in 3.d.24.q.vn.§. ſi loquamur: ergo habitus theologicus pendens à fide, erit opinatiuus, & cum formidine de oppoſito. Reſp. differẽtia eſt inter dubitationem coniunctam cum fide, & cum opinione. illa eſt quid accidentale ad fidem, non eſſentiale. hæc verò eſt de eſſentia opinionis. item illa dubitatio poteſt ſtare cum fide, quæ non deſtruit fidem, quæ verò trahit credentẽ in oppoſitum, quæ etiam vocari ſolet dubitatio vincens, iſta non poteſt ſtare cum fide, & de hac intelligitur axioma, *dubius in fide eſt infidelis*, de quo ſupra. opinio autem eſt talis aſſenſus, vt non firmet intellectum credentis, quod quidem ſtare non poteſt cum fide. Rurſus, fides ſtare poteſt cũ dubitatione ſubreptitia, & inuoluntaria, vt diximus ſup. q 3. nu.7. ex Caſtr.l.1. de hær.pun.c.7.& Cor'ub.tr.de Conſc.q.5. talis autẽ dubitatio non tollit firmitatem à fide: opinio verò eſt aſſenſus ſemper infirmus.

Dubius in fide eſt infidelis. c.1. ext. de hæret.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum Theologia ſit ſcientia ſubalternans, vel ſubalternata.

Sententia Thomiſtarū affirmatiua.

1 SEntentia eſt Thomiſtarum Theologiam Viatorū ſubalternari Theologiæ Dei, & Beatorum, ex D.Tho. 1. p. q. 1. art. 2. fundamentum eorum eſt; de ratione eſſentiali ſcientiæ ſubalternatæ eſt vt principia ſua ſint obſcura, & ineuidentia in ſcientia ſubalternata, clara, & euidentia in ſcientia ſubalternante: ſic autem ſe habent principia Theologiæ Viatorum, quia nobis quidem obſcura ſunt, cùm ſint obiectum fidei, ſunt tamen euidentia in Theologia Dei, & viſione beatifica comprehenſorum, ergo ſubalternatur ei. Cōfirmatur, perſpectiua ſubalternatur Geometriæ: muſica Arithmeticæ; quia hæ procedunt ex principijs notis in Geometria, & Arithmetica.

Scientiæ ſubalternā tis, & ſubalternatæ conditiones

2 Vt quæſtioni reſpondeamus obſeruemus prius quę ſit natura, & quęnam conditiones ſcientiæ ſubalternatæ, & ſubalterdantis. In primis autem ſubalternatio nil aliud eſt, quam collocatio vnius ſcientiæ ſub alia, ſecundùm dependentiam cognitionis. Deſcriptio patebit amplius ex conditionibus requiſitis ad ſubalternationem. tres verò recenſeri ſolent; prima eſt, vt ſubiectum ſubalternatæ ſit ſub ſubiecto ſubalternantis. ſecunda vt ſubiectum ſubalternatæ addat differentiam accidentalem ſubiecto ſubalternantis: & tertia, vt principia ſubalternatæ demonſtrentur per principia ſubalternantis.

Subalternatio quid.

Vt ſcientia ſubalternata ſit vera ſcietia quid requiritur.

3 His actis dicimus primò, ad hoc vt ſcientia ſubalternata ſit vera ſcientia, debet demonſtrare, vel ſaltim debent ſibi eſſe manifeſta ſua principia in ſeipſa: prob. ſcire eſt rem per causā demonſtrare, ergò vt ſubalternata verè ſciat, oportet vt ſuas concluſiones ſciat reſoluere in ſua principia. Dices ſufficere, vt ea demonſtrare poſſit à poſteriori, contra, quia tunc iam non eſſet ſubalternata prob. prout demonſtrans concluſiones à poſteriori non dependet à ſubalternante, patet, quia ſubalternans demonſtrat à priori; ergo ſubalternata vt ſit vera ſcientia, verèque ſubalternata, debet demonſtrare à priori. Sed obſtabis cōtra hoc aſſertum, quia Ariſt. 1. poſt. cap. 10. ait, *ſubalternantis eſſe demonſtrare propter quid principia ſubalternatæ: ſubalternatæ verò eſſe principia illa ſcire quia.* ergò non demonſtrat à priori. Reſp. ſubalternatam non demonſtrare propter quid, & à priori per propria principia ſua, ſed per principia ipſius ſubalternantis: ſubalternans enim eſt illa, quæ demonſtrat à priori per propria principia ſua: ſubalternata verò vtitur demonſtratione à priori, præſtita ſibi à ſubalternante: & mediante tali demōſtratione facta à ſubalternante, & cognita à ſubalternata, fiunt notæ ipſi ſubalternatæ ſuæ concluſiones à priori: & ſic remanebit quòd ſit vera ſciētia, quia oſtendet ſuas concluſiones à priori, & per cauſas, ſcietque illas reſoluere in ſua principia contenta primitus in ſcientia ſubalternante. eſto exemplum, demus Chyrurgiam ſubalternari Geometriæ, quod tamen non concedit Ariſt. vbi ſup. ita quidem reſoluet et ſuam cōcluſionem. v.g. inquit Chyrurgia, *vulnus circulare tardè ſanatur.* reſolutio huius ſtat ad principiū

Geo-

Geometriæ, illud autem eſt, *partes circuli maximè diſtant*. hinc verò deducitur argumentum; partes circuli maximè diſtant: ſed partes longè diſtantes difficilè vniuntur; ergo vulnus circulare difficilè ſanatur; en quomodo ſubalternata reſoluit concluſiones ſuas in principia à priori: quæ quidem non ſunt propria, ſed mutuata à ſcientia ſubalternante. Confirmatur intentum aſſertionis, nam ſi ſibi ineuidentia eſſent principia, licet alterius ſuperioris ſcientiæ, non vtique eſſet verè ſciẽtia: ſed procederet vel ex ignotis, & obſcuris, vel ex creditis; vt ergo ſit vera ſcientia, neceſſe eſt vt ſciat concluſiones reſoluere in principia ſibi nota, licet talia non ſint principia ſua, ſed ſuperioris ſcientiæ. & hinc deducunt Doctores, quod vbi deſinit ſubalternans, ibi incipit ſubalternata.

Subalternatæ principia ſunt mutuata à ſubalternante.

Vbi deſinit ſubalternans, ibi incipit ſubalternata.

Theologia in ſe nec ſubalternans, nec ſubalternata.

4 Dicimus ſecundò, loquendo de Theologia in ſe, neq; eſt ſubalternans, nec ſubalternata. ita Scot. q. 5. prol. prima pars probatur, nulla ſcientia naturalis accipit principia à ſcientia ſupernaturali, qualis eſt Theologia, ergo Theologia non eſt ſubalternans. Item ſcientia naturalis reſoluit ſuas concluſiones in principia nota lumine naturali: lumẽ autem Theologiæ eſt ſupernaturale. quomodo enim Philoſophus reſoluet concluſionem hanc materia eſt principium, & cauſa corruptionis, in principium hoc, Deus eſt Trinus & vnus? Inſuper, ſi per impoſſibile non eſſet in Deo, & Beatis Theologia, ac intelligentia, & viſio beatifica; nihilominus propoſitio hæc, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, vtique eſſet demõſtrabilis per ſua principia, & terminos, ac reſolubilis in ipſos: ergo non eſt neceſſaria depẽdentia demonſtrationis, & reſolutionis concluſionum ſcientiarum naturalium ad principia Theologiæ in ſe, Dei, & Beatorum.

Cognoſcere clarius, vel minus clarè non eſt de eſſentia ſubalternationis.

5 Obſtatur contra, vltima reſolutio concluſionum ſcitarum, ſicut & quorumcunque ſcibilium ſtat ad perfectiſſimum cognoſcibile: ſed vnaquæque res, etiam naturalis ordinis perfectius cognoſcitur in Verbo, quàm in ſeipſa, ergo reſolutio concluſionum ſcientiarum naturalium ſtabit ad principia Theologiæ Dei, & Beatorum. Reſp. quod cognoſcere clarius, & minus clarè non eſt cauſa ſubalternationis, ſed ad ſubalternationem exigitur vt concluſiones ſubalternatæ probentur per ſcientiam, & principia ſubalternantis, & reſoluantur in ea, & fiant nota per ea: ſit exemplum de linea, quã cognoſcit Metaphyſicus, & Geometra: at ille diſtinctè, quia cognoſcit ad quod genus pertinet, & quid ditamen eius; hic confusè, quia licet cognoſcat eſſe longitudinem ſine latitudine, & profunditate; tamen ignorat prædicata quidditatiua eius, & ad quod genus pertineat, quia nõ eſt munus eius; & nihilominus cognitio Geometræ non probatur per Metaphyſicam, ideoque Geometria non ſubalternatur metaphyſicè; ita à pari licet perfectius cognoſcãtur in Verbo omnia principia naturalia cum ſuis concluſionibus, quàm in ſeipſis, atque in proprijs naturalib. ſcientijs, tamen nõ ſubalternantur Theologiæ in ſe, quia iſta eſt ſupernaturalis, & neque eſt cauſa vt ex ea, ſiue ex principijs eius ſcientiarum naturalium principia, & concluſiones habeant euidentiam.

Theologia in ſe nulli ſcientiæ ſubalternatur.

6 Probatur ſecunda pars, quòd nempè Theologia in ſe nulli ſcientiæ ſubalternatur. eſt eiuſdem Sco. prob. ſi alicui ſubalternaretur, maximè ea eſſet Metaphyſica, quia hæc agit de ente, & ſub ente comprehenditur Deus, de quo agit Theologia: at falsũ eſt ei ſubalternari. prob. Theologia nulla principia deſumit à Metaphyſica, ergo non ſubalternatur. item nulla propoſitio theologica eſt demonſtrabilis per Metaphyſicam, nõ enim Metaphyſicus per ſuum ens demonſtrare poteſt Trinitatem: circuminceſſionẽ: diſtinctionem perſonarum: conſubſtãtialitatem earundem, & huius generis: item loquendo de contingentibus non poteſt per ſua principia demonſtrare Incarnationem, Sacramenta, prædeſtinationem, & ſimilia. aſſumptũ intelligitur de principijs per ſe theologicis, ſeu purè theologicis, vt ſunt principia reuelata, tum neceſſaria, tum contingentia; hæc enim non deſumit à *M*etaphyſica Theologus, vt in exemplis adductis, licet alia principia communia

tum

tum Theologiæ, tum Metaphyſicæ, poſſint probari per illam, vt bonitas, vnitas, veritas, dicendo, omne ens eſt vnum, verum, bonum: Deus eſt ens, ergo viſus verus, bonus: hæc quidem, & huius generis poſſunt probari per Metaphyſicam, non autem ea, quæ ſunt per ſe, & purè theologica, ad quæ nulla attingit ſcientia naturalis.

Theologia Viatorum non ſubalternatur Theologiæ Dei, et Beatorum.

7 Dicimus tertio, Theologia Viatorum nequaquã ſubalternatur Theologiæ Dei, & Beatorum; eſt eiuſdem Scoti: prob. Theologia Viatorum non dependet à Theologia Dei, & Beatorum, ergo non ſubalternatur: prob. antec. ſcientia in ratione cauſæ non dependet, niſi ab obiecto, potentia, & lumine: nullo autem ex his modis depẽdet ab eis. prob. non ab obiecto, quia idem eſt obiectum vtriuſque Theologiæ Viatorum, Dei, & comprehẽſorũ, quod eſt Deus: non à potentia, cùm intellectus Viatorum non dependeat vt ſic ab eis, ergo nec ſcientia eorum. nec denique à lumine, quia lumen Beatorum eſt clara viſio, lumen Viatorum eſt lumen fidei: at viſio, & fides non ſtant ſimul, aliàs idem eſſet ſimul Comprehenſor, & Viator. Reſpondet

Caiet. reſponſio.

Caiet. dependere noſtram Theologiã à Theologia Beatorum, tanquam à lumine: nec implicare poſſe ſtare ſimul: nec ſequeretur ſimul eſſe Comprehẽſorem, & Viatorem, ſed ſequeretur eſſe ſimul Comprehenſorem, & habere ſcientiam acquiſitam. Contra hoc, ſupponimus quæſtionem non eſſe tantùm ex parte Comprehenſorum, quantùm ex parte Viatorum; nam illi poſſunt habere ſcientiam acquiſitam vna cum viſione beatifica: at ex parte Viatorũ implicat habere ſimul vtrãque Theologiã, quia ſimul haberetur viſio, & fides: cognitio clara, & ænigmatica, ſeù obſcura. *videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate.*

8 Item probatur, de eodem obiecto ſub eadem ratione formali non poſſunt haberi ſimul ſcientia ſubalternans, & ſubalternata: ſed Theologiæ Viatorum, & Beatorum eſt vnicum obiectum ſub eadem ratione formali, vtpote Deus ſub ratione Deitatis, er-

Caiet. reſp.

go. Reſp. Caet. Deũ ſub ratione clarè viſi eſſe obiectum Theologiæ Beatorum: & ſub ratione reuelantis eſſe obiectũ Theologiæ Viatorũ. Sed cõtra, hinc non ſequitur ſubalternatio, prob. Deus vt clarè viſus non eſt principiũ, & cauſa Dei vt reuelati; nec Deus vt reuelatus, eſt concluſio Dei vt clarè viſi, ergo non adeſt ſubalternatio. probatur aſſumptũ, clara viſio nõ eſt cauſa obſcuræ, & ænigmaticæ viſionis; ergo Deus vt clarè viſus à Beatis non erit cauſa Theologiæ Viatorum, quæ conſiſtit in obſcura, & ænigmatica viſione. item Deus vt reuelatus, & vt obſcurè cognitus non eſt concluſio probata per claram viſionem, prob. qualis cauſa, talis effectus: viſio beatifica eſt viſio clariſſima, quomodo igitur parere poterit cognitionem obſcuram, & ænigmaticã. ergo nullatenus ſtat ſubordinatio, licet ſub diuerſis rationibus formalibus ſit obiectum Viatorum, & Comprehenſorum. Confirmatur, impoſſibile eſt ſcientiam ſubalternatam, & ſubalternantem eſſe primò de eiſdẽ veritatibus. prob. quia vbi deſinit ſubalternans, ibi incipit ſubalternata: & ſubalternata debet addere differẽtiam accidentalem.

Habẽs ſubalternãtem poteſt habere ſubalternatam.

9 Inſuper arguitur, habens ſcientiam ſubalternatam poteſt ſimul habere ſubalternantem: at impoſſibile eſt ſimul habere ſcientiam Beatorum, & Theologiam Viatorum, ergo non ſunt ſubalternata, & ſubalternãs prob. maior, habens principia concluſionis poteſt per ea ſcire concluſionem; at ſciẽtia ſubalternans habet principia concluſionum ſcientiæ ſubalternatæ, ergo poteſt habendo ſubalternantem, habere quoque ſubalternatam. item ſciẽtia ſubalternata non eſſet ſcientia, niſi ſuas ſciret reſoluere concluſiones in principia ſubalternantis, quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, ergo habens ſubalternatam, habet quoque ſubalternantem. Confirmatur, quia vniuerſaliora ſunt magis nota ordine naturæ, at principia ſubalternantis ſũt vniuerſaliora, ergo habens ſubalternatam, incipiet prius ab vniuerſalioribus, & conſequenter à principijs ſubalternantis, & ita ſtabunt ſimul. Rurſus confirmatur, namque ſtant ſimul Arithmetica, & Muſica. probatur autẽ minor, Viator non habet Dei claram

vt

viſionem, quia ambulat per fidẽ; ergo non habet ſciẽtiam Dei, & Beatorum ſubalternantem. item nec Deus, nec Beati habent Theologiam Viatorum, vt Viatorum, quia hæc eſt ænigmatica, & per fidem, ergò hæc non eſt In Beatis, ergò non habent Theologiam ſubalternatam: cùm igitur non poſſint ſtare ſimul nõ ſibi ſubalternantur. Cõfirmatur, fides euacuatur per viſionem in Patria: & viſio tollitur per fidem, opponuntur enim iſta inuicem lumina, vndè Paulus, *ambulamus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Reſp. Caietan. poſſe Beatum habere vtramque cognitionem; tum viſionem claram beatificã; tum ænigmaticam: hæc verò in Beatis habet rationem ſcientiæ acquiſitæ, licet non ſit ænigmatica. Reſponſio eſt fuga argumenti; nam ſi ſcientia hæc in Beatis nõ eſt ænigmatica, & obſcura, ergò non erit Theologia Viatorum, non enim quærimus vtrum Beati poſſint retinere ſcientiam hic acquiſitam, de qua Hieron. *diſcamus in terris, quorum ſcietia nobiſcum perſeueret in Cœlis*: ſed quærimus vtrum Theologia Viatorũ, quatenus lumini fidei innititur poſſit ſtare cum lumine viſionis; quia verò hæc ſimul implicant, ſequitur vt in eodem Beato nõ ſtẽt ſimul hæ duę Theologiæ, haberet namque ſimul fidem, & viſionem, fides autem deſtruit ſtatum Patriæ, ſicut ſtatus Patriæ euacuat fidem, iuxta Paul. 1. Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt*: ſubalternans autem ſcientia, & ſubalternata poſſunt in eodem ſubiecto ſtare ſimul. Impoſſibilitas tamen ſimultanea ſcientiæ Beatorum, & Theologiæ Viatorum intelligitur de facto, & via ordinaria; nam de potentia abſoluta poteſt Deus reuelare arcana Viatori, vt egit Paulo.

10 Item probatur, ſcientia de Deo non poteſt eſſe niſi vna, ergo non dabitur in Theologia multiplicatio ſubalternantis, & ſubalternatæ. probatur, nam ſubiectum Theologiæ eſt Deus, is autem eſt vnus. Reſpondet Caiet. eſſe quidem vnum, at ſpectari ſecundùm diuerſas rationes formales, vtpote clarè viſi, & reuelantis: primo modo ſpectat ad ſcientiam Beatorum, & vt ſic habetur de eo ſcientia ſubalternans: ſecundo modo ſpectat ad ſcientiam Viatorum, & erit ſubalternata. Contra arguitur, ſi diuerſitas luminis facit diuerſitatem ſcientiarum, ergò Metaphyſica diſtinctè ab aliquo ſcita, ſubalternaret ſibi Metaphyſicam ſcitam ab alio confusè: ergo Metaphyſica ab vno credita ſubalternaretur Metaphyſicę ab aliquo altero demonſtrata, & ſcita: at quis dicet hoc? etenim erit vna, eademq; Metaphyſica, diuerſitas autem modi, vel luminis nõ variabit Metaphyſicam. ita à pari diuerſitas luminis gloriæ, & fidei non erit ratio faciendi ſubalternationem.

11 Inſuper ad ſubalternationem requiritur; differẽtia accidentalis, quæ ſe teneat ex parte obiecti, non ex parte luminis; etenim muſica ſubalternatur Arithmeticæ, quia addit differentiam accidentalem ad illam: agit namque Arithmetica de numero, muſica autem de numero ſonoro, vnde addit ſonum ad numerum: iſta autem additio ſe tenet ex parte rei, non autem ex parte luminis; quia verè à parte rei muſica conſtituitur ex numero ſonoro: quod autẽ quis obſcurè, & imperfectè, ſeù per fidẽ habeat muſicam, alter verò diſtinctè, & per verũ ſcientiæ lumen, non eſt hoc ratio vt muſica credita ſubalterneetur muſicæ perfectè cognitæ. ergo Deum habere ſub ratione viſi, & crediti non eſt ratio ſubalternationis.

12 Rurſus non cognouit Ariſtot. lumen ſupernaturale: & nihilominus docuit dari ſubalternationem ſcientiarum: at ſubalternationem nõ dixit eliciendam eſſe ex parte luminis, vel naturalis, vel ſupernaturalis, quod nõ cognouit, ſed ex differentia ſaltim accidentali obiecti vtriuſque ſcientiæ, vt in muſica, & Arithmetica: at Deus ſub ratione eadem Deitatis eſt obiectum omnis Theologiæ. Dixeris rationem clarè viſi, & crediti eſſe differentias accidentales. Reſp. eſſe differentias nõ obiecti, ſed viſionis, ſeù potentiæ viſiuæ. debet autem ex parte obiecti ſtare talis differẽtia: patet, quia dum Arithmeticæ, & muſicæ obiectum eſt numerus, addit tamen muſica ſonum: & talis hęc differentia conſtituit eſſentialiter

muſicã in eſſe muſicæ, itant differentia verè addatur ipſi obiecto, nempè numero, vndè fiat numerus ſonorus: talis verò differentia, quam conſtituit Caet. nõ additur obiecto, nempè Deo; quod namque Deus ſit obiectum terminatiuum viſionis Beatorum, & fidei Viatorum eſt extrinſecum illi; deberet verò addi ipſimet Deo differentia aliqua competens à parte rei ipſi Deo, prout eſt obiectum Theologiæ Viatorum, ſic enim eſſet noſtra Theologia ſubalternata: at Deum eſſe viſum, & creditum, eſt reſpectus rationis, non realis, nec quid reale inhærens Deo, ſicut ſonus eſt differentia realis in muſica, contrahens numerum ad eſſe obiectũ à parte rei ipſius muſicæ, & propterea hæc ſubalternatur Arithmeticæ.

13 Denique poſitio Thomiſtarum ad hoc reducitur ex eorum fundamentis, vt cogantur dicere eundem numero habitum eſſe ſcientiam, & fidem; prob. Theologia Viatorum eſt habitus, qui innititur ſuper fidem: eadem etiam Theologia ex Thomiſtis habet euidentiam in lumine Beatorum; ergò idem habitus erit ſcientia, & fides. ne verò in hoc, & prætacta inconuenientia reducamur, negat Scotus Theologiam Viatorum ſubalternari Theologiæ Comprehenſorum.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum Theologia ſit practica, vel ſpeculatiua.

ARTIC. I.

Quid ſit praxis, & quid ſpeculatio.

Praxis definitio, & cõditiones.

1 PRaxis eſt nomen Græcum: idem verò importat, ac *operationem*. Praxi ita definit Scotus in prol. q. 4. *Praxis eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter poſterior intellectione nata elici conformiter rationi rectæ ad hoc vt ſit recta*. tres hinc eliciuntur conditiones ad praxim ex data definitione: prima eſt, vt ſit actus alterius potentiæ ab intellectu: ſecunda vt ſit naturaliter poſterior intellectione: & tertia, quod ſit nata elici conformiter rationi rectæ ad hoc, vt ſit recta. expendamus ſingulas.

Probatur prima conditio.

2 Prima quidem probatur, nullus actus intellectus eſt praxis, ergo omnis praxis debet eſſe operatio alterius potẽtiæ ab intellectu. aſſumptum probatur, omnis praxis nata eſt eſſe bona, vel mala (externi enim excludunt actũ indifferentem) at nullus actus intellectus, vt intellectus, appellabitur bonus, aut malus, ſed potius verus, aut falſus, quia in intellectu non eſt malitia, aut bonitas, ſed veritas, aut falſitas, ergo praxis eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu. Item concedunt omnes intellectũ extenſione fieri practicum, extendendo ſe ad regulandas operationes externarum, ſiuè internarum potentiarum, diſtinctarum ab intellectu: extendi autem eſt extra ſe tẽdere: ergo remanendo intra ſeipſum, ſua operatio nõ erit praxis. Confirmatur, actus intellectus nõ ſunt extra intellectum, ſicut ſunt actus potẽtiarum aliarũ. Itẽ ſi operatio intellectus poſſet eſſe praxis, maximè id eſſet, qa aliqua eius operatio dirigeretur: at hoc non ſufficit vt ſit praxis. prob. minor; nam aliàs Logica eſſet ſcientia practica, quoniam in ea agitur de operationibus

nibus

tibus intellectus: quorum vnus dirigit alterum, ipſa verò eſt ſpeculatiua. Inſuper ſequeretur nullam dari ſcietiam ſpeculatiuam, quoniam in omni ſcientia reperitur directio actiua, & paſſiua actuum intellectus. ex his ergo concluditur praxim eſſe debere operationem diſtinctæ potentiæ ab intellectu.

Probatur ſecunda cõditio.

3 Secunda conditio probatur; nulla operatio præcedens naturaliter intellectum poteſt eſſe praxis, ergo debet eſſe poſterior. probatur anteced. actus vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ potentiæ ideo non ſunt praxis, quia præcedunt intellectionem: item praxis eſt operatio bona, vel mala: bonitas autem, & malitia operationis prærequirit directionem, & regulam: regulare competit intellectui, ergo operatio intellectus ſub ratione regulatiui debet eſſe prior, & praxis poſterior; directiuum enim eſt naturaliter prius directo. Inſuper, actus appetitus ſenſitiui non ſunt praxis quatenus .n. præcedũt rationem non habent rationem praxis. Rurſus, actus vegetatiui, & ſenſitiui in brutis nullo modo poſſunt habere ratioṅe praxis, quia nullo modo ſequuntur ad rationem, quæ non eſt in eis: actus autem vtriuſq; potentiæ ſi quandoq; ſubſequerentur rationem, & regulari poſſent ab ea, vtique poſſent eſſe praxis: quo fit, vt neceſſario ſit actus poſterior intellectione.

4 Ex his elicitur vt praxis non ſit, niſi actus vel elicitus, vel imperatus, qui tamen & ſit poſterior intellectione, & ſubijciatur imperio voluntatis; vnde eſt, vt actus elicitus voluntatis ſit immediatè, primo, & per ſe praxis. prob. potentia immediatior intellectui eſt voluntas, ergo eius operatio eſt immediatè, & primo praxis. actus autem elicitus eſt, qui immediatè producitur à voluntate. elicitur ſecundo, vt actus ab eadem voluntate imperatus ſit etiam praxis, ſed ſecundario in ordine. prob. prior eſt actus elicitus, quã imperatus; ergo actus elicitus eſt prius praxis. De vtroque verò probatur, vterq; eſt poſterior intellectione, ergo habet hanc conditionem praxis. antecedens patet, ſicut voluntas ſequitur intellectum in eſſendo, ita volitio ſequitur intellectionem in operando; tũ etiam qualis eſt ordo in actibus primis, ſeu potentijs, talis in actibus ſecundis, ſeu operationibus: intellectus præcedit voluntatem: ergo intellectio præcedit volitioné. tum denique, quia voluntas fertur in præcognitum, ergo præcedit intellectus, & præcognitio. Ex dictis autem cõcluditur ſolummodo actus voluntatis elicitos ſuos, atque imperatos, ſiuè ſui, ſiuè cęterarum potentiarum ſibi ſubordinatarum eſſe praxim. probatur inſuper vltra dicta: praxis eſt operatio, quæ eſt in cognoſcentis poteſtate: ſed iſti actus ſunt in voluntatis poteſtate. Item Ariſtot. 6. Ethic. cap. 5. *Artifex indiget virtute*, idest, *arte ad rectè agendum*: at non indiget arte reſpectu eius, quod nõ ſubeſt ſuæ poteſtati. Inſuper per praxim meremur laudem, vel vituperium: hæc verò non conſequimur, niſi liberè eliciantur operationes ex imperio volũtatis. Extenditur voluntatis imperium, tum ad proprias, tum ad cæterarum potentiarum operationes, quatenus eius poſſunt ſubiectari imperio, vt visio, auditio, guſtatio, & huiuſmodi, imperata, iam ſit vera praxis.

Actus eliciti voluntatis eſt primo praxis.

Solũ actus elicitus voluntatis, & imperatus ſiuè ſui, ſiuè aliarum potentiarũ eſt praxis.

5 Tertia conditio probatur ex 6. Ethic. cap. 3. *Electio recta præſupponit rationem rectam*. vt ergo praxis ſit recta, neceſſario exigit rationem rectam: hoc verò eſt, quod tertia docet conditio, vt ſit neceſſe conformari rationi rectæ ad hoc vt ſit recta. Da oppoſitũ, quod non conformetur rationi rectæ, & iam non erit recta.

6 Speculatio eſt alterum membrũ tituli quæſtionis: eſt autem ſpeculatio, operatio intellectus ad nullam operationem alterius potentiæ ordinata, remanẽs intra genus ſpeculationis, quæ ſit gratia ſui. Dixi operatio intellectus ad differentiam praxis, quæ eſt operatio voluntatis, & cuiuſcunque potentiæ diſtinctæ ab intellectu. Dixi ad nullam operationem alterius potentiæ ordinata, vt oſtendatur ſpeculationem non eſſe directiuam, ſeu regulatiuam alicuius potentiæ diſtinctæ ab intellectu. Dixi, alterius potentiæ, vt non excludatur ipſamet potentia intellectus; ſiquidem Logica eſt ſcientia ſpeculatiua, & tamen dirigit intellectum in ſuis operationibus, arguendo, diffiniendo,

Speculatio quid.

Non eſt alterius potẽtiæ, quàm intellectus.

Logica eſt ſpeculatiua.

Metaphyſica eſt ſpeculatiua, et gratia ſui.

diſtinguendo. Dixi intra genus remanens ſpeculationis, quæ ſit gratia ſui; vt diſtinguatur à ſcientia practica, & praxi, quæ eſt gratia alterius. hinc Metaphyſicam docuit Ariſt. eſſe gratia ſui, quia eſt ſpeculatiua; agit enim de abſtractis, de intelligentijs, de rebus remotis tum à ſenſu, tum à praxi, remanens intra limites ſolius ſubſtantiarum abſtractarum ſpeculationis.

Philoſophus amator ſapientiæ.

Amor ingreditur definitionem Philoſophiæ vt additamentum.

7 Obſtatur aduerſus dicta. Philoſophia eſt ſcientia ſpeculatiua, & tamẽ definitur p amorẽ: amor autẽ eſt perfecta praxis. prob. aſſũptũ, nã Philoſophus dicitur *à philo, & ſophos*, quod eſt *amator ſapientiæ*. Reſp. amorem ingredi definitionem Philoſophiæ veluti additamentum; eſt enim quid extrinſecum. immo omnis ſciẽtia eſſet ſic practica, quia omnis, velut vt plurimũ, diſcitur cum amore; quia ergo cũ amore addiſcitur Phyloſophia, hinc Phyloſophia eſt amor ſapientiæ. Item hæc non eſt definitio, ſed deſcriptio, data per extranea. Inſuper ideo ſic deſcribitur, vt euitetur arrogantia, propter quod non *ſophus* appellari voluit, vt de Pythagora traditur; ſed Philoſophus, ſeu amator ſapientiæ.

8 Obſtatur, etiam intra ipſos actus intellectus datur extenſio. prob. vnus actus intellectus extenditur ad dirigendum alium, & intellectus dirigit ſeipſum; ergo praxis non eſt operatio alterius potentiæ. Reſp. extendi tunc propriè dicitur intellectus, quando extra ſe tendit, dirigendo operationes alterius potentiæ: cùm verò dirigit ſeipſum non dicitur extra ſe tendere: vnde licet ſeipſum dirigat, & operatio ordinetur ad operationem, quia tamen ambæ ſunt operationes intellectus, hinc non erunt praxis. Accedit, quia vna non ordinatur ad alteram modo practico, ſed ſpeculatiuo, & gratia ſui.

9 Obijcies, actus virtutis moralis eſt praxis: actus v. g. ſtudendi Sacræ Scripturæ, quatenus docet diligere Deum, & proximum, eſt actus virtutis moralis, quia erit debitis circumſtantijs decoratus, ergo erit praxis: & nihilominus per talem actum non exibit extra ſe intellectus, dato quòd alteram potentiam tunc non dirigat: erit etiam praxis, quia erit operatio virtutis moralis. Reſp. operationem illam non eſſe praxim, cùm non ſit alterius potentiæ; ſed eſſe actum notitiæ practicæ; quia de ſe eſt ordinatiua praxis, ſaltim in actu primo, vt dicetur. vnde non eſt verum, quòd omnis actus virtutis moralis ſit praxis, ſed eſt verum, quòd vel erit praxis, vel notitia practica: praxis ſi ſit alterius potentiæ ab intellectu; notitia practica, ſi ſit ſolius intellectus, ordinabilis ad dirigendam praxim; duplex eſt enim virtus moralis, intellectualis, & appetitiua.

10 Obſtatur, poteſt voluntas imperare intellectui, vt cogitet moraliter ſecundùm hic, & nunc; de lege v. g. adimplenda, de iuſtitia exercenda, de virtutibus, & huiuſmodi: tunc verò erit praxis; ergo non eſt neceſſario actus alterius potentiæ. Reſp. concedendo anteced. & negando conſequent. etenim non ſequitur, vt talis notitia ſit praxis, ſed quod ſit notitia practica, quia poteſt dirigere potentias alias in praxim.

11 Dices, poteſt voluntas imperare potentiæ ſenſitiuæ, vt operetur; ergo praxis non eſt actus ſolius voluntatis. Reſp. conceſſo anteced. negatur conſequ. vt enim actus potentiæ ſenſitiuæ præcedunt cognitionem, non ſunt praxis; vt verò ſequuntur tum cognitionem, tum imperium erunt praxis.

Ex definitione praxis bonæ habetur definitio malæ.

12 Obſtatur, incompletè Scotus definiuit praxim, quia non deſcripſit praxim malam, ſed ſolummodo bonã. Reſp. quòd ex diffinitione praxis bonæ facilè deuenitur in cognitionem malæ, quia rectum eſt Iudex ſui, & obliqui.

ARTIC. II.

Quid ſit notitia practica, diſtincta à ſpeculatiua.

quid notitia practica.

1 Viſo quid ſit praxis, videndum eſt, quid ſit notitia practica; ea autem deſcribi poteſt, vt notitia practica ſit *notitia regulatiua praxis*. Deſcribunt alij, cognitio practica eſt

cogni-

cognitio recta, cui praxis nata eſt eſſe conformis. hi addunt *recta:* loquuntur autem conſequenter ad traditam deſcriptionem praxis,in qua ponitur rectitudo. nihilominus quia non omnis praxis eſt recta, vt viſum fuit, nec etiã omnis notitia practica erit recta: vt igitur euitemus inſtantiam, quæ de praxi fuit facta,ratione praxis malæ,& non rectæ; quæ etiam fieri poteſt de notitia practica contra traditam ſecundam deſcriptionem, ideò contenti erimus de prima,vt dicamus, *notitiã practicam eſſe regulatiuam praxis.* Cæterũ conditiones huius notitiæ conſtant ex ipſa praxi: ſunt verò *prioritas, & conformatiuitas,ſeù regulatiuitas* Ad notitiam ergo practicam duo requiruntur, primò,vt ſit prior praxi: ſecundo,vt ſit regulatiua praxis: prioritas iam probata remanet præced. art. regulatiuitas quoque patuit ibidem ex Ariſtot. Obſeruandum verò per regulatiuitatem non eſſe neceſſariò intelligendum regulam rationis rectæ;ſequeretur nãque omnem praxim eſſe rectam: ſed intelligi regulam, ſiuè in bonum, ſiuè in malum: vnaquæque enim operatio habet ſuam regulam, qua mediante operans ſiuè benè, ſiuè malè, dirigitur in finem qualemcunque ſuum, patet ergo deſcriptio.

Practicæ notitiæ conditiones.

2 Ex tradita tum praxis in præced. tum notitiæ practicæ in præſenti deſcriptione elicitur intelligentia illius communis axiomatis, *intellectus extenſione fit practicus.* hoc verò Scotus colligit ex Ariſt. & Comment. 3. de an.t.com.49.licet namque in proprijs terminis non habeatur; tamen iure merito indè colligitur,quidquid dicat Domin.Sot. ſenſus verò axiomatis illius is eſt,non quidem extenſione formali, & entitatiua fieri practicum, ſed extenſione directiua; non primum, ſiquidem intellectus eſt potentia ſpiritualis, immaterialis, ergo extendi non poteſt formaliter,cùm extenſio ſit paſſio quantitatis; quia tamen opus eſt eius dirigere potentias cæteras, hinc eſt, vt ſe extendendo per directionem earum dicatur aliquo modo extra ſe tendere,dum ſit practicus, non quidẽ tendere extra entitatem ſuam, deſtrueretur enim,ac exiret à ſemetipſo, ſed quatenus exit extra limites ſimplicis intellectionis,ſiuè quatenus exit extra limites ſpeculationis, tendendo ad directionem praxis, & operationis alterius potentiæ ab intellectu: dicitur quidem extrà ſeipſum tendere ſic per dictamen rationis. Confirmatur, nam quatenus continetur præcisè intra limites ſuos, licèt de actu tranſeat ad actum, ſemetipſum dirigendo in proprijs actibus, non dicetur extrà ſe tendere, non enim dirigens diſtinguitur tunc à directo: eo magis,quo tunc eſt ſolummodo ſpeculatiuus: & hinc Logica non eſt practica; licet namque dirigat, nihilominus dirigit intellectũ munuſq; eius eſt operationes dirigere intellectus primo & per ſe;ideoq; primo, & per ſe non competit dirigere aliud ab intellectu, licèt ſecundariò poſſit inſeruire alijs; & tunc extra ſe tenderet:hæc igitur eſt ratio,& natura extenſionis per notitiam practicam in intellectu.

Intellectus extenſione fit practicus.

3 Obſeruandum verò quod Ariſt. nunquam dixit, quòd intellectus ſpeculatiuus extenſione ſit practicus quacunque: ſed Ariſt.ponens tres gradus intellectus, quorum primus eſt conſiderare ſpeculabilia tantùm;ſecundus; conſiderare agibilia, nõ dictando proſequi, vel fugere: Tertius, aliquanto amplius extendendo ſe ad proſequi, vel fugere; ità quòd illa extenſio eſt intellectus imperfectè practici ad cõſiderationem perfectã practicam, puta ab apprehenſione terribilium ad dictamen completum de eis,præcipiendo fugam,vel proſecutionem.

Tres gradus intellectus.

4 Ioannes Anglici c.1. prol. q.4. extẽſionem intelligit in ordine ad obiectum: ita vt omnis extenſio ad obiectum faciat intellectum practicum: at ſi ita eſt ſequeretur nullam dari notitiam ſpeculatiuam, ſed omnem fieri practicam, omnis enim intellectio habetur per ordinem, & extenſionem intellectus ad obiectum, in ratione intelligentis, & intellecti.

Anglici ſententia confutatur.

5 Ex dictis ſequitur,notitiam practicam pendere ex duplici relatione ad praxim,prioritatis quidem,& conformatiuitatis ipſius praxis: ꝙ ſi altera deſit,non erit notitia practica,nec intellectus ipſe vocandus erit practicus.

6 At

Ratio directiuitatis ſufficit ſit aptitudinalis.

6 At quæres, num duplex iſta relatio opus eſt, ſit actualis, an ſufficiat ſit aptitudinalis. Reſp. non eſſe neceſſe eſſe actualem. prob. aliàs deficiente actuali directione ad praxim: non eſſe ſcientiam, & notitiam practicam. igitur Medicus dormiens, vel Villicus infirmus non haberent nec artem, nec notitiam de medicina, & rure ex colẽdo practicam, quoniam actualiter non incumbunt praxi: ſufficit ergo relationem eſſe aptitudinalem; vt nempè potens ſit talis quicunque artifex dictare regulatiuè de praxi. & Cõfirmatur, ex eius deſcriptione, dicitur enim notitia practica, quæ eſt directiua praxis, & directiuum dicit potentiam, non actum.

Explicatur Ariſt.

7 Obijcies, quia Ariſt. 3. & 6. Eth. ait; *veritas conſiderationis practicæ eſt confeſsè ſe habere appetitui recto*: ergo potius notitia debet conformari praxi, quàm praxis notitiæ. Reſp. quòd ly *confeſsè*, ſe tenet actiuè, non paſſiuè, ex parte notitiæ, vt ſit ſenſus, notitia practica debet regulare actiuè ipſam praxim: praxis verò debeat conformari paſſiuè notitiæ practicæ.

8 Expedito, & cõſtito quid ſit notitia practica, hinc cõſequẽter ad ea, dicẽdũ eſt de notitia ſpeculatiua. at quia vtrũq; pendet tum à ſpeculatione, tũ à praxi, hinc conſequenter ad ea, dicendum eſt de notitia ſpeculatiua. ſicut verò practica pendet à duplici illa relatione prioritatis, & conformatiuitatis; ita ſpeculatiua negat iſtam duplicem relationem; & ſicut illa eſt *gratia alterius*, ita iſta eſt *gratia ſui*. ac ſicut illa eſt *gratia vſus*, ita iſta ſit *gratia ſpeculationis*; vnde 2. metaph. t. c. 3. *finis ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ autem opus*, & in proœm. *practica eſt minus nobilis, quia eſt gratia vſus*. hæc quoad primum membrum.

Practicum, & ſpeculatiuum an differentiæ eſſentiales notitiæ.

9 quomodo verò diſtinguantur practicum & ſpeculatiuum, vtrum ſint differentiæ eſſentiales habitus, ſeù notitiæ practicæ, & ſpeculatiuæ, an accidentales. Reſpondet Scot. non eſſe differentias eſſentiales ipſius notitiæ, ſeù habitus. prob. nullus reſpectus eſt de eſſentia abſoluti: practicum dicit duplicem illam relationem, habitus eſt entitas abſoluta, ergo non eſt de eius eſſentia: à contrario negatio talis duplicis relationis conſtituit ſpeculatiuum: hinc arguitur, nulla negatio, ſeù priuatio, atque relatio poteſt eſſe de eſſentia rei abſolutæ, at huiuſmodi eſt notitia, & habitus. vnde concludit non eſſe differentias eſſentiales oppoſitas, neque diuiſionem practici, & ſpeculatiui eſſe diuiſionem generis in ſuas ſpecies, ſed diuiſionem generis, quaſi per proprias paſſiones ſpecierum; ratio, quia propriæ differentiæ rerum ſunt nobis ignotæ; vndè circũloquimur eas per accidentia, ac paſſiones, ſicut diuidendo numerum per par, & impar: lineam per curuam, & rectam, quæ ſunt paſſiones lineæ, & numeri. Hoc habet locum, inquit Scot. de notitia, & habitu in ſe: cæterum loquendo de notitia hac particulari, benè competere poteſt practicum, & ſpeculatiuum per ſe ſecundo modo. deducitur ex dictis, quia ſicut eſt paſſio notitiæ, ita erit paſſio notitiæ in particulari, veluti riſibilitas homini; vndè medicinæ competit neceſſariò ratio practici; at notitia in communi eſt indifferens ad ſpeculatiuum, & practicum.

Scotus explicatur.

10 Dices Scot. 4. prol. l. c. vocat practicum, & ſpeculatiuũ differentias eſſentiales. Reſp. aliqui, Scotũ cõparare practicum ad intellectũ, & notitiã: ad intellectum quidẽ comparata erũt differentiæ accidentales omninò, ad notitiam verò erunt eſſentiales de ſecundo modo dicendi per ſe. Dicendũ ſecundo, aliud eſſe quod ſint de eſſentia, aliud quod ſint eſſentiales: primum negat abſolutè Scotus: ſecundum concedit, quatenus eſſentiale, prout contradiſtinctum abeſſe de eſſentia denotat prædicationem per modum paſſionis de ſecundo modo dicendi per ſe.

An notitia practica debeat eſſe cõplexa.

11 Quæres, vtrùm notitia practica debeat eſſe cõplexa, àn ſufficiat ſit incomplexa. negare videtur ſufficere incomplexam Gregor. q. 5. prol. probat, aliàs omnis notitia complexa erit practica, quia complexa ſequitur naturam incomplexæ, ergò ſi notitia ſimplex eſt practica, erit quoque complexa. item ſi notitia ſimplex alicuius plantæ eſt practica, multò magis erit talis notitia indè deducta complexa. demum Theorica medicinæ eſt ſpeculatiua, altera verò

verò medicinæ pars eſt practica, quia diuiditur in ſpeculatiuam,& practicã. Reſp.practicum conſiſtere tum in cõplexa, tum ſimplici notitia de obiecto operabili:niſi quòd complexa erit practica formaliter,ſimplex virtualiter. & ita notitia plantarum erit practica virtualiter, notitia verò medicinæ ex varijs herbis compoſitæ erit practica formaliter, etenim ideò plantæ vocãtur ſimplicia à Phyſicis,medicina quid compoſitum,ſeù compoſitio, vnde denique concludũt miſce & fiat pot,&c. Ad diuiſionem medicinæ in practicã, & ſpeculatiuam, negatur id, non enim datur medicina ſpeculatiua: vnde etiã Theorica erit practica, quæ & ſi actu non dictet de praxi, tamen dictat virtute,vnde eſt virtualiter practica;aliàs ſi ſpeculatiua,ſequeretur quòd practica medicina eſſet ex principijs ſpeculatiuis; nam practica agit de cõcluſionibus ſecundùm hic, & nunc, in ordine ad ſanitatem, Theorica de principijs medicinæ, qualis verò concluſio, talia principia: at concluſio medicinæ eſt practica, ergò & principia Theoricæ erunt practica. Sed quid dicendum ad communem, ac receptam diuiſionẽ medicinæ, diuiditur enim ab omnibus in Theoricam, ſeù ſpeculatiuam, & practicã. Reſp. quòd comparatiuè eſt reſpondendum; etenim comparando Theoricam ad practicam, illa poteſt cõparatione iſtius vocari ſpeculatiua; ratio quia quantò magis aliquod recedit ab vno extremo,tantò magis accedit ad alterum: at Theorica recedit à praxi, ergo accedit ad aliud extremum, nempè ad ſpeculationem: hinc eſt vt medicina in vniuerſali cum non deſcendat immediatè ad praxim, cenſeatur aliquo modo ſpeculatiua, abſtrahit enim ab actuali directione, & applicatione ad praxim:erit nihilominus practica,ſaltim mediatè, remotè, & virtualiter, cum altera medicinę pars ſit immediatè,proxime, & formaliter, atque actualiter practica. plura Scot. 4.quæſt. prol. & quodl. q.8.

Theorica medicinæ nõ eſt ſpeculatiua.

ARTIC. III.

Theologiam Viatorum, & Comprehenſorum eſſe practicam,non ſpeculatiuam.

1 PEnes Scotum vbi ſup.variç referuntur.& confutantur ſentẽtiæ de qualitate Theologiæ an ſit practica,an ſpeculatiua. afferemus tamen principaliores.Sunt qui dicunt Theologiam eſſe contemplatiuam, non tamen practicam,nec ſpeculatiuam:fundamentum eſt Diui Auguſtini authoritas,is enim l.12.de Trin. cap.14. ait quòd *ſapientia eſt reſpectu contemplationis, ſciientia verò reſpectu actionis*: de Theologia autem dictum fuit eſſe ſapientiam,ergò erit contemplatiua. Circa hoc inquit Scot. contemplatiuum includere ſcientiam, at non ſiſti in ſolo genere ſcientiæ,ſed extendi vltra genus ſcientiæ ad actum voluntatis, qui eſt praxis; ea ratione,qua Auguſt. docet contemplatiuum illud cõtinere memoriam, intelligentiam, & voluntatem: & ob id adeſſe ibi repræſentationem Trinitatis. contemplatiua tamen ſic ſumpta erit practica,quia extendetur ad contemplationem, cognitionem,& amorem Trinitatis.

Varia Theologorum placita.

2 Adeſt & ſententia altera, Theologiam eſſe *affectiuam*. hæc tribuitur D.Bonau. q.3. prol. Ægidio,& pleriſque.de hac eadem inquit Scot.quòd ſi per affectiuum intelligit aliquod tertium membrum diſtinctum à practico, & ſpeculatiuo, id non eſt admittendũ; probat, quia Ariſtoteles ſufficiẽter diuiſit ſcientiã *in practicam, & ſpeculatiuam* abſque alio membro, ergo non datur tertium; tum etiã quia affectus, ſeù dilectio eſt praxis,ergo ab ea ſciẽtia dicitur practica, & non induet rationem tertij membri. quod ſi ſententia hæc velit eſſe practicam, nõ diſcrepat ab ea Scotus,licèt verò D.Bonau. dicat eſſe magis affectiuam, quàm cõtemplatiuam, tamen idem videtur dicere,ac eſſe practicam; nam pro contem-

Sent. D. Bonau.

templatiuo accipit ſcientiam aliquanto abſtrahentem ab affectiuo, & includẽtem ſpeculatiuum: vt ſic autem magis habet de affectiuo, quàm de contemplatiuo.

Sententia Gothfred.

3 Tertia ſententia; eſt Goffredi, quodl. 13. quæſt. 1: qui docet eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam. indèque deducit eſſe non vnicum, ſed duplicem habitum, alterum practicum, alterum ſpeculatiuum.

Sententia D. Th.

4 Quarta eſt D. Tho. 1. p. q. 1. art. 4. docentis eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, eſſe tamen magis ſpeculatiuã. differt verò ab opinione Gothfred. quia ille diſtinguebat eã in duos habitus, at D. Th. ait eſſe eundem habitum. fundamentum, quo ſit vnus habitus, inde eſt, quia ſubiectum Theologiæ eſt Deus, qui eſt vnus. item ratio formalis, qua conſiderat omnia contenta in ea eſt reuelatio, at illa vnica eſt. Hæc ſententia variè declaratur, alij namq; aiunt eſſe vnam eminenter, cùm eminenter contineat practicum, & ſpeculatiuum: ita Caetan. additque eſſe quoque formaliter vtrumque. Alij, vt Vaſqu. non eminenter, ſed formaliter practicam, & ſpeculatiuam, argumenta afferentur inde.

Theologia non eſt ſimul pract. ſpeculat.

5 Sit verò prima aſſertio, Theologia non eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, nec formaliter, nec eminenter. eſt Scoti 4. prol. prob. quandocunque aliquod commune diuiditur per differentias eſſentiales oppoſitas, ſiuè per proprias paſſiones ſtantes loco differentiarum impoſſibile eſt vtrumque ipſorum poſſe ſimul competere alicui contento ſub illo communi: ſed practicum, & ſpeculatiuum diuidunt ſciẽtiam vel tanquam differentiæ, vel tanquam propriæ paſſiones; ergo impoſſibile eſt Theologiam eſſe ſimul vtrũque iſtorum. Maior de ſe patet, aliàs idem corpus poſſet ſimul eſſe corporeum, & incorporeum: idem animal ſimul rationale, & irrationale. eadem ſubſtantia ſpiritualis, & corporea; infinita, & finita. Reſponderent Caet. & alij, non implicare vt eminenter ſit vtrumque, quia Theologia eſt ſcientia infinita, quia de obiecto infinito; & propterea eſt eminenter practica, & ſpeculatiua: implicat verò ſcientiæ finitæ cõtinere ſimul practicum, & ſpeculatiuum. Contra, Rationale non cõtinet in ſe eminenter irrationale, quia ſunt differentiæ omnino, & eſſentialiter oppoſitæ ſub animali, adeout vnũ non poſſit eſſe eminenter vtrumque: licet namque illud ſit perfectius iſto; nihilominus non eſt dicendum, quòd homo ſit formaliter rationalis, & irrationalis; ergo licet Theologia ſit cunctis ſcientibus nobilior, non propter hoc erit vtrumque iſtorum. Multò etiã magis eſt improbabile dicere, quòd ſit vtrumque formaliter: ſicut improbabiliſſimum eſt dicere nitribile eſſe ridibile, & rationale mugibile: ergo minus probabile eſſe Theologiam practicam, & ſpeculatiuam formaliter. Inſuper practicum, & ſpeculatiuum ſunt contradictoria: quę tamen nõ poſſunt verificari de eodem. prob. antec. practicum conſiſtit in illa duplici relatione aptitudinali: ſpeculatiuum in negatione eius. Rurſus, id quod dicebat, practicum, & ſpeculatiuum eſſe differentias ſcientiæ finitæ: hinc redarguitur, ſi namque ſunt differentiæ ſcientiæ finitæ, ergo non poſſunt competere Theologiæ, quæ eſt ſcientia infinita; prob. ſequ. finitum enim, & infinitum ſunt membra diuidentia oppoſita; ergo non poſſunt paſſiones vnius competere alteri; ergò practicũ, & ſpeculatiuum, quæ ſunt differentiæ ſcientiæ finitæ, non competent Theologiæ infinitæ. Præterea practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentiæ ſcientiæ in communi, non ſcientiæ in ſpeciali: at Theologia non eſt ſcientia in communi. cùm ergo ſit particularis vindicabit ſibi vel practicum, vel ſpeculatiuum; ſiuè ergò conſideretur eminenter, ſiuè formaliter, non erit ſimul practica, & ſpeculatiua.

Habitus Theologiæ non diuiditur in practic, & ſpeculat.

6 Secunda aſſertio, habitus Theologiæ non eſt duplex, veluti practicus vnus: & alter ſpeculatiuus, ſed vnus eſt contra Gothfred. & probatur à Scot. habitus non habens euidẽtiam ab obiecto non diſtinguitur ſecũdùm diſtinctionem obiectorum; aliàs oporteret ponere duas fides infuſas: iſte habitus non habet euidentiam ex obiecto; igitur non diſtinguitur ſecundùm diſtinctionem obiectorum; ergo non erit

duo

duo habitus, alter reſpectu operabilium, alter reſpectu ſpeculabilium. Inſuper opinio hæc de duobus habitib. quamuis poſſit habere probabilitatem aliquam de Theologia, prout tradita in ſcriptura, licèt namq; totius Theologiæ ſubiectum ſit Deus, tamen in libris particularibus ſcripturæ poſſent haberi diuerſa particularia ſubiecta, vt in libris Moyſis de creatione Orbis, de Diluuio, de liberatione Populi, de lege Dei, & ſimiliter in libris alijs, tum Regum, tum Prophetarum; nihilominus loquendo de Theologia in ſe, & cõpletè tradita, nõ dantur diſtincti, ſed vnicus habitus, & totalis, ratio quia vnum eſt ſubiectum totale, tum Scripturæ ſacræ, tum Theologiæ, quod eſt Deus, ergò habitus vnus totalis. Inſuper ſcientiæ omnes debent reduci ad vnam perfectiſſimam, & eminẽtiſſimam: hæc autem eſt Theologia, ergò ipſa erit vna, ergò habitus vnus. Denique illa ſcientia eſt practica (& eſt argumentatio ad hominem) in qua non non traditur tractatio de ſpeculabilib. magis, quàm eorũ cognitio pertineat ad praxim: at in Theologia ſi agitur de ſpeculabilibus, vtique agitur de eis in in ordine ad praxim. minor prob. in Theologia non agitur de fine, & de his, quæ ſunt ad finem, ſiuè de cõditionibus appetibilitatis, & conſequutionis finis, non inquam agitur de his, niſi in ordine ad praxim, puta dirigendo intellectum, & voluntatem circa conſecutionem debitã ipſius vltimi finis, ergò abſolutè erit non ſpeculatiua, ſed practica. Vnde fit, vt cùm agitur de ſpeculabilib. non ibi figendus eſt intellectus, ſed tranſeundum ad regulandam voluntatem in ordine ad legem implendam, Deum, proximumq; amãdum, in ordine ad praxim, quia *finis legis eſt dilectio*. Confirmatur, quia contingit voluntatem neſcire Deum amare: ignorare qualiter Trinitatem debeat colere, & adorare: quidnã pro Incarnationis beneficio rependendũ ſit Deo, & huiuſmodi; indè verò intellectus contemplabitur, ſpeculabitur, diſcurret per ſingula, vnde illuſtratus ſuperno lumine docebit ſic Deum eſſe colendum, ſic Trinitatem adorandam, ſic ipſam amandam, ſicque eidem beneficia eſſe rependẽda, ſiuè gratiarum actiones referendas; non ergò figitur intellectus in pura ſpeculatione eorum.

7. Tertia aſſertio, Theologia tum Viatorum, tum Comprehenſorum eſt practica, non autem ſpeculatiua. Scot. vbi ſup. intelligitur verò tum de Theologia neceſſariorum, vt Deus eſt Trinus, & vnus, tum contingentium, vt Verbum eſt incarnatum &c. prob. illa cognitio eſt practica, quæ eſt prior naturaliter, & conformis, ſeu directiua volitionis rectæ: Theologia eſt talis, ergò: maior probata remanet ex præc. art. probatur minor, ſubiectum Theologiæ Deus eſt virtualiter conformis volitioni creatæ rectæ in ratione diligibilis; ratio, quia ab ipſo Deo deſumuntur priora principia rectitudinis, vtputa Deus eſt colendus, amandus; ergò virtualiter continet rectitudinẽ creatæ volitionis, & creatæ intellectionis, qua intelligimus Deum eſſe amandum, quia ipſe Deus continet virtualiter omnem rectitudinem tum intellectionis, tum volitionis creatæ rectæ: ergò Theologia habita de eo erit practica. Item Deus eſt finis vltimus tum Viatorum tum Beatorum, ergò eorum Theologia eſt practica. prob. conſequ. principia ſumpta à fine practico ſunt practica: finis autẽ Beatorum & Viatorũ eſt amor, & fruitio, & obſequium Dei, quæ omnia ſunt praxis. Inſuper finis legis eſt operari practicè: prob. Matt. 22. *Diliges Deum ex toto corde tuo. & proximum ſicut te ipſum*, inquit Chriſtus Dominus; & rationem ſubdens ait, *ab his enim tota lex pendet, & mandata*; itaque tota Dei lex, & Theologia pendet ab obſeruantia practica legis. Rurſus lex ipſa non ſola ſpeculatione contenta eſt, ſed ordinatur ad praxim. prob. Ioan. 20. *hæc ſcripta ſunt vt credatis: & credentes vitam habeatis in nomine Ieſu*, vbi ſacer textus non ait, *hæc ſcripta ſunt, vt credatis ſolummodo*; non enim ibi ſiſtitur: ſed tranſit vltro, dicendo, *vt credentes vitam habeatis*; quapropter non erit ſpeculatiua contẽplatione, ſiuè ſpeculatiua fide, ſeù credulitate contenta Theologia, ſed praxim exiget, & ad praxim vlterius ordinatur. Rurſus illa

Theologia Viatorum, & Beatorũ eſt practica tum neceſſariorum, tum cõtingentium.

Lex ordinatur ad praxim.

ſcientia eſt practica, in qua, licet agatur de ſpeculabilibus, tamen non tractatur de eis magis quàm requiratur ad praxim, & ad cognitionem practicam: taliter verò ſe habet Theologia: probata eſt minor, quia quæcunque in ea aguntur, quæ videntur ſpeculabilia, ſiue de fine, ſiue de medijs, & circumſtantijs finis, eatenus in ea tractantur, quatenus dirigunt intellectum ne erret circa cognitionem finis, & inflammant voluntatem ad proſecutionem eiuſdẽ finis. Rationes hæ militant de Theologia tum neceſſariorum, tum contingẽtium. adeſt inde ratio altera, militans pro ſola Theologia contingentium, illa notitia eſt practica, quæ eſt prior praxi, & directiua praxis, & nulla notitia eſt directiua praxis, niſi notitia illa ſit recta, ab illa namque pendet rectitudo praxis: ſed rectitudo primaria omnis creatæ praxis de contingẽtibus pendet primario à voluntate diuina, patet, quia ipſa eſt prima regula infallibilis, indefectibilis, & inobliquabilis omnis humanæ, & Angelicæ rectitudinis; ergo Theologia Angelica, & humana eſt practica. Dices ad Angelos nõ ſpectare multa cõtingentia, vtputa Incarnationem, Sacramenta, & huiuſmodi, ergò non eſt practica cognitio horum. Reſpond quidquid ſit de his, nihilominus, ait de Angelis Ioannes Apoc. 7. *quod ipſi quoque vicerunt in ſanguine Agni:* cùm verò ſub lite ſit an Chriſtus meruerit eis, tamen tenentur angeli colere, & adorare incarnatum Verbum iuxta præceptum Apoſtoli, *& adorent eum omnes Angeli eius:* adoratio autem eſt praxis, quæ conſiſtit in reuerentia, & amore ipſius Chriſti. quod amplius patuit in deſerto, vbi deuicta trina tentatione, *acceſſerunt Angeli. & miniſtrabant ei.* in ipſo etiam Incarnationis tempore quoque facta fuit *vox Angelorum canentium, gloria in excelſis Deo:* ſicut paſſim Scripturæ myſteria enarrant Angelorum in obſequium Chriſti. Circa neceſſaria autem de ipſo Deo, idem dicẽdum, ac de Theologia hominũ, ipſi. n. Trinitatis arcana contemplantur practicè in ordine ad amorem Dei, ac laudem ſanctitatis eius, vnde canunt alter ad alterum dicentes *Sanctus Sanctus Sanctus, plena eſt omnis Terra gloria eius.*

Hebr. 1.

Matt. 11.

Luc. 2.

Iſa. 6.

8 Denique ſententiam noſtram confirmat apertè Apoſt. Rom. 13. *finis legis eſt dilectio.* at dilectio eſt praxis, ergò Theologica eſt practica. Matt. 22. *in his duobus præceptis tota lex pendet & mandata:* nempè à dilectione Dei, & proximi. Inſuper Aug. de laud. char. *ille tenet*, inquit, *quidquid latet, & quidquid patet, in diuinis ſermonibus, qui charitatem ſeruat in moribus:* ecce quomodo diuinus ſermo Theologicus ordinatur ad dirigendos mores, & ad praxim. Et profectò ſententia iſta nedum eſt rationabilis, tot rationibus vrgentiſſimis roborata, ſed piiſſima, etenim inuitat nos ad Dei amorem, legis obſeruantiam, ac propriam ſalutem; hoc namque docet ipſa fides, ipſa diuinæ ſcripturæ, ac ipſa Theologia.

ARTIC. IV.

Vtrum Theologia Dei ſit practica, vel ſpeculat.

QVæſtio de Theologia Dei transfertur ad materiam de ſcientia Dei, ibiq; diſcutietur quid ſentiendum de Theologia Dei.

ARTIC. V.

Soluuntur argumenta pugnantia contra præcedentem articulum.

1 PRimo arguitur aliquibus argumentis Scoti allatis contra ſe ipſum, inde aliorum: arguitur autem cognitio dicitur practica à fine: at Deus licet finis ſit noſter vltimus, tamẽ in Theologia nõ cõſideratur vt finis, ſed vt Deus, ergò nõ eſt practica, maior prob. cognitio practica pẽdet à principijs practicis: at principia ſunt practica à fine practico. Reſp. notitiam

An notitia practica à fine.

eſſe practicam nō à fine formali, quod eſt reſpectus ille, ſiue non à fine vt finis eſt, ſed à fine obiectiuali, obiectum verò eſt Deus, & ab eo ſumuntur principia virtualiter continentia noſtram praxim, ſiue obiectum eſt hæc eſſentia, vt directiua praxis.

2 Obſtatur cognitio de Deo non eſt immediatè directiua praxis: vtpote Deus eſt ſummum bonum, infinitum, independens, ens neceſſe eſſe, & huiuſmodi, quæ non immediatè dictant de praxi. Reſp. nihil refert vt dictet mediate, vel immediate, formaliter, ſiue actualiter, an aptitudinaliter; quocunque modo dictet, id ſufficit, vt ſit practica.

Propoſitio, Deus eſt Trinus, & vnus, eſt practica.

3 Obijcitur, hæc Deus eſt trinus, & vnus, Pater generat Verbum: Pater & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, ſunt omnino ſpeculatiuæ, vt de ſe patet. Reſp. omnes has propoſitiones eſſe practicas, quia virtualiter dirigunt ad praxim: vnde hæc Deus eſt trinus, & vnus dictat adorandas eſſe omnes tres perſonas abſq; excluſione vllius, aliàs adorationis actus non eſſet rectus: Hæc Pater generat Filium, & vterque producit Spiritum Sanctum, dictant diligendas eſſe ipſas perſonas tum producentem Patrem, tum Filiũ productum, tum etiam diligẽdam eſſe tertiam procedentem ab vtràque.

Dilectio terminatur ad eſsẽtialia, & notionalia.

4 Obijcies actus dilectionis terminatur ad eſſentialia non ad perſonas: maxima autem pars Theologiæ eſt circa perſonalia, ergo hæc Deus eſt trinus, non eſt directiua amoris. Reſp. actum dilectionis terminari ad eſſentialia, & notionalia: verum eſt tamen, ait Scot. quod ratio fundamentalis sũt ipſa eſſentialia, & prima radix eſt eſsẽtia, ſummè bona, & huiuſmodi: ex omnibus verò conſtituitur vnus terminus totalis, & adæquatus, quod eſt ipſa Trinitas.

Fides eſt habitus pract.

5 Inſuper fides eſt habitus ſpeculatiuus, ergo Theologia ſpeculatiua: prob. antec. Ioan. 20. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis*; credere autem non eſt praxis, quia eſt actus intellectus. Reſp. fidem eſſe habitum practicum, propterea quod eſt directiua, & ordinatiua credentis ad praxim: ad Ioannem verò dicitur, quod textus declarat ſeipſum, ſubdit enim, *Et vt credentes vitam habeatis*: vitæ autem credentium radix eſt amor, & charitas, inquit Auguſt. ergo credulitas ordinatur ad vitam amoris, & charitatis.

Non eſt de ratione ſciẽtiæ practicæ ſit de obiecto factibili ſufficit ſit de obiecto attingibili p operat.

6 Obſtatur, ſcientia practica agit de operabilibus, ac factibilibus: Deus autem non eſt obiectum operis, aut factionis. Reſp. non eſt de ratione ſcientiæ practicæ, vt ſit de obiecto factibili; id enim eſt per accidens; ſufficit autem eſſe de obiecto attingibili per operationem voluntatis, amoris, & dilectionis: loquendo de mechanicis, eę erunt artes practicæ, quæ circa obiecta verſantur attingibilia per veram factionem, vt ſecuris, aſciæ, & huiuſmodi: Theologia verò non vtitur corporea circa obiectum ſuum factione, cum Deus non cadat ſub potentia finita creaturæ, ſed vtitur intellectus, ac voluntatis actu operatiuo, ſiue operatione conſiſtente in praxi amoris, & practica Dei intellectione.

Omni ſciẽtia practica eſt aliqua ſpeculatiua nobilior, explicatur. *Ariſt. non nouit dari ſciẽtiã directiuã amoris circa vlt. finẽ.*

7 Inſuper omni ſcientia practica eſt aliqua ſpeculatiua nobilior: at nulla nobilior ſcientia Theologia. Prob. ex proæm. metaph. tum quia ſpeculatiua eſt gratia ſui; tum etiam, quia certior: practica minus certa, & gratia alterius, quia gratia vſus. Reſp. non cognouiſſe Ariſt. dari ſcientiam aliquã directiuam actus amoris circa vltimũ finem; non enim poſuit praxim voluntatis circa vltimum finem, ſed quandã ſimplicem motionem naturalem: quod ſi noſtram Theologiam, fidemq; cognouiſſet, vtique non dixiſſet omnem ſciẽtiam ſpeculatiuam eſſe nobiliorem omni ſcientia practica, ſed appoſuiſſet, vt nos ponimus, Theologiam practicam eſſe nobiliorem omni ſcientia ſpeculatiua.

Practica eſt gratia vſus exponitur.

8 Item cum verò dicit, practicam eſſe gratia vſus: per vſum intelligitur ipſamet dilectio, & fruitio, ordinabilis ad Deum diligibilem, & fruibilem: nō autem per vſum intelligitur aliqua factio de obiecto factibili; hæc enim eſt ignobilior, vt mechanicæ ſcientię, ſeu artes: at Theologia eſt gratia vſus, id eſt operationis potentiarum nobiliſſimarum, vt intellectus, & voluntatis. Dices, ignobilitatis, & imperfectionis eſt in ſcientia ordinari ad aliud; ergo

ſpeculatiua erit nobilior, quia eſt gratia ſui. Reſp. verum ſi id, ad quod ordinatur ſit inferius, & ignobilius ſe: at ſi erit nobilius, nedum non erit imperfectionis, immo perfectionis: taliter ſe habet ſenſitiua hominis, quæ eſt nobilior ſenſitiua bruti, quia illa ordinatur ad animam rationalem, quæ eſt nobilior bruto, ita Theologia ordinatur ad Deum, quo maius, & nobilius cogitari non poteſt, ideoq; erit practica, & nobiliſſima, licet ſit gratia alterius. Immo erit etiam gratia ſui, quia erit gratia ſubiecti ſui, & non exibit limites ſui; non enim ordinatur ad ſcientiam alteram, nec ad obiectum ſcientiæ alterius. Ad illud de certitudine, iam dictum in quæſt. de ſcientia, Theologiã eſſe certiſſimam, etiam de contingentibus, & certiorem cunctis; licèt namque penes obiecta contingentia non ſit talis, itaut aliqua alia ſit certior, quia de neceſſarijs, tamen aliunde certior, innititur enim primæ veritati ſub ratione reuelantis, vt ibi dictum. Cæterum, in communi loquendo, omnis ſcientia tum ſpeculatiua, tum practica eſt æquè certa ſecundùm proportionem; quia vnaquæque reſoluitur in ſua principia, quæ in ſuo genere ſunt certiſſima; licet non ſit æquè certa ſecundùm quantitatem, quia obiectum vnius erit certius altero; itaut geometricè ſint æquè certę, non arithmeticè. Theologia verò omni omnino ſcientia eſt certior, & certiſſima; itaut nulla certior; certiſſima quidem tum ſecundùm proportionem geometricam, tum arithmeticam. Plura Scot. addit ad hoc argum.

Theologia de contingentib. certiſſima.

9 Arguitur, Theologia eſt adinuenta omnibus neceſſarijs exiſtentibus, propter fugam ignorantiæ, quod patet, quia ſollicitudo circa neceſſariã impedit acquiſitionem huius ſcientiæ; ergo eſt ſpeculatiua. Reſp. licèt non ſit inuenta propter neceſſaria extrinſeca; quia medicina, & aliæ artes ſunt propter hæc extrinſeca; eſt tamen inuenta propter neceſſaria intrinſeca .ſ. propter moderantiam paſſionum, & operationum; propter cognitionem; & amorẽ Dei, ſalutem animæ &c. & hoc ſufficit, vt ſit practica: aliàs ſi ſcientia moralis non eſſet propter extrinſeca; nihil minus eſſet practica. Ad illud de ignorantia, inquit Scot. quod multò plura ſcibilia poſſent poni, ſed hæc ponuntur vt efficacius inducatur auditor ad operationem eorum, quæ ibi perſuadentur. quidquid tamen ſit, Theologia non eſt adinuenta ſolùm propter fugam ignorantiæ; ſed etiam propter erga Deum amorem, legis obſeruationem, & ſalutis, iuxta illud, *hæc ſcripta ſunt vt credatis, & vitam habeatis.*

Theologia adinuenta, propter fugam ignorantiæ, & propter moderantiam paſſionum, cognitionẽ, et amorem Dei.

10 Argues, Boet. de Trin. aſſignat tres partes ſpeculatiuæ, quarum vna eſt Theologia. Reſp. intelligere Metaphyſicam, quæ appellatur Theologia naturalis, quia etiã ipſa agit de Deo, ſub conceptibus tamen communibus.

11 Dices, hæc, *Summum bonum eſt diligendum: Benefacienti eſt benefaciendum; medicina Theorica eſt ſpeculatiua*: omnes hæ propoſitiones ſunt ſpeculatiuæ. Reſp. ſunt practicè ſaltim remotè, & virtualiter, vt eſt dictum. Ad illud de medicina patet ex 2. artic.

QVÆSTIO OCTAVA.

Quodnam ſit ſubiectum in Theologia.

ARTIC. I.

Referuntur, & refelluntur varia placita.

Varia placita Theologorum.

1 SEntentia eſt primo loco Magiſtri 1. d. 1. dicentis Theologiæ ſubiectum eſſe *res, & ſigna*: fundamentũ deſumpſit ex D. Auguſt. qui l. 1. de doctr. Chriſt. cap. 2. ait, *omnis doctrina, vel rerum eſt, vel ſignorũ*: Ægid. quodl. 3. q. 2. ponit pro ſubiecto Deum ſub aliquo reſpectu ad extra, vtpotè; *Reparatoris, vel Gubernatóris, vel Capitis Eccleſiæ.* Lynconienſis in Examer, ait eſſe Chriſtum, vt vnum triplici vnitate, prima, qua eſt vnum cum Patre, & Spirituſancto: ſecunda, quatenus eſt vnum cũ natura aſſumpta: tertia, quatenus eſt vnum, tanquam Caput Eccleſiæ cum ſuis membris. prob. Chriſto conueniunt aliqui articuli ſecundùm diuinitatem, qui non poſſunt cõpetere humanitati: & aliqui competũt humanitati, qui conuenire nequeunt diuinitati; ergò totus Chriſtus, prout amplectens vniuerſos fidei articulos erit ſubiectum. Item ſubiecta ſcientiæ debent eſſe partes, vel integrãtes ſubiecti primi, vel partes eius ſubiectiuæ: partes autem ſcripturæ non continentur ſic ſub Deo; prob. per Gloſas multas, quæ initio librorum aſſignant pro ſubiecto cauſas naturales, & materiales. quæ quidem competere nequeunt Deo, vnde Gloſſa ſuper Oſeam dicit; quòd materia illius libri ſunt decem Tribus. Inſuper in aliquo Scripturæ libro nihil peculiare de Deo narratur; niſi influentia eius generalis ad Creaturas. D. Bonau. quæſt. 1. prol. ponit Chriſtum, vt Saluator, & Redemptor humani generis. Henricus in ſumm. art. 29. quæſt. 2. ſub ratione credibilis. Varro quæſt. 6. prol. ſub ratione boni. Thomas Argentin. quæſt. 1. prol. art. 1. ſub ratione diligibilis. ac Bacchon. q. 3. prol. quatenus eſt nobis cognoſcibilis in Scriptura. Alij denique ſub ratione aliqua attributali, vt ſub ratione boni, vel entis infiniti, vel neceſſe eſſe: vel ſub ratione communi, & vniuerſali, vt entis &c.

2 Supradictæ tamen ſententię ſtare non poſſunt; & ideo impugnantur. & primo illa Magiſtri: & quidem res, & ſigna ſunt valdè communia, competunt enim omnibus artibus; & ſcientijs, in vnaquaque enim agitur de rebus, & ſignis talis artis; ergò vnum erit omnium ſcientiarum, & artium ſubiectum, igitur de vnaquaque ſcientia nõ oportebit inquirere ſpeciale ſubiectũ, quia continuò dicetur, ſubiectum eſſe res & ſigna. Item res & ſigna ſunt ſubiectum valdè vniuerſale: ſubiectum verò ſcientiæ debet eſſe proprium talis ſcientiæ, ac determinatum, ita ut ſit illius, & non alterius ſcientiæ, aliàs nõ cenſebitur eſſe adæquatum talis ſcientiæ. Ad fundamentum ex Auguſt. vtique omnis doctrina vel eſt rerum, vel ſignorum: attamen ea nón ſunt ſubiectum primarium, ſpeciale, & adæquatũ huius ſcientiæ, erunt verò ſubiecta, ſed non primaria ipſarum ſcientiarum. & loquendo de rebus; inter ipſas datur realitas vna, quæ ſit omnino prima in tali ſcientia, aliæ nõ ſic primæ, ſed pullulãtes à prima: hæc quidem tanquam primaria erit ſubiectum, non illæ.

Impugnatur ſenten. Mag.

3 Se-

Impugnat Aegid.

3 Secundo impugnatur opinio Aegid. ſcientia conſiderans ſubiectum ſuum ſub aliquo reſpectu non reali, ſed rationis, non eſt ſcientia realis, ſed rationis, & propterea Logica eſt ſciẽtia rationalis, conſiderans de ente rationis, non realis: at reſpectus Reparatoris, & Capitis Eccleſiæ ſunt in Deo reſpectus rationis, vt patet, quia ſunt ad extra, ergò Theologia non eſt ſciẽtia realis. Item nullum vnum ens per accidens eſt ſubiectum alicuius ſcientiæ: abſolutum, & reſpectiuum faciunt vnum per accidens, vt Deus ſub reſpectu ad extra, ergo vt ſic non eſt ſubiectum. Inſuper reſpectus ad extra non conueniunt Deo neceſſario, ergo nulla Theologica veritas eſſet veritas neceſſaria.

Impugnat. Lyncon.

4 Tertiò impugnatur Linconienſis, quæ impugnationes militant ſimul ad opinionem D. Bonau: & quidem ſi Chriſtus eſſet primum ſubiectum, ſequeretur quòd veritates neceſſariæ de Patre, & Spiritu S. non eſſent Theologicæ, puta, Pater generat, Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio: item nec veritas contingens de ijs, vt Pater creat cum Filio, & Spiritu ſancto, Spiritus ſanctus miſſus eſt viſibiliter, & inuiſibiliter: nec veritates neceſſariæ de Deo trino, & vno, vt Deus eſt omnipotens, immenſus, & huiuſmodi: nec veritates contingentes de eodem trino, & vno, vt Deus creat, & conſeruat, &c. probatur conſeqn. quia nulla veritas pertinet ad aliquam ſcientiam, niſi ſit de ſubiecto primo, vel de parte ſubiectiua, vel integrali, vel eſſentiali eius, vel de aliquo attributo eſſentialiter ad ſubiectum: ſed Pater, vel Siritus ſanctus, vel Trinitas nõ ſunt Chriſtus, nec pars aliqua dictorum modorum, nec attributum ad Chriſtum eſſentialiter, inquit Scot. prob. quia cùm Chriſtus dicat etiam naturam humanam, ſequitur quòd vt habens naturam creatam erit eſſentialiter prior Patre, vel Spiritu ſancto, vel Trinitate, quia eſſentialis attributio non eſt, niſi ad eſſentialiter prius. tum etiam, quoniam idem Chriſtus ſecundùm diuinitatem, in quantum eſt Verbum non habet talem prioritatem, vt ſecundùm eam poſſit Pater, vel Trinitas ad eum attribui, quia Verbum eſt ſecunda perſona, quæ non eſt prior Patre, nec Deitate, nec eſſentia diuina. ſequeretur ergo quod eſſentia, & Trinitas eſſentialiter attribueretur ad Chriſtum, veluti ad ſubiectũ, vel ratione humanitatis, vel diuinitatis. primum omninò implicat, cùm Deus nõ pendeat à creatura: & de Verbo iam conſtat non eſſe primam perſonam in Trinitate, nec priorem Patre, nec Deitate. Dices ſaltem erit talis in ordinem ad Spiritum Sanctum, cùm Verbum ſit prius eo. Reſp. quòd prioritas ſubiecti nõ exigit quãcunque antecedentiam, ſeù qualemcũque, ſed exigit omninò primam, ita ut ſubiectum ſit omninò primum in tali ſcientia, aliàs paſſio prior poſſet eſſe ſubiectum in ordine ad paſſionem poſteriorem; Verbum verò non eſt omnino primum in Trinitate, cùm non ſit prius Deitate, nec Patre. Item ad principale, veritates neceſſarias de Patre, Spiritu ſancto, & Trinitate impoſſibile eſt contineri virtualiter in Chriſto. prob. ſi Verbum non fuiſſet incarnatum, nihil minus veritates illæ fuiſſent neceſſariæ. Inſuper aliàs tales veritates de Deo penderent ab ipſa incarnatione: at veritates illæ ſunt neceſſariæ, vt Deus eſt trinus, & vnus, infinitus, immẽſus, & huiuſmodi, incarnatio eſt contingens, & temporalis. Rurſus, non poſſet tradi de Deo diſtinctiſſima cognitio, qualis dabilis eſt à ſubiecto Theologiæ. prob. Chriſtus eſt perſona ſolius Verbi, non Patris, non Spiritus sãcti, ergo ſi Chriſtus eſt ſubiectum, non vtique traderetur diſtincta cognitio de omnibus perſonis, ſed ſolius Verbi. Confirmatur, quia diſtincti ſunt articuli de Patre, Spiritu ſancto, & Chriſto tum ſecundùm humanitatem, tum ſecundùm Diuinitatẽ. Vltimo concluditur intentum ex optimo Scoti diſcurſu, ſi ſubiectum medicinæ ſit corpus humanum, & paſſiones talis ſubiecti ſint ſanum, & infirmum: atque eius ſubiecti ſpecies ſint corpus ſanguineum, flemmaticum, cholericum, melanchonicum: ſi quis diceret primum, & adæquatum ſubiectum eſſe ſanitatem, vel ſanguinem, cæteroſq; humores, malè diceret, etenim hæc non ſunt prima in tali arte, prins namque

eſt

eſt corpus humanum, quã cætera huiuſmodi, priuſque eſt ſubiectum ſua paſſione, aliàs paſſio eſſet prior ſeipſa quatenus ſubiectum,& paſſio: ita à pari, ante notitiam Chriſti præcedit notitia Patris, Pater enim prius eſt Verbo: ante humanitatem Chriſti prior eſt tota Trinitas: ante perſonas prior eſt ipſa Deitas; quapropter Chriſtus non habebit rationem omnino primi. licet verò D. Bonau, hanc exprimat ſententiam, nihilominus loquendo de ſubiecto radicali,& primario non negat eſſe ipſum Deum, vt Scotus, ait namque in prima ſua ratione fundamentali ſic, *illud eſt ſubiectum in ſcientia, de quo,& de eiuis proprietatibus eſt ſcientia tota: ſed de Deo,& eius operibus eſt totus iſte liber, ergò.* intendit verò ſubiectum aſſignare, prout complectens omnia ipſius Theologiæ, tum ad intra, tum ad extra,& ab hoc nec diſcrepat Scot. vt in art. ſequ.

Explicatur. D. Bonau.

5 Ad rationes verò Lynconienſ. reſpõdendo dicimus ad primam, quòd veritates contingentes de Chriſto non reducuntur ad humanitatem primo, ſed ad Verbum diuinũ, inquit Scotus, nempè primo, quia primæ propoſitiones de Chriſto ſunt iſtæ, Verbum eſt incarnatum, aſſumpſit humam naturã, indè verò ſubſequuntur aliæ, vt paſſus, mortuus,& huiuſmodi: quæ denique vltimato,& primitus reducuntur ad Dei voluntatem, vtputa, quia Deus vult, agit enim liberè ad extra.& ſi veritates tales reducuntur ad humanitatem, quia poſſet argui, quòd paſſio,& mors inhæret ratione humanitatis, ergò humanitas eſt ſubiectum, reſpõdet Scot. quòd humanitas non eſt ratio primi ſubiecti, ad quod ſtet vltimata reſolutio, ſed eſt, inquit, quaſi paſſio prior, medians inter primum ſubiectũ iſtarum veritatum, quod eſt Verbum,& alias poſteriores paſſiones, vt natus, paſſus,& ſimilia. Ad ſecundam, ſimiliter ad tertiũ, nullus eſt ſacræ Scripturæ liber, in quo nõ agatur de Deo,& ita Deus erit ſubiectũ in tota ſcriptura: q̃ ſi hiſtoria aliqua narratur, vt in libris Moyſis, Regum,& alijs, hiſtoria talis non eſt ſubiectum primariũ, ſed remotum, inquit Scot. agitur enim quandoque, ſiuè de creatione, ſiuè de liberatione Populi, ſiuè de bello, ſiuè de flagellis, morte,& huiuſmodi, omnia quidè hæc non enarrantur à ſacris Scriptoribus in ordine ad ſe principaliter, ſed principaliter in ordine ad Deum, vt oſtendatur Deum Creatorem, ſupremumque Moderatorem, ac vniuerſorum Iudicem,& Cenſorem; & ex hoc patet differentia inter ſacras,& prophanas hiſtorias: in ſacris namque agitur principaliter de Deo, de creaturis ſecundario; in prophanis principaliter de creatura, de Deo per accidens; ſi namq; liberatio Populi de Ægypto deſcriberetur à prophano Authore, principale ſubiectũ eſſet Populi liberatio, prout talis Populus dicitur erutus de manu Pharaonis, per accidens verò intenderet agere de Deo liberatore: at Moyſes principale ſui Penthateuchi ſubiectum ſtatuit ipſum Deum. quapropter Deus eſt principale ſubiectum ſacræ Scripturæ.

Reſpondetur obiectionibus Lync.

Differẽtia inter ſcriptores ſacros & prophanos.

6 Sententia etiam aſſerens ſubiectum eſſe Deum, ſed ſub ratione communi entis, eſt minus probabilis, ſuadetur, conceptus communes non continent virtualiter notitiam veritatum per ſe,& propriè Theologicarum, vt Deus eſt trinus,& vnus, Deus eſt incarnatus, ergò non eſt vt ſic ſubiectũ. prob. anteced. aliàs concipiendo Deũ ſub ratione entis haberemus de eo notitiam Trinitatis, Incarnationis. Item ad hæc non potuit Philoſophus attingere ex ſua Metaphyſica, conſiderante ens,& rationes communes. Inſuper ſi, ſic; ergo Theologia non eſſet de ijs, quę ſoli Deo nota ſunt: ea autem ſunt Trinitas, prædeſtinatio, reprobatio,& huiuſmodi, poſſemus enim & nos ex talibus communib. conceptib. cognitionem iſtorum comparare.

Eſſe ſub ratione communi entis impugnatur.

7 Nec ratio attributalis, vt bonitas poterit eſſe ratio ſubiectiua. prob. attributa ſe habent inſtar, ſeu quaſi paſſiones: at paſſio non eſt primum in ſua ſcientia, cùm ſit poſterior ſubiecto. Itẽ paſſionis probatio reduceretur ad aliã anteriorem paſsionem, tanquam ad primam radicem; at radix paſſionum eſt ſubiectum. Inſuper licet ratione identitatis eſſentia,& attributa ſint idem,& ambo increata, tamen attributa emanant ab eſſentia, ergo non præ-

Sub ratione attributali impugnatur.

præcedūt, ergo eſſentia eſt prior; quia qualis ordo eſſet ſi verè cauſarentur ab eſſentia, talis modo eſt, cùm non cauſantur, ſed pullulant ab eſſentia: at tunc eſſentia eſſet prior, ergo & modo. Demum eſſentia eſt actualius attributis, patet, quia vnica, & non communicabilis ad extra.

ARTIC. II.

Reſpondetur ad quæſt. iuxta multiplicem acceptionem Theologiæ.

Subiectum materiale Theologiæ in ſe eſt Deus quoad veritates neceſſarias.

1 OPinionibus præcedentibus exploſis remanet vt aliter quæſtioni reſpondeamus. Primo autem dicimus. Subiectum materiale Theologiæ in ſe, eſt Deus, quantùm ad veritates neceſſarias. eſt Scoti 4. quęſt. prol. prob. primum ſubiectum continet virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectū: ſed nihil virtualiter continet veritates omnes Theologiæ, niſi Deus, ergo Deus eſt ſubiectum. prob. min. nil aliud continet eas, nec vt cauſa, nec vt effectus: prob. primo: nil aliud eſt cauſa earum, niſi ſolus Deus; etenim veritates Dei ſunt à Deo; non enim Trinitas. & perfectiones Dei ſunt niſi ab ipſo Deo, non .n. ex effectibus deuenire poſſumus in cognitionem eorum, quæ ſunt propria ex proprijs ipſius Dei, vt Trinitas, aliàs naturaliter cognoſceremus Trinitatem ex Creaturis, ergo ſubiectum eſt ipſe Deus. Inſuper, Theologia eſt de ijs, quæ ſunt ſoli intellectui diuino naturaliter nota: ſolus autem Deus eſt ſibi naturaliter notus. prob. anteced. ſi Theologia eſt de aliquibus intellectui creato naturaliter notis, ergo præter iſta danda ſunt alia cognoſcibilia, non quidē ab intellectu creato, ſed increato, & diuino, quia diuinus intellectus eſt cognoſcitiuus plurium, quàm creatus: de illis autem danda erit aliqua ſcientia ſuperior ad ſcientiam naturalem creatam, illa vero erit Theologia. Antecedens Scoti non intelligitur abſolutè de omnibus veritatibus Theologicis, etenim Deum eſſe, atque primum Motorem, & vltimum finem eſſe, & huiuſmodi, hæc naturaliter cognouere etiam Philoſophi, intelligitur autē de conceptibus proprijs ex proprijs, vt trinū &c. Item probatur principale intentum, in nulla ſcientia traditur ita diſtincta cognitio de aliquo, quod non eſt ſubiectum eius, ſicut traditur de eius ſubiecto; prob. aliàs non magis hoc, quàm illud eſſet eius ſubiectum; nam diſtinctiſſima cognitio in vna quaque arte, & ſcientia eſt illa, quæ in ea traditur de eius primario ſubiecto, cognitio namque cæterorum in tali ſcientia pendet ab hac: ergo ſi Deus non eſt hic ſubiectum, non vtique de eo traditur diſtincta cognitio in Theologia; ergò diſtinctior poſſet tradi in alia ſcientia: at nulla alia eſt talis, non Metaphyſica, quia non agit de Trinitate, non alia, quia omnis alia præter Theologiā eſt inferior ad Metaphyſicam, ergò dum in ſola Theologia traditur talis cognitio, ſequitur, vt Deus ſit eius ſubiectum. Perſuadetur inſuper.

Theologia partim eſt ſciētia, partim ſapientia.

2 Aug 3. de Trin. cap. 19. ait quòd Theologia ex aliqua parte eſt ſciētia, & ex altera eſt ſapientia: ſi verò eſſet ſolummodo de rebus creatis, & temporalibus, eſſet ſolummodo ſcientia; cùm igitur ſit etiam ſapientia, erit vtique de rebus etiam ſuperioris ordinis, eſt enim ſapientia de æternis, vt dictum fuit, & ita erit de Deo, vt de primo ſubiecto. Secundò, portio nobiliſſima debet perfici habitu nobiliſſimo: portio ſuperior intellectus noſtri eſt talis, ergò perfici habet habitu Theologiæ nobiliſſimo; prob. conſequ. aliàs ſi Theologia non eſſet ſufficiens ad adęquandam perfectam portionem intellectus noſtri, daretur ſcientia aliæ nobilior Theologia, perficiens adæquatè nobiliſſimam portionem intellectus creati. Tertiò ex Aug. 14. Trin. c. 1. & 4. *Theologia eſt de numero illorum, quibus fides gignitur, defenditur, & roboratur*; ergò eſt de eodem obiecto, de quo eſt fides: fidei autem obiectum eſt Deus, ergò idem erit & Theologię. Quartò nobiliſſima ſcientia eſt de

nobi-

nobiliſſimo obiecto 6.met.t.1. & 2.de an.tex.1.eſt verò Theologia nobiliſſima omnium,ergò de Deo, veluti ſubiecto.

Subiectum adæquatū totius Theologiæ eſt Deus cum creatura.

3 Dicimus ſecundò, ſubiectum materiale adæquatum, & completum totius Theologiæ non eſſe Deum ſolum, ſed Deum ſimul cum ipſa creatura. videretur aſſertio hæc dura Scotiſtis, vtpote diſcedens à doctrina Scoti, verum attendant Scotum, & fatebuntur eſſe apertam mentem Scoti. Ipſe igitur in fine impugnationis D.Bonauent.ſub litt.P. ita ait, *& tunc ſaluabitur, quòd omnis veritas Theologica vel eſt de primo ſubiecto puta quę eſt in Deo per rationem Dei; vel quaſi parte ſubiectiua primi ſubiecti puta, quæ eſt propria alicui perſonæ: aut de aliquo quod attribuitur ad ſubiectum primum, vel quaſi partem ſubiecti, vtputa de creatura, quātum ad reſpectum, quem habet ad Deum, vt Deus: & de natura aſſumpta, quantū ad reſpectum, quem habet ad Verbum, ſubſtentificans.* inuoluit ergò Scotus in completa ratione ſubiecti etiam ipſas creaturas, ergò adæquatum materiale ſubiectum eſt Deus cum Creaturis. & idem Scot. q.3. lat. prol. docet Theologiam Dei admodum differre à noſtra, & Beatorum; ſiquidem illa eſt de omnibus, noſtra verò, & Beatorum eſt tantummodo de ijs, quæ Beatis reuelantur in Verbo, & Viatoribus per fidem: quòd ſi Dei Theologia, & in ſe, eſt de omnibus; ergò erit etiam de Creaturis. Inſuper myſteria, ſiuè creationis, ſiuè conſeruationis, tum etiam myſteria quæuis tum naturalis, tum ſupernaturalis ordinis, & Incarnationis, Sacramentorum, gratiæ, & gloriæ, & huiuſmodi, vtique omnia dicunt attributionem ad Deum, tanquam ad authorem, & reſtauratorem naturæ, & de omnibus his agit fides, agit Theologia, ergò obiectum materiale adæquatum erit Deus vnà cum creaturis, & ad hunc ſenſum trahendus etiā eſt D.Bonau. Accedit, quæcunque habēt eſſe, vel ſunt in Deo formaliter, vel attributionem habent ad Deum, vel ſunt in eo eminenter, & virtualiter. primi generis eſt Trinitas cū ſuis perfectionibus. ſecundi, & tertij generis ſunt creaturæ; at Theologia agit de his omnibus. denique agit Theologia de omnibus, quæ competunt Deo tum ad intra, tum ad extra: de illis formaliter, de his per cauſalitatem, & eminentialem continentiam, atque finalem reductionem; ergò à primo ad vltimum materiale adæquatum ſubiectum erit de Deo, & creaturis.

Dura Scotiſtis aſſertio, at vera de mente Scoti.

Subiectum formale, quod, eſt Deus ſub rat. Deitatis.

3 Tertiò dicimus, loquendo de ſubiecto formali, *quod*, illud eſt Deus ſub ratione Deitatis, ſeu quatenus hæc eſſentia: eſt eiuſdem Scot. ſupponimus verò ſubiecti diuiſionem, diuiditur nāque in materiale, & formale: primum conſtat, & de eo iam diximus: ſecundùm ſubdiuiditur in quod, & quo: primum eſt illud, quod eſt ratio terminādi ſcientiam: ſecundum eſt illud, quod eſt ratio ſecundùm quam obiectum mouet intellectum ad aſſenſum ſcientiæ, itaut non ſufficiat reſpondere interroganti, ſub qua ratione Deus eſt ſubiectum, non inquam, ſufficiat dicere, mouere ſub ratione Deitatis; nā de deitate quærimus, ſub qua ratione ipſa mouet noſtrum intellectū: & hoc præcipuè tenetur admittere Scotiſtæ, dum Scotus ait, vt videbimus, non ſub ratione Deitatis eſſe Deum obiectum Viatoris, ſed ſub ratione entis infiniti; igitur Deitas non eſt vltima ratio motiua. tum quoque, quia Deus ad extra mouet per fidem, per teſtimonia Prophetarum, Eccleſiæ, & mouet ſub ratione reuelantis, vt dicetur, igitur meritò diſtinguitur ſubiectum formale in quod, & quo.

4 Probatur verò aſſertio, primò ex confutatione cæterarum ſententiarum art. præced. adſtipulantium Deū ſub varijs rationibus eſſe ſubiectum, vt ibi; tum etiam ex diſcurſu, qui ſequitur. & quidem ratio Deitatis eſt prima, & nobiliſſima inter cæteras rationes obiectiuales, ergò Deitas erit obiectum formale. prob. ſiquidem adeò eſt prima in diuinis ad intra, vt ipſa Deitas, ſiuè eſſentia ſit prima radix: quam etiam Damaſc. appellat *Pelagus omnium perfectionum.* Inſuper eſt nobiliſſima, quoniam ipſa eſt prima ratio, qua Deus, qui eſt ens perfectiſſimū ſit Deus. Rurſus, omes Dei perfectiones ſunt poſteriores natura ad ipſam eſſentiam, ergò habent ordinem attributio-

butionis ad ipſam. Præterea, inquit Scot. Deitas eſt perfectiſſima, ergò ad illam, vt ſic, debent reduci omnia. Dices, etiam conceptus infinitatis, independentiæ, neceſſe eſſe, & huiuſmodi, ſunt perfectiſſimi, quomodo ergo reductionem habent ad Deitatem; tum quia ambo ſunt infita, eum quia ſunt idem. Reſp. licet ita ſit, tamen rationē infiniti, & perfecti non eodem modo poſſident eſſentia, modi intrinſeci, & attributa; ſiquidem infinitas, & perfectio eſſentiæ eſt radicalis, aliorum verò non item: item Deitas eſt infinita triplici modo infinitatis: radicalis, realis, & formalis, cætera verò modo duplici, vt realis, & formalis, relationes etiam perſonales ex Scot. vnico modo, nempè identicè. quapropter ſtat differentia in modo. item cætera pullulant ab eſſentia, mirum ergo non eſt, ſi non poteſt ibi adeſſe alia ratio prima obiecti formalis, niſi eſſentia, quia cætera ſunt ab eſſentia, & ipſa à nullo. Denique id conſtare poteſt ex alio cōſimili diſcurſu: & quidem homò poteſt intelligi ſecundùm varios conceptus, vtputa, iuxta quod eſt animal rationale, ſubſtantia, animal manſuetum in natura: vt animal omnium perfectiſſimū. primus horum conceptuum eſt quidditatiuus: ſecūdus eſt communis, quia prædicamentum ſubſtantiæ eſt commune: tertium eſt accidens abſolutum; & in quarto conſideratur in ordine ad aliud. Inter iſtas conſiderationes, cōſideratio prima eſt vtique perfectiſſima, quia propria, & quidditatiua: conceptus ſecundus eſt confuſus, quia in communi. conſideratio tertia non eſt adeo perfecta, quia ſupponit ſubiectū, tanquā accidens: & conſideratio quarta quia reſpectiua, præſupponit ſuum abſolutum: igitur cùm perfectior cognitio ſit quidditatiua; illa erit omnino prima, tum etiam, quia omnia hæc dicunt ordinem, & attributionem ad primam, & depēdent à prima. ita à pari de Deitate, demptis imperfectionibus, conceptus modorum, & attributorum, ſiuè relationum perſonalium emanant ab eſſentia, igitur ipſa veluti prima, erit ratio ſubiectiua formalis Theologiæ. multo magis id patet de reſpectibus ad extra creaturarum, omnia namque, vt diximus dicunt ordinē ad Deum.

Omnia sūt infinita ad intra, ſed non eodem modo, & ordine.

5 Quarto dicimus, loquendo de Theologia tum Dei, tum Comprehēſorum, in ſe, reſpectu neceſſariorum, ſubiectum formale eſt etiam Deitas, ſiuè hæc eſſentia. probata remanet, ſubiectum Theologiæ in ſe eſt Deus, ſub ratione Deitatis: ergo erit ſemper talis quantum eſt de ſe, in quocunque intellectu ponatur. Item penes nos, ſubiectum noſtræ fidei eſt Deus, idem verò eſt ſubiectum Theologiæ, quod fidei, vt ſup. viſum eſt. Demum penes Beatos viſio beatifica eſt de Deo, ſub ſub ratione Deitatis: non enim viſio eſt finis obiectiualis, ſed Deitas; Deus; tum etiam quia viſio dicit eſſentialem dependentiam ab obiecto, ergo obiectum, quod eſt Deus, & Deitas terminabit. & vtrumq; erit ſubiectum ipſorum Theologiæ, tum Dei, tum Beatorum.

Subiectum formale neceſſarium eſt Deitas, Theologiæ Dei, et Beatorum.

6 Quinto dicimus, ſubiectum Theologiæ Viatorum, reſpectu neceſſariorum, eſt Deus ſub ratione entis infiniti. eſt Scot. loquitur autem Scotus de obiecto euidentiæ, non continentiæ: nam Deus eſt primum ſubiectum continentiæ virtualis, vt vidimus: at infinitas eſt ſubiectum euidentiæ, vt dicetur, & ita intelligitur Scot. probatur verò, illud eſt ſubiectum primum primitate euidentiæ, quod eſt primo notum in tali ſcientia, & quod facit nos deuenire in cognitionem cæterorum talis ſcientiæ, at talis eſt conceptus infinitatis: prob. conceptus infinitatis eſt perfectiſſimus inter cæteros conceptus, quos in via habere poſſumus de Deo, & eſt nobis euidentior cæteris conceptibus de Deo, ergo. prob. aſſumpt. ſi namque quæras cur vna natura ſit in pluribus ſuppoſitis, reſpondebitur, quia infinita. cur Deus eſt trinus, & vnus, dicetur, quia infinitus. cur Deus poſſet infinitos Mundos creare, quia infinitæ potentiæ. cur poteſt de nihilo creare nulla præſuppoſita materia? ideo, qua infinitus, non indigens creatura ad operandum: hac quidem reſponſione reſoluuntur dubia plurima à poſteriori, & id recurrendo ad infinitatem: iſte ergò eſt conceptus nobis euidens, inquit Scot. per quem reſol-

Subiectum Theologiæ Viatorum reſpectu neceſſariorū eſt Deus ſub rat. entis infiniti.

ſolamus ea, quæ longè ſunt à nobis, & propterea ſub ratione infinitatis erit Deus obiectum Theologiæ noſtræ. Itẽ habitui non habenti euidẽtiam ex obiecto ſolùm adſcribitur ſubiectum illud, quod tãquam notum poteſt facere deuenire in cognitionem veritatum talis habitus: Theologia Viatorum nõ habet euidentiam ex obiecto, cùm ſit obſcura, & de fide, ergo habebit prò obiecto aliquod, quod tanquam notũ faciat deuenire in cognitionem ſuarũ veritatum: id verò eſt conceptus infinitatis, qui eſt nobis, inquit Scot. in cæteros notior. appellatur quoque primum primitate prædicationis, quia de eo tanquam noto prędicantur prędictæ veritates.

Subiectum primũ cont. ting. & neceſſ. eſt eſſentia.

7 Sextò dicẽdũ videtur, ꝙ loquẽdo de Theologia contingentiũ, ſubiectũ primũ eſt ipſa diuina eſſentia. eſt Scoti. prob. quia ipſa eſt omnino primum in Theologia, ergò erit tum neceſſariorium, tum contingentium primum ſubiectum. item primum ſubiectum primitate prædicationis de contingẽtibus, eſt etiam Deus, ad ipſum namq; tanquam ad primum omnino reſoluũtur omnes veritates contingentes. vt ſic ergò poteſt habere euidentiam iſta aſſertio Scoti, quatenus Deitas eſt primum omnino, in quod fiat reſolutio veritatum contingentium.

Dura Scotiſtis aſſertio.

8 Nihilominus aſſertio hæc dura videtur, vt primum ſubiectum ſit eſſentia; ratio dubitandi, quia voluntas eſt principium contingentium ad extra: & ſi eſſentia concurrit, prout concurrit, non vtique de ſe ſola creat, ſed cũ voluntate, & prout volens creat, vt loquitur paſſim Scotus, & Scotiſtæ. Itẽ ſequeretur veritates cõtingentes iam non eſſe contingentes, ſed neceſſarias, eſſent enim ab eſſentia, quæ vt præſcindens à voluntate conſideratur vt pura natura. Item in eodem loco videtur contradictoria docere Scotus, ſiquidem litt. N. in principio docet in contingentibus non eſſe aſſignandũ ſubiectum: & in fine concludit eſſentiã eſſe ſubiectum. Rurſus articuli noſtræ reparationis potius habere deberent diuinum Verbum, quia ipſum eſt incarnatum, ipſiuſque fuerunt actiones myſteriorum ſuę diuinę incarnationis.

Subiectum adæquatũ eſt eſſentia cum volũtate.

9 His ſtantibus, quæ magnam difcultatem faciunt penes Scotiſtas, & penes omnes, præter vltimum, dicimus primum ſubiectum primitate adæquationis contingentium eſſe Deum volentem, ſeu eſſentiam prout diuinæ coniunctam voluntati. prob. Deus agit ad extra liberè, & volens, ergò Deus volẽs eſt adæquatum ſubiectum. Rurſus ita paſſim docet Scot. de quo infra, docens ſiue voluntatem, ſiue eſſentiam volentem eſſe principium agendi ad extra. & demum id eſt de fide contra Philoſophos aſſerẽtes Deum agere ad extra neceſſario neceſſitate naturæ.

Eſſentia ſola ſubiectũ inadæquatum.

Dicimus inſuper ſubiectum inadæquatum vltimatæ, atque inadæquatæ reſolutionis contingentium eſſe eſſentiam nudam. prob. eſſentia eſt prima radix continentiæ tum eorum, quæ ſunt ad intra, tum ad extra, ergò reſolutio etiam eorum, quæ ſunt ad extra, fiet ad eſſentiam, veluti ad inadæquatum ſubiectum.

Eſsẽtia volẽs eſt primum ſubiectum primitate adæquatæ reſolutionis cõtingentiũ.

Dicimus vltrò, primũ ſubiectum primitate reſolutionis adæquatè contingentium eſſe eſſentiam, vt volentem. prob. quia reſolutio vltimata omnium ad extra ſtat ad diuinam voluntatem, vltra quam non eſt quærere anteriorem cauſam; ideo namque creat, prædeſtinat, & huiuſmodi, quia vult, ergò adæquata reſolutio ſtat ad Deitatem, ſiuè Deum volentem.

Eſsẽtia eſt contingentium ſubiectum primũ primitate euidẽtiæ, non cõtinentiæ.

Dicimus vltimo eſſentiam eſſe ſubiectum primum, primitate euidentiæ, non cõtinentiæ contingentium: hæc eſt mens Scoti. Ibidem namque negat eſſentiam continere contingentiam, quia ait, *nullum ſubiectum poteſt continere virtualiter, niſi veritates neceſſarias; nam de cõtingentibus æqualiter ſe habet ad ipſas, & ad oppoſitas.* hæc ſunt verba eius, de euidentia autem paulò infra docet; & patet ex dictis, quia vltimum, ſaltem inadæquatum ſubiectum materiale, in quod reſoluuntur omnia, eſt eſſentia; ipſa namque eſt prima radix, licet inadæquata, continens potentialiter, & vna cum voluntate virtualiter contingentia ad extra: vltra continentiam etiam eminentialem, qua eſſentia ſic eminenter continet omnia ad extra. ſic puto per hæc aſſerta explicandam eſſe mentem Scoti, quæ etiam vt ſic, debet eſſe omnium communis, & re-

cepta;ratio namque adæquata vltimata reſolutions ſtat ad eſſentiam volentem ; licèt inadæquatè ad ſolam virtutem infinitam eſſentiæ.

Soluuntur obiecta.

10 Ad rationes autem in oppoſitum, non poteſt negari eſſentiam eſſe ſubiectum talis contingentiæ ad extra; ratio,quia non ſola voluntas creat,ſed cum voluntate eſſentia:at prior eſt eſſentia voluntate in ratione eſſendi,ergò in ratione producendi ſi non adeſt prioritas,quia ſimul producunt:(licet aliquo modo cõſideretur vt prior volũtas, quia opus ad extra eſt opus voluntatis vt ſic)tamen non eſt excludēda eſſentia: iam verò eſt explicatum quomodo vtraque habeat rationem ſubiecti. Ad aliud,vtique contingentes eſſent neceſſariæ ſi ex ſola eſſentia fieret productio, fit autem etiam à volũtate, ideo contingentes. Ad contradictionem iam patet, quòd priori loco loquebatur de ſubiecto virtualis continentiæ, quomodo non continentur in eſſentia adæquatè, niſi poteſtatiuè, ſeù potentialiter, per infinitam potentiam, qua poſſunt vnà cum voluntate poni ad extra: in ſecundo verò loquitur de primitate euidentiæ,quoniam cur fiant res ad extra, nulla aſſignatur prima euidens ratio, niſi quia Deus vult, ad hanc enim reuocantur, & reſoluuntur omnes ad extra. Ad illud de Incarnatione, vtique reſolutio proximè,& terminatiuè ſtabit ad ipsũ Verbũ, quia ipsũ terminat; attamē prima radix contingentiæ ad extra eſt diuina volũtas, inde eſt vt vltima reſolutio ſit ad Deũ ita determinātem, & volētem.

Saluatur cõtradictio Scoti.

11 Dicimus ſeptimo,conditionem ſubiecti,*quo*, Theologiæ Viatorum eſſe Deum ſub ratione primæ veritatis in reuelando. prob.myſteria fidei ſunt obſcura,& patent ex ſola reuelatione, ſiuè mediata,ſiuè immediata, igitur vt ſic, erit ſubiectum tanquam prima veritas in reuelando. Da oppoſitum, & ſequetur quòd fidei myſteria noſcerentur naturaliter, vnde opus non eſſet Theologica facultate, nec fide. teſtatur id Chriſtus Matt.16.*caro,& ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cęlis.* Luc.10.*reuelaſti ea paruulis*: & ibid. *cui voluerit Filius reuelare.* 1. Cor.2. *nobis autem reuelatum eſt.* Galat. 3. *fidem, quæ reuelanda erat.* & paſſim in ſcripturis. Dixi,conditionē, non rationem,quia non dicimus reuelationem eſſe formale obiectũ Theologiæ Viatorum, ſed Deum ſub ratione Deitatis, hæc eſt aperta mens Scoti in 3.d.23. quæſt.vn. & prob. reuelatio eſt quid contingens , ergo non poteſt continere veritates neceſſarias de Deo,tanquam ratio formalis ſubiectiua. prob. ſequ. nam ſubiectum debet continere ex ſe veritates, de quibus faciat cognitionem: ſed contingens nõ cõtinet neceſſarium, aliàs neceſſarium eſſet effectus contingentis , imo non eſſet neceſſarium, ſed contingens.item habitus realis debet habere rationem ſubiectiuam realem:at reuelatio eſt reſpectus rationis,Theologia eſt habitus realis, aliàs eſſet intentionalis. deniq; id cõuincit optima ratio Scoti, nam ſi reuelatio eſſet ratio formalis obiectiua,igitur ideo credo Trinitatem, quia Deus reuelauit:at quæro, per quid, & quare cõuincor credere Deũ reuelaſſe:ſi dicas,credo reuelaſſe,quia ipſe dixit ſe reuelaſſe, at quæro inſuper vnde credo ꝙ dixerit ſe reuelaſſe, ſi dixeris, quia ita dicunt ſcripturæ,demum quæro cur credo ſcripturis, dixeris , quia Deus eas reuelauit , & iterum quæram, vt prius, & ibit proceſſus in infinitum.ita Scot.ibid.art.2.l 2.non ergo reuelatio , ſiuè actiua, ſiuè paſſiua,erit ratio formalis ſubiectiua Theologiæ Viatorum , erit autem reuelatio conditio,& diſpoſitio ipſius. prob.quia fides diuina non exit in actum ſine humana,Rom.x.*fides ex auditu*, igitur reuelatio ſiuè immediatè habita à Deo, ſiuè per fidē implicitè , ſiuè per ſacros Dei Verbi Præcones explicitè, ea quidem erit conditio obiecti noſtræ Theologiæ,& fidei, cùm per eam,tanquam per ordinariam diſpoſitionem diſponamur ad amplexandum ipſum obiectum fidei, & Theologiæ. Dices, in tantum credimus myſterijs fidei , in quantum reuelantur, aliàs dempta reuelatione non crederemus;ergo reuelatio eſt ratio formalis. Reſp.ly intantum,ſeù inquãtum, ſe tenere ſpecificatiuè , non reduplicatiuè , non enim eſt ratio formalis obiecti fidei , & Theologiæ , ſed conditio. hæc deberet eſſe

Deus eſt ſubiectum quo , ſub rat. prima veritatis in reuelando.

Deitas eſt obiectum formale: reuelatio eſt cõditio obiecti.

Scotiſtarum communis, quàm tamen aduerſans Scoto negat Smiſing. quæſt. 2. prol. nu. 65. & 66. atque Vulp. 1. p. d. 3. art. 4. aſſerentes formalem rationem eſſe, & ſub ratione reuelantis eſſe formale obiectum motiuè noſtræ Theologiæ: ille tamen deuictus Scoti authoritate, nec recedit à ſua ſententia: ſed ad Scotum reſpondens fatetur eſſe diſpoſitionem: at nihilominus argumenta alia pugnantia pro Scoto nititur (licet in caſſum) ſoluere, manifeſtè recedendo à Scoto. eſt ergò reuelatio non ratio formalis obiectiua, ſed conditio obiecti.

Smyſing. & Vulpes recedunt à ſuo doctore

12 Inter cæteras verò rationes in particulari, quas veluti notiores poſſimus habere de Deo, inquit Scot. eſſe rationem infinitatis: & hanc appellat etiam perfectiſſimam: quòd ſit perfectiſſima, de ſuo nomine patet; etenim infinitas indicat perfectionem vndequaque eminentiſſimam: & mediante ea dicitur Deus perfectiſſimus, & infinitus. quod verò ſit notior, iam oſtenſũ remanet in quinta aſſertione. indeque deducit Scot. ſub ratione infinitatis eſſe ſubiectum Theologiæ Viatorum.

Conceptus infinitatis in via eſt notior, & perfectior.

13 Verùm aduerſus hoc arguitur, primo, videtur ſibi Scotus inconſtans, nam ſ. ad primam quæſt. ſub lit. M. ait idem eſſe ſubiectũ Theologiæ noſtræ, quod eſt Theologiæ in ſe: ſed in ſe eſt Deus, & Deitas, ergo contradictio. ſecundo quælibet Dei perfectio eſt formaliter infinita; ergò non magis ſub ratione infiniti, quàm ſub ratione ſapientis, boni, prudentis, & huiuſmodi, erit ſubiectum. tertio, quomodo ratio infiniti poterit eſſe notior ratione Deitatis, cùm Deum eſſe ſit per ſe notum, eum namque omnes nationes admittunt, & nouit Ariſtoteles.

Contradictio ex Scoto reconciliatur.

Ad primum reſp. quòd loquitur de ſubiecto materiali ſeu *quod*, & hoc eſt vnum, & idem in omni Theologia, eſt namque Deus, qui eſt obiectum tũ Theologiæ Dei, tum Beatorum, tum noſtræ; attamen de ſubiecto formali *quo*, non eſt idem. reſpondetur etiam Scotum primo loqui de Theologia neceſſariorum, & de hac ſubiectum *quod, & quo*, eſt Deus, & Deitas: at Theologiæ contingentium ſubiectum formale eſt infinitas.

14 Ad ſecundum, omnis quidem Dei perfectio eſt infinita, at non eodẽ gradu infinitatis: omnia namque attributa ſunt infinita duplici gradu infinitatis, nẽpè infinitate reali, & formali: at eſſentia, vt diximus triplici gaudet gradu infinitatis, formali, reali, & radicali: quapropter mirum non eſt, ſi infinitas iſta quatenus eſt infinitas eſſentiæ, ſeu ipſa eſſentia, quatenus eſt primo, & radicaliter infinita, ſit ratio formalis obiectiua Theologiæ Viatorũ.

Omnis Dei perfectio eſt infinita at non eod. gradu infinitatis ſupra n. 4.

15 Ad tertium, concipere Deum ſub rationibus communibus, & abſtractis, vt entis, ſubſtantiæ, primi Motoris, vltimi finis, & huiuſmodi, hoc quidẽ præſtitere Philoſophi; attamen non potuerunt in cognitionem deuenire Trinitatis: igitur Deus vt trinus, & ſub conceptibus proprijs ex proprijs ad intra, non poterit à nobis concipi, vt ſic enim loquitur Scot. nam ſi quæratur, quare Deus eſt trinus, & reſpõdeas, quia eſt Deus: optima quidem reſponſio, ſed ratio Deitatis non manifeſtat adeò apertè non implicare vnã numero naturã reperiri in tribus, ſicut ratio infinitatis: vt ſi reſpondeas, ideo vna natura in tribus, quia infinita, etenim naturæ infinitæ poteſt conuenire eſſe in pluribus, ſicut ab oppoſito non poteſt conuenire finitæ: hæc ratio magis veritatem quoad nos oſtendit, quàm ſi dicas, quia eſt Deus; & propterea meritò Scotus aſſerit iſtam infinitatem eſſe notiorem conceptum, quem habeamus de Deo: loquitur verò, vt dix. de conceptibus proprijs ex proprijs, quia nobis infinitas eſt notior; non autem de conceptibus Dei ex communibus, quia vtique conceptus Dei, entis, vltimi finis, & huiuſmodi eſt, nobis notior.

Qualiter cõceptus infinitatis notior.

16 Sed quæres, quomodo dixit eſſe etiam perfectiorem; etenim primus Dei conceptus eſt Deitas, hæc autem ex Damaſc. eſt pelagus omnium perfectionum, & ab ipſa emanat infinitas. Reſp. non dixit infinitatis conceptum eſſe perfectiorem abſolutè, & in ſeipſo, ſed in ordine ad nos. Item nõ comparat infinitatem ad diuinam eſſentiã, etenim hæc eſt prima radix, & pelagus perfectionum: ſed comparat ad cætera attributa, quorum infinitas conci-

Qualiter conceptus infinitatis perfectior.

Sde

pitur vt perfectior à nobis.

17 Sed adhuc vrgetur ex Vaſqu. & Bacchon. cùm ait Scot. infinitatis conceptum eſſe nobis notiorē, quàm Deitatis, quærimus aut eſt notior quoad quid nominis, aut quoad quid rei: non primum, quia notior eſt ipſe Deus, etenim in ſcripturis Deus eſt, nominatur, non autem infinitum: ſi ſecundum, ergo comprehendimus infinitum. ſecundo, ſubiectum eſt notius prædicato: ſed de Deo quærimus an ſit infinitus, ergo notior eſt ipſe Deus. Reſp. ad primū, quòd Deus eſt notior quoad quid nominis, vt patet: item quoad quid rei, loquēdo de conceptibus communibus eſt etiam quid notius: at loquendo de proprijs, vt Trinitate, eſt quid nobis notius conceptus infinitatis, quàm Trinitatis; quia hæretico interroganti, quomodo vnica natura poteſt eſſe in pluribus: reſpōdetur, ideo quia infinita, infinitum verò poteſt eſſe in pluribus. Ad ſecundū reſpondetur vt ſup.

ARTIC. III.

Soluuntur argumenta alia contra præced. artic.

1 Arguitur primo, ſi Deus eſt ſubiectū, ergo poteſt naturaliter comprehendi à nobis. prob. ad habitū ſcientiæ ſpectat conſiderare adæquatè de obiecto ſuæ ſcientiæ. Secundo, igitur Theologia non diſtinguitur à Metaphyſica. prob. etenim etiam in Metaph. Deus eſt ſubiectum. Tertio, in qualibet ſcientia de ſubiecto præſupponitur quid eſt, & quia eſt: at in Theologia non præſupponitur, immo exponitur, & declaratur, atque defenditur Deum eſſe. Quarto, Deus eſt obiectū fidei, ergo non Theologiæ; antecedens patet, & prob. conſequ. diſtinctorum per ſe habituum ſunt diſtincta per ſe obiecta. Quinto, Theologia Dei, & Beatorum eſt ſimpliciſſima notitia, in qua non eſt ſubiectum, & prędicatum, vnde Beati non formant enunciationes de Deo, ſed apprehęndunt ſolùm ſimplici notitia; ergo Deus nō eſt ſubiectum Theologiæ Beatorum, & Dei. Sexto, Boet. 1. de Trin. *forma ſimplex, ſubiectum eſſe non poteſt*: talis eſt Deus. Septimo 2. Phiſ. materia, & efficiens non coincidunt, ſicut nec cauſa finalis, ergo non poteſt Deus eſſe ſubiectum materiale. Octauo, 1. poſt. *ſubiectum debet habere partes, principia, & paſſiones*: Deus eſt ſimplex, caretq; partibus, & paſſionibus, eſt etiam inprincipiatus. Nono, obiectum ſcientiæ debet eſſe vniuerſale, at Deus eſt ſingularis. Decimo, ex Auguſt. *omnis doctrina vel eſt rerum, vel ſignorū*, l. de doct. Chriſt. cap. 1. ergo res, & ſigna ſunt hic ſubiectum. Item Caſſiod. ſuper Pſalm. *Chriſtus*, ait, *cum membris tanquam Caput eſt hic ſubiectum*. & Hugo de Sacram. vult quòd ſubiectum ſint opera reſtaurationis. Denique, quatuor ſunt ſcripturę ſenſus, ergo quatuor ſunt hic ſubiecta. prob. ſequ. vnicuique ſenſui correſpondebit proprium ſubiectum.

2 Ad primum, ad habitum quidem ſpectat comprehendere obiectum, at hoc eſt verum in ſuo genere: & ita ad habitum Theologiæ Dei ſpectat euidentiſſimè, & adæquatè comprehendere Deum: ad Theologiam Comprehenſorum ſpectat conſiderare Deum euidenter quidem, ſed inadæquatè. ad Theologiā verò Viatorū pertinet attingere, ſed ineuidēter, & inadæquatè, quia ambulamus per fidem: tunc verò habitus perfectè comprehendit, quando adæquatur obiecto & in lumine, & entitate, vt eſt Theologia Dei: Theologia Viatorum caret lumine, & conſequenter caret adęquata comprehenſione, & attingibilitate. nihilominus in genere ſuo dicitur obiecto ſuo adæquari, quia per habitum fidei credimus de obiecto totum id, quod comprehendi poteſt de Deo per fidem.

3 Ad ſecundum negatur ſubiectū Metaphyſicæ eſſe Deum: ſed ens inquantum ens. Dices, nobiliſſimæ ſcīētiæ eſt nobiliſſimum obiectum, Metaphyſica eſt nobiliſſima, ergo de Deo. Reſp. in primis negando minorem; etenim Theologia eſt nobilior ea: itē inter ſcientias naturales Metaphyſica eſt nobiliſſima, cæterum inferior ad Theologiam, vt vidimus. inſuper ad ma-

Metaphyſicæ ſubiectum non eſt Deus, ſed ens.

maiorem,& minorem,eſſe nobiliſſimã aliquam ſcientiam contingit, vel quia ſit de nobiliſſimo per ſe obiecto; vel quia ſit de nobiliſſimo contento ſub tali obiecto: Metaphyſica non eſt primo modo nobiliſſima,immo ignobiliſſima, quia de ente tanquam vniuerſali, & indifferenti;ſcientia autem de indifferenti obiecto, & indeterminato eſt ignobilior,eo verò nobilior,quo contractior,& ita Theologia nobiliſſima, quia eius obiectũ eſt Deus hic:eſt verò Metaphyſica nobiliſſima ſecundo modo,quatenus ſub ſubiecto ſuo ente cõtinetur Deus,qui eſt nobiliſſimus.

Metaphyſica quomodo nobiliſſima ſciẽtia.

4 Ad tertiũ reſpondet Scot.ſcientias naturales præſupponere, & non probare ſuum ſubiectum; cæterum non implicare, vt poſſit probare illud Theologia. reſpondemus ſecundo, diſtinguendo de Theologiis, tum Viatorum,tum Dei,& Comprehenſorum; Dei quidem, & Beatorum non demõſtrat,nec probat,quia iam vident ipſũ obiectum Theologiæ facie ad faciem, quapropter non eſt opus vt eis oſtendatur aliũde per probationes,& argumenta:at Viatoribus,quibus Theologiæ veritates, & Trinitas non patet, obſcuræ namque ſunt veritates fidei; non implicat,vt modo,quo poteſt,ſuadeat eas,roboret,probet, defendat, vt Auguſtinus loquitur.quapropter probare ſubiectum imperfectionem dicit ex parte intellectus ignorantis,cui neceſſe eſt quoquo modo poſſibili, ſuadere,confirmare, & huiuſmodi facere, vnà tamen cum auxilio fidei. demum non implicat vniuerſas ſcientias probare ſua obiecta, ſi nõ quidem à priori,ſaltim à poſteriori:& ita facit Theologus diſputando contra Hæreticos, Atheiſtas,& Paganos.

4 Ad quartum, Deus eſt ſubiectũ vtriuſque,vt ſupra dictum. ad prob. iã ibi dictum,fidem, & Theologicum aſſenſum non eſſe habitus diſtinctos eſſentialiter,& per ſe, ſed per accidens; quapropter poſſunt tendere ad idem obiectum.

Ad quintum, iam id conſtat abſolutè de Deo, non enim diſcurrit. de Beatis quoque ait Scot.ſub lit.N. q.3. *quòd viſio Beatorum eſt ſicut in Metaphyſica cognitio entis,et ideo,*inquit,*beata viſio non eſt Theologia, ſed eſt quaſi perfecta incomplexa apprehẽſio ſubiecti præcedens naturaliter ſcientiam Theologia.* de diſcurſu Beatorum,alibi. Additur verò, quòd non implicat ibi adeſſe ſubiectum;in omni enim veritate adeſt ſubiectum, & prædicatum; etiam in enunciatione incomplexa,licet virtualiter,ſiuè de contentis in ea ſaltim virtualiter;quis .n. negabit, in iſta, Deus eſt trinus,& vnus,quàm Beati ſine diſcurſu notitia ſimplici intuentur, adeſſe ſubiectum, & prædicatum? immo poſſent ipſi, ſi vellent, diſcurrendo dicere, in propoſitione hac, Deus eſt ſubiectum,& trinus,ac vnus,eſt prædicatum;vnde eſt vt in propoſitione ipſa materialiter ſpectata, ſit verè formaliter ſubiectum, copula, & prædicatum: licet in eadem propoſitione ſpectata formaliter,pro quanto eſt obiectiuè in in intellectu Beati,ſint virtualiter;poſſent verò adeſſe etiam formaliter,ſi intellectum conuertere vellent ad ſic logicè conſiderare, iuxta ſubiectum, copulam,& prædicatum.

5 Ad ſextum, verùm de ſubiecto inhæſionis,non conſiderationis. Deus vocatur forma ſimplex,ideſt actus ſimplex, abſtrahendo ab imperfectione formæ,quatenus informat; & accipiẽdo à forma,id quod eſt actus, ſeu dare eſſe ſimpliciter ſine compoſitione.non eſt inſuper ſubiectum inhæſionis. quia non informatur ab accidente, vel forma alia; eſt tamen ſubiectum prædicationis,ſeu conſiderationis,quod eſt eſſe ſubiectum ſcientiæ.

Subiecti ratio quomodo competat Deo cũ ſit ſimplex

6 Ad ſeptimum, materia quidem ex qua, quæ eſt altera pars compoſiti non coincidit cum efficienti, & fine, quia materia, efficiens, & finis ſunt cauſæ eſſentialiter diſtinctæ: tamen materia circa quam, quæ eſt ſubiectũ conſiderationis,vtique coincidit,& ita Deus,qui eſt Theologiæ ſubiectum, eſt etiam prima cauſa efficiens, & vltimus finis.

Materia et finis,atque efficiẽs an coincidant.

7 Ad octauum,Deus in Trinitate habet partes quaſi ſubiectiuas, præſcindendo ab imperfectione partium: ex verò, inquit Scot. ſunt perſonæ diuinæ. Dices,Deus eſt vnum ſingulare, ergo nõ habet partes ſubiectiuas. Reſpondet Scot.quòd ſubiectum ſcientię

Trinitatis quaſi partes ſubiectiuæ ſunt perſonæ.

naturaliter adinuentæ eſt vniuerſale: & iſtud habet partes verè ſubiectiuas, quia vniuerſale diuiditur in inferioribus ſingularibus, Deus autem eſt quid ſingulare, obiectum in ſcientia reuelata; ideoque non habet partes verè ſubiectiuas; quia diuina natura non diuiditur in ſuppoſitis; ex quo tamen reperitur in ipſis, ipſa, inquit Scot. dicuntur partes quaſi ſubiectiuæ: imperfectionis autem eſt vniuerſali diuidi in inferioribus: hæc verò imperfectio remouetur à ſubiecto Theologiæ, ideoque eius partes non ſunt verè, ſed impropriè, & quaſi partes ſubiectiuæ. Ad illud de paſſionibus, in diuinis non ſunt veræ paſſiones, ſicut nec vera cauſatio, ſunt verò attributa quaſi paſſiones, attamen incauſatæ, ſed ſolummodo emanantes, ideoque non realiter diſtinctæ, id enim eſſet, ſi cauſarentur, ſed ſolummodo formaliter, & hoc totum tacitò ibi cõcludit Scotus. Ad id verò de principijs, ſufficit vt ſubiectum habeat principium cognoſcendi, & demonſtrandi paſſiones de ſeipſo, & ita ens coniunctum cum ſua paſſione priori erit ratio demonſtrandi de ſeipſo paſſionem priorem: non autem neceſſe eſt habere principia in eſſendo, alias daretur proceſſus in infinitũ. Deus ergo vt ſubiectum habet principiũ in cognoſcendo, eſto nõ habeat anterius principium in eſſendo: non autem neceſſe eſt ſubiectum in ſua ſcientia habere principium eſſendi, cum ſit omnino primum in ea; ſicut etiam ens in Metaphyſica non habet principium eſſendi.

Ad intra nec vera paſſio, nec cauſatio.

9 Ad nonum, iam dictum eſt ex reſponſione ad præcedens, de vniuerſali &c. Addimus ſubiectum ſcientiæ naturaliter adinuentæ eſſe debere vniuerſale, ratio, quia ſcientia debet eſſe de obiecto certo, & inuariabili, vt in propria quæſt. ſupra diximus: indiuidua creata ſunt variabilia, vniuerſale non, igitur ſequitur vt creata ſcientia expoſtulet ſubiectum vniuerſale: at ſcientia reuelata, vt Theologia, habet pro obiecto Deum, qui licet ſit ſingularis, tamen eſt omnino inuariabilis, immutabilis, & neceſſe eſſe, meritòque poterit eſſe Theologia de ſingulari.

Subiectum ſcientiæ eſt vniuerſale qualiter intelligitur.

10 Ad decimum ex Auguſt. Caſſiod. & Vgone, dicendum quod eſt de ijs, de quibus loquuntur, ſed non tanquam primario, & principali ſubiecto, ſed proximo, & ſub ratione attributali ad primarium ſubiectum. Et ad vltimum de ſenſibus, dicendum omniũ ſenſuum ſcripturæ eſſe vnum adæquatum, & totale obiectũ, quod eſt Deus, quia omnia importata per ſingulos ſenſus ordinatur ad Deum: ſiuè ſub ratione hiſtoriæ, vt literalis: ſiuè ſub ratione fidei, vt allegoricus: ſiuè ſub ratione charitatis, vt tropologicus: ſiuè ſub ratione ſpei: vt anagogicus; quia *litera geſta docet: quid credas allegoria: moralis quid agas: quid ſperes anagogia;* Deus eſt .n. omnium Alpha, & Omega. licet autem ſingulorum ſint ſingula partialia obiecta ſaltim proxima: hæc tamen omnia ordinantur ad vnum totale ſcripturæ totius obiectum, quod eſt Deus.

QVAE

QVÆSTIO NONA.

Vtrum ſacra doctrina ſit argumentatiua.

Theologia eſt argumẽtatiua.

1 SAcram doctrinam eſſe argumentatiuã docet in primis Paulus 1. ad Tit. 1. inquiens, *Epiſcopum debere eſſe amplectẽtem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Item docuit id Petrus ep. 1. cap 3. *parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos ratione⸗ de ea, quæ in vobis eſt fide.*

Theologia vt ſit argumentatiua oportet ambos diſputantes conuenire in aliquo principio fidei.

2 Vt verò Theologia argumentari poſſit, neceſſe eſt ambos diſputantes inſimul conuenire, ac concordare in aliquo principio fidei: aliàs negato ex altera parte omni principio theologico credito, non poterit indè aduerſarius conuinci; vnde & ceſſabit diſputatio; non enim contra negantes prima principia eſt diſputandum, quòd ſi concedat principia aliqua, poterit inde conuinci in diſputando. Sit exemplum contra negantes diſtinctionem realem diuinarum perſonarum, & confundentes Trinitatem: ſi namque credunt Patrem æternum generare Filiũ; hoc conceſſo facile habetur intentum, & concedere coguntur diſtinctionem Patris à Filio. probatur ſequ, generãs diſtinguitur realiter à genito; etenim nihil gignit ſeipſum: at concedis Patrẽ generare Filium: ergò generat perſonam diſtinctam realiter à ſeipſo: non ergò remanet confuſa Trinitas, ſed datur diſtinctio Patris à Filio. quòd ſi Patrem generare negaueris, nec poterit ſubſequi diſputatio, nec quidquã probabitur, nec remanebit amplius via ad articulos fidei, inquit D. Tho. 1. par. q. 1. art. 8.

Theologia non probat ſua principia, quia ſunt credita; ſed ex illis probat aliquid aliud.

3 Eſſe inſuper argumentatiuam, contingit, non quòd probet ſua prima principia: ſed quoniam ex ſuiſmet principijs inſurgit ad eliciendas indè, & inferendas concluſiones, non quidem probat ſua principia; nam Theologiæ principia deſumuntur ex diuina reuelatione: habentur ex fide: non cadunt ſub ſenſu, ac ideo de his habetur fides, non euidentia, vt ſunt Trinitas; vnio duarum naturarũ in Verbo humanato, creatio, Reſurrectio, vniuerſale Iudicium, & conſimilia: prout in tract. de Trinitate patebit propria quæſtione. Vtrum verò accedere poſſit probatio aliqua topica à poſteriori aliquorum articulorum, ſeù ſaltim non repugnantia eorum, habebitur ibi.

Theologia quãuis non probet ſua principia; tamen per illa poteſt ſoluere argumẽta oppoſita.

4 Sed licet ſua principia non demonſtret, quatenus ſunt per ſe reuelata: & licet ea aduerſarius neget; ac quamuis negatis ab aduerſario principijs non poſſit eum ex talibus principijs conuincere; nihilominus poterit tela aduerſariorum retundere, & argumẽta ſoluere ex ipſius fidei principijs; dum namque aduerſæ rationes ſunt contra veritatem, poterunt ex principijs reuelatis optimè ſolui, quia fides eſt fundamẽtum veritatis, & fidei non poteſt ſubeſſe falſum.

Theologiã eſſe argumentatiuã probatur ratione, & auctoritate.

5 Quòd autem ſit argumentatiua id primò demonſtratur, ſiquidẽ Theologia eſt ſcientia, vt iam probatũ remanet, ergò eſt argumentatiua, prob. conſequ. omnis ſcientia eſt argumentatiua. Item 2. Timot. 2. *omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docẽdum, ad arguendum.* ergò &c. Inſuper habet ſua principia, quæ ſunt articuli reuelati; atq; ex principijs deducuntur cõcluſiones, diſcurſus, probationes, & huiuſmodi. Rurſus Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 1. ait; *huic ſacra ſcientia tri-*

tribuitur, vt per eam fides ſaluberrima gignatur, nutriatur, defendatur, & roboretur.

Theologiã eſſe argumentatiuã probatur exemplis ſcripturarũ ex Paulo.

6 Demum probatur id, exemplo ſcripturarum: & quidẽ Paulus 1. Cor. 15. ex reſurrectione Chriſti arguit reſurrectionem noſtram, inquit enim, *ſi autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorũ non eſt? ſi autem reſurrectio mortuorum nõ eſt, neque Chriſtus reſurrexit.* & paulò infra, *ſi Chriſtus non reſurrexit. vana eſt fides veſtra.* Conceſſo ergò principio fidei, quòd Chriſtus reſurrexit, arguit indè Theologus, ergò & nos reſurgemus.

Theologiã eſſe argumentatiuã, probatur exemplis Chriſti arguentis, & redarguentis Phariſæos.

7 Item Chriſtus oſtendere intendẽs ſeipſum eſſe Meſſiam, ita ait Matt. 21, *nunquam legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentim perfeciſti laudem?* dixerant enim pueri de eo, *benedictus qui venit in nomine Domini.* & ibidem, nũquam legiſtis in ſcripturis, *lapidem, quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?* ex quo idem intentum demonſtrat. Inſuper defendere intendens diſcipulos, qui ad explendam famem ſpicas legebant, & confricabant ſabatho, malignantibus ex oppoſito Phariſæis de inobſeruatione ſabathi: ait Lucæ 6. *neque hoc legiſtis, quod fecit Dauid cùm eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducauit?* exemplo hoc oſtendit intentum. Rurſus Matt. 19. tentantibus Phariſæis, ac petentibus, *ſi licet homini dimittere vxorem ſuam quacũque ex cauſa?* reſpondit ex cap. 1. Geneſeos eos redarguendo, *non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculũ, & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc relinquet homo patrẽ, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: quod ergò Deus coniunxit, homo non ſeparet.* arguẽdo hinc, quòd vinculum matrimonij eſt indiſſolubile. Dum item arguere eum intendebant, quòd non obſeruaſſet Sabathum, curando hominem in die Sabathi, ſic ipſos redarguit, *ſi circumciſionem accipit homo in Sabatho, vt nõ ſoluatur lex Moyſi, mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in die Sabathi?* Ioan. 7. hæc, & ſimilia argumẽta deducuntur ex ſcripturis, quæ principijs innituntur noſtræ fidei. conſtat ergo ſacram doctrinam eſſe argumentatiuam.

Quænam verò ſint ſedes, ſeu capita argumentorum, quibus vti ſolet ſacra doctrina: plura recenſentur à Theologis, ſiuè in Prologo lib. 1. ſentent. ſiuè in 1. p. D. Tho. quæſt. 1. inter cætera autem recenſentur argumenta deducta ex ſacra Scriptura, ac ſenſibus eius; hinc relictis modo capitibus alijs, de quibus ſuo loco, de ſenſibus tantùm agemus eiuſdẽ ſcripturæ, iuxta ſeriem, & morem Theologorum.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA,

De modo argumentandi à ſenſibus Sacræ Scripturæ.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid importet Scripturæ Sacræ nomen.

Scriptura ſacra nominis multiplex acceptio.

1 VAria ſub ſe continet hoc *Scriptura ſacra* nomē ſignificata: potiora tamē recēſebimus: Primò quidem illa dicitur Scriptura ſacra, quæ de rebus agit ſacris, ſumit enim denominationem à materia, & ſubiecto ſacro: huiuſmodi ſunt ſacrę Catholicorum Præconum Conciones, atque homiliæ Patrum. Secundo vſurpatur pro ea, quæ ab aliquo viro ſancto cōſcripta ſit, huiuſmodi ſunt ſcripta Sanctorum Doctorū Eccleſiæ; quatenus idem habent ſubiectum ſacrum, & materiam ſacram, ſicut etiam & homiliæ ipſorum Patrum, ſiuè Gloſſarū, ſiuè Interpretum ipſius ſacræ Scripturæ. Tertiò ſumitur pro ea, quæ Deo inſpirante (licet non ſingula verba influente) exarata ſit, quantum ad ſubſtantiam ſcilicet, & principale intentū: & huiuſmodi ſunt decreta Conciliorū. Quartò pro ea, quæ eſt à Deo inſpirāte tum ſententias ſingulas, tum ſingula verba, tum deuique apices omnes, & talis eſt Scriptura Canonica, quæ in ſacra Biblia continetur. & hæc eſt, de qua in præſentiarum agimus.

Scriptura ſacrę definitio.

2 Scriptura ſic vltimo loco accepta, ita deſcribi poteſt. *Scriptura ſacra eſt Verbum Dei ſcriptum, ſiuè de diuinis, ſiuè de terrenis rebus agens, in ordine ad Deum: Spirituſancto tum ſententias, tum verba, tum apices ſingulos Scriptoribus inſpirante, in ordine ad ſalutem æternam hominis Viatoris.* Dixi *Verbū Dei*, quia *Verbum* eſt loco generis: Dixi, *ſcriptū* quia ſtat loco differētię; etenim Scriptura diſtinguitur à Traditione, cum Scriptura dicatur *Verbum ſcriptum*, Traditio *Verbum non ſcriptum*. Dixi, *ſiuè de diuinis, ſiuè de terrenis rebus*, etenim in Scriptura de Deo agitur, & de Creaturis, vt patet. Dixi, *in ordine ad Deum*; quandoquidē dum de creaturis agitur, totū id ſub ratione, & fine agitur colendi, amandi, & fruendi ipſo Deo; ipſe namque eſt Principium, & Finis, *Alpha*, & *Omega*. Dixi *Spiritu ſancto inſpirante*, vt diſtinguamus Scripturas ſacras à prophanis, quarum Authores ſunt ipſi homines alieno ſpiritu ducti, quàm Spirituſancto in ſcripturis humanis, vt Petrus Apoſtolus loquitur ep. 2. cap. 20. *non enim voluntate humana fuit aliquādo allata prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines.* Dixi *tum verba, & apices*, vt diſtinguamus Scripturam à Concilijs; in Scriptura namque omnia ſunt de intentione Spiritus ſācti, tum ſententiæ, tum verba, tum iota, & apices: in Concilijs non omnia eſſe ſolent; niſi ea, quæ tanquam de fide cernuntur eſſe definita à Concilij Patribus, de quo infra. Dixi denique, *ad ſalutem hominis Viatoris*, quoniam ad hoc ſacra nobis reuelatur Scriptura, vt nos ad ſalutem dirigat, atque vitam æternam; ait enim Chriſtus Luc. 10. *hæc fac, & viues.*

3 Sed arguitur contra. Scriptura

Si Deus eſt præſens no bis, quomodo loquitur per Scripturam, ſeù per epiſtolam?

quidem Epiſtola eſt; etenim Scripturæ Pauli, Petri, Ioannis, cæterorumque Apoſtolorum ſcribentium appellantur epiſtolæ, vt epiſtolæ Pauli, Petri, & aliorum. Scripturæ etiam, & aliæ tum veteris, tum noui Teſtamenti nil aliud quàm Epiſtolæ ſunt: Epiſtolæ quidem ad nos tranſmiſſæ à Deo per manus Prophetarum, aliorumque Sacrorum Scriptorum: hoc ſuppoſito arguitur, Epiſtolæ mittũtur abſentibus: at Deus ad creaturas per Prophetas, & Apoſtolos ſuos ſcribens, non eſt abſens à creaturis, ergò inaniter, & fruſtra mittit ad nos ſcripturas. Cõfirmatur, quia quos non poſſumus præſentialiter alloqui, eos quidē alloquimur per ſcripturas, ait verò Paulus de Deo, Actor. 17. *nõ longe eſt ab vnoquoque noſtrum*, quomodo ergò loquitur ad nos Deus per epiſtolas, ſiuè per ſcripturas?

Reſp. primo. 4 Reſpondet ad hoc Chriſoſt. homil. 2. in Gen. quòd initio Mundi loquebatur quidem Deus per ſemetipſum hominibus in propria perſona, vt de Adam habemus, Eua, Cain, Noè, Abraham, aliiſque, creſcente tamen inde malitia hominum, indigni facti sũt homines, vt pergeret Deus alloqui eos in ſua propria perſona. At quia nuſquam Deus gratia ſua deſtituit humanum genus, hinc factum fuit, vt alloqui homines, inde cæperit ſaltim per ſcripturas, noluit enim de toto eos deſerere, vt quamuis indigni ſint faciali collocutione Dei, ex miſericordia tamē colloquatur eis ſaltim per ſcripturas. Hæc Chryſoſtomi reſponſio difficultatem petit, verum apparitiones Dei, in vtroque teſtamento factæ ſint immediatè per Deum, an per Angelũ aliquem loco Dei: de qua re in 2. to. de Angelis Deo dante agemus. Excipiũtur etiam à tradita reſponſione Chryſoſt. aliqui in vtroque inſtrumento Sãctiſſimi Viri, quibus & Deus ipſe, ſiuè tamē per ſe, ſiuè per Angelum loquutus ſit, & non per ſcripturas.

Reſp. ſecũdo. 5 Reſpondemus ſecundo, quod licet Deus præſentia entitatiua ſit præſens, & non longè, vnicuique noſtrum, vtpote per intimum illapſum per potentiam, præſentiam, & eſſentiam, vt ſic namque intelligitur Paulus; nihilominus loquendo de præſentia obiectiua, vtique longè eſt in via ab vnoquoque noſtrum; ſiquidem Deus ſub ratione obiecti beatifici oſtenditur in Patria, ibique erit obiectum claræ, ac beatificæ viſionis, iuxta illud, Exo. 33. *non videbit me homo, & viuet.* Cùm autem ex diuina dignatione ſua velit homines alloqui, cùmque non poſſint homines ratione ſtatus viæ videre alloquentem Deum, mittit internuncios Deus, per quos loquatur: & ita verum eſt, quod ait Scriptura, *loquutus eſt per Prophetas*, loquutus eſt per Apoſtolos: qui cum & ipſi abſẽtes fuerint à plurimis, per epiſtolas quoque eos colloquebantur: eaſque ad poſteros tranſmiſſas reliquerunt: atque denique ita Pater Deus Rom. 1. *loquutus eſt nobis in Filio*: Cuius quoque incarnati Filij alloquutio veluti abſens fuit, ſpectãdo ipſam Diuinitatem Filij, non enim eam vidimus, ſed credimus, vt Gregorius de D. Tho. Apoſt. docet, homil. 26. in Euãg. *aliud vidit, aliud credidit*: Diuinitem credidit: loquutus verò fuit viſibiliter in carne aſſũpta, prout Abacuch 3. teſtatur, *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Sicut autem de Moyſis facie dicitur, quòd *Hæbrei non poterant intẽdere in faciem eius*, ita nec nos videre Diuinitatem. 2. Cor. 3.

Reſp. tertio. 6 Niſi tertiò dicamus, ad inſtar magnorum Regum agere Deum, qui veluti indignos præſentia ſua reſpuunt ſibi ſubiectos, ob quod faciali eos priuant colloquutione, admittentes ad proprium conſpectum, quos æſtimant chariores, cæteris loquẽdo per internuncios: ita & cunctos à facie ſua de lege ordinaria proijciat Deus, vtpote *velamen habẽs in facie ſua*, veluti Moyſes, ne videatur, illos tamē faciali viſione dignans, quos chariores habet, & amatiores: & eo magis, quo pro ſtatu viæ *ambulamus per fidem*: in ſtatu autē Patriæ, *facie ad faciem*, & *videbimus eũ ſicuti eſt.* 1. Ioan. 3.

Titulis varijs cõdecoratur Scriptura. 7 Varijs autem titulis, atque illuſtribus encomijs condecorata reperitur ipſa Scriptura ſacra; dicitur enim Sap. 6. *quod ſit vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera.* Chriſtus idem appellat eam, virtutem Dei, Matt. 23. inquiens, *erratis neſcietis ſcripturas, neque virtutem*

tem Dei. vbi Hieron. ſicut etiam ſuper prol. Iſa. *qui neſcit,* ait, *ſcripturas, neſcit Dei virtutem, & ſapientiam:* atq; Paul. Rom. 1. *non erubeſco Euangelium; virtus. n. Dei eſt.* Appellatur cibus animæ, pſ. 118. *quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo:* & Aug. ſer. 112. de temp. prouenit, *vt ſicut ex carnalib. eſcis alitur caro, ſic ex diuinis eloquijs paſcatur interior homo, qui non in ſolo pane viuit, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* Matt. 4. adaptatur quoque ei nomen ſpeculi ab eod. Aug. ibid. atque Hieron. epiſt. ad Demetr. vt ſit ſpeculũ hominis interioris iuxta illud Iac. 1. *ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic cõparabitur viro cõſideranti in ſpeculo vultũ natiuitatis ſuæ.* eſt lux animæ, atque lucerna ex pſal. 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis:* ac denique fit liber vitæ iuxta Eccleſ. 24. *hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi.* hinc verò Vgo Victorinus aiebat *Scriptura ſacra eſt liber vitæ, cuius cognitio vita: cuius ſcriptura indelebilis: cuius aſpectus deſiderabilis: cuius doctrina facilis: cuius ſcientia dulcis: cuius profunditas ineuitabilis: cuius verba innumerabilia: & vt vnum tantùm verbum, omnia.* lib. de Arca Noë.

QVÆSTIO SECVNDA

Vtrum ſacræ Scripturæ Author ſit Spiritus ſanctus.

Error negantiũ Spiritum ſanctum eſſe Scripturæ Sacræ autem.

1 EXtitit opinio aliquorum, qui crederent non ſemper ſacræ Scripturæ Scriptores ſpiritum Dei in ſe loquentem habuiſſe. Error hic inuritur Eraſmo, pluribuſque. tales verò aliquando extitiſſe docet Hieron. in proœm. epiſt. ad Philem. Ante hos teſte eodem Hiero. cap. 28. atque Auguſt. de hæreſ. cap. 21. fuerunt Cerdon, Marcion, & Ponticus: indeque ſequuti ſunt Manichæi, qui dixerunt vetus teſtamẽtum à malo quodam Deo proceſſiſſe: atque denique commune ſemper fuit hæreticis ſacræ Scripturæ detrahere: & ex ſcripturis illas recipere, vel reſpuere, vel alterare, vel mutilare, quas ad ſuos fouendos errores videãt conuenire, vt notat Caſtr. de hæreſ. l. 13. verbo ſacra Scriptura. Plures de re hac hæreſes cõgerit Caſtro, ac poſt ipſum Seraphinus à Porr. ſup. 1. p. D. Tho. q. 1. ar. 1.

Hæreticorum mos detrahere ſcripturis.

2 Multipliciter verò intelligi poterit ſcripturam aliquã eſſe à Deo Authore conſcriptam: vel primo quod ipſemet Deus eam propria manu cõſcripſerit: & ita Decalogi præcepta ſcripturã eſſe à Deo conſcriptã credimus, ſicut exo. 31. habetur *digito Dei ſcripta eſſe in tabulis.* vel ſecundo quatenus ipſe Deus mentem ſcriptoris mouit ad ſcribendum, & ita Petrus loquitur ep. 2. cap. 1. *omnis prophetia, & ſcriptura propria interpretatione non fit.* vel vt Græci legunt, *proprio impulſu non fit:* non enim voluntate humana *allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati.* ſeu vt Græci tradunt, *à Spiritu ſancto impulſi, loquuti ſunt ſãcti Dei homines.* vel tertio, quia non ſolùm Spiritus ſanctus induxit eos vt ſcriberent, ſed etiam vt hoc, vel illud ſcriberent: & vt ſic, atque ſic ſcriberẽt: vtque his potius vterentur verbis, & apicibus, quàm alijs: ac denique vt alia omitterent, etiam aliunde cognita, alia verò conſcriberent, impellente ad ſcribendum Spiritu ſancto, atque ſingulis verbis, ſententijſque, ne errent, aſſiſtẽte.

Deum eſſe Scripturæ auctorem multipliciter intelligitur.

te.vel quarto, quoniam vltra impulſum ad ſcribendum:.vltra aſſiſtētiam ne errent, ipſe quoque Spiritus ſanctus sacris dictet Scriptoribus totū id, quod ſcriberent: tum ſubſtantiam rei, tum verba ipſa dictando, ac reuelando. nec verò ſufficit reuelatio; cùm vltra eam addendus ſit impulſus ad ſcribendum: aſſiſtentia ad non errandum: atque dictatio, vt de ijs tantùm, & ea tantùm, atque eodem modo prorſus ſcribant, prout Spiritus ſanctus dictauerit. qualis verò ſit dictatio iſta, vtique ſpiritualis eſt, & inſenſibilis; non enim talis eſt, qualis illa Magiſtri dictātis lectionem Diſcipulis, quæ voce indiget, ſonitu, ac ſtrepitu verborum: Spiritus autem ſanctus vbi vult ſpirat, & quomodo vult ſpirat, neque virtus eius alligata eſt vocibus, & ſonitui, ſeu vt Theologi loquuntur, *virtus Dei non eſt alligata Sacramentis*. his omnibus modis contingit ſcripturam conſcriptam eſſe Deo, ac Spiritu ſancto Authore: eſt enim ſacræ Scripturæ author Spiritus ſanctus.

Scripturā ex diuina pēdere reuelatione multipliciter intelligitur.

3 Cum autem ſcriptura diuinę innitatur reuelationi, atque dictamini, ſeu inſpirationi, multipliciter contingit ſcripturam ex diuina dependere reuelatione; primò, quia res, de quibus ſcribendum eſt, ſint occultę ſcriptori, & à ſolo Deo reuelante illi innoteſcant: hoc quidem modo loquitur pſal. 50. *incerta, & occulta ſapientia tua manifeſtaſti mihi*: ſecūdò, quatenus ante erat profecto notū ſcriptori, Deus autem inſpirauit, ac impulit vt id conſcriberet: vel ſi è mente decidit, in memoriam reuocauit, denuoq; illuminauit, vt iterato cognoſceret, & recordaretur eius, quod per obliuionem ex animo deciderat: atque tertio, vt hæc potius verba, hoſque apices in ſcribēdo apponeret, quàm alia, de quibus tamen ipſe meminerat: poteſt namque Deus inſpirare, & impellere, vt rem aliunde cognitam, hoc, & non illo, vel illo modo, vt cognouit, conſcriberet, dum neceſſe non eſſet ita conſcribere, vel fortaſſe, quia erraſſet in rem ipſam, vti par eſſet, cognoſcendam, Deus verò inſpirando corrigit, vt ita ſcribat: item vt partem, & non totam conſcribat: ſiuè vt hoc, non alio tempore, aut loco ſcribat; ratio, quia Deus diſponit omnia ſuauiter, efficaciterq; ideo cum *non omnia poteſtis portare modo*, dixerit Chriſtus Apoſtolis, vtique diſponere ſolet Deus loca, & tempora, verba, & ſingula quæque prout magis ſapientiæ ſuæ, communique Eccleſiæ vtilitati viderit expedire.

Scriptores ſacros vtrū neceſſe fuerit ignorare, vel humanitus ſcire quæ ſcripſcrint.

4 Verum autem ad hoc vt Scriptura dicatur ſacra, atque ſic à Spiritu ſancto authore procedere, neceſſe ſit eam eſſe omninò anterius ignotam scriptori, & ſola diuina reuelatione manifeſtam: an verò ſufficiat alterum, nempè vt adſit ſcriptori impulſus, motio, reuelatio, dictatio, ſpecialiſque aſſiſtentia, ne erret, ad ſcribendum, etiam ſi aliunde, & anterius res nota fuerit scriptori, reſpondetur ſufficere ſecundum, nec eſſe omnino neceſſarium primum. probatur, quinque libri legis Pētateucon, quos conſcripſit Moyſes ſunt vera Scriptura ſacra, & nihilominus plura continent, quæ Moyſes ipſe viderat, ac ſēſerat: Lucas quæ ab Apoſtolis acceperat, ea ſcriptis mandauit, vt teſtatur in proœmio ſui Euangelij. Marcus quæ à Petro didicerat, rogatus à Diſcipulis conſcripſit: ita docent Clem. lib. 6. diſpoſit. apud Euſeb lib. 2. Eccleſ. hiſt. cap. 15. Origenes 1. lib. in Matt. Hieron. de viris illuſtr. ac Irenæus cap. 1. aduerſ. hæreſ. vt etiam tenet Cano lib. 2. de loc. Med. cap. 18. & Petr. de Arag. 2. 2. q. 1. ar. 10.

Scriptores ſacros de ys, quæ naturaliter ſciebāt, eguiſſe noua illuminatione concedit Bann. negat Cano.

5 Hinc Melchior Cano concludit, de ijs, quæ nota iam erant scriptoribus humana via, non indiguiſſe noua Dei reuelatione: eguiſſe tamen noua Spiritus Sancti motione, & aſſiſtentia ne in ſcribendo errarent. talia fuerunt myſteria ſiuè transfigurationis, cuius teſtes oculati fuerūt Petrus, Iacobus, & Ioannes: ſiuè crucifixionis, cuius oculatus teſtis fuit ipſemet Ioannes, inquiens, *qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius*: circa quæ veluti ſenſibiliter nota non eguerunt noua reuelatione: Verum eſt tamen, quòd ſpeciali eguerunt motione credulitatis, & fidei, vt per ſuperinfuſam fidē crediſſent hęc dę Filio vero Dei actitata fuiſſe; etenim cū Chriſtus Deus ſit, & homo, aliud videbant, aliud verò credebant: ſicut de D. Tho.

Gre-

Gregorius ait, *aliud vidit, aliud credidit.* hominem vidit, ſed Deum eſſe tal ē hominem credidit: Bannes verò ait, *cognitſe noua Spiritus ſancti illuminatione*, de quo amplius infra.

Spiritus S. Scripturæ author quatenus impellit ad ſcribēdum: aſſiſtit: et influit omnia quę ſunt in Scriptura,

6 His actis dicendum, Spiritum ſanctum ſacræ eſſe Scripturæ Authorem: ita ut tum verba, tum apices, tum ſententias ipſas in ſcriptura cōtentas, Spiritus ſanctus inſpiret ſacris Scriptoribus, iiſque ad ſcribendum impulſum, ac motionem influat, peculiaremque aſſiſtentiam præſtet ne errent in ſcribendo. ita Cóncil. Carthag. 4. c. 1. ita D. Cyprian. præfat. ſuper Leuit. Auguſt. de ſpir. & litt. cap. 16. Alphonſ. de Caſtr. lib. 1. aduerſ. hæreſ. cap. 2. Melch. Can. lib. 2. de loc. Theol. c. 18. & quotquot Theologi ſiue in primam partem ſcribunt D. Tho. q. 1. ſiue ſuper prol. ſent.

Spiritus S. differenter aſſiſtebat ſacris Scriptoribus, & Christo Domino.

7 Obſeruandum verò non ſemper Spiritum ſanctum ſacris Scriptoribus hac peculiari aſſiſtentia aſsiſtere: vnde differentia eſt inter ipſos, & Chriſtum Dominum; ſiquidem Scriptoribus tūc aſſiſtentiam, & motionem dabat, cum ad ſcribendum res ipſas opus erat, non autem toto vitæ decurſu: patet hoc Matt. 10. *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* atque Ioan. 16. *non enim poteſtis omnia portare modo; cùm venerit Spiritus ille Paraclitus, ille vos docebit &c.* Chriſtus verò omne quodcunque loquebatur, totum id pēdebat ex influxu, & aſsiſtentia Spiritus ſancti; erat namque Chriſti lingua inſtrumentum ipſius Spiritus: & hoc toto tempore, ſingulíſque momentis ſuæ vitæ.

Probatur principale intentum ſcripturis.

8 Probatur autem principale intentum: & quidem pſal. 44. dicitur, *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*: ſicut verò calamus dirigitur à ſcriba; ſic lingua diuini Vatis dirigebatur à Spiritu ſancto. Hierem 5. dixit Deus Prophetæ, *ſi ſeparaueris precioſū à vili quaſi os meum eris.* Paulus 2. Cor. 15. *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* idemq; Chriſtus promiſit Apoſtolis ſe daturum Spiritum ſanctum, inquiens, *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Ioan. 14. atq; Apoſt. 1. Cor. 2. *nō ſpiritum huius Mūdi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt: vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus. ſpiritualia comparantes; ſpiritualis enim iudicat omnia, ſicut ſcriptum eſt, quis cognouit ſenſum Domini? nos autem ſenſum Chriſti habemus.* atque Petrus 2. can. cap. 1. *omnis prophetia, & ſcriptura propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirante loquuti ſunt ſancti Dei homines.* ac deniq; Hierem. 36. cum Baruch legiſſet librum ad Populum, quem ipſe ſcripſit dictante Hieremia Propheta: & interrogantibus Principibus quomodo ſcripſerit ſermones ex ore Hieremiæ, Reſpondit Baruch, *ex ore ſuo loquebatur quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos, & ſcribebam in volumine atramento.* hinc verò arguitur, qui in libro aliquo legit, & exinde alteri dictat, nō componit, non adinuenit, nec fingit ea, ſed in libro ea iam compoſita, & exarata adinuenit, ac alteri tradit: cùm igitur Hieremias loqueretur quaſi legens in libro, vtique Spiritus ſanctus erat ille, qui in libro ſuæ mentis, ac memoriæ ea inſcripſerat. Dixit verò Chriſtus Diſcipulis, *non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* igitur Spiritus ſanctus erat, qui loquebatur per os Hieremiæ: Increpat Apoſtolus Corinthios 2. cor. 13 dicens, *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus;*

Probatur rationib.

9 Et ratio optima ſuadet; etenim ſi arbitrio, & induſtriæ ſcriptoris relinquitur ipſa Scriptura ſacra, ſiuè Dei arcana, poſſent ibi quamplures irrepere errores: qui vel ex ignorantia, vel obliuione, vel incuria, vel ex malitia ꝓuenirent ſcriptoris: Igitur Scriptura ipſa ſacra plena foret erroribus. Item quantalibet vteretur humanus ſcriptor diligentia, alioqui tamen, & ſi parui, irrepere poſſent errores, tanta eſt humani ingenij imbecillitas, vt ſaltim vel in minimo aberret.

10 Dices quidnam obeſſe poterit vel in minimo errare? Reſp. blaſphemū eſſet hoc de ſacra Scriptura aſſerere: quod

Scriptura ſacra ſi vel minimum contineret errorē, vtique de tota poſſet dubitari.

quod tum ratione probatur, tum authoritate. Ratio eſt, quia ſi vel minimū errorē in Scriptura reperiremus, inde occaſionem dubitandi deſumeremus vtrum cætera Scripturæ loca longe eſſent ab erroribus: ſicq; dubitari poſſet de tota ipſa Scriptura: qui namque vel in vno falſus, & dubitabundus habetur, in cæteris quoq; vti falſus æſtimatur. & hæc eſt ratio Auguſtini, qui ad Hieron. ſcribens ep. 8. & 10. ait, *ſi in ſacro quouis libro vna qualibet falſitas reperitur, totius libri certitudo perit.* qui etiam lib. 2. de conſenſ. Euangel. c. 12. oſtendit Prophetarum, & Apoſtolorū ſcripta nullam omnino continere falſitatem. Authoritas eſt Chri Domini Matt. 5. *donec tranſeat Cælum, & Terra iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* atque hinc eſt, vt Sacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 4. decr. 1. ſub pœna anathematis iubeat omnes libros canonicos recipi quidem integros, & cum omnibus ſuis partibus, hincque Patres in ſcripturis ipſis explicandis tantopere laborant, vt minimos quoque apices notēt, animaduertant, perſcrutentur, exponant, vt aduertunt Hieron. l. 2. ſup. ep. ad Epheſ. cap. 3. Chryſoſt. homil. 3. in Gen. Gregor. homil. 10. in Ezech. Confirmatur, quoniam penès Prophetas ſæpiſſimè hæc verba leguntur, *hæc dicit Dominus; loquutus eſt Dominus, Ego Dominus, qui loquor ad te: Terra Terra audi verbum Dei*; & huiuſmodi, vndè apertè ſe authorem Scripturæ demonſtrat ipſe Dominus: Deus autem nec fallit, nec fallitur, nec mētitur, cuius verba, iota, & apices ſunt ſumma veritas. *principium verborum tuorum veritas*, inquit pſalm. 118. *Ego ſum via, veritas*, Chriſtus Dominus, inquit Ioan. 14.

11 Demum confirmatur hoc totū authoritate Ambroſij, qui exponens verba illa Lucæ 1. *multi conati quidem ſunt ordinare narrationes rerum*, ait, *Conati vtique illi ſunt, qui implere nequiuerunt, qui enim conatus eſt ordinare ſuo labore conatus eſt; ſine conatu enim ſunt donationes, & gratia Dei, quæ vbi ſe infuderit rigare conſueuit, vt nō egeat, ſed redundet ſcriptoris ingenium. non conatus eſt Matthæus: non conatus eſt Marcus: non conatus eſt Ioannes: non conatus eſt Lucas: ſed diuino ſpiritu vbertatem dictorum, rerumque omnium miniſtrante ſine vllo molimine cæpta cōpleuerunt.* Gregorius inſuper, *ipſe igitur Deus hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictauit.* in proœm. moral. c. 1.

Scriptura, in qua ordo, & compoſitio verborū relinquitur induſtria ſcriptoris, vtrū ſit Scriptura ſacra.

12 Quæritur verò vtrum cenſenda ſit Scriptura ſacra, & diuina illa, in qua rerum textura, ordo, ac compoſitio verborum relinquitur diligentiæ, & induſtriæ humanæ, eatenus tamen, vt Spiritus ſanctus ſcriptori aſſiſtat ne erraret in componendo, & ſcribendo? videtur cenſendam fore vtique Scripturam ſacram. prob. quia adeſt ſcriptori Spiritus ſanctus ne erret: id verò ſufficere videtur ad Scripturam ſacrā. Item iam diceretur idem Spiritus S. Scripturæ Author; ſiquidem aſſiſtētia eius in cauſa erit vt talis Scripturæ cēſeatur Author. Cæterū oppoſitū eſt ſecurius, & ita dicendum videtur; vt ad Scripturam ſacram ſpecialiter aſſiſtat Spiritus ſanctus, atque animum ſcriptoris impellat nedum ad ſcribendas res ipſas, verumet verba, apices, atque iota, vt diximus: ita probabilius Bannes p. 1. q. 1. art. 8. tract. de Scriptura ſacra Concluſ. tertia: & optima ratio id cōuincit, quoniam lata eſt differentia inter Cōcilia, & ipſam Scripturam ſacram; vt dicemus: nulla autem adeſſet differentia, ſi Scripturæ compoſitio induſtriæ relinqueretur ſcriptoris, etiam aſſiſtente Spiritu ſancto, vt dicemus. Accedit vnanimis Theologorum conſenſus repetitus ad Scripturam requiri Spiritus ſancti aſſiſtentiam nedum circa res, verum, & circa verba, atq; apices ſingulos, quoniā Chriſtus dixit, *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* & Tridentinum Concil. ſeſſ. 4. decr. 1. dum integros accipi iubet libros ipſos canonicos: ait autem, *Tridentina Synodus omnes libros tàm veteris, quàm noui teſtamenti, cum vtriuſque vnus Deus ſit author, tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcipit, & veneratur.*

Differētia inter Cōcilia, & Scripturam ſacram.

13 Differentia autem inter Concilia, & Scripturam inde eſt, vt non omnia, quæ in Concilijs apponuntur

ſint

ſint de fide: ea verò ſolùm de fide ſint, quæ pertinent ad determinationem, & definitionem Concilij: de cætero, ſiuè verba, ſiuè rationes, non omnia hæc erunt fide, cùm non tanquam de fide apponat ea ſemper Concilium. exemplum ſit deſumptum ex 7. Synod. general. act. 11: vbi recepta fuit ſentẽtia Ioannis Epiſcopi Theſſalonicenſis, dicentis, *Angelos eſſe depingendos, quia corporei ſunt.* Cùm namque ſentẽtiam hanc protulerit Ioannes in medium, continuò Synodi Patres reſponderũt, *etiam Domine*: nempè ità fiat, quoniam ita eſt. in hoc verò caſu duo ſunt, alterum, quòd Angeli depingantur: alterũ, quòd corporei ſunt. ex his duobus, vnum eorum eſt de fide, alterum minimè: primum eſt de fide, nempè eſſe depingendos, quoniam hæc eſt Synodi definitio: ſecundũ nequaquam, non.n. intentio Patrum erat definire vtrum Angeli eſſent corporei: intentio quidem fuit definire primum, negabant.n. hæretici fore Angelos depingendos, & contra hos definiuit Concilium: quod tamen appellarint corporeos, loquebantur Patres ad mentem Platonicorum, æſtimantium eos corporeos. non ex intentione, & definitione Synodi: vndè fit, vt ratio hæc corporeitatis nõ ſit de intentione Concilij: & cõſequẽter hinc deducitur Spiritus ſancti aſſiſtentiam datam Concilijs eſſe ſemper circa ea, quæ intendit definire, & determinare Concilium: circa alia non, item, vt ſunt verba, apices, rationes, & iota. in ſcriptura verò quicquid eſt ſiuè rei ipſius ſubſtantia, ſiuè verba, & apices, totum id à Spiritu ſancto eſt Authore, totumque de fide, vt Sacrum Tridentinum determinat Concilium.

Angeli quare ſint depingẽdi.

14 Ex hæreticis, & aliundè obſtari poteſt aduerſus dicta, vtpotè Scripturæ Authorem non eſſe Spiritum ſanctum. primò Scriptores ſacri plura ex ijs, quæ ſcripſerunt nouerunt ſenſu humano, ergò non eguerunt Spiritus ſancti magiſterio reuelante. antecedẽs prob. nam Ioannis 19. *exiuit ſanguis, & aqua, & qui vidit teſtimonium perhibuit.* Lucas c. 1. *viſum eſt mihi*, inquit, *aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere optimè Theophile.* Marcus Euangelium ſcripſit ſicut Petrum audierat prædicãtem, teſte Hieron. & Moyſes in quinque libris plura ſcripſit, quorum ipſe teſtis oculatus fuit. Reſponſio patet ex dictis, licèt namque non indiguerint Spiritus ſancti reuelatione, cum ea humanitus nouerint; nihilominus opus eis fuit Spiritus ſancti directione, ne aliquo pactó errauerint.ità Cano. contendit verò Bannes indiguiſſe noua eiuſdem Spiritus illuminatione.

Obſtatur ex hæreticis.

15 Contra: ſaltim non opus eis fuit Spiritus ſancti impulſu, ac motione ad ſcribẽdum, cum iàm humano inſtinctu moueri poterant, & impelli vt ſcriberent. Reſp. etiam egebãt diuina motione, & impulſu ad ſcribendũ, aliàs eorũ ſcriptura non fuiſſet appellãda Scriptura Sacra, & canonica, quales ſunt ſcripturæ illæ enumeratæ à Tridentino Concilio: quòd ſi humanitus moti fuiſſent ad ſcribendum, iam non fuiſſet ſcriptura illa ex ſcripturis canonicis Tridentini Concilij, quales ſunt ſcripturæ ſacrorum Bibliorum: lato tamen, & extenſo nomine appellaretur ſacra, prout de ſacris, diuiniſque rebus ageret, vt principio primę quæſtionis tradidimus.

Scriptores ſacri licet humanitus nouerit; tamen indigebant nouo Spiritus S. impulſu ad ſcribendum.

16 Arguitur. Apoſtolus 1. Cor. 12. ait, *cæteris ego dico, non dominus*: & rurſus, *præcipio non ego ſed Dominus*: hinc verò oſtenditur non Dominum eſſe Scripturæ ad Corinthios authorem, ſed Paulum, cùm ſcribat, *Ego dico, non Dominus.* hoc verò eſt contra antiquã, & ordinariã loquutionem Prophetarũ dicentium, *hæc dicit Dominus.* Accedit Baſil. qui lib. 5 cõtra Eunom. c. penult. inquit, *Spiritus non aliquando ſua, aliquando quæ Dei ſunt loquitur: Moyſes autem, & Paulus, & alij Prophetæ quãdoque ea, quæ Dei ſunt loquuntur, quandoque ſua.* Item Origenes ſuper Num. homil. 16. de Iona loquens, ait, *ſermonẽ Ionæ ad Niniuitas à Iona potius, quàm à Deo prolatum fuiſſe*; nam per Moyſen multa quidem loquutus eſt Deus, aliqua tamen & Moyſes propria authoritate mandauit. atque Ambroſ. lib. 8. in Luc. cap. 16. *quæ propter fragilitatem humanam ſcripta ſunt, non à Deo ſcripta ſunt*: prout inquiebat Apoſtol. *cæteris ego dico, non Dominus.* Reſp. Paulum de duobus rerum generibus

explicatur locus Pau.

ribus loqui, aliqua namque Chriſtus Dominus vel præcepit, vel conſuluit, ac ore proprio: aliqua ore Pauli: loquendo de primis, iam currit quod ait, *præcipio non ego, ſed Dominus*: loquendo de ſecundis militat, quòd ſubdit, *ego dico, non Dominus*. Cæterum ipſemet Paulus ſpiritum Dei habebat, ait namque de ſe ipſo, *puto, quod & ego ſpiritũ Dei habeam*. Ad Baſilium reſpondet Cano loqui de myſterijs omninò ſupernaturalibus, quæ cum naturali indagine aſſequi non poſſint, meritò ſunt à reuelante Domino, ideoque ait Paulus, *præcipio ego, non Dominus*, cùm verò alia ſint, quæ ſacri Scriptores viderint, & attrectauerint, de his vt ſcriberent, non egebant, inquit noua Spiritus ſancti illuſtratione. Reſponſio non diſplicet Bannes, licet & aliam ſuperaddat: & hoc eſt, quod Paulus, & Prophetæ aiunt, quandoq; loqui ſua, quandoq; nón ſua. De Origene dicendum, vel quod ſententiam mutauit, inquit Cano: non tamen Canus ipſe aſſignat locum: vel quod non fuerit aſſertiuè loquutus. de Ambroſio loquutum cõſtat iuxtà primam expoſitionem, vt introducatur Deus, quandoque in propria perſona loquens, quandoq; ipſius ſacri Scriptoris.

17 Obſtatur, ſi Deus eſſet Scripturę author, vtique ſcripturarum, ac librorum omnium ſacrorum eſſet vnus, idemque loquutionis ſtylus, propter vnitatem authoris; quemadmodum Ciceronis, ac Demoſthenis ſtylus in ſcribendo ſemper idem obſeruatur eſſe penes ipſos, vndè & ſcripta eorum ſemper Ciceronē redolent, ac Demoſthenem: id verò non comperitur in ſacris Biblijs, alio namque ſtylo loquitur Iſaias, alio Hieremias, alio cæteri ſacri Scriptores, & Prophetæ: vndè cõuinci videtur non eſſe librorum omnium Spiritum ſanctum authorem, ex ſtylo namque dicendi dignoſcitur author: vndè Hieronymus de Iſaia loquens, ait, *ipſum elegantius cæteris fuiſſe loquutum, eo quod eſſet de ſemine regio*.

Spiritus S. mouendo ſcriptorem non deſtru-

18 Ad hoc reſpondetur ex doctrina Auguſt. *quod Deus res, quas condidit taliter adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat*. etenim concurſum, ac motionē ſuā creaturis adaptat iuxtà earũ naturam, vt creaturæ poſſint eius motionē, & impulsũ ſuſtinere: agit. n. efficaciter quidē, ſed ſuauiter ſapientia Dei; attendendo etiā ad phraſim ipſiuſmet ſcriptoris: & ita loquitur Author lib. 2. Machab. qui in fine ait, *faciam finem ſermonis, & ſiquidem benè, hoc & ipſe velim: ſin autem minus dignè, concedendũ eſt mihi &c.* id eſt, iuxtà vires Phraſis, & ſtyli mei, cui Deus ſe adaptauit, nā iuxtà cõditionē ſcriptoris Deus ei inſpirat, ait Bānes, vt ſcribat: vndè iure poterat dicere verba illa; Deus enim vtitur Scriptoribus iuxta qualitates ipſorum, non quod Scriptura ſacra cõponatur ex induſtria ingenij Scriptoris, cùm nón ſit ipſe author, ſed quoniam Deus obſeruat in mouendo ad ſcribendum tempus, locum, naturas rerum, iuxta ſubiectā materiam, Phraſimq; ſtylum, & conditionem ipſiuſmet Amanuenſis, & ſcriptoris, & iuxta hic, & nunc, modò ſic, modò autem ſic loquatur per ſacros ipſos Scriptores. differentia quidem ſtyli in ſcribendo non ſemper proueniēte ex parte Dei, niſi quando ipſe voluerit; ſed tum ex parte materiæ, tùm loci, & temporis, tùm eorum, ad quos loquebantur, & ſcribebant Apoſtoli, & Prophetæ: non enim vnus idemque loquendi, & ſcribendi modus decet omnes, nec conueniens eſt omnibus. Concionator namque modò altius, modò humilius ſermonem texit iuxta capacitatem ipſorũ audientium: modò dulcius, modò aſperius, iuxtà qualitatem materiæ, vt gratiæ, gloriæ, peccati, pęnæ, ac gehennæ, ex quo Apoſtolus aiebat, *ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum: factus ſum omnia omnibus*. ſic & Deus cæteris ſermonem ſuum accommodat iuxta exigentiam rei, & condecentiam. & ita idem fatetur Apoſt. Rom. 1. *multifariè, multiſque modis olim loquutus eſt Deus*. & Iſaiæ 11. dicitur Deus in manibus Prophetarum aſſimilari: & ita quidem quoniam per ſimilitudines varias loquebatur per eos. Sic etiam & Muſicus, qui plurium arte polleat pulſandorum inſtrumentorũ, aliter namque citharam, aliter organa pulſat: ex identitate tamen artificis non elicitur identitas concentus, non defectu artificis,

it phraſim, & ſtylum ſcriptoris.

1. p. q. 1. ar. 8. dub. 3. ad 3.

ficis, qui vnus, & idem eſt, ſed ratione diuerſitatis ipſorum inſtrumentorum. Prophetæ, ſacriq; Scriptores inſtrumenta ſunt ipſius Dei: *lingua mea calamus ſcribæ*, ait Vates: diuerſitas ergò prouenit ex linguis, quarum appellatione veniũt ipſi ſacri Scriptores, quorum diuerſitati ſe attemperante Deo prouenit, diuerſitas quoque phraſis ipſorum ſacrorum librorum. ita Vaſq. 1. par. d. 12. art. 9. nu. 15. vbi ait, *quamuis ſcriptores Spiritu S. aſſiſtente ſcripſerint; phraſim tamen Patriæ retinuerunt: ſic Paulus Græca lingua ſcribens, hebraicam phraſim frequenter vſurpauit*. Confirmatur ex Pererio, quia idem Paulus ſeipſum appellat imperitum ſermone, *& ſi imperitus ſermone* inquiens, *non tñ ſcientia* 2. Cor. 11 quæ verba ponderans Perer. ex Hieron. ep. ad Algas: ait, *quod dixit Paulus (& ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia) id nõ ex humilitate, ſed ex conſcientiæ veritate dixit; profundos enim, & reconditos ſenſus lingua non explicat: & cùm ipſe ſentiat quid loquatur, in alienas tamen aures puro non poteſt trãsferre ſermone*. & aliquanto infra, *ſuperfluis coniunctionibus vti Paulũ propter imperitiam artis grãmaticæ, pleriſq; in locis reperimus*. ideq; Perer. ex Hieron. ep. ad Helbid. ait, *cũ Paulus haberet ſcientiam ſcripturarum, & diuerſarum linguarum gratiam poſſideret, diuinorum tamen ſenſuum maieſtatem digno non poterat græci eloquij explicare ſermone*. additque Perer. ſup. epiſt. ad Rom. in prologom. diſp. 2. nu. 58. inquiens, *in epiſtolis Pauli reperimus hyperbata longa, & obſcura, & ſolaciſmos, & orationis defectus, atque redundantias, & verba plebeia, & triuialia, nec non & incomptam, atque inornatam dictionem*, hæc, & alia ibi congerit de eodem Paulo Pererius: defectus autẽ eloquentiæ, ſiuè artis oratoriæ nõ vtiq; à Spiritu ſancto, tanquã à ſacræ Scripturæ authore prouenit, eſſet enim hoc impietas, & blaſphemia, ſed ab ipſis ſcriptoribus finit verò idem Spiritus ſanctus (quandocunq; voluerit) ſacros Scriptores propria vti phraſi (& ſi quandoque incompta) ad ſcribẽdum; prout refert de Paulo Pererius, *diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat græci eloqui explicare ſermone*.

Pauli qualis fuerit phraſis, & eloquentia in ſcribendo.

Epiſt. 10.

Epiſt. 11.

atque hinc Paulus idẽ 2. Cor. 10. aiebat quod Corinthij de ipſo dicebãt, *epiſtolæ graues ſunt, & fortes præſentia autem infirma, & ſermo contemptibilis*. & hinc meritò ipſemet Hieron de Iſaia aiebat, *ipsũ elegãtius cæteris fuiſſe loquutũ*; rationẽ addidit, inquiens, *eo quod eſſet de ſemine Regio*. ſolẽt verò in aulis verſati Regũ, & Principũ elegãtiori phraſi vti, ac magis compto ſermone. atq; demũ idem Hieron. ad Hedib. q. 11. de Petro ſic ait, *duæ epiſtolæ, quæ fuerunt Petri, ſtylo inter ſe, & charactere diſcrepant, ſtructuraq; verborum, ex quo intelligimus pro neceſſitate rerum diuerſis eum vſum interpretibus*. ex quo confirmatur quod initio diximus diuerſitatem tenoris non prouenire ex diuerſitate Authoris, cùm vnus ſit Deus ſacræ Scripturæ Auctor, ſed ex diuerſitate phraſis, vel ſcriptoris.

19 Arguitur, agitur in ſcriptura de aliquibus, quæ ob eorum humilitatem vel puerilia ſunt, vel minus digna, vt de eis ſcribatur. huiuſmodi ſunt Tob. 6. quod canis comitatum præſtiterit Tobiæ in ſua peregrinatione, quòd Apoſtolus ſollicitus fuerit de ſtomacho Timothei ep. 1. ad Timot. 5. *vtere modico vino propter ſtomachum*. & ep. 2. c. 4. ſollicitus quoque fuerit de penula, *penulam, quam reliqui Troadæ apud Carpum veniens affer tecum*. & ibid. *Lucas eſt mecum*. hæc autem velut minima, indigna videntur vt habeant Spiritum ſanctum dictatorem, & authorem.

20 Sed reſpondetur nil inutile, & ſi minimum, in ſacra reperiri Scripture: ait enim Apoſt. Rom. 15. *quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*: & 2. Timoth. 3. *omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum*: atque Iſa. 46. *ego Dominus docens te vtilia*: quo fit vt nihil myſterio careat, & Sacramento. per Canem namque Gloſa ordinaria, & interlinearis intelligit Prædicatores. Quod de Thimothei ſalute ſit ſollicitus Paulus, exemplum præbet & nobis vt idẽtidẽ de ſalute ſimus quoque proximi non immemores. de penula autem id indè elicitur, vt ſolatium ſit & nobis ſi quãdoque re aliqua indigemus; etenim Paulus, qui ad tertiũ vſque eleuatus,

Nihil inutile, & ſi minimum, in ſcriptura.

& raptus fuit Cœlum, in Terra tamen poſitus, ſe penula fatetur indigentem. demum non eſt abs re, quod idem mētionem agat de charitate, quam erga ſe Lucas habuit. quamobrem nil myſterio vacat, etiam & quæque minima, quod ampliùs demonſtrat Chriſoſtom. homil.1.ad Pop.Antioc. quis verò penetrare quibit myſteria plura? etenim *quis nouit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius eius fuit, ò altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.*

Scriptura libri qualiter adſcribantur ſacris Scriptoribus.

21 Obijcitur, libri ſcripturæ adſcribuntur ipſiſmet ſcriptoribus. ergò ipſi erunt Authores. antecedens conſtat, etenim Pſalmi adſcribuntur Dauidi. prophetiæ ipſiſmet Prophetis, vt Iſaiæ, Hieremiæ, & ſic de cæteris, non ergò erit Deus Author. Reſp. adſcribi ſcripturæ titulos Scriptoribus, non vt Scripturæ Authorib. ſed veluti Manuenſibus, inſtrumentis, ac Miniſtris, appellantur enim non Authores, ſed ſcriptores, iuxta illud, *lingua mea calamus ſcribæ.* exemplum de epiſtola ſcripta à Rege, quam quidem nō ipſe Rex ſcribit, ſcribit autem eius Miniſter à ſecretis, quòd ſi ſecretarius eſt qui ſcribit, cur eſt vt non appelletur epiſtola Secretarij, ſed Regis? vtique Regis eſt, quia ipſe eſt Author, iuſſuq; ac imperio ſuo eſt cōpoſita, ideo Regis eſt vt Authoris, licet ſit quoq; ipſius Secretarij tanquam Miniſtri, ac ſcriptoris. ſic aliàs fundus dicitur coloni, equus dicitur regatij, ſeu famuli, quamuis, & fundi, & equi dominiū, & poſſeſſio ſint domini, & poſſeſſoris ad tradita à Bar. & alijs in 1.conſtitut.Codicis.

Paulus qualiter loqui in inſipiētia dicatur?

22 Demum obſtatur, Paulus .n. 2.Cor.11. inſipientiam vocat id, quod ſcripſerat: inſuper ait, quòd non ſit ſeſecundùm Deum loquùtus, ſed quaſi in inſipientia: ait enim, *quod loquor non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientia.* & infra, *in quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego.* & rurſus, *vt minus ſapiens dica &c.* Reſp. ſpectādo morem humanum, vtique inſipiens reputatur ſecundùm præſentem iuſtitiam is, qui ſe ipſum laudat; etenim laus in ore proprio exordeſcit; ſpectādo inſuper viā perfectionis, nemo laudare audet ſeipſum, ſed potius decet humiliari, ita docente Chriſto Domino, *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* & *qui ſe humiliat, exaltabitur*: ſecundùm hæc quidem videtur inſipienter agere qui ſe laudat, cùm potius laudem expectare quis debeat ex ore alieno, iuxta illud prou.27. *laudet te os alienum.* Verùm quia quandoque neceſſe eſt quēpiam laudare ſeipſum; vtpotè quando de eius vtilitate tractatur, vt tradunt Canon. in c.niſi §.verum vbi præ cæteris Abb. num. 22. ibique addit. de renunc. & quando ſumus penès incognitos, vt ijdem: quando etiam talis laus vergit in Dei honorē, proximiq; vtilitatem, & ſalutē, nō inſipiēs æſtimabitur qui ſe laudat: ita egit Paulus, ac propterea cōcludebat, *Iterū dico, ne quis me putet inſipiētem.* & c. ſequ. *ſi voluero gloriari nō ero inſipiens.*

Laudare ſe ipſum an liceat?

QVÆSTIO TERTIA.

Quid importet vox iſta ſenſus in ſacra Scriptura.

Senſus vox quid importet.

VOx iſta *Senſus*, ſi phyſicè ſpectetur, quinque noſtri corporis ſignificat ſenſus, de quibus agunt ſpeciatim Philoſophi. in hac autem ſignificatione non hic agimus; ſi verò metaphoricè inſpiciatur, aliud profectò continet explicandū, & de eo nos agimus. Senſus ergò in præſentiarum idem ſignificat, ac rei, ſeu verbi alicuius intelligentiam: ita ex ſcripturis elicimus, vtpotè Lucæ vltimo, *aperuit illis ſenſum*, ideſt, aperuit intelligentiam

ſcripturarum. Sap. 7. *optaui & datus eſt mihi ſenſus*, ideſt data eſt mihi intelligentia ſcripturarum. 1. Cor. 2. *nos autē ſenſum Chriſti habemus*, ideſt Chriſti cognitionem, & intelligentiam: ac demum Quintilian. lib. 8. cap. 5. *item conſuetudo obtinuit, vt mentis concepta ſenſus vocaremus.* & ita communiter Patres, Theologi, ſacrique Verbi Præcones Scripturæ intelligentiam ſenſus Scripturæ appellant.

Senſus humani ad Scriptura ſenſus ſymboleitas, & dependentia.

Habent fortaſſe tamē ſymboleitatem quandam corporis ſenſus, ſeù ſubordinationem, ac dependentiam: loquendo namque moraliter, corporis ſenſus ſubordinari debent ad ſcripturæ ſenſus: ſubordinatio autem in eo ſtat, vt ad exemplar, & normam ſenſus Scripturam, reformari habeant, ac dirigi ipſi corporis ſenſus. Fundamentū huius eſt *homo ille interior*, qui reperitur in nobis; ſiuè portio illa rationalis animæ ſuperior, quæ manuduci debet per ſcripturarum intelligentiā, & ſenſus: nam dedit nobis Deus præcepta, contulit & conſilia, ad quorum explicationem, & ſenſum dirigatur anima, corporis ſenſus, homo ipſe totus: & ſic Chriſtus nos docuit fore, vt regulemus ſenſus, *ſi oculus*, inquit, *vel manus, vel pes tuus ſcandalizat te abſcinde, & erue eum*: quòd verò de his loquitur, de cæteris quoque paſſim in Scriptura habetur mentio, ſiuè internis potentijs animæ, ſiuè corporis ſenſibus. Senſus autem oculi, auris, manus, oris, & huiuſmodi regulandi veniunt, à talibus verborum Chriſti, cæterarumq; ſcripturarum ſenſibus, vt ſi quæratur, quonam modo erit regulanda manus, norma erit, vt extendatur pauperi ad ſuccurrendum, elargiendo eleemoſynam: retrahatur à furto, nequaquam aliena ſurripiendo. ſic pes, ſic oculus, auris, guſtus, tactus compeſcantur ab illecebris, & impendantur ad ea agēda, proſequenda, quæ in gloriam Dei vergūt, ac ſalutem animæ: hæc verò omnia ipſamet exponit, declarat, docet, aperit diuina Scriptura ſiuè per ſenſum literalem, ſiuè moralem, ſiuè allegoricum: ecce ergò ſubordinatio totius ipſius hominis, ſiuè humani ſenſus ad ipſos Scripturæ ſacræ diuinos ſenſus.

Matt. 5. Marc. 4.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum plures admictat ſenſus ſacra Scriptura.

Hæretici Scripturæ ſenſus irrident, & luſus vocant Concionatorum.

1 Eferēte Euſebio lib. 3. hiſtor. c. 57. Porphyrius aduerſus Chriſtian. l. 3. multiplicem Scripturæ ſenſum irridet, negatque fore multipliciter interpretandam ſcripturam. ſequitur eum Eraſmus epiſt. ad Imperat. vbi ait, *Veteres Eccleſiæ Doctores in allegorijs explicandis partim ſic variāt, ſic agunt, vt nihilominus ludere videantur*: atque hoc ſingulariter de D. Dionyſ. Areopag. aiebat Eraſmus, *ludens*, inquit, *in allegorijs, quod eſt otioſorū hominū ſtudium* Fauere videtur Abulenſ. aſſerens nullum myſticum ſenſum eſſe ad mentem Spiritus ſancti, quin potius omnes eſſe fictiones Concionatorum in cap. 2. Matth. quæſt. 525. & in c. 13. quæſt. 18.

Scriptura multiplices cōtinet ſenſus Spiritus S.

2 His tamen non obſtantibus dicendum catholicè eſt, Scripturam ſacram multiplices continere poſſe, ſicut de facto continet ſenſus, pluresq; ex ijs, eſſe de mente Spiritus ſancti, nēpè eos, qui verè fundamētū habent in Scriptura ſacra. ita Theologi omnes, ſiuè ad prologum libri primi ſentent. ſiuè ad 1. par. D. Tho. q. 1. art. 10. idque idem probat ibid. D. Th. & quidem potuit Deus facere, vt ſcriptura vna plures contineat ſenſus. eſt namque Scripturæ ſacræ Author Deus, vt di-

dictum eſt. Quod verò nedum potuerit id facere, ſed & fecerit, probatur ex Paul. 1. Cor. 10. in veteri, inquit, lege, *omnia in figuris contingebant eis*, ergò aderat figura, & figuratum. ergò multiplex ſenſus, figuræ alter, alter figurati. alter quidem importatus per voces, per res alter. Confirmatur Ioannis 19. *os non comminuetis ex eo*: locus hic tùm de agno paſchali, tùm de Chriſto Domino ab omnibus intelligitur. *Abrahã* duos filios habuit, vnum de Ancilla, alterum de libera, quæ ſunt *per allegoriam dicta*, inquit Apoſtolus ſignificabant autem duo teſtamenta nouum, & vetus. Addimus, quòd ſi mens humana voces adaptat, & nomina adinuenit, quibus plura ſignificentur, multò amplius id præſtare poterit Spiritus ſanctus. prob. conſeq. etenim Spiritus ſanctus eſt fœcundior tùm in intelligendo, tùm in nominando, tùm denique in efficiendo ipſa mente humana: aſſumptum probatur, dicere namque ſolemus, *Lupus eſt in fabula*, ideſt præſentẽ eſſe eũ, de quo loquimur, per vocẽ quoque *Lupus* intelligimus tùm animal illud rapax, tantopere ouibus infeſtũ, tũ hominem alioqui ventri deditum, atque voracem. hæc eadem inſuper vox, *Vulpis*, animal illud alioqui naturæ talis importat; ſimul ſignificãs hominem aſtutum, ac deceptorem: ſicut & de prædicta voce *Lupus*, Chriſtus aiebat, ſicut & de voce *Ouis*, *veniũt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt* Lupi rapaces. Matt. 11. Ex eadem inſuper arbore, ex eademque radice truncus emanat, rami, flores, frondes, fructus, adeo enim eſt fœcunda natura, vt ex vna radice hæc omnia educat: quin fœcundior erit Scripturæ ſacræ arbor. quæ in Apocalypſi Ioannis 15. fructum dat per ſingulos menſes. Ac demũ, *ſemel loquutus eſt Deus*, inquit Vates, pſal. 61, *at duo hæc audiui*. quòd ſi ſemel loquitur homo, & plura dicit: non mirùm ſi ſemel loquẽs Scripturæ Auctor Deus per locum Scripturæ eundem plura ſignificet. Rurſus negato ſcripturarum multiplici ſenſu ruunt labores, inſudationes, ſtudia Sãctorum Patrum; quorſum enim elaborauit Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Auguſtinus, cæterique? quorũ primus in ſenſu literali enituit, ſecundus allegoria, tertius tropologia, & quartus præfulſit in adinuenienda ipſa anagogia. Negarentur item, ac de medio Scripturarum tollerentur, methaphoræ, tropi, ironiæ, parabolæ, ſimilitudines, & his ſimilia, quibus paſſim referta eſt, & delectatur ipſa Scriptura Ita nobis tradidere Origen. lib. 10. in cap. 15. ep. ad Rom. & lib. 4. Periarc. c. atque homil. 2. & 7. in Gen. Hieron. in Coment. epiſt. ad Galat. 4. Auguſtin. in oper. imperf. ſuper Gen. 2. & 1. de Geneſ. ad lit. c. 1. ſæpiuſque alibi. Cyrill. l. 1. in Leuit. Ambroſ. ſer. 14. 14. in pſal. 108. Bern. ſer. 61. ex paru. Patreſq; omnes. Adſtipulantur Scholaſtici ad loc. citat. ſicut etiam Nicolaus de Lyr. in prol. 2. & 3. in Poſtill. Burgenſis ſuper vtrumque prol. Alphonſ. à Caſtr. lib. 1. aduerſ. hæreſ. c. 5. Mich. Med. de rect. in Deum fid lib. 6. cap. 25. Sixt. Senenſ. l. 3. Bibliot. cæteriq; Theologi.

Quatuor Patres Eccleſiæ Doctores floruerunt ſingulariter in quatuor ſenſibus.

3 Et hinc tandem deducimus mẽtitum fuiſſe Porphyrium aientem, pluralitatem ſenſuum adinuentam fuiſſe ſolummodo ab Origene, itaut fundamentum nullum, aut ſubſiſtentiam habeat in ipſa diuina Scriptura; mentiri quoque hæreticos dicentes ſenſus ipſos eſſe luſus, atque ſomnia Concionatorum; etenim varietas hęc fundamentum habet in ſcriptura, prout ex dicendis conſtabit.

Porphyrij error.

4 Dixi in aſſertione, eos ſenſus eſſe de mente Spiritus ſancti, qui fundamentum habẽt in ſcriptura; etenim tales debent eſſe ſcripturæ ſenſus, vt in ſcriptura fundentur, non autem vt quiſque ſuo ex arbitrio eos fingat, & pro libito abſque rationabili fundamento adinueniat, vt ex infra patebit.

Senſus illi ſunt de mẽte Spiritus ſancti, qui fundamentum habẽt in Scriptura.

5 Totam rem perluſtret Gregorius; is enim lib. 20. moral. cap. 1. ait: *ſacram Scripturam in hoc cæteris diſciplinis præire, ex quo, eodem ſermone dũ narrat textum, prodit myſterium*. & Auguſtinus l. 1. ſuper Geneſ. ad lit. c. 1. inquit, *in libris omnibus ſanctis intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuncientur, quæ agenda præcipiantur, vel moueantur*. hinc ſatis conſtat multiplicem eſſe poſſe, immo & de facto eſſe ſacræ Scripturæ ſenſum.

6 Hoc

6 Hoc totum in Paulo conuincitut; nam 1. Cor. 1. ait, *Patres noſtri ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierũt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eũdem potum ſpiritualem biberunt*. ecce textus, vt Gregorius loquitur: eſt autem myſterium, nempè filios Iſrael ex Aegypto exeuntes, mare rubrum tranſeuntes, ambulantes ſub nube, mãducantes manna, ac bibentes aquã de petra; ſignificaſſe exitũ noſtrũ de ſeruitute peccati per Chriſtũ: per mare rubrum ſignificari baptiſmum rubricatũ ſanguine paſſionis Chriſti, per manna Corpus eiuſdẽ Chriſti in Eucharistia, per aquam sãguinẽ eiuſdẽ Chriſti, vna cũ aqua exeunte de latere Chriſti, & per petram, eundem Chriſtum.

QVÆSTIO QVINTA.

Quotuplex ſit ſenſus ſacræ Scripturæ, & quinam vnuſquiſque.

Senſuum diuiſio ex Auguſt.

1 Diuidit in primis Auguſtinus, diuidit Hieronymus, diuiduntq; Scholaſtici Scripturæ sẽſus. vtrum verò lis aliqua eſsẽtialis ſit inter illos, dum variare videntur inter ſe, nequaquam id. Et quidem Auguſtinus diuidit in hiſtoricũ, ęthiologicũ, analogicũ, & allegoricũ, lib. de vtilit. cred. cap. 3. Primus ſenſus traditur, cùm id, quod dictũ, factumuè eſt, enarratur. Secundus, cum cauſa factæ rei, vel dictæ traditur. Tertius, quando vtrumque teſtamentum vetus, & nouum inter ſe conuenire oſtenditur. & quartus, vtpote cum ea, quæ facta, dictaque ſunt non ad literam accipienda ſunt, ſed figuratè. exemplum primi affert cùm Chriſtus Matt. 12. hiſtoriam refert panis propoſitionis, comedente Dauid panes propoſitionis ex 1. Reg. 21. Exemplum ſecundi ex eodẽ Matt. 19. vbi cauſa redditur libelli repudij, quod permiſerat Moyſes, nempè *ob duritiem cordis Iudæorum,* ad interemptionem vitandam vxorum. de tertio licet exemplum non afferat, quadrat tamen id, quod tantopere docet Paulus, *omnia in figuris contingebant eis*: vnde concordat figura, quod eſt vetus; & figuratum, quod eſt nouum teſtamẽtum. atque ſæpius in nouo inſtrumento dicitur, *vt adimpleretur Scriptura*. Matt. 1. 4 & 26. *quomodo implebuntur ſcripturæ?* vnde concinnitas patet, & analogia teſtamenti vtriuſque. Exemplum quarti Matt. 12. ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.

2 Hieronymus verò epiſt. 150. ad Edibiam quæſt. 12. tripliciter diuidit. primo In hiſtoriam, ſecundo iu tropologiam, & tertio in ſenſum ſpiritualem. Vtrum autem Auguſtinus, & Hieronymus diſſideant: apertè quidem conueniunt in ſenſu hiſtorico, vt conſtat. Cæterum penes ſenſus alios nonniſi verbatenus videntur differre; etenim myſtici ſenſus ſub ijſdem terminis ab ambobus comprehenduntur, niſi quod alter explicatius, rem proponit, alter ſtrictius. nec ab ijſdẽ diſſentiunt Scholaſtici cæteri; nec ij à Scholaſticis, niſi quod Scholaſtici rem amplius expandunt, diſtinguunt, diuidunt, elucidant, vt dicemus. *Senſuum diuiſio ex Hieron.*

3 Ad Scholaliſtos ergo, cæteroſq; Theologos deſcendendo, quadruplex eſt diuiſio ſenſuum ipſius ſacræ Scriptura *Senſuum diuiſio ex Scholaſticis.*

turæ: & quidẽ morem eorum ſectando diuidimus primò, vt ſenſus generatim loquẽdo duplex ſit, alter literalis, ſeu hiſtoricus: alter myſticus, ſeu ſpiritualis, literalis manet quidem in ſua indiuiſibilitate: myſticus, ſeu ſpiritualis ſubdiuiditur, in allegoricum; tropologicum, ſeù moralem, atque anagogicũ. ita Lyranus, Burgenſ. citati; & quotquot adduximus quæſt. anteced. hinc verò ſit quatuor eſſe ſenſus ipſius ſacrę Scripturæ literalem, allegoricum, tropologicum, atque anagogicum. Vtrum autem addenda ſit, & diuiſio altera, ſeu membrum aliud, dicetur poſtea. Vtrum etiam diuiſio hæc ſit eſſentialis: videbitur infra quæſt. 10.

Senſus myſtici triplicata diuiſio in ordine ad triplicem differentiam temporis.

4 Diuiſio tripartita myſtici ſenſus habetur, vel per analogiam ad triplicem differentiam temporis, vel ad triplicem theologicam virtutem. loquendo quidem de tempore, quod diuiditur in præteritum, præſens, & futurũ, habetur triplex iſte ſenſus, vt tempori præterito correſpondeat allegoricus, ſeu figura, & vmbra, quia in veteri teſtamento talia erant ſub vmbra, & figura: omni tempori vitæ correſpõdeat tropologia, ſiue conuerſio ad mores, fidem, iuſtificationem, & gratiam: & futuro correſpondeat anagogia, cùm ipſa ſit gratia ſperandæ ſalutis æternæ, quæ erit in ſæculo futuro. ſiue moralis indicat quid agendum omni tempore vitæ: allegoricus tempus gratiæ figuratum à tempore legis, & anagogicus tempus futuræ gloriæ.

In ordine ad triplicẽ theologicã virtutem.

5 Loquendo etiam de analogia ad triplicem virtutem, per allegoriam excitatur fides; etenim quæ geſta ſunt in veteri lege creduntur geſta inde, atque adimplenda in noua: per tropologiam inflammatur Charitas; ſiquidem quæ geſta, d·&aq; ſunt in vtroque teſtamento, *ea in noſtram deſcripta ſunt doctrinam.* inquit Apoſt. vt ſeruãdo legẽ, Deum amemus, & proximum; tota enim lex ab his duobus præceptis pendet, *diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum.* ac per anagogiam erigitur ſpes; quàndoquidem credendo per fidem, & operando per charitatem, ſpem habemus, & fiduciam conſequendę ſalutis æternæ; ſicque Apoſtolus Rom. 10. *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarũ ſpem habeamus.* adiuncto verò ſenſu literali ſequitur vt quatuor ſint, ſenſus ſcripturarum.

Senſuum diuiſio diſtico comprehenſa.

6 Diuiſionem hanc diſtico complectitur Lyranus in 1. & 3. prol. Bibl. inquiens,

Litera geſta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas: quo tendas anagogia.

Senſuum omniũ per exempla illuſtratio.

7 Licet autem rem totam exemplis illuſtrare. & quidẽ Galat. 4. *Abraham duos filios habuit: vnum de Ancilla, alterum de libera.* hucuſque habetur hiſtoria, ſeu ſenſus literalis. quæ ſequuntur, indicant ſenſum allegoricum, ait .n. *hæc ſunt duo teſtamenta quæ ſunt per allegoriam dicta.* ecce ſenſus allegoricus; pergit indè, *ſed quomodo tunc is,* qui ſecũdùm carnem natus fuerat perſequebatur, qui ſecundùm ſpiritum, *ita & nunc.* hæc ſenſum indicant moralẽ, & tropologicum; malè enim agebat filius Ancillæ perſequens filium Saræ, Dominæ, & liberæ: demum concludit, *illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* hic verò ſenſum indicat anagogicum: Ieruſalem namque ſuperna eſt Ciuitas Beatorũ, ad quam tendimus, quam ſperamus. in Scriptura hac quatuor omnes recenſentur ſenſus. Conſimiliter in eadem conſiſtendo vltima voce *Ieruſalem,* teſte eodem Lyrano, qui & ex Hieronymo deſumpſit, quatuor ſignificat: in ſenſu namque literali, & hiſtorico Ciuitatem illam, & Vrbem Paleſtinæ, in qua paſſus eſt Chriſtus Dominus. in ſenſu allegorico Eccleſiam militãtem. in ſenſu tropologico animam fidelem Deo obſequentem: & in ſenſu anagogico cęleſtem Patriam Beatorum, quæ eſt Eccleſia triumphans. ſicut & vox iſta *aqua,* in hiſtorico ſenſu elementum aquæ fluidæ denotat: in allegorico baptiſmum, qui & conficitur in elemento aquæ: *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* in tropologico tribulationes, *ſaluum me fac Domine quoniam intrauerunt aquæ in animam meam.* & in ſenſu demum anagogico Patriam illam cœleſtem, è cuius fonte *fluunt aquæ viuæ ſalientes in vitam æternam,*

Spe-

Speciatim verò de allegorico habetur Io:3. de ſerpente æneo ex Num. 21. *ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* dum ſerpens ille æneus exaltatus figura erat Chriſti Domini exaltati in Cruce. Lucæ 11. *non dabitur niſi ſignũ Ionæ Prophetæ*, fuit verò figura Chriſti dormiẽtis tribus diebus in ſepulchro, ſicut Iona in ventre Cethi. tropologici exemplum extat penes Deuteronom. 23. citatũ ab Apoſt. 1. Cor. 10. *non alligabis os boui trituranti*; quod moraliter intelligendum eſt de Euangelij, Templique Miniſtris; etenim *qui altari ſeruiunt, de altari viuere debent*, teſte eodem: ac demum de anagogico Idem Paulus ad Hæbr. 3. 4. vbi expendens illud Proph. pſal. 94. *hodie ſi vocem eius audieritis*; ait multos excluſos, atque excludendos fore à cęleſti Hieruſalẽ, Patria Paradiſi: ſicut introducendos fore eos, qui audiẽtes vocem Dei, nec obdurantes corda ſua, legem ſeruauerunt, atque adimplerunt. De ſingulis autem erit diſcurrendum, at prius de ſenſu literali, inde de myſtico.

QVÆSTIO SEXTA.

Quid ſit ſenſus literalis.

Sẽſus literalis quid ſit ex Lyrano.

1 VAriè ſenſum literalẽ explicãt aliquĩ Doctores. primo autẽ loco occurrit Lyranus; is namq; prol. 3. Bibl. docet sẽſum literalem eſſe illum, qui per voces ipſas ſignificatur: hinc verò deducitur eius mentem eſſe aliquãdo Scripturam carere ſenſu literali: ſequitur hoc; etenim ſi literalis ſenſus eſt ille, quem voces ſignificant: dum in Scriprura extat locus aliquis, in quo ex vocibus nullus poteſt rationabilis ſenſus deduci, conſequens eſt, vt locus ille careat ſenſu literali; talem verò adeſſe locum probatur tùm Matth. 5. *ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizet te, abſcinde eum*; tùm Iudic. 9. *ierunt ligna vt vngerent ſibi Regem*; tùm Matth. 7. *qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*; ac Lucæ 14. *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animã ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* quæ loca ſi iuxta voces intelligantur, ſequitur vt poſſit quiſque manum, pedemq; abſcindere pro libito, oculum eruere, vitam ſuam odiſſe, odio etiam proſequi parentes, affines, & cõſanguineos, quod tamen eſt graue crimen. quomodo etiam ligna pedes habent vt ambulent: & qualis in eis eſt politica norma, vt congreſſum ineant, Concilium cogant, & eligant ſibi Regem? ergò ſenſu carẽt loca hæc & ſimilia, literali. ſenſus igitur literalis ex Lyrano eſt, quem voces ipſæ ſignificant.

Abulenſis ſententia.

2 Abulenſis in cap. 13. Matt. q. 28. ſenſus literalis, ait, eſt, quem Spiritus ſanctus aut vocibus, aut rebus intendit. ex hac etiam deſcriptione alterum deducitur, vt æſtimet Abulenſis ſolum ſenſum literalem eſſe à Spiritu ſancto intentum: myſticum nequaquam; eſſe verò myſticum, inuentum Concionatorum, atque Gloſſatorum.

Sententiã aliquorum aliorum.

3 Sunt & aliqui alij, qui penes Zumel. quæſt. 3. aiunt, ſenſum literalem eſſe eum, quem immediatus Auctor intendit. ſiue ſit perſona dicens, nempè in Scriptura loquens, ſiue in eadem ſcriptura ſcribens, atque à Deo introducta ad loquendum, & ſcribendum.

Sententia quorundã.

4 Addunt alij penes eundem, non oportere quod ſemper talis ſenſus ſit à Spiritu Sancto intentus. probatur id

turæ: & quidẽ morem eorum ſectando diuidimus primò, vt ſenſus generatim loquẽdo duplex ſit, alter literalis, ſeu hiſtoricus: alter myſticus, ſeu ſpiritualis, literalis manet quidem in ſua indiuiſibilitare: myſticus, ſeu ſpiritualis ſubdiuiditur, in allegoricum; tropologicum, ſeù moralem, atque anagogicũ. ita Lyranus, Burgenſ. citati; & quotquot adduximus quæſt. anteced. hinc verò fit quatuor eſſe ſenſus ipſius ſacrę Scripturæ literalem, allegoricum, tropologicum, atque anagogicum. Vtrum autem addenda ſit, & diuiſio altera, ſeu membrum aliud, dicetur poſtea. Vtrum etiam diuiſio hæc ſit eſſentialis: videbitur infra quæſt. 10.

Senſus myſtici triplicata diuiſio in ordine ad triplicem differentiam temporis.

4 Diuiſio tripartita myſtici ſenſus habetur, vel per analogiam ad triplicem differentiam temporis, vel ad triplicem theologicam virtutem. loquendo quidem de tempore, quod diuiditur in præteritum, præſens, & futurũ, habetur triplex iſte ſenſus, vt tempori præterito correſpondear allegoricus, ſeu figura, & vmbra, quia in veteri teſtamento talia erant ſub vmbra, & figura: omni tempori vitæ correſpõdeat tropologia, ſiue conuerſio ad mores, fidem, iuſtificationem, & gratiam: & futuro corrreſpondeat anagogia, cùm ipſa ſit gratia ſperandæ ſalutis æternæ, quæ erit in ſæculo futuro. ſiue moralis indicat quid agendum omni tempore vitæ: allegoricus tempus gratiæ figuratum à tempore legis, & anagogicus tempus futuræ gloriæ.

In ordine ad triplicẽ theologicã virtutem.

5 Loquendo etiam de analogia ad triplicem virtutem, per allegoriam excitatur fides; etenim quæ geſta ſunt in veteri lege creduntur geſta inde, atque adimplenda in noua: per tropologiam inflammarur Charitas; ſiquidem quæ geſta, d&aq; ſunt in vtroqne reſtamento, *ea in noſtram deſcripta ſunt doctrinam*. inquit Apoſt. vt ſernãdo legẽ, Deum amemus, & proximum; tota enim lex ab his duobus præceptis pender, *diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum*. ac per anagogiam erigitur ſpes; quàndoquidem credendo per fidem, & operando per charitatem, ſpem habemus, & fiduciam conſequendę ſalutis æternæ; ſicque Apoſtolus Rom. 10. *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarũ ſpem habeamus*. adiuncto verò ſenſu literali ſequitur vt quatuor ſint, ſenſus ſcripturarum.

6 Diuiſionem hanc diſtico complectitur Lyranus in 1. & 3. prol. Bibl. inquiens,

Senſuum diuiſio diſtico comprehenſa.

> *Litera geſta docet, quid credas allegoria:*
> *Moralis quid agas: quo tendas anagogia.*

Senſuum omniũ per exempla illuſtratio.

7 Licet autem rem totam exemplis illuſtrare. & quidẽ Galat. 4. *Abraham duos filios habuit: vnum de Ancilla, alterum de libera*. hucuſque habetur hiſtoria, ſeu ſenſus literalis. quæ ſequuntur, indicant ſenſum allegoricum, ait .n. *hæc ſunt duo teſtamenta quæ ſunt per allegoriam dicta*. ecce ſenſus allegoricus; pergit indè, *ſed quomodo tunc is*, qui ſecũdùm carnem narus fuerat perſequebatur, qui ſecundùm ſpiritum, *ita & nunc*. hæc ſenſum indicant moralẽ, & tropologicum; malè enim agebat filius Ancillæ perſequens filium Saræ, Dominæ, & liberæ: demum concludit, *illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra*. hic verò ſenſum indicat anagogicum: Ieruſalem namque ſuperna eſt Ciuitas Beatorũ, ad quam tendimus, quam ſperamus. in Scriptura hac quatuor omnes recenſentur ſenſus. Conſimiliter in eadem conſiſtendo vltima voce *Ieruſalem*, teſte eodem Lyrano, qui & ex Hieronymo deſumpſit, quatuor ſignificat: in ſenſu namque literali, & hiſtorico Ciuitatem illam, & Vrbem Paleſtinæ, in qua paſſus eſt Chriſtus Dominus. in ſenſu allegorico Eccleſiam militãtem. in ſenſu tropologico animam fidelem Deo obſequentem: & in ſenſu anagogico cęleſtem Patriam Beatorum, quæ eſt Eccleſia triumphans. ſicut & vox iſta *aqua*, in hiſtorico ſenſu elementum aquæ fluidæ denotat: in allegorico baptiſmum, qui & conficitur in elemento aquæ: *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* in tropologico tribulationes, *ſaluum me fac Domine quoniam intrauerunt aquæ in animam meam*. & in ſenſu demum anagogico Patriam illam cœleſtem, è cuius fonte *fluunt aquæ viuæ ſalientes in vitam æternam*.

Spe-

Speciatim verò de allegorico habetur Io:3. de ſerpente æneo ex Num. 21. *ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* dum ſerpens ille æneus exaltatus figura erat Chriſti Domini exaltati in Cruce. Lucæ 11. *non dabitur niſi ſignũ Ionæ Prophetæ.* fuit verò figura Chriſti dormiẽtis tribus diebus in ſepulchro, ſicut Iona in ventre Cethi. tropologici exemplum extat penes Deuteronom. 25. citatũ ab Apoſt. 1. Cor. 10. *non alligabis os boui trituranti*; quod moraliter intelligendum eſt de Euangelij, Templique Miniſtris; etenim *qui altari ſeruiunt, de altari viuere debent*, teſte eodem: ac demum de anagogico idem Paulus ad Hebr. 3. 4. vbi expendens illud Proph. pſal. 94. *hodie ſi vocem eius audieritis*; ait multos excluſos, atque excludendos fore à cęleſti Hieruſalẽ, Patria Paradiſi: ſicut introducendos fore eos, qui audiẽtes vocem Dei, nec obdurantes corda ſua, legem ſeruauerunt, atque adimplerunt. De ſingulis autem erit diſcurrendum, at prius de ſenſu literali, inde de myſtico.

QVÆSTIO SEXTA.

Quid ſit ſenſus literalis.

Sẽſus literalis quid ſit ex Lyrano.

1 VAriè ſenſum literalẽ explicãt aliqui Doctores. primo autẽ loco occurrit Lyranus; is namq; prol. 3. Bibl. docet ſẽſum literalem eſſe illum, qui per voces ipſas ſignificatur: hinc verò deducitur eius mentem eſſe aliquãdo Scripturam carere ſenſu literalj: ſequitur hoc; etenim ſi literalis ſenſus eſt ille, quem voces ſignificant: dum in Scriptura extat locus aliquis, in quo ex vocibus nullus poteſt rationabilis ſenſus deduci, conſequens eſt, vt locus ille careat ſenſu literali; talem verò adeſſe locum probatur tùm Matth. 5. *ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizet te, abſcinde eum*; tùm Iudic. 9. *ierunt ligna vt vngerent ſibi Regem*; tùm Matth. 7. *qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*; ac Lucæ 14. *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animã ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* quæ loca ſi iuxta voces intelligantur, ſequitur vt poſſit quiſque manum, pedemq; abſcindere pro libito, oculum eruere, vitam ſuam odiſſe, odio etiam proſequi parentes, affines, & cõſanguineos, quod tamen eſt graue crimen. quomodo etiam ligna pedes habent vt ambulent: & qualis in eis eſt politica norma, vt congreſſum ineant, Concilium cogant, & eligant ſibi Regem? ergò ſenſu carẽt loca hæc & ſimilia, literali. ſenſus igitur literalis ex Lyrano eſt, quem voces ipſæ ſignificant.

Abulenſis ſententia.

2 Abulenſis in cap. 13. Matt. q. 28. ſenſus literalis, ait, eſt, quem Spiritus ſanctus aut vocibus, aut rebus intendit. ex hac etiam deſcriptione alterum deducitur, vt æſtimet Abulenſis ſolum ſenſum literalem eſſe à Spiritu ſancto intentum: myſticum nequaquam; eſſe verò myſticum, inuentum Concionatorum, atque Gloſſatorum.

Sententiã aliquorum aliorum.

3 Sunt & aliqui alij, qui penes Zumel. quæſt. 3. aiunt, ſenſum literalem eſſe eum, quem immediatus Auctor intendit. ſiue ſit perſona dicens, nempè in Scriptura loquens, ſiue in eadem ſcriptura ſcribens, atque à Deo introducta ad loquendum, & ſcribendum.

Sententia quorundã.

4 Addunt alij penes eundem, non oportere quod ſemper talis ſenſus ſit à Spiritu Sancto intentus. probatur id

ex colloquutione ſerpētis cum primis Parentibus, *Eritis ſicut Dij*: at verò id fuit falſum:neque enim id fuit Spiritus ſācti intentum, cum nec Dij euaſerint per eſum pomi, fuit enim falſa promiſſio .

Senſus literalis vera deſcriptio.

5 His tamen non obſtantibus aliter deſcribendus venit ſenſus literalis. eſt ergo ſenſus literalis ille, *quem ſacræ Scripturæ Auctor Spiritus ſanctus primo, & principaliter intendit per verba ſiue in naturali,propria,& hiſtorica;ſiue in metaphorica, & translatitia ſignificatione conſiderata.* hæc eſt verior, & cōmunior definitio ſenſus literalis. ita ex Auguſtino deducitur l. 3. de doctr. Chriſt. cap.5. 9. in verba illa 2.Cor. 3. *litera occidit.* Ait autem Auguſt. *ſi vel quæ in translatitia ſignificatione paſſim à Prophetis, atque in veteri teſtamento dicta ſunt, quaſi in ſignificatione propria dicta eſſe intelligantur: vel ſi in his, quæ in veteri lege,vt eſſent, velut vmbra & typus futurorum ad tempus inſtituta, & præcepta ſunt literæ dumtaxat in ſiſtendo, ſolus ſenſus literalis quæratur.* ita quoque ex D.Tho.ſup.Burg.cit.atque Sixto Sen.recenſit.vnà cum Caſtro l.2. aduerſ.hæreſ.cap.3. Adamo præfat. ad Iſaiam; Dried.l.1. de Script.c,2. cæteriſq; recentioribus.

In politicis vtimur, & metaphoris.

6 Eget verò ampliori lumine prædicta definitio. Eſt ergò pro eius illuſtratione recolendum id, quod penes homines in politicis accidere ſolet: & quidem ſolent homines prouerbijs, metaphoris,ironijs,tropis, ac ſimilitudinibus vti:itaut verba vſurpent quandoque in naturali,ac propria,quādoq; verò trāslatitia ſignificatione.ex vtroque autem concipiendi modo varia inde deducunt ſignificata.exemplum eſt de prouerbio hoc, *Lupus eſt in fabula*, vocē hanc *Lupus* dupliciter quidem vſurpant:in naturali, ac primaria, propriaque, ſiue hiſtorica ſignificatione: ac inde in ſignificatione translatitia, & metaphorica: primo ſenſu indicat animal tale, talis naturæ, cuius eſt Lupus; ſecūdo ſenſu homines per Lupum indicant adeſſe præſentem perſonam illam,de qua fiat colloquutio:vnde vulgo dicitur, *Lupus eſt in fabula.* ſi ſenſum literalē prouerbij huius quæramus, non recurrere debemus ad ſignificatum naturale, ac primarium vocis *Lupus*.non enim de animali, quod eſt Lupus, loquitur prouerbium; ſed recurrendum nobis erit ad ſignificationem translatitiam,& metaphoricā; ratio,quia ſignificatum prouerbij pendet ex intentione, & impoſitione dicentis *Lupus eſt in fabula.* ergo recurrendum remanet ad ſignificationem metaphoricam pendentem ex impoſitione: talis verò ſignificatio metaphorica appellanda veniet ſenſus literalis. Confirmatur; nam ſi ſenſum hunc elicere velimus ex ſignificatione vocis naturali, nequaquam aſſequemur mētem loquentis; non enim de vero Lupo loquimur:dum igitur prouerbij ſēſum elicere non poſſumus ex naturali ſignificatione;elicere eum debemus ex translatitia eiuſdem vocis conſideratione.

7 Hoc habito applicanda erit prædicta doctrina ad propoſitum noſtrum. aiebat Chriſtus Matt.10. *Ecce ego mitto vos in medio luporum*.& Matt.7. *veniunt ad vos in veſtimētis ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces.* ſi vocem *Lupus* in naturali ſignificatione ſpectemus,nullus inde ſenſus elicitur;non enim Chriſtus diſcipulos miſit ad Lupos, ſicut nec Prædicatores deſtinauit eos ad nemora, ad montes, in quibus deuorant,ac deprædantur lupi:ſed per lupos,homines intelligit,alioqui voraces,auaros,prædones,atque tyrannos, qui ſanguinem ſugunt Apoſtolorum, ac Martyrum prædicantium illis Euāgelium Chriſti; ſiue hypohritas intelligit ouinam ſimplicitatem ſimulantes, *dum tamen intrinſecus ſunt lupi rapaces* ſicut nec per oues ſumendum eſt animal tale huius generis in naturali ſignificatione vſurpatum: ſed homines veluti ouinam ſimplicitatem imitantes, vt vox ipſa ouis ſumatur in translatitia prorſus ſignificatione, taliſque erit verus ſenſus,ac literalis.Conſimilis erit ſenſus Pſal.33.*oculi Domini ſuper iuſtos.*Deus quidem oculis corporeis caret; eſt enim ſpiritus; ergo relicto naturali corporei oculi ſignificato, recurrendum eſt ad tranſlatum; transfertur enim oculus corporis ad oculum mentis,& intellectus,itaut ſēſus ſit, Deo eſt cura de omnibus, ſin-

guliſ-

gulisque hominibus, præſertim verò de iuſtis.

Quandocunq; non poteſt elici ex ſignificatione naturali vocum, recurrendum eſt ad translatitiam pro ſenſu literali.

8 Ex his licet inferre vniuerſalem regulam pro ſenſu literali: ea autem eſt, quod vbicunque non poteſt elici commodè, & rationabiliter ſenſus ex naturali, ſeu hiſtorica ſignificatione vocum, ſenſus eliciatur ex ſignificatione tranſlatitia, & metaphorica earundem vocum. ſic patet in exemplis recenſitis. ſic etiam exponenda veniunt loca initio adducta pro Lyrano. etenim abſciſſio manus, vel pedis, ſiuè oculi effoſſio, ſiue ſui, parentumue, atque affinium, & conſanguineorum fuga. & odium, non capienda ſint in naturali vocum ſignificatione, ſed tranſlatitia; nullus enim rationabilis ſenſus elici poterit ex ſignificatione tali, inſiſtendo in ipſa cortice literæ; verè enim ait Paulus *litera occidit*: ergò dum Chriſtus dicit, qui odit animam ſuã in hoc mundo: qui venit ad me, & non odit patrem ſuum &c. ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam: & huiuſmodi, verè ſenſus ex literæ cortice deductus occideret iuxta Paulum, & eriment admitteret qui vel ſibi membrum amputaret, vel Parentes odiſſet: cùm autem ex hinc deduci non poſſit ſenſus in naturali ſignificatione; deducatur ex ſignificatione translatitia, vt ſit ſenſus, debere vel membra noſtra mortificare, abſtinendo à vetitis, & illecebris, & amputando occaſionem peccati, ſi quã nobis præbeant parentes, & propinqui: & hic ſenſus eſt legitimus, & ſpiritualis, dat enim vitam ſpiritualem animæ, vnde ſubdit Paulus, *Spiritus autem viuificat.* ſic quoque de lignis euntib. vt facerẽt ſibi Regem: relicto namque naturali verborũ ſenſu, qui lignis quadrare non poteſt, recurrendum eſt ad tranſlatitiam ſignificationem, nempe Gentis illius Populi Sichem cõſtituere intendentis ſibi Regem. quemadmodum cùm Chriſtus de ſe dicit Io: 15. *Ego ſum vitis vera, & vos palmites*, naturali vitis relicto ſignificato, ac palmitum, recurrendum eſt ad tranſlatitium; ait enim Auguſt. *dicitur vitis per ſimilitudinem, non per proprietatem.* tr. 80. in Ioan. ſic dum dicitur Leo, Petra, Agnus, & huiuſmodi: ſubſequente eodem ibi Auguſtino, *quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera huiuſmodi, quæ magis ipſa ſunt vera, ex quibus ducuntur iſta ſimilitudines, non proprietates.* ex qua vniuerſali regula ſequitur, vt nullus ſit Scripturæ locus, qui ſenſu careat literali: ſed de hoc infrà in propria quæſt.

9 Ex dictis iam explicata remanet particula illa definitionis, in qua dicebatur, *ſiue in naturali, & hiſtorica, ſiue metaphorica, & tranſlatitia ſignificatione.* ſequuntur & particulæ aliæ declarandæ.

Senſus literalis, & myſtici differentia.

10 Dixi in definitione, *primò, & principaliter*, ad hoc vt ſenſum literalẽ diſtinguamus à ſenſu myſtico, & ſpirituali: & quidem ſenſus literalis importatur per voces: ſenſus myſticus per res importatas à vocibus: literalis importatur per voces proximè, myſticus quaſi remotè. hinc verò deducitur ſenſum literalem importari primario: myſticum verò ſecundario, probatur hoc; nam voces ſunt priores conceptibus, vt conſtat: at literalis importarur per voces, ſiue naturali, & hiſtorica ſignificatione, ſiue metaphorica, & tranſlatitia: myſticus importatur per res ſignificatas ex vocibus, ergò ſenſus literalis importatur primò, & proximè. Itẽ ſenſus literalis eſt fundamentum primarium; ſuper eo namque fabrica conſurgit myſtici ſenſus, ergò ille erit importatus primario. ſenſus literalis importatur vocibus proximè, myſticus importatur rebus proximè, vocibus remotè: amplius infra loquendo de ſẽſu ſpirituali, & myſtico.

Abulenſis error.

11 Dixi *Scriptura auctor Spiritus ſanctus*; etenim Spiritum ſanctum eſſe Scripturæ auctorem ſuperius eſt demonſtratum. eſt ergò ſenſus literalis, quem Spiritus ſanctus intendit &c. ex hoc tamen non licet cõtradicendo cęteris ſenſibus hoc aſſerere; ait enim Abulenſis ſolùm ſenſum literalem eſſe à Spiritu ſancto intentum, in quo errat, & eſt communis Patrum, & Theologorum ſententia contra eum: cæteri ergò ſenſus, fundamentum habentes in Scriptura ſunt quoque intenti à Spiritu ſancto. at differentia erit, vt literalis intendatur primo; cæteri inde, ſubſequenter; ratio quoniam literalis eſt fundamentum, ergò ſub hac ratio

ne præcedit,& intendirur primo.

In ſeſibus myſticis in teruenit or do.

12 Quæres vtrum interueniat ordo in talibus ſenſibus myſticis. Iam conſtito literalem eſſe primum; ſiquidem ordinatè progrediamur, vt plurimum talis erit ordo, vt poſt literalem ſubſequatur allegoricus, inde tropologicus, ac demum anagogicus. probari poteſt ex analogia vtriuſque teſtamenti; ſiquidem vetus teſtamentum erat figura noui; igitur hinc habetur ſenſus allegoricus. per allegoriam enim credimus geſta in veteri, fore inde complenda in nouo teſtamento. poſt hunc ſequatur moralis; quia lex noua docet nos ita agere, ita viuere, atque ſubſequenter ſe habere ad ea, quæ actitata ſunt in nouo teſtamento: ac denique ex horum completione ſubſequatur aſſequutio gloriæ, quæ importata venit per ſenſum anagogicum. licet hoc ex D. Paulo elicere: is namque Galatarũ 4. ita loquitur, *Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, alterum de libera: hæc ſunt duo teſtamenta; quæ ſunt per allegoriam dicta: ſed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nũc; illa autem, quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* primo quidem loco habetur ſenſus literalis, dum factũ narratur Abrahæ habentis duos filios; ſecundo hebetur ſenſus allegoricus, dum Paulus ait, ſignificari duo teſtamenta. *quæ ſunt per allegoriam dicta.* tertio habetur ſenſus tropologicus, & moralis, dũ improperatur perſecutio Iſaac facta ſibi à filio Agar Ancillæ: ac quarto ſenſus habetur anagogicus, dum recolitur cęleſtis illa Hieruſalem patria Beatorum, quæ libera eſt ab omni perſecutione. ecce ergo ordo ſenſuum tùm literalis, tùm myſtici, & ſpiritualis, qui vt plurimum talis eſt, vt recenſuimus. Dixit vt plurimum, quandoquidem vbi non omnes repeliuntur quatuor ſenſus, non opus eſt talem ordinem texere: exemplum ſit, *diliges Dominum Deum tuum.* hinc primo ſenſus habetur literalis præcepti dilectionis Domini. quia verò omni tempore diligendus eſt Dominus. tùm in veteri, tùm in nouo teſtamento, tùm in præſenti, tùm in futura vita, quomodo exquirendus erit ibi ſenſus allegoricus? vtique aderit ſenſus tropologicus, & moralis, & hic hoc in loco non videtur diſtingui à ſenſu literali; etenim pręceptum dilectionis Dei, & proximi pertinet ad mores. virtute tamen, & veluti in cauſa adſit hic ſenſus anagogicus, quoniam diligentes Deum expectant vitam æternam, *hæc fac, & viues.* Luc. 10. Ad ſummũ verò vbi deeſt exempligratia ſenſus aliquis, ſubrogabitur loco eius ſenſus alter poſt ſcſũm literalem, & ſic deinceps quouſq; euacuentur ſenſus omnes, qui Scripturæ competunt myſtici, & literales. Ita ordinat Origen. homil. 2. in Geneſ. dando primum locum literali, ſecundum allegorico, tertium tropologico, quartum anagogico: Hieronymus autem tribuit ſecundum locum tropologico ſuper c. 22. prouerb.

Vtrum omnium contētorum in Scriptura ſit Spiritus S. auctor.

13 Redeundo autẽ ad ſacræ Scripturæ auctorem, iam dictum eſt Spiritũ ſanctum eſſe eius auctorem. Oritur verò lis vtrum omnium contentorum in Scriptura ſit Spiritus ſanctus auctor. Reſpondendum primo auctorem eſſe eorum omnium, quæ rationabiliter, legitimè, iuſtè, atque ſanctè geſta, atque dicta, ſiue cogitata ſunt; etenim omnis boni auctor eſt ipſe Deus, omneque bonum procedit ex inſtinctu Spiritus ſancti, prout ex materia de gratia conſtat. Dicendum ſecundo quòd loquendo de male geſtis, de peccatis, de criminibus, de mendaciis, & huiuſmodi, quæ in Scriptura narrantur, nequaquã auctorem habent Spiritum ſanctum, eſſet enim hæreſis Manichęorum aſſerentium dari quendam Deum malum, qui ſit auctor mali: mala verò in Scripturis relata auctores habẽt ipſos peccatores: & ita cum Gen. 3. habetur, *eritis ſicut Dii*, & Lucæ. 4. *hæc omnia tibi dabo ſi cadẽs adoraueris me.* auctor iſtorum non eſt Spiritus ſanctus, ſed Serpens, & Diabolus, qui eſt caput ſuperborum, & pater mendacii: ſic de ſimilibus. Dicendum tertio eatenus in vniuerſum eſſe Scripturæ auctorem Spiritum ſanctum, quatenus Spiritus ſanctus ſpeciali aſſiſtentia ſacris aſſiſtit Scriptoribus, vt ſine errore, ſine fallacia, veraciter, & ſincere ſcribãt ea, quæ in Scriptura introducuntur ſiue dicta, ſiue cogitata, aut facta: duplici ergo ratione

tione erit auctor, tũ ratione eorũ, quę piè, & ſanctè geſta eſſe enarrantur in Scriptura, tùm ob peculiarem aſſiſtentiam ſacris Scriptoribus præſtitam, ne errent in ſcribendo: & ita ſacrum loquitur Concil. Trid ſup. relatum.

Vtrum sẽſus Scriptura cognoſcantur à ſacris Scriptoribus.

14 Sed quæritur, vtrum ſicut ſenſus literalis, & myſticus intenditur ſẽper à Spiritu ſancto, ita cognoſcatur etiam ab ipſamet perſona ſiue in Scriptura loquente, ſiue in Scriptura ſcribente. Reſp. primò, quòd vt plurimum ſacri Scriptores cognouerunt ſenſum ſinè literalem, ſiuè myſticos rerũ, quas ſcribebant; ratio, quia ipſi dati ſunt à Deo tanquam Doctores, & Magiſtri, qui primùm erant à Spiritu ſancto illuminati, & edocti, indè verò ad ſcribendum, & prædicandum, atque docẽdum, vt Apoſtoli, Euangeliſtæ, alijq; ſacri Scriptores. Dicendum ſecundò, nõ eſſe neceſſe, vt omnib. tales ſenſus ſint cogniti. probatur, nam Ionæ 3. dicitur, *adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur* Iſa. 38. *diſpone domui tuæ, quia morieris.* & Ioan. 11. de Caipha, *expedit vt vnus moriatur pro Populo, ne tota gens pereat*: at nec Ionas, nec Iſaias cognouit vltimatũ ſensũ ſuæ loquutionis; etenim nec Niniue ſubuerſa fuit, nec Ezechias mortuus. Itẽ de Caipha etiam habetur, quòd *non à ſemetipſo hoc dixit*: alia namque fuit intentio Spiritus ſancti impellendo Caipham ad ſic prophetantem, & alia ipſius Caiphas; etenim Spiritus S. intendebat mortem Chriſti Domini ad ſalutem, & liberationẽ totius generis humani: Caiphas verò id intendebat ad liberationem ſolius Populi Iudæorum, inquiens, *ne veniant Romani, & tollant locum noſtrũ, & gentem*. licet ergò vt plurimum ſacri Scriptores, ſiuè perſonæ loquentes id nouerint, non tamen id euenit ſemper de omnibus, & ſingulis: & hæc eſt doctrina D. Auguſt. lib. 12. Confeſſ. c. 12. de quo infra quæſt. 10.

QVÆSTIO SEPTIMA

Quinam ſit ſenſus literalis in metaphoris, parabolis, cæteriſq; figuratis loquutionibus reconditus.

Parabolarũ triplex acceptio.

1 PArabolæ in Scripturis cõtentæ ſolent tripliciter ſe habere, ait Caſtro: aliquãdo nãque continent de facto rem ipſam, quæ in ſimilitudinem adducitur: quandoque continent rem poſſibilem fieri: & tertio rem aliquando continent impoſſibilem fieri, licet adducatur in ſimilitudinem. exemplum primi Matt. 13. *ſimile eſt Regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier miſcuit farinæ ſatis tribus*, vel Luc. 13. *ſimile eſt Regnum Cælorum grano ſinapis*, vel Matt. 13. *ſimile eſt Regnum Cælorum ſagenæ miſſæ in mari.* exemplum ſecundi Matt. 20. *ſimile eſt Regnum Cælorum Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios ſuos &c.* alios ad horam primã, alios tertiam, alios ſextam, alios nonã: ũna cum redargutione illius, qui conquerebatur tantum accepiſſe, quantũ ille, qui ad horam venit vndecimam, dũ tamen ipſe à mane diluculo elaboraſſet, &c. exemplum tertij Iudic. 9. *ierunt ligna vt vngerent ſibi Regem.* ita Caſtro l. 1. aduerſ. hæreſ. cap. 3. à quo Vaſquez 1. p. diſp. 15. c. 4. & Becanus tract. de Scriptura c. 3. q. 4. Petes, ſi parabolæ quandoq; impoſſibilitatem continent,

cur

cur eſt vt adducantur in Scriptura?

Suppoſitio rei impoſſibilis prodeſt ad intelligendũ.

2 Reſp. in Phyſicis quoque accidere, vt Philoſophi ſuppoſitionem quandoque faciant falſam, indè tamen conſequentiam veram inferentes: vt ſi homo eſſet nitribilis, rudibilis, mugibilis, haberet quatuor pedes, tot enim habent equus, bos, &c. Scriptura igitur veritatem aliquam infert ex ſuppoſitione alicuius etiam impoſſibilis: hoc autem non ideo fit, vt ex impoſſibili ſequatur poſſibile, eſt namque id impoſſibile; non enim cauſa habere debet minus poſſibilitatis, quàm habeat ſuus effectus poſſibilis: nec id fit, vt ex falſo ſequatur verum, cùm id etiam ſit impoſſibile, ſed totum hoc præſtatur vt habeatur planior intelligentia eius, quod proponitur: iuuant enim ad intelligentiam rei etiam exempla deducta ab impoſſibili. ita quoque agere ſolent Aſtrologi in ſuis demonſtrationibus in Theorijs motus planetarum.

In parabolis duæ partes conſiderandæ.

3 In ijſdem quoque parabolis duas licet partes conſiderare: alteram, quæ rem continet, quæ adducitur in ſimilitudinem: & alteram, quæ applicationẽ continet ſimilitudinis. exemplum Matth. 13. *ſimile eſt Regnum Cælorum fermento, quod acceptum abſcondit in farina ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* vſque huc habetur prima pars, quæ quidem tota hiſtoria eſt, repręſentans factum ipſius mulieris, eſtque res adducta in ſimilitudinem. ſecũda pars erit myſterium abſconditum in hoc facto mulieris, ſiuè applicatio ſimilitudinis: eſt verò ſenſus, vt intelligendum veniat de ſacro Dei verbo, ſiuè Euangelio; ſiquidem quemadmodum fermẽtum vim habet, vt immiſſum in farinam mox eam creſcere faciat, & adaugeat; ita Euangelium Dei in Palæſtina prædicatum, tantæ fuit efficaciæ, vt mox totum Terrarum Orbem penetrarit, atque Eccleſiam multò maiorẽ, & ampliorem reddiderit. & hic ſenſus eſt ſecunda parabolæ pars, ſiuè parabolę ipſius applicatio.

Qualis prędictarum partiũ erit ſenſus literalis.

4 Hic autem quæritur qualiſnam harum partium erit ſenſus literalis, an prima, an ſecunda, an verò vtraq; pars. Reſpondet Caſtro id dubium eſſe, quapropter anceps in hoc extitit. Cæterũ videtur dicẽdũ rẽ adductã in ſimilitudinẽ eſſe ſenſum literalẽ, applicationẽ verò eſſe ſenſum myſticum: ſuadetur, quoniam illa eſt veluti hiſtoria, narratur enim hiſtoricè factum mulieris: ergò illa erit ſẽſus literalis, & hiſtoricus: item illa videtur eſſe literæ cortex, atque in ea contineri applicatio tanquã myſterium, ergò illa erit literalis, hæc ſenſus myſticus. Ex alio autem capite vtraque pars videtur ſenſus eſſe literalis: prima quidem ratione, qua continet hiſtoriam: & ſecunda, quoniam ad id affertur factum mulieris, vt inſinuetur applicatio talis facti; quod eſt diſſeminatio Euãgelij, & ampliatio Eccleſiæ. vtrumque veluti probabile ſequitur Vaſquez, & vtrumque docet prædicto cap. 4. & Becanus q. 4.

Adſunt & metaphorę, & hyperbolæ, & ironia, atque tropi in Scripturis.

5 Vltra parabolas adſunt in Scriptura metaphoræ; eſt autem metaphora ex Auguſt. l. contra mendacium c. 10. *de re propria ad rem non propriam verbi alicuius vſurpata translatio.* Adſunt hyperbolæ, cuiuſmodi eſt illud Geneſ. 11. *faciamus turrim, cuius cacumen pertingat vſque ad Cælum*; hoc eſt, turrim miræ celſitudinis, vnde conſurgit hyperbolica loquutio; adeſt Ironia, vt illud Gen. 3. *ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*; nempè lõgè aliter ei euenit, quàm cogitarat; adeſt & antiphraſis, ideſt contrariæ phraſis vſurpatio, vt Iob 1. *benedic Deo, & morere*, ideſt, *maledic*, ſicut 3. Reg. 21. de crimine falſo obiecto Naboth, *quod benedixerit Deũ, & Regem*, nẽpè quod maledixerit. adſunt & tropi alij, de quibus penes Pagnin. in Iſagog. ad Scripturam ſacram, eiuſq; ſenſus c. 19. adſunt deniq; & viſiones Prophetarum.

Qualis ſit ſenſus literalis troporum Scripturæ.

6 Illud nunc deſideratur, vt dicamus qualiſnam debeat eſſe ſenſus literalis omnium iſtorum. Et quidem abſolutè dicendum eſt ſenſum literalem horum omnium non eſſe, quem voces in propria, communi, vſitata, naturali, ac hiſtorica ſignificatione important; ſed quem important in ſignificatione tranſlatitia, & metaphorica. Eſt communis Doctorum quæſt. antec. citatorum. Et ratio eſt ibi allata, quoniam ſiſtendo in cortice literæ, & in ſignificatione vocum naturali non poterit rationabilis ſenſus deduci, immo quãdoque irrationabilis, vel nullus: igitur

recur-

recurrendum eſt ad tranſlatitiam ſignificationem. eſt verò is,ſenſus literalis, ratio quia is eſt à Spiritu ſancto primo, & principaliter intentus. quando ergò Matt. 19. dicitur, *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum.* non eſt ſenſus de caſtratione cruenti,& propria, ſed de obſeruatione caſtitatis.quãdo Ioãnis 15. dicitur, *Ego ſum vitis, & Pater meus agricola eſt,& Diſcipuli palmites,* nõn eſt ſenſus de vera vite,ſed myſtica,itaut qui Chriſto cohærent per fidem.ſpem,& charitatem,creſcent in vitam æternam,ſicut creſcit, & fructificat vitis alligata ad ſtipitem. Cùm Chriſtus dixit Matt.15. *exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* non eſt ſenſus de ruſtica ſeminatione, ſed de ſeminatione diuini Verbi per prædicationem Euangelij.Cùm dicitur Iudic.9.*ierunt ligna,vt facerent ſibi Regem*, nõ eſt ſenſus,quem verba important naturali ſignificatione; non enim ambulant ligna,ſed tranſlatitiè ſumenda ſunt de populis Sychem conuenientibus ad eligendum ſibi Regem. & vt plura omittã,quibus reſperſa eſt Scriptura,dum Matt.5.dicitur, *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum; ſi manus tua ſcandalizat te,abſcinde eam.* non eſt ſẽſus de abſciſſione, & eruitione corporali, quam verba in communi,& viſitata ſignificatione important, ſed de mortificatione membrorum, ſiue de ablatione occaſionis peccati,fugiendò ab ijs,qui occaſionem præbent peccãdi: ita in veteri teſtamento habetur Deuter. 13. *ſi tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus,vel filia,ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo,aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens, eamus, & ſeruiamus Dijs alienis, quos ignoras tu, & Patres tui;non acquieſces ei,nec audias nec parcat ei oculus tuus, vt miſereàris, & occultes eum, ſed ſtatim interficies.* Ita denique de viſionibus Prophetarum, dũ Daniel.8. habetur ſe vidiſſe *hircũ caprarium venientem ab Occidente,* ſenſus eſt de Alexandro in ſimilitudinem hirci veniente ab Occidẽte aduerſus Regem Medorum, atque Perſarum. ſicut & Ierem.15.dum dixit, *virgam vigilãtem ego video.* ſenſus literalis eſt de Deo, qui vigilat ſuper populum ſuum, vt ibi quoque exponit Scriptura, inquiente Domino, *benè vidiſti, quia ego vigilabo ſuper populum meum.*

Auguſtini regula de ſenſu literali,et myſtico.

7 Hæc omnia diſertiſſimè docuit Auguſt.lib.3. doctr.Chriſt. cap.10. inquiens, *quidquid neque ad morum honeſtatem,neque ad fidei veritatem referri poteſt, figuratè, & metaphoricè accipiendum eſt.* & cap 6. *ſi præceptiua,*inquit,*loquutio eſt Scripturæ, aut flagitiũ vetans, aut beneficentiam iubens; tunc propriè accipienda eſt: ſi autem flagitium videtur iubere, aut beneficentiam vetare,figurata locutio eſt.*

Scriptura vtrum vti debeat metaphoris.

8 Quæritur vltimo,vtrum neceſſe ſit Scripturam vti metaphoris. D.Th. art. 9. reſpondet metaphoram eſſe neceſſariam, & vtilem. de vtilitate quidẽ non dubitatur, plures enim parit vtilitates, vt dicemus: de neceſſitate verò videtur difficile, vt aſſeratur: & ratio eſt, quoniam poterat Spiritus ſanctus ſine metaphoris inſpirare Scripturam. item aliquando Diſcipuli dixere Chriſto Domino, *ecce nũc palàm loqueris, & nullum prouerbium dicis* Ioan.16.

Metaphoræ nõ ſunt neceſſariæ ſimpliciter,ſed ſecundùm quid,propter imbecillitatem noſtri intellectus.

9 Ideo dicendum,quòd loquendo de neceſſitate ſimpliciter, nulla eſt neceſſitas Scripturam vti metaphoris. prob. vbi Scriptura ait Apoc.5. *vicit leò de Tribu Iuda*, poterat ſine metaphora leonis dicere, *vicit Chriſtus.* itẽ Spiritus ſanctus Scripturæ auctor non eſt alligatus metaphoris, & prouerbijs;poterat ergo loqui ſine eis. Demum multa ſunt loca Scripturarum carentia metaphoris, vt patet, ergo poterat tota Scriptura inſpirari ſine metaphoris. Accedit recenſitum teſtimonium Apoſtolorum, *ecce nũc palàm loqueris, & nullum prouerbium dicis.* de neceſſitate ergò ſimpliciter, nulla eſt neceſſitas vtendi metaphoris: & fortè ad hunc ſenſum loquitur D.Tho. conuenit quoque Caietan. ibid. atq; Valent. t.1. d.1.q.1. p.6. §.3. dicẽs, Dionyſius cap.1.cęl. Hier.ait, *impoſſibile eſt nobis aliter lucere diuinum radium,niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum.* Reſpondet Caiet.per impoſſibile idem intelligi,ac neceſſarium:at reſpõſio eſt tùm contra ipſum negantem neceſſitatem, tùm contra factas rationes. Ideo dicendum non eſſe intelligẽdum Dionyſium vniuerſaliter de omnibus

nibus

nibus locis Scripturæ: multa enim traduntur apertè, & abſque metaphoris: ſed de aliquibus myſterijs altiſſimis, quæ adeo obſcura, & recondita ſunt, vt non poſſimus percipere ſine metaphoris.

10 Loquendo autem de neceſſitate ſecundùm quid, vt ſic neceſſariæ ſunt metaphoræ, & parabolæ, ac ſimilitudines, nempè quādo myſteria adeo alta ſunt, vt capi non poſſint ſine metaphora, & ſimilitudine, propter imbecillitatem noſtri intellectus.

Metaphoræ ſunt admodū vtiles.

11 Cæterū vtiliſſimæ ſunt ipſæ metaphoræ, & ſimilitudines: primò, vt rudes, & ſimplices per metaphoras intelligant ea, quæ ſine ipſis capere non poſſent, ita Chryſoſt. hom. 38. in Matt. Secundò, vt diuina myſteria occultentur infidelibus, & indignis, iuxta illud Matt. 7. *nolite ſanctum dare canibus*. ita Dion. cap. 2. cæl. hier. tertiò, ad domādam ſuperbiam noſtram labore, & ſtudio ſcripturarum. Auguſt. lib. 2. doctr. Chriſt. hinc Ammonius præfat. in prædicam. dixit, ob hanc rationem Ariſtotelē in ſuis operibus obſcuritatem obſeruaſſe, vt legentes redderentur ſtudioſiores. quartò, vt ex obſcuritate haberemus varias expoſitiones Sanctorum: quarum varietas vtilis eſſe ſolet, ait Auguſt. epiſt. 59. & Scot. in 3. d. 24. quæſt. vn. lit. E.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum in omni Scripturæ loco reperiatur ſenſus literalis?

Lyranus negat Scripturam habere ſæpè ſenſum literalem.

1 CArere pleroſque ſacræ Scripturæ locos ſenſu literali æſtimat Lyranus in 3. prol. Bibl. id verò cōtingit, inquit, duob. caſibus, primo quando occurrit parabola: ſecundò quando occurrit metaphora: exemplum primi Iudic. 9. *ierunt ligna, vt facerent ſibi Regem*. exemplum ſecundi Matt. 5. *ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam: ſi oculus, erue eum, &c.* Ratio vtriuſque: quoniam quandocunque ex literali Scripturæ interpretatione ſequitur vel ſenſus falſus, vel aliquod abſurdum, locus ille nequaquam exponendus erit in ſenſu literali, ſed myſtico: ſequuntur autem hæc eadem ex teſtimonijs allatis in ſenſu literali. probatur, falſum namque eſt ligna iuiſſe; non enim ambulant: falſum quoq; lignis electionem competere ad conſtituendum ſibi Regem. Abſurdum etiam eſt, & magnum crimen abſcindere ſibi membra, manus, oculos, pedeſque &c. *nemo .n. eſt dominus membrorum ſuorum*. hoc ſtante ſequitur, vt dū literalis ſenſus hinc erutus vel erit falſus, vel abſurdus, relicto literali contenti ſimus ſenſu ſpirituali.

Confirmatur ex Patribus.

2 Confirmari poteſt ex Patribus, & quidem Hieron. in cap. 11. Iſa. *habitabit lupus cum agno*: ait non ad literā accipiendum eſſe, ſed ad ſenſum ſpiritualem. idem cenſet de eodem Iſa. 29. *libanus in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur*. Origenes lib. 4. Periarc. 2. eodem ſenſu explicat prædictum locum, *habitabit lupus cum agno*: aitque Iudæos multoties deceptos, eo quod plura de Meſſia ſecundùm hiſtoriam prædicta eſſe æſtimauerint. & homil. 2. in Gen. ſic ait, *ſed quia non ſemper in ſcripturis diuinis hiſtorialis conſequentia ſtare poteſt; ſed nonnunquam deficit; vt verbi gratia, cùm dicitur*, prou. 26. *ſpina naſcentur in manu temulēti: propter hæc, & his ſimilia non ſemper hiſtoria nos ſequitur &c.* Gregor. l. 4. moral. cap. 1. illud Iob 3. *pereat dies, in qua natus*

tus

*tus ſum.non intelligendum,*ait, *ſecũdùm corticem literæ, ſed ſpiritum ibi requiri.* Chryſoſt.homil.39. in Ioan.in illud, *ſi ego teſtimonium perhibeo de me,non eſſe,* inquit,*nudis verbis inſiſtẽdum.*Ambroſ. lib.5.in Luc. *itaque ſi intellectus ſimplicis formæ compugnat,ſpiritualem quæramus figuram.* ac demum Auguſt.l.3. de doctr.Chriſt.cap.5.concludit,inquiẽs, *cauendum eſt, ne figuratam locutionem ad literam accipias;ad hoc enim pertinere quod ait Apoſtolus, litera occidit, ſpiritus autem viuificat.*

Vera ſententia in omni Scripturæ loco dari ſenſum literalem.

3 Communis tamen Theologorũ ſententia eſt in omni Scripturæ loco ſenſum reperiri literalem.ita Theologi ſuperioribus quæſtionibus recenſiti. Concluſio deducitur ex ſupradictis, præcipuè ex duabus quæſt. præcedentibus:fundamentum eſt, quia ſenſus literalis eſt, *is, quem Spiritus ſanctus intendit ſiue in communi,vſitata, naturali, ac propria ſignificatione vocum,ſiuè metaphorica,& tranſlatitia,* vt conſtitit ex eius definitione. vbi ergo in communi ſignificatione vocũ haberi nequit ſenſus literalis propter abſurda inde ſequentia,literalis ſenſus is erit, quem voces important in ſignificatione trãſlatitia, vt fusè fuit antecedentib. quæſtionib. probatum,& exemplificatum. Item probatur, fundamentum ſenſus myſtici eſt ſenſus literalis,ergo ſemper erit ſupponẽdus literalis. Inſuper,primum, quòd Spiritus ſanctus intendit, eſt literalis,vt fuit oſtenſũ;ſenſus enim myſticos intendit ſecundario.Demum abſurdum videtur maximum,vt Scriptura careat ſenſu literali, quaſi Spiritus ſanctus non ſit ita fæcundus, vt in omni ſua locutione per Scripturam ſenſum nobis præbeat literalem, itaut ad ſolam recurrendum ſit allegoriam. Accedit quod inter homines,licèt parabolicè, & metaphoricè quandoque loquantur,non tamen carere,& priuare intendunt ſuas metaphoricas locutiones ſenſu,& conceptu humano literali; dum enim *lupus,*aiunt, *eſt in fabula*, non recurrunt ad allegoricum ſenſum,ſed ad eum, quem primario ex intentione ſignificant, præſentiam, nempè eius,de quo fit locutio, ſiue in propria, ſiue tranſlatitia vocum ſignificatione.

Lyranus vtrum vera negauerit in omni loco reperiri ſenſum literalem.

4 Verùm vtrum negauerit omnino Lyranus abſolutè ſic ſenſum literalem,ſaluari poſſet eo quidem modo, quo Vaſquez diſp.15. cap.5. ſaluat Patres in eius fauorẽ adductos. ait enim, Patres inſpiciendo ad cortices literæ, ſeù ad puram hiſtoriam,ſenſum literalem appellaſſe ſpiritualem:ſic enim inſpiciendo ad puram hiſtoriam, quãdoque deficit,vt aiebat Origenes: cæterũ ſenſum in cortice incluſum eſſe literalem.quod ſi ſaluatio hæc prodeſt communi ſententiæ, ne oppoſiti ſibi videãtur Patres,eodem prorſus modo intelligendus veniat Lyranus,vt ſenſus eius ſit,quod aſpiciendo ad corticem literę, ſiuè ad puram grammaticam,nullus ex grammaticali quandoq; locutione,niſi inconcinnus, & abſurdus elici poſſit ſenſus literalis:vnde per ſenſum,quem Lyranus ibi negat literalem intelligẽdus veniat ſenſus corticæ literæ, ſeù grammaticalis : ex hinc verò ex communi ſententia in ordine ad grammaticalem phraſim nullus habetur ſenſus, niſi falſus, literalis; exponendo namq; iuxta literam grammaticæ, ſenſus literæ grammaticalis erit falſus, & vt ſic exponantur Patres & Lyranus.

Loca Scripturarum initio adducta, ſtante hac expoſitione pro Patrib. & Lyrano,nec contra eos militant,nec carent literali,ſumpta in metaphorica, & tranſlatitia ſignificatione.quinam verò ſit eorum ſenſus in metaphorica expoſitione, ſatis dictum duabus quæſtionibus præcedentibus.

cur eſt vt adducantur iu Scriptura?

Suppoſitio rei impoſſibilis prodeſt ad intelligendũ.

2 Reſp. iu Phyſicis quoque accidere, vt Philoſophi ſuppoſitionem quandoque faciant falſam, indè tamen conſequentiam veram inferentes: vt ſi homo eſſet nitribilis,rudibilis,mugibilis,haberet quatuor pedes, tot enim habent equus, bos, &c. Scriptura igitur veritatem aliquam infert ex ſuppoſitioue alicuius etiam impoſſibilis:hoc autem non ideo fit, vt ex impoſſibili ſequatur poſſibile, eſt namque id impoſſibile;nou enim cauſa habere debet minus poſſibilitatis,quàm habeat ſuus effectus poſſibilis: uec id fit,vt ex falſo ſequatur verum, cùm id etiam ſit impoſſibile, ſed totum hoc præſtatur vt habeatur planior intelligentia eius, quod proponitur: iuuant euim ad intelligentiam rei etiam exempla deducta ab impoſſibili. ita quoque agere ſoleut Aſtrologi in ſuis demonſtrationibus in Theorijs motus planetarum.

In parabolis duæ partes conſiderandæ.

3 In iiſdem quoque parabolis duas licet partes conſiderare: alteram, quæ rem continet, quæ adducitur in ſimilitudinem:& alteram, quæ applicationẽ continet ſimilitudinis. exemplum Matth. 13. *ſimile eſt Regnum Cælorum fermento,quod acceptum abſcondit in farina ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* vſque huc habetur prima pars, quæ quidem tota hiſtoria eſt,repræſentans factum ipſius mulieris,eſtque res adducta in ſimilitudinem. ſecũda pars erit myſterium abſconditum in hoc facto mulieris, ſiuè applicatio ſimilitudinis:eſt verò ſenſus, vt intelligendum veniat de ſacro Dei verbo, ſiuè Euangelio;ſiquidem quemadmodum fermẽtum vim habet,vt immiſſum in farinam mox eam creſcere faciat, & adaugeat; ita Euangelium Dei in Palæſtina prædicatum, tantæ fuit efficaciæ, vt mox totum Terrarum Orbem penetrarit, atque Eccleſiam multò maiorẽ,& ampliorem reddiderit.& hic ſenſus eſt ſecunda parabolæ pars,ſiuè parabolę ipſius applicatio.

Qualis prædictarum partiũ erit ſenſus literalis.

4 Hic autem quæritur qualiſnam harum partium erit ſenſus literalis, an prima,an ſecuuda,an verò vtraq; pars. Reſpondet Caſtro id dubium eſſe,quapropter anceps in hoc extitit. Cæterũ videtur dicẽdũ rẽ adductã in ſimilitudinẽ eſſe ſenſum literalẽ, applicationẽ verò eſſe ſeuſum myſticum: ſuadetur, quoniam illa eſt velut hiſtoria, narratur enim hiſtoricè factum mulieris:ergò illa erit ſẽſus literalis,& hiſtoricus: item illa videtur eſſe literæ cortex, atque in ea contineri applicatio tanquã myſterium, ergò illa erit literalis, hæc ſenſus myſticus. Ex alio autem capite vtraque pars videtur ſenſus eſſe literalis: prima quidem ratioue, qua continet hiſtoriam:& ſecunda, quoniam ad id affertur factum mulieris, vt inſinuetur applicatio talis facti; quod eſt diſſeminatio Euãgelij,& ampliatio Eccleſiæ. vtrumque veluti probabile ſequitur Vaſquez, & vtrumque docet prædicto cap.4.& Becanus q.4.

Adſunt & metaphoræ, & hyperbolæ, & ironia, atque tropi in Scripturis.

5 Vltra parabolas adſunt in Scriptura metaphoræ;eſt autem metaphora ex Auguſt.l. contra mendacium c. 10. *de re propria ad rem non propriam verbi alicuius vſurpata translatio.* Adſunt hyperbolæ, cuiuſmodi eſt illud Geneſ. 11.*faciamus turrim,cuius cacumen pertingat vſque ad Cælum*; hoc eſt, turrim miræ celſitudinis, vnde conſurgit hyperbolica loquutio;adeſt Ironia, vt illud Gen.3.*ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*; nempè lõgè aliter ei euenit, quàm cogitarat; adeſt & antiphraſis,ideſt contrariæ phraſis vſurpatio,vt Iob 1.*benedic Deo,& morere*,ideſt,*maledic*,ſicut 3. Reg.21. de crimine falſo obiecto Naboth,*quod benedixerit Deũ, & Regem*, nẽpè quod maledixerit. adſunt & tropi alij, de quibus penes Pagnin. iu Iſagog.ad Scripturam ſacram, eiuſq; ſenſus c.19. adſunt deniq; & viſiones Prophetarum.

Qualis ſit ſenſus literalis troporum Scripturæ.

6 Illud nunc deſideratur, vt dicamus qualiſnam debeat eſſe ſenſus literalis omnium iſtorum. Et quidem abſolutè dicendum eſt ſenſum literalem horum omnium non eſſe, quem voces in propria, commun:, vſitata,naturali, ac hiſtorica ſignificatione important; ſed quem important in ſignificatione tranſlatitia, & metaphorica. Eſt communis Doctorum quæſt.antec. citatorum. Et ratio eſt ibi allata, quoniam ſiſtendo in cortice literæ, & in ſignificatione vocum naturali nou poterit rationabilis ſenſus deduci, immo quãdoque irrationabilis,vel nullus: igitur

recur-

recurrendum eſt ad tranſlatitiam ſignificationem. eſt verò is, ſenſus literalis, ratio quia is eſt à Spiritu ſancto primo, & principaliter intentus. quando ergò Matt. 19. dicitur, *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum.* non eſt ſenſus de caſtratione cruenti, & propria, ſed de obſeruatione caſtitatis. quãdo Ioãnis 15. dicitur, *Ego ſum vitis, & Pater meus agricola eſt, & Diſcipuli palmites*, non eſt ſenſus de vera vite, ſed myſtica, itaut qui Chriſto cohærent per fidem, ſpem, & charitatem, creſcent in vitam æternam, ſicut creſcit, & fructificat vitis alligata ad ſtipitem. Cùm Chriſtus dixit Matt. 15. *exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* non eſt ſenſus de ruſtica ſeminatione, ſed de ſeminatione diuini Verbi per prædicationem Euangelij. Cùm dicitur Iudic. 9. *ierunt ligna, vt facerent ſibi Regem*, nõ eſt ſenſus, quem verba important naturali ſignificatione; non enim ambulant ligna, ſed tranſlatitiè ſumenda ſunt de populis Sychem conuenientibus ad eligendum ſibi Regem. & vt plura omittã, quibus reſperſa eſt Scriptura, dum Matt. 5. dicitur, *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum; ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam.* non eſt ſẽſus de abſciſſione, & eruitione corporali, quam verba in communi, & vſitata ſignificatione important, ſed de mortificatione membrorum, ſiue de ablatione occaſionis peccati, fugiendo ab ijs, qui occaſionem præbent peccãdi: ita in veteri teſtamento habetur Deuter. 13. *ſi tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens, eamus, & ſeruiamus Dijs alienis, quos ignotas tu, & Patres tui; non acquieſces ei, nec audias nec parcat ei oculus tuus, vt miſereàris, & occultes eum, ſed ſtatim interficies.* Ita denique de viſionibus Prophetarum, dũ Daniel. 8. habetur ſe vidiſſe *hircũ caprarium venientem ab Occidente*, ſenſus eſt de Alexandro in ſimilitudinem hirci veniente ab Occidẽte aduerſus Regem Medorum, atque Perſarum. ſicut & Ierem. 15. dum dixit, *virgam vigilãtem ego video.* ſenſus literalis eſt de Deo, qui vigilat ſuper populum ſuum, vt ibi quoque exponit Scriptura, inquiente Domino, *benè vidiſti, quia ego vigilabo ſuper populum meum.*

Auguſtini regula de ſenſu literali, et myſtico.

7 Hæc omnia diſertiſſimè docuit Auguſt. lib. 3. doctr. Chriſt. cap. 10. inquiens, *quidquid neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem referri poteſt, figuratè, & metaphoricè accipiendum eſt.* & cap 6. *ſi præceptiua*, inquit, *locutio eſt Scriptura, aut flagitiũ vetans, aut beneficentiam iubens, non propriè accipienda eſt: ſi autem flagitium videtur iubere, aut beneficentiam vetare, figurata locutio eſt.*

Scriptura vtrum vti debeat metaphoris.

8 Quæritur vltimo, vtrum neceſſe ſit Scripturam vti metaphoris. D. Th. art. 9. reſpondet metaphoram eſſe neceſſariam, & vtilem. de vtilitate quidẽ non dubitatur, plures enim parit vtilitates, vt diximus: de neceſſitate verò videtur difficile, vt aſſeratur; & ratio eſt, quoniam poterat Spiritus ſanctus ſine metaphoris inſpirare Scripturam. item aliquando Diſcipuli dixere Chriſto Domino, *ecce nunc palàm loqueris, & nullum prouerbium dicis* Ioan. 16.

Metaphoræ nõ ſunt neceſſariæ ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, propter imbecillitatem noſtri intellectus.

9 Ideo dicendum, quòd loquendo de neceſſitate ſimpliciter, nulla eſt neceſſitas Scripturam vti metaphoris. prob. vbi Scriptura ait Apoc. 5. *vicit leo de Tribu Iuda*, poterat ſine metaphora leonis dicere, *vicit Chriſtus.* itẽ Spiritus ſanctus Scripturæ auctor non eſt alligatus metaphoris, & prouerbijs; poterat ergo loqui ſine eis. Demum multa ſunt loca Scripturarum carentia metaphoris, vt patet, ergo poterat tota Scriptura inſpirari ſine metaphoris. Accedit recenſitum teſtimonium Apoſtolorum, *ecce nunc palàm loqueris, & nullum prouerbium dicis.* de neceſſitate ergò ſimpliciter, nulla eſt neceſſitas vtendi metaphoris: & fortè ad hunc ſenſum loquitur D. Tho. conuenit quoque Caietan. ibid. atq; Valent. t. 1. d. 1. q. 1. p. 6. §. 3. dices, Dionyſius cap. 1. cęl. Hier. ait, *impoſſibile eſt nobis aliter lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum.* Reſpondet Caiet. per impoſſibile idem intelligi, ac neceſſarium: at reſpõſio eſt tùm contra ipſum negantem neceſſitatem, tùm contra factas rationes. Ideo dicendum non eſſe intelligẽdum Dionyſium vniuerſaliter de omnibus

nibus locis Scripturæ: multa enim traduntur apertè, & abſque metaphoris: ſed de aliquibus myſterijs altiſſimis, quæ adeo obſcura, & recondita ſunt, vt non poſſimus percipere ſine metaphoris.

10 Loquendo autem de neceſſitate ſecundùm quid, vt ſic neceſſariæ ſunt metaphoræ, & parabolæ, ac ſimilitudines, nempè quādo myſteria adeo alta ſunt, vt capi non poſſint ſine metaphora, & ſimilitudine, propter imbecillitatem noſtri intellectus.

Metaphoræ ſunt admodū vtiles.

11 Cæterū vtiliſſimæ ſunt ipſæ metaphoræ, & ſimilitudines: primò, vt rudes, & ſimplices per metaphoras intelligant ea, quæ ſine ipſis capere non poſſent, ita Chryſoſt. hom. 38. in Matt. Secundò, vt diuina myſteria occultentur infidelibus, & indignis, iuxta illud Matt. 7. *nolite ſanctum dare canibus.* ita Dion. cap. 2. cæl. hier. tertiò, ad domādam ſuperbiam noſtram labore, & ſtudio ſcripturarum. Auguſt. lib. 2. doctr. Chriſt. hinc Ammonius præfat. in prædicam. dixit, ob hanc rationem Ariſtotelē in ſuis operibus obſcuritatem obſeruaſſe, vt legentes redderentur ſtudioſiores. quartò, vt ex obſcuritate haberemus varias expoſitiones Sanctorum: quarum varietas vtilis eſſe ſolet, ait Auguſt. epiſt. 59. & Scot. in 3. d. 24. quæſt. vn. lit. E.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum in omni Scripturæ loco reperiatur ſenſus literalis.

Lyranus negat Scripturam habere ſēper ſenſum literalem.

1. CArere pleroſque ſacræ Scripturæ locos ſenſu literali æſtimat Lyranus in 3. prol. Bibl. id verò cōtingit, inquit, duob. caſibus, primo quando occurrit parabola: ſecundò quando occurrit metaphora: exemplum primi Iudic. 9. *ierunt ligna, vt facerent ſibi Regem.* exemplum ſecundi Matt. 5. *ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam: ſi oculus, erue eum, &c.* Ratio vtriuſque: quoniam quandocunque ex literali Scripturæ interpretatione ſequitur vel ſenſus falſus, vel aliquod abſurdum, locus ille nequaquam exponendus erit in ſenſu literali, ſed myſtico: ſequuntur autem hæc eadem ex teſtimonijs allatis in ſenſu literali. probatur, falſum namque eſt ligna iuiſſe; non enim ambulant: falſum quoq; lignis electionem competere ad conſtituendum ſibi Regem. Abſurdum etiam eſt, & magnum crimen abſcindere ſibi membra, manus, oculos, pedeſque &c, *nemo .n. eſt dominus membrorum ſuorum.* hoc ſtante ſequitur, vt dū literalis ſenſus hinc erutus vel erit falſus, vel abſurdus, relicto literali contenti ſimus ſenſu ſpirituali.

Confirmatur ex Patribus.

2 Confirmari poteſt ex Patribus, & quidem Hieron. in cap. 11. Iſa. *habitabit lupus cum agno:* ait non ad literā accipiendum eſſe, ſed ad ſenſum ſpiritualem. idem cenſet de eodem Iſa. 29. *libanus in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur.* Origenes lib. 4. Periarc. 2. eodem ſenſu explicat prædictum locum, *habitabit lupus cum agno:* aitque Iudæos multoties deceptos, eo quod plura de Meſſia ſecundùm hiſtoriam prædicta eſſe æſtimauerint. & homil. 2. in Gen. ſic ait, *ſed quia non ſemper in ſcripturis diuinis hiſtorialis conſequentia ſtare poteſt; ſed nonnunquam deficit; vt verbi gratia, cùm dicitur,* prou. 26. *ſpina naſcentur in manu temulēti: propter hac, & his ſimilia non ſemper hiſtoria nos ſequitur &c.* Gregor. l. 4. moral. cap. 1. illud Iob 3. *pereat dies, in qua na-*

tus

tus ſum. non intelligendum, ait, ſecūdùm corticem literæ, ſed ſpiritum ibi requiri. Chryſoſt. homil. 39. in Ioan. in illud, *ſi ego teſtimonium perhibeo de me, non eſſe,* inquit, *nudis verbis inſiſtēdum.* Ambroſ. lib. 5. in Luc. *itaque ſi intellectus ſimplicis formæ compugnat, ſpiritualem quæramus figuram.* ac demum Auguſt. l. 3. de doctr. Chriſt. cap. 5. concludit, inquiēs, *cauendum eſt, ne figuratam locutionem ad literam accipias; ad hoc enim pertinere quod ait Apoſtolus, litera occidit, ſpiritus autem viuificat.*

Vera ſententia in omni Scripturæ loco dari ſenſum literalem.

3 Communis tamen Theologorū ſententia eſt in omni Scripturæ loco ſenſum reperiri literalem. ita Theologi ſuperioribus quæſtionibus recenſiti. Concluſio deducitur ex ſupradictis, præcipuè ex duabus quæſt. præcedentibus: fundamentum eſt, quia ſenſus literalis eſt, *is, quem Spiritus ſanctus intendit ſiue in communi, vſitata, naturali, ac propria ſignificatione vocum, ſiuè metaphorica, & tranſlatitia,* vt conſtitit ex eius definitione. vbi ergo in communi ſignificatione vocū haberi nequit ſenſus literalis propter abſurda inde ſequentia, literalis ſenſus is erit, quem voces important in ſignificatione trāſlatitia, vt fusè fuit antecedentib. quæſtionib. probatum, & exemplificatum. Item probatur, fundamentum ſenſus myſtici eſt ſenſus literalis, ergo ſemper erit ſupponēdus literalis. Inſuper, primum, quòd Spiritus ſanctus intendit, eſt literalis, vt fuit oſtensū; ſenſus enim myſticos intendit ſecundario. Demum abſurdum videtur maximum, vt Scriptura careat ſenſu literali, quaſi Spiritus ſanctus non ſit ita ſæcundus, vt in omni ſua locutione per Scripturam ſenſum nobis præbeat literalem, itaut ad ſolam recurrendum ſit allegoriam. Accedit quod inter homines, licèt parabolicè, & metaphoricè quandoque loquantur, non tamen carere, & priuare intendunt ſuas metaphoricas locutiones ſenſu, & conceptu humano literali; dum enim *lupus*, aiunt, *eſt in fabula*, non recurrunt ad allegoricum ſenſum, ſed ad eum, quem primario ex intentione ſignificant, præſentiam, nempè eius, de quo ſit locutio, ſiue in propria, ſiue tranſlatitia vocum ſignificatione.

Lyranus vtrum re vera negauerit in omni loco reperiri ſenſum literalem.

4 Verùm vtrum negauerit omnino Lyranus abſolutè ſic ſenſum literalem, ſaluari poſſet eo quidem modo, quo Vaſquez diſp. 15. cap. 5. ſaluat Patres in eius fauorē adductos. ait enim, Patres inſpiciendo ad cortices literæ, ſeù ad puram hiſtoriam, ſenſum literalem appellaſſe ſpiritualem: ſic enim inſpiciendo ad puram hiſtoriam, quādoque deficit, vt aiebat Origenes: cæterū ſenſum in cortice incluſum eſſe literalem. quod ſi ſaluatio hæc prodeſt communi ſententiæ, ne oppoſiti ſibi videātur Patres, eodem prorſus modo intelligendus veniat Lyranus, vt ſenſus eius ſit, quod aſpiciendo ad corticem literę, ſiuè ad puram grammaticam, nullus ex grammaticali quandoq; locutione, niſi inconcinnus, & abſurdus elici poſſit ſenſus literalis: vnde per ſenſum, quem Lyranus ibi negat literalem intelligēdus veniat ſenſus corticæ literæ, ſeù grammaticalis: ex hinc verò ex communi ſententia in ordine ad grammaticalem phraſim nullus habetur ſenſus, niſi falſus, literalis; exponendo namq; iuxta literam grammaticæ, ſenſus literæ grammaticalis erit falſus, & vt ſic exponantur Patres & Lyranus.

Loca Scripturarum initio adducta, ſtante hac expoſitione pro Patrib. & Lyrano, nec contra eos militant, nec carent literali, ſumpta in metaphorica, & tranſlatitia ſignificatione. quinam verò ſit eorum ſenſus in metaphorica expoſitione, ſatis dictum duabus quæſtionibus præcedentibus.

QVÆSTIO NONA.

Vtrum idem Scripturæ locus plures habere poſſit ſenſus literales.

Negat Adamus, & Mic. Med.

1 ADamus præfat. in Iſaiam, & Michael Med. lib. 6. de recta in Deum fid. c. 25. negant ſub eadem Scriptura plures contineri poſſe ſenſus literales. Ex oppoſito Auguſt. docet plures reperi poſſe, omneſq; à Spiritu ſancto intentos: ita l. 12. Confeſſ. cap. 20. 24. 26. 31. & l. 2. de doctr. Chriſt. cap. 27. atque l. 11. de Ciu. Dei, cap. 19. idem docet D. Tho 1. par. q. 1. art. 10. Lyran. c. 8. Dan. Abulenſ. Matt. 2. Driedo de Eccleſ. dogmat. c. 2. Canus l. 2. de loc. cap 11. pluresq; alij, vt Burgen. ſuper vtrumque prol. Caſtro lib. 1. contra hæreſ. c. 3. & Catharin. l. de clauib. Scripturæ.

Communis ſentẽtia affirmat.

Probatur per Scripturarũ loca.

2 Probatur id diſcurrendo per loca aliqua: & quidem pſalm. 2. habetur, *Dominus dixit ad me filius meus es tu, hodie ego genui te*. qui locus primo de æterna Chriſti generatione ſecundùm Diuinitatem accipitur à Paulo hebr. 1. *cui enim Angelorum dixit Deus, filius meus es tu, ego hodie genui te?* ſicque Paulum interpretatur Auguſtinus ibi, atque in Enchir. c. 49. Tertull. aduerſ. Prax. cap. 7. Athanaſ. orat. contra Arrian. Chryſoſt. cap. 1. ad hebr. Præterea ſecundo locus idem de generatione temporali ſecundùm carnem exponitur à Gregor. Nyſſen. homil. 2. in Eccleſiaſt. Theodor. in cap. 1. ad hebr. licet Auguſtinus intelligat de generatione temporali facta in bapti mo, dicente Patre, *hic eſt filius meus dilectus, in quo benè complacui*. ac tertio de eiuſdẽ Chriſti Domini reſurrectione intellexit Paulus actor. 13. inquiens, *nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt; quoniam hanc Deus adimplevit filijs veſtris, reſuſcitans Ieſum,* ſicut in pſalmo. 2. ſcriptum eſt, *filuis meus es tu, ego hodie genui te*. atque in hunc eundem ſenſum exponit Paulũ Chryſoſt. & Hylar. in pſal. 2.

3 Item Gen. 1. *in principio creauit Deus cælum, & terram.* hunc locum de initio creationis temporaneo intelligitur à Concil Lateran. ſub Innoc. III. & habetur in c. firmiter de Summ. Trinit. & fid. catthol. Intelligitur quoque ab Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 32. Hilar. pſal. 39. Hieron. init. quæſt. in principio, *ideſt in Filio*: iuxta illud hebr. 1. *Per quem fecit & ſecula*: & ad Coloſſenſ. *in ipſo creata ſunt omnia*. & Ioann. *omnia per ipſum facta ſunt*. c. 1.

4 Inſuper Daniel. 9 *& erit in Templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio*, qui locus ad literam videtur intelligẽdus tùm de deſolatione Hieroſolimytana ſub Anthioco Rege ex 1. Machab. 1. tùm de facta tempore Titi, & Veſpaſiani.

5 Rurſus Iſa 53. *verè languores noſtros ipſe tulit, et dolores noſtros ipſe portauit*. hunc locum Petrus de peccatis noſtris explicat 1. Epiſt. 2. inquiens, *qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpor ſuo ſuper lignum*. & Matt. de morbis corporalibus hominum explicuit, quos Chriſtus ſanauit c. 8. inquiens, *vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem, ipſe infirmitates noſtras accepit, & egrotationes portauit*.

6 Præterea Iſa. 53. *generationem*

eius,

quis enarrabit? eſt verò sẽſus, vt vterq; ſit literalis, alter de generatione ęterna, alter de temporali: de prima intelligit Clem. Pap. ep. 1. Euſeb. de præpar. Euang. l. 1. c. 8. Baſil. l. 1. cõtra Eunom. Auguſt. ad Cathecum. l. 1. de Symbol. de ſecunda exponit Iuſtin. q. 67. de Gentib. Chryſoſt. homil. de laudibus Baptiſtæ; Leo autem Pap. intelligit de vtraque ſerm. de Natiuit. Dom. Sicut & locus ille alter, Oſeæ 11. *ex Aegypto vocaui filium meum*, itaut de Populo Hæbreo intelligatur, iam ex Aegypto educto ex ſeruitute Pharaonis, ac de Chriſto puero, ex Aegypto vocato, dũ à Matre, & Sponſo aſportatus fuerat in Aegyptum, etiam literaliter ex Lyrano in c. 2. Matt.

Vaſq. negat intelligi literaliter.

7 Nullum ex citatis locis plures continere ſenſus literales contendit Vaſq. diſp. 18. c. 2. ad 6. Verùm obſtat opinio communis, tùm recenſitorum, tùm Molinæ 1. p. q. 1. ar. 10. diſp. 4. tùm Becan. q. 5. &c.

Probatur ratione, & congruẽtia.

8 Vltra exempla recenſita ad probandam pluralitatem ſenſus literalis, adeſt & ratio, & congruentia: & quidẽ Deus mediante vnico ſuo verbo mentali exprimit infinita: ergo mediante vnico verbo vocali poterit exprimere multa: antecedens patet, cùm intellectio Dei ſit vnica, atque mediante vnico actu intelligendi intelligat omnia. Item poteſt homo mediante vnica voce exprimere plura; etenim vox iſta *Vulpis* animal denotat talis naturæ, atque hominẽ verſipellem, & aſtutũ. vox iſta *Canis* canes illos ſignificat, terreſtrẽ, marinum, & cęleſtem: at Spiritus sãctus eſt fęcundior tùm in intelligendo, tùm in dicendo, quacunque creatura. Inſuper Caiphas per ſententiam, quam protulit de morte Chriſti, ſuum ſignificabat intentum, quod erat liberatio Populi Iudaici, liberatio, inquam temporalis, *ne veniant Romani, & tollant locum noſtrum, & Gentem.* at Spiritus ſanctus ſenſum alterum intendebat, vtpotè liberationem ſpiritualem, & redemptionem à perpetua ſeruitute Diaboli per mortem Chriſti. Rurſus Manna prænotabat Sacratiſſimam Euchariſtiam ex 1. Cor. 10. præmõſtrabat quoque eloquium Dei ex Sap. 16. hinc Dan. 12. *claude ſermonem, & ſigna librum vſq; ad tempus ſtatutum: & multiplex erit ſcientia &c.*

Concurrentibus ſimul plurib. ſenſib. literalibus, quinã eorum prę ferendus?

9 Eſt tamen obſeruandum, quotieſcunque ſimul concurrunt plures ſenſus literales, illum vtique præferri debere, atque pro magis certo eſſe tenendum, quem verba in ſenſu proprio magis, & vicinius præſeferunt: ſic dum locus ille recenſitus Geneſis, *in principio creauit Deus Cęlum, & Terram*, cõtinet ſenſum tùm initialis creationis in tempore, tùm in Filio: vtique ſenſus creationis temporaneæ erit magis literalis; etenim ſenſum hunc Conciliũ expreſſit Lateranenſe citatum, dum ait, *Deum in principio temporis ſimul de nihilo vtramque condidiſſe creaturam, & ſpiritualem, & corporalem.* & hunc verba præ ſe ferunt: ſenſus verò alter non ita (expreſsè ſaltem) importatur à verbis illis: aliũde tamen habetur, nempè à Paulo locis recenſitis, vt notauit Zumel, & Molin. Item ille pręfertur, qui principalis intẽditur à Spiritu ſancto.

Quomodo cognoſcitur vnũ literalem eſſe altero magis intentum à Spiritu S.

Dices quomodo hoc cognoſci poterit. Reſp. ex declaratione Concilij, vt in exemplo allato: ex communi conſenſu Patrũ, ex antecedentibus, & ſubſequentibus, & vbi miraculum interuenit, quominus fieri poteſt.

Sententiã oppoſita iudicium Becani, & Zumelis.

Becanus ait non eſſe adhuc definitum ab Eccleſia.

10 quæres quid ſentiendum de opinione oppoſita negantium pluralitatem ſenſus literalis? Abulenſis notã hæreſis eã inurit. Zumel q. 5. in 1. p. ad minus, ait, eſſe temerariam. Verùm Becanus docet præd. q. 5. nu. 6. non eſſe hactenus ab Eccleſia definitum plures ſub eadem litera eſſe ſenſus literales. & Vaſquez diſp. 18. inquit, vix eſſe aliquem alium ex Patribus, qui plures doceat eſſe ſenſus literales, præter Auguſtinum: quin & talis oppoſita opinio ſuos etiam habet Patronos, & Auctores: quod ſi ab Eccleſia, ex Becano, definitum non eſt: ſi ſolus etiam Auguſtinus ex Patrib. id docet, ex Vaſq. hinc facilè elicitur, quem locum habet cenſura Abulenſis, & Zumelis. Secunda vtique opinio & communior eſt, & verior, ideoque amplexanda.

Obijcitur.

11 Ex pluralitate hac ſenſus literalis ſub vna litera videtur inferri in Scriptura reperiri æquiuocationem, deceptionem, amphibologiam: vnde arguitur, is, qui alios docet, debet ſin-

cerè, ſimpliciter, clarè, non obſcurè, & ſine æquiuocatione procedere, ne audientium mentem confundat: ſi autem plures ſenſus admittuntur, non euitabitur obſcuritas, & æquiuocatio.

Scriptura etſi ſæpiſſimè obſcura habet tamẽ ſuas dilucidationes à Spiritu S. & Eccleſię Doctorib.

12 Reſpond. ſi de obſcuritate loquamur, obſcura quidem eſt ſæpiſſimè Scriptura: at dum obſcura eſt, adeſt quoque Spiritus ſancti gratia illuſtrãs, & illuminans Eccleſiam, ſacroſq; Doctores, vt intelligentiam aſſequantur, & mentem ſcripturarum: vitio quidẽ Magiſtri attribuitur, ſi dum obſcurus eſt in docendo, minimè artem calleat elucidandi quæ docet vnde & mentem neceſſe eſt confundat diſcipulorum: at ſacro Scripturæ textui non deſunt tot Gloſſæ, tot Patrum expoſitiones, tot Conciliorum, atque Eccleſię definitiones circa intelligentiam diuinarum Scripturarum vnde euenit, vt verum ſit non confundi, ſed illuſtrari prorſus mentes Cattholicorum, quia teſte pſal. 118. *declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*. & hoc eſt, quod tantopere à Domino poſtulabat Dauid pſalm. 118. inquiens, *reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*. & infra, *da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*. & rurſus *faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuũ, & doce me iuſtificationes tuas*.

Scriptura nullam admittit æquiuocationẽ.

13 Si verò loquamur de æquiuocatione, nulla reperitur ęquiuocatio; ratio, quia in æquiuocatis nullus reperitur ordo dependentiæ vnius ab altero, ſed omnia ſunt diſparata, & indepẽdẽtia ab inuicẽ, nec vnũ cõtinetur in alio: patet in voce *Canis*, vbi canis terreſtris nec continetur in cane marino, aut cęleſti, nec dependet ab eo, & vice verſa: at ſenſus Scripturæ tales ſunt, vt vnus dependeat ab altero: & quidem ſenſus myſtici dependẽt à ſenſu literali, quia literalis eſt fundamentum eorũ inquit D. Th. ar. 10. atquę omnes ordinantur ad vnum prætenſum. exemplum, de Abraham, qui duos filios habuit &c. quæ omnia, inquit D. Paul. ordinantur ad allegoriam, *quia ſunt per allegoriam dicta*. Vox inſuper iſta *Ieruſalem*, quatuor illos ſenſus continet, de quibus quæſt. 5. dictum eſt, quoniam ordinata eſt ad eos ſignificandos, & ſic de ſingulis. vnde concluditur multiplicitatem ſenſuum, ſiue literalium, ſiue ſpiritualium, non prouenire ab æquiuocatione, ſed à fęcunditate Spiritus ſancti, qui eſt auctor Scripturæ. quidquid Bannes dicat dub. 7 ad 2.

Spiritus S. ex parte ſua põt in Scriptura ſenſus intendere infinitos: at non præbet Creaturæ ſenſus infinitos propter imbecillitatem intellectus creati: quot verò ſenſus præbeat: tot quot expediunt gloriæ Dei, vtilitati Eccleſiæ, & ſaluti animarum.

14 Dices, dum Spiritus S. vnico intellectuali verbo intelligit infinita, poterit quoque vnico verbo vocali in Scriptura ſenſus intendere infinitos: quis verò eos capiet? Reſp. ex parte Spiritus ſancti id fieri poſſe, vt intelligat, & exprimat infinita: at Deus ſe accommodat capacitati, & intelligentiæ Creaturæ, quæ cùm ſit finita non præbet ei ſenſus numero infinitos; quot autem præbet? vtique tot, quot Eccleſiæ Sanctæ, & ſaluti animarum, atque ſummæ gloriæ ſuæ viderit expedire.

15 Demum principale intentum de pluralitate ſenſus concludendo cõfirmat Aug qui lib. 12. Confeſſ. c. 31. ait, *Cùm alius dixerit, hoc ſenſit Moyſes, quod ego: & alius, immo illud, quod ego: Religioſius me arbitror dicere, cur non vtrumque potius, ſi vtrumq; verum eſt? & ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur is, per quem vnus Deus, vera, & diuerſa viſuris, ſacras literas multorum ſenſibus temperauit.*

QVAE:

QVÆSTIO DECIMA

De ſenſu ſpirituali,& myſtico.

1 Vltra ſenſum literalē reperiri quoque in ſacra Scriptura ſenſum myſticum, eumq; intentum à Spiritu ſancto,res eſt certa ex fide, ait Valentia diſp.1.q.1.p.5.§.3. & ſalua fide negari nō pōt,inquit Molin.diſp.4. ex vnanimi conſenſu Patrū,& Theologorum.probatur autem in primis Gen.2. *erunt duo in carne vna*: ait Paulus Epheſ.5.*Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* hiſtoria illa Geneſeos ſenſum importat literalem: Apoſtolus autē ad Chriſtum,& Eccleſiam applicat myſticè,& ſpiritualiter.ſimiliter Oſeę 11.*ex Aegypto vocaui Filium meum.* literaliter intelligitur de Populo Iſrael: ſpiritualiter verò exponitur de puero Chriſto à Hieronymo ibi:& Caietano ibid. atque in cap.2.Matt.licet Lyranus in loco Matt. exponat etiā literaliter. Nec obſtat quòd Scriptura dicat, *Filium meum*; etenim etiam populum illum aliquando appellauit Deus Filium ſuum, vt Exo. 4. *dimitte Filium meum, vt ſeruiat mihi*. Inſuper Galat.5. *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, quæ ſunt per allegoriam dicta*, inquit Apoſt. *hæc enim ſunt duo teſtamenta*. vnde hiſtoriam Abrahę Apoſtolus applicat myſticè, & ſpiritualiter Matt.12.*ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* en hiſtoria, & litera adducta à Chriſto Domino. pergit verò applicare eam ſpiritualiter,ſubdens,*ſicut enim fuit Ionas in vẽtre Ceti, tribus diebus, ſic erit Filius hominis in corde terræ*. Ioannis 3. *ſicut Moyſes exaltauit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filiū hominis.* exaltatio autem Chriſti miſticè hic intenta fuit quando actus fuit in Crucem. Exo.12.de agno paſcali dicitur,*os non comminuetis ex eo*: applicat autem ſpiritualiter ad Chriſtum in Cruce Ioannes, cui non fregerunt crura: ait enim, *facta ſunt hæc, vt Scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo*. ac denique loquens Paulus ad Coloſſ.2.inquit,*quæ ſunt vmbra futurorum.*& c.10.*vmbram enim habens lex futurorum bonorum.ſiquidem omnia in figuris contingebat eis*. quapropter vltra ſenſum hiſtoricum, & literalem dandus eſt ſenſus myſticus,& ſpiritualis.

Datur ſenſus ſpiritualis, & myſticus.

2 Qualis autem eſſe poſſit deſcriptio ſenſus ſpiritualis, talis videtur; *vt ſenſus myſticus,& ſpiritualis ſit ille,qui ſub rebus ſignificatis per voces quaſi ſub vmbra, & figura continetur à Spiritu ſancto ſecundario intentus.*ex his autem differentia conſtat inter myſticum, & literalem: vt literalis ſit à Spiritu ſancto intentus primario: myſticus verò ſit ſecundario; ratio, quia literalis eſt fundamentū myſtici: ergò literalis erit primario, myſticus ſecundario intentus. item quia in omni Scripturæ loco adeſt ſenſus literalis, vt dictum eſt: at non in omni loco adeſt ſenſus myſticus.probatur ex Deuter.5. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* vbi ſolus adeſt ſenſus literalis, inquit Belarmin. t.1.lib.3.de Verbo Dei c.3. Caſſian. collat.8. c.3. differunt inſuper quoniam literalis importatur per voces,ſiuè in propria,naturali,ac vſitata, ſiuè metaphorica,& tranſlatitia ſignificatione contemplatas, vt fuit dictum: myſticus importatur per res importatas per voces: literalis per voces immediatè:myſticus mediatè,vt quæſt.de ſen-

Miſtici ſenſus deſcriptio.

Myſtici differentia,& literalis.

Myſticus non eſt in omni Scripturæ loco, ſicut literalis.

ſenſu literali fuit deductum: ſicut literalis proximè; myſticus importatur per voces remotè. Dixi *ſub vmbra, & figura*; iam enim ex Apoſt. conſtat *omnia in figuris contigiſſe eis*, vt exempla citata confirmant.

Non omis myſticus intenditur à Spiritu S. ſed qui cohęret Scriptura.

3 Dixi *à Spiritu ſancto intentus*; etenim iam eſt communis ſententia eſſe quoque myſticum à Spiritu Sancto intentum. In hoc verò obſeruandum nõ omnem allegoriam, ſiue Scripturæ interpretationem, eſſe ſemper à Spiritu ſancto intentam: illa autem eſt à Spiritu ſancto intenta, quæ cohæret Scripturæ: ratio, quoniam fundamentum ſenſus myſtici eſt ſenſus literalis: igitur ſi ei cohæret, erit intentus à Spiritu S. eſt namque ſenſus literalis intentus à Spiritu ſancto: vnde non licebit vnicuique Scripturam pro arbitratu exponere abſque rationabili fundamento; vt ſacrum docet Concil. Trid. ſeſſ. 4. decret. de ædit. de quo etiam infra dicemus: quocircà D. Auguſt. epiſt. 48. ad Vicent. meritò irridet Donatiſtas, qui ex illis verbis myſticè intellectis, *indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*. colligebant Eccleſiam Chriſti Domini in ſola Aphrica permanſiſſe. debet ergo myſticus eſſe à Spiritu ſancto intẽtus, vt verò ſit talis, debet fundamentũ habere in ipſa Scriptura,

Augu. irridet Donatiſtas.

Myſtici, & ſpiritualis ethimologia.

4 Circa nomen, appellatur quidẽ ſpiritualis, & myſticus: ſpiritualis vtique, quia latet ſub litera, quemadmodum ſpiritus latet ſub corpore: myſticus verò, quoniam importat aliquod arcanum, reconditum, & abſconditum ſub hiſtoria: vnde Apocal. 5. vidit Ioãnes *librum ſcriptum intus, & foris*. foris quoad ſenſum literalem, intus quoad ſpiritualem: literalis namque veluti de foris conſpicuus redditur, quatenus primo aſpectu ex proxima ſignificatione vocum deducitur: myſticus autẽ veluti intus latet, ideoq; arcanus, & reconditus appellatur ſub vmbra literæ, corticis, & hiſtoriæ figura, præfiguratus quoque in Moyſe, qui velamen habebat in facie ſua cùm legem traderet: velamen literæ, ſub quo myſteria recõdebantur legis: figuratus inſuper in velo Templi, quod dum in morte Chriſti ſciſſum fuit, multa inde myſteria patefacta ſunt: quod velamen amputari ſibi exorabat Vates, *reuela oculos meos, & cõſiderabo mirabilia de lege tua*. pſal. 118. pulchrè verò vtrumque expreſſit Cyrillus, ſiuè Origenes lib. 1. in Leuit. dicens, *ſicut in nouiſſimis dieb. Verbum ex Beata Virgine proceſſit carne veſtitũ in hunc Mundum: & aliud erat in eo, quod videbatur, aliud, quod intelligebatur; ita cùm Verbum Diuinum per Prophetas, aut Legislatores proceſſit in homines, non proceſſit ſine decentibus indumẽtis: vt ſicut illic Diuinitas tegebatur in carne, ita hic ſpiritus velamine litera.*

5 Circa verò recenſitas differentias quæri poteſt, vtrum differentiæ iſtæ ſint accidentales, an eſſentiales: dũ namque diuiditur ſenſus in literalem, allegoricum, tropologicum, & anagogicum: ſeù literalem, myſticum, & ſpiritualem, vtrum talis diuiſio ſit eſſentialis. Reſp. eſſe accidentalem; ſumitur autem differẽtia hæc ex diuerſitate temporis, quo res vel geſta eſt, vel gerenda erit: prout explicatum fuit ſingulariter de ſingulis ſup. quæſt. 5. ſiue ſpectando tempus legis, vt in veteri teſtamento: ſiue tempus gratiæ, vt in teſtamento nouo: ſiue tempus gloriæ, vt in ſæculo futuro. & ratio reddi poteſt, cur non differant eſſentialiter, quoniam omnes ſenſus, ſiue literalis, ſiue myſticus ordinantur ad vnum finem, qui eſt gloria, & viſio Dei, atque ſalus animarum, tùm etiam quia ſẽſus myſtici fundatur in ſenſu literali, à quo & vnitatẽ, & ordinabilitatem recipiunt.

Senſuum differentia an eſſentialis, an accidentalis.

6 Nec myſticus ſenſus nouus eſt, ſed apud veteres extat etiam eius mẽtio; nam allegorici mentionẽ egit Origenes lib. 4. Periarc. cap. 2. & homil. 2. in Gen. atque Hieron. in c. 16. Ezech. exemplum petit moralis ex Paulo 1. Cor. 9. *non alligabis os boui trituranti*, & allegorici ex Epheſ. 5. *propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & adhærebit vxori ſuæ*, quod idẽ Apoſtolus inquit, *ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*. recolit quoque eos Auguſt. lib. de Geneſ. ad lit. imperf. c. 2. atq; Eucher. l. de formulis intelligentiæ ſpiritualis.

Myſticus ſenſus nouus non eſt.

7 Talis verò myſticorum ſenſuum diſtinctio quandoque à Patribus indiſtincto vſurpatur; interdum namq; omnes myſticas Scripturæ intelligentias vocãt allegorias, vnde ſumi ſolet generatim

Myſtici sẽſus interdũ à Patribus confundũtur ſub allegoria, vel tropologia.

ſtatim ipſum nomen allegoriæ, prout complectitur omnes ſenſus ſpirituales: ita Baſil.in exam.homil.9. atque Aug. de vtilit.cred. cap.3. cum Eucher.loc. cit.ſicut etiam D.Thom. lect.6.ſup. ad Galat.4. Diuus autem Hieron.epiſt.ad Hedib. q. 12. ſub nomine tropologiæ comprehendit allegoriam:in cap.verò 4. Amos ſub nomine allegoriæ includit tropologiam; quapropter confundi, & commiſceri ſolent prædicti ſenſus,ſumendo vnum pro alio,& vnum pro ſingulis.

Myſticus ſenſus vtrũ in ſolo veteri teſtamento, an etiã in nouo. negat Abulenſ.

8 Quæritur autem, vtrum in ſolo veteri teſtamento reperiatur ſenſus myſticus,an etiam in nouo. Et quidem de veteri nemo dubitat quin habeat ſenſum allegoricum, tropologicum, & anagogicum, inquit Bellarm. citatus. de nouo verò Abulenſis negat à c. 17. Matt.q.28. probatq; ex Auguſt.lib.de vtilit.cred.c.3.vbi docet quadrifariam tradi teſtamentum vetus, ſm̃ literam, allegoriã, tropologiã atq; anagogiam. igitur talis ſenſuum multiplicatio erit in ſolo veteri, non autem nono teſtamento. Item quæ de Chriſto traduntur in noua lege,ea clarè,& apertè traduntur,nou ſub tegumento, & velamine, ergo nec aderit ſenſus myſticus,veluti ſub cortice, & velamine occultatus. Demum, indignũ videtur vt hæc dicãtur de noua lege, quoniam iam in ea impleta ſunt, quæ obſcurè præfigurabantur in veteri.

Communis ſententia affirmat etiã in nouo.

9 Cæterum contraria ſententia eſt verior,quod probatur:etenim Chriſtus Dominus taliter vitam ſuam compoſuit,vt nobis eſſet exemplum; ait.n. Petrus ep.1.c.2.*Chriſtus paſſus eſt pro nobis,vobis relinquens exemplum,vt ſequamini veſtigia eius*,Paulus ad Coloſſ. 2.*conſepulti*, ait, *ei in baptiſmo*. ſignificans typum ſepulturæ Domini. conſimiliter de alijs plurimis geſtis à Chriſto Domino,vt de curatione in die Sabathi, ſignificans omni tempore,& tãtò magis in die feſto debere nos animam noſtram curare,& purgare ab infirmitatibus peccatorum: ſi namque Iudæi etiam in die Sabathi aſinum extrahebant è fundo putei, eo magis animam debemus continuò extrahere de profundo lacu peccatorum.ita de luto, & ſputo,quo liniuit oculos cæcinati,ſic de ſimilibus. Auguſtinus inſuper tract. 122.in Ioann. allegoricè exponit capturam piſcium,dum rete diſcindebatur Luc. 5.& anagogicè tunc quando rete non ſcindebatur Ioann. 21. Allegoricè etiam id, quod dictũ eſt Petro, *ſequere me*: tr.124. ſicut anagogicè illud Ioan. 21.*ſic eum volo manere* tropologicè verò Ioannis 13. dum Chriſtus humilitatem ſuam oſtendit in lotione pedum Diſcipulorum; idemque Auguſt. inter ſpecies allegoriæ connumerat allegoriam Sacramenti,cùm ait Paulus, *conſepulti ei in baptiſmo*. Vocatio trium Magorum ad adorandum puerum Ieſum,vocationem Gẽtium præſignauit; dum denique Aſinum,& pullum aſcendit,Populum tùm ex Gentibus,tùm ex Iudæis collectum præmonſtrauit ex eodem. quapropter nil vetat in noua lege aliqua eſſe, quæ myſteria deſignet adimplenda,vſque in finem Mundi. ſequuntur Bellarm. vbi ſup. atq; Molin. 1.p.q.1.d.4.ar.10.

10 Ad primum Abulenſis ex Auguſt. non negat Auguſt. etiam in nouo reperiri myſticos ſenſus: vnde argumentum ab auctoritate negatiuè non tenet; non enim valet, concedit in veteri teſtamento quatuor ſenſus: tacet in nouo,igitur negat in nouo,non valet conſequentia. Item o'tenſum eſt ex eod.Aug.multas allegorias reperiri in nouo. Ad id,quod dicitur de claritate geſtorum nouæ legis, id non derogat, etenim cum claritate poteſt ſtare myſterium: quis enim non apertè intelliget Chriſtum humilitatem commendaſſe, dum pedes Diſcipulorum lauit: maximè exponẽte eo.& dicẽte, *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis,ita & faciatis.* Ad id,quod indignum videtur &c. minimè id,etenim iam dictum adeſſe inſuper & in noua lege myſteria &c. *Occurritur argu. Abulenſis.*

11 Dubitari ſolet vtrum idem myſticus ſenſus fuerit à Patribus quoque veteris teſtamenti cognitus. affirmatiuè reſpondet Driedo lib.2. de Eccleſ. dogmat.22. probatq; ſiquidem Dauid pſalm.109.de Chriſto dicit,*tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. quo loco oſtendit ſe per Sacerdotium Melchiſedech, Sacerdotiũ intellexiſſe Chriſti Domini. Ezech.34. *ſuſci-* *Myſticus ſenſus an fuerit à Patrib.vet.teſtam.cognitus.*

ſuſcitabo ſuper eam paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid. per id Chriſtum intelligit, cum Dauid typus fuerit ipſius Chriſti. ſicut de Abrahamo Chriſtus ait Ioan. 8. *exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* vtpotè Abraham immolare intendens filium ſuum, dum eo liberato, immolauit Arietem, per illam intellexerit ipſũ Chriſtum, qui venerat pro Iſaac, ac totius Mundi ſalute immolandus. Addit inſuper inde Driedo adeo certum eſſe Patres, & Prophetas veteris legis ſenſus ſpirituales agnouiſſe, vt hæreticum ſit, inquit, poſitum aſſere. nec huic contradicit Molina. Vtrum verò omnes quidem myſticos ſenſus agnouerint, non ſatis conſtat, nec multum intereſt hæc diſquirere.

Patres veteris teſta. atq; ſcriptores, non omnes ſenſus myſticos nouerũt ſed quos Spiritus S. eos edocuit.

12 Verum obſtare poteſt, quod Iſaias de Ezechia prophetauit 38. *diſpone domui tuæ, quia morieris.* & Ionas cap. 3. *adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* atq; Ioan. 18. Caiphas, *expedit, vt vnus moriatur pro Populo, ne tota Gens pereat.* & tñ nec Iſaias euentũ nouit, nec Ionas, ſiquidem nec Ezechias mortuus fuit, nec Niniue ſubuerſa. & de Caiphas textus ait, *à ſemetipſo non dixit*, quoniam non cognouit quid diceret. ergo nequaquam norunt ſenſus eorum, de quibus vel loquebantur, vel ſcribebant. Reſponderi poſſet veteres Patres, & Prophetas multa quidem nouiſſe, ſed non omnia: ea verò nouiſſe, quæ Spiritus ſanctus Scripturæ auctor eis per ſuas viſiones, & prophetias reuelabat; nõ enim neceſſe eſt nouiſſe omnia, de quo ſup. q. 6.

Scriptura vtrum in omni loco recipiat quatuor sẽſus.

13 Quæritur vltimo, vtrum Scripturæ cuiuſcunque loca exponenda veniant iuxta quatuor recenſitos ſenſus, tùm myſticos, tùm literalem. Reſponſio eſt negatiua, & communis. quandoque namque quatuor, quandoq; tribus, aliquando duob. & quandoque vnico ſenſu cõtenta eſt ipſa Scriptura. exempla de myſticis ſatis allata ſunt: de vnico autem, eoq; literali Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum.* qui locus de ſolo literali exponendus venit: ſicut & Ioan. 14. *creditis in Deum, & in me credite.* licet verò multa expoſitione digna à Patrib. ibi habeantur, nihilominus omnia reducuntur ad amorem, & fidem, ſicut ambo textus demonſtrant. ita Caſſian. collat. 8. c. 4. ac D. Tho. quodl. 7. ar. 15.

QVÆSTIO XI.

De ſenſu per accommodationem.

Senſus per accõmodationem non eſt propriè ſenſus.

1 VTrũ verò ſit & alius ſenſus præter recẽſitos. Reſpondendũ adeſſe & alium, quẽ vocant ſenſum per *accommodationẽ*. ſed an ſit vocandus rigorosè ſenſus, an potius modus ſic exponẽdi Scripturam, vtique vocandus potius alius Scripturæ vſus, quàm ſenſus alius: ratio eſſe poterit, quoniam iam ſufficienter acta eſt diuiſio ſenſus in illos quatuor, & ad hos reuocandi ſunt, ſi qui ſint, ſenſus alij: non eſt ergo propriè ſenſus, inquit Valent. t. 1. d. 1. q. 1. p. 5. §. 3.

An intẽdatur à Spiritu S.

2 De ſenſu per *accommodationem*, dicendum non eſſe intentum à Scripturæ auctore, nec primario literaliter, nec ſecundario, & miſticè; probatur, ſi namq; intenderetur literaliter, iam eſſet ſenſus literalis: ſi myſticè, iam eſſet myſticus, & quidem vel allegoricus, vel tropologicus, vel anagogicus: at nullus ex his, ita Valent. vbi ſup. & Vaſq. diſp. 14. c. 1.

Obiectio diluitur.

3 Dices, ſenſus hic non intenditur

ab

ab auctore Scripturæ, ergò nõ eſt adhibendus,ſed veluti Scripturæ oppoſitus relinquendus. Reſp. negando ſequelam;etenim tùm Patres multi;tùm Concionatores plures eo vtuntur, & vtillimè,vt dicemus.Replicabis,ſi non intenditur, cur ergò adhibetur, non enim Scripturæ exponendæ ſunt, niſi iuxta Spiritus ſancti intentionẽ.Reſp. non intendi quidem à Spiritu ſancto tanquam ſenſum literalem, vel allegoricum,vel anagogicum, vel tropologicum : ſed intendi tanquam vtilem admodum ad excitandum affectum in Deum , & obſeruantiam legis, prout agere ſolẽt ſacri Verbi Prçcones,ideoque ſic intendi per accommodationẽ. quod ſi ſacræ Scripturæ pugnaret,nequaquam adhibendus eſſet, non eſſet enim cenſendus,aut vocandus modus Scripturã explicandi per accõmodationem,ſed potius per deſtructionem: vnde concludimus ſenſum hunc intẽdi à Spiritu S. per accommodationem.

Eius deſcriptio.

4 Poteſt autem ſic deſcribi,vt *exponere per accommodationem nil aliud ſit, quàm Scripturæ ſacræ verba, vel geſta aliqua applicare per extenſionem ad rem illam,cum quà habent ſimilitudinẽ: quod tamen ſacræ Scripturæ auctor nec primario,nec ſecundario intellexit.* ita Doctores citati. ſenſus deſcriptionis iam patet ex dictis.

Eſt frequẽs & vtilis.

5 Frequens eſt eius vſus, & vſurpatio tùm àpud Patres,tùm Verbi Dei promulgatores : atque is vtiliſſimus eſt,prout ex homilijs colligitur,& ſermonibus;habent namque ſacrç Scripturæ verba grauitatem quamdam , & energiam, qua ad perſuadendum poſſunt ritè, & vtillimè applicari, ſi tamẽ applicatio reddatur rationabilis.

Exempla ſenſus per accommodationem.

6 Exemplis rem confirmemus. de Noè dixit Eccleſiaſticus 44. *inuentus eſt iuſtus,& in tempore iracũdiæ factus eſt reconciliatio.* hoc tamen Eccleſia accommodat ad Confeſſorem Pontificem:vt in officio patet. Zachar.4. de de Ieſù Sacerdote filio Ioſedech , & Zorobabel Duce Iuda dicitur, *hi ſunt duo filij olei , qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ Terræ :* quæ verba Ioannes Apoc.11.applicat ad Enoch, & Eliam, dicens. *iſti ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* vt tradunt Ambroſ. Gregor. Proſper, Riccard. atque Eccleſia applicat eadem ad Sãctos Martires Ioannem , & Paulum,vt in eorum facto habetur. ſic paſſim habetur in Miſſali, & Breuiario:ſuadetque ratio,quia ait Apoſt. *quæcunque ſcripta ſunt , ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem Scripturarũ ſpem habemus.* vtillimè ergò adducuntur dicta,& geſta Scripturarum, ad noſtram ſalutem per accõmodationem. Petro etiam dicente epiſt. 1. cap.2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis , vobis relinquens exemplũ,vt ſequamini veſtibia eius &c.*

Vtrum verò loca aliqua ab Euãgelijs,cæteriſq; ſacris Scriptoribus citentur per accommodationem, videbitur in ſeq.quæſt.

Non eſt efficax ad fidem coprobandam.

7 Senſus denique hic non eſt efficax ad dogmata noſtræ fidei confirmanda: ratio patet ex dictis, quia nec primario , nec ſecundario continetur ſub litera de mente Spiritus ſancti, vt ait Vaſq. c. 7. deſeruit verò ad mores componendos , virtutem aſſequẽdam, & peccata vitanda,vt eſt dictum.

QVÆSTIO XII.

Vtrum aliqua Scripturæ loca ab Euangeliſtis, cæteriſque ſacris Scriptoribus adducantur aliquando per accommodationem.

opinio Abulenſ.& Iānſen.

1 QVod vltimo fuit propoſitum, erat vtrū loca veteris teſtamenti citata in nouo, citētur in ſenſu literali, an etiam per accommodationem. qua in re Toſtatus q.57.in Matt. reprehendit affirmantes citari etiam per accommodationem: indignum exiſtimans, vt non citentur omnia in ſenſu literali. Ianſenius autem id affirmat in concord. c. 11. quid verò dicendum, aperiemus.

2 Et quidem dicimus loca aliqua citari à Chriſto, & Apoſtolis in ſenſu literali, aliqua in ſenſu myſtico, aliqua denique per accommodationem. eſt communis ſententia Theologorum, atque etiam Patrum, vt Hieron. in c. 11. Oſeæ, Chriſoſt. homil. 8. Matt. &c.

Quædam citantur in ſenſu literali.

3 Circa citationem in ſenſu literali occurrit illud Gen. 1. *maſculum, & fæminam creauit eos.* Gen. 15. *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* illud citatur à Matt. 19. hoc autem à Paulo Rom. 4. hæc verò ad literam intelliguntur, vt ſonant, atque citātur etiam ad literam. Item Actor. afferunt illud Gen. 12. *in ſemine tuo benedicētur omnes familiæ terræ* & Rom. 13. illud exod. 20. *non adulterabis, non occides, non furtum facies.* nec deſunt pleraque alia in ſenſu literali apportata.

Quænam citantur in ſenſu myſtico.

4 Circa citationem in ſenſu myſtico occurrit exo. 12. *non confringetis os ex eo.* quod ab Euangeliſta Ioanne conſimiliter citatur c. 19. ad literam quidem dictum fuit de Agno Paſchali: at myſticè de Chriſto acto in Crucē, cui non fregerunt crura, inquit Euangeliſta. Item Deuter. 25. *non alligabis os boui trituranti:* quod ad literam intelligitur de vero boue in tritura laborante: at Paulus myſticè citat de Prædicatoribus, quibus debita ſuſtentatio non eſt deneganda 1. Cor. 9. In Gen. 21. habetur. *Eijce Ancillam, & filium eius;* non enim *erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* hoc quidem de Agar ancilla ad literam dictum eſt, deque filio eius Iſmaele. quod tamen myſticè Apoſtolus applicat ad Synagogam Galat. 4. etenim Sara ſignificat Eccleſiam; Agar ancilla, Synagogam, quæ reiecta, & repudiata fuit, retenta Eccleſia, quæ eſt ſponſa Chriſti Domini Oſeæ 11. citatur illud, *Ex Aegypto vocaui filium meum.* quod de Populo Iſrael ad literam intelligitur, educto ex Aegypto per Moſen de ſeruitute Pharaonis, quod tamen à Mattheo cap. 2. affertur myſticè de puero Chriſto, qui vnà cum Maria matre, & Ioſeph reuocatus fuit ex Aegypto per Angeli oraculum.

Quænam citātur per accommodationem.

5 Circa citationem per accōmodationem habentur teſtimonia præcedēti quæſt. recenſita; etenim Zachar. 4. habetur, *iſti ſunt duo filij olei, qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ Terræ.* quod ad literam de Ieſu Sacerdote filio Ioſedech, & Zorobabel Duce Iuda; quod tamen Ioannes Apoc. 11. accommodat ad Enoch, & Eliam, inquiens, *hi ſūt duæ oliuæ, & duo candelabra in cōſpectu Domini terræ ſtantes.* ex Ambroſ. Gregor. Proſper. Richar. ſupra allatis: &

Ec-

Eccleſia accõmodat ad Sanctos Martires Ioannem, & Paulum, vt in eorũ officio. Item Iſaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* hæc de Iudæis dicuntur ad literam, qui viuebant tempore eiuſdem Iſaiæ: quæ nihilominus Chriſtus Matt. 15. accommodat Scribis, & Phariſæis ſui tẽporis. ſic illud Gen. 1. *fecit Deus duo luminaria,* Gregorius accommodat ad Pontificem, & Imperatorem. ſic illud Lucæ 22. *ecce duo gladij hic*: Bonifacius Octauus accommodat ad duplicem Pontificis poteſtatem, ſpiritualem, & temporalem. & ita paſſim plura reperiuntur Scripturæ loca, præſertim in Canticis Salomonis, quæ afferri ſolent per accommodationem. ita Vaſq. 1. p. diſp. 14. per totam, & Becan. quæſt. 6.

QVÆSTIO XIII.

Quinam ex ſenſibus ſit præſtantior, literalis an myſticus?

1 Senſuum præſtantiã, & dignitatem attẽdere poſſumus ex multiplici capite: vel quidem ex parte obiecti; ſeu ex parte rei ſignificatę: vel ex parte intẽtionis Authoris Scripturæ: vel ex parte certitudinis: vel cõparando eos ad inuicem in genere.

Ex parte obiecti, ac finis omnes ſenſus ſunt æqualis dignitatis.

2 Rationem ſpectando primi capitis dicimus omnes ſenſus, dummodo intendãtur à Spiritu ſancto, eſſe æquè præſtantes, & æque nobiles prob. omnes ſenſus diriguntur ad Deum: ſiuè habeant Deum pro obiecto immediatè: vt *diliges Dominum Deum tuum.* ſiuè creaturas: vt *diliges proximum tuũ*; etenim diligendæ ſunt creaturæ, ſed in ordine ad Deum: igitur cum dilectio omnis ordinetur ad Deum tanquam ad vltimum finem, vltimumque obiectum, ſenſus omnes ſiue literarius, ſiuè myſtici, importantes dilectionem Dei, & proximi, erunt æquè nobiles ex hac parte; ab his namque *duobus præceptis tota lex pendet, & mandata.*

Ex parte rei ſignificatę vt plurimum myſticus nobilior literali

3 De ſecundo capite loquendo, dicendum quod vt plurimum ſenſus myſticus erit nobilior ſenſu literali, ita Bann. dub. 8. prob. ait Paul. 1. Cor. 9. *non alligabis os boui trituranti*: ſubdit autem, *ſed nunquid Deo eſt cura de bobus? an propter nos hæc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt.* Senſus literalis eſt de bobus: myſticus autem de Prædicatoribus: at longè nobiliores hi ſunt irrationalibus creaturis: igitur myſticus ſenſus erit nobilior. Item res noui teſtamenti nobiliores ſunt rebus veteris inſtrumenti: ergo myſticus erit nobilior; ſequitur conſequi: etenim myſticus eſt adimpletio veteris teſtamenti prob. antecedens omnia in figuris cõtingebant eis: hinc autem rurſus arguitur figuratum eſt nobilius ſua figura: hæc habebatur in veteri, illud in nouo teſtamento. Inſuper diſcurrendo ſingulariter id conuincitur, & quidem de allegorico probatur ex 1. Cor. 10. *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, alterum de libera*: hic eſt ſenſus literalis: attamen ex eodem Paulo denotantur duo teſtamenta, nouum, & vetus: Eccleſia, & Synagoga; *quæ ſunt per allegoriam dicta*: nobilius vero eſt teſtamentum nouum, quàm vetus: multoque præſtantior Eccleſia, quam ipſa Synagoga. Rurſus Exod. 23. *ne coquas hedum cum lacte matris.* hoc allegoricè ſigni-

ſignificabat Chriſtum, non eſſe ad necem quærendum ab Herode, adhuc ſugentem vbera matris Virginis, quæ autem comparatio Chriſti cum bruto hædo? hæc vero allegoricè dicta ſunt de Chriſto. De tropologico inde ſuadetur, quandoquidem Caput eſt nobilius membris; igitur res Capitis nobiliores erunt rebus pertinentibus ad membra: at Chriſtus proponitur nobis imitandus tanquam Caput, dicente Petro Exod. 1.c.2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum; Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*. Cæteraque in veteri figurata lege; ad amorem, & imitationem Chriſti protendebantur: hoc autem ſpectat ad tropologicum. demũ de Anagogico, trãsfiguratus fuit Chriſtus in monte Thabor: transfiguratio vero hæc transfigurationem futuram cæleſtis Patriæ indicat: at quænam gloria eſt maior, vtrum illa, quam oſtendit in Thabor, an hæc, quam modo propalat beatis in Patria? vtique maior hæc, tum quia intenſior, tum quia perpetua, & perennior.

Ex intentione Spiritus Sancti, vt plurimum myſticus eſt nobilior literali.

4 Ex intentione autem Spiritus ſancti, qui eſt auctor Scripturæ conſtat in locis recenſitis magis eſſe intentum ſpiritualem, & perfectiori modo: vt patet in ſenſu de bobus, & de Prędicatoribus, ait enim Paulus, *nunquid Deo eſt cura de bobus? an propter nos Scriptura hæc dicit?* Conſimiliter de Eccleſia, & Synagoga importata per Ancillam, & & liberam: eſt namque perfectior ipſa Eccleſia, nouumque teſtamentum veteri, atq; Synagoga, ſicque longè maior erit gloria beatorum cum Chriſto in Cælo, gloria diſcipulorum in Thabor, & ſic de ſingulis.

Senſuum varia comparatio ex Patrib.

5 Accedit conſenſus Patrum, etenim Cyrillus prol. in leuit. comparat ſenſum ſpiritualem diuinitati, & literalem Chriſti Domini humanitati. Origenes l.4. Periarc. c. 2. comparat ſenſum myſticum animæ: & corpori literalem. Gregorius homil. 9. in Ezech, comparat ſpiritualem ſenſum grano, literalem paleæ: & Bernardus ſerm. 3. Epiphan. comparat ſenſum myſticum nucleo, literalem vero teſtæ nucis.

Literalis quandoque nobilior ſpirituali.

6 Hæc quæ diximus, vera ſunt, vt plurimum: etenim myſticum eſſe perfectiorem literali verum eſt, vt plurimum. At contingere etiam poteſt, vt literalis ſit quandoque perfectior myſtico: & quidem Paulus ait Hebr. 13. *Chriſtum paſſum eſſe extra portam.* hoc eſt ſenſus literalis: indicat vero myſticè, vt & nos exeamus extra caſtra improperium Crucis portantes per imitationem ipſius: at paſſio Chriſti Domini longè nobilior eſt omni humana paſſione; etenim illa eſt infiniti valoris, ſiue ratione ſuppoſiti, ſiue diuinæ acceptationis, &c.

Comparati ſẽſus inter ſe in genere, nobilior eſt literalis

7 Comparando etiam ſenſus inter ſeipſos in genere, & ſecundum ſe ſimpliciter: dicendum eſt literalem eſſe præſtantiorem myſtico. prob. id, quod primo per voces importatur, eſt literalis, myſticus enim vt dictum eſt importatnr ſecundario: igitur ſenſus literalis eſt qui primo ſentitur; ſiſtendo autem in vi rationis ſenſationis, illud eſt perfectius, ac primo ſenſibile, quod primo per voces ſentitur, etenim fortius imprimit ſenſationem ſui; nam ſi primo cognitum eſt id, cuius ſpecies ſenſibilis fortius, & immediatius mouet ſenſum; cum primo ſentiatur literalis, vtique hinc erit ex hoc capite perfectior. Item literalis intenditur à Spiritu ſancto, primario; myſticus ſecundario. Demum literalis importatur per voces, myſticus per res contẽtas in vocibus; priores autem ſunt voces rebus; vna cum cæteris differentijs recenſitis ſupra.

Senſus omnes ſunt æquales ratione certitudinis quoad ſe.

8 Si denique de certitudine loquamur diſtinguendum, vel de certitudine in ſe, vel quoad nos; de prima dicendũ omnes æquales eſſe in certitudine probatur omnes ſunt intenti à Spiritu ſancto omnes habent acutorem Spiritum ſanctum; at Spiritus ſanctus eſt ſpiritus veritatis, non enim poteſt mentiri, nec falli, nec fallere, ergo omnes ſunt certi, & veri, dum omnes auctorẽ habent Spiritum ſanctũ propterea enim appellatur à Chriſto, *ſpiritus veritatis*. De ſecunda loquendo, literalis eſt certior certitudine quoad nos; probatur literalis habetur per voces, myſticus per res contentas in vocibus at ſenſui notior eſt vox, quam res contenta in voce; cùm illa prius occurrat. Origenis comparatio, Patrumque recenſitorum

De certitudine quoad nos certior eſt ſenſus literalis.

rum

rum id docet, etenim corpus, paleas, teſtam, humanitatemque, quibus literalem comparant, videmus: animam, diuinitatem, quibus ſenſum comparant myſticum non videmus: nucleum, granum non niſi demptis paleis, teſtaque intuemur. Item certitudo ſenſus myſtici ſupponit certitudinem ſenſus literalis: ſi namque de literali dubitatur, quomodo poterit certitudo haberi ſenſus myſtici, vtrum talis myſticus ſit à Spiritu ſancto, fundamentum enim myſtici eſt ſenſus literalis. Accedit, quod ex literali ſumitur fortius argumentum, ſed de hoc in ſequ.

Obijcitur.

9 Dices, Paulus ait, *litera occidit, Spiritus autem viuificat.* ergo abſolutè myſticus erit perfectior literali: negatur conſequentia, & procedit ex praua intelligentia loci Apoſtoli; etenim per literam ibi non intelligitur ſenſus literalis; alias literalis ſenſus eſſet noxius; eſt autem intentus à Spiritu ſancto, eſtque fundamentum ſenſuum cæterorum, vt eſt dictum, ergo viuificat, non occidit; intelligitur vero per literam ibi cortex, & grammaticalis loquutio, quæ quandoque ſic ſumpta occidit: vt *ſi manus tua ſcandalizat te abſcide eam,* hoc crimen eſt, & peccatum; ſicut & illud, qui non *odit patrem, & matrem non poteſt meus eſſe diſcipulus, &c.* de quib. abundè ſupra. Occidit inſuper litera quando ſumitur iuxta naturalem, atque vſitatam vocum ſignificationem, dum tamen vſurpari deberet iuxta ſignificationem tranſlatitiam, & metaphoricam; vt iam diximus; cæterum dum litera ſumitur vti ſumi deberet, iuxta ſenſum, & mentem Spiritus ſancti, non occidit, ſed viuificat.

Quomodo verum ſit, quod litera occidit ex Paulo.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum ex ſolo ſenſu literali ſumatur efficax argumentandi locus, an etiam ex myſtico?

1 Reſponſio communis Theologorum eſt ex ſolo literali deſumi efficax argumentum, non autem ex myſtico ita Caſtro l. 1. cōtra hær. c. 3. Molin. 1. p. diſp. 5. art. 10. Valent. diſp. 1. q. 1. par. 5. §. 3. Bannes dubit. vlt.

Senſus ille eſt efficax, quia à Spiritu S. intenditur.

2 Rem vero neceſſe eſt minutius explorare: ac primo dicimus ſenſum illum eſſe efficacem ad arguendum, qui eſt ex intento Spiritus ſancti, quo fit vt ſiue ſit ſenſus literalis, ſiue myſticus, dummodo intendatur à Spiritu ſancto ſemper erit efficax ad arguendum: vice autem verſa ſi non erit talis, neque efficacitatem habebit ad arguendum eſt communis ſententia.

3 Probatur, Dionyſius epiſt. ad Tit. & ep. ad Policarp. ait, *ſymbolica,* ideſt myſtica, *Theologia non eſt argumentatiua,* Senſus autem huius ſententiæ eſt, qui elicitur ex Auguſt. epiſt. 48. contra, Vincentium Donatiſtam, nempe *niſi habeat manifeſtiſſima teſtimonia.* Igitur dum ſenſus myſticus teſtimoniū habet, quod ſit à Spiritu ſancto, vtique erit efficax ad arguendum, & in hunc etiam ſenſum deſcendunt cæteri Patres: atque Scholaſtici, & D. Thom. quodl. 7. art. 14.

4 Secundo dicimus, non eſt abſolutè aſſerendum ſenſum myſticum non eſſe argumentatiuum: ſed diſtinguendum: aut namque certi ſumus eſſe de mente Spiritus ſancti, hunc v. g. ſenſū,

quem

Obſtatur.

quem huic Scripturæ damus: aut minimè ſumus certi: ſi primum, erit efficax ad arguendum: ſi ſecundum erit inefficax: & ſolummodo apparens, & probabilis, inquit Molin. Quod ſi obſtiteris ex Dionyſ. Theologiam myſticam non eſſe argumentatiuam: Iam ſolutio habetur, tunc non eſſe efficaciter argumentatiuam, quandiu non conſtiterit an ſenſus ſit à Spiritu ſancto: quod ſi conſtiterit, nec Dionyſius, nec quiſquam negabit eſſe argumentatiuam.

Vnde conſtare poterit ſenſum eſſe à Spiritu S. intentum.

5 Sed quæritur vnde conſtare poterit vtrum ſit ex Spiritu ſancto; Reſp. id poſſe conſtare primo, quando talis ſenſus habetur ex alio aliquo loco alterius Scripturę: vt v.g. Exod. 23. *os non comminuetis ex eo.* Literaliter intelligitur, vt conſtat ex ipſo textu, de agno paſchali; myſticè verò intelligitur de Chriſto acto in Crucē: quod autem ita ſit, & quod ſenſus hic myſticus ſit à Spiritu ſancto patet ex Ioan. 19. inquiente, *hæc facta ſunt, vt Scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo.* & ex hinc poterit efficaciter myſticè ſumi argumentum. Item Deuter. 23. *non alligabis os boui trituranti.* myſticè intelligitur de ſacri verbi Præconibus; at vnde conſtat ita eſſe, taleq; eſſe intentum Spiritus ſancti? ex alio vtiq; textu, nempe Pauli ex 1. Cor. 9. *nunquid Deo eſt cura de bobus? an propter nos hoc dicit?* hic verò efficax ſumitur locus arguendi, Chriſti Domini Miniſtros eſſe alendos, ſiquidem ſenſus iſte myſticus certò conſtat eſſe à Spiritu ſancto, ſic enim Paulus explicat, imbutus Spiritu ſancto. & ſic de cæteris. Conſtare etiam poterit eſſe à Spiritu ſancto, vel ex determinatione Eccleſiæ, vel ex vnanimi conſenſu Patrum; vel ex ſequentibus, & antecedētibus, vt dictum fuit quæſt. 9. num. 9.

Peculiare Apoſtolis vti ſenſu myſtico, quia opprime eum agnoſcebāt.

6 Peculiare fuit, & ſolitum Apoſtolis, ſacriſq; Scriptoribus loca Scripturarum adducere in ſenſu myſtico, indeque ſumere argumentum; mirum autem non eſt, quandoquidem ij habebant ſpiritum Dei, & conſequenter cognoſcebant vtrum tales ſenſus myſtici eſſent à Spiritu ſācto: quo agnito, facilè inde arguebant, & efficaciter, vtendo, nunc ſenſu literali, nunc myſtico.

Scriptura non ſemper arguit demonſtratiuè, ſed quādoque probabiliter.

7 Dicimus tertio non ſemper Scripturarum argumenta eſſe demonſtratiua; quandoque enim ſunt topica, concludentia probabiliter, hujuſmodi eſt argumentum D. Petri, quo Apoſtolos varijs linguis loquentes nitebatur à calumnia hebræorum liberare, æſtimantium æbrios eſſe: ita autem arguit, *non enim ſicut vos exiſtimatis, hi æbrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia.* act. 2. at ratio hæc non eſt demonſtratiua, quaſi diceret, nō poſſunt Apoſtoli eſſe æbrij, quia adhuc nō comederunt, nec biberunt: cauſa autem cur non comederint adhuc, & biberint, inquit, eſt, quia *adhuc non eſt hora diei tertia.* at non deſūt qui etiam ante horam diei tertiam comedunt: immo qui & de nocte, ac de mane diluculo; igitur argumentum nō eſt demonſtratiuum, ſed topicum, & probabile, inquit Molin. Verum addēdum eſt, id de Apoſtolis æſtimandam non fuiſſe; etenim ſobrij, & temperati erant, ideoq; Spiritu ſancto repleti *loquebantur varijs linguis magnalia Dei.* ac propterea iure merito currit D. Petri argumentum ſpecialiter de, alioqui abſtinētibus, & ſobrijs, Apoſtolis.

QVAE-

QVÆSTIO XV.

Vtrum adeo ſit clara Scriptura, vt vnicuique liceat, pro libito, inde formare ſenſus.

Hæreticorum error æſtimantiũ Scripturã adeo eſſe claram, vt non egeat expoſitione

1 VNiuerſi noſtri temporis hęretici vnanimiter affirmant, Scripturã ſacrã vndequaq; eſſe clarã, ac propterea nequaquam expoſitionibus, Gloſiſq; Patrum indigere: quin potius clariorem eſſe ipſiſmet Gloſis Patrum: vnde deducunt vnicuique patere intelligentiam, & aditũ ad interpretãdas Scripturas: ipſoſque rudes, ſimpliceſque ruſticos, immo & mulierculas ipſas idoneas eſſe ad explicandas Scripturas: inde verò aliquando difficiles reddi, vnde phraſes oriuntur, ac diutiſmi hebraicæ linguæ, vel græcæ: cæterum omnibi, & vndequaque eſſe clariſſimam: tùm etiam, quia, aiunt, ſemetipſam declarat ipſa diuina Scriptura, ob idque expoſitione non indiget, ac interpretatione. Referunt Caſtro l. 1. contra hæreſ. cap. 4. Michael Med. lib. 7. de recta in Deum fid. cap. 1. ac Bellarm. l. 3. de Verbo Dei cap. 1. ac propterea ſufficere ſibijpſis autumant ſolam grãmaticæ linguæ intelligentiam, ſpretis Patrum, Gloſarum, interpretationib. atque tot Eccleſiæ Doctorum laboribus, & inſudationibus.

Scriptura oſtenditur obſcuritas.

2 At contra hæreticos, per difficilem, & obſcuram in quamplurimis locis eſſe Scripturam, itaut expoſitione, & Magiſtro indigeat, probatur primo ex ipſiſmet Scripturis. & quidem Apoſtolus Petrus epiſt. 2. cap. 3. ait de epiſtolis Pauli loquens, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti; & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorũ perditionem.* Item de Diſcipulis euntibus in Emmaus Lucæ 24. dicitur φ Chriſtus *aperuit illis ſenſum, & interpretabatur Scripturas*. Inſuper Eunuchus Candacis Reginæ à Philippo interrogatus, *num intelligis quòd legis?* reſpondit, *& quomodo poſſum, ſi nõ aliquis oſtendit mihi?* Actor. 8. Rurſus de Apoſtolis Matt. 16. *quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* Lucæ 18. *ipſi nihil horum intellexerunt.* atque Matt. 13. *acceſſerunt ad eum Diſcipuli dicentes, Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.* Conſtat præterea plurima loca eſſe abditiſſima, vt ſpeciatim Ezechielis viſio de quatuor animalib. Danielis de ſeptuaginta hebdomadibus, de abominatione deſolationis ſtante in loco ſacro, de qua Chriſtus Matt. 24. aiebat, *qui legit intelligit.* & vt plura linquam, quid de Apocalypſi Ioannis dicendum, de qua Hieronymus ad Paulinum ſcribit. *tot habere Sacramenta, quot verba?*

3 Cõfirmemus hoc exemplo Dauidis, qui de ſeipſo ait, *ſuper omnes docentes me intellexi.* & rurſus, *ſuper ſenes intellexi,* pſalm. 118. nempe ſe apprime doctum extitiſſe, ſiue adeo edoctũ fuiſſe, & inſtructum, vt ſupra etiam ſenes ipſos ſciret, ipſoſq; euinceret intelligentia diuinæ Scripturæ: hoc tamen nihil obſtante petebat inſuper intelligentiam à Domino, *reuela*, inquiens, *oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* & rurſus, *da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* atq; infra: *faciem tuam illumina ſuper ſeruũ tuum, & doce me iuſtificationes tuas.* hinc hæreticorum, aliorumque nimiſ

in

in proprij intellectus indagine confidentium ſtultitiam confundens Paulus Rom.1.ait, *dicentes ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt.* Chriſtuſque Matt. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus; & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* quo loco duo docet: tũ quidem abſcōſam eſſe ſuperbis Scripturæ intelligentiam; tùm verò obſcurā in ſe multoties eſſe Scripturam, atque diuina indigere manifeſtatione, & declaratione.

4 Conuincitur quoq; ratione. Auctor Scripturæ eſt Spiritus S. ſed exponendæ ſunt Scripturæ eo ſpiritu, quo conditæ ſunt: ergo intelligentia petēda eſt à Spiritu ſancto. Confirmatur diſcurſus authoritate Petri ep. 2. c. 1. *non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt ſancti Dei homines.*

5 Denique agit Scriptura de rebus altiſſimis, vtpotè de diuinis myſterijs; de Trinitate, Incarnatione, Sacramentis, Angelis, virtutibus, creatione, gratia, reſurrectione, iudicio, gloria, & huiuſmodi, quæ cùm tantopere torqueant ingenia etiam ſummorum Theologorum, quomodo fieri poterit, vt percipiantur ab indoctis, & illiteratis hominibus; à ruſticis, ac mulierculis? Vtitur quoque tropis, metaphoris, phraſibus, allegorijs, ironijs, figuratiſque loquutionibus: at non omnes capiunt hæc. Accedit; fruſtra inſudaſſe Patres, Doctores, Interpretes, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, Ambroſium, cæteroſque inaſſidua ſacrarū literarum meditatione, ſi de facili exponi poſſent pro libito diuinæ Scripturæ. Confirmatur authoritate Hieronymi, qui verba relata Pſalmiſtæ ponderans in epiſt. ad Paulin. de Inſtitut. Monach. ait, *ſi tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putas paruulos, & penè lactentes, inſcitiæ nocte circumdari?* Et Origen. l. contra Celſ. Chryſoſtomus homil. 14. in Ioan. Auguſtinus lib. 2. doctr. Chriſt. cap. 6. omneſque Patres id communiter adſtipulātur, præſertimq; Greg. qui hom. 6. & 5. in Ezech. ſacram Scripturam ob ſui obſcuritatem, librum ait eſſe inuolutum: habentem eloquium obſcurum, & profunditate ſententiarum inuolutum.

6 At quæritur quam ob cauſam voluerit obſcuram eſſe Scripturam Deus? variæ adduci poſſunt: & quidē primo, ideo factum, vt ſicut in rebus alijs, ita quoque in ſcripturis ſeruaretur ordo docendi, & addiſcendi: vt alij Magiſtri fungerentur officio in Eccleſia, alij diſcipulorum, non enim ſunt omnes Doctores. ait namque Apoſt. Epheſ. 4. *ipſe dedit quidem quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, ideſt Eccleſiæ.* & 1. Cor. 12. *numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes interpretantur?* & rurſus, *vni datur ſermo ſapiētiæ, alij operatio virtutum, alij diſcretio ſpirituum, alij interpretatio ſermonum.* hinc ad Rom 12. concludit, *vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* & iterum, *dico omnibus, qui ſunt inter vos, nō plus ſapere, quàm oportet ſapere, &c.* De mulieribus verò ſpeciatim act. 1. Timot. 2. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione: docere autem mulieri non permitto, ſed eſſe in ſilentio.*

Cur Deus voluerit Scripturā eſſe obſcuram.

vt ſeruaretur ordo docēdi, & addiſcendi.

7 Inſuper ſi vndique clara eſſet Scriptura, & facilis ad intelligendum, in minori foret æſtimatione, quàm par eſt: vnde & multi occaſionem ſumerēt ſuperbiendi, ſibique attribuerent intelligentiam, vtpote humana indagine acquiſitam de rebus altiſſimis: at vt noſtra retunderetur ſuperbia, intelligentiam enixè petere debemus à Deo in humilitatis, & patientiæ exercitationem: alioqui non ſuperbis, ſed humilibus reuelat ſpiritus Dei Patris, teſtante Filio, *confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudētibus, & reuelaſti ea paruulis,* ideſt, *humilibus.* vt Auguſt. exponit ſerm. 8. de verb. Dom.

Ad noſtrā retundendam ſuperbiam.

8 Item vilipendio eſſet penes infideles, ſicq; paulatim diuinæ Scripturæ celſitudo labefactaretur. hinc Mat. 7. dicitur, *nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus, & conuerſi dirumpant vos.* Accedit

Ne vilipēdio eſſet in infidelibus.

Theo-

Theodoretus, qui præfat. in Ezech. ita loquitur, *Eorum, quæ pretioſa ſunt in promptu hominibus eſt nihil: margaritã quippe, ſicut etiam purpureæ veſtis regiæ florem, maris occultat profundũ: & auri, argentique venæ in terræ ſuperficie non extant, ſed in intimis eiuſdem partibus conteguntur. In domibus quoque intus in penibus, impoſitis vinculis, clauibus, & ſigillis cuſtodimus: conſilia quoque earum rerum, quæ ſint maioris alicuius põderis, fidelioribus amicis, non omnibus temerè enunciare conſueuimus: verùm hiſce omnibus quæ modo diximus, auguſtiora diuina ſunt &c.*

Obijcitur. 9 Obſtatur autem aduerſus obſcuritatem ex Deuter. 30. vbi dicitur, *mãdatum, quod ego præcipio tibi non ſupra te eſt, nec procul poſitum*: igitur non erit ſupra intelligentiam, & captũ noſtrũ. Reſpondet Toſt. ibi, textum loqui de facilitate, retinendi in memoria præcepta decalogi. Reſpõdet autem Tertull. lib. 4. contra Marcion. Auguſt. lib. de perfect. iuſt. Origenes, Chryſoſtomus, aliiq; in cap. 10. ad Rom. loqui textum de facilitate adimplendi præcepta, vnà cũ diuina gratia: ratio, quia Deus non præcipit impoſſibilia, ideoque ꝑcepta, ait textus, non ſupra te ſunt, ideſt non excedunt vires tuas adiutas auxilio diuinæ gratiæ: ipſe namq; Deus, qui imponit præcepta, offert quoque auxilia gratiæ ſuæ ad adimplenda ſuamet præcepta; & hæc reſpõſio eſt germanior, quam tradunt prædicti Patres. *Occurritur*

Obijcitur. 10 Obijcitur, ex pſalmo 118. habetur, *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* & 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* atque prouerb. 6. *mandatum lucerna eſt, et lex lux*, Apoſtoliſq; dicitur, *luceat lux veſtra coram hominibus. Vos eſtis lux mundi* Matt 5 ac 2. Petr. 1. *firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* & demum 2. Cor. 4. *quòd ſi opertum eſt Euangelium noſtrũ, in iis, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mẽtes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti.*

Præcepta Domini lucida. 11 Ad loca Pſalm. eatenus dicuntur Domini præcepta, lucida, quatenus cùm fuerint declarata, & explicata, illuminant mentem, & oculos intellectus: non tamen quòd omnia Scripturæ loca ſint de ſe facilia intellectu: quamuis aliqua facillimè percipiantur, quid namque facilius intelligitur, quàm lex diligendi inuicem, vt *diliges proximùm tuum*; *diligite alterutrum*. Item lucida eſt diuina lex, eſtque lux: lux quidem lucens, & ardens; ſiquidem nedum illuminat, verùm & inflammat ad Dei, & proximi amorem, animam, quam illuminat, conuertens eam, iuxta id *lex Domini immaculata, conuertẽs animas.* vt namque Pſalmiſta differentiam admitteret inter cognitionem, quam Philoſophi aſſequuti fuerant ex creaturis, iuxta illud, *Cæli enarrãt gloriam Dei*, atque notitiam, quam de diuinis præceptis aſſequimur per fidem Dei, inde ſubdit, *lex Domini immaculata, conuertens animas.* proindeq; Dei verbum, *lucerna eſt pedibus meis, & lumen ſemitis meis.* quo etiam modo loquitur D. Petrus. & ad illud Pauli differentia innuitur inter hebræos, & fideles: hi namque credũt, vnde & apertum dicitur eſſe eis Euangelium Dei: quis namque non confitetur myſteria Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis Domini, & cætera huiuſmodi; cùm tamen hebræis remaneat Euangelium ipſum opertum, iuxta loquutionem Apoſtoli: ob duritiem, & infidelitatẽ, obſtinationemq; eorum, *quomodo nãq; vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* ait Ioan. 5. & hoc eſt velamen illud, quo Moyſes faciem ſuam operiebat, cùm loquebatur ad Populum.

12 Ad illud verò *Vos eſtis lux mũdi, luceat lux veſtra &c.* in primis loquitur de luce exemplorum; ſiquidem Apoſtoli tùm verbo, tùm vitæ exemplo prædicabant, & confirmabant Euangelium Chriſti: hoc autem colligitur ex eo, quod ſequitur, *& videant opera veſtra bona &c.* Reſpondetur ſecundo, lucem fuiſſe, quoniam Scripturas alioqui obſcuras, prædicatione apoſtolica explanabant, vnde & mentes Audientium illuminabant. ac tertio reſpondetur Apoſtolos valdè clarius prædicaſſe, quam ſcripſiſſe, quod colligitur ex 1. Cor. 11. *cætera cùm venero,* *Apoſtoli lux exemplorum.* *Apoſtoli clarius prędicabant, quam ſcribebant.*

nero, diſponam, ita namque in humanis ſolet Magiſter clarior eſſe verbo, in docendo, quàm ſcripto.

Veteris, & noui teſtamẽti diſcrimen.

13 Arguitur, diſcrimen veteris, & noui teſtamenti in eo eſt, vt vetus appelletur liber ſignatus ex Iſa. 29. nouũ verò apertus, ex Apoc. 5. aperuit enim Agnus, qui occiſus eſt librum, &c. In huius rei teſtimonium, velum Templi in morte Domini ſciſſum eſt Matt. 27. Reſpondent aliqui diſcrimen in eo ſiſtere, quod in veteri tùm Scripturarũ ſententiæ, tùm myſteria erant obſignata; in nouo autem, licet non omnes capiant ſententias Scripturarum, tamen myſteria, etiam rudes, ruſtici, ac mulieres recipiunt, credendo, & confitendo Incarnationem, Paſſionem, cęteroſque articulos noſtræ fidei. Reſpondetur amplius, diſcrimen in eo ſiſti, vt in veteri ideo Scripturã appellari ſignatam, quia continebat figuras, *omnia namque in figuris contingebãt eis*; in nouo autem appellari librum apertum, quia iam venit Agnus, qui impleuit figuras, ac propterea tantopere in Euãgelio dicitur, *vt adimpleretur Scriptura: quomodo adimplebuntur Scripturæ? impletũ eſt. quod dictum eſt per &c.*

Commẽtariorũ Scripturarum origo, & ordo.

14 Demum arguitur, in primitiua Eccleſia nulla aderant Scripturarum commentaria, ſed priores illi Patres abſque cõmentis intelligebant Scripturas; cur non itidem præſtare & nũc poſſunt omnes, abſque neceſſario recurſu ad commenta. Reſp. in primitiua Eccleſia adfuiſſe primo loco Chriſtum Dominum, qui ore proprio docebat Apoſtolos, & exponebat eis Scripturas, vt Lucæ vltim. *aperuit illis ſenſum, & interpretabatur Scripturas.* Chriſto autem in cęlum aſcenſo remanſerunt ijdem Apoſtoli, qui eaſdem explicabant Scripturas; hæc verò appellabãtur Commentaria viua. poſt Apoſtolos remanſerunt eorum diſcipuli, qui & ab Apoſtolis Scripturas didicerũt; poſt verò hos cæteri inde à prædictis Apoſtolorum diſcipulis intelligentiã deſumpſere, vt de ſe teſtatur Clem. Alex. lib. 1. Strom. ac demum Irenæus, Iuſtinus, alijq; cęperunt commentaria exarare, teſte Hieron. l. de vir. illuſtr. ſic vſque hodie, de ſingulis,

QVÆSTIO XVI.

De Regulis eliciendi ſenſus è ſacra Scriptura.

1 Conſtito Scripturã declaratione indigere, & Magiſtro ob ſui obſcuritatem: nunc regulæ afferendę ſunt aliquę, eęque potiores ad eruendos legitimos ſenſus Scripturæ.

Exponẽda Scriptura iuxta ſenſum Eccleſiæ, & Patrum.

2 Prima autem regula ſit, quam ſacrum docet Tridentinum Conciliũ ſeſſ. 4. in decr. de edit. lib. 2. ſic inquiens, *Nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum: aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat.* hæc ergò eſt prima regula, quæ fundamentum, & baſis eſt cæterarum.

In exponẽdis Scripturis duo extrema vitanda.

3 Secunda ſit, in eruendis Scripturæ ſenſibus duo ſemper cauendi errores, & extrema: alter eorũ, qui nullatenus ſenſum ſpiritualem, & myſticũ recipiunt in Scriptura: cùm tamen ex ſupradictis conſtiterit eſſe admittendum, cùm & ipſe ſit quoque à Spiritu ſancto, vt probatum remanſit: alter vero

rò illorum, qui ex oppoſito totam trahunt Scripturam in ſenſum myſticum: deducentes inde ſæpiſſimè inſulſas quaſdam, minuſq; fundatas, & irrationabiles, diſtorto Scripturarum tramite, allegorias: reiecta prorſus literali expoſitione, tanquam re leuiſſimi momenti, & grammaticis, vt aiunt, potiùs, quàm Theologis, digna. non longe abſunt Concionatores quidam ſingula allegoricè (Poetarum more) & myſticè interpretantes, ſpreto literali; idque vel ex ignauia, vel ex torpore faciunt, vel nolentes, vel neſcientes Gloſarum, Patrumq; expoſitionibus, vt inde literalem ſenſum eliciant, vacare. Media ergò via eſt incedendum, vt communiter Patres docēt, alias merito obiurgantur ab Auguſt. dicente, *quis non impudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitum, pro ſe interpretari.* 1. ep. 48. contra Vinc.

Recurrendum ad tropos, metaphoras, & figuras.

4 Tertia regula: quandocunque aliqua Scripturæ verba ſumpta in naturali, communi, & vſitata vocum interpretatione, prauum, & irrationabilem ſenſum reddunt, tunc relicta communi, ac vſitata ſignificatione, recurrendum eſt ad tranſlatitiam, atque metaphoricam, & figuratam interpretationem. Regula hæc eſt Auguſtini, qui lib. 3. doctr. Chriſt. cap. 10. ſic ait, *quidquid neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem referri poteſt, figuratè, & metaphoricè accipiēdum eſt.* & cap. 6 *ſi præceptiua locutio eſt Scriptura, aut flagitium vetans, ac beneficentiam iubens, tunc propriè accipiendum eſt: ſi autem flagitium videtur iubere, aut beneficentiam vetare, figurata locutio eſt.* exempla ſæpiſſimè adducta remanent ſuperius: *vt ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te abſcinde eam, qui venit ad me, & non odit Patrem, matrē, fratres, & ſorores, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ego ſum vitis, vos palmites. Ierūt ligna, vt facerent ſibi Regem. Oculi Domini ſuper iuſtos:* & huius generis: quotum omnium Scripturarum ſenſus, quis, & qualis debeat eſſe, iam conſtat ex ſupradictis.

Exponēda iuxta proprium ſenſum verborum, quoad fieri poteſt.

5 Quarta regula: exponenda Scriptura eſt in communi, vſitata, & propria vocum ſignificatione, quoad fieri poteſt: niſi tamen neceſſe ſit ad ſenſum recurrere metaphoricum, & tranſlatitium, ad tropos, & figuras, vt iam diximus ex Auguſtino. non enim debemus recurrere ad tropos abſque neceſſitate: de hoc notatur Origenes à Hieronymo ad Pammach. Epiphanio epiſt. ad Ioan, Hieroſolymit. Epiſc. atq; Methodio, qui (vt Sixtus Senenſis lib. 5. Bibl. annotat. 33. refert) Origenem arguunt, quòd plantationē terreſtris Paradiſi ſenſu metaphorico exponat: pro arborib. Angelos: pro fluminib. cœleſtes virtutes interpretando. Notatur quoq; (vt Molin. d. 2.) D. Ambroſius, qui lib. 2. in Luc. cap. 22. locum Ioannis 18. de Petro, *frigus erat, & calefaciebat ſe.* ad literam intelligendum dicat, nōde vero frigore, ſed metaphoricè de torpore, ſeu frigore charitatis.

Dicta, vel geſta peccaminoſa in Scriptura, ad ipſos peccatores referenda ſunt.

6 Quinta: quotieſcunque in Scriptura introducuntur dicta, vel facta, minus decentia, vel indecentia, vel falſa, ea in prauos homines, atque peccatores ipſos referenda ſunt, veluti dictorū, vel factorum taliū auctores, huiuſmodi eſt illud Gen. 3. *eritis ſicut Dij.* & Lucæ 4. *hæc omnia tibi dabo, ſi cadēs adoraueris me: hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa.* Conſtat verò loquutiones illas eſſe Diaboli, tunc quidem in figura Serpentis tentantis primos Parentes in Paradiſo terreſtri: hic verò eiuſdem Sathanæ tentantis Chriſtum in deſerto: at Spiritus ſanctus, qui eſt Scripturæ auctor, non eſt auctor mendacij, ſed eſt Spiritus ſummæ, & infallibilis veritatis: ſic & de criminibus cęteris in Scriptura contentis, quæ in ipſos refunduntur, veluti auctores, peccatores. Sed petes ſi Spiritus ſanctus non eſt ſcelerum iſtorū author, quomodo appellari poterit author Scripturæ? etenim ea continētur in Scriptura, ipſeque eſt author Scripturæ; quid ergò Spiritus ſanctus in his agit, tāquam author Scripturæ?

Spiritum S. eſſe auctorē Scripturæ, quomodo intelligitur.

7 Reſpondetur, aliud eſt Spiritum ſanctum aſſiſtere ſacro Scriptori ne erret in enarrando ea, quæ geſta, & dicta ſunt; aliud verò eſt ipſum eſſe auctorem omnium in Scriptura enarratorum: primus ſenſus eſt verus, vt in hoc ſenſu dicitur Spiritus ſanctus auctor Scripturæ; atq; ita adſtitit Moyſi, & Lucæ, ne erraſſent in referendis tē-

tationibus illatis Chriſto, primiſq, noſtris Parentibus, & hoc de fide eſt; ſecundus autem ſenſus blaſphemiam continet, & hæreſim, non enim eſt auctor Spiritus ſanctus ſcelerum, & abominationum ſæpiſſimè in Scriptura recenſitarum: aliàs in errorem impingeretur Manichæorum æſtimantium reperiri vnum Deum malum, qui ſit cauſa, & auctor mali; conſtat verò permiſſiuè tantummodo Deum ſe habere ad malum; eſt autem Spiritus ſanctus auctor omnis boni; vnde eſt vt & ea, quæ in Scriptura probè, & ſanctè geſta, aut dicta ſunt, Spiritum ſanctum habeant authorem.

Vbi locus eſt obſcurus, & dubius quid agendum?

8 Sexta, vbi locus aliquis dubius, vel obſcurus eſt, coſulenda ſunt alia loca Scripturæ clariora: atque ex antecedentibus, & ſubſequentibus erit, vt plurimum, ſenſus eliciendus. ita Auguſt. lib. 2. doctr. Chriſt. cap. 36. Scot. 4. d. 10. q. 1. dixi vt plurimum, quandoquidem multoties ſacris Scriptoribus familiare eſt, cum prophetico rapiuntur ſpiritu, relicto argumento, quod ſuſceperũt, ad alia myſteria digredi.

Aſſidua Scripturarum lectio neceſſaria.

9 Septima ſit, quam idem Auguſtinus tradit eod. lib. cap. 8. inquiens, *is erit diuinarum Scripturarum ſolertiſſimus indagator, qui primo totas legerit notaſque habuerit, ſi nondum intellectu, iã tamen lectione.* & infra: *Prima huius laboris obſeruatio eſt, noſſe iſtos libros, & ſi nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere.*

Calleat expoſitor, dialectica, Philoſophia, cognitione linguarum proprietatum rerũ, hiſtoriarũ.

10 Atque hinc idem Sanctus Doctor ibid. cap. 31. cum Scoto in 3. d. 24. q. vnic. ſup. lit. F. docet vtilem eſſe dialecticam, & ſcientias Philoſophorum, repudiatis tamen Dialecticorum, & Philoſophorum erroribus. magiſq; neceſſaria eſt ipſa ſacra, ſcholaſtica Theologia.

11 Accedit ad hæc, cognitio hiſtoriarum: ſcientia de proprietatibus rerum: dicta Sapientium, & Poetarum; etenim Paulus Act. 17. quãdoque ſcribit, *ſicut & quidam veſtrum Poetarum dixit.* Intelligentia linguarum, hebraicæ, græcæ, phraſum, troporum, atque locutionum figuratatũ, & huiuſmodi.

Sũmus Põtifex eſt optimus Iudex interpretationis Scripturæ.

12 Super omnia autem intelligẽtiam neceſſe eſt haberi Conciliorum, declarationum Eccleſiæ Summorumque Pontificum: Pontifex namque, veluti ſapientiſſimus Magiſter ſedens in Cathedra Eccleſiæ, eſt optimus Iudex Scripturarum ſacrarum Interpretandarum. ita Sacrum Concil. Trid. ſeſſ. 14. ſup. recenſita.

Timor Domini ſapiẽtia initiũ.

13 Ad demum, huius diuinæ ſapiẽtiæ initium, eſt timor Dei, Sap. 8. *initium ſapientiæ timor Domini.* teſte autẽ Iacobo, *qui indiget ſapientia, poſtulet eã à Domino, qui dat omnibus affluenter.*

Intelligentia eſt expetenda à Deo.

14 His finem imponit Eccleſ. 39. inquiens, *ſapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit.* quo in loco docet, ſapientem Scripturæ interpretem nõ proprio ingenio confidere, ſed cõſulere ſapientes, antiquos, atque viros nominatos, & de ſacra Scriptura benemeritos. Verum quia ad hoc, neceſſarium quoque comperit recurrendum eſſe ad orationem, ad petendam intelligentiam à Deo, ideo ſubdit, *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur: aperiet os ſuũ in oratione &c.* effectum verò talis deprecationis enarrans, pergit, *ſi enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquã imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ;* ac denique finem talis adeptæ à Domino intelligentiæ patefaciens, concludit, *ipſe palam faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti Domini gloriabitur: collaudabunt multi ſapientiam eius, & vſque in ſæculum non delebitur.* & c. 15. *cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur; & continebit illum, & non confundetur; & exaltabit illũ apud proximos ſuos, & in medio Eccleſiæ aperiet os eius, & adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, & ſtola gloriæ veſtiet illum.*

DISPVTATIO TERTIA

De diuinis nominibus.

QVÆSTIO PRIMA

Dei nominum generalis, ac vniuerſalis diuiſio.

1 ETſi diuini nominis celſitudo noſtrum traſcendat captũ, noſtramq; ſuperexcellat intelligẽtiam,ac rationem, propter quod difficilis reddatur de eo cogitatio, & ineptior nominatio,iuxta illud, *quod eſt nomen eius, aut quod nomen filij eius, ſi noſti*.prouerb.30.nihilominus, dum ex Scripturis perplura clareſcunt nobis diuina nomina, ac multa etiam nobis ipſis tradantur à Patribus, multaq; à Philoſophis optimum erit eis vti, & ea adhibere, vt ſecurius & de ipſo Deo loquamur, & tutior præparetur via ab errorib. ſic namq; conſuluit Clem. Alex.l.5.stromat.*pulchris vtimur Dei nominibus, vt in alijs non aberrans, his inniti poſſit cogitatio*. priuſquam vero ad particularia explananda nomina deſcendamus, apponamus generalem quandam eorundem nominum diuiſionem,atq; partitionem.

Clē. Alex.

Nomina Dei alia ab æterno,alia ex tẽpore.

2 Primo igitur Dei nomina, vel ab æterno ſibi competunt, vel ex tempore; prima vel abſoluta ſunt, vel reſpectiua: primi generis ſubdiuiduntur in eſſentialia,modos intrinſecos, & attributa: prima ſunt eſſentialia prædicata conſtitutiua Dei; numerantur autem, ens,& aliquib.exiſtẽtia, item Spiritus, vita intellectualis, ac denique Deus. Dices, ergo Deus eſt conſtitutiuus eſſentialiter Dei, id namq; ſequitur, ſi nomen Deus,eſt prædicatum,& nomẽ eſſentiale Dei. Reſpondeo,Deum eſſe eſſentiale conſtitutiuum Dei ſub ratione hypoſtaſis,& perſonæ,quia Deitas eſt de eſſentia Trinitatis, ſicq; erit conſtitutiua Patris,Verbi, & Spiritus: nõ ergo idẽ eſt conſtitutiuũ ſui, ne idẽ ſit prius,& poſterius ſeipſo in ratione cõſtituẽtis & cõſtituti.ſed cõſtitutiuus perſonarũ.ſecũda ſũt infinitas,neceſſitas eſſendi, æternitas,& à pleriſq; annumeratur exiſtentia, de qua infra ſuo loco.tertia ſũt,ſapiẽtia bonitas,iuſtitia & huius generis, quæ ſecũda, & tertia extraneantur à ratione intrinſeca diuinæ eſſentiæ, cum non ſint de eſſentia eius,ſed dicuntur veluti affectiones, & proprietates naturales circumſtare eſſentiam,prout loquitur Damaſc. lib. 1.c.4.hęc eadem ſingula omnis generis nomina, ſolent appellari eſſentialia, quod duplici ratione contingit, vel quatenus ſint de eſſentia, hoc namq; in rigore ſonat *eſſentiale*, vel quatenus importãt communitatem prædicationis, vel tertio quatenus ſunt coeſſentialia,quia coexiſtunt eſſentiæ: primus modus competit ſolum ijs, quæ ſunt de conſtitutione: tertius conuenit attributis, modis internis, atq; relationib.ſecundus autem ſpectat ad omnia, quæ ſunt in Deo, quia idem eſt eſſentiale,ac commune;nam omnia abſoluta ad intra communia ſunt omnibus perſonis,& prædicantur de ipſis.

Nomen, Deus,quomodo eſt eſſentiali ipſo Deo.

Prædicata eſſentialia Dei. ens, exiſt.ſpiritus,vita intellect.Deus.

3 Secundi generis ſubdiuiduntur; vel

Nomina reſpectiua, ad intra, & ad extra.

vel namq; important relationem ad intra,vel ad extra: prima ſunt duplicis generis, alia namq; ſunt conſtitutiua, & alia aduentitia. prima ſunt paternitas, ſeu generatio actiua conſtituens Patrem: addi ſolet ingenitum,& innaſcibilitas. item generatio paſſiua, ſeu filiatio,conſtituens Verbum,ac deniq; ſpiratio paſſiua conſtituens Spiritum ſanctum.Secunda locum habet in eod. Patre,& Filio,qui cum ſpirent poſt eſſe completum eorum, ſequitur vt ſpiratio actiua, qua ad ſpiritum referuntur,ſit prorſus extranea, atq, adnentitia ipſis, non conſtitutiua. Ea quæ dicunt relationem ad extra ſunt relationes quib. Deus refertur ad Creaturas: eæ etiam duplices ſunt ex parte Creaturæ, vel quatenus Creaturæ habendo eſſe actualis exiſtentiæ referuntur ad Deum, vel quatenus concipiuntur in eſſe cognito, ſeu idæato ab ipſo Deo: vtroq; modo relationem dicunt, ſed realem quidem in eſſe exiſtentiæ, propter eſſe reale,rationis tamen ſecundũ eſſe cognitum, ac idæatum, quia non verè ſunt. ex parte autem Dei ſemper erunt rationis,ſiue conſideretur vt dãs eſſe idæale,& cognitum, ſiue vt conferens eſſe reale. His adde relationes alias,vel actuales,vel aptitudinales: illæ concernunt actuale exercitium,quo mediante actualiter Deus refertur, & hæ aptitudinale in potentia: vt eſſe Creatiuum, Cõſeruatiuum,& ſimilia, aptitudinem indicantia, & potentiam ad creandũ,indicant.n. relationem aptitudinalem,eſſe vero Creatorem, Cõſeruatorem, & huius generis demonſtrant actualem, quia indicant potentiam cum actu,terminato iam ad Creaturas:& inter hæc patet aliud diſſidiũ, vt prima competierint Deo ab æterno,quia ab æterno fuit Creatiuus,Redemptiuus, ideſt potens redimere, ſecunda vero ſpectent ſibi in tempore, cum Creatorem eſſe, & redemptorẽ, acciderit in tempore, ſic etiam dominatorem, & conſimilia, vt apertè explicat D. Auguſt. l.5. de Trin. c.15. *ſi dominus non dicitur, niſi cum iam incipit habere ſeruum, etiam iſta appellatio ex tempore eſt Deo, non.n.ſempiterna eſt creatura,cuius eſt ille dominus*. & c.16. explicans illud Pſal. *Domine refugium factus es nobis,refugium*, inquir, *noſtrũ Deus relatiuè dicitur, ad nos.n.refertur, & tunc refugium noſtrum fit, cum ad eũ refugimus*; id autem fit in tempore.

Alia negatiua, affirmatiua alia.

4 Rurſus alia ſunt negatiua;& affirmatiua alia: ex illis,eſt immortale, indeficiẽs,infinitum,immenſum, impeccabile,& cætera:ex iſtis, vniuerſa quæ dc eo poſitinè efferuntur perfectionaliter,ſiue abſolutè,ſiue reſpectiue: Prima tamen non ei competunt ſic purè, vt negationes ſunt, ſed ratione abſoluti,& poſitiui, homini namq; repugnat irrationale, quia habet poſitiuam perfectionem rationalitatis, quæ excludit irrationale: ſic indefectibilitas, & immortalitas Deo competet gratia neceſſitatis eſſendi. enti .n. neceſſario repugnat defectibilitas.ſic infinitas ratione perfectionum interminatarum, & immenſitas,& impeccabilitas ratione propriæ poſitionis: omnis.n.negatio in ente abſoluto ſupponit poſitionem:quidquid tamen ſit, & ſi negatiua ſint, demonſtrant tamen veritatem diuini eſſe per ſuas affirmationes, ſicut prædicata affirmatiua,reddendo ſingula ſingulis: & merito cenſentur quid excellentius quandoq; ſignificare,quã nomina affirmatiua ſingulariter, & diuiſim tenta;nam ſicut perdifficile eſſet enumerare pfectiones vniuerſas Dei, ita breuius, & compendioſius per nomina negatiua ea explicantur, vt qui non ſufficeret enarrãdo dicere Deum habere perfectionem, bonitatis,ſapiẽtiæ,iuſtitiæ,prudentiæ,clementiæ, tandem laſſus,epilogando dicat,ipſum eſſe quid infinitum, quid immenſum, indeficiens,independens, interminatum. immo fuit expreſſa ſententia Damaſc. melius explicari per negatiua, inquit .n.l.1.c.4. *etiam per affirmationem quædam de Deo dicuntur, præcellentius tamen vim negationis habent*. & hæc eſt nominatio,& intelligentia Dei per viã remotionis ex eod.Damaſc. cui adſtipulatur D.Auguſt.5. de Trin. c.1. & l. 6.c.4.Baſil.ep.80.& Boet.vocat eum non ſubſtantiam, ſed aliquid ſupraſubſtantiam,vnde appellat eius eſſentiam, *ſuperſubſtantialem* in lib. de Trin. Verum eſt tamen,quod vt notauimus, nõ admittimus in eo ſolas negationes, ſic .n.nihil eſſet eorum, quæ de ipſo affirman-

Nominantur quandoq; excellentius Deus per viã negationis.

mantur, ſed addimus affirmatiuas perfectiones: in quo confutatur Rabbi Moyſes in lib. cui titulus eſt, *Doctor*, aſſerens eſſe nomina Dei omnino negatiua, vt dicatur quidem viuere, ſed negatiuè, nempe quod nõ viuat Deus, ad modum Creaturarum: & dicatur ſapere, etiam negatiuè, vt nõ ſapiat eo modo, quo ſapiunt Creaturæ; At hoc falſum, tũ quia à Deo auferretur vniuerſa perfectionũ poſitiuarũ multitudo, tũ etiã quia hac loquutione poſſet Deus vocari materia, vt oſtenderetur nõ carere potẽtialitate ad eſſedũ, quo modo eſſet materia ens in potẽtia vtcunq; vel poſſet appellari corpus, ad oſtẽdẽdũ nõ eſſe nihil ergo ſub negationib. eſt apponẽda poſitio, & affirmatio perfectionum poſitiuarum Dei.

Nomina Dei eſſe omnia negatiua fuit error Rabbi Moyſ.

Nomina alia ſignificantia ſubſtãtiã, alia connotãtia accidens.

5 Recipit quoq; Deus, ſemotis tamen imperfectionib. diuiſionem nominum, in ea, quę ſubſtantiam ſignificant, & ea quæ connotant accidens: licet namq; ratio vera accidentis, ſicut & ratio prædicamentalis ſubſtantiæ non ſit in Deo, nihilominus reddendo ſingula ſingulis, vtrumq; reperitur in eo; vt ſubſtantialia dicantur, quæ ſunt de ratione eius conſtitutiua intrinſecè & accidentalia, quæ circumſtent eſſentiã, nec ſint de eius ratione, ſed extraneata à ratione eſſentiæ, dicantur ſic accidere eſſentiæ: non quidem ſumendo accidens, prout à Porphyr. definitur c. de accidente, quod *poſſit adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem*, namq; omne quod eſt in diuinis eſt neceſſe eſſe, & nihil cadere poteſt, aut abeſſe ex diuinis perfectionib. in natura diuina, ſed ſumpto accidente pro omni eo, quod eſt extra rationem quidditatiuã, & primariã alicuius, licet tamen identificatum ſit cum eo, & inſeparabile ab eo, cõſtabit conceptus omnes in diuinis, extra eſſentiales, & quidditatiuos, omnes ſic fore vocandos accidentia extranea, non accidens per accidens: & eſt clara mens Damaſc. qui l. 1. cap. 4. ait, *quæcunq; de Deo per affirmationem dicimus, non ipſius naturam, ſed quæ circa naturam ſunt, oſtendunt.* & exemplificando ſubdit, *ita ſiue bonum, ſiue iuſtum ſiue ſapientem, ſiue quodcũque tandem dicere libeat, non Dei naturam, ſed quæ naturæ Dei inſunt*; exponunt. Cuius etiam ſenſus duplex eſſe poteſt, tùm quia nullum iſtorum de ſe ſolo ſumptũ ad plenum explicat diuinam naturam; tùm quia nullum eorum eſt de quidditate naturæ; tùm denique quia & ſi quid extrinſecum connotet, id non connotabit per modum communis accidẽtis, ſed per modum quaſi paſſionis, aut naturalis affectionis, quę tamen & ſi modum induant accidentis, indicant tamen ipſamet ſubſtantiam Dei, attributa namque ſecundũ modum concipiendi indicant accidẽtia, & qualitatem, quantitatem, & relationem, actionem, paſſionem, tempus, ſitum, vt reddendo ſingula ſingulis, qualitati correſpondeat ſapientia, bonitas, & huius generis, quantitati infinitas, relationi paternitas, verbatio, ſpiratio, actioni generatio actiua, & actiua ſpiratio, paſſioni generatio, & ſpiratio paſſiua, tempori æternitas, ſitui immenſitas, & ſimilia, ſic de cæteris, omnia nihilominus important de materiali ſubſtantiam, quia quod eſt in Deo eſt Deus, & hinc Cyrillus cathec. 6. dixit, *Deus eſt multorum nominum, & ſubſtantiæ eiuſdem.*

Accidens per accidẽs non eſt in Deo, ſed ſumptum pro extraneo.

6 Inſuper quædam ſignificant rẽ, cuius veritas eſt in Deo, & oppoſitum in creatura: vt immenſum, infinitum, æternũ, independens, quæ ita Deo cõpetunt, vt nullatenus creaturæ, immo competat oppoſitum, quia finita, parua, temporalis, dependens eſt, quædam cuius veritas eſt in Deo, & ſimilitudo in creatura, vt ſapientia, bonitas, exiſtentia, ſanctitas. & ſimilia, quę proprius, & verius Deo competunt, creaturæ verò per participationem quatenus diuinã participant ſimilitudinẽ, & perfectiones, iuxta illud, *fecit hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* quædam, etiam rem denotant, cuius veritas eſt proprius in creaturis, ſimilitudo tamen in Deo, vt lapis, leo, agnus, quæ veram indicant eſſentiam creaturæ, ſimilitudinariè tamen tranſfunduntur in Deum, vt ratione manſuetudinis, *agnus*, ratione fortitudinis, *leo*; & ratione primarij Eccleſiæ fundamenti, *lapis* dicatur ipſe Chriſtus: quod explicauit Ambroſ. lib. 2. de Trinit. *quo purius*, inquit, *niteat fides; tripartita videtur deriuanda diſtinctio, ſũt*

Nomina quædã verè competunt Deo, & ſimilitudinariè creaturæ, quędam verè creaturæ, & per ſimilitudinem Deo.

enim

enim nomina quadam,qua euidẽter proprietatem,perſonamq; Deitatis oſtendũt; & ſunt quadam, qua perſpicuam Diuina Maieſtatis exprimunt vnitatem; alia verò,qua tranſlatinè,& per ſimilitudinẽ de Deo dicuntur.

Nomina, quę verius competunt Deo, per prius dicũtur de Deo quàm de creatura, & qua verius competunt

7 Et de his quoque agendo, alia propriè Deo competunt, vt diximus; & alia creaturæ; at differentia hæc eſt, vt quæ verè competunt creaturæ, & metaphoricè Deo per prius prædicãtur de creaturis, quia Deo ſolùm cõpetunt ex creaturis; quæ tamen metaphoricè creaturæ, & vero ſenſu competunt Deo, quoad rem quidem ſignificatam per prius, & perfectius competunt ipſi Deo. attendendo tamen id, vnde deducta ſunt, prius competẽt creaturæ: exemplum primi, agnus, leo, lapis. ſecundi, donare, vrere, aſpicere, eſſe, & ſimilia ſignificata importata per nomen Deus, de quibus infra; quæ quidem quoad impoſitionem deſumpta ſunt ex creaturis, ideoq; prius ſignificant creaturas, quoad repreſentatum tamen, important perfectius ipſum Deum; hinc dixit Dion. c. de diuin. nom. 2. *omnes Deo digna denominationes non per partes ſed in tota, integra, ac perfecta Deitate à Scripturis ſãctis celebrantùr.*

creatura prius dicũtur de creatura.

QVÆSTIO II.

De nomine, Deus.

Dei nominis ethimologia ex hebrais.

1 PLura ſunt, atq; varia huius nominis, Deus, ſignificata, viciſſim relata nobis à Patribus, & tot quidem, vt vnũquodque idioma, & vnaquæq; Natio ſuum adhibeat conceptum, propriam afferat ſignificationem, & hebræi quidem taliter eum appellant, vt appellatione, quam imponunt, idem ſignificare intendant, ac, *eſſe*, proptereaq: Exod. 3. hoc vtitur Deus nomine, *qui eſt, ego ſum, qui ſum*, de quo infra. ita ex Damaſc. l. 1, de fid. c. 12. ita quoq; loquitur Athanaſ. in epiſt. decr. Synod. Nicæn. *cum audimus vocabulum Deus, nihil aliud, niſi incomprehenſibilem Dei ſubſtantiam ſignificari intelligimus*. & nõ longè eſt Ambroſ. lib. de fide, *Deus eſt nomen natura*, ideſt ſubſtantiæ.

Ex Gracis

2 Græci autem variè intelligunt, vel namq: per id importari aiunt, *currere*, quaſi ipſe præſto ſit, & occurrens ad neceſſitatibus Creaturarum ſuccurrendum, ex eod. Damaſc. vel deriuatum inquiunt, *à videndo*, ſeu *aſpiciẽdo*, quia cuncta oculis ſuis luſtrat, & *humilia reſpicit in calo, & in terra*, ex Niſſen. l. ad Abablium. vel vt ab *ardendo* ſit dictum, quia *Deus tuus ignis conſumens eſt*, vel deniq, à dando, vt quia ſingulis cuncta docet, & elargiatur, etiam proprium filium *cum quo omnia nobis donauit*, quod eſt latina interpretatio, quæ explicat à poſteriori conditionem nominis, & demonſtrat actionem, non naturam; aut inſuper, à *deficiendo*, quaſi nulli deſit, nullumq; deſtituat, aut linquat, ſed cunctis neceſſaria adminiſtret, quomodo etiam axioma eloquitur, *Deus nõ deficit in neceſſarijs.* & ſi ad Ethnicos recurramus, ac Philoſophos, idem denotat, ac ens infinitũ cauſam primam, Primum motorem, & ſimilia nomina, atq; encomia. quæ ipſi adſcripſere Philoſophi. & demum idẽ penes fideles importat, ac primũ ens, ſummum bonum, vltimum finem, ens entium, obiectum noſtræ ſalutis, continens quidquid perfectionis reperitur in

Deut. 5.

2. Ro. 7.

Ex Philoſophis.

in creaturis eminentiori modo, vt Auguſt. loquitur de verb. apoſt. ſerm. 1. *Deus vniuerſa præcellit, ſi quæras magnitudinẽ, maior eſt, ſi pulchritudinẽ, pulchrior; ſi dulcedinem, dulcior, ſi ſplẽdorẽ, fulgidior; ſi iuſtitiam, iuſtior; & ſi pietatem, clementior.* Accedit D. Anſel. *Deus eſt, quo maius cogitari non poteſt.*

3 Duo autem hic ſpectare oportet, & id, à quo ſumitur hoc nomen, Deus, & ſecundo, id, ad quod in ſumitur ſignificandum, & demonſtrandum. loquendo de primo, conſtat nomen, Deus, eſſe nomen operationis, quia denotat *currere, videre, donare, ardere, non deficere*, vt diximus. de ſecundo autem, denotat pro nunc, naturam infinitam, immenſam, æternam, immortalem, perfectiſſimam, vt notauimus ex Patribus, quæ tamen ſit amplior huius ſignificati explicatio dicetur infra.

4 Damaſcenus autem enumerat hoc nomen tanquam præcipuum inter diuina nomina, cui etiam adnectit nomen *Qui eſt*, tãquam ex præcipuis, cætera autem non eſſe ita præcipua, quia non ſic perfectè diuinam naturã demonſtrant: inter hæc autem duo, primum, ac perfectiorem locum tribuit nomini *Qui eſt*, cùm ipſum eſſentiale eſſe Dei conſignificet: nomen autem *Deus* ſignificet operationem perfectiſſimam. ita quoq; fatetur Naziãz. orat. 23. & cõfirmat Athanaſ. ep. decr. Nicen. Sinod. *cum dicimus Deum, nihil eorum, quæ circa eum ſunt, ſed ipſius ſubſtantiam ſignificamus.* hoc verò teſtimonium aduerſatur Damaſceno, & D. Thomæ, docẽtibus ſignificare operationem, ſed ceſſat obſtaculum, quia aſpiciendo ad id, gratia cuius impoſitũ eſt, connotat diuinam ſubſtantiam, & ſic loquitur Athanaſ. contemplando autem id, à quo talis notitia diuinæ ſubſtantiæ concipitur, denotat operationem, qua tanquam à poſteriori deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ Dei: & hoc ſenſu loquitur idem Damaſc. cùm ait inter Dei nomina præcipuum eſſe nomen *Boni* loquitur namq; à poſteriori, quia demonſtratio, & elucescentia bonitatis ſuæ perfectius cũctis facit nos deuenire in cognitionem Dei, vt ibid. explicat Chlicthou. An verò reperiatur nomen aliud diſtinctius ſignificans diuinam naturam dicetur infra.

5 Porro nomen hoc eſt nomen commune, ſiquidem commune eſt perſonis diuinis, omnes namq; & ſingulæ prædicationem recipiunt huius nominis, vt in Mat. de Trinit. Commune quidem, at non vniuerſale, etenim vniuerſale reperitur diuiſum in inferioribus, reperitur etiam & in ſeipſo confuſum, at diuina natura non diuiditur in perſonis, cum vna numero ſit in tribus, nec confuſionem vllam de ſe cõnotat, cũ ſit vna numero, & ſingularis. Communicatio tamen habetur ſolùm in diuinis, ſiquidem ad extra incommunicabile eſt nomen iſtud, quapropter vnitas Dei, atq; primi vnius principij cùm reſpuat Deorum multitudinem reddit incommunicabile alijs diuinum nomen: vnde meritò coarguuntur Gentiles diuinum nomen tribuentes lapidibus, lignis, creaturis, & adorantes eas, veluti diuina numina, vt Sap. 14. *incommunicabile nomen, lignis, & lapidibus impoſuerunt.* *Dei nomen incommunicabile creaturis per naturã*

6 Nil tamen vetat tranſlatitiè, & figuratè loquendo, vt per ſimilitudinẽ, & metaphoram poſſit idem nomen communicari impropriè creaturis, ita enim iam actum reperimus in Scripturis, vt *conſtitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7. per poteſtatem Moyſi à Deo traditam; *ego dixi Dij eſtis*, pſalm. 81. per gratiam, atque iuſtificationem. *Dij multi, & domini multi* 1. Corint. 8. per Idola, & Dæmonia, quod clarius innuit pſalm. 95. *omnes Dij Gentium dæmonia. Dijs non detrahes* Exod. 22. ob reuerentiam, qua proſequi debemus Eccleſiaſticos, & Eccleſiæ Prælatos. *offerat eum Dijs*, Exo. 21. loquendo de ijſmet, & ſimilia: communicatio hæc autẽ eſt abuſiua, & impropria, nihilq; derogat diuinæ naturæ celſitudini, atq; dignitati. *Cõmunicabile nomen patiuè.*

7 Solùm hic conſequenter dubitari poterit, vtrum hoc nomen, *Deus*, ſicut & cætera Dei nomina, ſit connotatiuum creaturarum ad extra, an verò omninò abſolutum, & remanens intra limites ſui proprij, & adæquati conceptus. qua in re Bann. quæſt. 13. art. 1. cum Caet. diſtinguit, quòd Dei nomina aut concipiuntur confusè, aut *Nomen Deus, vtrũ ſit connotatiuum creaturarum.*

N di-

diſtinctè, ſi primo modo, ſolùm important diuinam naturam, non connotando creaturas ad extra, ſi ſecundo modo, vtique ſemper dicent reſpectum ad creaturas: probāt, quia homo, ſi diſtinctè concipiatur, connotat reſpectum, & conceptum duplicem, & animalis, & rationalis, quos tamen non connotabit ſi concipiatur confusè. Verùm reſolutio non placet, & quoad id, quod aiunt, Deum diſtinctè conceptū ſēper cōnotare reſpectū ad creaturas, id omnino falſum, propoſitio nāq; iſta, Deus eſt trinus, & vnus; & ſi diſtinctiſſimè concipiatur, nullum cōnotat intrinſecè reſpectū ad creaturas, etenim nulla creatura eſt vna, & trina; hæc namque Deus eſt Creator, reſpectum quidem connotat, ad creaturam ſub ratione termini creationis, quia Creator refertur connotatiuè ad creaturam, propter relationem intercedētem: at Trinitatis myſteriū nō reperitur in creatura, eſtq; in Deo ſolo, ergò non connotat. Dixeris, cōnotare, quia in creatura reperitur imago Trinitatis, & reperitur Trinitas ſaltem imperfecta: ſed hoc nihil eſt, primo, quia quòd homo, & Angelus ſint ſic imagines, & repreſentent Trinitatem, prouenit ſolùm ex libera voluntate Dei, cui placuit Trinitatis veſtigium relinquere in creaturis: connotare autem indicat modum quemdam naturalem; ac neceſſarium in connotando, ſeu in inferendo vnum ex alio, quemadmodū vox iſta, *Creatura* neceſſariò, & naturaliter connotat Creatorem, quia relatiua ſunt, & de ſui natura creatura, vt creatura refertur ad Creatorem, & in hoc conſiſtit connotatio, de qua quærimus, aliàs ſi pro connotatione intelligeremus omnē connotandi modum, etiam ex impoſitione, & liberū, dici poſſit; paginam iſtam conotare Veſuuium Montem, cuius è regione nunc eam characteribus impleo; quæ connotatio eſſet impropria, & abſq; fundamento acta: igitur Trinitatis myſterium, quod repreſentetur in homine, connotatio nō eſt naturalis; Item, quia inter connotans, & connotatum intercedere debet relatio realis, etiam ex parte vtriuſq; termini, licet ex parte termini vnius impediatur aliunde eſſe quandoque realis, hoc dixerim, quia inter Creatorem, & creaturam debet intercedere realis relatio in connotando, quòd ſi ex parte Creatoris non eſt realis, id non procedit ratione cōnotationis, ſed aliundè, ratione ſuppoſiti, quod agit, quod eſt Deus, qui cùm non neceſſario agat ad extra, non dicit relationem realem ad extra: cæterum aliunde ſpectando, quatenus cōnotans eſt, abſtrahendo à Deo, debet dicere, etiam connotans, relationem realem, ât Trinitas non refertur realiter ad hominem ſub ratione imaginis, ergò non connotat. Vlterius, potius homini tanquam imagini conuenit connotare Trinitatem, quàm Trinitati connotare hominem imagatum, quia homo recipit à Trinitate, & eſſe, & eſſe imaginem, non autem Trinitas ab homine eſſe recipit vllum; quia Deus nil habet ab homine, & licet repreſentetur ab homine, homo non facit hoc à ſe, ſed Deus dedit illi, vt ſic repreſentaret, *faciamus ad imaginē, & ſimilitudinem noſtram*, inquit Deus, ergo à voluntate Dei pendet, vt ſit imago.

8 Quod ſi proteruies, accipio propoſitionem hanc, Deus ab æterno eſt Deus. Deus ab æterno eſt bonus, ſapiens, volens, intelligens, & ſimilia, & contemplor Propoſitiones has, antequam ipſe Deus determinauerit creare Mundū; ſiue in eſſe reali, ſiue ideali: tunc quidem propoſitiones iſtæ abſtrahunt omnino à creaturis, cùm eouſque Deus nil cogitauerit de eis, nec dederit illis, nec quidem eſſe cognitū, ſeu idæatum: tunc terminus, *Deus, bonus, ſapiens, & ſimiles*, etiam diſtinctiſſimè cogniti, tantūmodo abſolutè cōcipiebantur, in ſolo ordine ad Deum, non autem ad creaturam, quia non erant, ergò falſa deciſio, quòd propoſitiones de Deo diſtinctè conceptæ, ſēper connotant creaturas. Confirmatur, quia multa ſunt nomina, quæ omnino ab eis abſtrahunt, vt ens, eſſe, exiſtentia, dicta de Deo, quæ cùm Deus poſſideat independenter à creaturis, nec etiam connotabunt creaturas, tū quia ſunt ante eſſe idæalæ creaturæ.

9 Quapropter reſolutoriè dicimus, nomen Deum non eſſe connotatiuum, ſicut & multa alia, vt eſſe, exiſten-

Creator, Conſeruator, Redēptor, & ſimilia cōnotant creaturas.

ſtentia, trinus, & ſimilia, etiam ſi diluꝫcidè cognoſcātur, quia ante eſſe ideatum creaturarum, talem connotationē non habebant: reliqua autem, vt Creator, Conſeruator, Redemptor, bonus, ſapiens, volens, & ſimilia, connotare creaturas, circa quas Deus exercet theſauros ſapiētiæ, bonitatis, pietatis, gubernationis, & huiuſmodi: Quòd ſi connotationem incipias à creaturis procedendo ad Deū, benè ages, quia creatura verè connotat Deum, iuxta Apoſt. *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt à creatura mundi concipiuntur*; vt ſi ab eſſe, operatione, ſitu, & ſtatu creaturæ velis creaturam connotare ipſū Deum, admittitur connotatio, ſed iſta non erit connotatio, de qua loquimur, etenim quærimus, vtrum nomen Dei connotet creaturas, non autem vtrum creatura connotet Deum, de hac namque concedimus, & non eſt dubium, at de prima iam diximus. Obſtare videtur Nazianz. orat. 36. docens, *hoc nomen Deus dicere relationem ad creaturas*. ſed reſpondetur attendiſſe Dei nomen à poſteriori, & ab operationibus, quas ſignificat, vt *currere, videre, ardere, donare, non deficere*, de quib. ſup. quæ quidem ordinem indicāt ad creaturas quod concedimus, at non loquitur de ipſamet diuini nominis natura ſumpta à priori. ſicut diſcurſus ipſius Bann. procedit etiam à poſteriori.

Recōciliari poſſunt ſententiæ.

10 Quod ſi pro reconciliandis ſententijs addideris loqui Bann. extēſiuè, alios intenſiuè, ſtare quidem poterit; at tunc conſiderandus veniet Deus nedum itra ſe, ſed etiam extra ſe ad creaturas: quæ conſideratio non videtur de intētione quæſiti, quia quærimus de nomine Dei, vt Deus eſt, quodadmodum diuerſum eſt à Deo, prout operator ad extra eſt.

QVÆSTIO III.

Nomen, Deus, an connotet eſſentiam, an perſonas.

ARTIC. I.

Sentētia D. Thomæ, & Henrici.

CVm autem inter eſſentialia Dei nomina recenſita reperiatur hoc nomen Deus, conſequens eſt, vt ad particularia nomina deſcēdendo primo videamus quid ſignificet hoc nomen Deus, quo in loco ſuppoſita iam huius nominis ethymologia in antecedenti diſcurſu, vt quod vel à *videndo* dicatur, vel *ſuccurrendo*, & ſimilia preſſius ipſū nomen inquirimus quid importet ad intra in Deitate.

Sententia D. Th. reſpondentis ſub diſtinctione.

2 Sententia D. Thomę in 1. par. q. 39. art. 4. ea eſt, vt ſub diſtinctione ſit procedendum in nominis iſtius ſignificatione idq; colligere oporteat ex varia loquutione de Dei nomine: ſi namq; nectatur cum verbo creatiuo, vt dicendo Deus creat, importabit eſſentiam; ſi vero cum verbo exprimente actum notionalem, importabit perſonam: vnicam quidem, cum adnectitur generation, vt Deus generat, duas vero cum dicitur Deus ſpirat: tres deniq: cum dicitur *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili.* 1. Timot. 1.

Quæſtio reſolui poterit abſque diſtinctione.

3 Optima meo indicio reſolutio, & communiter recepta à Thomiſtis, Attamen cum in ſimplici nominis ſiſtamus indagatione abſq; quidem diſtinctione vlla prius reſponderi poterit ad quæſitum; & prob. Deitas in ſui ratione intrinſeca non includit crea-

tionem, ergo poteſt abſq; ordine creationis abſolutè concipi. confirmatur, Deus nullam realem dicit relationem ad extra, ergo abſq; ea optimè antecedenter concipi, & connotari poterit.

4 Dices, ſaltem neceſſariam indicat connexionem diuinarum perſonarum ad intra, propter quod non poterit ex ſe ſola concipi ſine perſonis; ſed contrarium probatur poſſe abſolutè concipi ſine eis: notionalia non ſunt de ratione intrinſeca abſoluti, nulla. n. relatio eſt de ratione intrinſeca abſoluti: omne autem ens benè concipi poteſt abſq; omni eo, quod non eſt de intrinſeca ratione eius, ergo abſolutè de Dei nomine loqui poſſumus abſq; ordine ad perſonas. item omne prius independens à poſteriori poteſt ſine poſteriori concipi, & abſolutè intelligi, eſſentia autem à relationibus non ſ ē det, cum ſit antecedens ad eas, ergo nulla contradictio vt abſq; diſtinctione tali poſſit antecedenter concipi. Itē eſſentia de potentia abſoluta poteſt terminare viſionem beati ſine perſonis ex Scoto.

5 Dices identificationem cū perſonis in cauſa eſſe, vt ſine eis concipi nequeat; ſed id eſt omnino negandum, ſi loquamur de ſimplici, ac qualicunq; Deitatis conceptione apprehenſiua, & inadæquata: id vero neceſſum eſt loquendo de comprehenſiua, & adæquata conceptione Deitatis, in qua vltra Deitatem, & modos concipere neceſſe eſt, & attributa, & hipoſtaſes. Item ratio identitatis eſt ratio materialis, non formalis, quia poteſt videri ſine perſonis, de quo ſuo loc.

Sententia Henrici. 6 Secūdo loco ſenſit Henric. quodl. 5. q. 8. nomen Deus neceſſario ſignificare ſuppoſitum diuinum: nec poſſe abſtractiuè concipi à perſonis. probatur primo nomen cōcretum ſupponit pro ſuppoſito: ergo nomen Deus non abſtrahit à ſuppoſito. inſuper ad duo duceremur abſurda, ſi concipi poſſet ex ſe ſolo, primum, quod foret neceſſe admittere aliud concretum nomen in diuinis, nempe nomen ſpiratoris, patet vt qua ratione vos admittitis nomen Deitatis commune, & abſtractum à tribus, ea etiam ratiocinatione ſit admittendum nomen ſpiratoris commune duob. Patri, & Filio ſpirantib. Spiritum ſanctum; hæc autem abſtractiua loquutio abhorret à veritate, ergo. deniq: daretur abſolutum, & commune humanitatis communis quidem tribus perſonis, vt qua ratione datur Deitas abſtracta à tribus, quia reperitur in tribus, ita quoq: ſi humanitas aſſumeretur à tribus, neceſſe foret dare hominem, qui antecedenter concipi poſſet communis tribus, ſicut antecedenter concipitur Deitas communis tribus.

7 Poſſet vlterius argui actiones omnes ad extra competunt in ſimul perſonis diuinis, at eſſentiæ diuinæ, ſiquidem opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, vnde ſi Deus creat, conſeruat, gubernat, etiam dicitur tota Trinitas conſeruare creare, & prouidere, nec loquutio ordinaria ea eſt, vt ſolus dicatur operari Deus ad extra, ſed operatur in tribus, ergo ex ſe perſonas connotat, & hipoſtaſes.

8 Item actiones ſunt ſuppoſitorū ex 12. met. ergo actio Dei ad extra erit ab ipſo Deo trino, quod in cauſa eſt, vt Deus connotet ſuppoſitum de principali ſignato. Sequeretur vltra dari quaternitatem in diuinis, nā vnicuiq; rationi formali reſpectiuè correſpondet ſuum adæquatum quod, nēpè perſona, hæ vero ſunt tres: & eſſentia cum ſuum etiam habeat indiuiduum, & ſubſiſtentiam addet quaternitatem.

9 Eſt etiam oppoſita ſententia cōtra concilia; nam in ſexta Synodo gen. act. 11. retunditur Sabellius id admittens; habetur namq; ibi: *Sabelliana prauitas dicitur tres perſonas in vnam colligere, & confundere ſubſiſtentiam.* hæc eadem ſententia nedum ab Henrico defenditur verùm ab Alex. Alenſ. 3. p. q. 2. mem. 3. & q. 7. mem. 2. 3. Marſil. in 3. q. 2. art. 3. d. 1. ac Bonau. in 3. d. 1. art. 1. q. 5. & d. 5. art. 1. q. 4. & à pleriſq; modernis.

AR

ARTIC. II.

Verior ſententia de ſuperiori quæſtio.

Ordo entiũ per Cathegorias.

1 VT autem remiſtam clarè diſſoluamus, initio ſtatuẽdus eſt ordo, ac naturalis nexus entium in cathegoria poſitorum: meminit autem in prædicamentis Ariſt. entia omnia ad decem illa capita reuocari: ſubſtantia, quantitas, qualitas, relatio, & ſimilia, & vltra hanc rerum omnium reductionem, non confuſim ea coordinat, ſed diſtinctiſſimè, vt primo loco abſoluta collocet, & inde reſpectiua, vt patet: & inter abſoluta etiã ſtabiliat ordinẽ, vt id, quod tanquam radix, & fundamentũ eſt cæterorum, anterius ſtatuat, & primario collocet, nempè ſubſtãtiam, cui proximo inde hæreant accidentia, & reſpectiua omnia, & abſoluta. alia etiã ſub ratione notatur id præſtitiſſe, quia cum cætera ſint accidentia, indigent neceſſario præeunte ſubſtentificatiuo, atq; etiam quia accidentia promanant à ſubiecto, naturæ ordo poſtulat, vt præeat ſubiectum.

Subſtantia prior accidẽte cognoſcibilitate.

2 Ex hoc autem Ariſtotelico ſtatuto ordine id imprimis inſurgit, vt ſiſtendo intra limites eiuſdem coordinationis, vnum ſine altero queat concipi, vt ſicut ſe habent res ad eſſe, ita quoq; ad cognoſci: *ſubſtantia autẽ prior eſt accidente natura tempore, & cognoſcibilitate* 7. met. t. 4. igitur ordo naturę expoſtulat, vt ex ſe ſola prius terminare poſſit intellectus actum cognitiuũ, quam cum in accidentib. poſteriori ordine reperitur implicita: & corrobatur magis, ſicut. n. per abſolutam potẽtiam poteſt ex ſe ſola conſiſtere abſq; quãtitate, qualitate, cæteriſq: tum abſolutis, tum relatiuis accidentib. ita quoq, ex ſe ſola terminare poterit cognitionem antecedenter ad cognitionem accidentium abſolutorum, atq; reſpectiuorum: conceptio autem intelligitur de abſolutis ſeorſim, reſpectiua enim concipiuntur ſimul.

Dei nomen primario inſpectum,

3 Non diſſimiliter eſt arguendum in præſenti negotio de Dei nomine: vt primo loco ſtatuamus, Dei nomen ex ſui natura primario, & ſimpliciter inſpecta. indicare concretum Deitatis, abſtrahens à diuinis perſonis. eſt ſententia expreſſa Scoti in 1. ſent. d. 1. q. 1. Lychet. ibid. Baſſol. in 2. d. 1. q. 4. art. 3. & idẽ Scot. quodlib. 8. ar. 1. Rad. par. 2. q. 1. Fauent. in 2. diſp. 1. cæteriq: Scotiſtæ, dum ſuſtinent contra Henricum diuinas perſonas non eſſe formalem rationem operandi ad extra, ita vt dicatur Deus creare ea ratione, qua Deus eſt: ex quo reſoluit ibi Scotus quæſtionem illam, vtrum ſi per impoſſibile vna tantum perſona eſſet in diuinis, reperiretur in ea plenitudo potentiæ ad producendum? reſpondẽt enim quod ſic, immo etiam ſi per impoſſibile nulla ibi eſſet productio, perſonarum, potentiſſimus eſſet Deus ex ſe ſolo producere ad extra, vt deducũt ex Richar. 3 de Trin. c. 16. De indiuiduo autem Deitatis expreſsè idẽ Scot. in 1. d. 4. q. 1. 2. & Rad. 1. p. q 12. ar. 1.

eſt concretum abſtrahẽs primario à perſonis.

Si per impoſſibile nulla eſſet productio ad intra, poſſet nihilominus Deus creare.

4 Quod ſi eundem Scotum interroges: vnde eſt, vt de facto concurrant ſimul diuinæ omnes perſonæ, vt iam definitum eſt, atq; certum de fide tum ex ſexta Synod. action. 4. & 16. tum ex Lateranenſi Concil. ſub Innoc. 3 quod habetur in c. firmiter de Sum. trin. & fid. catth. Aug. 1. de Trin. c. 4. ac receptiſſimo inter theologos axiomate *opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.* Reſpondet Scotus ideo eſſe, quia de facto iam eſſentia diuina reperitur communicata tribus: cum vero omnium perſonarum ad extra vna ſit operatio, vna effectio, vna numero intellectio, & volitio vna, inde ſit vt operando vna, operetur & altera, & operante abſoluto Deitatis ad extra, dicantur etiam, & ſimul diuinæ operari perſonæ: tum etiam, quia cum comparantur plures effectus ad cauſam vnam, quorum alter eſt abſolutè neceſſarius, & alter cõtingens, prior eſt ordo termini producti neceſſarij ad Principium productiuum, quam ſit ordo effectus contingentis ad ſuam cauſam: productio autem ad intra eſt abſolutè neceſſaria, productio ad extra eſt contingens, & libera, inde eſt, vt hæc de facto præſupponat primam.

Cur de facto omnes perſonæ operantur ad extra;

5 Confirmatur ex ſententia eiuſdem Scoti circa productionem Spiri-

Si per impoſſibile eſſet ſolus Pater, poſſet producere Spiritum S.

tus ſancti, namq; in 1.d.12. docet Spiritum ſanctum licet de facto producatur à duob. attamen ſi per impoſſibile in diuinis vnica ſolummodo reperiretur perſona, poſſet quidem ex ſe ſola ſufficiens eſſe ad producendum eum; quapropter non adiungitur Filius Patri ad ſpirandum, quaſi Pater ex ſe ſolo ſit impotens, & inde potens reddatur per coniunctionem filij: nec requiruntur ambo ad hoc, vt alter partem, & partem alter obeat ſui muneris, & exercitij, quaſi vnus ex ſe ſolo producere totum non poſſet, ſed ideo ſimul nectuntur ad producendum ſpiritum, quia iam filio reperitur per generationem communicata fœcunditas voluntatis, cumq; ambo illa ſuppoſita vnicam numero experiantur, eandemq; in ſeipſis productionem, inde fieri, vt ſimul ſpiretur à duob. hæc de ſententia Scoti.

Deitas importat conceptum diſtinctũ formaliter à conceptu perſonarũ.

6 Applicando ergo ad noſtrum quæſitum, Dicimus primo Deitatem ex ſe importare conceptum formalẽ, antecedentem, & diſtinctum à cõceptu perſonarum, tanquam poſteriori probatur, Perſona eſt incommunicabilis, vt quo, & vt quod, Deus eſt communicabilis, ergo diſtinctum antecedenter à parte rei connotat conceptũ. Confirmatur, id quod communicatur alteri tanquam ratio formalis, & eſſentialis eſſendi eſt prius eo; ſed eſſentia communicatur perſonæ tanquam eſſentialis ratio eius conſtitutiua, ergo ex ſe importat conceptum in concreto diſtinctum ab ea; maior patet, quia dato oppoſito ſequitur quod aliquid habeat eſſe, antequam habeat rationẽ formalem intrinſecè ſui conſtitutiuã. Inſuper eſſentia eſt de ſuo conceptu ens abſolutum, perſona ens reſpectiuũ; illa traſcendentaliter ſubſtantia, hæc vero reſpectus. illa primaria radix eorum, quæ ſunt ad intra, iſtæ tanquam quid conſequens, & pullulans ab eſſẽtia; ergo pront abſtrahit importat cõceptum abſolutum Deitatis in concreto.

Vnicuique quo correſpõdet adæquatum q.

7 Probatur vltra *Vnicuiq; quo correſpondet ſuum proprium, & adæquatum quod*; ergo Deitati correſpondebit propria indiuidualis ratio diſtincta à ratione ſuppoſitali: antecedens patet à concreto ad abſtractum, & è cõtra; ſequela vero inde elicitur, vt Deitas ſit ratio formalis primaria, qua primario hic Deus vocatur Deus: vnde Deus Deitate eſt Deus, ergo Deitati, quæ verè exiſtit in rerum natura debet correſpondere ſuum concretum, & adæquatum *quod*. Reſpondent adæquatũ *quod* Deitatis eſſe tres Perſonas, Sed hoc nullo modo ſatisfacit: & arguo contra, vltimata ratio conſtitutiua principij *quod* penes diuinas perſonas non eſt eſſentia, ſed relatio, ergo ratio principij perſonalis non poterit eſſe vltimatum *quod* Deitatis. Probatur antecedens, ſi vltimata ratio conſtitutiua perſonæ Patris, & Filij eſſet eſſentia, ergo Pater, & Filius non diſtinguerentur realiter, at diſtinguuntur perſonaliter, ergo vltra rationem diuinæ eſſentiæ, eſt aſſignanda vltimata ratio ſpecifica, & diſtinctiua, & vltimato conſtitutiua perſonæ diuinæ, quę eſt ex communi ſenſu relatio. ex hoc probatur conſequens, vnicuiq: *quo* debet correſpondere *quod* adæquatũ, ſed ratio formalis ſpecificatiua perſonæ eſt relatio, ergo relationi debet tãquam *quod* correſpondere terminus perſonalis, & ſuppoſitalis: ſed ratio formalis eſſentiæ eſt diſtincta vtcunq; à ratione formali relationis, ergo eſſentiæ diuinæ debet correſpondere adæquatum *quod*, diſtinctum ab adæquato *quod* correſpondente relationi: Item vnicuiq; & ſingulari rationi formali reſpondet ſingulare *quod*: ſed ſunt ibi tres relationes conſtitutiuæ, ergo ibi ſunt tria *quod*: nempe tres perſonæ: ſed non ſunt ibi tres Dij ſed vnus Deus, ergo ſignum eſt, quod vni Deitati, tanquam rationi formali *quâ*, correſpondet pro adæquato *quod*, abſoluto, ipſe Deus, ergo dabitur indiuiduum Deitatis, & *Deitas* ſupponet concretiuè pro *Deo*.

8 Arguo vlterius. Propoſitio iſta, *Deus* generat, generatur, ſpirat, ſpiratur, in alio ſenſu conceditur, quam iſta Pater generat, ſpirat, filius generatur, ſpiratur ſpiritus. vt ſi interrogetur q. quomodo fieri poteſt vt eadem *Deitas* ſit generans, & genita, ſpirans, & ſpirata, quia ſequeretur inde diſtinctio realis eſſentiæ in perſonis cum inter

pro-

producens, & productum ſit diſtinctio realis; continuo reſpõdebunt, ly *Deus* accipitur perſonaliter, etenim ſtat pro perſona Patris in actiua generatione & in paſſiua ſtat pro altera perſona filij; vnde fit, vt ſic explicata cõcedi poſſit propoſitio iſta *Deus* genuit alium Deum, atq; inter *Deum*, & *Deum* ſub hac ratione intercedat realis diſtinctio, alias eſt falſa, & erronea loqutio, vt inter cæteros animaduertit Scot. in 1.d.4. q 1. nihilominus propoſitio altera, Pater generat. filius generatur, declaratione non eget, ſed abſolutè admittitur ſine dubio: vnde venit quæſo vtraque diſtinguenda? ſignum eſt quod *Deus* nõ idem adæquatè importet, ac perſona: perſona namq; addit incommunicabilem ſubſiſtentiam, diſtinctionem realem ab altera perſona, entitatem reſpectiuam alterius generis traſcendentalis, quæ tamen in ſola *Deitate* non inſunt, ſeu non intelligũtur in eſſe antecedenter ad perſonas: igitur adæquatum *Deitatis* eſt *Deus*, non perſona.

Deitas nõ importat idem adæquatè, ac perſona.

9 Vltimo arguo ſi *Deus* vt ſic, importat perſonas, tanquam adæquatum *quod Diuinitatis*, quæro quam prius ex diuinis perſonis importabit, Patrẽ, an filium, an ſpiritum ſanctum: non vllam iſtarum priuſquam alteram, ergo de ſui ratione formali nullam: probatur minor, *Deus* vt *Deus*, præſcindendo à ratione formali, proxima conſtitutiua perſonæ, non prius connotat Patrem, quam filium, nec prius filium, quam tertiam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis, ergo nullam. *Dices* ordine quodam prius importare Patrem, inde filium, inde tertiam, quia ſic aptæ ſunt ibi ordinatè repræſentari. Arguo contra. Ratio formalis, & adæquata propter quam inter perſonas non datur confuſio, ſed perfectiſſimus ordo, ita vt altera ſit altera prior, eſt ordo diuinarum fæcunditatum, ac productiuorũ principiorum; ita vt quia memoria fæcunda reperitur in Patre à ſe, non cõmunicata ſibi à quocũq; alio, ideo cẽſetur prima: ratio autem qua filius eſt in ſecundo loco, ideo eſt, quia producitur per modum intellectus: & Spiritus ſanctus eſt in tertio ſigno, cum ſpiretur per modum voluntatis; at memoria fæcunda eſt prior voluntate fæcunda, ſicut intellectus eſt prior voluntate: hinc ergo conſtat inter perſonas ordo, & diſtinctio: ſed perſonæ conſideratæ præcisè in *Deitate*, abſq; ratione formali conſtitutiua, & ordinatiua nullum ordinem ibi inſpiciunt, nec ratione *Deitatis* vna eſt altera prior, ſicut vna, ratione, & ordine alterius, eſt altera poſterior ratione perſonalitatis, ergo eſt cõcludendum nomen Dei importare de ſe primo eſſentiam, non perſonam. Non eſt neceſſe hoc in loco animaduertere Deum aliunde inſpectũ importare omnia, & ſingula, quæ in diuinitate reperiuntur ad intra: in hoc.n. ſenſu ceſſat omnis quæſtio, & vt ſic omnes concordant, conſiderando namq; nomen hoc adæquatiſſimè, & completiſſimè, vtiq; importabit omne id, quod reperitur in diuinis, cum ipſe Deus ſit Pater, filius, & Spiritus ſanctus, & quidquid eſt ad intra, totum ſit Deus: tamen quæſtio non mouetur ſub his terminis, ſed vt iã explicuimus, atq; determinauimus.

Perſonarũ ordo vnde in diuinis.

10 Opinionem hanc expreſsè confirmat D. Thomas ſuper. artic. allegatus, cum docet quandoq; hoc nomen importare eſſentiam abſolutam Dei, vt cum dicitur Deus creat. quandoq; vero perſonam, cum dicitur, generat; generatur, ſpiratur, &c. ex quo patet D. Thomam non abſolutè concedere importare de primario ſignificato perſonam.

D.Th. non diſcordat à Scoto.

11 Confirmatur D. Thomæ loqutio ex eiuſdem Scoti ſententia ſupra recenſiti, qui loquendo de propoſitione hac Deus creat, dicit, quod de facto Deus creat in tribus, ſed non prout in tribus, quia ratio formalis operandi non eſt perſona, cum ipſi Deitati abſtrahendo à perſona inſit omnipotens ratio ad creandum, tum vero quia ſi per impoſſibile non eſſet in tribus, adhuc abſolutum indiuiduum Deitatis crearet, & operaretur ad extra.

12 Hanc quoq; ſententiam defendit iam Caiet. loc. cit. D. Tho. & 3.p. q.3.art.3. quam abſq; ratione vlla efficaci immerito impugnant Valent. 1.p. diſp.1.q.3.punct.3. & alij, & amplectũtur D. Bon. in 1.d.4.art.1.q.4. & Alenſ. p.3. q.10. membr.3. hanc quoq; Du-

rand.

rand. in 3.d.1. q. 2. Richar. ibid. q.2. Gabr. d. 1.art. 3. q.1. ibiq; Capreolus, &c.

13 Si quis autem plura deſiderat legat Scotum inſuper vltra citata loca, in 3.d.1.q.1.S.ad quæſtionem,& d.5.q. 1. & in 1.d.5.q.2.& d.7. q.1. ac quodlib.1. Durand. in 3.d.1. q.2. OKam in 3.q.1.Gabriel, & Richard.ibid. cum Almayn. Capreol. Palud. eod. in loc. Scotiſtas ad loca Scoti, ac Radam 3. p.q.2. art.1.

Et confirmatur ex Auguſtini ſententia,qui 7.de Trin. c.4.& 5. ait diuinam naturam ad ſe ſubſiſtere,nam *omnis ſubſtantia ad ſeipſam ſubſiſtit,quanto magis Deus.* Et ex hoc arguitur. Poteſt per diuinam potentiam natura creata conſeruari abſq; propria perſonalitate,at ſi id fieret,conſtaret magis, naturam per ſe exiſtere, quapropter de ſe connotaret quid communicabile, & non ſuppoſitum: antecedens eſt concedendum: & iam accidit in incarnatione Verbi,vbi natura à proprio ſuppoſito remanſit abſtracta: & ſicut poteſt per Deũ ſeiungi à ſuppoſito proprio, multo magis ſeparari poterit ab extraneo,vnde ante applicationem ad Verbũ,poterat & à proprio, & à Verbi ſuppoſito, & cuiuſcunq; alterius ſeparari,tunc autem ſic ſeparata habuiſſet terminum adæquationis ſuæ, independenter à ſuppoſito. Si dixeris adhuc remanere inadæquatam, & interminatam,quia terminabilis eſſet à ſuppoſito, quod deberet aduenire; Contra, terminatio naturæ eſt alterius rationis à terminatione per ſuppoſitũ: natura.n.eſt terminata intra genus entis communicabilis,& terminatio per ſuppoſitum fit per terminationem dãtem eſſe incommunicabile,at hæc omnino differunt, ergo natura, vt natura de ſe habet terminum adæquationis ſuæ, diſtinctum ab adæquatione ſuppoſiti:ergo ratio terminandi à ſuppoſito proueniens, eſt omnino extranea.

Natura terminatio in genere naturæ, differt à terminatione in genere ſuppoſiti.

14 Item natura vt in ſuppoſito eſt, redditur incommunicabilis in ſenſu compoſito: at natura diuina eſt communicabilis de ſe, ergo ſi adæquatam terminationem reciperet à ſuppoſitis, redderetur incommunicabilis: patet antecedens, quia natura prout abſtrahit à ſuppoſito, & prout intelligitur prior eo eſt prorſus communicabilis, vt autem ſuppoſitata eſt, & alligata ſuppoſito,fit natura perſonata,& propria huius, ita vt nequeat eſſe alterius: aſſerere autem à ſuppoſito pendere eius terminationem, eſt ipſam reddere incommunicabilem. Confirmatur, de ſe natura eſt communicabilis,ergo non importat de ſe perſonam, tanquam terminum adæquatum. Sequitur conſequ: quia ſi importaret de ſe,& primo perſonam, ergo de ſe, & primo eſſet incommunicabilis, igitur per proprium terminum adæquatur. Quod vero etiam terminetur per perſonam,nihil obeſt, etenim erit terminatio extrinſeca,præcipuè,cum perſonæ non ſint de conſtitutione intrinſeca eſſentiæ: ex ſe ergo eſſentia intrinſecè habet adæquationem ſuam: Per extrinſecam vero adæquationem ex perſonis, non capimus quid omnino contingens, aut omnino, & primo diuerſum,aut ſeparabile ab eſſentia: cõſtat namq: eſſe perſonas, & eſſentiam vnum & idem,& ambo ſunt neceſſariũ ens,& inſeparabilia:ſed loquimur more cæterorum, quo explicatur per extrinſecum,& per additum, id quod nõ eſt de ratione eſſentiali alicuius, quomodo loquitur Damaſc.l.1.c.4.*non ipſius naturã, ſed quæ circa naturam ſunt, oſtendunt.* talis autem abſtractio eſſentiæ à perſonis erit metaphyſica, non theologica, nec phyſica.

Natura terminatio per ſuppoſitum eſt ei extrinſecũ.

Naturę abſtractio à ſuppoſito, eſt metaphyſica, nõ phyſica.

15 Hinc demum aduertere oportet naturam ſumi poſſe adæquatè, & inadæquatè. Si namq; ſumatur ſecundum ea,quæ ſufficientia ſunt ad conſtituendum illam,& tribuendum ei,quidquid ſibi in ſuo genere competere poteſt,quatenus ens eſt abſolutum,& cõmunicabile,adæquata erit contemplatio eius,verum adæquata ſolum in genere naturæ, quia in tali genere nil ſibi deeſt: ſi tamen ſumatur ſecundum omne id, quod circa ipſam debito naturæ ordinæ adnecti poteſt, oportebit vtiq; eam contemplari adæquatius, & fuſius, vna cum perſonis, in quib.vltimato ad intra debet diffundi. Sicut ſi creata natura conciperetur in genere naturæ,vt ſic, abſtrahit à ſuppoſito, & in tali genere habet quidquid ſibi poteſt

Natura adæquatè ſumpta poſtulat reperiri in ſuppoſitis.

teſt competere, etiam antecedenter à ſuppoſito, quia humana natura Chriſti fuit in genere ſuo perfecta, & completa, etiam antecedenter ad proprium ſuppoſitum, quod non habuit: & ſuppoſitum diuinum non dedit ei, niſi quę ſuppoſiti erant: at hæc naturæ ſumptio adæquata eſt quidem in genere naturæ; verum quia poteſt ſibi aduenire ſuppoſitum, ideo adæquatius ſumitur in ordine ad ipſum ſic in diuinis.

ARTIC. III.

Soluuntur argumenta articuli primi.

Aliud eſt concretum Deitatis, aliud perſonalitatis.

1 AD argumenta autem militantia pro Henrico ſic liceat reſpondere. ad primum de concreto, eſt aſſerendum concretum, vel ſuppoſitũ, ſeu perſonam vtcumque indicare, vel indiuiduum generaliter loquendo de concreto: prout namque diſtinguitur ab abſtracto, neceſſe eſt denotet rationem indiuidualem, vel ſuppoſitalem, ſeu perſonalem, reddendo ſingula ſingulis. in caſu autem, in quo ſumus, concretum non denotat perſonam, ſed abſolutum indiuiduum Deitatis; Deitas enim habet rationẽ abſtracti, & Deus eſt Deitatis concretum: Perſona autem, ſiue ſuppoſitum eſt concretum perſonalitatis, ſiue ſuppoſitalitatis.

Spiritus S. principiũ quid ſit ex Gabr. & Okam.

2 Ad illud de ſpiratore. eſt ſententia Gabr. & Okam in 1.d.12.q.1. aſſerentium principium totale ſpiratiuum conſtitui ex eſſentia diuina, vnà cum ſpiratione actiua: atque hæc duo ſufficere ad rationem ſpiratoris: itaut in his duobus reperiatur & ratio formalis *qua*, & ratio adæquata principij formalis *quod*: abſque eo, quod ordinem dicant pro tunc ad perſonam aliquam ſpirantem. hæc tamen ſententia obiter refellitur à nobis, atq; meritò ex profeſſo improbatur à Theologis in 1. d. 12. ſequeretur namque inter eſſentiã, & Spiritum ſanctum intercedere diſtinctionem realem; ſiquidem realis diſtinctio mediat inter productum, & producens, ergò diſtingueretur realiter, ſicque eſſet quaternitas vera in diuinis, nec Spiritus ſanctus eſſet duabus perſonis conſubſtant alis, dempta idẽtitate reali eſſentiæ, & id, quod de principio ſpiratiuo docent, poſſent quoq; aſſerere de principio generatiuo, ſicq; omnis à diuinis auferretur æqualitas: vid Sco. in 1.d.12.q.1.2. de qua re nos in mat. de Trinit.

Spirator duo indicat

3 Reſpondendo igitur ad argum: dicimus ſpiratorem duo indicare; indicat ſiquidem vim ſpiratiuam, prout abſtrahentem à ſuppoſito, & indicat ſecundario ſuppoſita, in quibus eadem vis reperitur ſpiratiua: itaut alijs ſub verbis vel ſumitur inadæquatè, vel adęquatè: primo modo vis ſpiratiua eſt voluntas ſęcunda ſub ratione habentis diuinam eſſentiam pro obiecto ſub ratione infinitè amabilis, prout explicat Scot. tum in 1.d.12.q.1.2. tùm d.2.q.4.5.6.7. tum deniq; in 2.d.1. q.1. & vbique ſæpè. ſecundo modo ordinem cõnotat, vt reperiatur in ſuppoſitis ſpirantibus. loquendo quidem de ratione primaria ſpiratiua inadæquata, hæc præcedit diuinas perſonas in actu primo, ſicut intellectus, & voluntas, atque eadem eſſentia prius concipitur perſonis diuinis, & ſub hac ratione datur vis ſpiratiua communis vtriſque perſonis antecedens eas: cæterum loquẽdo ſecundo modo, nulla ratione perſonam præcedit, ſed ex vi ſpiratiua conſtituitur, & ex perſonis ſpirantibus adæquatè.

Spiratoris nomẽ vtrũ præcedat Patrem, & Filium ex Vaſq.

4 Verum verò nomen hoc ſimpliciter *ſpiratoris* dicatur præcedere perſonas Patris, & Filij: Vaſquez concedit, & affirmat 1.par. diſp 106. art. ſeu cap.3. & aſſerit concretum ſpiratoris non connotare hanc, vel illam perſonam, ſed eſſe commune eis, & antecedere illas. At hoc falſiſſimum videtur: & redit ipſe in ſententiam Okami, & Gabrielis, quam ipſe ſupra impugnarat. peto enim quid indicat ſpirator vtique de rigore indicat principium totale *quod*, ſpirans actu, & actu producens Spiritum ſanctum, ita docent communiter Theol. D.Tho. 1.par.q. 36. art.4. ad 7. & Scot. in 1.d.12. q.1. cæteriq; eorumdem diſcipuli, & probatur, ſpirator non indicat ſolam inadæquatam virtutem ſpiratiuam, ſed

complementum ex virtute, ſeu ratione agendi, vnà cum conditione agentis, quæ eſt perſona: hoc autem totum ſuppoſito competit ſpiranti. inſuper ſi antecederet ſpiratoris indiuiduū, ad perſonas ſpirantes, verè ibi eſſet nulla tergiuerſatione quaternitas; patet, quia ſpirator denotat principium completum ſpirans, hoc verò antecedit duas ſpirantes, ergo reſultant tres, & inde quatuor cū Spiritu ſancto: adde eſſentiam diuinam abſque ſuppoſitalitate vlla poſſe actu ſpirare, quia ex iſtorum ſententia ſpirator præcedit perſonam vtramque ſpirantem, ſicque realiter diſtingueretur à perſonis, hanc etiam explicationem Vaſquij amplexatus eſt Suarez de Trinit. l. 10. c. 7. qui tamen eſt maiori excuſatione dignior, cum de ſpiratore diſtinguat, vel pro principio, ac vi inadæquata ſpirandi, vel pro adiunctione conditionis agentis. Nihilominus licet quæſtio poſſit eſſe de nomine, tamen vbi loquendum eſt Theologicè, ac catholicè, debemus tot loquutionis amphibologicæ ſcopulos euitare; de quo ſuo loco.

Creator poteſt abſtrahere à perſonis, nō autem ſpirator.

5 Adhuc tamen non remanet ſatisfactum principali Henrici argumēto; nā poſſet redarguere, Deus dicitur concretiuè creator antecedenter ad ſuppoſita, ergo poterit vocari ſpirator ante conſtitutionem ſuppoſitorum ſpirantium. Reſpondemus negando ſequelam: & ratio eſt, quia ſpirator denotat perſonale principium ſpiratiuū, & productiuum, realiter diſtinguibile à perſona producta, eſſentia autem producere non poteſt, quia realiter diſtingueretur à Spiritu ſancto: ideo neceſſario nomen ſpiratoris cōnotat ordinem ad ſuppoſitum: at creator abſtrahere poteſt à perſonis, ſiquidem Deus verè creat vt Deus, & non implicat, vt producendo, & creando ad extra diſtinguatur à creaturis, à quibus omnino diſtinguitur eſſentialiter: nulla igitur paritas inter ſpiratorem quoad hoc, atque creatorem, quo fit vt principium creatiuum poſſit ibi ſe tenere concretiuè ante perſonas, principium verò ſpiratiuum, ſolummodo in obliquo, non in recto, vt dicendo, eſt ibi ratio ſpiratiua *qua*, nō *quæ*: quia *qua* notat rationem principij inadæquati, & *quæ* connotat rationem principij *quod* adæquati, & completi.

Scotiſtarū reſponſio.

6 Ad illud de humanitate communi: in primis ad argumentum hoc reſponderēt Scotiſtæ caſum allatum eſſe impoſſibilem, cùm ſuſtineant naturam aliquam creatam non poſſe aſſumi à tribus, nec dependere ad tres hypoſtaſes, terminantes ſub ratione plurium: ita fatentur cum Scoto in 3. d. 1. q. 1.

Supponūtur aliqua pro ſolutione in gratiam vtriuſque ſcholæ.

7 Sed quidquid ſit modo de re hac, ſoluamus argumentum in vtraq; ſententia, & quia iam Scotiſtæ ſe expediere à ſolutione per inſtantiam allatam: videamus quomodo ex altera ſchola ſit ſoluendum. In primis ſupponimus perſonam ex ſe formaliter dicere aliquod poſitiuum, & non puram negationem vtriuſque dependentiæ, tùm actualis, tùm aptitudinalis, vt iam communiter recipitur inter Theol. & ipſemet Scotus probabilem eam cenſet opinionem in 3. d. 1. q. 1. ſupponendum vltra, perſonalitatem, vtpotè quid reale additum naturæ, ſeparari poſſe per Dei potentiam ab exiſtenti natura, vt iam de facto ſeparata, ſeu nunqnam coniuncta fuit propria, naturaliſq; ratio ſuppoſitalia humanitati aſſumptæ, ſed fuit præuenta: idq; in cauſa eſt, vt exiſtentia, & perſonalitas diſtinguantur realiter, quod indicat ratio ſeparabilitatis, nulla enim ratio formalior diſtinctionis realis aliquorum, quàm ſeparatio eorumdem, id, quod cōmuniter Theologi docent in 3. d. 1. q. 1. ſupponimus vltimo nomen hoc *hominis* poſſe adæquatè, ſeu completiuè, vel incompletè ſumi, & inadæquatè: primo modo cōmuni acceptione homo ſignificat quid exiſtens in humana natura actualiter ſuppoſitata, & perſonata: ad inſtar præcedentis doctrinæ, quam de nomine ſpiratoris tradidimus: ſecundo autē modo indicat à parte rei naturam humanam, atomam cum ſola exiſtentia eiuſdem, abſque vltima actualitate, ſeu perſonalitate. his ſuppoſitis.

8 Dicendum Verbum non aſſumpſiſſe hominem primario adæquatè captum; etenim aſſumpſiſſet naturam iam actuatam, & propria ſuppoſitatione vltimatam: ſecundo autem modo, verè aſſumpſit inadequatè hominem, ſumpto homine inadæquatè, & incom-

ple-

pletè pro ſola natura exiſtente, abſque propria, ac naturali ſua ſuppoſitatione. Dato caſu argumenti allati dicendum tribus illis perſonis aſſumentibus correſpondere hominem inadæquatum, ſeù humanitatem iſtam communiter aſſumptam à tribus. Cùm infers, natura illa præexiſtitit ad aſſumptionem? Reſpondeo ante aſſumptionem etiam actualem diuini Verbi natura ſimpliciter non extitit: ſed in eo inſtanti, in quo fuit organizatum corpus, in eo etiam temporis inſtanti fuit à Verbo aſſumpta natura. Cùm inferś naturā diuina verè antecedenter concipitur ad hypoſtaſes, ergò etiam natura aſsūptibilis à pluribus, Reſpondeo, naturā diuinā ſolo ordine, & præcedentia naturæ præintelligi ad perſonas, cæterū in eodem æternitatis inſtanti fuit cōmunicata tribus, ita quoque, natura humana in eodem inſtanti temporis fuit ſimul vnita Verbo: at ipſa eadem aliquo priori inſtanti naturæ, in quo incæpit habere eſſe, præceſſit vnionem ad Verbum: nō .n. implicat cum ſimultate inſtantis temporis admittere pluralitatem inſtantium naturæ ſuſtinet id de humana natura D. Tho. 3. par. q. 6. ar. 1. dum docet & ipſe, ac cæteri Thomiſtæ prius natura fuiſſe animam vnitam corpori, ordine intentionis, quam Verbo: & ratio ſuadet, quia id quod non eſt, non poteſt vniri realiter, ergo: debet prius habere eſſe, & poſtea realiter vniri, at non habuit eſſe antecedenter tempore non vnitum Verbo, ergo ſolo naturæ ordine præceſſit ſuū eſſe ad vnionem Verbi. & confirmatur ex doctrina de Anima, quam communiter cū Phyloſophis docent Theologi; præcedit enim aliquo naturæ inſtanti creatio animæ ad eiuſdem infuſionem, ac vnionem ad corpus: igitur anima in vno naturæ inſtanti præcedit ſecundum ſuum eſſe ſimpliciter, & in ſecundo inſtanti vnitur: licet hæc vnico comprehendantur inſtanti temporis. quo fit vt ſi natura humana exiſtens, habet ſuum eſſe prius natura, quam vniatur Verbo, poteſt dici eo inſtanti dari naturam communem plurib. ſeù hominem inadæquatum, & incompletum, communicabilem pluribus, vt eſt explanatum: verum quia loquutio iſta de homine antecedenti ad vnionem nō eſt in vſu apud Theologos, ideo relinquatur, quia ſolūmodo dicendū, Verbū aſſumpſiſſe naturam humanā, non hominem, cùm iſta *vox homo* cōmuniter importet naturam ſuppoſitatam ſuppoſito hominis: ſed non eſt abſolutè concedendum, niſi hominem ſumamus inadæquatè, vt iam explicauimus pro natura ſingulari, & atoma præſcindēdo à ſuppoſitalitate: at nō eſt linquendus communis loquendi vſus, quo dicitur aſſumpſiſſe naturam humanam, nō .n. Theologi aiunt Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed naturam humanam.

Homo adæquatè, & inadæquatè ſumptus

Natura atoma ordine naturæ præcedit ſuppoſitū.

Verbum nō dicitur aſſumpſiſſe hominem, ſed naturā humanam.

9 Vnum remanet ad totius ſolutionis complementum aduertere, differentiam reperiri in eo caſu inter naturam humanam, & diuinam, quòd diuina ex ſui natura poteſt eſſe in pluribus vna numero, cum ſit formaliter infinita: humana verò id non poſſet ex ſe ſola ſed aliunde per Dei potentiam: cū ſit finita. & quod verum ſit, inde elicitur, quod ſi dimitteretur, ſubito ſuo terminaretur ſuppoſito, vnico quidem naturali, & non pluribus.

10 Ad illud de actione ad extra, iā fuit dictum, de facto actiones Deitatis ad extra competere omnibus ſuppoſitis, cum de facto reperiatur in trib. & ſit vnica numero omnium intellectio, volitio, & operatio: attamen ſi per impoſſibile ſuppoſita non eſſent, ſolum Diuinitatis abſolutum cōcretum operaretur extra; vnde ſi de facto creat in tribus, non tamen prout in tribus reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, vnde creat Deus trinus, inquit Scot. in 2. d. 1. q. 1. ſed non vt trinus propter datam hypotheſim.

Deus creat trinus, ſed non vt trinus.

11 Ad illud de actionib. quod ſint ſuppoſitorum. Reſpondemus abſolutè, & determinatione facta ſolummodò ad ſuppoſita propoſitionem eſſe falſam; do inſtantiam de anima ſeparata intelligente, & volente, & de calore ſeparato calefaciente, quæ tamen non ſunt ſuppoſita: vnde non ita dixit Ariſtot. eſſe ſuppoſitorum, ſed eſſe circa ſingularia: admittit namq; diſtinctionē inter artem, & experimentum, ac docet artem attendi circa cōmunia operandi principia, experimentum verò circa materiale, exiſtens, ſeu ſingulare,

Actiones ſunt ſuppoſitorum, explicatur.

nam de re exiſtenti ſit experimentum: id quod iam aduertit Scotus in 4.d.12. q.3.ad ſecũdum. eſt ergo ſenſus actiones eſſe ſingularium, vel eſſe etiã ſuppoſitorum, ſed tanquam vltimatè denominatorum ab actione: vt vbi non reperitur ratio ſuppoſitalitatis, ibi potens ſit ſingulare operari: vbi vero additur perſonalitas, & conditio vltimata agentis, ibi etiam inſurgat vltimata agentis denominatio, quia ſicut vltima actualitas eſt ſuppoſitatio, ita vltimum denominabile ab actione ſit ſuppoſitum; & vbi ſuppoſitalitas deeſt, vltimũ denominabile erit entitas ſingularis indiuidua, &c. ergo cum eſſentia de ſe ſit ſingularis, poterit quidem ſibi denominatio competere: verum quia reperitur vltimatò in perſonis, inde eſt, vt ipſa ſuppoſita ſint vltimatò denominabilia ab actione, ac propterea dicantur opera ad extra tribui toti Trinitati.

12 Deniq; ad id, quod obijciunt de Concilio: reſpondendum errorem Sabellij fuiſſe confundere tres perſonas in vnam, negare diſtinctionem, ac prorſus reijcere Trinitatem: ideo cõtra ipſum inuehitur Concilium; attamen nos perſonas non confundimus; ſed ſtatuentes Trinitatem, & admittẽtes ſuppoſitorum diſtinctionem, aſſerimus vnicam in ipſis reperiri eſſentiã, exiſtentem, communem, & communicabilem plurib. perſonis.

Sabellius confundebat Trinitatem.

13 Ad illud de quaternitate, negatur ſequela: etenim adeſſet quaternitas, ſi adeſſet realis eſſentiæ à perſonis diſtinctio: quemadmodum adeſt perſonarum Trinitas, quia adeſt earundem mutua realis diſtinctio; & inter eaſdẽ adeſſet quaternitas ſuppoſitorum, ſi adderetur per impoſſibile ſuppoſitum quartum realiter diſtinctum; Cum vero perſonæ ſint vnum, idemq; cum eſſentia, ceſſat quaternitas.

Si eſſentia diſtingueretur realiter à perſonis eſſet quaternitas in diuinis.

QVÆSTIO IV.

De Nomine *Tetragrammaton, Iehoua, Adonai, & Quid eſt.*

1 Verba generica, quę Deo adaptantur nomina, veluti ſibi cum creaturis communia; vltra etiam explicitam iam quæſtionem de hoc nomine *Deus*, ſuperius agitatam, modo ad intimiora pergimus: inter cætera vero: quæ intimius Dei naturam explicare videntur, extat ineffabile, ſeu ineloquibile nomẽ *Tetragrãmaton*. de hoc igitur diſcurramus, ac iuxta ſingulorum ſententias explicemus quid importetur per ipſum: eſt vero nomen quadriliterum, ſiue quatuor, vt hebræi dicunt, literarum.

2 Et quidem in primis D. Tho. 1. p.q.13. art.11. in reſp. ad prim. differẽtiam admittit inter nomen *Deus*, & nomen *Tetragrammaton*. atq; hoc excellentius docet eſſe illo; ſiquidem per nomen *Deus*, intelligimus ſignificari munia, officia, operationes, actioneſq; plurimas ſibi conuenientes, prout initio in ethymologia huius nominis tradidimus ex Damaſc. ac Theodor. quæ ſunt *aſpicere, currere, ſuccurrere, vrere*, & ſimilia: per *tetragrammaton* autem à priori explicamus, & quidditatiuè ipſum Deum; ſiquidem cum incipimus à *Tetragrãmatõ*, procedimus ab eſſe Dei,

Sententia D. Thomæ circa differentiã Tetragram. et Deus.

cum

cum vero exordimur à nomine *Deus*, progredimur à conſignificatione muneris,& actionis Dei;vnde infert,quod nomen,*qui eſt*,(quod.ſ.ſignificatur per *tetragrammaton*) magis conſonum eſt, ac proprium ipſius Dei, quam ipſum nomen *Deus*. ex quo deniq; elicit ipſe D.Tho. idem eſſe *tetragrammaton*, ac *qui eſt*, & alterum per alterum optimè conſignificari, quod patet Exod. 3. *qui eſt miſit me ad vos*: quod in hæbreo ſonat,*Iehoua*, ſeu *tetragrammaton*. miſit me ad vos.

3 Duo in re hac aſſerit D.Th. quorum alterum iam commune eſt apud omnes,vt infra monſtrabimus:de altero vero extat controuerſia aliqualis inter Doctores. quod namq; nomen *qui eſt* ſignificet ſubſtantiam Dei,id libēter accipitur, quod autem per *quid eſt*,ſeu *ego ſum*,magis propriè explicetur,quam per quodcunq; aliud, ipſum Dei eſſe, id expreſsè impugnat Paul. Burgen. in addit. ſuper cap.3. Exod. Pro quo probando ſupponit differentiam reperiri inter *qui eſt*, & *tetragrāmaton*, vt primum ſignificet ſolummodo eſſe Dei, nullam connotando Dei eſſentiam, ſeu exiſtentiam: at vero *tetragrammaton* vtrumq; denotet. & eſſe Dei,& eſſentiam,vel eiuſdē Dei actualem exiſtentiam. Inſuper nomen *qui eſt* connotat relationem ad tempus præſens.eſt.n.verbum ſubſtantiuum, indicatiuum,atq; demonſtratiuum: at vero Deus abſtrahit à præterito, præſenti,& futuro tempore,quia abſolutè abſtrahit à tempore, ergo nobiliori modo ſignificat *tetragrammaton*,quam *qui eſt*: item *qui eſt*,licet ſignificet eſſe Dei,non tamen denotat exiſtentiam eſſe eandem ſibi, quod tamen connotat *tetragrammaton*,indicans exiſtentiā eſſe eandem cum ſuo eſſe. hæc autem ratio nullius eſt ponderis, etenim exiſtentia.(nam in hoc ſenſu accipiendus eſt Burgenſis, licet non nominet exiſtentem)exiſtentia,inquam,eſt realiter eadem exiſtenti, ſiue ſit modus intrinſecus, ſiue de eſſentia: niſi tamen velit dicere exiſtentiam eſſe de intrinſeca ratione Dei, quæ explicatio importetur per nomen *tetragrammaton*. Inſuper id quod dicit de præſenti ſignificatoper eſſe, à quo præſenti abſtrahit

Sententia Burgenſis circa idem.

Impugnatur.

Deus: licet verum ſit Deum abſtrahere à tempore,vtpote æternitate, & nō tempore menſurabilem attamen ſemper de eo verum,& neceſſum erit aſſerere,quod fuerit, quod ſit,& quod fore, ſucceſſiuitate, ac differentia ſe tenente non ex parte ſui eſſe,ſed ex parte noſtri temporis correſpōdentis extrinſecæ æternitati, tanquam menſuræ nobis magis notæ, per tempus enim à poſteriori metimur ea,quæ ſunt,nobis aliunde ignota. quid tamen in re hac verius ſit de expreſſione vtriuſq; nominis,id non eſt noſtrum diſquirere: profectò hæ, & conſimiles rationes, quas affert Burgenſis contra D.Tho. faciles ſunt ſolutu, & parui ponderis. Sed tranſeamus ad alia.

4 Circa idem D. Thomæ quæſitū inſurgit dubium vtrū *qui eſt*, ſit idem, ac *tetragrammaton*. Vaſquez 1.p. diſp. 59.c.1.ſubſtinet D.Thomæ mentem eſſe admittere differentiam inter hæc duo:verum fallitur;etenim in ſolut. ad primum admittit differentiam ſolummodo inter nomen,*Deus*,& *tetragrammaton*: ab initio ſiquidem reſponſionis differentiam apponit inter *qui eſt*, & *Deus*: quod primum ſignificet eſſe, & ſit magis proprium nomen, quā *Deus*: idemq; poſtea aſſerit de *tetragrammaton*, quod perfectiori modo ſignificet eſſe Dei, quam nomen *Deus*: & patet ex eius dictis; ſi namq: *qui eſt* diſtinctius ſignificat Dei naturam,iam conſtat, & conſtabit magis in hoc artic.*tetragrammaton* ſignificare ipſum ſubſtātiale eſſe Dei,igitur idem ſonat *qui eſt*, & *tetragrammaton*: quod etiam patet ex eo, quod ſubdit idem D.Tho. in fine ſolutionis primi. *magis*, inquit, *eſt proprium nomen tetragram. quod eſt impoſitum ad ſignificandam ipſam Dei ſubſtantiam incommunicabilem ſingularem*: hæc ipſe;at conſtat hoc idem denotare de eius mente, *qui eſt* qua propter ſi vltimato loquutionem inſtituit de *tetragrammaton*, cum intermedium appoſuerit Dei nomen inter *qui eſt*, & *tetragrammaton*, non cauſa fuit vt diſtinctionem admittat inter hæc duo, ſed ſi aliquam admittit,ea eſt accidentalis.

Sententia Vaſq. de mente Diui Thomæ.

Impugnatur Vaſq.

5 Communis etiam ſententia eſt, idem eſſe *tetragrammaton*, & nomen, qui

Tetragra. & Qui eſt idem ſunt.

qui eſt, ex patrib. mox citandis; notat autem Lyranus, quod vbi noſtra vulgata editio legit, *ego ſum, qui ſum*, hebræi legunt, *ero, qui ero*. nec mirum, inquit Lippomanus c.3. Exod. *quia ſæpè vſurpant futurum pro præſenti, quo carent*. Et licet aliqui per *ero qui ero*, velint oſtendi æternitatem Dei, qua ſemper futurus ſit, vt Auguſt. de vera relig. c.49. & Hylar. l.1. de Trin. tamen remanet, vt cum nomine *tetragrammaton* ſit idem. quib. ſignificatur Deum habere eſſe per eſſentiam. vide Dion. de diu. nom. c.5.

Tetragrãmaton, & Qui eſt, differunt accidẽtaliter.

6 Hæc eadem eſt ſententia multorum pro eodem exiſtimantium *qui eſt*, & *tetragrammaton*; vt ſunt Nazianz. orat. 36. de Theol. Auguſt. 12. de ciu. c.2. Damaſc. l. 1. de fid. orthod. c.12. Origen. homil. 1. in lib. reg. Iuſtin. mar. orat. ad Gent. & alij infracitandi; licet Burgenſi nonnulli faueant, vt exponẽtes verba illa *ego ſum, qui ſum*, non de eſſe Dei intelligant, ſed de eiuſdem Dei virtute, potentia, ac poteſtate faciendi miracula, quemadmodum vocatur inde *Deus fortis, potens, vir bellator, omnipotẽs nomen eius*, vt paulo poſt magis attingemus, ita Bed. exod. c.3. Hieron. epiſt. ad Marcell. Hugo Victorin. exo. 1. & alij; ſed primum verius. Quod ſi aliqua intercedat differentia, erit accidentalis.

De nomine Iehoua, Iao.

7 Hæc inſuper commiſcent cum nomine alio *Iehoua*, ſeu *Iao*, vt D. Hieron. legendum eſſe putat; vel vt alij cenſent, *Ioua*: vnde deductum putant, *Iouis* antiquum nomen. ad hoc vero fortaſſe deducti fuere, quod talem exiſtimarint fuiſſe hebræorum Deum, vnde & Gentiles ipſi Deum ſibi confingentes, conſimili vocarint nomine *Iouis*, vt ſicut hebræi vocant *Ioua*, ita Gentiles appellarint *Iouem*. ita teſtatũ reliquit Varro apud D. Auguſt. l.1. de conſ. euang c.22. vtq; de Deo profitebantur hebræi ipſum reperiri vbiq; in terra, & in cælo, iuxta loquutionem Oſeæ *cælum, & terram ego impleo*, ita quoq; ipſi de ſuo Ioue dixerint cum Marone *Iouis omnia plena*; vel dictum ſit à *Iao*, vt qua ratione hebræi *Iao* vocabant Deum, ea etiam & Gentiles *Iao* vocitarent; immò referente Macrob. l.1. ſaturnal. c. 18. interrogatus Apollo quodnam foret ſupremi Deorum nomen, reſponderit fore vocitandum *Iao*, vnde verſus, *ſummum cunctorum diuum tu dicito Iao*. eandem ſuperius inſcriptionem tradidimus ex Diuo Hieronymo, & deniq; addendi ſunt Theodor. q. 15. in exod. & Clemens Alexandr. ſtromat. l.5.

An idem, Iehoua, Iao, Ioua.

8 An vero inſuper addendum ſit hoc nomen, vel ſit fere idem. ſ. *Iehoua*; & vtrum idem ſit *Iao*, ſeu *Ioua*, de quo loquuti fuimus, vna cum *Iehoua*: ac cõſequenter idem ſit cum *tetragrammaton*, reſpõdet Pererius infra citandus, quod Genebrard. præfat. in pſal. miratur cur nomen hoc ſit deductum in medium, tradenſq; eius nominis deriuationem docet deductum, ac deriuatum fuiſſe à *Ioue*; vt iam tradidimus; cæterum ipſum *Iehoua* nec chriſtianũ, nec hebræum docet eſſe nomen, ſed prorſus commentitium, atq; recenter inuẽtum, ſiue nouiter ipſi Deo inſcriptum; quod verò ita ſit, ex duplici capite id probat, primò, ſi namque vetus eſſet, & antiquum nomen iſtud penes Hebræos, iam doctiſſimi de ſcriptoribus Hebræis id aliquando commemoraſſent, cum tamen apud nullum adinueniatur vnquã ex antiquioribus ſcriptoribus recenſitum: ſecũdum eſt, quod ipſimet, qui modo extant Hebræi, omnino negant apud ſeipſos tale reperiri nomen, atque vt ab alijs effictum dedignantur, & reijciunt: addit inde, originẽ traxiſſe antiquitus à nomine *Iouis*, vnde auſerint conſimili honeſtare nomine, quiqui ipſi fuerint, noſtrũ Deũ; quod quidem quam maximè ſit inuſitatum, nouum, ac minus dignum ſupremo; atq; omniũ Moderatori adſcribere nomen hoc, oſtendit, (inquit Genebrard.) ſcribens contra Celſum Origenes. quapropter concludendum putat nec idem cum *tetragrammaton* cõuenire, nec fore recipiendum, veluti nouum, commentitium, fictitium: totũ docet, & probat Perer. ad c.6. Exo. d. 39.

9 Accedamus autem, & videamus principale ipſius ineffabilis diuini nominis, de quo loquimur *tetragrammaton*: Parua quidem extat de ſignificatione eius principaliori inter Expoſitores controuerſia, ſiquidem ferè omnes conueniunt, vt per id, eſſe ſubſtantialé

Significata nominis tetragrāmaton.

tiale Dei ſignificetur. fuit igitur quorumdam ſententia ſignificare ſolūmodo promiſſionis diuinæ adimpletioné futuram, certam, atque prorſus infallibilem: promiſerat namque multa Patribus Deus ipſe, quæ tamen nondum compleerat: fore autem tempus, quo infallibiliter ea foret adimpleturus, idque oſtenderit per nomen ſuum, vbi namque cap. 6. Exo. legimus *Ego Dominus, et nomen meum non indicaui eis*, habetur hebraicè, *& nomen meum tetragammaton non indicaui eis*: quaſi dixiſſet, non hucuſque Patribus compleui quæ iam promiſeram, nunc verò tēpus eſt, vt ea compleam. ſic plerique fatentur, inter quos Rabbi Salom. alij pro eodem accipiūt, *ac pugnatore, bellatore, omnipotente*, vtpote *exercituum Domino, atque Duce*: iuxta loquutionē capitis 15. Exo. *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius*. vbi ex Chaldæo traducitur, *Adonai eſt nomen eius*. & ex Hebr. *tetragrammaton eſt nomen eius*. itaut ſit ſenſus, iam me eſſe Dominum conterentem bella, ac diſſipatorem Caſtrorum inimicorum, ſeu conterentem arma, & exercitus, *hucuſque id non indicaui eis* .ſ. Abrahæ, Iſaac, & Iacob: ſed id tibi modo patens facio: inter cæteros ſententiæ huius ſequutus eſt Oleaſter. linquo Rupertum Abbat. allegoricè verba illa, *Dominus quaſi vir pugnator*, exponentē de Chriſto Domino, vt bellum indicare videatur antiquitus ſcriptura inter Chriſtū, & Dęmonem, qui foret conterendus à Chriſto, qui quaſi vir pugnator vicit mortē, ligauit Diabolum, exoluit Patres de Limbo, aperuit Cœlum, ipsūq; hoſtem de Mundo hoc eiecit, abſtulit Principatum; elidit vires, atque penitus eliſum, victum, & proſtratum abiecit, *nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. An vero expoſitiones iſtæ cohæreant, inde patere poterit, vt eæ ſint prorſus ſecundariæ, atque accidentariæ huic nomini, namque de principali ſignificato, primitus oſtendit ipsū Dei eſſe, & ſubſtantiam, vt nunc indicabimus, ſubſequenter verò poſſint adaptari eidem Chriſto allegoricè, dū Deo in teſtamento veteri adaptantur literaliter.

10 Eſt ergo communior, ac recepta ſententia nomen hoc primario denotare ipſum dei eſſe, & ſubſtantiam. hæc fuit in primis noſtri Lyrani ſentētia: docētis Deū peculiari fauore alioqui proſequutum ipſum Moyſen, ſibi nomen ſuum manifeſtaſſe, non ſolum quantum ad vocem, ſed etiam quantum ad eſſentiam; itaut nomen hoc denotet infinitum diuinæ ſubſtantiæ pelagus, ſemper ſubſiſtens, indeficiens, neceſſum eſſe: adeoq; claram fuiſſe ſui nominis, & quoad vocem, & quoad rem manifeſtationem, vt palàm, & non per ænigmata Deum viderit, non obſcurè. ſed clarè, id quod cæteris non fuerat eouſque Deus elargitus, *& nomen meum non manifeſtaui eis*: idem ait de hoc nomine D.Tho. ſup.

Tetragrāmatō ſignificat primario Dei ſubſtātiam ex Lyr.

11 Magis autē corroboratur hæc veritas ſuſtinendo in præſenti vita non implicare dari poſſe ſpeciem aliquam abſtractiuè repræſentantem diuinā eſſentiam, quam de facto concedit in Angelis Scot. in 2. d. 3. q. 9. nec inſuper implicare in eadem vita præſenti ſub ratione viç poſſe Deū clarè videri à Viatore, vt iam de D. Paulo rapto ad tertium cęlum, contendit ibi idem Scot. ac cōſimiliter aſſereret de Moyſe. Cui fauent plerique Patres teſtantes clarā Dei viſionem præbitam iam Moyſi, vt D.Baſyl. homil. 1 exam. D. Auguſt. 12. ſuper Gen. ad lit. c. 27. & epiſt. 112. c. 12. Ambroſ. l. 1. exam. c. 2. Victorin. ep. 2. ad Corinth. D.Tho. 2. 2. q. 174. art. 3. Toſt. in c. 5. Matt. q. 46. & plerique alij: licet aduersētur Hieron. de ſcript. Eccleſ. Orig. homil. 7. in lib. num. & 2. Periarch. c. 4. Dion. de cœl. hierar. cap. 4. Tertull. l 4. cōtra Marcion. c. 22. Chriſoſt. homil. 14. in Ioann. & ſi qui alij. at verò id ſufficiat nunc in confirmationē expoſitionis Lyrani adduxiſſe, nec .n. locus hic eſt quæſtionis huius agitandæ. Eandem nominis interpretationem recipiunt cōmuniter Auguſt. Nazianz. Origen. & alij ſuprà adducti.

Species abſtractiua repreſētās eſſentiam Dei nō implicat.

Moyſes viderit in hac vita diuinam eſſentiam.

12 Conſentit cū Lyrano Burgenſ. ad c. 3. Exo. nomen hoc perfectiori modo indicare diuinum eſſe, quam quodcunque alterū: ac plenius id conſignificare, quā efficiat nomen *qui eſt*, prout initio capitis referebamus: propter quod contra D.Tho. inuehebatur, qui non videtur differentiam illam inter

Perfectiori modo indicat diuinū eſſe, quam nomen qui eſt: ex Lyr, & Burg.

qui

qui eſt, & *tetragrammaton* admittere. & confirmari poteſt ſententia eadem Lyrani ex D. Greg. homil. 16. in Ezech. vbi quam maximè Moyſen præponderare docet pluribus antiquioribus veteris inſtrumenti Patrib. dum clariori fuerat cognitione Dei illuſtratus.

Obijcitur. 13 Verū contra hæc obijci libeat: ſi Deus tantopere Moyſi fauere voluerit, vt claram ſui eſſe, atq; ſubſtantiæ ſuæ indiderit cognitionē, cur ſcriptura non de eſſentię manifeſtatione loquitur, ſed de ſolo nomine: *nō. n.* inquit, *eſſentiam meam non manifeſtaui eis, ſed nomen meum non manifeſtaui eis*: quo fit, vt Moyſi ſolummodo nomen fuerit præoſtenſum, & manifeſtatum: quod ſi ita eſt, non ergo eſt id, quod plenè indicabatur per nomen, nempe ſui eſſentia. Confirmatur, quia ex notitia nominis rei creatæ, non abſolutè ſequitur notitia ipſius rei importatæ per nomen: ſcio enim ſolo nomine Galliā, at rem ipſam nunquam vidi: ſed de ſolo nomine fit mentio, ergo nulla manifeſtatio ſui eſſe diuini.

Scriptura mos vti nomine pro re ipſa. 14 Vt argumentum hoc ſoluamus, adnotare oportet morem eſſe diuinæ Scripturæ quandoq; pro re vti nomine, & ſolum nomen ſibi ſufficere pro re ipſa clarè oſtendenda, atque notificanda: quod autem ita ſit, probatur ex Apoc. c. 3. vbi dicitur, *habes pauca nomina in ſardis, qui non inquinauerūt veſtimenta ſua*: quænam peto, loquutio iſta? quomodo fieri poteſt, vt ſolum reperiatur nomen, cui etiam tribuatur actio, denominatio, & operatio, abſq; eo, quod ibi ſit res ſignificata per nomen? Reſp. vtiq; illa pauca nomina, idē ſunt, ac pauci homines: & confirmatur, quia inde ſubiungendo relatiuum, non quidem illud accommodat nominib. nec. n. dicit, *quæ non inquinauerunt*, ſic namq; requireret loquutio grāmaticalis, ſed dicit, *qui non inquinauerunt*, q̃ maſculinè refertur ad homines, ergo importatum per nomē ſumitur ſuppoſitum per nomen. Inſuper Iſa. 30. loquens de aduentu Meſſiæ in carne humana, inquit, *Ecce nomen Domini venit de longinquo*. quid per nomē hoc? quomodo namque nomen Meſſiæ de ſe ſolo venit, aut aſportatum fuit, niſi quod ipſemet Meſſias iam in carne venit, & quoad eſſe, & quoad nomen verè fuit nobiſcum: & nihilominus Propheta ad rē ipſam explanandā vtitur ſolo nomine. item Apoc. c. 11. *occiſa ſunt nominum ſeptē millia*. quonā modo quæſo nomina occidūtur. nā mos eſt diuinę paginę nomen ſumere pro re ipſa importata per nomen. ac deniq; vt cætera omittā dixit Chriſtus Dominus de Paulo iam conuerſo, *ego oſtendam illi quanta oporteat pro nomine meo pati*. quo in loco non de ſolo agitur nomine, ſed de eo, qui importabatur per nomen, nempè eodem Chriſto, vt pro vtroq; paſſurus foret, & pro Chriſto, & pro nomine eius: nihilominus talis eſt Scripturæ mos vt rem indicet per nomen: & maximè verum id eſt, vbi nomina ſunt cōſona reb. cum namq; imponuntur iuxta rei proprietatem, idem eſt loqui de nomine, ac de re ipſa adæquatè importata per nomina.

15 Hoc ſuppoſito, ad difficultatem iam propoſitam reſpondetur, id quod de nomine dicitur, dici etiam de ipſo eſſe, ac ſubſtantia: maximè, cum in nominis *tetragrammaton* impoſitione nil ſuperfluum importetur, ſed aptiſſimè inter cætera Dei nomina explicare infinitum pelagus diuini eſſe, vt iam probauimus: quo fit, vt ſi de ſolo nomine fiat loquutio, etiam facta fuerit demōſtratio de re ipſa importata per nomē, idem namq; eſt nomen efferre, ac propriam rei qu dditatem oſtentare, quādo nomina ſunt conſona reb. & explicanr naturam rei.

16 Illud inſuper adducere huc libeat, id quod etiam adnotauit noſter Galatin. l. 2. de arcan. cath. ver. c. 10. hoc eſſe, quod importatur per *tetragrammaton*, adeo in ſua ratione excellere, vt nihil commune habeat cum creaturis. concedimus quidem entis vniuocationem inter Deum, & creaturam, in via Scotiſtarū in 1. d. 3. q. 3. at principale huiuſce nominis ſignatum, ea ratione, qua tale eſt, æternum, indefectibile, ſummè neceſſarium, omnipotēs, & ſimilia. nullam participationem adnotare cum creaturis: aliàs non eſſet nomen hoc tanta admiratione, ac contemplatione dignum, vt penè fuerit, ineloquibile, ineffabile, indicibile, & ſimilia, vt dicemus: quodue Trini- *Tetagram. nihil commune habet cū creaturis.*

tatis

tatis arcanum complectitur, & explicat: nec etiam adeo celebris foret fauor Moyſi impertitus, ſi nulla ſub peculiari ac propria ratione creaturis incommunicabili; facta ſibi fuiſſet huiuſce nominis præoſtenſio.

Ex Tetragam. deducitur generatio in diuinis ex Galatin.

17 Pro complemento autem vltimo loco addimus ex eod. Galatino: recenſet.n. apud hebræos *tetragrammaton* idem ſignificare, ac *generantem*: ex quo datur intelligi etiam in diuinis reperiri productionem per viam generationis. At quia generans relationem connotat ad genitum, ergo inde dualitas concluditur perſonarum ad intra, Patris, & filij. Verum quia inter Patrē, & filium intercedit amor, inde fit, vt inde tertia inſurgat perſona, Spiritus ſancti: vide ergo quam admirabile ſit nomen iſtud, quo diuinum, & infinitum continetur eſſe, quoue diuina oſtenditur, & ſuprema Trinitas.

Tetragammaton ineffabile ob reuerentiā.

18 Meritò inde hebræis nomen hoc maxima fuit veneratione recolitum, vt continuo ſummus Sacerdos pontificalibus ornatus inſcriptum geſtarit in lamina, quæ pendebat è fronte: & quod ſibi ſoli id proferre licebat: quod inde nemo pronuntiare audebat præ reuerentia, vnde merito titulum fuerit aſſequutum nominis alioqui *ineffabilis*, ineloquibilis, atq; impronunciabilis, vt tradunt Damaſce. Hieron. & Theodor. vnde eſt, vt cum in præcitata ſententia Exo. *nomen meū tetragrammaton non indicaui eis*, Interpres traducendo tacuerit nomen *tetragrammaton*, & eius loco adſcripſerit *Adonai*, mirum id non ſit; etenim id ipſum præſtitere ſeptuaginta, qui loco *tetragrammaton*, ſcripſere *Dominus*: idq; non alia ratione præterquam reuerentiali, & honorabili, vt de tanto nomine dicatur id, quod D. Hieron. traducit, *te decet laus, te decet hymnus; te decet laus; te decet ſilentium*, vt melius in re tanta ſit tacere, quam balbutiendo tantum nomen exprimere: adeoq; taciturnitatem eius nominis, ac ſilentium penes hebræos inualuiſſe, vt poſt vltimum, qui ipſum nominarat, nempe Simeonem iuſtū, qui Chriſtum natum recepit in vlnas, nullus inde ſciuerit, nec in præſentiarum ſciat ritè nominare, & proferre: id quod alij tradunt inde ſequutū fore, vt ſit prorſus impronuntiabile: hoc tamen abſolutè non eſt cenſendum, namq; verè ipſum pronūciabat ſummus Sacerdos Synagogæ, & inter cæteros Sacerdos Ananus ex Ioſepho hebr. l. 4. de bello Iuda: & Simeon, vt retulimus, ſed impedimentum oriri, vel quia penè ſit apud eos extincta memoria, ac methodus ipſum nominandi; vel quod etiam veriſſimum eſt, indigniſſimi ſunt Hebræi vt tanto glorientur nomine, in proferendo.

Cur ineffabile nunc Iudæis.

19 Cæterum id ſufficiat addere ipſum ineffabile nomen, quod eſt ſuper omne nomē, ſicut ſilētio cōmendatur, ita quoque Deus ipſe caret ex creaturis de ſumpto nomine, quod ipſum adequatè, & vndequaque foris exprimat: & ita de Deo loquuntur paſſim Sancti Patres, vt Auguſt. lib. 7. de Trinitate cap. 4. *verius*, inquit, *cogitatur aliquid de Deo, quam dicitur*. & idem in pſalm. 85. *quid quæris, vt aſcendat in linguā, quod in cor hominis non aſcendit?* & lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 6. *Verborum pugnam*, inquit, *ſilentio potius pacandam eſſe, quàm voce*. cui conſonat Platonis dictum apud Nazianz. orat. 2. de Theol. & Cyrill. lib. 1. in Iouin. *Deum intelligere difficile eſſe, loqui autem impoſſibile*. adde Iuſtinum apolog. 2. inquientem, *Deo nomen imponi non poſſe*, ac Dionyſ. de diuin. nomin. c. 1. *Dei neque ſenſum eſſe, neque nomen, neque phantaſma, neque opinionem*: vnde non immeritò deducunt alij etiam ipſum *Tetragrammaton* eſſe prorſus impronunciabile, licet parui afferant oppoſitum.

Verius cōmendatur ſilētio, quā eloquio.

P QVAE-

QVÆSTIO V.

Dè nomine *Elohim*, ac reliquis Dèi nominibus, *Eſer*, *Helion, Sabaoth, El, Saddai,*

Elohim ſignificata.

1 CAetera verò, quæ ſuperſunt Dei nomina pro noſtro captu modo reſtringamus in vnum. ſubſequitur & alterum Dei nomẽ, nempe *Elohim*, quod idem ſonat, ac *Deus*: vbi namque in noſtra vulgata habemus, *in principio Deus creauit Cælum, & Terram*, hebraica habet *Eloim*, vt tradunt communiter Expoſitores ad primum caput Geneſeos. eſt verò huius vocis ſenſus, vt idẽ denotet, ac *Deum, Iudicem, Principem*, & ſimilia, vt tradunt communiter huiuſce loci Interpretes: vt Rabbi Abenazra, Lyran. Burgenſ. Magiſt. in 1. d. 2. & D. Bonau. ibid. in expoſit. lit.

Elohim non caret ſingulari ex Perer.

2 Dignum tamen contemplatione, & admiratione, ac reuerentia nomen: vt quo ſimul Deitatem, atque eſſentiæ vnitatem tuemur, eo etiam perſonarum eliciamus Trinitatem. Pro qua re ſciendum ex Lyrano, Burgenſi, Abulenſi, Galatino, cæteriſq; cum antiquioribus, tùm etiam recentioribus huiuſce loci Interpretibus idem ſonare *Elohim creauit*, ac *Dij creauit*; vbi ſimultanea fit pluralis numeri, ſeù pluralis nominis coniunctio cum ſingulari tempore, ſeù articulo verbi creationis, dicendo *Dij creauit*. Magis tamen in admirationẽ ducit, quod idem nomen pluraliter tẽtum per *Elohim*, habere quoque docent citati Authores ſingulare, quapropter peroptimè vlla abſq; grammaticali diſſonãtia adſcribi poterat *Eloha creauit*, quod idem eſt dictu, ac *Deus creauit*, prout iuxta optimam ſcribendi rationem iuxta noſtram grammaticalem eruditionẽ traduxit latinus Interpres dicens, *Deus creauit*: id quod contra Caietanum tuetur Perer. lib. 1. cap. 1. in Geneſ. negantem habere ſingulare. At ſi ita eſt, cur inconſona admodum, & inconcinna loquutio appoſita fuit initio creatæ molis enarrationis, dicẽdo *Elohim creauit*, ſeù *Dij creauit*.

Inconnitas gramaticalis apparẽs reconciliatur.

3 Reſpondet Abulenſ. quòd lingua hebræa aliquando valdè diſturbato modo loquendi facit conuenientiã in accidentibus ſuppoſiti, & appoſiti, & adiectiui cum ſubiunctiuo; dicitur enim Iſa. 19. in latina editione, *tradam Aegyptum in manum dominorum crudelium* at in hebræo habetur, *dominos durum, vel fortem*: & vbi in vltimo capite libri Ioſue nos legimus, *non poteritis ſeruire Deo, Dominus enim ſanctus: Deus ſancti ipſe*: attamen inconcinnitas iſta, concinnum reddit ſenſum in hebraica lingùa, qui tamen in latina prorſus nauſeam producit, & ſtomachum.

ex Elohim deducitur myſterium Trinitatis.

4 Sunt autem & alij, qui Trinitatis myſterium hoc in loco latinitas, foris exprimunt, dum nam que in plurali numero habetur *Dij*, prorſus multiplicari adducant Trinitatis ad intra: dum verò additur *creauit*, in ſingulari numero, vnica, & ſingularis eſſentia inde exprimatur: vt initiò creationis myſterium hoc nec Hebræos latuerit, ſed à mundi exordio talis apparere ſub obſcurè incæperit Deus, qualis vnus in Trinitate conſiſtit, & trinus in vnitate. vt etiam oſtenderet creationis opus, ſimiliter & conſeruationis, atq; regiminis ad extra à tota ſimul pen-

dere Trinitate, iuxta commune axioma. *opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.*

Idem ex Magiſt. & D. Bonau.

5 Idem inſinuat Burgenſis contra Rabbi Abenazrai atque confirmat, ex quo principium denotat perſonam Filij, quod deducere poſſumus ex Patribus, vt Hylar. pſalm. 39. *in capite libri ſcriptum eſt de me:* Auguſt. lib. 11. de Ciu. cap. 32. & lib. 11. confeſſ. cap. 28. atque Hieron. in principio quæſtion. hebr. Geneſ. & ex Apoſt. ad Coloſſ. 1. *in quo condita ſunt vniuerſa;* quod etiã de ſeipſo fatetur Chriſtus Dominus Ioan. 8. *principium, qui & loquor vobis.* ergo per principium habemus Filium: *per Deum autem,* inquit *Patrem:* atque Spiritum ſanctum elicimus ex ſubſequenti ſermone, *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* id quod deſumpſerat iam ex Magiſtro ſentent. in 1. d. 2. ac D. Bonau. ibid. in expoſit. textus. A quo autem reliqui acceperint, vt ex nomine iſto *Elohim* Trinitatis arcanũ deducerent, nonnulli id adſcribunt, Magiſtro, qui loco citato *Elohim* plurali numero recenſet, cùm ipſi etiam ſingulare adſcribat, vt vidimus: ipſeq; anſã cæteris præbuerit Theologis ſic interpretandi, & ediſſerendi de Trinitatis arcano.

Vtrum neceſſario deducatur inde tale myſterium.

6 An verò ex eo loco ita euidenter myſterium hoc eliciatur, vt ſit neceſſum omnino illud inde deducere, id in controuerſiam vertitur: & quidem negat Caietanus, Moyſen id intendiſſe: contra quem acriter pugnat de eadem familia Catharin. eo in loco, oſtẽdens fore neceſſario inde eliciendam vnitatem Dei eſſentiæ, cum Trinitate perſonarum. De Caietano quidem illud liceat firmiter aduertere, atque aſſeuerare, ipſum iam deceptum fuiſſe, negando nomini *Elohim* plurali correſpondere ſingulare, cõtrarium namque docet Magiſter vbi ſup. & D. Bonau. ibid. Burgenſ. Toſtatus, & omnes eiuſdem loci Interpretes vtrum verò neceſſariò inde myſterium Trinitatis probetur, negat idem Toſtatus citato loco: immò Rabbi Abenazra apud Burgenſ. aliud intelligit, nempè Angelos, idem namque ſonat nomen hoc, ac *Ducem, Angelum, Iudicem,* quam tamẽ opinionem ibidem impugnat Burgenſis: ſiquidem opus illud eſt opus veræ, & rigoroſæ creationis de nihilo, at Angelis non cõpetit creare; eſſet enim incidere in hæreſim Symonis Magi tribuentis creationẽ Mũdi Angelis, teſte Iræneo lib. 1. aduerſ. hæreſ. cap 20. ac Saturnini, ex Tertull. lib. de præſcript. & Ag. hær. 3. & Platonis, atq; Auicen. 9. met. c. 4.

De nominibus Eſer Helion, Sabaoth, El, Saddai.

7 Remanent & nonnulla alia ipſius Dei nomina non reticenda. ea ſunt, de quibus D. Hieron. ſcribit epiſt. 136. ad Marcellam. eſt primo loco *Eſer,* quod idem interpretatur, ac *Tetragãmaton,* ſicut namque de eo retulimus ſignificare eſſe ſubſtantiale, eſſentiale, incommutabile, ita quoque hoc denotat idem, ac *qui eſt,* ſeù qui erit. eſt & aliud, quod inſcribitur *Helion,* hoc verò celſitudinem denotat, ac magnificentiam, iuxta quod dicitur pſal. 112. *excelſus ſuper omnes gentes Dominus.* Alterum *Sabaoth,* quod indicat virtutem, ac fortitudinem Dei, vt ſeptuaginta, & Aquila traduxerunt, iuxta illud pſalmi 23. *Dominus fortis, & potẽs, Dominus potens in prælio, Dominus exercituum Deus.* idem ſignificat & alterum, *El:* cui vicinia ſunt *Elohim, & Elohe,* denotantia Deum. *Adonai* autẽ Dominum, de quo ſupra. Aliud inſuper *Saddai,* quod Aquila omnipotentem vertit, de quo Exod. 15. *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* ac denique *Ia,* quod affinitatem habere videtur cũ eo, de quo præced. cap. ex D. Hieron. commemorabamus.

8 Mira quidem Dei nomina: admirandum etiam, vt tot, tantiſq; recẽſeatur nominib. immò magis, maiorique dignum ſtupore, quod quò magis creſcunt nomina, eo minus veritas rei comprobetur, minuſque exprimatur: equidem diuinæ perfectiones non ſunt numero infinitæ, vt trademus in tract. de attributis diuinis in ſe, infra in propr. quæſt. attamen cum vnaquæq; earum ſit infiniti valoris, non vnico, ſed pluribus explicatur nominib. quapropter dixit Cyrill. Catech. 6. *Deus multorum nominum eſt, & omnipotens, & ſubſtantia eiuſdem.* & ſi tamen nobis non ita clarè innoteſcant, pro captu præſentis vitæ, vt fas eſſet; tamen

P 2 ea,

ea, (etſi multiplicia) ſcire admodum congruit, ne in nominando, aut loquẽdo, minus iuſto erremus, prout Clem. Alex. docuit lib.5. Stromat. *propter Dei poteſtatem pulchris vtimur nominibus, vt in alijs non aberrans, bis inniti poſſit cognitio.*

9. Remanent duo alia de Deo nomina, *Vſia*, & *hypoſtaſis*, verum quia ea ſunt etiam creaturis communia, nõ hic explicamus, explicabuntur autem infra in quæſt. vtrum exiſtentia Dei ſit vnica, vel plures ad pluralitatem ſuppoſit. in artic. 4.

10 Quod ſi nomina reperimus Deo adſcripta, vtique ineffabilis non eſt, ſed fari de eo, quoquomodo poſſumus, ſicut verè nominibus recenſitis eũ nominamus. hinc Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 6. *diximus ne aliquid dignũ Deo? ſi dixi, non eſt hoc, quod dicere volui: vnde hoc ſcio, niſi quia Deus ineffabilis eſt, quod autem à me dictum eſt, ſi ineffabile eſſet, dictum non eſſet. At per hoc nec ineffabilis quidem eſt dicendus Deus, quia hoc cùm dicitur, aliquid dicitur, & fit, neſcio qua pugna verborum, quoniam ſi illud ineffabile eſt, quod dici non poteſt, non eſt ineffabile, quod vel ineffabile dici poteſt.* quam verborum pugna, inquit, *ſilentio potius pacandam eſſe, quam voce*. quomodo autem ſit, vel ne, ineffabilis, & verum poſſit illi nomen imponi quidditatiuè eũ ſignificans, dicemus quæſt. ſeq.

Gentilibus quoq; in veneratione nomen.

11 Nedum verò Hebræis, ſed ipſis quoq; Gentilibus ſummæ nomen ineffabile Dei fuit venerationi, ſcribit enim Ioſephus l. vlt. Antiq. Alexandrũ Magnum ad pedes Iaddi Põtificis ſacroſãctũ Dei nomen in frõte geſtãtis, procubuiſſe, & reuerenter adoraſſe.

QVÆSTIO VI.

Dei Nomina an ſint vniuoca, & ſymbolica inter ſe.

Nonnullorum ſententia circa mẽtionem Scoti.

1 Affertur Scotus in hac lite, tanquam docuerit ſingula nomina de Deo, & creaturis eſſe vniuoca; ſiquidẽ vniuocationem entis ipſe ſtatuit communem Deo, & creaturis in 1.d.3.q.1. & d.8.q.2. itaq; ex eius ſententia à cæteris ſibi impoſita conſtare videtur nomẽn *Deus*, vniuocum eſſe Deo, & creaturis, quouis modo ſe teneat, ſiue eſſentialiter, ſiue nuncupatiuè, ſiue deniq; per attributionem, atq; ſimilitudinem tale iudicium de eo ferunt quamplures Thomiſtæ, vt Caet. Banu. art. 5. Gregor. de Valent. diſp. 1. q. 13. punct. 3. & alij.

Verior explicatio mẽtis Scoti

2 Sed hi non percipiunt ſententiã Scoti; confundunt namq; eius apertũ ſenſum, & vt appareat non ſic loquutum Scotum, ſciendum quod de eius mente, duplicia poſſunt Deo nomina attribui: alia quidem ſumpta ex creaturis tanquã à poſteriori in cognitione: & ea ſunt, conceptus vniuerſales, & communes: atq; abſtracti, vt entis, ſubſtantiæ, exiſtentiæ, ſapientiæ, bonitatis, & ſimilium, quæ communiter de Deo prædicantur, & creaturis. Alia ſunt, quæ propria Dei appellantur, deſumpta ex proprijs, vt eſſe immenſum, infinitum, æternum, ſummum, Primum, Deum, & huiuſmodi; de primis loquẽdo; conſtat quidem vniuocationem admiſiſſe, vt patet locis cit. at de ſecundis, mens eius nuſquam fuit vniuocationem ſtatuere inter ſummum, & infimum; inter immenſum, & paruum; inter infinitum, & finitum; inter primum, & vltimum; inter Trinitatem, & creaturam; & deniq; inter Deum ipſum, & res creatas: quia hæc vt propria ſunt ipſius *Dei*, nulli creaturæ docet eſſe vniuoca: igitur vniuocatio, quam ſtatuit, eſt ſecundum conceptus communes, non ſecundum proprios Dei, & ſumptos ex proprijs.

Dei nomina alia ſumuntur ex proprijs, alia ex cõmunibus.

At

Nomina Dei nõ ſũt vniuoca Deo, & creaturis.

¶ At linquamus hæc. *D*icimus primo, *D*ei nomen non eſſe creaturis, & Deo vniuocum.probatur, enti reali,& enti rationis nihil eſt commune vniuocum; deitas noſtri *D*ei eſt realis à parte rei, deitas Idoli eſt deitas pendens à ratione, ergo non vniuocantur, maior patet,& prob.min. non reperitur à parte rei,niſi vnus *D*eus,vt fides, & ratio docet, ergo omne quodcunq; aliud diſtinctum ab hoc vno non eſt à parte rei *D*eus, igitur erit confictus à ratione, conſtat ergo non vniuocari. item vniuocatio neceſſario importat conceptum vnum quidditatiuè prædicabilem de vniuocatis, vt Ariſt.docet c.de vniuocis: nullus autem datur cõceptus talis quidditatiuè prædicabilis de creaturis. prob. creatura non eſt quidditatiuè Deus, non eſt ſpecificè Deus,non eſt Deus eſſentialiter, ergo ceſſat vniuocatio.Inſuper, vniuocata debent ambo participare cõceptum, quem alterum participat eſſentialiter, creatura autem eſt ſub conceptu eſſentialis dependentiæ, eſt realiter finita, verè defectibilis, non à ſe, non æterna, varijs obnoxia mutationib.conceptus hi non poterunt conuenire alteri vniuocato, nempè *D*eo, ergo vniuocatio nulla. Confirmatur,finiti ad infinitum nulla eſt proportio, neq; talis erit infimi ad ſummum, vltimi ad primum,dependentis ad independens, non trini ad trinum, nec cõſequenter erit creaturæ ad *D*eum,vt Deus;ergo vniuocatio licet ab alijs admittatur in rationibus cæteris communiorib. non tamen admittenda eſt in his particularibus. hinc Iſa.40. *omnes gentes quaſi non ſint; ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt.*

Nomina Dei prædicãtur æquiuocè analogicè de Deo, & creaturis.

4 Dicendum ſecundo prædicari æquiuocè.conſtat ex ſupradictis, quia non prædicatur vniuocè; licet cauſalis iſta non ſit neceſſaria,nec cogat; quia poterit prædicatio inferri analogica, abſoluta iuxta Thomiſtas, apud quos non valeret conſequentia, non prædicatur vniuocè,ergo æquiuocè,quia admittunt purum analogum abſtrahens ab vtroq; valeret tamen penes Scotiſtas, poſt vniuocationem admittentes æquiuocum, licet etiam participare debeat analogum. Sed nec etiam penes ipſos valeret inferre abſolutè,non prædicatur vniuocè, ergo prædicatur purè æquiuocè.copulant namq; æquiuocum cum analogia, ſicut etiam & vniuocationem, quidquid tamen ſit, addendum ad ſecundum dictum,quod prædicatur analogicè: nomen ergo Deus æquiuocè prædicatur,at nõ præcisè ſic, ſed etiam analogicè. Probat D.Thom. quia ſi purè æquiuocè prædicaretur, ſequeretur, nihil poſſe ex creaturis demonſtrari de Deo, conſequens eſt falſum, ergo antecedens: falſitas apparet, quia Philoſophi multa de *D*eo demonſtrauerunt ex creaturis, & id ipſum fatetur Apoſt. *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt,intellecta conſpiciuntur.* Rom.1.

Probatio D.Tho.

Aequiuocatio non impedit fieri poſſe demonſtrationem.

5 Sed contra hanc D. Tho: probationem obſtat argum. quia falſum videtur quod ſtante æquiuocatione nil poſſet demonſtrari de Deo, etenim verè ex creaturis demonſtratur prima cauſa; exiſtentib.finitis demonſtratur ens infinitũ,& ex dependentia oſtenditur independentia primi efficientis, & ex entib.tot,& tot.ordinabilib.ad finẽ oſtenditur.vnus vltimus finis:ergo ſtãte æquiuocatione poterit fieri demõſtratio.Rurſus vrgetur contra eundem *D*.Tho. quod videatur ſibi contrarius, ſuſtinet namq; *D*eo,& creaturæ nil eſſe commune vniuocum, ſed æquiuocum; inſuper ipſe quoq; ex creaturis nititur demonſtrare creatorem, ergo vel dabit intelligere, quod tacito apponet vniuocationem inter *D*eum, & creaturam,ad hoc, vt fieri poſſit de eo demonſtratio, vel ratio hæc ſua contradicit poſitioni æquiuocationis inter *D*eum,& creaturam, qua non obſtante, oſtendit Deum ex creaturis. item nomen hoc canis, æquiuocum eſt, demõſtramus tamen per id canem terreſtrem,marinum, & ſydus cæleſte, ergo ex æquiuocis fit demonſtratio.

Valentiæ explicatio reijcitur.

6 Reſpondet Valent.non eſſe D. Tho.mentem negare ex æquiuocis nil prorſus poſſe demonſtrari, ſed quod talis demonſtratio non poſſet eſſe ſecundum idem nomen, & conceptum eundem: nam hoc quoq; falſum eſt, quia demonſtratur vniuocè bonitas Dei, dicendo, omne ens eſt bonum, Deus eſt ens,ergo bonus. Hæc tamen

re-

reſponſio magis implicat argumentũ factum, quia ſequitur inde voluiſſe D. Tho. facere demonſtrationem vniuocam de creaturis ad Deum, & ita concedere debere vniuocationem inter Deum, & creaturam: ſi.n.voluiſſet inferre, ideo nomina non eſſe æquiuoca, quia nihil demonſtraretur de Deo ex creaturis vniuocè, ergo clarè admittere cogitur hinc vniuocationem: idem namq; eſt dicere, nil poſſe demonſtrari commune ſecundum idem nomen, & conceptum communem eundem, ac demonſtrare vniuocè, & cum D.Tho. dicat, voluiſſe inferre nihil demonſtrari vniuocè, hoc quidem tanquam incõueniens cenſetur adduxiſſe, quaſi diceret, ſi nomina hæc ſunt æquiuoca, ergo nihil ex creaturis poſſet demonſtrari vniuocè, ſed conſequens (tacitè infertur in expoſitione hac) eſt falſum, ergo eſt neceſſe vt aliud conſequens inferant, quod ex creaturis ſit demonſtratio vniuoca, ſicq; dabunt vniuocationem, quam in genere negant inter Deum, & creaturam: inſuper, fruſtra inferretur conſequentia iſta, ſi nomina eſſent purè æquiuoca, nihil poſſet ex creaturis demonſtrari de Deo: ſignum n. datur in iſta ſequela, quod poſſit fieri aliqua demonſtratio vniuoca, vnde admitteretur vniuocatio: at pro incõuenienti habet D.Tho. quod nihil poſſet ſic demonſtrari, quod neceſſariò elicitur ex illatione ſequelæ, ergò coguntur hic admittere vniuocationem, vel nominum, vel ſaltem in genere ſub rationib. communiorib. Præterea ſequela D.Tho. aut infert nihil omnino poſſe demonſtrari ex Creaturis æquiuocè, & iam conſtat non eſſe verum, aut concludit nihil vniuocè demonſtrari, ſed hoc adducit pro inconueniẽti, & pro abſurdo D. Tho. ergo tacito admittit vniuocationem ex expoſitione Valentiæ ſupra; alias fruſtra inferretur hæc conſequ. quod nihil poſſet demonſtrari ex Creaturis.

Explicatur probatio D. Th.

7 Poſſet igitur eſſe ſenſus probationis, & ſequelæ, vt per æquiuocationem non intelligatur ordinaria, & communis æquiuocatio, qualis accipi ſolet penes omnes, vt ſit multorum conueniẽtia in aliquo, remoto tamen conceptu, cum diſconuenientia in proximo: ſic namque ex æquiuocis poteſt fieri demonſtratio, vt patet; ſed æquiuocationem ſumendo pro omnimoda aliquorum diſcrepantia, quæ potius vocanda veniant primo diuerſa, tùm ſubiectiuè, tùm obiectiuè, quomodo materia, & forma ab aliquibus ſic vocantur primò diuerſa: vtroque ſenſu, & his ſimilis poteſt eſſe aliqua æquiuocatio, quæ ſumpta pro diſcõueniẽtia, quæ faciat aliqua eſſe omnino primo diuerſa, reſultabit inde vt ex tali æquiuocatione non poſſit formari demonſtratio vlla; & ita erit ſenſus D.Thomæ, quaſi diceret, ſi nomina Dei, & creaturarum eſſent ſic æquiuoca, iam ſequeretur ex creaturis non poſſe inſurgere probationes vllas ad demonſtrandum Deum: Philoſophus autem multas cõfecit demonſtrationes de Deo deſumptas ex creaturis, ergò non opponuntur æquiuocatione tali, quæ faciat ea primo omnino diuerſa: primo nãq; diuerſa, omni diuerſitate prima in nullo ſubiectiuè, aut obiectiuè conueniunt, confirmatur, quia addit inde D.Tho. analogiam inter nomina hæc; ex quo negat reperiri talem primam diuerſitatem, & conſequenter neganda venit hæc adeo ampla, & vniuerſalis æquiuocatio, qua tamen admiſſa ſequeretur inconueniens allatum, quod nõ poſſet ex creaturis fieri demonſtatio, ſi æquiuoca in nullo conuenirent.

8 Ergò reſtat cum tali nominum æquiuocatione analogia: & hoc in vtraque ſententia, tùm D.Thom. tùm Scoti: erit verò analogia attributionis; vt primo, & excellentius vero Deo, deinde cæteris per participationem diuinæ ſimilitudinis per gratiã, vt pſal. 81. *Ego dixi Dij eſtis*, aut poteſtatiuam iuriſdictionem, *conſtitui te Deum Pharaonis* Exo. 7. tribuatur, vel alijs iuxtà varios participandi modos tale nomẽ, de quib. ſup.

9 Addit Vaſq. ad ar. 10. nomen Dei penes Gentiles eſſe vniuocum, & confirmat Vulp. t. 1. diſp. 22. artic. 7. quia Gentiles exiſtimant eſſe plures Deos, & verè non repugnare pluralitatem Deorum, ex quo concludunt forè vniuocum, licet in mente Catholici ſit analogum, qui credẽdo repugnare pluralitatem, Dei nomen facit analogum,

Inutilis ſpeculatio Vaſqu. & Vulp.

vt

vt Deo verè attribuatur, inde Idolis. At vniuocatio iſta ad quid deſeruit; iã fictitia apparet, & ita eſt, & nulla eſſe debet, ſicut eſt nulla: immo magnificat eam amplius Vulpes, dum appellat vniuocationem *logicam*, atq; *metaphyſicam*: fruſtra autem laborant, cùm cõſtet nullam eſſe à parte rei: quod ſi dicas verè vniuocari ex opere intellectus ſic confingentis, ego itidem dicã, & fingam omnia entia eſſe vniuoca, quia omnibus entibus tribuere intendo nomen hominis, & ſingula volo appellare homines, & ſic erunt homines cuncta, & cuncta vniuoca per intellectum: ſed ad quid prodeſt. quod autem Gentiles ita æxtimarint, iam conſtat planè erraſſe. Inſuper vniuocatio iſta non erit à caſu, quia reperitur à parte rei, ſed à conſilio, vt dicũt Logici, quia pendet ab intellectu fingente; aptior erit autem loquutio negans eam; tùm quia non eſt opus tali vniuocatione. adde quod æquiuocum à conſilio, vt dicunt formaliſtæ, non eſt diſtinguendum; ſimpliciter namque prolatũ ſtat pro famoſiori ſignificato, quomodo nomen homo æquiuocum vero, & picto, verum hominem de ſe importat, præcipuè cùm operationes homini adnectuntur, impoſſibiles competere alteri, quàm vero, vt homo currit, ſcribit; igitur hoc nomen Deus, quod de ſe præcipuas importat operationes, vt initio tradidimus, abſolutè tentum, verum Deum importabit, & abſque diſtinctione vlla, ſicq; nullam fingendam vniuocationem, ſed apparere de ſe æquiuocationem analogam.

Nomina Dei an ſint ſynonima.

10 An verò nomina omnia Dei ipſius, tùm recenſita, tùm quæ poſſemus recenſere ſint ſynonima; vnaquæque ſchola iuxta ſua ſingularia principia habet reſpondere; etenim huius quæſiti ſolutio ex quæſtione pendet attributorum Dei, an diſtinguantur ratione, an formali conceptu: quo fit, vt vnuſquiſque reſpondeat iuxta opinionem, quam ſuſtinet de quæſtione tali. in abſoluta tamen quæſiti reſolutione, reſpondetur communiter ab vtriſque non eſſe ſynonima: ſic à D.Th. ar. 4. ſic etiam à Scot. d.22. & 8. quæſt.3. ſolùm tamen diſcrepant in reddenda ratione: Scotus namque ſynonimitatẽ negat, quia ſicut diſtinguuntur nomine ea, quæ ſunt in diuinis, vt ſapientia, bonitas, abſoluta, relatiua, ita diſtinguuntur quoque ex natura rei diſtinctione formali: at D.Tho. eandem ſynonimitatem negat, quia diuerſi cauſantur conceptus, ſicut diuerſa inſonant nomina, in intellectu creato, ſaltem viatoris, qui non diſtinctè ea concipit, quæ tamen in diuinis ſola ratione diſtincta ſunt, quia coeunt in vnam, eamdemq; ſimplicem naturam, ac Deitatem.

Penes intellectum Dei, et beatorũ vtrũ detur vniuocatio perfectionum diuinarum.

11 Addunt alij, ex oppoſito in intellectu diuino non conſtare talem diuerſitatem conceptuum, quia diſtinctè ea noſcit. ex quo magis pateat ſola rationis diſtinctio. in quam ſententiam inciderunt aliqui ex Scotiſtis, apud Vallonem, aſſerẽtes apud intellectum diſtinctè concipientem non dari vniuocationem ſub ratione alicuius cõmunis continentis plura. ſic autem eſt Deus: Alij ampliant ex Thomiſtis, vt nec apud ipſos Beatos reperiatur talis conceptionũ multiplicitas: ex quibus omnibus elicitur in ſententiã eorum, ſynonimitas quidem ex parte naturæ vnius, & ſimplicis, vnitiuè, & idẽticè, etiam formaliter continentis ſingula.

nomina diuerſiuoca non ſunt ſynonima.

12 Quidquid tamen ſit, abſtrahendo pro nunc à diſtinctione, & identitate formali, de qua ſuo loco erit ſermo: loquendo de nominibus, quæ diuerſiuoca appellantur, conſtat non eſſe ſynonima, etenim diuerſiuoca diuerſitatem connotant conceptionum: ſunt autem ad intra diuerſæ voces, vt patuit, atq; diuerſa nomina, vt recenſuimus, & magis patet enumerando ſingula per modos intrinſecos, per attributa, per abſoluta, atque reſpectiua, ſiue ea diuerſitas ſit à parte rei, ſiue ab intellectu. loquendo etiã de ſymbolicis, quæ ſunt ex creaturis tranſlata ad Deum, & tranſumptiuè de eo prædicantur, etiam non erunt ſynonima, agno enim ex creaturis tribuitur conceptus talis ſpeciei animalis, & leoni ſimiliter, atque Rhinoceroti, ex quibus tamen tranſumitur ſimboleitas ad Deum, vt ex agno manſuetudinem, ex Rhinocerote caſtitatis amorem, & ex Leone ei adſcribamus fortitudinem: hæc tamen

Nomina ſymbolica nõ ſunt ſynonima.

di-

diuerſas quoq; habent conceptiones.

Anagogica nō ſunt ſynonima.

Item de anagogicis diſcurrendo, ſunt namque ea nomina, quæ ex creaturis deſumpta Deo tribuuntur, ſed cum ſuperexcellentia, atq; exceſſu, vt quæ in nobis eſt ſubſtantia, in Deo appellatur ſuperſubſtātia, & quod in nobis rationem habet tanti boni, habeat in Deo conditionem infiniti boni, & quæ in creaturis cenſetur eminens bonitas, in Deo cenſeatur bonitas ſupereminens: hæc quidem nec ſunt ſynonima, cum ſuperſubſtantia, infinita bonitas, atq; ſupereminentia, varia ſint, ac multiplicia, multiplicabilia cum conceptibus, ſola tamen multiuoca erunt ſynonima, namque ea eſt ſynonimi ratio, vt vna ſit, & vna abſcondatur ſub diuerſis verborum, ac nominum inuolucris, vt gladius, enſis, mucro; quòd ſi de his loquamur, reperiri vtique poterit ſynonimitas omni ex parte in Deo, præcipuè circa ipſum nomen *Deus*. quod vt apud Græcos ſcribitur *Theos*, apud Latinos ſcriptum *Deus*; idem ſonat, idem quidem ſaltem quoad naturam, ſeu quoad id, gratia cuius vltimatè, imponitur vt initio tradidimus.

Multiuoca poſſunt eſſe ſynonima.

Et ſi denique inſpectes, quòd ea, quæ in diuinis ſunt, omnino coaleſcūt in vnam, eandemq; indiuiduam naturam, quæ eſt Deus, & ſunt omnino realiter, eſſentialiterque vnum, quia quæ ſunt in diuinis tranſeunt in perfectiſſimam identitatem eſſentiæ ratione ſuæ infinitatis, vnde valeat dicere, quidquid eſt in Deo, eſt Deus: quòd ſi hæc ſpectes, vtique omnia Dei nomina, vt ſapiens, iuſtus, bonus, verus, & ſingula, omnia erunt ſynonima, quia omnia ſunt Deus, Deus autem eſt vnus. & ad hanc ſynonimitatem aſpexit D. Th. ad quam etiam præſtat aſſenſum Scot. & quam recipere coguntur ſinguli Catholici: quòd ſi tamen rationes ꝓprias ſpectabis per ſingula nomina importatas, vt rationem proximam ſapientiæ, rationem bonitatis, rationem paternitatis, & ſimilia, hinc quidem non erunt amplius ſynonima ex vtraque ſchola propter eorum diſtinctionem formalem, vel per ſolam diſtinctionem rationis. Nobis hæc appoſuiſſe ſufficiat, etenim ne materias confundamus, tractationem de diſtinctione formali, aut rationis Deo dante ſuo loco expendemus.

Ratione identitatis eſſentiæ ſtare poteſt omnium ſynonimitas, non tamen ratione proximè diſtinguendi vel formaliter, vel ratione.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Deus poſſit perfectius, & diſtinctius nominari, quidditatiuè, quàm ab intellectu creato concipi.

ARTIC. I.

Aſſertur ſententia Thomiſtarum, & Henrici, Deū eſſe ineffabilem.

NOſtri autem diſcurſus materiam ritè continuamus, dum ad loquutionem de diuinis nominibus, ordinatè ſubrogamus quæſtionem, qua quærimus vtrū ex tot Dei nominib. iā recenſitis reperiatur aliquod perfectiſſimo modo repræſentās Deitatem: ita vt creatura valeat Deo ipſi tale nomen impo nere, quod adæquatè repræſentet ipſū m, an vero contingat creaturam, tum viatricē, tum fruentem in patria à talis nominis impoſitione deficere, ac melius, & perfectius Deum mente concipere, quàm aliquo nomine, ac, vocibus explicare.

Eſt igitur hoc in loco communis Thomiſtarum veterum ſententia non poſſe à creatura vlla Deo nomen imponi,

poni, diſtinctè repræſentans Deum.ita D. Tho. 1.p. q. 13. art. 1. ibid. Caiet. Bann. ac Ferrar. 1. contragent. c.30. Durand. & Capr. in 1.d.22. q.1. & ex recentiorib. pleriq. conſonat etiam Henric.in ſum.q.9.art.13. & quolib.5. q.1.& quol.13. q.1.

Ratio autem,cui innituntur, ea præcipua eſt,quia non contingit de re aliqua plus,& perfectius loqui, quam de ipſa concipere, ac intelligere: ſed nulla creatura poteſt adæquatè, & diſtinctè Deum concipere, ergo nec nomen vllum imponere ei poterit, quo ſignificetur diſtinctè totus diſcurſus eſt euidens: igitur nominis impoſitio ſequitur ductum intellectus, & captū rationis de re nominabili.

Item *Nomina ſunt ſigna conceptuum*, vt docet Ariſt.1.de interpretat. ergo nomen eſt poſterius re conceptibili: igitur ad cognitionis menſuram ſubſequitur nominis impoſitio: imperfectè autem, & ænigmaticè noſcimus Deum, teſte Apoſt.1.Cor.13.*videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, ergo nominis impoſitio erit imperfecta.

Vlterius quæritur à quo progreditur vt nomen perfectiori modo repræſentet, quam concipiatur obiectum, vtique id prouenire debet ab imponente, & nominante, patet,quia *nomina ſunt ad placitum*,magis, minuſuè exprimentia obiectum;ergo ab imponente, & exprimente habet nomen, vt rem ſignificet: at creatura non concipit Deum adæquato,& diſtincto modo, ergo nec poteſt conſimile expreſſiuum adaptare nomen, ſequela patet, nemo namq; dat, quod non habet?

Inſuper hæc cauſalis eſt vera; quia cognoſcimus obiectum, ideo nominamus illud: ergo arguendo à contrarijs, quia obiectum non nouimus, ideo ſibi non imponimus nomen: ſed *Deum nemo vidit vnquam*: eiuſq; cognitio eſt inacceſſibilis, ergo non nominamus illum nomine exprimente naturam eius.prima ſequela probatur, ſi namq; non cognoſcimus rem aliquam, quonam pacto quibimus nominare: aut namq; nomen illud erit expreſſiuum, & id concedi nequit, cum non cognoſcatur obiectum, ergo erit nomen non expreſſiuum,ſed excutiendo impoſitum;idq; inexpreſſiuum.

Adde commune apud omnes receptum axioma,facilius eſſe rem intellectu concipere, quam vocibus exprimere.

Patres quoq; id teſtatur D.Dionyſ.c.1.de diu.nom.air,*neq: nomen eius eſt,neq:opinio.* & prouerb.30. *quod nomen eius, & quod nomen filii eius,ſi noſti?* Iuſtinus apolog.2.pro Chriſt. *Deo nomen imponi non poſſe, quod ſi quis id contendat ſumma dementia eſt.* Auguſt. 7.de Trin.c.4. *verius cogitatur Deus, quam dicitur*; Nazianz.orat.34.idem Auguſt. ſerm.190. de temp. Niſſenus contra Eunom. Athan. de Synod. Arimin.id ipſum fatentur.

ARTIC. II.

Statuitur veriſimilior de re hac ſententia Deum nō eſſe ineffabilem.

1 NObis autem ea eſt probanda ſententia,quæ plus nominari contingat,aſſerit, quam mente concipere. Duo autem in præſenti quæſito ſtatuimus,quibus concilianda omnino veniet vtraq; pugnans ſententia.

2 Primum ſit, contingere rem noſcere à priori,& à poſteriori, vt docet Ariſt.in lib.poſt.Eſt autem inter cæteras, inter vtramq, cognitionem differentia,vt illa perfectior ſit, iſta imperfectior, à cauſis illa, & iſta ſit ab effectibus.

3 Sit ſecundum, in Dei cognitionem nos deuenire ab effectu, quomodo in notitiam primi effectiui ex multorum productione effectuum iam deuenit Philoſophus, & in æterni, infinitiuè principij ex temporanea ſucceſſiuitate finitorum euentuum deuenit ipſe notitiam: quomodo etiam loquitur Apoſt.*inuiſibilia Dei per ea,quæ facta ſunt concipiuntur*.

4 His prælibatis,ſic noſtram probo ſententiam, poſſe plus nominare, quam nos mente concipere Ariſtoteles ab effectibus imperfectis alioqui, *Plus poſſumus nominare.quàm concipere.*

& infimi ordinis deduxit reperiri primum efficiens,& primarium agens : & ex multitudine effectuum dependentium, primum fatebatur reperiri independens, incauſatum, ineffectum,improductum. Si quæras quomodo nominet illud Ariſtoteles ? vocat ens ſummum,magnum,infinitum, ens primum, ſine dependentia, habens eſſe à ſe, ſine vllo principio, ens æternum, immateriale,& his ſimilib. nominibus nominabat ipſum Deum. quæro à te vnde ortum habuit talium nominum impoſitio ? à creaturis,arguitiuè à poſteriori : ſi inſuper petas ab Ariſtotele,cõcipis ne ipſum ens primum,æternum, infinitum, & independens adæquata conceptione intellectus ? reſpõdebit, minimè adæquatè concipio, & rationem redderet, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio:quid profecto inde ſequitur ? id quidem;vt naturalis,ac purus philoſophus, plus ſciat nominare, quam intelligere : nominatur.n.Deus nomine æterno,infinito,& ſimilib. ergo plus contingit nominare, quam concipere.eſt Scoti,& aliorum, vt infra.

5 Si effugias, totum illum diſcurſum non fore efformaturum Ariſtoteſem:quidquid ſit,nolo verbis immorari : conficiat illud chriſtianus philoſophus,conficiat Theologus,qui principijs illuſtratus fidei multo perfectiori modo diſcurret:igitur conſimiliter arguatur, poſſumus ab effectib. arguere cauſam, quam vocamus nomine, primam,æternam,indeficientem, infinitã, & ſub ſimilib.nominib. ergo contingit plus nominare, quam concipere. Argumentum eſt efficaciſſimum, & prorſus inſolubile : ergo hinc concludas veram eſſe noſtram opinionem.

6 Arguo inſuper authoritate D. Auguſt. docens namq; D. Auguſtinus qua via poſſimus in cognitionem Dei deuenire,inquit *tolle bonum hoc,& tolle illud, contemplare bonum in ſe, & Deum vtiq; videbis*. ex quo diſcurſu plus licet nominare, quam concipere mente;ſiquidem bona,& perfectiones, ex quib.in ſummi, ac perfectiſſimi entis notitiam deuenimus, ſunt limitata, & finita, attamẽ de eis nominamus rẽ vnam abſtractam, & infinitam, quam tamen minimè adæquatè, & diſtinctè concipimus,ergo & argumentum hoc cum ſuperiori diſcurſu nedum de viatorib.concludit, ſed etiam de beatis ; qui multo perfectius quam viatores abſtractionem talem facere norunt, ac nomen imponere,qui tamen,licet ſint beati, non propter hoc inexhauſtum pelagus beatæ eſſentiæ comprehendunt adæquatè.

7 Statuo magis concluſionẽ hanc, ſic diſcurrendo,ea,quæ in creaturis dicunt perfectionem, reperiũtur in Deo, ſed in maiori gradu perfectionis, vt ſapientia in nobis perfectionem dicit, item bonitas,prudentia,& ſimilia: quę tamen etiam reperiuntur in Deo, attamen non finito,vt in nobis, ſed infinito modo : quæ namq; in inferiorib. ſunt diſperſa, ſunt vnita in ſuperiorib. & eminentiori modo ibi cõtenta. quo ſtante, intellectus creatus hinc inſurgit ad cognoſcendum translatiuè reperiri aliquam ſapientiam maiorẽ, & maiorem, & deniq; omni prorſus maiorẽ,quæ tandem ſit ſuprema,& infinita:ſic de bonitate, & cæteris. Sic etiã de entitate diſcurritur, vt inter tot rerum creatarum ſpecies, reperitur ordo,ita vt vna altera ſit ſuperior,& hæc ſuperior altera, & inde altera,& altera, vſq; quo deueniatur ad vnam, omnino primam,ſummam,& infinitam, & en in diſcurſu iſto arguitiuè contingit Deum ſic nominare nomine ſibi interno, exprimente ipſum,vtpotè æternum,infinitum,omnipotentem,improductum,& ſimilia,quæ tamen adæquatè cognoſcere, & diſtinctè non valemus, attamen valemus nominare, & proferre.

8 Probo inſuper. ſcimus à poſteriori cognoſcere, & à poſteriori etiam nominare ſubſtantiam ; ſed ſubſtantiã quandiù ſumus ſenſibus prępediti non valemus perfectè immediatè cognoſcere, ergò contingit plus nominare, quám concipere. Reſpondent Thomiſtæ ſubſtantiam eo modo nominari, quo cognoſcimus,ſi imperfectè concipimus, imperfectè etiam nominamus, & è contra. ſed arguo contra : nomen hoc eſt perfectiſſimum inter creata, & itaut etiam attribuatur Deo,ſiquidem Boetius transfert in Deũ ſubſtãtiam,

ſeu

ſeu ſuperſubſtantiam: & qua ratione eſt accidentium vltimatum, ſubſtentificatiuum; ea etiam redditur cunctis perfectiſſima: ſed perfectiori, & magis adæquato nomine nominari nõ poteſt, quàm eo, quo communiter ipſam nominamus, & nihilominus non ita adæquatè concipimus, ergo redit argumẽtum, quod diſtinctum nominamus eam, non tamen ita diſtinctè concipimus. Falluntur prorſus hi, quia no aduertunt vnde deſumenda ſit diſtinctior, ſeu minus adæquata cognitio; ad hoc vt conceptus ſint nomini conſoni, & nomina adæquata cõceptibus, vt paulò infra monſtrabimus. Item Adam perfectum, & diſtinctum nomen impoſuit homini, cæteriſq; creaturis ex c. 2. Geneſ. quia perfectè, & diſtinctè rerum naturas nouit: nos autem eumdem hominẽ diſtinctè, vt Adam, nominamus, non tamen, ita ut Adam, perfectè concipimus.

9 Vlterius, ſcio reperiri Galliam, ex auditu, & fama eius, quàm tamen nec hucuſq; noui, nec vidi oculis: eueniet, vt cum Gallo quandoque loquar, atq; ſimul ipſius recolam ſibi magnificentiam, imperium, & ſimilia: continuò in illius mente conceptus efformabitur diſtinctiſſimus de Gallia, attamen in mente mea adhuc permanebit obſcurus, ex quo fit, vt ego plus nominẽ, quàm ego ipſe concipiam, perfectè eã deſcribam, at imperfectè concipiam. Reſpondent, quòd ille alter perfecto modo nouerit, id prouenire ex quo ſpecies iã remanſere in eius mente, ex intuitiua notitia, quã de ea quãdoque habuit; vnde excitatæ poſtea ex noua narratione, in iteratã deueniat cognitionẽ diſtinctã, nõ quidẽ quaſi diſtincta cognitio ex mea narratione ſibi producatur, ſed ex cognitione aliàs habita. Sed hoc non obſtat, ſiuè enim ille ex hac noua deſcriptione, ſiuè ex iam præterita memoria in iteratam redeat notitiam diſtinctam, nil obſtet, ſufficit namque vt in re extra, inſpiciendo ad ſonum, taliter ego nominem Ciuitates illas, qualiter quiſque alius, qui de ipſis notitiam præhabuerit aliquãdo diſtinctam, potuit nominare.

10 Confirmatur, idem eſt prorſus nomen à me prolatum, qui ibi nuſquã fui, ac prolatum ab altero, iam ibi cõmorato, & aliàs exiſtente, ergo idem prorſus conceptus exprimitur à me, & illo, & eodem ſub nomine ab illo nominatur, & à meipſo: ſed ego non hucvſque diſtinctè concepi, & ille iam diſtinctè intellexit, ergò plus licet nominari, quàm concipi. Eſt prorſus ridiculum ſi dixeris taliter à me nominari, qualiter concipitur, conſtat namque ab alio, qui aliàs perfectè id intellexit, non poſſe diſtinctius, nec perfectiori modo nominari, quàm à meipſo fuerit nominatum. Patet etiam, quia poſtquam ego ipſe rem eamdem proprio intuitu diſtinctius nouerim, non potero diſtinctius nominare, quàm ante iam nominauerim, & appellarim, vt eodem ſub nomine, eademque ſub ratione Ciuitatem hanc nunc appellò Neapolim, quam præſentialiter incolo quã antequã huc aduentarem nominare conſueuerã, & appellare, ergò totũ id, quod importat ſpecies viſionis, importat nomen, & nil amplius.

11 Conuincitur conſimiliter oſtẽdendo Beatos ex nominibus à Viatoribus impoſitis poſſe Deum vtcunque diſtinctè, & ſi non adęquatè cognoſcere: ſiquis hebraicam non callens grammaticam literas quãplurimas hebraico deſignatas charactere haberet pręſentes, de quibus ageret inſimul cum aliquo iam perito in ea: aduenlat vt talis linguæ ignarus de characteribus diſcurrendo, conceptum aliquem exprimat ſuo colloquutori, iiſq; vtens, dicat hæc ſit prima, hæc vocetur ſecũda, & hæc tertia appelletur in ordine: inde eueniet, vt duplex in conſocij mẽte aggeneretur cõceptus, imperfectus alter, & alter excitetur perfectus: primus erit de nominib. nouo ordine impoſitis, primi, ſecũdi, & tertij, alter erit de iiſdẽ primarijs, ac naturalib. cõceptib. quos ſuaptè natura tales imprimũt characteres. hic vtique erit perfectior illo: & hic, ſiue nouiter producatur, ſiuè nouiter è memoria excitetur, non aliũde originem trahet, quàm ex characteribus ipſis: eueniet tandem, vt ex re aliàs imperfectè deſignata, perfectior efformari poſſit conceptus in mente eius, qui aliàs ipſiuſmet rei cognitione pollebat. Applicãdo ad pro-

poſitum, iam Beati in Patria omni ablato velamine Deum intuentur clarè, & vident apertè: ſiquis Viator cum iam Beato diſcurrat de Patria beata, ipſiq; enarret ea, quę hic naturali indagine de Deo noſcimus, vtpote quod nos viatores indagare: ſciamus ab effectu primitatem principij effectiui, independétis, & ſimilia, profectò Beatus idipſum intelligens, continuò illud idem maiori cognitione fateretur ſe noſſe, quàm viatores: quo in negotio nos exprimeremus Beato eundem cóceptum per æquiualens nomen deſignatum, quod tametſi ipſi neſciamus percipere diſtinctim, id tamen benè poſſet Beatus, ergò poſſumus nomen efformare, quòd Beatis importet Dei cognitionem, etſi non comprehenſiuã, nihilominus ſupernaturalem, & diſtinctam, ad quam non attingimus; & ſi imponamus id nomen.

12 Adeſt quoque exemplum de cæco, qui ſi rebus aliquibus, quas manibus attrectat nomen imponeret, nominaret vtiq; & fortaſſe perfectè, ſi nomine aliàs à cæteris rem noſcentibus impoſito vteretur, attamen rem non cognoſceret, quam nihilominus perfectiori modo noſceret qui oculis rem intueretur præſentaliter, ex quo ad alterius imponentis nomen, & non cognoſcentis impoſitionem, poſſet perfectius rem ipſam noſcere, & inueſtigare: ſic de Beatis contingit, vt nos cęcutiendo Deum neſciamus, ſed nominemus diſtinctim, attamen à videntib. ipſis ſuperno lumine illuſtratis perfectiori modo ſciatur, præeunte nominatione & appellatione à viatoribus habita.

Ex cognitione à priori, et poſteriori reſoluitur quæſtio.

13 Vt tamen quæſtioné pro vtraque ſententia definiamus, Primò dicimus, quòd loquendo de cognitione à priori, & de nomine ſubſequente notitiã à priori, eſt neceſſe vt res eo modo nominetur, quo concipitur: at loquendo de cognitione à poſteriori, & de nomine ad talem notitiam ſubſequente, non eſt neceſſe vt rem melius concipiamus, quàm nominemus, ſed vt plurimum, melius nominabimus, quàm concipiemus. his duab. propoſitionib. reconciliari apprimè poterunt pugnãtes ſententiæ D. Thomę, & Scoti. Dixi vt plurimum, quia quandoque melius cócipimus, quàm nominamus; & id contingit dum noſtræ mentis cóceptus neſcimus explicare.

14 Probo primam: nomina debẽt eſſe conſona rebus: quòd ſi de nomine cognitionem à priori ſubſequentem loquamur, vtiq; neceſſe eſt dicere non minus contingere nominare, quàm cõcipere: & hoc plenè probant argumẽta primi articuli ſuperioris ſententiæ. Confirmatur, cognitio à priori eſt diſtinctiſſima, ergò nomen conſequens debet eſſe diſtinctiſſimè exprimens: & nomina ſunt ſigna paſſionum, ſeu conceptionum animi; quapropter in hoc ſenſu loquitur D. Thom. & Thomiſtę omnes in hoc ſenſu erunt accipiendi.

15 Secundam verò iam hucuſque probauimus: inde fit, vt cognitio à poſteriori imperfecta ſit, at nominatio erit perfectior: ratio vltra iam aſſignatas, eſt iſta, quia intellectus noſter ex paruo ſigno, quod videt, magna, & plura coniecturat, verùm quia ea perfectè non concipit, vbi intellectus deficit in intelligendo, ſupplet aliã ſub ratione in nominando. Et hoc præcipuè contingit in cognitione ab effectu, de qua iam diſcuſſimus, effectus perfectiones multo perfectiori, & eminentiori modo reperiri in cauſis, quod ſi eas non adæquatè concipiunt, nominanda tamen excellere nituntur, & ſi intellectu id non valeant comprehendere: & iſte eſt proceſſus metaphyſicus, quo perfectiones creaturæ transferimus ad Deum diſtinctiori modo, & nomine, quàm concipiamus.

16 Ex hoc multa ordinatè deducimus. Primò dari Dei nomé aliquod, quod ſit ipſius Dei expreſſiuum, diſtinctiuum, ac perfecto modo repræſentatiuum. Hoc iam probatũ relinquimus in capitib. ſup. vbi agebamus de nomine *tetragrammaton*. hoc namq; ex cõmuni ſententia, quam retulimus ſignificat ipſum ſubſtantiale, & eſſentiale Dei eſſe. & vltra ibi dicta, nunc confirmatur, quia ipſemet ſibi impoſuit illud, dicẽdo *Ego ſum qui ſum*: At Deus poteſt ſibimet nomen imponere, patet, quia adæquatè cognoſcens rem à priori, vt iam ſtatuimus, poteſt adæquatè nominare illam, Deus ergò, qui ſolus ſe-

ſemetipſum comprehendit, potuit, vt de facto accidit ſibiipſi nomen impo-nere repræſentatiuum ſuiipſius adæquatè. Poteris vtique effugere, negando ipſum adæquatè repræſentare, cum de re vna plura poſſint eſſe nomina, & diſtinctè repræſentantia non quidem totam rem ipſam, ſed alterum, vel alterum conceptum ipſius rei: at ad hoc primò dicimus *tetragrammaton* repræſentare primum, quod eſt in Deo nẽpe eſſe Dei, ac ſingularitatem eiuſdem, prout deduximus ex D. Tho. & Burgenſ. ſed diuina eſſentia eſt radix, & pelagus omnium perfectionum Dei, ergò nomen repræſentans eſſentiam, repræſentabit totum eſſe Dei. Verùm ſi concesseris id non eſſe neceſſe vt totum ſimul repræſentet, ſed alium, & alterum conceptum Dei, nihilominus id aliunde vrget, quòd dum Deus deſtinarat Moyſen ad oſtendendam virtutẽ ſuam, & dũ interrogabatur de ſuo nomine, vt in eius virtute reciperetur, ac perpetraret prodigia, ſignum eſt valdè conſentaneum, quòd Deus nomẽ maximè, & adæquatè ipſum repræſentans reuelauerit Moyſi, dicendo *ego ſum qui ſum*. hoc ergò conſentaneum eſt, & magis conſonum: eſt tamen addendum, quod nomen iſtud, etſi in repræſentãdo ſecundum ſe ſit adæquatum repræſentatiuè intellectui diuino, intellectui tamen Beati erit ſuper excellens, & quam maximè ſuperans, & multò magis de noſtro, eſt id aſſerendum, de quo dicitur; *non videbit me homo, & viuet.*

A priori nõ contingit plus nominare, quã concipere: ſecus à poſteriori.

17 Deducimus ſecundo, quòd loquendo de cognitione à priori, non contingit plus nominare, quàm intelligere: hæc eſt iam probata, & huc tendunt probationes Thomiſtarum. deducimus tertiò, quòd cognoſcentes rẽ à poſteriori, multò melius rem nominamus; quàm concipimus: & huc tendunt probationes Scoti, & quas ſupra deduximus. deducimus vltimò tùm viatores, tùm verò Beatos poſſe Deo expreſſiuum nomẽ imponere, licèt ipſum Deum non adæquatè comprehendunt, vt iam probauimus.

18 Sunt qui in hac re, cognitionis menſuram perpendant ex parte Audientis; ſunt & alij perpendentes eam ex parte loquentis, & exprimẽtis. primi ſunt quidam huiuſce noſtræ ſentẽtiæ æmulatores, ſecundi ſunt ſectatores D. Tho. primi inferunt poſſe nomẽ imponi expreſſiuum etiam à rem non perfectè concipiente, ſufficit namq; vt alter audiens perfectè rem prolatam concipiat, & hoc modo ſaluant viatorem poſſe nomen imponere, quod etſi non plenè præcognoſcatur ab ipſo, ſufficit tamẽ, vt diſtinctiori modo noſci poſſit conceptus à beato, exẽpli gratia cum quo loqueretur, vt patet in allatis exemplis de Gallia, de characteribus hebræis, & ſimilibus. Secundi autem deducunt requiri neceſſario præconceptionem ex parte imponentis; quia ratione cum nullum huiuſmodi obiectum poſſit diſtinctè concipi, nec etiã diſtinctè poſſit nominari. Hi tamen ambo perpetuò pugnant, cum nihilominus concordes eſſe poſſint ſi velint, nullus ſiquidẽ adæquatè rẽ explicat, licèt videatur vnuſquiſq; noſtrũ in ſuo ſenſu abundare: quapropter ad duplicẽ noſtram eſt opus recurrere cognitionem, vt tota res diſſoluatur. vnde,

19 Vltimò concludimus duplicem fore attendendum progreſſum in impoſitione nominum, vel namq; progredimur in nominãdo, à priori, & per cauſas vel à poſteriori, & per effectus; primo modo nomen ſequitur ad cognitionem, & nominatio diſtincta prærequirit cognitionem diſtinctam: ſecũdo modo nominatio præſtat cognitioni, vt cognitio remaneat confuſa, & nominatio diſtincta; quia ſemper cauſæ eſt maior attribuenda perfectio ſuper effectum, ſiue ſub ratione cauſæ in ſenſu reduplicatiuo, ſiue quia talis cauſa eſt æquiuoca totalis, primaria, & eminentialis, vt Deus, ad excludendam vniuocam æquè perfectam cum effectu, & æquiuocã partialem quandoq; minus perfectam effectu, vt ſolem muſca quatenus viuente; ſed hoc obiter dictum. Vnde cum ſecundæ ſententiæ ſectatores id communiter adſtipulentur, nihilominus in reddenda rationẽ laborant, quæ tamen facilis eſt vt intelligatur quæ ſit, ſi ad caput vnde deſuminus denominationẽ, recurramus; ex quo etiam abſurda omnia, contra

vtramq; ſententiam deducta elidun-tur. ſententiam, quam ſic explicaui tuetur Scot. in 1. d. 22. q. 1. OKam, Gabr. Baſſol. Lych. & Scotiſtæ omnes ibidē cum recentioribus quibuſdam.

20 Adde duplici via nobis patere aditum ad cognoſcenda ea, quæ ſunt remota à nobis, via quidem remotionis, & affirmationis: prima remouendo à Deo ea, quæ in nobis connotant imperfectionem, ſecunda autem ſibi ea perfectiori modo tribuendo, & adſcribendo ſine imperfectione. Inſuper, ſemper ea, quæ perfectionem connotant in inferiorib. perfectiori modo attribuendo ſuperiorib. hoc ſtante, hæc nobis vniuerſalis, generica, atq; confuſa cognitio metaphyſica ſufficit, qua ſcimus inferiora perfectius reperiri in ſuperiorib. vt inde aliquo diſtincto nomine appellare poſſimus ipſum Deū, cognitione metaphyſica abſtractiua, confuſa ſolum, ac generica, & in vniuerſali præcūte. Siquidem hoc eſt munus metaphyſici, abſtrahere, & abſtrahendo nominare, & plus nominare, quam concipere: ſit namq; in tali abſtractione multa comprehendi, quæ licet mente non diſtinctè concipiat, ſcit tamen in confuſo multa ibi latitare, quo fit, vt nomen imponat virtualiter ea continens, & exprimens diſtinctè, maximè intellectui altiori, ac perfectiori, & diſtinctiori modo cognoſcenti: hic autem erit intellectus beatus in caſu noſtro.

Quæ cognoſcũtur via negationis ſunt faciliora explicatu.

21 Inſuper ea, quæ via negationis nouimus, ſunt faciliora explicatu, quā quæcunq; alia; ratio ſuppetit, quia ad ea explicanda, cum procedamus negatiuè, facillimo negotio inde expedimur, negatiuo nomine vtendo ad loquendum, ſit exemplum de nomine iſto Chaos, quod multa quidem perſtringit, multa denotat, at ea multa non diſtinctè cognoſcimus: de nomine etiam infiniti, quo in negotio, poſitiuo nomine non vtimur, cum ad id explanandū à nobis affirmatiuè adæquatè non pateat aditus, at nomine hoc facillimè omnia, quæ in Deo latitant explicamus. quo fit, vt facilius ſit nominare, quàm concipere. Cum autem poſitiuo vtimur diſcurſu, ac nominibus affirmatiuis, conſequens eſt, perfectè prĕintelligamus ea, quæ explicamus, quomodo namq; poſitiuè explicabis quid ſit homo, niſi naturam à priori inueſtigaueris hominis, ideoq; ipſum vocites rationalem, ac beatificabilem creaturam. De Deo quidem, ſi eſſe, ac ſubſtātiam nominamus, non adhuc perfectè nominamus ipſum poſitiua appellatione, cum etiam creaturis & eſſe cōpetat, & viuere, & poſitiua multa, quæ Deo competunt, etiam conueniant creaturis, vt ſapientia, bonitas, & ſimilia; ſed diſtinctius nominabimus, ſi negatiuo vtemur nomine, appellando infinitum, æternum, ſeu intemporaneū, improductum, & huius generis, quæ negatio in plurium notitiam poſſet facere nos deuenire; quam cognouerimus ipſum: & loquendo de poſitiua nominādi ratione, vtiq; continget plus mente concipere, quām explicare nomine, de negatiua vero plus nominare, quam concipere. Accedit auctoritas Auguſt. qui l. 1. de doctr. chr. cap. 6. ait, *quod à me dictum eſt, ſi ineffabile eſſet, dictum non eſſet: nec ineffabilis dicendus eſt Deus, quonam ſi ineffabile eſt, quod dici non poteſt, non eſt ineffabile, quod dici poteſt*, ergo Auguſt. non putat eſſe ineffabilem ipſum Deum.

ARTIC. III.

Satiſfit obiectionibus primi articuli.

22 EX declaratione autem noſtræ ſententiæ facilè eſt argumenta in contrarium adducta ſoluere. & primo cum dicitur, quod non contingit perfectiori modo de re loqui, quā ipſam concipere, Reſpondemus, vltra quod id falſum eſſe eſt iam rationibus confirmatum, iuxta tamen doctrinam traditam eſt diſtinguendum, quod ſi loquutio deſumatur, & pendeat ex cognitione à priori, dicatq; ad eam ordinem ſubſequentē, vtiq; vera eſt propoſitio, nec vnum alterum excedet, nec è conuerſo: ſi vero loquutio pendeat ex cognitione per effectum, & à poſteriori, vtiq; id contingat, vt plus nominemus,

nemus; quàm concipiamns, perfectio namq; effectus excellentiori modo eſt attribuenda cauſæ, ideo hęc ſufficit cognitio, vt cauſam inde perfectius nominemus.

Nomina ſunt ſigna conceptuũ explicetur

23 Ad illnd de Ariſtot. adnertendũ quomodo loquitur Ariſtot. non.n.dicit philoſophus, nomina ſignificare iuxta menſuram cognitionis, vt qnanta ſit cognitio, tanta etiam ſit ratio repræſentatiua, & conſignificatiua nominis; ſed dicit voces, ſeu nomina eſſe ſigna paſſionum animi, quod eſt dictu, à loquutione, & voce dari intelligi rẽ, & affectionem cordis ſimpliciter, & abſolutè quoad ſubſtantiam rei, non vero quoad eiuſdem affectionis, ac notitiæ quantitatem: quod ſi contingat contrarium, vt voce & paſſionem, & quantitatem, ſeu paſſionis menſurã explicemus, vt patet in Agonizantib. ac conſimili oppreſſis animi anguſtia, non eſt tamen ſemper neceſſe, vt id ſẽper accidat, immo voce diſſimulare poſſumus, atq; fingere in animo paſſiones reperiri quã plurimas, quæ tamen quandoq; nullæ erunt: ergo poterit nomen aliter explicare, quam cõceptus latitet in mente, ita vt minus poſſimus concipere, quam explicare voce: ſufficit.n.ad Ariſtotelem explicandũ cõcedere nomina eſſe ſigna extrinſeca, qnibns cognoſcantur animi cogitationes, & repræſententur quandoque ſolnmmodo quoad ſnbſtantiam; non autem ſecundum quantitatem, vt excellentia vocis in ſignificando excedat quantitatem cognitionis in intelligendo: vel ſecundo, nomina ſignificãt paſſiones, at qnandoq; nominantur diſtinctius quam concipiantur.

Nomen à quo habet vt diſtinctè ſignificet.

24 Ad illud, quod quæris à quo habeat nomen, vt ſic diſtinctè ſignificet. Reſpond. ſi nominatio pendeat ex capite cognitionis à priori, vtique habebit ex hac cognitione diſtincta, vt ſic diſtinctè repræſentet, ſicut diſtinctè præconcipitur: ſi verò attendatur nominis impoſitio ab effectu à poſteriori, dico id pronenire metaphyſicè via translationis eorum, quæ reperiuntur in effectibus, vt perfectiori modo trãſferantur ad cauſam: ſic namq; cognoſcimus Deum, & via remotionis, & affirmationis, vt diximus, quo contingit plus nominare, quàm mente concipere, id ſupponendo, omnia, quæ reperiuntur in effectibus non dicentia imperfectionem, meliori modo reperiri in cauſa: & hæc confuſa notitia ſufficit. Addunt alij cognitionem diſtinctam haberi in deſiderio, & in voto: ſed hoc nõ eſt neceſſe, quia ſufficit confuſa illa, cũ fallibili notitia qnòd effectus mnlto perfectiori modo cõtineantur in cauſis, & ob hoc ſic nominentur diſtinctè.

Quia cognoſcimus, ideo nominamus explicatur.

15 Ad cauſalem illam reſpondemus reddendo ſingula ſingulis, vt vera ſit inſpiciendo ordinem denominationis; quòd ſi fiat denominatio à priori, requirit diſtinctã notitiam, & erit vera cauſalis, qnia enim à priori diſtinctè nouimus; ideo à priori diſtinctè nominamns, ordine tamen metaphyſicæ abſtractionis à poſteriori non eſt adæquatè verum, licet namque nominare non poſſimus abſque eo, quod aliqualiter cognoſcamns, attamen ſufficit abſtractiua, & vniuerſalis cognitio, vt eſt dictum.

Plus cõtingit cõcipere, quàm nominare explicatur.

26 Ad axioma illud, quod plus, ac facilius contingat mente concipere, quàm ore proferre, iam dictum fuit in fine præcedentis capitis, quòd via poſitiuæ nominationis plus contingat nobis intelligere, quàm ore proferre; via autẽ nominationis negatiuæ, plus contingat explicare nomine, quàm cõcipere mente, vt de nomine infiniti, & depoſitiuo nomine quocunq; patuit: ſecundò dicendum, quòd via remotionis, & translationis metaphyſicæ facilius nominamus, quàm concipiamus, quia perfectiones effectus perfectius in cauſa continentur.

Intelligentia Patrũ in oppoſitũ.

27 Ad Patres omnes, & Scripturas dicẽdum loqui modò ſuperius explicato, vt loquendo de impoſitione nominis à priori, id ſit prorſus impoſſibile nobis, cùm non cognoſcamus à priori, nec tale conſequens nomẽ ſit impoſſibile, quòd ſi ea cognitio haberi poſſe à nobis, vtiq; quidditatiue etiam noſceremus à priori, ſed nominaremns à priori: qua tñ cognitione dempta, id quod ſolum inculcant Patres; remanet à poſteriori notitia, qua plus nominare poſſumus, quàm concipere, vt fuit dictum.

QVAE

QVÆSTIO VIII.

Vtrum eſſentia ſit de quidditate Dei.

ARTIC. I.

Aſſertur ſententia negans.

1 EX præſenti quæſito magis, magiſq; Dei nomina explicare intendimus, dum de eius exiſtentia controuertimus, vtrum ſit ipſius modus intrinſecus, an verò de eius quidditate, & eſſentia. quod autem exiſtentia non ſit de quidditate Dei ſic ſuadetur.

2 Primò, ſcientia abſtrahit ab exiſtentia, ſed de Deo habere poſſumus ſcientiam, ergò eam habebimus de ſola eſſentia, nō igitur de exiſtentia, aliàs eſſet de re ſingulari ſcientia: maior patet, ſcientia enim eſt de re abſtracta à ſingularitate, atq; conditionibus omnibus indiuiduantibus, prout in primo traditur poſt: vtpote exiſtentia, & indiuiduales conditiones impediunt, quominus de re ſingulari firma, & infallibilis habeatur ſcientia.

3 Secundò, eſſentia, & exiſtentia nullatenus ſeipſas includunt in rationes formales intrinſecas, ergò vnum non eſt de ratione alterius. conſequens patet, & anteced. prob. & primò de eſſentia, nullum prius eſt dependens eſſentialiter à poſteriori, nec enim poſterius eſt de intrinſeca ratione prioris, quia vt ſic, aduenit priori, & inuenit illud in anteriori ſigno iā in ſuo eſſe formatum, ergo exiſtentia nō eſt de ratione quidditatis, & eſſentiæ: probatur ſecundum, exiſtentia eſt quid ſimplex. etenim eſt modus intrinſecus, qui vnicum ſolūmodo importat conceptum, quiq; vel totaliter ſcitur, vel ignoratur totaliter; ſi tamen eſſentia eſſet de eius ratione, iam duos implicaret conceptus, nec ex ſe ſola perfectè, & adæquatè conciperetur, niſi etiam ad eſſentiæ conceptum recurreretur.

4 Tertiò, quæ ſub cōmuni ratione nobis conueniunt, & Deo, ea quidem ſicut nomine eadē ſunt, ita quoque eadem erunt in ratione prędicandi, & eſſerendi: at exiſtentiæ conceptus vniuocè eſt vnus, nobis, & Deo communis, ergo ſub eadem ratione communis: in nobis autem non eſt de eſſentia, ergò nec in Deo: ſequela patet, aliàs ceſſaret vniuocatio, quæ ſicut in communi conceptu prædicabili penès nos, & Deum, ita quoq; attendi debet penès eundem modum prædicandi.

5 Quartò, inde ſequitur non poſſe à Viatore Deū cognoſci naturaliter, niſi cognita ſua actuali exiſtētia, at hoc eſt falsū: probatur, aliàs poſſemus naturaliter deuenire in cognitionem huius Dei, ſeù noſceremus naturaliter Deum, vt hic Deus, quod negatur à Theologis: ſequela probatur, cognito enim conceptu quidditatiuo, & intrinſeco alicuius, cognoſcitur & illud, cuius eſt.

6 Quintò tot eſſent in diuinis exiſtentiæ, quot perſonæ: prob. multiplicato aliquo, multiplicātur omnia, quæ ſunt de intrinſeca ratione eius: at multiplicantur perſonæ, ergò multiplicantur exiſtentiæ in diuinis: conſequens eſt falſum. cū exiſtētia abſoluta vnica ſit in diuinis & relatiuæ plures, ergò.

7 Opinio hæc inualuit aliquando penès Scotiſtas, vt Trombetta in formalit. Mayron. in 1. d. 23. q. 1. Barg. & complures, indeq; arguunt ex doctrina Scoti, trahentes ipſum in ipſorum ſententiam: ſiquidem in 4. d. 12. q. 2. in fin. aſſe-

aſſerit infinitatem eſſe medium ad eſſendum exiſtētiam in diuinis:vnde elicitur priorem eſſe infinitatem exiſtentia:at infinitas ex communi ſententia, eorūdem etiam Scotiſt. eſt modus intrinſecus,ergò multò magis exiſtentia erit modus.

8 Vltimò idem Scot.in 1.d.1.q.2. docet non poſſe frui perſona abſque fruitione eſſentiæ diuinæ, licet è conuerſo accidere poſſit: eſt autem exiſtētia, & eſſentia de quidditate perſonæ, ergò poſſemus eſſentia frui ſine perſonis.

9 Idē in 1.d.8.q.3. ad prim.princ. ait infinitatem præcedere ad exiſtentiam: infinitas autem eſt modus, ergò multò magis exiſtentia. Verùm eſt nihilominus, quòd in Scoti doctrina varietas reperitur locutionis de re hac ideoque eius diſcipuli variant de eius mente circa præſens quæſitum: loca tamen etiam oppoſita eiuſdem Scoti afferemus in fine ſubſeq. artic. & pro vtraque parte in eadem via Scoti ſoluemus eius loca, & ſingula explicabimus in fine art. tertij. ex quo apparet problema eſſe penès ipſum: verum tamen magis ad noſtram inclinare ſētentiam, quòd ſit de quidditate Dei.

ARTIC. II.

Statuitur exiſtentiam eſſe de intrinſeca ratione Dei.

9 Nobis verò probabilior, veriſimilior, immo abſolutè verior apparet oppoſita opinio,qua ſtatuimus exiſtentiam eſſe de intrinſeca ratione, & quidditate Dei, antequam verò eam rationibus, & authoritate probemus,vnum declarabimus.

Multiplex ſēſus quæſtionis.

10 Quæſtio hæc duplicem habere poterit ſenſum:alterum,vtrum exiſtētia tanquam altera pars, ſeù cōceptus eſſentialis adeo internè, & eſſentialiter ingrediatur conſtitutionem totius, vt ſit de eius intrinſeca ratione in cōſtituendo, ſeù componendo, loquor genericè: alter erit,vtrum adeò neceſſariò competat exiſtentia toti conſtituto,ſeù cōpoſito, vt iā nec eſſe poſſit vnquam ſeparabilis talis exiſtentia à ſua eſſentia,ſed abſolutè, & neceſſariò ſit tale; an verò non ſic neceſſariò, ſed ex adiuncto id accidat. quod quidem ſub alijs verbis idem eſt dictu, ac quærere vtrum Deus ſit de ſe hic, de ſe exiſtens, ex cuius contrario oppoſitū habetur de creatura,dum quæritur, & diffinitur creaturam nōn eſſe de ſe hanc,nec de ſe exiſtentem,cùm non ſit ens neceſſarium, ſed ex addito ſibi adueniat exiſtentia.

Exiſtentia veluti alterum principium rei conſtituti-uum eſt de ratione intrinſeca eu inſcunque entis.

11 Primo quidem ſenſu nulla eſt lis,& controuerſia tollitur, etenim ſic loquendo, exiſtentia eſt de ratione intrinſeca cuiuſcunq; entis creati:patet, duo ſūt principia cuiuſque rei intrinſeca metaphyſica, eſſentia, & exiſtentia, ad quæ ordine quodam intelligendi ſubſequitur totum conſtitutum per ea: ergò vnumquodque habet veluti intrinſeca principia conſtitutiua tùm eſſentiam,tùm exiſtentiam:patet inſuper in compoſitione phyſica, veluti materia, cui adiungitur forma, ambo ſunt de ratione intrinſeca,& conſtitutiua compoſiti phyſici: ita quoque eſſentia,& exiſtentia,quæ eſt actuans, & complens eſſentiam indiuidualiter, erunt ſub ratione principij cōſtitutiui de ratione intrinſeca cuiuſcunque. Et confirmatur, quia in ſententia,& ſenſu multorum hoc negotium explicantiū, ita ſe habet eſſentia ad exiſtentiam, ſicut materia ad formam: & quidem non eſt incongruus explicandi modus: præcedit namque materia ſub noſtra conceptione formam, atque prior, vt aiunt natura, forma, ſubſequitur hæc, dat materiæ eſſe adæquatum,formale, completum, pariformiter exiſtentia totam adæquat, & complet rationem eſſentiæ: eſt tamen in exemplo allato deficientia quædam, quod forma non dat materiæ exiſtentiam, cùm ipſa habeat eam, diſtinctam etiam à forma,vt ſupponimus, exiſtentia autem non ſupponit eſſentiam exiſtentem, iam.n. ceſſaret creatio,vt optimè Scotus perpendit contra Henric. in 1.d.36. q.1. & daretur proceſſus in infinitum in exiſtentijs, cùm etiam de illa quærere

R poſſe-

poſſemus an præſupponeret exiſtentiam, & ſimilia. exemplum tamen in eo fortaſſe currit, vt veluti forma vltimatò perficit, ita quoque exiſtentia vltimatò actuet rem totam.

12 Vel exemplo quoque explicari poſſet aptiori: omne quod eſt educitur de potentia in actum: id quidem creaturis competit, de nihilo alioqui producibilibus, quarum non eſſe, iam præceſſit eſſe: eſſentia autem in opinione multorum ſe habet veluti potentia, & exiſtentia veluti actus: quod quidē veriſimile eſſe conuincitur, maximè in via Scoti, exiſtimantis citato loco eſſe eſſentiæ idem eſſe, ac eſſe diminutū, cognitum in diuina mente, & deniq; eſſe potentiale, prout etiā docet in 2.d.1. q.1. quo fit vt tranſeat de potentia ad actū. At potentia, & actus ſunt duo eſſentialia principia conſtitutiua intrinſecè cuiuſcunq; igitur in hoc ſenſu nulla eſt controuerſia vtrū exiſtentia ſit de quidditate Dei, quia erit etiā de quidditate creaturæ; cùm exiſtentia ſit de eſſentia rei exiſtentis, & de ratione formali exiſtentis, vt ſic.

13 Adde, poſſe creaturam intelligi iam conſtitutam in ſuo eſſe quidditatiuè antecedenter, antequam ſibi adueniat exiſtentia, probatur id ex eo ſequi: ſi namq; ſpectata exiſtentia ſub ratione principij conſtitutiui, non eſſet de quidditate creaturæ, ergo iam in aliquo priori creatura haberet verum eſſe à parte rei abſque exiſtentia, quæ tamen adueniret enti iam cōpleto intrinſecè in ſuo eſſe, at hoc fieri nequit, eſſet.n.extra cauſas ſuas, abſq; actuali eſſe, cùm id non penderet ex eſſentia: repugnat inſuper cum eſſe eſſentiæ ſit ſolummodo eſſe potentiale, & ens in actu non conſtituitur ſolùmodo ex eſſe potentiali, ergò concludamus, quòd ſūpta exiſtētia actuali pro principio conſtitutiuo intrinſeco, eſt omnino aſſerēdum, eam eſſe de ratione intrinſeca, & quidditate non ſolùm Dei, ſed etiam creaturæ; quia effectus formalis eſt à cauſa formali, & exiſtēs eſt effectus formalis exiſtentiæ.

☞ 14 In alio ergò ſenſu explicanda venit, & terminanda lis noſtra: vtrum .ſ. exiſtentia propterea quòd Deus eſt ens neceſſarium, à ſe, independenter, & æternale, dicatur de eius quidditate: ex cuius oppoſito de creatura quæritur vtrum, qua ratione ipſa eſt ens dependens, contingens, non habēs eſſe à ſe, ſit exiſtentia modus eius, an de intrinſeca ratione. primum quidem examinabimus, ad noſtram ſpectans materiam, relinquemus ſecundum: immo ipſiuſmet deciſio ex prioris deciſione pendet, cum oppoſitorum idem extet iudicium.

15 Nec deniq; ſenſus quæſtionis erit, vtrum exiſtentia ſit de ratione intrinſeca ipſius eſſentiæ hoc nāq; prorſus repugnat, cum nullum poſterius, & aduentitium de ratione ſit, & natura ſui prioris, at eſſe eſſentiæ, licet non ſit à parte rei antequam adueniat exiſtētia, nihilominus, illa neceſſario prius concipitur, veluti fundamentum iſtius, veluti potentia præcedens actum, qua non prçeunte nullus ſequeretur actus, nullaq; exiſtentia actualis, non ergo in dubium reuocandum eam non eſſe de ratione intrinſeca eſſentiæ; nec igitur quæſtio in hoc ſenſu ventilabitur, ſed in iam proximè explanato. *Exiſtentia tanquam poſterius non eſt de ratione intrinſeca eſſentia tanquam prioris.*

16 Probemus autem principale intētum. Primo deducendo Aduerſarios ad hoc inconueniens, vt concedant poſſe verè concipi Deum aliquando, poſſe, vel potuiſſe non eſſe. eſſentia quantum eſt de ſe cōcipitur eſſe prior ſua exiſtentia in quocunq; at prius, vt prius, & maximè ſi ſit abſolutum, non implicat vt ſit, vel intelligi verè poſſit abſq; poſteriori, ergo non implicabit verè poſſe intelligi eſſe Dei abſq; exiſtentia Dei: ſed eſſe eſſentiæ de ſe eſt nihil, ergo Deus poterit concipi procedere de nihilo ad ſuum eſſe: id autē eſt contra Dei æternitatem, atq: neceſſitatem eſſendi, ergo exiſtentia eſt de ratione intrinſeca Dei. totus diſcurſus patet, & eſt omnino concedēdus: concluditur.n.Deum potuiſſe aliquando non exiſtere. *Exiſtentia eſt de quidditate Dei.*

17 Dixeris implicare concipi eſſentiam abſq; exiſtentia, propter idētitatem realē, præcipuè in Deo, ideoq; ſicut non poſſunt eſſe ſeparatæ, ita nec ſeparatim concipi: ſed demonſtratur hanc rationem non deſtruere ratiocinatum diſcurſum, licet identitas realis impediat ſeparationem, vno namq; *quare vnū non poteſt cōcipi ſine altero.*

dem-

dempto deſtruitur reliquum, vt patet in omnibus, nihilominus ea ratione, qua aliquid eſt prius alio, poteſt ſine contradictione concipi ſine eo:& probatur, ideo aliquid non eſt conceptibile abſq; altero. vel quia vnum eſt de ratione intrinſeca alterius, vt de toto, & partib. repugnat.n.totũ ſine partib. concipiatur, cum ſint de ratione intrinſeca,ſi.n.ſine partib.conciperetur, nihil poſſet cõcipi in eo,cum deſtruatur eſſentia eius,quę pendet ex partib. vel ſecũdo ideo repugnat, quia eſt ens relatiuum,& relatiuum, vt patet concipi nequit abſq; correlatiuo: at vero in caſu noſtro ceſſant hæ rationes:ceſſat prima,cum exiſtentia, tãquam poſterius per te non ſit de ratione interna eſſentiæ; ceſſat etiam ſecunda, cum ambo ſint abſoluta,ergò ſtat ratio formata,quod verè poſſet concipi eſſe eſſentiæ Dei abſq; exiſtentia: ſed illud primum eſſe eſt nihil, ergo poteſt primo concipi tanquam nihil,& tanquam non ens,deinde tanquam aduentitium ens ipſe Deus.

Exiſtentia in creaturis cur habeat ratione modi intrinſeci.

18 Confirmatur: declarando ſub qua ratione in creaturis exiſtentia habeat rationem modi, & non quidditatis,modo iam explicato:ideo ſciendum quod ens de ſe eſt indifferens ad contrahi ad Petrum, Franciſcum, Ioannem, &c.indifferens vt reperiatur in ſubſtantia, & accidenti, indifferens ad contrahi in hoc, vel alio, & alio tempore.vnde cum de ſe hæc nõ includat, merito hęc erunt ſibi aduentitia,& accidentalia, & prorſus deſtructibilia,ac ſeparabilia. eſto exemplum de qualitate,vt albedine, quæ quidem ex ſe indifferens eſt ad hunc potius, quam alterum gradum albedinis, nec namq; magis appetit eſſe ſub decem, quam ſub quindecim: inde concluditur gradus foré ſibi aduentitios, atq; prorſus accidentales, ideoq, vocari modos quoſdam, ſub quibus reperitur albedo, vnde ad interrogationem factam de albedine.ſ.ſub quo modo reperitur albedo,reſpondetur, ſub modo intenſo,aut remiſſo, decem, vel quindecim graduum. Similiter, ſi de ente fiat interrogatio, ſub quo modo reperitur ens,reſpondebitur, ſub modo ſubſtantiali, vel accidentali, ſub modo finito, tanto,& tanto, longo, profundo,& ſimilia: ergo patet, quæ ſit ratio modi contrahendi ens.

Modus rei eſt ſeparabilis ab ipſa re, in creaturis.

19 Explicatur amplius,& fortè melius, & hæc fortaſſis erit adæquata explicatio controuerſiæ,vnde cæteræ ſoluantur difficultates. Modi iſti, intenſum, & remiſſum, ſunt ſeparabiles ab albedine, quæ namq; erat ſub decem, poteſt denigrari aliquanto, & fieri ſub quinq; ita quoq; augeri de decem ad viginti, &c. ex quo colligitur modos non eſſe perpetuo, ac indelebiliter affixos ei,cuius ſunt modi. inſuper, exiſtentia Petri poteſt deſtrui, alterari, & omnino perire,quo fit,vt non ſemper, nec neceſſario modus hic additus enti, ſemper hæreat enti, cum exiſtentia non neceſſario conueniat enti:& ſicut antea ens abſq; exiſtentiæ modo concipiebatur ſub puro eſſe poſſibili, ita quoq; in actu poſitum, poteſt omnino carere actu, dempto, & deſtructo ſuo exiſtendi modo per exiſtentiam.

Non ſic in Deo.

20 At in Deo non ſic contemplari licet,ſed oppoſita ratione:concipiamus namq; ens in ipſo, in æternitate coniunctum exiſtentiæ: & vtiq; reperiemus,modum hunc,quẽ ſic vocamus in creaturis, nuſquam ſeparatum fuiſſe,aut ſeparari poſſe à tali eſſe,quo fit, vt cum identificentur realiter,cum ſint omnino inuariabilia, nuſquam ſeparabilia,apud eum namq; iuxta D.Iacobi ſent.in ep.canon. *non eſt transſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*: inde fit,vt omnino hac ratione cenſeatur exiſtentia in eo de ratione intrinſeca, & in creatura modus.

21 Inſuper id patebit explicando pullulationem modorum tùm in creaturis.tum verò in Deo:pullulãtes modi neceſſe eſt exiſtentiam ſupponant rei completam: & licet in creaturis ipſamet exiſtentia ſit modus,nihilominus in ordine modorum debet primũ locum obtinere, vtpotè proximus attingens ad completionem rei:eſt nãq; exiſtentia actualis, vltimum & finale complementum in ratione abſolutè eſſendi extra cauſas, atq; extra potentialitatem vniuerſam. ſitq; inſuper, vt eadem exiſtentia,nedum rationem obtineat modi, verum etiã ſit pars quidditatis rei,vt initio explicuimus: quo-

modo autem poſſit ab eodem formaliter præſtari vtrumq; breuiter attingamus; exiſtentia prout eſt de quidditate exiſtentis, pars erit eſſentialis cuiuſcunq, rei exiſtentis, ſiuè increatæ, ſiuè creatæ: omne namq; exiſtens, per exiſtentiam eſt formaliter exiſtens, ergo exiſtentia in quocunq; erit ratio formalis, interna, & eſſentialis exiſtendi, ergo vt ſic, eſt pars quidditatis rei ſingularis, tùm Dei, tum vero creaturæ: & iſta eſt vera, & neceſſaria explicatio huius materiæ, qua vero ratione exiſtentia eſt mutabilis, atq; mutabilis, recedens, atq; omnino defectibilis, & ſeparabilis ab ente, inde fit, vt vocetur modus entis; in Deo autem, qua ratione neceſſario ineſt, atq; immutabiliter figitur, vocetur non modus, nec ſeparabilis abente, atq; deſtructibilis aliquando, ſed omnino de quidditate, cum ſit neceſſe eſſe, de ſui natura exiſtens, cuius exiſtentia prædicetur per ſe primo de natura Dei.

Exiſtentia quomodo habet rationem modi intrinſeci, et quidditatis.

22 Ergo ad Deum conuertendo ſermonem, primum, quod in eo ſupponimus, eſt ſuum actuale, & exiſtens eſſe: ab hoc inde percipimus promanare perfectiones cæteras ipſi Deo competentes. ratio id ſuadet, vt diuinum eſſe præſupponatur velut radix primaria, primumq; fundamentum eorū, quæ ibi emanāt: quod ſi id in creaturis verum eſt, multo potius erit verum in Deo. exiſtens ergo diuinum eſſe ibi eſt quid primum, igitur nil aliud præſupponit, à quo ipſum eſſe actualis exiſtētiæ poſſit promanare tanquam modus: conſequens igitur eſt, vt ipſum ſit omnino primum, & ex eo, cuncta ibi reperta: quo fit, vt cōtinuo infinitas pallulet, tanquam internus modus, neceſſitas eſſendi, infinitas, duratio, æternitas, & huius generis, ergo ſi cūcta præcedit exiſtentia Dei, & ipſa poſterior eſt nulli perfectioni ibi repertæ, ratio inſurgit, vt non ſit modus pullulans, quia haberet alioqui rationem poſterioris.

23 Patet amplius ex oppoſito ad creaturas, ens penes creaturas, prius concipitur, ſub eſſe eſſentiæ, quam ſub actuali exiſtentia: immo ita verum eſt ex natura rei: roſa namq; nunc nō eſt exiſtenter, igitur nūc in potentiali entiū latitudiue includitur, carens actuali exiſtentia: & antequam mūdus crearetur, ipſe orbis erat ſolummodo ſub eſſe potentiali ipſius entis, igitur verū eſt, in creaturis verè concipi eſſe poſſibile, ſeu ens abſq; exiſtentia: nou.u. ſuere perpetuo, nec neceſſario connexa: quod ſi ab æterno fuiſſet mundus, ac nunquam exiſtentia alicuius dependentis fuiſſet abſtracta ab ente, nihilominus talis connexio non erat abſolutè neceſſaria, quo fit, vt ſua ratione ens, vt poſſibile, præcedat actuale eſſe: hinc fit, vt exiſtentia aduenieus dicatur modus aduentitius, & quid nouiter conſequens; at in Deo re vera nuſquam concipi licet ens abſq; exiſtentia, nuſquam.n. fuit ſub ſolo eſſe poſſibili, quia in æternis non differt eſſe à poſſe: nec abſtractione diuiſa poteſt re vera, per intellectum ſic cogitari, licet intellectus abſtractione præciſiua id minimè implicet, at hæc abſtractio non eſt in re: quo fit, vt nullatenus exiſtentia ſua dicatur aduentitius modus, nullatenus accidens, nullatenus conſequenter modus intrinſecus, ſed de ratione formaliſſima Dei ipſius.

In creaturis eſſentia concipitur abſq; exiſtentia ex natura rei, non ſic in Deo.

24 Eſt quidam explicandi modus ſententiam iſtam Fauentini in 1. diſp. 14. qui ſub diſtinctione loquens, putat rem totam & pro Deo, & pro creatura plenè explicare; exiſtentiam namq; dupliciter conſiderat, realiter, & formaliter: primo modo, inquit, eſſe de quidditate vtriuſq; ſecundo autem eſſe de vtriuſq; etiam modalitate, ſeu modum vtriuſq; intrinſecum: rationem vero primi aſſignat, quia identificatur exiſtentia realiter cum eſſentia, ideo in omnibus eſt de quidditate: & rationē affert ſecundi, quia propter diſtinctionem formalem inter eas inſurgentem, fit vt in Deo, & creaturis ſit modus intrinſecus.

Fauentini ſententia.

25 Hæc tamen explicatio nec rem enodat, nec difficultates diſſoluit; pari etiam modo de creaturis loquitur, & de Deo: vbi tamen pro Deo omnino pugnare debemus, minuſq; pro creatura. Et improbatur primo hæc ſentētia: inde.n. ſequitur vt non magis exiſtentia ſit de ratione quidditatiua Dei, quam creaturæ, ſed conſequens eſt cōmuniter refutatum in ſchola Scotiſta-

Improbatur Fauſtini explicatio. primò.

rum

rum, cuius & ipſe eſt Aſſecla, ergo eſt minus apta explicatio. patet autem quod id ſequatur, quia per ipſum realiter ſumpta exiſtentia qua ratione eſt eadem cum eſſentia ea ratione eſt de quidditate Dei: ſed in vniuerſum, etiã in creaturis exiſtentia eſt realiter eadem cum eſſentia, vt ex eorũdem Scotiſtarum ſententia habetur ex Scot. quem etiam ipſe citat, quodlib. 6. & in 2. d. 3. q. 3. ergò abſolutè cenſendum etiam in creaturis eſſe de quidditate. Magis autem mirandum, vt dicat eſſe etiam de quidditate creaturæ, realiter, ex ijs, quæ ſequuntur inconuenientibus, vt dicemus.

Impugnatur ſecũdo.

26 Inſuper aliam addit rationem, propter quam in creaturis ſit modus: quia ſcilicet eſſentiæ creatæ variantur, inde accidunt enti, & pro varietate entium fiat, & modorum variatio: At hoc conuincit, vt omnino negemus in Deo eſſe poſſe quouis modo ſumpta exiſtẽtia modus intrinſecus: nãq; vt iã oſtendimus varietas, quæ in creaturis eſt ratio, vt exiſtentia accidat tanquam modus ſeparabilis enti, eadem, quæ omnino abeſt à Deo, erit ex oppoſito ratio, vt in Deo, etiam formaliter ſumpta exiſtentia non ſit modus; ſuſtinet tamen ipſe formaliter ſumptam exiſtentiam eſſe modũ Dei, ſicut & creaturæ; in deo autem non accidit, nec exiſtit variabiliter, ergò nõ eſt modus.

Impugnatur tertio.

27 Vlterius ratio de identitate reali impugnatur: ex ea namq; ſequitur omnes intrinſecos Dei modos, immo qdquid eſt ad intra fore de quidditate Dei: ſi namque ratio identificationis realis exiſtẽtiæ cum eſſentia, eſt in cauſa, vt exiſtentia ſit de Dei quidditate, etiam infinitas, æternitas, cæteraq; attributa, immo & perſonalitates ſunt identificata Deo perſonaliter, ergo iſta omnia de quidditate erunt Dei, cùm tamen conſtet oppoſitum, præcipuè in doctrina Scot. at D. Dion. docet ea, quæ circa eſſentiam ſunt non eſſe de quidditate eſſentiæ, cùm aſſerat attributa, & modos, veluti infinitatem, iuſtitiam, bonitatem, & ſimilia non eſſẽtiam dicere, ſed quæ circumſtant eſſẽtiam, ergò realis identitas non eſt ratio, qua ſiant de quidditate Dei, nec exiſtentia igitur erit de quidditate ſpectando hunc ſuum ſuſtinendi modũ per identitatem realem.

Exiſtentia Dei nõ habet rationẽ potẽtię, nec exiſtentia rationem actus.

28 Et confirmatur principalis cõclusio, quia per nullius intellectus diſcurſum concipi poteſt Dei eſſentia tanquam potentialis ad eiuſdem Dei exiſtentiam, ergò eſt de eius quidditate, & eſſentia: conſequens patet, quia nullum aduentitium, & accidentale eſt de ratione intrinſeca prioris. probatur autem antecedens, quia Dei eſſentia non eſt veluti noſtra eſſentia, potentialis quidem ad exiſtendum aliquando in tempore in re extra: cùm ſit ens contingens, non neceſſariò habens tale eſſe. At Dei eſſentia eſt de ſe neceſſe eſſe, immo Deus exiſtens, & vt hic Deus, quatenus vtrumq; includit, & eſſentiam, & exiſtentiam eſt de ſe neceſſe eſſe; vbi autem talis reperitur neceſſitas de ſe eſſendi, nulla reperiri poteſt potentialitas: probo à contrario, potẽtialitas hæc caret totali actu, & perfectione totali, ſeù ſi non caret actualiter omni perfectione, ſaltem carere poteſt per Dei potentiam, exemplifico in materia prima carente huc uſque vltima perfectiſſima forma, cum continuo ordinetur ad nouas formas: & inſuper & ſi Deus ab initio ſibi formam perfectiſſimam indidiſſet, continentem omnem virtutem cuiuſuis alterius formæ, tamen id non neceſſitate eueniſſet, ſed gratuito, & per accidens, ex ſuperioris Agentis præuentione. At Dei eſſentia nec caruit vnquam, nec carere potuit tali exiſtentia. ergò non habet hanc rationem potentialitatis.

Potentialitas logica nõ excluditur à Deo, ſed phyſica

29 Quòd ſi contendas potentialitatem ad eſſendum admitti debere neceſſario in Deo, quia quod non habet potentiam ad eſſe, ſeù ad exiſtere, nunquam erit, ergò in Dei eſſentia erit po potentialitas ad exiſtendum. Reſpondemus enim, duplicem reperiri potentialitatem, alteram quæ vocatur potẽtialitas logica, quæ non eſt niſi non repugnantia terminorum, & altera potentia ſubiectiua, ſeù phyſica. quæ eſt alicuius imperfecti carentis vlteriori perfectione, ad quam tamen habet aptitudinem vt habeat: primo modo Dei eſſentia eſt in potentia ad exiſtẽdum, & hæc nullam dicit imperfectionem,

& reperitur tum in creaturis, tùm verò in Deo, quo etiã modo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus dicuntur hac potẽtialitate callere vt verè ſint: de ſecunda autem nulla eſt controuerſia, cùm ſit omnino neganda à Deo, & in ſolis creaturis apponẽda; de qua Scot. in 1.d.7.q.1.lit.k.

30 Linquo rationes cæteras ad hoc, conſtaret enim ex genere, & differentia; ex actu, & potentia; eſſet vera compoſitio in Deo, ſaltem metaphyſica; haberet rationem formæ, & informabilis; indueret rationem partis & totius; includeret quantum eſt ex ſe carentiam perfectionis alicuius, nempè exiſtentiæ, ſaltem in illo priori, in quo potentialitas abſtrahit ab actualitate, cùm ſub ratione potentialis concipiatur, prius enim qua ratione prius, præcipuè ſi ſit abſolutum concipi poteſt abſque poſteriori, hæc verò omnia imperfectum reddunt Deum, ergò eſt magis rationabilis opinio, quòd ſit de intrinſeca ratione Dei.

31 Confirmatur deniq; ex Scripturæ, & Sanctorum Patrum authoritatibus ſufficere autem videretur quæ ſupra attulimus cum de diuinis loquebamur nominibus vbi nomen hoc *eſt*, cũ cæteris, Deo ipſi adaptauimus, vtpote naturam eius apprimè inter omnia explicantibus, celebris autem eſt locus ille Exod.3. *ego ſum qui ſum. qui eſt miſit me ad te.* vbi nomine hoc primum contentatur honeſtari, veluti eſſentialiori ipſi Deitati. quòd ſi dixeris per id non haberi niſi ſimplicem Dei eſſentiam, non autem exiſtentiã, at falleris, etenim mos dialecticorum is eſt, vt mediante verbo hoc ſubſtantiuo cõnotent eſſentiam ſimul, & coexiſtentiam ſubiecti, patet in propoſitione hac, Franciſcus eſt: in qua non prædicatur de eo entitas illa abſtracta, ſeù potentialis, & quam vocant in eſſe diminuto, ſeù idæali, vel cognito, ſeù in potentia obiectiua, ſed cõnnotant entitatem realem, veram, & extra cauſas ſuas, vt intelligatur per talem propoſitionem habere verum eſſe exiſtentiæ: igitur conſimile indicium elicitur ex hoc textu, *ego ſum*, ideſt, ego exiſto: vtſicut eſſentiam neceſſario, & à me habeo, ita & exiſtentia neceſſariò mihi competat, & ſum exiſtens per eſſentiam. Idipſum exprimimit pſalm. 101. *tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*: denotatur autem hic illud idem, quod in alio loco, dum dicit, *tu autem idem ipſe es*: & cùm addit, *anni tui non deficient*, magis figitur neceſſitas exiſtentiæ Dei, dum immortalis, æterna, & indeficiens eſt, atq; ſibi vndequaque competens, veluti de quidditate eius. & hoc denique magis, magiſq; confirmat Ioannes Apoc. 1. *qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*, vtpotè ideo fuit, eſt, & erit, quia eſt ens per ſe, per eſſentiam independens, neceſſe eſſe, & ex ſui natura tale, cui ab intrinſeco ratio non repugnet eſſendi, atque exiſtendi.

32 Sed inter Patres D. Hieron. epiſt.57. ad Damaſ. ait, *ſolum Deum eſſe, qui eſſentiæ nomen verè teneat*: quaſi diceret, creaturis per accidens, & non omnino per ſe, competit ratio eſſendi, cum non neceſſario exiſtant: exiſtit verò neceſſario Deus, ideo ſibi ſoli cõpetit per ſe ratio, à ſe, & neceſſariò exiſtendi. & D. Augnſt. 12. de Ciuit. Dei cap.2. vocat *Deum ſummam eſſentiam, quia ſummè eſt*: ſummè autem eſſe duo denotat, & infinitatem in eſſendo, cùm contineat in ſumo perfectionis gradu omnem ſui, & creaturarum entitatem, atque etiam neceſſitatem explicat eiuſdem diuini eſſe, ſeù exiſtente. idem lib. de vera Relig. c.49. *ipſe*, ait, *ſolus dicere potuit, ego ſum qui ſum.* & D.Bernard. l.5. de conſiderat *nil magis*, inquit, *Deo cõpetit, quàm hoc nomen, qui eſt.* & Ambr. epiſt. 63. ait, *hoc eſt verum Dei nomen, eſſe ſemper*: quid vltra in his immorari, cùm ipſemet ſuo ore protulerit, ſe eſſe *qui eſt*, vnde ex eadem et veritate conſtat de ſui quidditate eſſe exiſtentiam, cum per eſſe, exiſtentiam cõnotari iam iam attigimus. quod deniq; Ethnici agnouere, nullo melius exiſtimantes potuiſſe Deum adorare, ſalutare, & reuereri nomine, quam nomine, ſeù verbo eſſẽdi, inſculptum namq; erat in Delphico Phano maiorib. characterib. hoc verbum, *es*, quod etiam in propatulo oculis ingredientium obiectabatur, vt indicarent ingredientib. nullo excellentiori potuiſſe Deum titulo reuereri, quàm

quàm hoc, *tu es*; quæ veritas, vt neceſſaria eſt, ita quoq; latens eſſe non potuit, vt ab omnibus aptiori quo poſſumus, adoremus, ſalutemus, ac adoremus Deum, titulo, & charactere, quia ſolùm eo dignus eſt ille, qui verè eſt, fuit, & qui venturus eſt.

Ex cōmuni ſententia Scotiſtarum.

33 Hæc etiam ſententia eſt communiter penès Scotiſtas: & præcipuè eam docet Scotus in 1. d.2. q.1. cùm ait, *exiſtentiam Dei immediatiſſimè competere eſſentia Dei*. & quod propoſitio, in qua prædicatur eſſe de Deo, *non eſt ſecundi modi; & quòd ad ipſam reducantur, & reſoluantur cæteræ propoſitiones de Deo.* Item in quæſt.6. quodlib. docet, *ſicut eſſentia habet modum intrinſecum, ita & exiſtentia.* ſi autem ipſa habet modum intrinſecum, quiſquis ſit, vel infinitas, vel æternitas; non ergò ipſa poterit eſſe modus intrinſecus. Accedunt cæteri Scotiſtæ, vt Vallon. in formalitat. in artic. de modis intrinſecis. Mauritius, Vigerius, Laurentius Brixian. Coſtacciar. in prædicto loco formalitat. Lychet. & Expoſitores in q.6. quodlib. & cæterorum communis, præcipuè Recentiorum:

ARTIC. III.

Soluuntur argumenta primi artic.

De exiſtentia reivtrū poſſit haberi ſcientia. Reſponſio Vallonis confutatur

34 AD primi autem articuli argumenta deſcendendo, vbi in primo dicitur, de exiſtentia non haberi ſcientiam, Reſpondet Vallonus cōcedendo argumentum ſaltem pro ſtatu iſto, cum non habeamus ſcientiam de Dei exiſtentia. doctrina equidem vera eſt, pro ſtatu.n. iſto confusè concipimus Dei exiſtentiā: ſed ratio propter quam id concedat Vallonus, videtur eſſe, ne concedat de exiſtentia haberi poſſe ſcientiam aliquando: dicit.n. non haberi de Deo ſcientiam niſi quatenus abſtrahit ab exiſtentia. At id minus congruè dicitur, habere.n. poſſumus de Dei exiſtentia, vt exiſtentia eſt, veram ſcientiam, non dico naturæ virib. ſed Dei ſupernaturali infuſione: ſed quæſtio non ſiſtit in modo cognoſcendi, ſed ſolùm quæritur vtrum exiſtentia actualis Dei poſſit eſſe terminus veræ ſcientiæ. negant hi, quia ſcientia abſtrahit ab exiſtentia; ſed falluntur, alia eſt.n. ratio in creaturis, & alia in Deo: ideo namq; de exiſtentia creaturæ non habemus ſcientiam in rigore ſumptam, quia exiſtentia creata defectibilis eſt, annihilabilis, & corruptibilis, ergo vbi tales deſunt conditiones non implicat reperiri de exiſtentia veram ſcientiam: at exiſtentia Dei eſt æterna, neceſſe eſſe, indefectibilis, & nulli obnoxia defectui, ergo verè de eius exiſtentia haberi poterit ſcientia, ſi per Dei infuſionem ea daretur: Ariſtoteles autem loquebatur de exiſtentia defectibili creaturarum. de hoc actum fuit ſup. q. an Theol: ſit ſcientia.

35 Ad ſecundum reſpondeo, non quidem exiſtentiam eſſe de quidditate eſſentiæ creatæ, quia illa quantum eſt ex ſe, eſt poſterior, & eſſentia eſt prior, & hæc eſt in potentia ad illam: & illa eſt verus actus, actuans, & determinās iſtam: & eſt actus contingens, quia non neceſſarius, eſtq; defectibilis: ſicq; exiſtentia, & eſt poſterior ad eſſentiam, & tanquam poſterius, non eſt de eſſentia prioris; at in Deo exiſtentia non eſt poſterior eſſentia, quia nec eſt forma eius, nec illa eſt in potentia ad iſtam, ideo exiſtentia includitur in illa.

Lycheti reſponſio cōfutatur.

36 Ad tertium reſpondet *Lychetus* diſtinguendo, vel namq; intelligis exiſtentiam Dei, & creaturæ eſſe eiuſdem rationis traſcendentalis, vel ſpecificè; primo modo concedit eiuſdem eſſe rationis, ſed ſecundo modo negat, ac per hoc vni, ait, eſſe de quidditate, & alteri modum. Reſponſio tamen diſtinctiua pugnat cum ſentētia ſui Doctoris, aſſerit.n. Scot. in 1.d.3. modum intrinſecum eſſe irreſolubilem in vlteriorem conceptum, quapropter cum exiſtentia creaturæ ſit modus, vnicum importabit conceptum, quo fit vt non poſſit duas habere conceptiones, quarum altera conueniat, & altera differat, ſicq; optimè impugnat ipſum Vallonus loc. cit. ideo negandum omnino cōuenire ſimul duas iſtas exiſtentias, & qua ratione diſparatæ ſunt, ea di-

uerſa

uerſa ſortiantur effecta, ſub ratione modi, & quidditatis.

Cognoſcimus Deũ hunc, ſed nõ vt hũc, diſtinctè.

37 Ad quartum negatur poſſe naturaliter in ſpeciali cognoſcere, & determinatè ſub hac exiſtentia, *vt hac*: verè quidem ſcimus Deum habere eſſe, & actualem exiſtentiam, attamen non cognoſcimus pro ſtatu viæ Deum *vt hunc*, ſeu vt hanc actualem exiſtentiam habentem: itaq; ſicut imperfectè eum noſcimus, & confusè, ita confusè noſcimus hanc particularem, & vnam numero, ſeu determinatam ſui exiſtentiam; ſcio.n. Deum habere exiſtentiam, & noſco Deum hunc, ſed non ſcio *vt hunc*, nec noſco exiſtentiam *vt hanc* in ſenſu reduplicatiuo, licet ſciam exiſtẽtiam eſſe de eius quidditate, & ratione intrinſeca: exemplum ſit, ſcio reperiri Imperatorem, & ſcio ipſum habere actualem exiſtentiam, igitur ſcio ipſum in rerum natura verè exiſtere; attamen non noſco ipſum diſtinctè, *vt hunc*, & vt tali pollentem exiſtentia, quia non dum vidi: ita quia Deum non vidimus, non cognoſcimus eius exiſtentiam, *vt hanc*: licet aliunde ſciamus, ſiue credamus habere exiſtentiam. Vel ſub alijs verbis, ſcimus eius exiſtentiam abſtractiuè, non intuitiuè, & ſcimus per fidẽ.

Ad multiplicationẽ ſuppoſitorum vtrũ multiplicentur exiſtẽtia.

38 Ad quintum negatur ex multiplicatione ſuppoſitorum multiplicari exiſtentias diuinas, vt magis oſtendam infra: ſequitur autem quod multiplicatis ſuppoſitis multiplicantur ſubſiſtẽtiæ relatiuæ. Cum dicis, multiplicatis poſterioribus multiplicãtur ea, quæ ſunt de intrinſeca ratione eorum: exiſtentia autem eſt de ratione ſuppoſitorum. Reſp. verum antecedens in cauſis, & cauſatis, vbi ratio intrinſeca, & quidditatiua eſt finita, & limitata, quæ cum non poſſit vna numero reperiri ſimul in pluribus ſuppoſitis, neceſſe eſt vt multiplicetur, at diuina exiſtentia, qua ratione eſt infinita, ſimul reperitur in pluribus hipoſtaſibus & ſcimus per fidem.

Infinitas eſt mediũ ad proban. ſubſiſtentias reſpectiuas, nõ autem exiſtẽtiam.

39 Ad illud de infinitate reſpondetur Scoti mentem non eſſe, aſſerere quod mediante infinitate à priori demonſtretur exiſtentia abſoluta Dei, ſed loquitur de ſubſiſtentia relatiua, ſeu de perſonis diuinis: probat.n. perſonas, ſeu relationes diuinas per ſe eſſe, id eſt non in alio, ea ratione, quia infinitæ ſunt: en ergo infinitas eſt mediũ ad probandam ſubſiſtentiam reſpectiuam, non autem exiſtentiam abſolutã. licet talis probatio in eiuſdem Scoti via parum valeat, cum doceat non dicere formaliter infinitam perfectionẽ relationes diuinas. eſt reſponſio altera, de qua infra.

Eſſẽtia poteſt terminare fruitionẽ abſq; perſonis de pot. Dei ex Scot.

40 Ad vltimum, eſt iam certum in eiuſdem doctrina poſſe eſſentiam terminare fruitionem abſq; perſonis, & perſonas non poſſe id præſtare abſq; eſſentia; at nihil inde concluditur contra principale quæſitum; etenim eſſentia prior eſt perſonis, nec perſonæ in eſſentiæ quidditate includuntur, inde fit vt merito docuerit illam abſq, his, terminum poſſe eſſe per Dei ſaltem potentiam fruitionis.

ARTIC. IV.

Reſoluitur quæſtio problematicè pro vtraq; parte.

Reſoluitur inſuper quæſtio in vtramque partem.

41 Qvod autem in fine primi artic. promiſimus, nunc præſtãdum: vt dum problema videtur in via Scoti, & Scotiſtarum, ſoluamus pro vtraq; parte, & declaremus pugnantia Scoti loca in gratiam Scotiſtarum: noſtra tamen ſententia declarata remanet artic. præced.

Ad probandum eſſe modum intrinſecum adducitur locus quolib. 1. d.8.q.3.ad arg. princ. vbi ait infinitatẽ præcedere exiſtentiam, at illa eſt modus, modus autem non præcedit quidditatem, ergo exiſtentia eſt modus. Reſpond. intentum ſuum eſſe oſtendere infinitatem præcedere rationem indiuidualem, & hæccheitatem, ſeu vltimã actualitatem, non autem exiſtentiam, quia hæc præcedit illam: docet.n. ibi non ideo Deum eſſe infinitum, quia eſt hic, & ſingularis, & indiuidualis, ſed ideo eſſe hunc, & ſingularem, & hac vltima actualitate completum, quia eſt infinitus: en quomodo vult quod infinitas præcedit ſolum ad ſingularitatẽ, non autem id docet de exiſtentia.

42 Alter etiam locus in 4.d.12. q.2. quo ait *infinitatem eſſe medium ad eſſerendum exiſtentiam in diuinis*: ex quo habetur quod infinitas præcedit, quæ tamen eſt modus, & conſimiliter exiſtentia ſequens, & per eam probata erit modus. qui tamen facilè declaratur primo, quod demonſtratio alicuius eſſentialis poteſt fieri à poſteriori, ex quo tamen non ſequitur medium demonſtrans eſſe prius, & demonſtratum poſterius, vt demonſtramus rationale per riſibile, non tamen ſequitur riſibile eſſe prius rationali: poſſumus conſimiliter vti infinitate pro medio ad demonſtrandam diuinam exiſtentiam, quæ demonſtratio erit poſterioriſtica, at inde non ſequitur exiſtentiam eſſe poſteriorem in entitate, ſed in ſola argutione, & diſcurſu: Reſponſio altera habetur ſup. ad ſextum, quod intendebar demonſtrare exiſtentiam relatiuã, non abſolutam, quod verum eſt, quia prius Deus eſt abſolutè infinitus, inde vero concipitur ſub eſſe relatiuo, & perſonali ad intra: & eadem infinitas eſſet ratio probandi apud Scotum relationes diuinas per ſe exiſtere, ſeu ſubſiſtere, quia quod eſt infinitum per ſe ſubſiſtit, at relationes non per ſe ſubſiſtunt, ergo non ſunt infinitæ: & hanc exiſtentiam relatiuam probare intendebat contra aduerſarios Scotus.

43 Ex altero capite oppoſitum habet in 1.d.2.q.2. vbi ait, exiſtere immediatiſſimè competere Deo: & ſubdit propoſitionem, in qua prædicatur eſſe de Deo, non eſſe ſecundi modi: quod ſi non eſt ſecũdi modi, ergo prædicatur in primo modo, & ita erit de quidditate: ſed reſpondetur ad hoc negandam eſſe ſequelam: non.n.valet, nõ eſt ſecundi modi, ergo primi, quia eſſe poteſt quarti, vel tertij: & licet in ſubiecta materia hoc non procedat, quia exiſtentia non prędicatur in tertio, aut quarto modo, tamen intentio eius eſt, non eſſe ſecundi modi, quia non diſtinguitur formaliter ab eſſentia; ea.n.quæ ſunt ſecundi modi diſtinguuntur formaliter in eius ſententia, at modus diſtinguitur modaliter, vel ex natura rei, non formaliter, ergo ſic aiebat non eſſe ſecundi modi, non tamen inferre intendebat eſſe primi modi.

44 Inſuper in quolib.2. docet, ſicut eſſentia habet modum intrinſecum infinitatem, ita exiſtẽtiam habere modum intrinſecum æternitatem; at modus non habet modum, ergo ſi exiſtentia habet modũ, erit de eſſentia. Reſp. velle docere, quod ęternitas non competit, niſi rei actu exiſtenti; ſicut nãq; eſſe temporaneum non conuenit enti in potentia, ſed enti verè in actu exiſtẽti, ita æternitas Dei competit Deo, quatenus actualiter exiſtit, & hac ratione appellat eam modum intrinſecum.

45 Fateor tamen recenſita loca valdè vrgere pro ſententia oppoſita; nihilominus non recedimus à ſententia hac, quæ eſt communis, & magis etiam de mente eiuſdem Scoti, & diſcipulorum.

DISPVTATIO QVARTA
De Deo.

QVÆSTIO PRIMA
Vtrum Deus ſit, & demonſtrari poſſit ipſum eſſe.

ARTIC. I:
Qui negauerint eſſe Deum.

1 QVam ſubdubia, & inconſtans ſemper extiteri humana ratio exinde melius lius colligitur, quod nō ſemper eundē, vnumque Gentes Deum coluerūt: immo ad libitum vel nouos ſibi Deos inſculpſerunt, vel adinuenerunt. quin potius quæcunque oculis, ſenſibuſuè obiectabantur, ſpontè propria, ea omnino pro numinibus adorauerunt, & eo tādem aduenit humana fatuitas, vt omnē prorſus quandoq; è mundo tollendum fore ſtatuiſſent Deum: vt inde ſingula caſui, & fortunæ ſub ecta eſſent. quin potius non Deos omnes, ſeù vnaquæq; Natio proprios ſibi adſcribebat Deos, vniuerſa Gentiū multitudo reuerentiā præſtabat, & honorē, immo vnuſquiſq; Deo ſuo retento, alienum refellebat, & pro viribus ludibrio afficiebat. ſic Alexander teſtatur Genial. Dier. lib. 4. Romanos lege ſtatuiſſe, vt nonniſi Patrij Dij colerentur in Vrbe, reiectis cæteris, expulſis, & abnegatis externis, ſic etiā Cōſulibus Piſone, & Gabinio, col locatis iā in Capitolio Romanis Dijs, Aras continuo euerſas fuiſſe Harpocratis, Serapidis, & Iſidis, quos veluti Deos primitus coluere, & ne vltro hores, ac thura adolerent.

Deorum multitudo penès varias nationes.

2 Vniuerſæ quidem Nationes ſpeciale Numen ſibi præſtituere, atque adorauere: licet verò in ſpecie errauerint, Soli, cæteriſq; planetis, ſiue lignis, ſiue brutis, ſiue lapidibus thus adolentes, tamen ipſum Deum in ſe, ſeu in genere, non reſpuerunt. Sed peius omnibus errant Athæiſtæ, qui omnē reſpuūt Deum, tùm in ſpecie, tùm in genere: Appellantur autem Athæiſtæ, ſumpta denominatione à verbo græco *Atheos*, quod denotat, *ſine Deo*. vnde & Athæiſtæ vocantur, & meritò, quia ſicut ipſi non ſunt de Populo Dei, ita nec noſter Deus eſſe vult eorum Deus, niſi in cōdemnando, & igni tradendo, ſicut prædixerat per Oſeæ 1. *ipſi non erunt populus meus, nec ego, ait, ero eorum Deus:* cuius oppoſitum de noſtris, veriſque conſtat fidelibus, Apocal. 21. *ipſe populus eius erunt, & ipſe Deus erit eorum Deus:* & Eccleſia in matutini inuitat: canit, *ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſtuæ eius.*

Athæiſtæ.

3 Quòd ſi quæras vnde ortum habuit, & fomentum recepit hæc eorum ſtultitia? vtique cauſam hanc reddit pſalm. 13. *dixit inſipiens in corde ſuo, nō eſt Deus.* igitur cauſa cur Deum negarent erat eorum inſipientia: qui tamen iuxta loquutionem Apoſtoli *cùm ſapientes viderentur, ſtulti facti ſunt.* Rom. 1. ſed aliam addamus, quæ fortaſſe

Atheiſtarū fundamẽtum.

taſſe præcipuam cauſam attinget cur Deum negent: ſciunt ſiquidem, quòd ſi Deum reciperent, abſtringerentur Dei leges obſeruare, abſtinere, & ab illecebris, ſenſus motus effrænare, concupiſcentijs abdicare, ipſumq; veluti Punitorem expectare. hinc pſalm. *noluit intelligere vt benè ageret.* hæc omnia ſub ſequuntur ex vnius veri Dei cultu, & confeſſione.

4 Addit autem, & rationem alteram, ſed non antecedenti diſſimilem Lindanus in dubitant: quòd cùm Caluini Aſſeclæ cogitarent quonam modo Romanam Sedem, ac omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram, ſiuè etiam Romanum Pôtificem, vel ſcriptis poſſent eliminare: id inter omnes determinatum fuiſſe, vt docerent animam ſimul interire cum corpore: ex qua blaſphemia cogerentur negare Purgatorium, Pôtificiam poteſtatem: Indulgentias, Paradiſum, Infernum, ac totam vnico commento declinare Eccleſiam, ſacrumq; Diui Petri deſtruere principatum. ſed videtur hoc in loco Sap. 2. præuiſum fuiſſe quod dicunt, ac in perſona iſtorum antiquitus præſentitum: *Dixerunt impij*, ait textus, *cogitantes apud ſe non rectè; exiguum, & cũ tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerti ab Inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tãquam non fuerimus.* & poſt multa alia his ſimilia, cùm ſtatuiſſent ſpiritum interire, ac corpus, nullumq; fore poſtmodum præmium, vel gehennam, ſubſequuntur, ad libertatem ſenſus, ac vitæ ſe inuicem exhortantes, *venite ergò*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ ſunt; vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. coronemus nos roſis antequã marceſcant, nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra. nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: vbiq; relinquamus ſigna lætitiæ. quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* concludit autem contra eos ſermonem Salomon, & ait, *hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum; quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſililitudinis ſuæ fecit illum.* hæc de Athæiſtis.

5 Verum eſt tamen; quòd error hic non nouus, ſed antiquus adhuc fuit in Orbe: etenim ex ijs, qui fidem con ſque non ſuſceperãt chriſtianam, multi in dubium reuocauerunt verum Deus eſſet, & alij Deum vndequaque negabant, vnde etiam ij hoc nomine cenſebantur Athæiſtarum. inter hos fuere Diagoras, Prothagoras, Teodorus, Melius, & quamplures, de quibus Plutar. lib. 1. de placit. phil. c. 7. Theodoret. lib. 3. græc. affect. Lactant. l. 1. diu. inſt. c. 2. atq; Cicero lib. 1. de not. Deos Narrat Ioſeph. 2. contra Appion. & Plato 10. de Repub. Athæos fuiſſe capite damnatos ab Athenienſibus, quæ etiam pœna vigebat tempore Eſdræ habetur, namq; l. 4. c. 8. *dixrunt in corde ſuo nõ eſſe Deum, & quidem ſcientes quoniam morinntur.* hæc ibi.

ARTIC. II.

Rationes naturales, quibus probatur Deum eſſe, non eſſe efficaces oſtenditur.

1 SVppoſito autem Deum eſſe per fidem, ſcripturas, & Sanctos Patres, quibus certò credimus ipſum habere eſſe, prout ſubſeq. artic. oſtendemus: diſcutiendum modo remanet, an ratione naturali conuinci poſſit ipſũ eſſe, itaut naturales rationes, quæ à Theologicls principijs minimè deducuntur, ſed ſolum naturali lumini innituntur, poſſint verè vocari efficaces, veræq; demonſtrationes, quibus purus intellectus abſque fidei lumine aſſentire cogatur ad naturaliter concedendum Deum vnum eſſe.

2 In primis fuit ſententia D. Th. c. contra gentes c. 12. aſſerentis id poſſe fieri naturaliter, ideoq; refert veluti falſam opinionem quorumdam negãtinm id poſſe naturali ratione conuinci; quod tandem poſtea idem D. Tho. 1. p. q. 2. art. 1. 2. 3. pluribus cõuincere nititur naturalibus demonſtrationib.

itaut appareãt prorſus ad id ſuſtinẽdũ efficaces: quem denique ſequuti ſunt Ferrarienſ. Caiet. cum recenſioribus ibid. vt Molin. Vaſq. Valent. atq; Suar. t. 2. metaph. diſput. 29. fuere & alij ex Theologis, qui propoſitionem eãdem .ſ. Deum eſſe naturalibus, ac potioribus nixi ſunt rationibus ſuadere, at minimè æxtimarunt eas eſſe efficaces, & omnino demonſtratiuas, ſed vnuſquiſque pro viribus nitebatur adducere, quæ veritati proximiores, ac veritatem attingere viderẽtur magis. inter hos fuit Scotus, in 1. d. 2. q. 2. Albert. Richard. Marſil. cæteriq; ſententiarij in eumdem locum.

3 Nobis tamen id apparet verius, ac rationi magis conſentaneum, vt aſſeramus nulla naturali via adhuc demonſtratum fuiſſe efficaciter, nec demonſtrari eadem via poſſe efficaciter Deum eſſe; ſed ad id conuincendum, opus ſit aliquo principio fidei, ſeu aliqua illuſtratione ſuperna, qua poſita, citius intellectus per demonſtrationes, iam factas à Theologis manuduci poſſit, vt ita dicam, ad aſſentiendum perſuadenti ſibi vnum Deum eſſe. hãc antiquitus ſuſtinuit Allacenſ. art. 2. q. 3. & Baſſolius in 1. d. 2. q. 1. 5. ad primum, poſt artic tertium, quibus & citati pro oppoſita ſententiã aliquando inclinant, vt Valent. Caetan. Vaſq. idẽque Suar. quare cum primum rationes texuerint, quæ ſibi videbantur efficaces, inde tandem palinodiam canentes, concluſere non eſſe efficaces omnino, ſed quam maximè congruentes, quod tamen conceſſum eſt ab omnib. demptis paucis.

Deum eſſe non poteſt efficaciter naturaliter demonſtrari à priori.

4 Aliqua ergò pro præſenti quæſito ordinatè ſtatuamus. Primũ ſit: nulla reperitur efficax naturalis ratio, qua à priori demonſtretur Deũ eſſe. prob. ſoli ipſi Deo nota eſt à priori natura, quidditas ſua; ergò nulla ratio à priori conuincere poteſt ipſum eſſe. item ſi à priori noſcimus naturaliter ipſum eſſe, ergò omnis fides non eſt neceſſaria de ipſo Deo, probatur, quia cognitio à priori, & propter quid, indicat totã ſubiecti naturam. ergò ex ea naturaliter habita, naturaliter noſcimus paſſiones, habitudines, modos, & quidquid in ſubiecto tali cõtinetur, vt cognito homine à priori, noſcitur perfectè vniuerſa eius paſſio, modus, naturaleſq; paſſiones, & quidquid identificatum, vel neceſſariò à tali quidditate manans, comprehenditur: hoc autem modo noſcendo Deum, noſceremus communicationẽ eiuſdem eſſentiæ tribus perſonis, trinitatem, infinitatem, modos intrinſecos, cæteraq; attributa, atq; ita non opus haberemus recurrẽdi ad fidẽ, vt de talibus humanæ menti reconditis myſterijs certum quid habeamus. Deniq; quæſtio *an eſt*, antecedit ad quæſtionem *quid eſt*, nullum autẽ prius probari poteſt à priori per poſterius, eſſent enim vel circularis demonſtratio, vel demonſtratio quia: eſt autem quæſitum de Deo *an eſt*, prius quàm *quid eſt*: ergò hac via nulla adeſt efficax ratio id conuincẽs. Confirmat hoc totum D. Dionyſ. de diu. nom. c. 7. dicẽs, veraciter dicemus nos Deum non ex ipſius natura cognoſcere. ignota enim eſt, omnemque ſeparat rationem, ac ſenſum. & Nazianz. orat. 2. de Theol. *ego, inquit, ita dicendum cenſeo, Dei naturam nullis quidem verbis explicari poſſe, animo autem, atque intellectu comprehendi multo minus poſſe &c.* nec ſumas pro verbo illo comprehendere totalem, ac perfectiſſimam intelligentiam, ſeu cognitionem Dei, qualis ſoli Deo competit de ſeipſo, & prout diſtinguitur ab apprehenſione, non enim quid noui diceret, cum diuulgatum ſit à nullo creato intellectu taliter poſſe Deum comprehenſiua notione cognoſci, ſed pro tali verbo, ineptiã notat intellectus creati, vt nequeat à priori noſcere naturã, & entitatem: quod etiam Plato explicuit in Timæo, *Deum*, inquiens, *intellectu percipere difficile eſſe, eloqui autem impoſſibile.*

5 Sed nec in hoc probandi genere à priori vllum inuenio Theologum qui id aſſeruerit, vel attentauerit, nec D. Tho. nec D. Bonau. nec Scotus, nec alij: vbi tamen ineptiam adnotare liceat, & redarguere cæcitatem Gabrielis Vaſquez, qui quæſt. 2. cap. 3. imponit Scoto, quod auſerit aſſerere hanc propoſitionem, *Deus eſt, poſſe probari à priori*, cum tamen nuſquam id aſſeruerit Scotus: quærit autem in ea diſſecun-

Scotus vindicatur ab impoſtura Vaſquij.

ſecunda, primi,q.1.vtrum propoſitiones iſtæ, *ſummum bonum eſſe, ens infinitum eſſe, ac ſummum bonum reperiri*, ſint per ſe notæ, an vero probari poſſint à priori; & reſpondet non eſſe per ſe notas, ſed poſſe à priori probari, quia cuicunq, competit hoc eſſe diuinum, illud eſt infinitum, ſummum bonum,& ſummè neceſſe;ſed alicui competit dininum eſſe, ergo competit eſſe infinitum,& ſummum bonum : ex hoc autem diſcurſu probat infinitatem, & ſummam bonitatem per eſſe antecedens, ac antecedentem qniddìtatem rei : aliud namq; eſt quærere vtrum Deum eſſe poſſit à priori probari : & aliud eſt vtrum poſſit probari à priori Deum eſſe ſummum bonnm infinitũ, neceſſe eſſe,& hniuſmodi : primũ nnſquam conceſſit Scotus: ſecundum ſic, quia paſſiones ſeù quaſi paſſiones emanant à ſubiecto, ipſa verò quidditas ſubiecti eſt principium demonſtrãdi eas à priori, hæc namq; propoſitio *Deus eſt*,diſtincta eſt ab iſta,*ens infinitum eſt, ens ſummum bonum eſt* : quæ omnes licet de eodem Deo verificentur, nihilominns, quia diſtincta continent prædicata, & inter prædicata eſt ordo,ideo diſtinctas formabunt enunciationes,nec vna erit altera, ſed diſtincta altera : itaq; in hoc ſenſn loqnitur Scotus,vt etiam Lychetns ibidem exponit:quomodo vindicatur à falſa impoſtura ipſins Vaſqnez,ſeù potius falſa illius loci intelligentia : eſt enim argutus, & obſcurus valdè ipſe Scotus, nec capi ſinit, niſi ab admodnm in ſui lectura verſatis,qnantò autẽ minus capi poterit ab extraneis, qni nec intelligentiam à Scotiſtis acceperint, nec in ipſius lectitatione, niſi ſuperficialiter fuerint verſati : eſt autem in citato loco non admodum, vt ſolet, difficilis, & intricatus. hæc de prima parte ſecundi dicti.

Deum eſſe cognoſci poteſt à poſteriori.

6 Secundo dicimus, licet naturaliter cognoſcere non poſſimus Deum à priori, nnn deeſt tamen via eum cognoſcendi à poſteriori. docet hoc D. Paul.Rom.1.*inuiſibilia Dei ex his, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur*. & ſap. 13. *inexcuſabiles redduntur homines, qui ex operib. Dei, Deum eſſe nõ cognoſcebant*, cum ait Salomon, *ſi.n.tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculũ, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt*, quo in loco præcipuè redargũtur philoſophi,qui tanta, ac ſubtilia de rebus hnins mundi ſpeculantes, Deum tamẽ negabant, nec adorabant. & eod.in loco dicitur, *à magnitudine ſpeciei, & creatura, cognoſcibiliter poterat Creator omnium videri*. Iob.36. *omnes homines vident Deum*.Actor.4.de Chriſto Dño ait Lucas, *& quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit*. idemq; Apoſt. Paul. *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis,Deus.n.illis manifeſtauit* Roman.1. adeoq; certum vt ſit error negare.

7 Ex Patribus autem Nazianz. ora. 2.de Theol.*nimis*,ait,*abſurdus,& præpoſterus eſt, qui argumentis naturalibus non cedit,& inficiatur Deum eſſe*.Iuſtin. mart.in q.6.ad Gent. *vnde ſciri poteſt*, ait,*ſit ne Deus omnino?* & reſpondet, *ex concretione, conſtitutione, ac ſtabilitate*. D.Auguſt.in Ioan. tract.106.*hæc eſt virtus*,ait,*vera diuinitatis, vt creaturæ rationali non omnino ac penitus poſſit abſcondi*. idemq: Auguſt.in pſal.13. exponens illud, *dixit inſipiens in corde ſuo non eſt* Deus,ait,*in corde dixit, quia non audent tales inſipientes voce hanc impiam promulgare ſententiam*; & deniq; huc tendũt rationes omnes Theologorum,tùm & philoſophorum,vt ex effectib. probare nitantur Deum eſſe veluti à poſteriori.

Rationes naturales non ſunt efficaces.

8 Tertiò dicimus, rationes tales abſque lumine fidei non eſſe euidènter efficaces, vt quemcunque conuincant ad concedendum naturaliter Deum eſſe. hæc eſt contra eoſdem recentiores, Valentiam, & Suarez. nec mirum ſit modò pro affirmatiua, modò pro negatiua parte ipſos citem;etenim ſibi ipſis inconſtantes ſunt,& modò hi negant, modò affirmant, id eſſe verum. Probatur autẽ ex præcipuo loco pſalmi 4. vbi cùm multi introducantur interrogantes,qnonam modo poſſent de ſupernis arcanis cognitionem aliquã aſſequi, quandoquidem, id viribus naturæ præſtari non poterat, continnò reſponſum fuit id per diuinum adintorium poſſe homines aſſequi, ac præcipuè per ſupernaturale lumen, quod

om-

ARTIC. VII.

Contenta in præced. Artic. procedunt diſputando, non aſſerendo; & cenſuratur opinio prædicta negans poſſe demõſtrari naturaliter Deũ eſſe.

Sententia Aliorum.

1 REfertur Rabbi Moyſem l.3.c 6.negaſſe poſſe Deum demonſtrari ex effectib.à poſteriori:quamuis D.Tho.de verit.q.10. art.2. non dicat eũ hoc aſſerere,ſed narrare. quidquid tamen ſit de eo,ſunt & Alij apertè negantes poſſe demonſtrari, licet rationes,quæ afferuntur, dicant eſſe apparentes,& probabiles.ita Holchot 1.q.4.Allacenſ.q.3.art.2. in 2. part. Maior d.2.q.1.Baſſol. 1.d.2.q.1. art.3.& d.3. q.1. art.3. Adamus 1. d.2. q.vn. art. 1. Caſalius l.1. de quadripart. iuſt, c.16. Gabriel d.2.q.10.art.3.Caſtronoui.d.2. q.4.Ægid. 1.d.3. p.1.q.3. Argent. q.1. art.3.atque Abulenſ.q.2. in c.5. Exod. Citari etiam poteſt Caluinus, qui lib. 1.Inſtit.c.2. ſect.2. rationes Scholaſticorum appellat *frigidas ſpeculationes: & ad beneuolentia diuinæ certitudinem non appropinquare humanam rationem.*

Sententia oppoſita cẽſura.

2 Sententiam hanc tanquam temerariam,erroneam,& ſuſpectam in fide, cenſurat Suar.1.p.lib.1.c.1. Valent.1.p.d.1.q.1.Molin. 1.p.q.2.art.2. vna cum D.Th.1.cont.gen. c.12. & de verit.q.10.art.12.vbi appellat manifeſtè falſam,& errorem:Bannes temerariam in fide: Alij penes Gillium lib.1. tr.8.c.5. appellant hæreticam. vide Bellarmin.l.4. de grat.c.12.

Vaſq. Smiſingij opinio.

3 Vaſquez tamen 1.p.diſp.20.c.3. non aſſentitur cẽſuræ:& denique Smyſingus t.1.diſp.1.q.4.num.60.61.apertè fatetur, *nec eſſe errorem in fide, nec periculoſam, nec temerariam in Theologia:* ſolum autem docet,primo eſſe erroneum in fide, negare, quod rationes naturales faciant quandam certitudinem moralem de hac veritate: & ſecundo,eſſe temerarium in Philoſophia id inficiari, quoniam rationes naturales innixæ *principijs* metaphyſicæ de hoc,difficile ſoluuntur.

4 Nos tamen communi ſententiæ aſſentiendo dicimus, eſſe temerarium, & erroneum (ne dicam quid vltra) negare, quod poſſit naturaliter demonſtrari Deum eſſe. ita Doctores recenſiti. Vnde,quæ dicta ſunt in præced.artic.in oppoſitum huius concluſionis, procedere volumus ſolũmodo diſputationis cauſa,non gratia veritatis: ſicut & quæ dicentur in fine huius Articuli poſt num.18.ad finem vſq;reſpondendo ad rationes Catholicas. dicentur etiam ſolummodo gratia diſputationis,cum oppoſitum ſit veritas communis,& Catholica poſſe Deum naturaliter demonſtrari.

Probatur ex Philoſophis.

5 In primis autem poſſe naturaliter demonſtrari,docet D.Tho.vbi ſup. & Scot.in 1.d.2. q.1. & Tract.de Primo Princ.c.3.Dur.d.3.q.3.& communis:probatur in primis ex Ariſt. lib.de Mũdo ad Alex.vbi ait,*Cum Deus vniuerſa mortali natura minus cernatur;ex ipſis,nimirum operibus,ſatis perſpicitur; nam omnes aeris,terra, aquæ, res, Dei opera dicere poteris.* & 12.met ſumm.3. *entia* nolunt malè diſponi, non eſt bonum pluralitas principatuum,vnus ergo *Princeps.*& lib.7.phyſic.c.2.3. probat primum Motorem. Item Cicero lib.de nat.deor. *omnes terræ gentes, & pauci omnino ſunt, qui Deum negent.* Idẽ, Mercur. Triſmeg. in Pimand. Tales penes Laert. lib.1. Platonici, pluresq; Gentiles, atq; Proclus, & Iamblicus agens de myſterijs Ægyptiorũ: qui & capitulum format, cui titulus, *opinio Aegyptiorum de Deo,atque Dijs.*

Vaſquij fuga eluditur.

6 Ad Scripturas recenſitas artic. præced. præcipuè num.6.7. reſpondet Vaſq.exponi poſſe de cognitione *probabili*, non eſſe autem neceſſe intelligantur de cognitione *demonſtratiua*: aliquando namque verbis *videndi,manifeſtandi* intelligitur omnis, & qualiſcunq; cognitio intellectus: ita vt mos ſit Scripturarum ſemper quidem fuiſſe ſufficientem cognitionem Dei in mundo, verum verò illa fuerit probabilis,aut euidens,de hoc non curant, & ita intelligit Paulum dum ait, *conſpiciuntur*, &c.

7 Sed contra, Paulus loquitur de

cogni-

cognitione, vt ſonant verba, *intellecta conſpiciuntur*, nempè de cognitione euidenti, & clara, ita Hieronymus ibi, ait enim, *tam euidenter intellecta ſunt*, *vt conſpecta dicantur*.

8 Item quotieſcunque Scripturas poſſumus interpretari propriè, non ſunt extorquendæ ad alienum ſenſum: at vtique eſſet hoc extorquere Scripturas: Inſuper dum ait Apoſt. *propter quod inexcuſabiles ſunt*, &c. quomodo, excuſari poſſent ſi non credant? quod ſi inexcuſabiles ſunt, ergo euidenter cognoſcunt, & non credentes, ſeu nolentes cognoſcere, inexcuſabiles erũt, nemo enim peccat, vel punitur in eo, in quo excuſabilis redditur: at hi inexcuſabiles redduntur, ergo iure merito puniuntur; quod ſi puniuntur, vtique peccant non credendo, &c.

9 Rurſus, Dionyſ. ſuper Epiſt. ad Tit. ſic ſcribit, *Aduertendum eſt, duplicem eſſe traditionem Theologorum, vnã ſymbolicam, & myſticam: alteram philoſophicam & demonſtrantem*. Quo in loco expoſitio S. Maximi ita habet, *philoſophycam, & demonſtrantem Theologiam appellat, quæ eſt ex perſpicientia creaturarum*.

10 Sed arguitur contra, Paul. Roman. 1. *Accedentem ad Deum oportet credere quod ſit*, &c. quod ſi fides exquiritur, ergo non poterit haberi ſciẽtia: item Athanaſ. ad Serap. *Deitas non demonſtratione rationum traditur ſed fide*. Maximus centur. 1. Theol. c. 8. *Deus ex creaturis intellectus à nobis ſolum eſſe creditur*. Auguſt. 11. de Ciuit. c. 4. *mundum eſſe conſpicimus; Deum eſſe credimus*. & Sap. 13. *non potuiſſe eos, in quibus Dei ſcientia non ſubeſt, de his, quæ videntur bona, intelligere eum, qui eſt; neque operibus attendentes agnoſcere quis eſſet artifex*.

Quare fides etiam de naturaliter ſcibilis. 11 Reſpond. quædam eſſe myſteria, ad quæ attingi non poteſt, niſi per reuelationem, & fidem, vt Incarnatio, Eucharistia, Trinitas, & huiuſmodi: & de his eſt adeo neceſſaria fides, vt non poſſint via naturali demonſtrari: quædam vero ſunt, quæ per vtramque viã attingi poſſunt, & via naturali, & fide, vt *Deum eſſe*: & hæc haberi poſſunt ratione naturali. Dices, cur ergo fides? Reſp. primo propter Rudes, & ſimplices, qui non valentes diſcurrere, & ratiocinari de *Deo*, ipſum tamen facilius habeant per fidem: ſecundo quia, etiã ſapientibus, qui naturaliter hoc inueſtigant, eſt neceſſaria fides, quandoquidem fides eſt initium ſalutis.

12 Contra ſi cognoſci poteſt Deũ eſſe, ergo & cognoſci poterit hæc ſingularis eſſentia Dei, & ita diuinã eſſentia exiſtens in tribus, & ita Trinitas.

13 Reſpondet Scot. ibi negando cõſequens; quia poteſt cognoſci *Deus* *Naturaliter cognoſcitur Deus bie, ſed non vt hic.* *bie*, ſed non *vt bie*: nempè quatenus *in tribus*; nec ſub conceptibus proprijs, ſed ſub cõceptib. communibus. Itẽ cognoſci poteſt natura humana in ſe abſque eo, quod cognoſcatur eſſe in Petro, & Ioanne: ita cognoſci poterit naturaliter Deitas, abſque eo, quod cognoſcatur eſſe in tribus perſonis.

14 Contra Nazianz. orat. 34. ait, *Princeps quædam cauſa, quæ res omnes procreauerit, & eaque hæc, dum per res oculis ſubiectas, atque recto ordine collocatas Authorem earum coniectura quadam colligitur*: ergo cognitio naturalis erit coniecturalis, non demonſtratiua.

15 Reſpõdenſum eſſe creaturã non cognoſcere Deũ naturaliter perfectè; vnde loquitur de cognitione Viatoris, quæ comparatiue ad cognitionẽ Dei, & Comprehenſorum, eſt valde imperfecta: Item appellatur coniecturalis, quia eſt à poſteriori, non à priori. *Cognitiò Viatoris appellatur coniecturalis quare.*

16 Dices, Pſalmiſta exorat auxiliũ diuinæ lucis, dum pſalmo 42. ait, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipſa me deduxerunt in montem ſanctum tuũ*.

17 Reſp. vt ſupra, loqui de cognitione Dei diſtincta, & perfecta.

18 Atque ita concludimus, poſſe naturaliter demonſtrari Deũ eſſe, modo tamen explicato ita vt oppoſita ſẽtentia ſit, ad minus, temeraria, & erronea, vt maiora reticeam. Verum quia ad euaſiones, quæ praeced. Artic. datæ fuerunt argumentis, diſputationis gratia, ſuperſunt & aliquæ aliæ afferendæ ad vlteriores probationes, ideo eas quoque inſuper afferemus, non quidẽ gratia veritatis, ſed exacuendi ingenij, vt ſup. & ſolummodo diſputationis gratia. vnde arguitur.

19 Item

19 Item ſi non datur aliquod omnino primùm, ibi nihil erit prius, & poſterins, ſed omnia erunt intermedia: prob. anteced. ex Ariſt. 2. & 5. met. qui definiendo prius, ait, *prius eſt illud, quod eſt primo propinquius*. Sed Reſpondetur, quod in aſcendendo non datur prius, quia non datur primùm, cum. n. in infinito non detur primum, neq; dabitur propinqnius, aut vicinins: ſed in deſcendẽdo dari poterit, id autem erit in ordine ad actualem cauſationem, vt illi cauſæ dicatur effectus eſſe propinquior, & vicinior, à qua immediatins dependet: diximus. n. non eſſe neceſſe concedere omnes actu cauſare.

20 Argui etiam poteſt, quòd effectns actnaliter diceret infinitos reſpectus ad infinitas cauſas. Sed hoc ex dictis ſoluitur, negando omnes actu cauſare, cauſabunt. n. viciniores, & magis neceſſariæ, vt diximus.

21 Inſuper arguunt, plures cauſę totales non poſſunt eundem effectum producere, quia ſimul eſſet, & non eſſet effectus: primùm daretur ea ratione, qua cauſa illa cauſaret, ſecundum ſeqneretur etiam quando altera cauſa totalis non cauſaret, & ſic vna daret eſſe, & altera negaret, atq; ſimul eſſet, & non eſſet effectus, cum omnes eſſent æquè potentes, & virtutis æqualis. Sed ad hoc reſponderent ſaltem Thomiſtę non implicare effectum pendere à plurib. totalib. cauſis: & ad probationem diceretur, procedere cùm cauſæ eſſent æqualis potentiæ, & æqualis virtutis, In propoſito autem non eſſent pares in virtute, vnde cauſa potentiur vinceret, & ſi canſa negans eſſe, eſſet potentior, effectus non produceretur, & ſi cauſa dans eſſe, eſſet efficacior, iam vinceret, & daret eſſe. patet autem non forè æqualis virtutis, quia cnm omnes eſſent cauſæ diſtinctæ, & vna eſſet perfectior altera, vna vinceret aliam: Dicerent etiam ad propoſitionem maiorẽ, effectum non poſſe pendere à plurib. totalib. diſiunctiuè, diuiſim, & ſucceſſiuè ſe habentib. tunc. n. eſſet, & non eſſet effectus, poſſe tamen dependere à plurib. concurrentib. coniunctiuè.

22 Præterea omnia entia finita ordinantur ad finem: ſed implicat plures reperi vltimos fines, ergo vnus datur vltimus finis: hic autem finis eſt primũ efficiens, quia finis, & efficiens coincidunt, ergo &c. Reſpondẽt aliqui, quod poteſt haberi ratio finis, vt termini; abſq; eo quod talis finis vllo modo cauſet, quia aliud eſt eſſe finem aliud cauſam finalem. Sed nun poteſt ſtare, quia omnis finis habet nedum rationem termini, ſed habet etiam aliqualẽ rationem cauſandi, cùm moueat ad agendum tanquam amatus, & deſideratus. ideo aliter reſpõdendum, quod ea ratione, qna nũ deueniretur ad vnicam primam canſam efficientem, ita etiam non deueniretur ad vnum vltimum finem: nec hoc eſt minus inconueniens, qnam de cauſa efficiente, vt. n. ibi daretur proceſſus in infinitum, ita & hic: quia ſicut de ratione cauſæ eſt cauſare, ita de ratione finis eſt finire: at illæ conceſſa hypoteſi, non eſſent vnica, ſed infinitæ, ita quoq; non haberetur vnicus omnium finis, ſed infiniti. Adde tamen conſequenter de fine, ſicut dictum eſt iam de cauſis, quòd non omnes ex cauſæ cauſarent, ſed immediatiores, viciniores effectni, atq; neceſſariores, ita non omnes fines finirent, nec omnes finales cauſæ infinitæ terminarent, ſed ſolæ immediatiores cauſæ finales, at neceſſariores, quòd ſi omnes velis, vt terminent, dabis infinitum in actu, & infinitos actuales reſpectus effectus ad infinitos fines.

23 Argumentum aliud deſumitur ex ratione contingentiæ formando ſic, omne contingens debet reduci ad aliquod neceſſariũ: effectus huius ſæculi ſunt contingentes, ergò poſtulant vnũ ens maximè neceſſarium, quod inſuper ſit Gubernator, Rector, Protector, at Cõſeruator eorũ: id autem erit Deus. ſed hoc facillimè ſoluitur, etenim quod contingentia reducantur ad neceſſarium concedatur, attamen quod illud neceſſarium debeat eſſe ſolum vnicũ, & non plura id non demonſtrat argumentum phyloſophicum efficaciter, ſed docet infallibilirer ſola fides: itaq; reducerentur ad infinita principia, ſicut dictum eſt de cauſis infinitis. Reſpondetur ſecundo Ariſtotelem admiſiſſe contingentiam in mundo, attamen docuit mundum fuiſſe ab æterno: itaq;

contingentia vt ſic, non obeſt; diceret enim etiam ordinationem totalem, ſiue totalem ſeriem contingentium eſſe æternalem, licet particulare contingens, hoc vel illud, non fuerit æternũ: vnde negaretur propoſitio illa, omne contingens aliquando fuiſſe ſub nihilo, ex quo deducunt neceſſario poſtulare vnum neceſſarium, nam dicerent contingens particulare hoc vel illud aliquando quidem fuiſſe ſub nihilo; attamen totalem, & communem ſeriem rerum ex Ariſtot. fuiſſe neceſſariam, quia mundum ſtatuit ab æterno.

24 Conſimilibus fugis euadi poterunt cætera argumenta id probantia: vt quod ſit neceſſe admittere vnicum ſummum bonum, vnicum ſummũ ens, dicendum enim ex dictis id non concludi efficaciter abſq; fundamento fidei, ſed recurrendo ad infinitatem, ea poſſe eſſe plura, & infinita, ſicut infinitas cauſas, & infinitos fines. Conſimiliter ad id, quod dicitur de mouente, & moto, quod ſit deuenire ad vnum primum mouens: dic vt dictum fuit ad rationem de cauſa, & cauſato, apponẽdo vtrobique proceſſum infinitum: licet inter vtrumque ſit diſparitas, quia nihil cauſat ſeipſum, ſed benè idẽ mouet ſeipſum: quod ſi aſcendendo petes dari primum mouens, id negabitur cùm in infinitis non aſſignetur primũ in aſcendendo ſurſum, vt iam diximus, lege Baſſol. ſup. cit. loc.

25 Reliquum ergò eſt vt concludamus, quòd ſine fidei lumine rationes philoſophicæ efficaces non ſunt: erunt tamẽ valde apparentes, præcipuè quas adduximus ex D. Tho. Scoto, alijſque Antiquiorib. & ita iure optimo Aliacenſis, & Baſſolius hanc ſunt aſſequuti ſententiam, vt probabiliorem.

QVÆSTIO II.

Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum.

ARTIC. I.

Quid ſit propoſitio per ſe nota ex D. Thom. alijſque.

1 MVltò minus videbitur per ſe nota propoſitio hæc Deus eſt, cùm in ſuperiori quæſtione ſtatuerimus rationes naturales ad probandum deductas Deum eſſe, non ſint efficaces: nihilominus relicta vel intellectus imbecillitate, vel impotentia orta ex peccato, vel denique impedimento ex parte viæ, quibus medijs præpeditur homo ad cognoſcenda arcana Dei, vlterius ad interna accedimus, recurrendo ſaltem ad ipſũ obiectum cognoſcibile, verum ſit de ſui natura ſaltẽ, per ſe notũ, itaut vnuſquiſque aſſentiri teneatur propoſitioni huic Deus eſt, tãquam per ſe notæ. Non poterimus autem reſpondere quæſito, niſi attendamus prius explicationem terminorum quæſiti, itaut ex ſententia Theologorum diſcernamus, quæ ſit propoſitio per ſe nota, primum verò referamus ſententiam D. Tho. inde Scoti.

2 Ergò D. Thomas 1. p. q. 2. art. 1. loquendo de hoc quæſito ait propoſitionem illam eſſe per ſe notam, in qua prædicatum includitur in ſubiecto, vel eſt de ratione ſubiecti, vt homo eſt animal, vnde à D. Thoma habetur, quòd *Propoſitio per ſe nota ex D. Tho.*

omnis

omnis propoſitio primi modi dicendi per ſe ſit per ſe nota; etenim prædicatum cùm ſit de ratione ſubiecti, reddit propoſitionem per ſe notam. ſubiungit indè idem Doctor, quòd vltra hoc requiritur aliud aliquid ad hoc vt ſit omnibus per ſe nota; illud autem eſt, vt ab vniuerſis, & ſingulis concipiatur euidèter, & clarè talis propoſitio, aliàs vniuerſaliter non eſſet per ſe nota, ſed ſolùm in ſemetipſa remaneret per ſe nota: quamobrem propoſitionem ipſam in eod. artic. diſtinguit in notam in ſe, & quoad nos: primo modo erit per ſe nota omnis propoſitio, in qua prædicatum eſt de ratione ſubiecti; ſecundo autem ſolùm erit nota intellectui concipienti prædicatum, & ſubiectum: & denique diſtinctionem aliam addit deſumptam ex Boetio lib. de hebdom. *quædam eſſe communes animi conceptiones, vt incorporalia in loco non eſſe, quæ ſapientibus tantùm nota ſunt, quædam verò inſipientibus ignota*: ex quibus deducit propoſitionem per ſe notam eſſe eam, quam ſapientes tantummodo concedunt, & admittunt, quã verò inſipientes capere nequeunt, eam non eſſe ipſis per ſe notam: hęc de D.Tho.

Ex alijs. 3 Sunt alij, qui propoſitionẽ per ſe notam explicant eam eſſe, quæ ſolis Magiſtris nota ſit: vtpote, qui alios docere nituntur, oportet ſibiipſis ea quæ cæteros docent per ſe nota eſſe, ac omnino euidentia: Per Magiſtros autem non intelligunt ſolùm eos, qui ex cathedra docent, ſed eos omnes, qui etiã priuatim, & ſerio quoſcunque inſtruũt, ad ſuis dictis credendum alliciunt, certiores reddunt de re aliqua nouiter geſta, & ſimilia: vnde cum diſcipulum, & audientem exiſtimare liceat ignorare ea, quæ ab alio diſcit, inde ſoli docenti, & certiores facienti propoſitio dicatur per ſe nota.

4 Sunt denique qui parum, vel ſolo nomine à D.Tho. diſcrepantes, diſtinguunt de propoſitione per ſe nota; vel quod ſit per ſe nota nobis, vel quoad ſe: vel quod ſit per ſe nota, vel per ſe noſcibilis. altera dicat actum, vel addat ſolam potentiam abſq; actu: vtraq; autem diſtinctio in vnum coit, dũ per terminos diſtinctos partitur, in ſe, & quoad nos; in actu, & potentia.

5 Scotus autem in 1.d.2.q.1. cum Lych. cæteriſq; diſcipulis, aliter propoſitionem per ſe notam definiens, impugnare nititur diſtinctiones allatas à Diuo Thoma, ſiue cuiuſcunq; eæ ſint, tanquam non neceſſarias, & minus vtiles: intendit autem Scotus propoſitionem nõ in ordine ad aliquid aliud eſſe per ſe notam, ſed ſolùm in ordine ad ſemetipſam, vt paulò poſt dicetur: vnde diſtinctio prætacta de per ſe nota in ſe, & quoad nos, non erit per membra omnino oppoſita, etenim ſiue ab intellectu concipiatur, ſiue minimè apprehendatur, ſemper ſecundùm ſe erit per ſe nota: impugnat etiam diſtinctionem aliam in per ſe notam, & per ſe noſcibilem; quia, quòd propoſitio non intelligatur actu ab intellectu, nõ propter hoc non erit in ſe per ſe nota: vnde cùm in ſe abſque onmi intellectu cogitante ſit per ſe nota, idem erit, ac dicere eſſe per ſe noſcibilem cùm intellectus conſiderabit: quia propoſitio de ſui natura eſt per ſe noſcibilis. Redarguit denique illam de nota Sapiẽtibus, & Inſipientibus, quòd ſiuè intellectus, ait, ſit ſapiens, ſiuè rudis, dummodo terminos comprehendat, iam erit vtriſque propoſitio per ſe nota. hæc Scotus. *Scoti ſententia.*

6 Sed reuera contentio inter D. Tho. & Scot. hoc loco & ſedari poterit, & terminarì, dicendo quòd ſolùm contendant de nomine. ſi enim petes à Scoto, ac Scotiſtis, vtrũ ſit aliqua propoſitio per ſe nota, quæ actualiter non ſit ab aliquo intellectu percepta? reſpondebunt quòd ſic: hinc igitur remanet illam propoſitionem & ſi actu non ſit cognita, attamen erit cognoſcibilis in potentia. Similiter cùm non omnes ſint ſapientes, & vnus altero ſit rudior, & minùs diſpoſitus ad intelligendum, vtiq; cõcedendum erit, quòd non omnia, quæ rudis intelligere nequit, capere nequeat ſapiens, & ingenio præditus; igitur antequàm ab vtriſque capiatur veritas, optima erit diſtinctio Boetij de per ſe nota ſapienti, & rudi: Scotus autem loquitur poſtquàm vterq; iam intellexerit propoſitionem per ſe notam: ſed de hoc nulli dubium eſt: immò tunc temporis iam *Contentio videtur de nomine.*

Per ſe nota ſapienti,et ruſtico.

non erit opus vltra diſtinguere inter ſapientem, & rudem, ambo.n.circa id conueniunt.& ſimulcapiunt,licet aliũdè ſe teneat inæqualitas : ſufficit autẽ, quòd pro tali conceptu ambo percipiant;quo in negotio ambo cenſebuntur ſapientes . quare cum Scotus diſputandi ardore incenſus diſtinctiones illas impugnarit,dicimus inde benè eſſe admittendas , ſolo enim nomine diſcrepant, & ita viſum fuit Scotiſtis aliquib. excellentiorib.

Per ſe nota Magiſtro impugnatur à May. ſed eluditur.

7 Altera illa diſtinctio,quòd per ſe nota debet eſſe magiſtro , ſiuè cuicũq, certiorem facienti , non autem ei, qui fit certior,ſeu qui docetur,impugnatur à Mayrone in 1.d.2. q.1. quia in ſcientijs ſubalternantib. Magiſter , & inſtruens benè poteſt eſſe expertus , & clarus de propoſitionib.quas docet,ac in ſcientijs ſubalternatis, præſupponit principia tanquam per ſe nota in ſciẽtia ſubalternante , vnde ſibi non erit , inquit,per ſe nota:ſed hæc impugnatio nulla eſt ; etenim in ſcientia ſubalternata docens poteſt idem principium talis ſcientiæ peroptimè apprehendere,atq; addiſcere ſiuè per eam,ſiuè per ſubalternantem ſcientiam , & ita erit ſibi per ſe notum principium illud , quamuis prout in ſubalternata ſcientia non ſit probatum, ſed abſolutè cõceſſum,ſupponendo probatum fuiſſe in ſubalternante ſcientia ; qua propter poterit idem eodẽ principio cæteros inſtruens,habere prius illud veluti per ſe notum,ac primarium principium . Inſuper diſtinctio illa mihi admodum placet , quia qui cæteros docet opus eſt,vt optimè perceperit prius, ac vndequaq; intellexerit,quæ alios docet ; quomodo namq; cæteros docebit, qui prius non ſtuduerit , aut certus extiterit de ijs,quæ alios docturus fuerit: & ex alio capite diſcipulos , alioqui non adhuc prouectos in arte, nec apprimè inſtructos , nonnulla ignorare contingit,& ea pauca,quæ ſciunt, minùs aptè intelligere : atq; magiſter eo excellentior,ac dignior æſtimabitur,quo magis nota,ac firma apud ſe erunt, quæ alios docet : quapropter hoc ſenſu optimus eſt diſcurſus contra Mayronem, debere Præceptori propoſitiones,quas docet,eſſe apprimè,& per ſe notas . Vnũ tamen addendum , hoc quod dicimus de per ſe noto,non ſolùm Magiſtro in ordine ad docendum debere conuenire : etenim etſi nullum doceat, nihilominus eſſet per ſe nota propoſitio ; quare ſiuè doceat, ſiuè nõ inſtruat,hoc nihil intereſt,id ſufficit,vt cuicunq; intellectui cognoſcenti , nota per ſe ſit propoſitio de qua loquimur: ſed plura in ſeq.artic.

Scoti confutatio de per ſe nota & per ſe noſcibili.

8 Confutat verò Scotus diſtinctiones allatas à D.Tho. & primo ait non debere diuidi in per ſe notam,& per ſe noſcibilem . etenim vel primum membrum coincidit cum ſecundo,vel nulla diuiſio:ſiquidem iſta non debent eſſe membra diſtincta, ſicut euenit in bona diuiſione: nam non dicitur per ſe nota ex eo,quod actualiter cognoſcatur , & ſi.n.nullus cognoſceret, iam nulla eſſet per ſe nota,ſeù omnis propoſitio, quã actu noſceret intellectus eſſet per ſe nota , quæ ambo ſunt falſa , ſed per ſe nota dicitur, quæ quantum eſt de ſe nota eſt facere euidentiam intellectui. Similiter improbat alteram diuiſionẽ de nota in ſe,& in nobis: & ait coincidere in vnum,vt præcedentia: & ſecũdùm membrum non datur , quia quæcunq, eſt per ſe nota in ſe , illa eadem eſt apta nata eſſe per ſe nota cuicunq; intellectui cognoſcenti terminos:ſicut ſyllogiſmus ille dicitur neceſſarius,qui nullo indiget,vt ſit neceſſarius,& licet à nullo cognoſcatur,eſt tamen in ſe neceſſarius . item reſpuit illam alteram de nota ſapientib. & inſipientibus dicitq; omnibus eſſe per ſe notam quotieſcunq; nouerint termini, ſiuè ſapiẽtes fuerint,ſiuè inſipientes, hæc.n.omne totum eſt maius ſua parte eſt nota omnibus,etiam ruſticis,quandiù comprehendunt terminos.

Scotus arguitur. defenditur.

9 Verùm liceat contra eundẽ Scotum arguere, quia ipſemet vſus fuit ijſdẽ membris confutatæ diſtinctionis de per ſe nota in ſe,& nota nobis:ſiquidẽ diſcurrẽdo circa propoſitionem Deus eſt,ait eſſe per ſe notam in ſe , & non quoad nos:ergò coincidit cum D.Th. Inſuper contrarius ſibi videtur, quia dixerat ad propoſitionem per ſe notã ſufficere cognitionem confuſam terminorum,inde autem addit, Deus eſt, eſſe per ſe notam intellectui diſtinctè

con-

concipienti terminos, de quo tamen negat per ſe noſci à nobis, quia confuſè concipimus. Sed reſpondetur ad primùm, confutare diſtinctiones allatas, tanquam datas per membra diſtincta, & diuerſa, at membra hæc, notum in ſe, & quoad nos, noſcibile & actu cognitum, non ſunt membra diuerſificantia propoſitionem, niſi ex accidenti, quapropter confutat tanquàm fieret diuiſio per membra diuerſa: non autem improbat, quatenus in ſe ſpectata eſt per ſe nota, in ordine autem ad intellectum non actu intelligentem non erit per ſe nota, hoc.n.concedit Scot. & diſtinctiones ſub his reſpectib. datas non confutat, ideoq; ſupra dixi concordari poſſe D.Tho. & Scot. ſicut etiam in cæteris diuiſionib. vel non erit per ſe nota, quoad nos, quia non concipimus terminos, vt oportet ad propoſitionem per ſe notam, vnde in ſe remanebit per ſe nota, & non nobis. Reſpondent alij ad ſecundùm, adeò ſufficere Scoto notitiam confuſam, vt non ſit neceſſariò requirenda cognitio per demôſtrationem, aut per diffinitionem: hi ſunt Fauentin. in 1. diſp.14.c.1. & Vulp. t.1. diſp.5. art.1. Sed non placet, quia nec pro notitia diſtincta propoſitionis per ſe notæ requiritur ex Scoto cognitio definitionis; ideò dicendum, quòd ſi termini poſſunt concipi immediatè ex ſeipſis, ſufficit notitia confuſa: vt totũ eſt maius ſua parte: ſi verò immediatè nequeunt concipi, requiritur altior, & diſtinctior notitia, vt iſta Deus eſt, cõcipitur mediantib. creaturis, & conſequenter imperfectè, ideoq; non erit per ſe nota, vt autem fiat notior, oportet haberi notitiam diſtinctè, ſed aliũdè ex reuelatione, ait, Damaſc. lib.1. c.1. melius autem reſpondetur, quòd ad habendam de Deo notitiam ſub conceptib. communib. ſufficit notitia confuſa: requiritur tamen diſtincta, vt habeatur de conceptib. proprijs.

Reſponſio Fauent. & Vulpes eluditur.

ARTIC. II.

Affertur completior explicatio propoſitionis per ſe notæ.

Per ſe nota multipliciter dicitur.

1 NEgotium autem hoc exactius explicãdo, plurib. modis euenire poſſe dicimus, vt propoſitio aliqua vocetur per ſe nota. quandoq. n. id quòd communiter conceditur ab omnib. dicere ſolemus, hoc eſt per ſe notum, quia res patens eſt, & adeo clara, vt factum hoc negari non poſſit. iſta eſt communis apud vulgum acceptio propoſitionis per ſe notæ. quandoq; etiam aliquid ex experiẽtia adeò innoteſcit, vt quamuis poſitum non ſit in actu, nihilominus teſte experientia dicere ſolemus, id eſſe clarùm, certum, infallibile, ac per ſe notum ita futurũ fore; cum ex multis experimentis res tali experimẽtali certitudine comprobetur. aliquando inſuper res, & rei veritas adeò patet ad ſenſum, vt illam negare ſit prorſus erroneum, vel fidem non præſtare credenti ſit prorſus error: qua ratione dicimus eſſe per ſe notùm Romam eſſe, cùm ipſam omnes tuto credant, & ſi Romę nuſquam fuerint: vel niuem eſſe albam, ignem calefacere, & ſimilia, veluti per ſe nota ab omnib. recipiuntur, ita vt negantes & riſui ſubiaceant, & ludibrio adſtantiũ, immò teſte Auerr. ſint igni, & verberib. exponendi. inter quæ multa cumulare poſſumus, vt totum eſſe maius ſua parte: diſtribui tẽpora in dies, noctes, hebdomadas, menſes, luſtra, ac ſæcula: animal eſſe ſenſitiuum, & ſimilia, quæ nullo modo negari poſſunt: Verùm cũ hi modi non longè diſtent à veritate, non adeò præſſius, ſeù diſtinctius, vt oportet, explicant propoſitionem per ſe notam.

Propoſitio per ſe nota quid.

2 Ideo vicinius accedendo multa de ea dicimus, & primum ſit. *Propoſitio per ſe nota eſt illa, quæ ex ſola cognitione ſui nota eſt, ita vt nulla alia indigeat ſiuè à priori, ſiue à poſteriori demonſtratione ad hoc, vt ipſa nota ſtat intellectui.* hæc mihi videtur optima huiuſce ne-

gotij explicatio:& probatur, quia cùm dicimus per ſe, habemus illud prout contradiſtinctum ab altero, ſeù per alterum: quapropter ſi quæ propoſitio probabitur per alteram propoſitionē, iam erit nota per alteram, ergo remaneret vt non eſſet nota per ſe: igitur quæ nota eſt de ſe ſola, iam remanet vt per alteram non innoteſcat, nec conſequenter dicatur per aliam nota, ſed per ſe nota. Addendum tamen vlterius, quòd dum excluditur cognitio omnis extrinſeca, ſiuè cognitio per alteram, non tamen excludenda venit cognitio propriorum terminorum: probatur, quia ſicut eſſentialiter propoſitio cōſtat ex terminis, ita cognitio propoſitionis eſſentialiter dependet à terminis: & ſicut demptis terminis deſtruitur propoſitio, ita quoq; non cognitis terminis, non habebitur de propoſitione aliquid notum. totus iſte diſcurſus probatur ex Ariſt. primò poteſt: t.21. dicente, prima principia cognoſcimus inquantùm terminos cognoſcimus. eſt autem propoſitio per ſe nota veluti principium primùm in omni arte, ergò eius cognitio pendet ex terminis. tum etiam in 2. metaph. in initio, prima principia vocat idem Ariſt. penès quæ non contingit errare. ratio autem huius eſſe poteſt, quia cùm ab ab omnib. cognoſcantur tanquàm vera, & tanquam communiter acceptabilia, inde fit vt aſſerere poſſe irrepere errorē circa prima principia, ſit prorſus à veritate alienum, & à communi longiſſimùm animi conceptione: retenta igitur cognitione terminorum, excluditur à per ſe nota propoſitione omnis vlterior demonſtratio, ſiuè à priori, ſiuè à poſteriori.

Requiſita propoſitionis per ſe notæ.

3 Dicendum ſecundò ad propoſitionem per ſe notā requiri, vt ſit propoſitio neceſſaria ſiuè de neceſſariò prædicato: conſequenter excluditur prædicatum contingens, ratione cuius nulla propoſitio poterit in rigore vocari per ſe nota. vnde propoſitiones iſtæ nix eſt alba, ignis eſt calidus, ſuperficies eſt colorata, cęlum mouetur, non poterunt in vera loquutione philoſophica vocari propoſitiones per ſe notæ. Probatur propoſitio per ſe nota eſt ea, quæ cognitis terminis ſtatim apparet neceſſriò eſſe vera, vt hęc homo eſt animal rationale: etenim prædicatum neceſſariò, & eſſentialiter dicitur de ſubiecto, & apprehenſis diſtinctè terminis ſtatim apparet eſſe vera: at in propoſitionib. allatis non concluditur neceſſariò veritas ex ſola appræhenſione terminorum; patet diſcurrendo per ſingulas, in hac enim, ignis calefacit, prædicatum non eſt de ratione ſubiecti, immò poteſt Deus calorem ſeparare ab igne; igitur cum in ordine ſaltim ad potentiam abſolutam poſſit fieri ſeparatio, ſequitur vt non ſit per ſe nota propoſitio iſta, nam contingenter per potentiam abſolutā ineſt igni calor, licet neceſſario ex potentia ordinata. ſimiliter tenendum de cæteris, de niue, ſuperficie, de cęlo, & ſimilibus, poſt diem enim iudicij ceſſabit à Cœlo motus; poſt etiam Deus à ſuperficie ſeparare omnem colorem, ac ſegregare albedinem à niue. igitur ad per ſe notam propoſitiouem requiritur vt prædicatum neceſſariò ſecundùm vtramque Dei potentiam, ordinariam, & abſolutam, inhæreat ſubiecto, ſitq; de ratione ſubiecti.

4 Eſt nihilominus verum, quòd extendendo nomen propoſitionis per ſe notæ iuxta acceptiones, quas initio attulimus, poterunt omnes propoſitiones allatæ dici per ſe notæ, ſiquidē communis animorum conceptio eſt aſſerere niuem eſſe albam, ignem calidum, ſuperficiem coloratam, Cœlum actu moueri; & his ſimilia: tùm quia id experimento conſtat, tùm quia patet ad ſenſum, tùm denique, quia nullus id negat: ſub his namque rationib. ſolet quandoq; extenſo vocabulo vocari propoſitio per ſe nota, vt initio fuit dictum: quæ etiam enunciationes & ſi penès intellectum in rigore non ſint per ſe notæ, ſunt tamen notæ ad viſum, ac ſenſum: licetque de potentia contrarium ijſdem propoſitionib. euenire poſſit, de facto tamen ita res ſe habet, ſenſui autem per ſe nota ſunt ea quæ patent ad ſēſum, ideo ſic ſuo modo erunt per ſe notæ.

Per ſe notā debere eſſe claram.

5 Dicimus tertiò propoſitionem per ſe notam opus eſſe vt ſit clara, & euidens, quo negato non amplus eſſet nota, ſed ignota. probatur hoc: dum ſumus

mus in notione propoſitionis quærimus claritatem eius, atque euidentiã, ſicut à contrario dum ſumus in ignoratione propoſitionis, excludimus euidentiam omnem,& claritatem,quia ignorantia, & notitia oppoſita ſunt, ergò diſcurrunt per diuerſa media,igitur altera euidentiæ nititur,& altera ineuidentiæ: inſuper da oppoſitum, & iam habebis de propoſitione cognitionem confuſam,non ergò diſtinctam, nec conſequenter erit per ſe nota.Probatur etiã optima ratione, omne perfectibile aut habet perfectionem à ſe, aut ab alio; ſi à ſe, ergò eam perfecto modo habet, ſi ab alio, & eſt perfectibile creatum,imperfecto modo habet: ſed euidentia eſt perfectio propoſitionis, ergò tãdiu erit perfecta propoſitio quamdiu talẽ perfectionem habebit:quòd ſi contingat eam habere per aliam propoſitionem, non erit adeò perfecta, perfectior autem erit cũ euidentiam habuerit à ſemetipſa per euidentiam, ac cognitionem diſtinctam propriorum terminorum,ergò euidẽtia, & diſtincta notitia eſt de eſſentiali conceptu propoſitionis per ſe notæ. Confirmatur, quia euidentia eſt conformatio veritatis intellectus ad propoſitionem, ſeù veritatis propoſitionis ad intellectum, igitur eo erit perfectior propoſitio in ordine ad intelligi,quo maiorem poterit,& euidentiorem cauſare notitiam ſui ad intellectum.

Debere eſſe immediatam.

6 Dicimus quartò, propoſitionẽ per ſe notam debere eſſe immediatam, & primi modi dicendi per ſe. hãc probo, quia propoſitio per ſe nota eſt ea, quæ non poteſt demoſtrari à priori, vt iam diximus,ergò neceſſe eſt vt ſit immediata; probatur conſeq. ſi eſſet mediata, iam probari poſſet per antecedentem enunciationem, vt riſibilitas de homine non eſt per ſe nota, cùm ſit ſit mediata, & probari poſſit per rationale, quæ eſt immediata. item eſt contradictio in terminis dicere per ſe notam, & dicere mediatam, ergò erit immediata. inſuper non eſſet differentia inter per ſe notã, & per aliam propoſitionem notã; & nihilominus propoſitio per aliã nota eſt mediata, quia per aliud medium eſt nota, ergò quæ eſt per ſe nota, erit quoque immediata, vtpote non per aliam, ſed ex ſe ſola noſcibilis, probatur autem ſecunda pars, quod ſcilicet debeat eſſe primi modi, omnes propoſitiones huiuſmodi ſunt demonſtrabiles, patet de paſſionibus demonſtrabilibus per quidditatem:ergo nulla quæ ſit primi modi erit demonſtrabilis, aliàs primi modi propoſitio eſſet ſecundi modi,& quidditas ſubiecti eſſet formaliter in ordine, atque in loco paſſionis.rurſus quæ eſt primi modi habet rationem primi principij in tali materia, vt in materia de homine,primum principium metaphyſicum eſt, quod ſit animal rationale,conſtans ex genere,& differentia:in phyſica,quod ſit quid compoſitum ex anima intellectiua, & ex corpore ſenſitiuo;in Theogia,quod ſit ordinatus ad Deum ſub ratione cultus latriæ, fruitionis,beatificationis,& ſimilium: prima autem principia ſunt immediata; ergò concludatur propoſitionem per ſe notam debere eſſe primi modi, & immediatam; vnde etiam apertè colligimus omnem propoſitionem primi modi, & immediatam eſſe per ſe notã; hanc defendit Lychet.1.diſp.2. q.1. & Caetan.ad cit.loc.D.Tho.Fauentinus autem tùm in 1.d.2. q.1, tùm in naturali philoſ.Theorem.7. eam negat,dicens non eſſe veram: qui tamen inde in fine eiuſd.Theorematis c.2. expreſsè aliud ſentit,dicendo propoſitionem immediatam eſſe per ſe notam, dummòdo termini concipiantur diſtinctè.

Scoti mens diſquiritur

7 Sola controuerſia remanet quid de re iſta ſenſerit Scotus, & quidem d.2.q.1.primi lib.expreſsè ait hanc nõ eſſe per ſe notam, *homo eſt animal, homo eſt ſubſtantia,corpus,& ſimilia*,quia propoſitio de prædicato ſuperiori nõ eſt per ſe nota. in hunc etiam ſenſum eum trahit Lychetus, dicens Scotum nolle propoſitiones modi primi eſſe per ſe notas,ita quoq; Fauent. & alii. Verùm hi non aſſequuti ſunt mentem Scoti, non enim negat propoſitiones primi modi eſſe per ſe notas,nec dicit abſolutè propoſitionem hanc, *homo eſt animal.* non eſſe per ſe notam, ſed ait quòd concipiendo terminos iſtos confuſè, non vtique erit per ſe nota: quòd ſi termini diſtinctè concipiantur,

Lycheti reſpõſio eluditur.

erit

erit propoſitio iſta per ſe nota. dicit.n. ſic Scotus; *omnis propoſitio per ſe nota terminis confuſè acceptis, eſt etiam per ſe nota terminis diſtinctè conceptis, ſed non è conuerſò, ideſt, per ſe nota terminis diſtinctè acceptis, ſit per ſe nota terminis confuſè acceptis: quia qualibet propoſitio neceſſaria, quæ eſt vera per ſe primo modo, vt homo eſt animal, eſſet per ſe notum, quod tamen non eſt verum, nam ſi ratio vtriuſque extremi aſſignetur ex rationibus extremorum diſtinctè conceptis, apparet manifeſtè quòd vnum extremum includit aliud.* hæc Scot. vbi de duplici comprehenſione loquitur circa talem propoſitionem, de confuſa primum, & in fine de diſtincta; & poſtmodum cõcludit quòd ex conceptione diſtincta extremorum apparet vnum includi in altero, & conſequenter eſſe propoſitionem per ſe notam, quæ tamen conceptis prius extremis confuſè negatur ab eodem Scoto, vt ſic, eſſe per ſe notam. quapropter ſupra adnotauimus ſumi quandoque per ſe notum pro eo, quod diſtinctè patet, & apertè. immo ſubiunximus per ſe notam debere eſſe claram, euidentem, & apertã, aliàs non eſſet nota, ſed ignota, quo dato ait Scotus, propoſitionem de terminis diſtinctè conceptis eſſe per ſe notam, quæ tamen per ſe nota nõ erit ſi termini concipiantur confuſè. & ad conditiones reſpiciendo requiſitas ad per ſe notã; patebit amplius quæ fuerit mens Scoti, ratione ſiquidem conditionis, quod debeat eſſe primi modi, neceſſaria, & immediata propoſitio per ſe nota, ac denique clara, & ſenſui, atq; intellectui aperta, conſtat de eius mente, vt propoſitio hæc *homo eſt animal*, ſit per ſe nota, inſpiciendo ad immediationem, neceſſitatem, atq; prædicationem primi modi, ſiquidem prędicatur animal in primo modo; eſtque prædicatio immediata, & denique eſt enunciatio de prædicato neceſſario, ſicq; apud eum eſt per ſe nota: ſpectãdo autem conditionem alteram, vt appareat clarè, & apertè veritas talis propoſitionis, non quidem erit per ſe nota ſi termini concipiantur confuſè, cum verò cõcipiuntur diſtinctè, apertiſſimè erit per ſe nota: & talis eſt ſenſus Scoti; ideoq; ſubiungit, propoſitio per ſe nota terminis diſtinctè acceptis, non eſt per ſe nota terminis confuſè conceptis.

Scotus explicatur.

8 Vt autẽ melius percipiatur Scoti mens ſciendum quod ipſe deſcribendo propoſitionem per ſe notã, ita ait; *dicitur propoſitio per ſe nota, quæ ex terminis proprijs eius, vt ſunt eius habet veritatem, & non propter aliquid aliud; quòd ſit extra terminos proprios, ſed ex ſe tantùm, vt omne totum eſt maius ſua parte:* & paulò ſuperius dicit, *cùm dicitur propoſitio per ſe nota, ly per ſe non excludit quamlibet cauſam quia non excludit terminos propoſitionis, ſed excluditur quæcunque cauſa, & ratio, quæ eſt extra per ſe cõceptum terminorũ.* Aperta autem mens eius eſt, vt illa dicatur per ſe nota, ad cuius per ſe notitiam ſufficit cognitio terminorum: vnde ex oppoſito infert propoſitionem non fore per ſe notã, quæ ex terminis proprijs non innoteſcit; & ſi vt fiat nota requireret diſtinctam cognitionem procedentem ex diſcurſu, & definitione, nullatenus erit per ſe nota: de qua quidem cõcedendum fore notam, quia erit ex demonſtratione; ſed negandum fore per ſe notam, quia non eſſet ex proprijs terminis nota: ſed ex vlteriori diſcurſu. hæc eſt germana mens eius.

9 Probat autem intentum ſuum; quia propoſitionem, & principia noſcimus in quãtum terminos cognoſcimus ex Ariſt. 1. poſt. 21. prima autem principia ſunt per ſe nota, ergò ad eorum notitiam ſufficit diſtincta notitia terminorum: quod ſi ea non ſufficiat, iam non erunt per ſe nota, ſed noſcibilia per demonſtrationem, & non per ſolos terminos, ad per ſe notam verò non amplius requiritur, quàm notitia terminorũ. Confirmatur ex eod. Ariſt. 2. met. in princ. cùm ait, circa principia errare non poſſumus; ergò talia ſunt vt ex abſoluta notitia terminorum fiãt nota. Inſuper declarando idem Scot. quinam termini ſunt cognoſcendi pro propoſitione per ſe nota: inquit, non oportere noſcere terminum definitionis, quia iſte eſt terminus diſtinctè cognitus per diſcurſum; definitio namq; facit diſcurrere in diſtintam notitiam rei: ſed ſufficit noſcere terminum definitum

nitum, hic namque importat ſufficienter cognitionem ipſius rei: ac propterea ipſe differentiam admittit inter diffinitionem, & definitum, non quod differant eſſentialiter, quoniam ambo important eumdem eſſentialem conceptum, ſed ſufficit ſibi pro nunc differentia hæc, quod diffinitio dinctè ſignificat per diſcurſum, & definitū per terminos.

10 His ſuppoſitis infert, prædicationes primi modi non eſſe omnes per ſe notas, vt homo eſt animal, corpus, ſubſtantia; etenim iſtæ, & ſimiles ſæpè ſunt ignotæ, & de ipſis non leuis inſurgit cōcertatio: deducit etiam, nec propoſitiones neceſſarias, aut immediatas eſſe ſic per ſe notas: propter rationem eamdem. igitur ex eius mente ſola illa eſt per ſe nota, quæ patet ex terminis diſtinctè acceptis, & quæ non indiget demonſtratione.

11 Applicando autem ad principale dubium: iſta *Deus eſt*, non eſt per ſe nota nobis, ait Scot. quia inter cōceptus, quos hic de Deo prius habemus de creaturis eſt conceptus entis infiniti, ſummi boni, & ſimilium, non eſt autem pro ſtatu viæ per ſe notum, prædicatum *eſt*, inhærere Deo, ſed eſt demonſtrabile: eſt verò per ſe nota ſi apprehendantur termini diſtinctè, prout apprehendit Deus, & Beati. Dices obſtare Damaſc. l. 1. cap. 1. dicentem, *Deum eſſe, cognitio eſt omnibus naturaliter inſerta.* Reſpondet Scot. hanc cognitionem eſſe admodum cōfuſam, tum quia habetur per creaturas, tum quia concipitur ſub terminis communibus: at non concipitur ſub terminis proprijs naturaliter; ideoque ſubdit Damaſc. *nemo nóuit eum, niſi quantum ipſe reuelauit.* nec etiam obſtat quod diximus, eſſe cognitionem naturaliter inſertam: quoniam loquitur de potentia cognitiua naturali, qua facile per creaturas poſſumus Deum cognoſcere, ſed in conceptibus communibus confusè, non autem in conceptu proprio ex proprijs.

Arguitur ex Damaſcen.

ARTIC. III.

Demōſtratur quęnam propoſitiones de Deo ſint per ſe notæ, & quænam demonſtrabiles à priori.

1 VT autem ad principalis quæſiti ſolutionem deſcendamus, in præſentiarum remanet diſcutiendū an propoſitio ipſa *Deus eſt*, ſit per ſe nota: quæſtio autem in terminis ſoluēda eſt, ita vt ſiſtendo in terminis quæſtionis, qui ſunt, *Deum eſſe*, in ipſis quidem abſolutè ſumptis ſit lis omnis, ac vniuerſa præſens quæſtio decidenda: ſolent namq; cum occaſione talium terminorum quamplurimæ aliæ quæſtiones implicari, vt *Deum eſſe ens neceſſarium, eſſe infinitum, ſummum bonum, primum principium*, & ſimilia: quę occaſione principalis quæſiti conſequenter ſoluuntur. inde verò nonnulli excogitantes vnum, & idem eſſe, quærere an Deus ſit, & an ens infinitum ſit, & neceſſarium, & ſimilia. eodē modo æſtimarunt ſoluenda forè hæc ſubſequentia quæſita, quemadmodum, & antecedens, in quo tamen maximè errarunt, vt videbimus, diſcurrendo autē per ſingula primò videamus de propoſitione primaria, quæ exquirit de Dei eſſe, inde verò de neceſſitate eſſendi, de ſummo bono, & huius generis.

2 Sit prima propoſitio *Deum eſſe* eſt in ſe per ſe notum. Conuincitur ex conditionib. requiſitis ad propoſitionem per ſe notam. ex autem ex artic. præcedenti ſunt neceſſitas, immediatio, & prædicatio in primo modo dicendi per ſe: hæc autem omnia competunt propoſitioni huic, ergo eſt per ſe nota. probatur autem per ſingula. prædicatū neceſſariò effertur de ſubiecto, nempè eſſe de Deo, & adeò neceſſariò, vt ſupra ſtatuerimus exiſtentiam eſſe de intrinſeca ratione Dei, id quod ipſemet per Moyſen confirmauit Exo. 3. *ego ſum qui ſum*, ergò propoſi-

Deum eſſe per ſe notū probatur ex capite neceſſitatis eſſendi.

poſitio, in qua prædicatur eſſe de Deo eſt per ſe nota. Confirmatur, quod rueret tota entium creatorum machina ſi de eſſe Dei dubitaretur; etenim cùm vniuerſa emanent ab ipſo Deo, ablata neceſſitate eſſendi à primo principio, reſtat vt ſtatim dubitaretur de machina vniuerſi: quæ tamen etſi ſua natura defectibilis ſit, nihilominus à Deo ipſo perpetuari poterit, & conſeruari, prout de humanâ ſpecie, atq; Angelica faciet poſt terminum Iudicii: quin Ariſtoteles mundum poſuit ab æterno.

Ex capite immediationis. 3 Ex membro altero de immediatione propoſitionis conuincitur, propoſitio immediata non poteſt à priori demonſtrari: ergò Deum eſſe eſt per ſe notum: antecedens remanet probatũ præced. articulo: & conſequens probatur, quia propoſitio hæc eſt immediata, ergò per ſe nota. probatur aſſumptũ inter omnia prædicata primùm prædicatũ eſt eſſe, ergò eſſe eſt prędicatũ immediatũ: conſequẽs patet, & probatur antecedẽs, entitas, & quidditas in quocũq; ſubiecto ſiuè creato, ſiuè Deo, eſt primaria radix à qua pullulant paſſiones, modi intrinſeci, attributa, & prædicata omnia neceſſaria, & omnia hæc inſuper demonſtrabilia ſunt per illud eſſe, igitur immediatè competit ſubiecto cuicunq; per eſſe autem, ſeu quidditatem diuinam demonſtrantur omnia, quæ in diuinis ſunt, patet, quia eſſentia præſupponitur modis internis, & attributis. eadem quoq; antecedens eſt ad Patrem, cæteraſq: perſonas Trinitatis, cùm autem id per quod primario in vnoquoq: ſubiecto demonſtrantur omnia de eo, ſit primùm contentũ in eo, atq; immediatiſſimum, ita vt nullum ſibi antecedat, ſequitur diuinum eſſe immediatè competere ipſi Deo, & conſequenter Deum eſſe, propoſitionem facere per ſe notam.

Ex capite prædicationis in primo modo dicendi per ſe. 4 Remanet tertiùm, nempè prædicatio in primo modo dicendi per ſe:, ex hoc autem id prorſus ſuadetur; eſſe prædicatur de Deo in primò modo, ergò eſt per ſe notum. probatur antecedens, quia da oppoſitũ, & tunc prædicabitur in ſecùndo, vel tertiò, vel quarto modo: quęro autem ſi non primò modo prædicatur, quidnam prædicabitur de eo in primò modo? id autẽ cùm non ſit eſſe, erit vel modus intrinſecus, vel attributa, vel cauſalitas; hæc verò implicare eſt apertum, ergò eſſe prædicatur in primò modo. Confirmatur in creaturis etiam eſſe prædicatur in primò modo iuxta Ariſt. initio primi libri poſter: ergò multo magis in Deo. rurſus, ipſum eſſe, ſeu quidditas eſt radicale initium attributorũ, ac paſſionum, & quorumcunq; circa ſubiectum accidentium, ergò erit prædicatum primi modi. quò circa ex his rationib. competẽtib. propoſitioni per ſe notæ deducitur neceſſariò Deum eſſe, quòd ſit per ſe notum. hanc concluſionem ſtatuimus cum D. Anſel. proſol. c. 3. Scot. loco ſup. citato, qui expreſsè eam concedit ſub hiſce terminis, licet falsò eum pro contraria ſententia citent: Lycheti, & Scotiſtarũ ibid. D. Tho. loco recenſito, ac ſequacium, dùm aſſerit in ſe eſſe per ſe notam. Richard. Durand. Alber. Hera. ac plurimorum in 1. d. 2. q. 1. paucis exceptis. quam etiam cõfirmamus ex ſcripturis, & Patrib. Iob. 36. *omnes homines vident Deum.* Roman. 1. *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta conſpiciuntur.* Sap. 13. *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcimus Creatorem*; & conſimilibus alijs Scripturæ locis ſuperiori quæſt. artic. 2. recenſitis: quamuis non omnia eundem contineant efficaciæ modum in oſtenſione talis ſubiecti, prout ibi etiam fuit demonſtratum. Cicero etiam id docuit l. 1. de natiuit. Deor. *gentes omnes*, ait, *perceptionem quamdam habere, quòd Deus ſit, naturaliter hominum animis, ſine lege, ſine more, ſine inſtituto, aut ſine doctrina inſertam.* hæc ille. & ex Hieronym. ad Galat. cap. 1. *perſpicuum eſt*, ait, *omnibus Dei ineſſe notitiam.* & expreſſius Damaſcen. lib. 1. de fide orthod. cap. 1. *nemo eſt mortalium, cui naturaliter notum non ſit Deum eſſe.* & ibid. ait, *attamen nequaquam nos deſeruit Deus omnimoda ſui circumfuſos ignorãtia, quinimo cunctis cognitio, quod Deus ſit, ab ipſo naturaliter inſita, ac genita eſt*: & Auguſt. tract. 106. in Ioann: *hæc eſt virtus*, ait, *veræ diuinitatis, vt creaturæ ratione vtenti non omnino, ac*

peni-

penitus poſſit abſcondi. authoritates reliquas congeſſimus ſup. quæſt. præced. quæ licet quoad modum oſtendédi non conuincant, vt ibi declarauimus, nihilominus communis Dei notitia penès vniuerſos inde coarguitur, atq; elicitur.

Vera eſt in cognitione intuitiua, & abſtractiua.

5 Tranſeamus autem vltro, atq; præcedenti concluſioni addendo, magis ipſam explicemus: vt vera ſit in quacunq; cognitione ſiuè intuitiua Dei, ſiuè etiam abſtractiua; qua ratione beati habentes de Deo intuitiuam notitiam, iuxta illud *videbimus eum ſicuti eſt*, vtiq; per ſe notum habent ipſum eſſe: idipſum in cognitione abſtractiua competit viatorib. etenim imperfecta cognitio quatenus abſtractiua eſt non impedit, vt noſcatur ſub ratione per ſe notæ propoſitio iſta. probatur primùm, id circa quòd non contingit errare, eſt per ſe notum; ſed non contingit beatos errare circa notitiã Dei, ergò eum eſſe eſt ipſis per ſe notum. minor patet ex loco pſalmi citati, videbimus eum ſicuti eſt, vnde ſine errore, ac fallacia ipſum ſe intuitib. beatorum obiectabit; maior autem veriſſima apparet, præcipuè ex ijs, quæ præcedenti articulo ſtatuimus in initio de propoſitione per ſe nota. & licet ratio maioris iſtius non admodum cogat, quia non contingit errare, quod nix ſit alba, quia patet ad ſenſum, attamen quia deduximus in ſuperiori articulo eam non eſſe per ſe notam, niſi ad ſolùm ſenſum, qui vltro non diſcurrit, ſed id quod primò videt apparet ſibi verum, & per ſe notum, ideo ex maiori illa deducitur ſaltem, quòd quoad ſenſum comprehenſorum, qui intuitiuè vident, erit per ſe nota iſta propoſitio. licet aliundè ex præcedentis diſcurſus ratiocinatione per ſe notam habeant propoſitionem eandem. ſ. ex triplici illo capite immediationis, neceſſitatis, & prædicationis in primo modo dicendi per ſe: vtcunq; autem ſit negari nequaquam poterit cùm pateat ad ſenſum; & cõuincitur vlterius, quia intuitiua cognitio eſt perfectiſſima inter omnes, & eo magis perfecta eſt notitia, quo eſt notitia oculata, ibi autem vident Deum facie ad faciem, ergò in cognitione quoque intuitiua erit per ſe nota propoſitio noſtra.

6 Idem dicendum eſt omnino in cognitione abſtractiua; licet. n. hæc de ſui natura imperfectior ſit illa; nihilominus in ſubiecta materia idem attingendo obiectum, ambæ reddunt propoſitionem veram, & per ſe notam. patet: quia licet intuitiua perfectior ſit quatenus præſentẽ habeat Deũ ipsũ, abſtractiua abſentem, illaq; intenſius, hæc minùs intensè, & remiſsè feratur in Deum; nihilominus propoſitio in vtraq; notitia erit per ſe nota. de prima iam eſt dictum: & de ſecunda non occurrit ampliùs multiplicare probationes; eæ. n. quas initio articuli ex triplici illo capite deduximus, eæ inquam probant, & oſtendunt apertè in abſtractiua notitia propoſitionem eſſe per ſe notam. eſt igitur in hiſce terminis Deus eſt, propoſitio aperta, & per ſe nota.

7 Sed diſcutiamus vtrum in alienis terminis eadem propoſitio ſit per ſe nota; termini autem de quib. quærimus ſunt infinitas, bonitas, neceſſitas, & ſimiles: vt potè quærendo vtrum Deum eſſe infinitum, ſummum bonũ, ens neceſſarium, ſit per ſe nota propoſitio, nec quæſtio hæc eadem eſt cùm præcedenti, vt quamplurimi errant; ſed diſtincta: quapropter videndũ erit vtrum eæ ſicut prima, ſint per ſe notæ. Ad quod reſpondendum eſt negatiuè: & ratio eſt, quia poſſunt à priori demonſtrari. genera autem probationum hæc ſunt. quidquid eſt hæc eſſentia diuina, id eſt neceſſe eſſe: ſed aliquod ens eſt diuina eſſentia, ergò aliquid eſt neceſſe eſſe. antecedens patet cum tali eſſentiæ competat neceſſariò eſſe: vndè cum probetur neceſſitas per eſſe præcedens illius ſubiecti, de quo prædicatur, remanet non eſſe per ſe notã. probatio eadem afferenda eſt de infinitate, & ſummo bono, arguendo ſimiliter, quidquid eſt diuina eſſentia eſt infinitum, ac ſummum bonum, ergò ſummum bonum, & infinitum exiſtit, vel forma ſic, quidquid eſt diuina eſſentia, illud verè exiſtit in rerum natura: ſed infinitum, & ſummum bonũ, ac neceſſe eſſe eſt eſſẽtia diuina, ergo exiſtit. antecedens probatum remanet ſupra ex præcipuo illo tertio capite Exo.

Vtrum eſſe infinitum, bonum, neceſſe eſſe ſit per ſe notum.

ego ſum qui ſum; cæteriſq; ſuo loco deductis: igitur conſimilia prædicata de Deo non ſunt per ſe nota. Probatur inſuper. propoſitio per ſe nota eſt cõtinuo cognoſcibilis ex terminis: ſed infinitum; & neceſſe eſſe non ſubito ſic apprehenditur; ſolemus.n.per fidẽ, ſiuè per demonſtrationes cæteras id ſuadere intellectui, prout præcedẽti quęſtione fuit actum. Vlterius, per ſe notum à nemine reſpuitur, ſed conceditur ab omnibus, ſed dixit inſipiens nõ eſt Deus. pſalm. 13. item Auicenna 1. met. docuit non eſſe per ſe notum Deũ eſſe. Addeſdemum tàm varias, diuerſaſque de Deo ſententias, opinioneſque Philoſophorum de Deo, qui cùm vnanimes non fuerint, oſtendunt non omnibus per ſe nota eſſe omnia de Deo prædicata, vt diximus.

Deum eſſe non eſt per ſe notum terminis cõfusè cõceptis.

8 Dicendum vltimò, licet de ſui natura propoſitio *Deus eſt* ſit per ſe nota terminis diſtinctè conceptis, non tamen per ſe nota erit terminis confusè ſolum acceptis. primum patet ex ſuperioribus probationibus, & ſecundum neceſſariò eſt admittendum, quia oppoſitorum idem eſt iudicium, vt ſi diſtinctè appprehendantur termini, fiat intuenti, ſeù intelligenti per ſe nota: quod ſi confusè intelligat, erit minus nota. hoc fuit axioma D.Th. cùm aiebat in ſe notã eſſe, ſed quoad nos ignotam: hoc etiam innuebat Boetius *notã eſſe ſapiẽtibus, & inſipientibus ignotam*: & in hoc demum concordat Scotus, qui licet in explicatione diſtinctionum allatarum contrarius cenſeatur Diuo Thomæ, attamen in conceptu concordat, vt oſtendimus artic. primo. & in hoc etiam ſenſu loquebatur Auicenna negans eam per ſe eſſe notam; atque eadẽ via incedebat ille Inſipiens, quia confusè terminos concipiebat: eodẽq; paſſu Philoſophi cõtendebant. & multo minus propoſitiones reliquæ de infinitate, neceſſitate, ac ſummo bono erunt per ſe notæ, cùm hi termini minus diſtinctè concipi ſoleant, quàm primi de Deo, & eſſe Dei: licet aliunde ſit longa diſcrepantia, hæc namq; nullo modo à priori redditur demonſtrabilis, illæ autem ſic.

Si Deũ eſſe eſt per ſe notum, cur cumulãtur rationes ad probandum Deũ.

9 Quæres autem, ſi per ſe notum eſt Deũ eſſe, cur igitur tot cumulantur demonſtrationum genera, phyſica, theologica, metaphyſica, & moralia ad id demonſtrandum? reſponderi poteſt primo id fieri ſolere ad maiorem veritatis oſtenſionem. ſecundo id fieri, vt magis conſtet ex omni capite eſſe neceſſariò aſſerendum Deum eſſe, itaut omnes illum fateri, & admittere teneãtur. tertio, vt notum fiat Rudibus, & Inſipientibus, qui aliunde non valent quandoq; hanc veritatem altius perſcrutari. quarto vt per tales demonſtrationes redarguantur, & conuertãtur Athæiſtæ, qui omnino negant Deũ eſſe, de quib. quæſt. præced. quinto, vt oſtendatur cæteras naturales, atque morales ſcientias poſſe deſeruire ſupremæ omnium ſciẽtiæ, quæ eſt Theologia, dum eidem famulantes, probare nituntur, atque confirmare id, quod ipſarũ Dña docet, & Regina Theologia.

10 Arguitur nihilominus probãdo aliqua prædicata diſtincta à prædicato eſſe Dei, eſſe per ſe nota. ſic. primam veritatem eſſe, ens infinitum eſſe, ac ſummum bonum, eſt per ſe notam, ergò non ſola propoſitio, in qua verificatur eſſe tãtùm de Deo eſt per ſe nota. antecedens patet, nullus enim negat reperiri veritatẽm, ac bonum ſummum, neque vllus negare poterit ens neceſſarium, probatur hoc vltimum, quia dã oppoſitum prædicati, & apparebit contradictio, cùm namque dicimus ens neceſſariũ exiſtit, ſi id negas, ergò erit verum dicere ens neceſſariũ non exiſtere, quòd contradictionem implicat, quia neceſſitati eſſendi repugnat non eſſe, ſicut repugnat contingenter eſſe.

11 Reſpondetur ad id de veritate concedendo veritatem in rerum natura exiſtere, ſeu reperiri, tamen ignorari, & non eſſe per ſe notum, in quo particulari ſubiecto ea reperiatur per ſe, & primo; & ita committitur fallacia conſequentis arguendo à ſuperiori ad inferius affirmatiuè, vt homo ridet. ergò hic homo ridet, eſt fallacia; ita in particulari applicãdo id non eſt per ſe notum: & multò minus id ſic erit, quia ipſum Deum eſſe primam veritatem probari poteſt à priori, vt omne quod eſt diuina eſſentia exiſtit, ſed prima veritas eſt diuinum eſſe, ergò veritas exi-

exiſtit,ſicut etiam probatum fuit de infinitate, neceſſitate, & ſimilibus. vnde eadē reſpōſio eſt adhibēda ad id,quod aſſumitur de ſummo bono, & de ente neceſſario: & ad probationem cùm dicis, oppoſitum repugnat ſubiecto, reſpondeo non eſſe per ſe notam talē repugnantiam, ideo oportere probari: mundo enim eſt neceſſaria pax,diuitię, &c.tamen ſæpè caret iſtis. illius autem exiſtētia haberi nequit efficaciter, niſi demonſtrando eam à priori, per eſſentiam, & per diuinum eſſe, vt quia omne,quod eſt diuina eſſentia actu exiſtit: ens neceſſarium eſt idem cum eſſentia, ergò exiſtit.

12 Arguitur vltra: ens infinitum eſſe eſt per ſe notum, probatur, ens infinitum eſt, quod perfectiones vniuerſas continet, & eſt adeo perfectum, vt nihil eo perfectiùs cogitari poſſit. Confirmatur ex D Anſel.prolog. c.3.4. dicente, *Deus eſt quo maius cogitari non poteſt*: idemq; aſſerit D.Auguſt. l.1. de doctr. Chriſt. c. 7. ergò nec minus aliquid de eo cógitare poſſumus. Reſp. primo, poſſe intellectū creatū aliquid maius Deo cogitare, & quamuis talis cogitatio ſit cum contradictione, cum re vera nihil ſit infinitius,& perfectius, & maius ipſo Deo, nihilominus intellectus creatus ad hoc per naturalia media non ligatur, poſſet enim intelligere, & confingere aliquid reperiri ꝙ ſit maius Deo, ſicut fingit chimeram, ita quoque tale quid de Deo maius poterit ſentire, licet cum contradictione, quæ tamen contradictio non eſſet tali intellectui per ſe nota, ſed opus eſſet vt ſibi demonſtraretur, ne amplius permaneret in errore. Adde quod licet intenſiuè nil maius Deo poſſit cogitari, tamen aliquid maius extenſiuè cogitare non implicat, vt eſt Deus vnà cum omnibus creaturis, itē reſpondetur nonnullos non cogitaſſe Deum vt talis eſt, ſed aliter ſenſiſſe, vel quod eſſet anima mundi, vel quod eſſet corpus,& non ſpiritus: hinc ergò ipſis non erat per ſe notum. Ad illud de infinitate iam diximus poſſe probari à priori.

13 Arguitur etiā D.Paulus Rom. 1.ait,*quod notum eſt Dei,manifeſtum eſt in illis.* & vltra, *inuiſibilia Dei per ea,*

veræ diuinitatis vt creaturæ rationali guſt. tract. 107. in Ioann. *hac eſt virtus omnes homines vident Deum.* & D.Au- *quæ facta ſunt conſpiciuntur*:& Iob.36. *non poſſit abſcondi.* & Cyprian. l.de vanitate Idolorum *ſumma delicti eſt nolle eum agnoſcere,quem ignorare non poſſis.* & Damaſc.l.1. c.3. *Deum eſſe eſt omnibus inſita, & innata cognitio*; quod denique omnes, & vniuerſi Patres aſſerunt, quos frequēter attulimus in hac, & præcedenti quæſt. Reſpōſio ad vniuerſa, & ſiugula citata loca patet ex ex eo, quod adnotauimus initio artic. 2. vbi multiplicem acceptionem attulimus propoſitionis per ſe notæ:itaque breuiter applicando dicimus Deū eſſe,infinitum eſſe, ſummum bonum, & ſimilia altero illorum capitum eſſe per ſe nota: vel quia iuxta communem animorum conceptionem ſic omnes exiſtimant, vnde talis communis omnium exiſtimatio poterit lato vocabulo vocari per ſe nota propoſitio .i.vniuerſaliter ab omnib.nota, vt in plurib. licet pauci diſcrepent, & cōtra communem vſum id, quod vulgò aſſeritur negent: vel per ſe notæ ſunt, ſeu omnibus inſerta cognitio,quia luceſcente rationis vſu in pueris, ſtatim,immo ab incunabulis percipiunt per inſtructionem parentum, Deum eſſe, ſummum bonū reperiri,& ſimilia. vel quia id poſtmodum iam adulti,& intellectu callentes, & diſcurſu à poſteriori probāt per effectus, vel per ſe nota vocantur, quia non cum multa difficultate id apprehendere vtcumque poſſunt. vel etiam ſic dicuntur non quod ſecundùm eos conceptus diſtinctam habeant omnes cognitionem de propoſitionibus talibus, ſed ea erit confuſa, atque vniuerſalis, concipiendo Deum iuxta conceptus communes nobis, & ſibi. vel etiam dato quod ſuos conceptus proprios ex proprijs apprehendant, ſibi proprios, & non nobis communes, id tamen ex alio principio aſſequentur, nempè ex doctrina Eccleſiæ,& reuelatione, & ex fide. & denique quidquid ſit, certum conſtat loquendo de propoſitione *Deus eſt*, demonſtrationes naturales non eſſe efficaces: & loquēdo inde de propoſitionibus cæteris, vt ens infinitum,ſummum bonum, neceſ-

Inſipiens cur negauit Deum eſſe.

ſe eſſe, verum primum eſſe, eas omnes non eſſe in rigore philoſophico per ſe notas; cum iam ſint demonſtrabiles à priori, vt eſt deductum. Alia ſup. nu. 8.

14 Dices, ſi propoſitio prima eſt per ſe nota eſt *Deus eſt*, cur eam inſipiens negauit ex pſal. 13. *dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus?* quod autem eſt per ſe notum à nullo negatur. Reſpondet D. Tho. *in ſe nota eſt, apud nos non eſt nota, atque ſic nec fuit nota illi inſipienti.* reſpondet inde Boet. *ſapienti eam notam eſſe, inſipienti ignotam*, vnde cùm hic fuerit inſipiens, non mirum ſi veluti rudis; & ignarus negauerit eſſe Deum. reſpondetur ex Scoto, *diſtinctè apprehendenti terminos eſſe notam, confuſè verò cõcipienti ignotam*: omnes autem has dicendi, & diſtinguendi formulas iam ſupra attulimus; & explanauimus. Adde paraphraſim chaldæã non dicere non *eſt Deus; ſed non eſt poteſtas Dei in terra*: itaque inſipiens non Deum ex Chaldæo textu negabat, ſed poteſtatem in terra. Inſuper in Hebræo habetur *Elohim*, quod denotat *Iudicem*: ex quo idem inſipiens negabat non Deum, ſed iudicium, ac iuſtitiam Dei. Notat autem D. Auguſtin. ibid. & 5. de Ciuit. Dei cap. 9. Chryſoſtom. Didimus eod. pſalm. & D. Hilarius pſalm. 52. veritum fuiſſe inſipientẽ illum ore prodere, id quod corde cõcipiebat: dubitabat enim & verebatur ne puniretur, ne continuò lapidibus obrueretur, ſi blaſphemiam, quã corde abſcondebat, ore propalaret, ideoque ſolo corde dixiſſe non eſſe Deum, vtpote aliundè noſcens impium, ac fatuum omnino eſſe, eum vllo modo, ſaltẽ ore negare: ex quorum diſcurſu nec conſtat inſipientem negaſſe propoſitionem vt minus notam: ſi enim verebatur timore ore negare, igitur noſcebat errare valdè; & apud eum fortaſſe erat per ſe nota, quod ſi corde negauit id prouenire poterat aliunde, vel ex paſſione, odio, amore ſui, & ſimilibus; itaut diceretur de eo, *noluit intelligere, vt bene ageret.*

DISPVTATIO QVINTA
De ſimplicitate Dei.
QVÆSTIO PRIMA
Vtrum Deus ſimplex ſit, an aliqua compoſitione compactus.

ARTIC. I.
Referuntur errores circa Dei ſimplicitatem.

1 Ordo autem expoſtulat, vt poſt narrationem de Dei exiſtentia, & poſtquam comprobarimus ipſum reperiri in entib. diſquiramus quale ſit hoc ipſius eſſe, compoſitum ne, an ſimplex, materiale, an purè ſpirituale, ita vt diſtinctus omninò ſit, an verò hac ratione conueniat cùm creaturis. antequam tamen per ſingula capita totam materiam diſtribuamus, recēſendi ſunt primò loco errores, qui de hac re irrepſerint aliquando; tùm confictos ab hæreticis, tùm etiam ad inuentos à Catholicis. fuit ergò ſententia Tertulliani Deum eſſe corpus, itemq; ex anima conſtare, & corpore. ita lib. 2. aduerſ. Marc. c. 16. aſſeruit: eſt tamen dubium an veram rationem corporis ſibi tribuerit, an verò diſtinctæ rationis aſſeruerit eſſe à corpore creaturæ: & quidem veram corporis rationem corporis ſibi conſtat apertè attribuiſſe ex eod. loco, vbi etiam diuina explicat corporea membra, ac diuinū corpus: de ſecundo autem conſtat apud eumdem, corpus diuinum alterius forè rationis, & cōpactionis à corpore creaturæ, quemadmodum anima creaturæ alterius extat rationis ab anima Creatoris: ait. n. *quanta erit diuerſitas diuini corporis, & humani ſub yſdem nominib. membrorum, tanta erit diuerſitas diuini corporis, & humani ſub yſdem nominib. membrorum, tanta erit diuerſitas diuini animi, & humani.* ex quo differens addidit Deo corpus à corpore noſtro, vt conſtat ex eius verbis.

Tertullianus aiebat Deum eſſe corpus.

2 Quid autem ipſe ſenſerit de corpore hoc à creaturæ corpore diuerſæ rationis, vtrum verè ſibi rationem materialis entis, & corporei compoſiti in Deo appoſuerit negat D. Auguſt. l. 10. de gen. ad litt. c. 25. ait. n. non fuiſſe intentionem eius id aſſerere, ſed eatenus corpus eſſe aſſeuerauerit, quatenus probare intendebat Deum non eſſe nihil, non eſſe extra rationem entis, ſed eſſe ens aliquod, & verum ens ad quem loquendi modum videmus recurriſſe aliquando etiam Apoſtolum, qui ad Coloſſ. 1. dum ait in Chriſto Domino reperiri omnem plenitudinē diuinitatis, non alia phraſi explicat, quàm voce corporis, dicens *in ipſo inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter:* id verò non oſtendit diuinitatem eſſe corpus, ſed vel ſignificare, quòd in corpore Chriſti reperiebatur diuinitas, vel quod diuinitatem ibi eſſe non erat figmentum, nec fictitium, ſed veritas, & à parte rei. quid-

quid

quid tamen ſit, ſiuè in hunc, ſiuè in aptiorem ſenſum trahatur Tertullianus, indigna tamen eſt loquutio, nec.n.cùm cõtrarijs conuenire debemus, nec quidem in nomine, ac vocib. quoad fieri poteſt; nec de Deo eſt quid corporeũ ſentiendum, nedum reipſa, ſed nec quidem nomine.

Audiaconorum hæreſis.

3 At relicta contentione de nomine, proponũtur ceteri Authores, qui de Deo talia expreſsè docuere. ij autẽ fuere Audiani hæretici deſcendentes ab Audio quondam religionis profeſſore, ac Monacho, qui inde à veritate abſcedens in hanc hæreſim incidit, vt Deum eſſe corpus aſſeruerit; ita de eo Nicephor. l.11. c. 14. & D. Epiphan. Auguſtin. de hæreſ. c.20. Damaſc.lib. item de hæreſ.atq, Theodor.l.4. hæretic. fabul. c. 13. ortum autem ſumpſit iſtorum error ex falſa interpretatione capituli primi geneſeos, vbi namq; ait Moyſes, *creaſſe Deum hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*: æſtimauere Deum eiuſdem eſſe formæ, ac cõpactionis, cuius eſt homo; etenim imago exprimit imagatum, & qualis eſt imago, tale iudicamus à poſteriori eſſe imagatum; at homo eſt entitate corporeus, quantus, & materialis, ergò hac ratione ducti exiſtimabant Deum eſſe corpus.

Gentilium error.

4 Sed deterius his omnibus ſenſere Gentiles, qui Deum ipſum non ſolùm corpus exiſtimabant habere pro ſeipſo, ſuaq; intrinſeca, ac neceſſaria, & ſubſtantiali compoſitione, verùm, aiebant, totum iſtum corporeum mũdum eſſe eundem Deum, cõſtantem ex hac quam præſefert, forma, & materia, hæc mundi machina: & addebant animam quoq; eiuſdem mundi eſſe ipſumet Deum. hoc D Aug.l.5.de ciu. Dei c.6. tribuit Marco Varroni. & ibid. c.16. in eandem ſententiam citat Platonem, Cicero l.1.de nat.deor. tribuit Velleio. & Euſeb.l.4.de præpar.euang.c.16. tribuit Mileſio, & Democrito. in quam etiam ſententiam iuit Plin. l.1.c.1. hæc de errorib. in quos etiam iere Priſcillianiſtæ, & Gnoſtici, & Almericus.

5 Sed quid? opus ne erit multis errores iſtos confutare? quid errores; immò veſaniam, mendacium, fatuitatem, apertam inſaniam. ita de his cenſuit Concil. Lateran. in cap. damnamus cum ait contra Almericum, *non tam continere doctrinam hæreticam, quàm inſaniam*. & D. Auguſt. hæreſ.6. & 70. ait *talia dogmata fabuloſiſſimis eſſe plena figmentis*. quod deniq; expreſsè damnat, & confutat Leo Papa epiſt.91. & pugnat D. Ioann. c.4. *Deus ſpiritus eſt*: cùm cæteris adducendis infra: & ad illud de imagine eſt dicendum eam attendi ſecundùm animam, quæ etiam ſpiritus eſt nõ ſecundùm corpus: alias oporteret verè aſſere Deum eſſe *Agnum, Leonem, Petram*, cùm tamen membra, & corpus metaphoricè Deo attribuantur, non verè, vt Auguſt. l.de vera, & falſa relig. c.50. Greg. 14.mo. 22. Patres, ac Theologi omnes.

ARTIC. II.

De ſimplici, ſummè ſimplici, ac ſimpliciter ſimplici, deq; multiplici cõpoſitione oppoſita.

6 HÆc verò & ſcitu digna, & neceſſaria ſunt ad quæſtionis totius enodationem, ideoq; de ſingulis diſcurramus. Inter cæteras entis diuiſiones habemus ens diuiſum per ſimplex, & compoſitum: quidquid.n.in mundo eſt, vel mente excogitari poterit, ad hæc duo capita oppoſita reducitur: patet quia quidquid eſt, vel eſſe poteſt, aut erit Deus, aut creatura: ſi Deus, ergò erit ſimplex, compoſitio autem prædicabitur de creatura, de quare infra. iuxta igitur duo iſta capita reſoluenda eſt quæſtio. & quoad ſimplex, id ſumi poteſt vel prout diſtinguitur contra mixtum, vel prout ſumitur contra compoſitum. primò modo pro ſimplici comprehendimus quatuor elementa, atq; etiam cælos: hæc namq: compoſita quidem ſunt, attamen non ſunt mixta ex cæteris elementis, ideoq; entia ſimplicia vocari poterunt ſimplicitate oppoſita mixtioni. patet diſcurſus, quia ſi ex alijs com-

Simplex vel ſumitur, prout diſtinguitur contra mixtũ, vel vel contra compoſitũ.

commiſcerentur elementis daremus proceſſum in infinitum in ipſis elemẽtis, quærendo de illis alijs elementis, quod aut ſimplicia eſſent, aut mixta, ſi daretur ſecundùm, adhuc quæreremus de eis, quæ ingrediuntur horum mixtionem an eſſent ex alijs mixta, quòd ſi negabitur, igitur dabitur ſtatus, & ſiſtemus in elementis, quæ mixta non ſunt, licet ſint compoſita, igitur ſimplicitate huiuſmodi ſunt entia ſimplicia: tùm etiã quia vniuerſa mixta hinc mixtionem deſumunt primò.ſ.ex elementis, ergò non dabuntur alia priora, ex quibus coaleſcat talis mixtio. de hoc agit Ariſt.l.1.de cælo.

Simplex vel opponitur compoſitioni, vel etiam componibilitati.

7 Si tamen ſimplex ſecundò modo ſumatur, reſpuit omninò nedum mixtionem, verum & omnem compoſitionem: quale autem ſit cenſendum eſſe iſtud ſimplex, ex ſola ſui voce abſoluta patere non poterit, niſi prius per gradus vlteriores eiuſdem ſimplicis ratio diſtinguatur, & natura: igitur ſimplex hoc de quo loquimur eſt rurſus ſubdiuidendum: ſumitur.n.ſimplex prout opponitur compoſitioni: id verò duobus modis poteſt contingere, vel nãq; negat compoſitionem, vel negat non ſolum compoſitionem, ſed etiam omnem componibilitatem: membra iſta adeò ſunt diſtincta, vt vnum eſſe poſſit abſq; altero. Primò modo prout ſolam negat eſſentialem cõpoſitionem prædicatur de materia, & de forma: hæ namq; in ſe compoſitæ nõ ſunt: non.n. materia in ſe eſt compoſita ex materia, & forma, nec forma eſt ex forma compoſita, & materia, aliàs recurreremus ad proceſſum in infinitum quærendo de illa altera materia, ex qua iſta materia eſſet compoſita an eſſet ex altera materia compoſita, quòd ſi dederit quis, quæretur vltra de illa in infinitum: quòd ſi negarit, igitur ibi ſiſtetur, & negabitur eſſe in ſe compoſitam: tum etiã quia ſi antecederet alia, ex qua componeretur, iam iſta non eſſet de genere materiæ primæ, quã pri primo creauit Deus: nec ex iſta prima educerentur ſingulæ formæ compoſitorum, & mixtorum, ergò concedendũ materiam eſſe hac ſimplicitate ſimplicem; ſimilem diſcurſum applica ad formam, quòd neque ipſa ſit compoſita ex alia forma: en ergò ſenſus primus iſtius ſimplicitatis. Secundo modo nõ ſiſtit ſimplicitas in actuali negatione compoſitionis ſolius, ſed negat etiam compoſitionem potentialem; hæc verò non explicat aliquam potentialem compoſitionem receptibilem in ipſa materia, id namque eodem modo negatur vt prius; ſed negat componibilitatem in ordine ad quid aliud: qua ratione ipſamet materia, atq; forma non ſunt quid ſimplex, ſed quid compoſitum: explico. & ſi materia ex ſe ſubſtãtialiter non conſtet ex altera materia, nec ſic componatur, tamen eſt alteri componibilis, ideſt ſimul cum altero principio ponibilis, vt efficiat compoſitum: & ita euenit, quia ipſa adiungitur formæ, illa per modum potentiæ, hæc per modum actus; ex quibus inde inſurgit compoſitum: vnde conſtat in his terminis vtrumq; principium eſſe quid ſimplex ſimplicitate oppoſita cõpoſitioni, non autem ſimplicitate oppoſita componibilitati.

Sũmè ſimplex.

8 Explicato termino ſimplicitatis tranſeamus ad terminum alterum, nẽpè ad ſummè ſimplex: hic autem nedũ includit totum id, quod erat in ſimplici, verum addit vnum aliud, ſeu negat omne oppoſitũ ſimplicitatis, quod à ſimplicitate negabatur actu, immo etiam negat omne id, quod quamcũq; in vniuerſum poteſt ſecum admittere ſimplicitas ſub ratione ſaltem componibilitatis. Explico. ſimplicitas negabat eſſentialem compoſitionem materiæ, ſeù formæ penès ſeipſam, retinebat tamen aptitudinalem componibilitatem materiæ vna cum forma penes totum, per modum actus informãtis, & per modum informabilis potentiæ: vtrumque negat ſumma ſimplicitas. nullum autem ſeſe offert præſtantius ſubiectum, penès quod poſſit res tota declarari, quam ipſemet Deus, ab ipſo namq; vt ſupponimus, quod probabimus infra, excluditur actualis cõpoſitio, cùm neque eſſentia ſit materia, neque quaſi materia, neque ibi reperiatur aliquid, quod circa ipsã habeat rationem actus, & informantis formæ: en in quo conſiſtit negatio actualis, atque intrinſecæ, eſſentialiſq; compoſitionis. ab ipſo etiam Deo excluditur

Deus eſt ſummè ſimplex.

componibilitas cum altero, nuſquam enim ex Deo, & creatura reſultauit, aut reſultare poterit aliquod compoſitum: ratio phyſica in promptu eſt, quia ad id exquiritur vt alterum per modum materiæ informabilis ſe habeat, & alterum per modum actus; at Deus neque à creatura informabitur, ſeu actuabitur; cùm ſibi nihil deſit perfectionis, neque ipſe rationem habere poterit formæ, cùm non poſſit habere rationem partis, nec eſſe in genere, nec dependere à materia, id quod formæ competit phyſicæ, & reali, ergò vtraque compoſitionis, & componibilitatis ratione ſublata, erit Deus nedũ ſimplex, ſed ſummè ſimplex. Quod ſi

Chriſtus an ſit compoſitus.

dixeris Chriſtum ex ſententia D. Damaſc. lib. 3. de fide ortho. cap. 3. 4. 7. *eſſe quid compoſitum*: ergò non eſt tale ſimplex, & maximè, quia natura diuina licet in ſe ſummè ſimplex, poterat tamen humanitati vniri, ergò erat componibilis alteri. Reſpondetur vim faciendam eſſe in voce compoſitionis, idem enim ſonat compoſitum, ac *ſimul poſitum*: vnde hoc ſenſu Chriſtus eſt quid compoſitum, quia in eo natura creata eſt verè ſimul poſita cum Verbo diuino: ſed ſi ſiſtamus in rigore philoſophico, omnis à ſuppoſito erit neganda compoſitio, cum nec ratio materiæ ibi ſit, nec formæ ſub ratione partium informabilium, & informantium naturam diuinam: melius tamen explicatur myſterium altero ſub nomine, nempè conſtitutionis, quomodo etiam diuinas Perſonas Theologi vocant nõ compoſitas, ſed conſtitutas, ſic Chriſtũ eſſe ex vtraque natura conſtitutum, vel ſimul quid poſitum ex duabus naturis ſimul poſitis ſub ratione vnionis hypoſtaticæ; quibus ſenſibus loquitur Damaſcenus, & Patres: ſed de hoc ad materiam de Incarnatione. Cùm ergò ait Damaſc. Chriſtum compoſitum, explica; ſimul poſitũ, ex duabus naturis ſimul poſitis, ita Scot. in 3. d. 1. q. 1.

Simpliciter ſimplex quid.

9 Vltimus, quem ſtatuimus, terminus, eſt ſimpliciter ſimplex: hic verò à duobus prælactis terminis eſt diſtinctus, vt nullatenus ex eis de illis valeat conſequentia: eſt ergò ſimpliciter ſimplex illud, quod non ſolũ eſt ſimplex, verũ etiã quod multiplicem excludit multiplicationem conceptuũ, ſeu cõceptibilitatũ, ita ut re ſecta vnica, & ſola cõceptione, verè de eo poſſit, ac debeat dici, quod vel totaliter ſcitur, vel totaliter ignoratur. hæc eſt optima metaphyſica, ac neceſſariò amplexanda, cuius oppoſitũ omnino conſtat eſſe falſum. explico autem quid importetur per tale nomen: conceptus entis dicitur cõceptus ſimpliciter ſimplex. item conceptus paſſionum entis, ac modorum intrinſecorum ita ſimpliciter ſe habent, vt ſint ſimpliciter ſimplices. Ratio eſt, quia cùm conceptus entis non conſtet ex alijs conceptibus, ſeu ex alio genere, vel differentia, ex quibus conſtituatur, remanet, vt hoc modo dicatur ſecundùm ſe vel totaliter ſciri, vel ignorari totaliter: probatur; conceptus entis eſt primus conceptus qui haberi poſſit de quocunque inferiori ad ens, igitur ipſemet conceptus non eſt reſolubilis in anteriorem conceptum: hoc autem, quod eſt non poſſe reſolui in anteriores conceptus, hoc vocatur ſimpliciter ſimplex. Dices ens reſolui in Deũ, & creaturam, quia prædicatur de illis, ergò noſcendo conceptum ſolum entis noſceremus vniuerſa contenta ſub ente. Reſponſio iam patet; quod ens, ſub alijs terminis loquendo, conſiderari poteſt vel formaliter, vel poteſtatiuè, prout reperiri poteſt, & deſcendere ad inferiora: quando dicimus ipſum eſſe ſimpliciter ſimplex, primo modo conſideratur, non ſecundo: ſicq; primo modo vel ſcitur totaliter, vel vndequaque ignoratur; probatur, ex ſimplici cognitione hominis non poſſum eum perfectè noſcere, quia cùm multiplices eſſentialiter includat conceptus, ex quibus componitur, vt entis, corporis, ſubſtantiæ animalis, rationalis, riſibilis, & ſimilium, poſſum vnum de eo cognoſcere, ignoratis cæteris: cùm verò cõceptus entis, & paſſionum, & modorum non includant alios conceptus, ex quibus cõſtituantur, inde fit ſimpliciter eos noſcendo, totaliter noſcere, & ſimpliciter ignorando, totaliter ignorare: & hoc ſpectãdo eos formaliter: licet multa ignorentur de eis poteſtatiuè ſumptis, quatenus deſcendunt in inferiora, & includuntur in eis.

10 Idem

aſſiones, & vltima differentia ſimpliciter ſimplices.

10 Idem iudicium formamus de vltimis paſſionibus, ſeù vltimis differentijs,vt eodem modo vel ſciantur totaliter, vel totaliter ignorentur; ratio autem militat etiam de ipſis, quia denique reducuntur ad vnum vltimatum conceptum, qui adeo ſit vltimus vt ex alijs non conſtet, nec componatur ex alijs, nec conſequenter ſit reſolubilis in alios. probatur, ſi in alios poſſet reſolui, ſequeretur dari proceſſum in infinitum in conceptibus conſtituentib. probo,aut enim conceptus ille, *in quē* ens,paſſio,modus, & differentia vltima reſoluitur, eſt reſolubilis in vlteriores conceptus,aut non:ſi dederis primum, quæro inſuper de illo altero conceptu,in quem eſt facta reſolutio, aut poteſt in vlteriores conceptus reſolui, aut minimè : ſi primum dederis, dabis etiam proceſſum in infinitum,quod eſt negandum: igitur eſt vltimatè ſiſtendū in vno vltimo, qui amplius in vlteriores non ſit reſolubilis:hic verò hac ratione appellatur ſimpliciter ſimplex, ac inde eſt vt vel totaliter ſciatur, vel totaliter ignoretur:& huc ſpectat axioma illud celebre formaliſtarum, quòd *omnis differentia differentium debet reduci ad vnum vltimum irreſolubile in vlteriora differentia,ex quibus primo diuerſa colliguntur, quæ vt ſic in nullo cōueniunt,ſed primo,& adæquatè differūt:* id quod multò ante docuerat Ariſt. 9. met.tr.c.vlt. hac ſimplicitate ſimpliciter ſimplici nullum compoſitum gaudet, quia reſoluitur in partes componentes: nullum etiam conſtitutum poterit ſic ſimplex vocari; etenim Deus, & perſonæ diuinæ multos includunt conceptus, ex quibus conſtituantur: ſed ſolùm talis ſimplicitas reperitur in ijs,quæ adduximus.

Deus eſt ſimpliciter ſimplex.

11 Explicata autem ratione ſimplicitatis facile negotium erit deſcendere ad explicationem oppoſiti: ſicut verò loquuti fuimus de ſimplicitate,& ſimplici,ita loquamur modo,licet obiter,de compoſitione, & compoſito, quod erat alterum diuiſionis membrū receſitum: multiplicem verò habemus compoſitionem: alia vocatur ex re, & re:altera ex realitate, & realitate:altera ſub alijs terminis, ſed in quidditate eſt eadem, vocatur phyſica, altera metaphyſica: altera ex genere, & differētia: ſed hæc eadem eſt cum metaphyſica,& cum compoſitione ex realitate, & realitate ; ſicut phyſica eſt eadem cum illa,quæ eſt ex re,& re; altera vocatur compoſitio cum his, altera ex his: ſed etiam hæ cum præcedentibus coincidunt:altera eſt gradualis: altera ex eſſe, & eſſentia; altera ex natura, & ſuppoſito: altera ex ſubiecto, & accidente.altera ex poſitiuo, & priuatiuo: altera ex partibus ætherogeneis, & diſſimilaribus, altera deniq; ex homogeneis, & ſimilaribus. horum autem explicatio patens eſt, vt gradualis cōpoſitio reperiatur in qualitate ſuſcipiente magis & minus per intenſionē, & remiſſionem eorumdem:ex poſitiuo, & priuatiuo reperiatur in omni creatura, cui ex ratione qua eſt ens, deficit aliqua perfectio,quia enti non repugnat infinitas, cùm ſub hac ratione ens reperiatur in Deo,licet qua ratione ens talis ſpeciei eſt,vt homo,nil ſibi eſſentialiter requiſitū deficiat:quo etiā modo Talpæ deficit viſus ea ratione ; qua eſt animal ex 5.met.t.cap.27. non ratione qua Talpa:ex re,& re, & partibus quantitatiuis vt compoſitū phyſicum, ſiuè ſimilare vt aqua, ignis. ſiuè ætherogeneum, vt homo: ex realitate, & realitate, ſeù ex genere, & differentia, vel metaphyſica, vt albedo, Angelus, conſtantes ex realitate generis,& realitate differentiæ:cum his,& ex his, vt omne compoſitum ſiuè phyſicum, ſiuè metaphyſicum dicitur componi ex his,quia conſtat ex ſuis componentibus, quorum alterum ſit actus, & alterum potentia : genus verò, differentia,materia,& forma componuntur cū his, nō ex his, quia vt vidimus ex ſe nō ſunt compoſita,ſed ſunt cum altero ſimul ponibilia, vt reſultet totū: ex ſubiecto, & accidente, vt per ſe patet. Ad perfectam autem compoſitionem faciendam quatuor requiruntur, primū quòd componentia ſint realia. ſecundo quòd coniunctio ſit realis . tertio quòd componentia ſint realiter diſtincta. & quartò, quòd vnum ſe habeat per modum formæ,& actus,alterum vt potentia, & materia. hæc ſingula neceſſum fuit ſaltem obiter adnotare , quia quæſtionis reſolutio totalis ex his de-

Cōpoſitionis varia genera.

Cōpoſitionis requiſita.

dependet. lege Scot. 3. d. 6. quæſt. 3. art. 4. & in 1. d. 8. q. 1. 2.

ARTIC. III.

Simplicitatem non dicere perfectionem, nec imperfectionem de ſe formaliter, ſed connotatiuè dicere vtrumq;

Simplicitatem nec dicere perfectionē, nec imperfectionē probatur ex Caet.

12 SEd ſpecialius accedēdo ad quęſitum, conſequens eſt, vt dum mentionem fecimus ſuperiori artic. de ſimplicitate, quæramus in præſentiarū vtrum ipſa eadem ſimplicitas perfectionem dicat; quod eſt quærere vtrū ſimplicitas Dei ſit perfectio ſimpliciter. hæc autem lis occaſionem deſumpſit ex Scoto, qui citata q. 1. diſp. 8. ad primum, dixit ſimplicitatem diuinam dicere perfectionem ſimpliciter. vnde Caetanus diſputationem texuit, atque in quæſtionem deduxit, vtrum verè dicat perfectionem ipſa Dei ſimplicitas. ſentit ergò ipſe Caetanus lib. de ente, & eſſentia c. 2. com. 2. non dicere perfectionem ſimpliciter, immo ſicut abſtrahit à perfectione, ita quoq; abſtrahit ab imperfectione: eādem Recētiores ſequuntur, & placet multis. probāt verò his potiſſimum rationibus opinionem ſuam.

13 Primò, negatio nullam dicit perfectionem: atqui ſimplicitas omnino importat negationem, ergò non eſt perfectio ſimpliciter. antecedens de ſe patet: quod enim non eſt, nullam perfectionem connotat, cùm fundamentū perfectionis ſit entitas: ablato autem fundamento ruit perfectionis ædificiū: minor eſt etiam vera; etenim negat cōpoſitionem, igitur tota eius ratio ſiſtit in negatione: & conſequens ſequitur, cùm non enti nulla adſcribatur perfectio.

14 Secundò, diuinæ relationes nullam connotāt perfectionem, ergò neq; diuina ſimplicitas. antecedens affertur ad hominem; eſt enim alterum è Scoti principijs, relationes diuinas, neq; perfectionem dicere, neque imperfectionem. & conſequens ſequitur à ſimili, vt ſicut in diuinis reperiuntur aliqua abſtrahentia de ſui ratione formali à perfectione, ita quoque non implicet talia ſimilia abſtrahere à perfectione, huiuſmodi eſt ſimplicitas. Item relatio de ſe eſt ſimplex, ergò nec perfecta, nec imperfecta.

15 Denique entia neque quanta, neque non quanta nec perfectionem indicant, nec imperfectionem, talis eſt Dei ſimplicitas. antecedens patet, quia repugnat vt ens abſtrahens à quanto, & non quanto includat perfectionem, ergò ſimilis erit Dei ſimplicitas. quibus concludunt hi abſtrahere à perfectione.

16 Ex oppoſito contendunt Scotiſtæ dicere formaliter perfectionem, vt Lychet. d. 8. q. 1. lib. 1. Fauent. in 1. diſput. 36. cap. 1. & Gregor. de Valent. tom. 1. diſp. 1. q. 3 punct. 7. cui inclinat Suar. licet irreſolutè loquatur modò pro Scoto, modò pro Caetano, in to. 2. met. diſp. 30. ſect. hi ergò perfectionē nouam addunt ex diuina ſimplicitatę ad diuinum eſſe. & ex eademet Scotiſtarum ſchola Baſſolius in 1. d. 8. q. 2. in reſp. ad primum, qui licet in reſponſione ſecunda concedat eſſe perfectionē ſimpliciter, tamen in prima reſponſione, quæ magis ſibi placet, negat omnino dicere perfectionem. Pro intellectu autem reſponſionis ſecundæ aduertendum eſt errorem eſſe typographi; nam vbi dicit, (vel aliter, quod ſimplicitas, & perfectio ſimpliciter, eſt corrigendus textus vt dicat. vel aliter, quod ſimplicitas eſt perfectio ſimpliciter.) hic verò extitit auditor, & diſcipulus Scoti, qui fortaſſe ita ſenſiſſe Scotum ęxtimauit, prout ipſe ſcripſit, & typis mandauit. atque ex Recentiorib. Vulp. t. 1. diſp. 14. art. 5. *Probatur dicere perfectionem ex Scotiſtis*

17 Rationes autem pro re hac hę eſſe poſsūt. Simplicitas quo eſt maior, eo maiorem indicat perfectionem: ſed in Deo reperitur maxima ſimplicitas; eſt namque ſummè ſimplex; ergò erit quàm maximè perfectus. Confirmatur, quia ſimplicitas in creaturis connotat perfectionem in ſuo gradu imperfecto, limi-

limitato, & finito: at in Deo reperitur in ſupremo gradu, ergò dicit perfectionē ſimpliciter. Inſuper eo res eſt perfectior quo magis diſtat ab imperfectione; ſed quo res eſt ſimplicior eo magis diſtat ab imperfectione. patet antecedens, & probatur conſequens: compoſitio indicat imperfectionem; ſed oppoſitorum idem eſt iudicium, ergò ſicut res compoſitioni inuoluta indicat imperfectionem, ita res omnimodè à compoſitione abſtracta indicabit perfectionem: at talis abſtractio ſit per oppoſitum, quod eſt ſumma ſimplicitas. hæc eadem videtur eſſe ſententia D.Tho. 1. contra Gent.c.18.& Soncin. 4.met.q.14.

Simplicitas non dicit puram negationē compoſitionis, ſed qd aliud.

18 Quid verò nobis dicendum ſit breuiter ſtatuamus. Inueſtigandum autem primo eſt, quid importet nomen hoc, *ſimplicitas*, iuxta id, quod ad ſubiectam materiam ſpectat: & relictis ijs, quæ præced. artic. diximus, nunc eſt animaduertendum ad duo referri: alterum negando; & tollendo, & alterum apponendo, & affirmando: primum eſt imperfectionis, & ſecundum indicat perfectionem: ea autem ſunt, compoſitio, & ſūma actualitas: illud negatur, & hoc affirmatur: ſimplex namque deſtruit compoſitionem, cui opponitur; & vltra hoc, admittit puram actualitatem. Non ſiſtit ſolummodo in negatione cōpoſitionis, etenim Deus ſimplex, nil aliud eſſet, quàm non compoſitus, at hoc patet eſſe errorem, eſt namque purus, & ſummus actus, ergò ſimplicitas vltra compoſitionem, quam negat, admittit etiam aliquid poſitiuum, & illud eſt actualis, ſeu purus actus; ſic .n. vocatur Deus: vnde apparere incipit non benè aſſerere Caetanum ſimplicitatem conſiſtere in pura negatione; Deus .n. caret compoſitione per ſimplicitatem, & vltra hoc, per eamdem ſimplicitatem eſt ſimplex, & purus actus.

18 Simile eſt huic, de quo agimus, id quod dicendum venit de vnitate: namque duo vnitas dicit, & negando vnū, affirmat alterum: quatenus .n. inſpicimus in ipſa diuiſionem, ſeu indiuiſionē, habemus quid negatiuum, quod tollimus; quatenus verò cōnotat ſubiectū, de quo prædicetur, habemus entitatē poſitiuam ſicq; vnitatē ſpeculando, vt decens eſt, vt infra apparebit non conſiſtere in ſola negatione; itaque vnitas nō eſt ſola negatio. ſed licet in hoc appareat maior contradictio, de qua in materia de vnitate Dei; tamen magis patet veritas de ſimplicitate, vt non ſiſtat in ſola negatione.

Negatio de ſe nec perfecta, nec imperfecta.

19 Inſuper nulla negatio eſt formaliter de ſe perfecta; immo nec imperfecta; quia perfectum, & imperfectum cadunt ſuper ens poſitiuum: at negatio eſt nihil: quod verò nihil eſt, non poteſt eſſe perfectū, aut imperfectum, itaque de ſe nihil tale eſtuerit autē imperfecta, vel perfecta, tū ex capite negato, tùm etiā ex ſubiecto, cui negatur tale caput: impeccabilitas nāq; de ſe, purum nihil eſt; ideoque abſtrahit à perfecto, & imperfecto formaliter; at ratione eius, quod negat, dicere incipit perfectionē, quia negat aliquod malū, quod eſt malū culpæ, tanta enim eſt affirmatio, quanta eſt negatio oppoſita, & qualis eſt iſta, talis illa, at malū culpæ, quod negat, eſt quid imperfectū, ergò ipſius mali negatio eſt quid perfectū; inſuper, ratione ſubiecti, de quo negatio effertur, patet amplius eius perfectio: de Chriſto nāque, & de Virgine prædicatur impeccabilitas, de illo per naturam, & de hac per gratiā: at in hoc oſtenditur maxima Chriſti perfectio, & Virginis preſeruatio, ob quod ſupra omnes exaltati fuere, igitur quā non habet de ſe formaliter negatio perfectionē, habet & ratione ſubiecti, & ratione quoque prædicati, quod negat.

Perfectiones Dei negatiuæ cōnotata perfectionē.

20 Sic ſe habent omnes, & vniuerſę Dei negatiuę perfectiones, vt immenſitas, infinitas, immortalitas, innaſcibilitas in Patre, & ſimiles: ſunt namque negationes de connotato importantes perfectionē; quoniā immenſitas negat recluſionē, & limitationem in loco, & hoc eſt caput negatū: & affirmat abſolutā, perfectamque potentiā, qua omni poſſit aſſiſtere, & præſens eſſe loco: infinitas negat de formali terminū, atq; intrinſecu limitē perfectionū, apponit tamen congeriē poſitiuarū perfectionū debito ordine, & modo Deo cōuenientiū. immortalitas tollit, negando defectum vitæ, & admittit conſtantiā

tiã peremnem, & indefectibilẽ in Dei vita. innaſcibilitas quoque negat productionẽ ab alio, & affirmat entitatem poſitiuã habentem eſſe ſimpliciter à ſe, & ſic de alijs.

21 Sic à contrario de negationib. perfectionis alicuius, & bonitatis, vt Incredulitas, Impietas, Iniuſtitia, Irregularitas, & huius generis, quorum primũ negat fidẽ, quæ eſt poſitiua entitas, & connotat ſubiectũ eius negatione irretitũ: impietas aufert poſitiuã pietatem, & admittit negationẽ eius in ſubiecto, ſic iniuſtitia, & cætera: ex quo apparet, negationes iſtas auferre poſitiua.

22 Hinc conuincitur negationem de ſe non eſſe perfectã. probatur, ſi de ſe eſſet perfecta, ergò omnis negatio de ſe eſſet perfecta, conſequens eſt falſum: ſequela tenet, quia animal de ſe eſt ſenſibile, ergò omne animal eſt de ſe ſẽſibile. probatur falſitas conſequẽtis, impietas, & infidelitas, ſicut & iniuſtitia ſunt negationes deſtruẽtes virtutem pietatis, habitũ fidei, & iuſtitiæ, ergò eſſent perfectæ, ſicque deſtructio virtutis eſſet perfectio, ſeu perfectionis eſſet diſſipare virtutẽ: itaq; de ſe reſtat, vt non dicat perfectionẽ negatio. Nec etiã dicet de ſe ſola imperfectionem, niſi ratione ſubiecti, de quo ꝑdicatur: impeccabilitas autẽ negat quidẽ imperfectionem, ſed admittit perfectionẽ ſanctitatis, ergò concludendũ negationes de ſe nec dicere perfectionem, nec imperfectionẽ formaliter, niſi ſolũ vel ratione connotati ſubiecti, vel ratione negati prædicati.

Simplicitas de ſe formaliter nec dicit, perfectionẽ, nec imperfectionem.

23 Applicando ad ſimplicitatẽ, ipſa de ſe formaliter conſiſtit in negatione, negat namq; compoſitionẽ; ergò dicẽdũ, quod de ſe formaliter nec perfecta eſt, nec imperfecta, nec infinita, nec finita, quoniã dum negatio eſt, adipiſcitur, & conſequitur naturã negationis in ſe: quæ vt præſcindit à negato, & cõnotato, nec eſt perfecta, nec imperfecta. Contingit autem ratione negati dicere perfectionẽ ex vno capite, eſt autẽ id, nempè compoſitio; in cõpoſitione. n. plures ingrediuntur imperfectiones, vt infra, proptereaq; excluditur à Deo; ideoque ratione negati induit perfectionẽ; ſed hoc parum eſt, niſi etiã reſpiciat ſubiectum, à quo negat cõpoſitionẽ, eſt autem Deus; & aſpiciendo ipſum, admittit in eo ſummã actualitatẽ, & hæc omnino eſt abſolutè perfectionis; quia eſt purus actus, entitas vniformis, non cõmixta, non cõpoſita, & cui adſcribatur titulus ſummæ ſimplicitatis. igitur quæſitum terminando dicimus ſimplicitatẽ formaliter, & de ſe tentã non dicere perfectionem ſimpliciter, nec imperfectionem, ac de ſe nec finitã eſſe, nec infinitã; ratione autẽ vel connotati ſubiecti, vel prædicati negati, dicere vel perfectionem, vel imperfectionem, reddendo ſingula ſingulis. Et nedum perfectionem, vel imperfectionem connotare, ſed tantam, ac tãtam, iuxta menſurã compoſitionis, quã excludit: ſi namque excludat ſolũmodo compoſitionẽ, conotabit aliqualem perfectionem, vt materia prima dicitur ſic ſimplex, quia eſſentialiter non eſt in ſe compoſita; ſi autem materia aliundè conſideretur, iam conſtat eſſe imperfectiſſimam. ſic etiam forma, quia non eſt eſſentialiter ſic compoſita, eſt etiã aliquantũ perfecta: quia tamen & materia de ſe, & forma de ſe, non habent perfectionem compoſiti, ideo eſt perfectius compoſitum; ſi autem excludat nedum compoſitionem, ſed etiam cõponibilitatem cum quocunque altero, connotabit maiorem perfectionem, vt in Deo, qui nec in ſe eſt compoſitus, nec alteri eſt componibilis. & ad hunc ſenſum poteſt trahi Scotus cum ſequacibus, dum admittũt dicere perfectionem ſimpliciter, videlicet connotatiuè in ſubiecto, & excluſiuè ratione prædicati denotantis imperfectionem.

Relatio in ſe an dicat perfectionem.

24 Sola lis remanet ex parte relationis in ſe, ſi dicat perfectionẽ: etenim cùm ſimplex ſit, ait Caetan. abſtrahet à perfectione, & imperfectione, & propterea inde infert ſimplicitatem quoq; abſtrahere ab imperfectione, & perfectione: & dubium præſens de ſimplicitate verſatur præcipuè penes Scotiſtas, & Caetan. concordantes circa relationem in ſe: Dicendum verò pro nunc, quouſq; ad propriam materiam de relatione deſcendamus, de ſe abſtrahere à perfectione, & imperfectione, infinito, ac finito: hoc dictum ſit ad mentem Scoti, & Caetan. tùm lib.

tit.

cit. de ente, & eſſ. tùm etiam 1. p. q. 28. art. 2. ad 3.

Caietani rationes.

25 Sed qua ratione inferatur relationem non eſſe. ſic perfectam, aut imperfectam, Caetanus exiſtimat id prouenire ex eius ſimplicitate: vnde infert ſimplicitatem conſequenter abſtrahere à perfectione, & imperfectione. Verùm diſcurſus non placet, & ratio cui innititur nō apparet vera; hæc enim relatio creata, de ſe non eſt ſimplex, ſed compoſita: componitur nãq; ex realitate generis, & realitate differentiæ: item eſt cum altero componibilis, quia verum accidens, faciens cũ fundamento, & termino compoſitionem: habetq; compoſitionem ſpeciei, iuxta ſingulas ſpecies relationum cōſtantium ex differentia, & genere: quo fit, vt hæc numero, ſit compoſita, & cōponibilis: non ergo ſimplex vt ſic: quo ſit, vt ei non competat prædicatũ ſimplicitatis; vnde etiam ruit fundamentũ ſuum, quo ideo ſimplicitatem aiebat abſtrahere à perfecto, & imperfecto, quia relatio abſtrahit ab vtroq; & ideo relationem abſtrahere à finito, & infinito, quia eſt ſimplex, quæ ratiocinatio non currit, cùm conſtet non eſſe ſimplicem, ergo quòd relatio abſtrahat ab vtroq; aliunde eſt petendum, & non ex ſimplicitate. Immò ex ratione ſimplicitatis, quam relationi de ſe tribuit, debet magis inferri perfectio relationis, quia ſimplicitas perfectionem cōnotat ſubiecti, quatenus ab eo remouetur imperfectio compoſitionis: concedit verò eſſe ſimplicem, ergò multo perfectiorem eſſe, deberet concedere, ſecundo eſt quidem relatio de ſe abſtractiuè, ſimplex, ſed non propter hoc abſtrahit ab vtroq; ſed aliunde.

Soluuntur argumẽta primę opinionis.

26 Igitur concludamus ſimplicitatem de ſe formaliter, cùm ſiſtat in pura negatione, abſtrahere à perfecto, & imperfecto; ſicq; Scotiſtæ, & Caetanus vocant eam ens non quantum, & de ſui ratione non dicere perfectionẽ, quia ſequeretur, quod in omnibus, & ſemper diceret perfectionem; nec de ſui natura aſſerere imperfectionem, quoniam in nullo poſſet connotare perfectionem, quòd patet eſſe falſum, vt deduximus: ergò quam perfectionẽ dicit, ea ex duplici erit capite petenda, vel ratione prædicati, quòd negat; vel ratione ſubiecti, quòd connotat: vel ratione gradus poſitiui, quem addit, ex Scotiſtis.

27 Hinc ad argumenta primæ ſententiæ, falſum eſt negatione ſola conſtitui ſimplicitatem, licet namq; de ſe ſit negatio formaliter capta, ſimplicitas, conſtituit tamen, ſiuè cōnotat ſubiectum habens actum purum, & ſimplicem; remanet quoq; non eſſe ſolam negationem. Ad id de relationib. concedatur eas abſtrahere à perfecto, & imperfecto, attamen non quia ſimplices de ſe ſunt, vt prima opin. ſed aliunde, vt infra hic. Ad illud de quanto, cōcedimus concludere formaliter nil tale eſſe, ſic autem reſpectu connotati, ſi eſt quantum; de quo in fine artic. in reſponſione formali.

Soluuntur argumẽta ſecũdæ opinionis.

28 Ad rationes autem opinionis ſecundæ, negandum abſoluté ſimplicitatem, quo maior eſt, eo maiorem dicere perfectionem, etenim pars eſt magis ſimplex, quam totum compoſitum, ſed hoc eſt perfectius illa: Accidens etiam eſt ſimplicius ſubiecto, ſeu reſultanti toto per accidens ex accidenti, & ſubiecto, at eſt minus perfectum, quam ſubiectũ: & materia prima ſimplicior eſt compoſito, quę nihilominus eſt imperfectiſſima cunctorum: ſi quam tamen perfectionem connotat ſimplicitas, ea non erit de ſe formaliter, ſed ratione ſubiecti: de ſe namq; quandoq; minorem continet perfectionem.

Quo ſimplicius vtrũ eo perfectius.

In ſimplicitate dantur gradus.

29 Vnde ſciendum in ſimplicitate dari gradus, aliqua namq: eſt ſimplicitas deſtruens compoſitionem phyſicã, ſiuè ſubſtantialem, & per ſe, ſiuè accidentalem, & per accidens: & hæc eſt minùs cæteris perfecta, quia non excludit omne genus compoſitionis, cũ excludat ſolam phyſicam: Alia eſt, quę excludit phyſicam, & metaphyſicam, & hæc perfectior eſt; cum excludat compoſitiones omnes, ſingulæ namq; reuocantur ad hęc duo capita, vt compoſitio ex actu, & potentia; ex ſubiecto, & accidente; ex genere, & differẽtia; ex his, & cùm his; ex non ente, & ente; & ſimiles: ſed adhuc non habetur vltimus gradus ſimplicitatis, quoniam ſunt aliqua, quæ licet compoſita non ſint vllo modo, tamen ſunt cum aliquo com-

componibilia: & ita genus de ſe nõ eſt compoſitum, alias daretur in infinitum proceſſus in componentib. nec ſimiliter materia eſt de ſe intrinſecè compoſita phyſicè, licet metaphyſicè compoſita ſit ex genere, & differentia, in opinione exiſtimantium dari diuerſitatem materiarum, alterius rationis in terris, & in cælis, quòd etiã dari debet in oppoſita ſententia, licet foret vna vnius rationis in omnib. quoniã aliud mẽbrũ, quòd requireret genus, ſufficeret eſſe potentiale, ſicut Sol vnicus in actu, plures tñ potentialiter, de quibus valeret prædicari tanquã ſuperius, de qua re in logicis; licèt ergò genus, & materia ſuo modo ſimplicia ſint, tamẽ non gaudent vltimo gradu ſimplicitatis, quia ſunt componibilia cùm alijs, ideſt ſimul ponibilia; ex qua ſimul poſitione reſultaret compoſitum; igitur vt ſic, ſunt ſaltim partes, & principia interna commixtionis: ergò ea erit vltimata, & conſummata ſimplicitas, quę nedum compoſitionem reſpuit, verum & componibilitatem: & hæc ſupremã, & omnino primam cõnotat perfectionem, quia tribuitur ſoli Deo: de hac igitur ſimplicitate eſt vera propoſitio, quòd ſimplicitas quo maior, eo perfectior, non autem de cæteris inferioris gradus. qualiter verò coaleſcant cùm ſumma ſimplicitate tot diuinarũ perfectionum gradus, & qualis foret admittenda inter eas diſtinctio, quæ tamen non obſit ſimplicitati, dicetur ſuo loco.

30 Ad aliud cùm dicitur, relationes diuinæ ſunt ſimplices, & tamen Scotus negat dicere perfectionem. Reſpondet Vulpes nec eſſe ſimplices, nec compoſitas, & ideo, inquit, abſtrahere à perfecto, & imperfecto. Verùm non eſt intelligibile eſſe aliquod verũ, & reale ens, quòd non ſit ſimplex, nec compoſitum, quia non datur medium, ideo dicendum conſequenter ad Scotum, illam ſimplicitatem eſſe perfectionem ſimpliciter, quæ prædicatur de ente quanto, vt eſt Deus, & de hac Scotus loquitur: non autem illam, quæ cõpetit enti non quanto, vt relationes diuinæ; hæ namq; ſicut ſecundùm ipſum, non ſunt perfectæ, nec imperfectæ, ita earum ſimplicitas abſtrahet ab vtroq; taliſq; erit ſimplicitas, quàle eſt ſubiectum ſimplicitatis, &c.

ARTIC. II.

Oſtenditur Deum non componi in forma, & materia.

31 Vppoſitis ijs, quæ de ſimplicitate, & compoſitione in ſe adducta fuerunt ſuperiorib. artic. accedimus ad principale ſubiectum probando per ſingula capita compoſitionum recenſita non eſſe Deum compoſitũ: initio autem id adſtruemus ex compoſitione primariã ex materia, & forma: At prima, & præcipua, atq; fundamentalis probatio erit deſumenda ex doctrina Catholica: cui addendæ veniunt probationes cæteræ naturales, & philoſophicæ. ea autem eſt definitio totius Eccleſiæ, qua ſtatuitur Deum eſſe omninò ſimplicem, vt habetur in cap. firmiter de ſum. Trin. & fid. catt. in Concil. Lateran. celebrato ſub Innoc. 3. quo decreto damnantur, tùm Gnoſtici, tùm Priſcillianiſtæ, aſſerentes animas eſſe eiuſdem naturæ, ac Deus: tùm Bailardi docentis Spiritum ſanctũ eſſe animam mũdi; tùm Democriti, & Thaletis error, non admodũ diſſimilis anteriori, aſſerentium Deum ipſum eſſe mundi animam, tùm deniq; Tertulliani atteſtantis Deùm eſſe corpus: ac cęterorum deliria, aduerſus quæ habetur paſſim, vel ex D. Auguſt. de hæreſ. her. 6. & 70. vel Bernar. epiſ. 190. Theodor. de diuin. decret. c. de principio. Cirill. l. 1. Theſau. c. 8. Euſeb. 15. de præpar. euang. c. 6. Leone Pap. ep. 91, cæteriſq; in vniuerſum Theologis, & Cattholicis, vt etiam initio artic. primò *Errores cõtra ſimplicitatẽ Dei.*

32 Prima ſit, quod eſt ens per eſſentiam, non cadit in compoſitionem: eſt autem Deus ens per eſſentiam, ergò reſpuit compoſitionem. minor patet Exo. 3. *ego ſum qui ſum*: de qua etiã loquuti ſuimus in ſuperiorib. ſequela tenet, & probatur antecedens, ens per eſſen- *Ens per eſſentiam nõ cadit in cõpoſitionem*

eſſentiam habet ex ſe ſolo omnem rationem eſſendi; ſed compoſitum, ſeu componibile cum altero non habet ex ſe ſolo rationem eſſendi; patet aſſumptum, quia idem eſt eſſe ens per eſſentiam, ac ens à ſe,& à nullo alio mendicans rationem eſſendi: cui opponitur ratio non eſſendi per eſſentiam, quia habet eſſe aliunde,& ab altero:compoſitum autem eſt huiuſmodi,etenim habet eſſe à quatuor cauſarum generibus abſque quibus non haberet eſſe. In ſpeciali autem probatur de parte componibili cum altera.materia eſt forma ponibilis, ſeu componibilis, ſignum autem eſt quod ex ſe ſola caret perfectione formæ;ſimiliter forma materiam appetit,cui copuletur vt perfectionem ex tali coniunctione aſſequatur,quam ex ſe ſola non habet. Compoſitum etiam coniunctionem talium principiorum expectat.vt inde ſuum eſſe recipiat;ergò maxima eſt compoſiti, & componibilis imperfectio, dum eſſe, & perfectionem qua caret, aliunde expectat, cùm à ſeipſo non habeat: Deo autem nihil deeſt entitatis,& perfectionis,quod poſſit aliunde expectare,ergo cùm ſit ens per eſſentiam, & à ſe habens omnia quæ habet,in compoſitionem non poteſt aduenire.

Inſtantia ſoluitur.

33 Ratio hæc efficax eſt, ſed dubium oritur, quia dici poſſit id fieri abſque compoſitione,itaquod vnum ab altero entitatem poſtulet, & perfectionem expectet, abſque eo tamen, quod in tali aduentu, & vnione reſultet neceſſariò compoſitio, & ita poſſe Deum entitatem habere participatã, abſque tamen informatione, ſeu compoſitione. & inſtantia haberi poſſet in conſtitutione diuinarum perſonarum, quæ per aliud conſtituuntur, ex eſſentia,& relatione,de quibus nihilominus dici nequit eſſe compoſitas. Reſpondetur autem id ſolum euenire in diuinis perſonis, in quibus compoſitione abiecta, vtimur ſolummodo termino conſtitutionis. & ad id, quod dicitur ens conſtitui per aliud, non poteſt elici ſenſus, quod non ſint ens per eſſentiam;licet enim Filius, qui à Patre habet eſſe,non ſit à ſe,ſed ab alio, nihilominus verè vocatur ens per eſſentiam; ita quoq; Spiritus ſanctus habens eſſe ab vtroque. Ad efficiendum verò ne aliquid vocetur ens per participationem aliqua requiruntur, quorum primum eſt vt ſit ens omnino neceſſariũ: item quod non habeat eſſe dependenter per veram cauſalitatem, vbi admiſceatur diſtinctio eſſentialis inter recipiens eſſe, & id,à quo recipitur eſſe: patet in creaturis, quia ſic entia vocãtur participatiuè, dependent enim à Deo largitore ipſorum eſſe:atque etiã non ſunt entia neceſſaria,quia contingentia.at Verbum, & Spiritus ſanctus licet habeant eſſe à Patre, & non à ſe, attamen ſunt vera ſuppoſita ſimpliciter neceſſaria,nec dependentiam dicũt à Patre, cum vna, eademq; natura reperiatur in omnibus,ideoq; vocabuntur omnes Perſonæ,etiã productæ, entia non per participationẽ,ſed ens per eſſentiam. quocirca cum conditiones entis nõ per participationem ipſis nõ competant, minimè applicari ad ipſas poterit euaſio. Vbicunque autem in vniuerſum hæc duo accidunt, adiuncta inſuper ordinabilitate alterius ad alterum ſub ratione potentiæ, & actus,neceſſariò erit concedenda compoſitio.

Requiſita ad ens per participationem.

Vnum ſolũ ſupereſt, de gradibus qualitatis; etenim vnus gradus non informat alterũ cùm ei denuo aduenit per intenſionem,v.g.albedinis, ergò abſq; cõpoſitione,& abſque ratione actus,& materiæ poſſũt hæc fieri Sed ad hęc reſpondetur quod verum eſt gradum vnum non informari ab altero, cùm vnus ad alterum non ſe habeat vt forma, & materia; attamen iidem gradus ſunt vera cauſa ipſius intenſæ qualitatis, nam ſunt principia eſſentialia, & intrinſeca componentia hanc albedinem: eſt etiam albedo, ſeu qualitas,in potentia ad gradus;& gradus ſe habẽt veluti actuantes formæ ipſius qualitatis, in quibus intenditur, augetur, remittitur, & minuitur ipſa qualitas,omniſq; eius perfectio pendet à gradibus: igitur adeſt cauſalitas, perfectibilitas, actualitas,potentialitas, ac dependentia;adeſt etiam diſtinctio realis gradus à gradu, & ſeparabilitas gradus à gradu; atque deperdibilitas totius qualitatis per graduũ deperdibilitatẽ, quæ tamen reperiri nequeunt in Deo.

Gradus quomodo ſe habent ad qualitatem.

34 Confirmatur autem ratio primaria

maria de compoſitione. omne alteri componibile poteſt eſſe par alterius: quod eſt pars, non eſt totum, & quod non eſt totum, aliquid ſibi perfectionis deficit; & quod eſt pars, poteſt excedi; de Deo autẽ hæc prædicari implicat; patet diſcurſus, Deus nulli inferior eſt in entitate, æternitate, & perfectione; neque vlli æqualis eſt in hiſce, excedit autem entia omnia actualia, & poſſibilia; ergò excluditur ratio partis. rurſus infinitum repugnat excedi, talis autem eſt Deus duratione, & perfectione infinitus. quod etiam totum non eſt, deficit ſibi ratio totius, nil autem ſibi deeſt: vnde hac ratiocinatione conuincitur nec alteri eſſe componibilem veluti partem, nec eſſe totum compoſitum, nec à ſeipſo diſtinctus.

35 Petes, Deo eſt adſcribenda ratio totius, ſed hoc neceſſariò inuoluit imperfectionem? prob. totum dependet eſſentialiter à partib. inſuper vbi eſt totum, ibi ſunt partes, quo fit vt etiam remaneat aliquid Dei eſſe partem. ipſa etiam ratio totius, & partium inuoluunt de ſui primo ſignificato in formabilitatem, & actum: ac denique cùm in ſententia multorum, totum diſtinguatur realiter, & eſſentialiter à partib. ſequitur vt talia inconuenientia ſint adſcribenda Deo. Deo autem competit ratio totius, quia non eſt pars &c. nec à ſeipſo diſtinctus.

Totius varia acceptiones.

36 Reſpondetur autem diſtinctione vnica neceſſariò præmittenda pro explicatione huius vocis *totius*. totum namque ſumi ſolet pro eo, cui nihil deeſt perfectionis, & quod omnia côtinet, quæ neceſſaria ſunt: quo modo loquêdi vtimur ſæpiſſimè dicendo, hic habet totum quod habere poteſt, ex quo datur intelligi nil ſibi deeſſe, nihilq; deficere. ſolet etiã more phyſico ſumi pro eo, quod dependentiã eſſentialem habet à partibus, & quod connotat partes ad ipſum ordinari ſub ratione actus, & potentiæ, materiæ, & formæ: ſeu etiam cum reali, vel eſſentiali diſtinctione iuxta placitum multorum: hæ duæ totius acceptiones ſunt rationis diuerſæ: namque in prima nil reperitur imperfectionis, & defectus: in ſecunda autem multæ accidũt rationes imperfecti, vt dependentia,

Deo quomodo competat ratio totius.

cauſalitas ſub vera ratione cauſæ, & effectus: informatio, potentialitas, diſtinctio, & ſimilia: applicando igitur cimus prima acceptione prædicari de Deo rationem totius; etenim nil Deo deeſt perfectionis, ex ijs, quæ ſibi conueniunt, & ſub hac ratione præſcindẽdo ab imperfectionibus reperitur in Deo, quo ſenſu loquitur D. Aug. l. 1. de Trinit. cum ait, *Pater eſt principium totius Trinitatis.* ſub qua etiam loquendi, & intelligendi formula, tum Deus ipſe abſolutus, ſeu Deus hic, vel Deitatis indiuiduum, tum etiam perſonæ diuinæ dicuntur habere rationem totius; quo fit vt Patrem vocemus vnum totum, ſimiliter Verbum, & Spiritum ſanctum; quia tamen ſecunda acceptio tot defectus inuoluit, hinc remouemus eam, atq; de eiſdem perſonis dicimus vnamquamque eſſe vnum, non compoſitum, ſed conſtitutum: diſtinctior autẽ habebitur aſſignatio huius cũ de Perſonis agemus.

37 Arguitur vltra pro principali intento. Deus eſt neceſſe eſſe, ergò nõ cadit in compoſitionem. prob. conſeq. dà oppoſitum, quod non ſit neceſſe eſſe, & continuo dabis quod ſit contingens, & poſſibile eſſe; ſed quod eſt ens poſſibile componitur ex potentia, & actu; ergò ſic erit Deus ens poſſibile, & contingens, & conſequenter defectibile: ſi dederis primum, ergò tollitur compoſitio. prob. quod eſt de ſe neceſſe eſſe eſt in vltima actualitate: vltima autem actualitas repugnat compoſitioni. probatur, ad compoſitionem ordinatur id, quod caret perfectione aliqua, ſeu entitate, vt materia ordinatur ad formam, vel vt accipiat ab ea eſſe ſimpliciter ex Thomiſtis, vel actum perfectiorem, & formalem ex Scotiſtis: inſuper forma, & materia ordinantur ad totum, vt perfectionem maiorem accipiant, & conſeruentur perfectius, quia perfectiori, & longiori modo, ſeu tempore conſeruantur vnitæ, quàm diuiſæ: Deus autem nullis indiget, vt ſuit deductum, eſtq; in vltima actualitate, quod indicat à ſe habere omne, quod ſibi conuenit, ergò non ordinatur ad componi.

38 Dices in Deo concedi debere membrum oppoſitum neceſſe eſſendi,

eſt

Qua poſſibilitate Deus eſt ens poſſibile.

eſt enim ens poſſibile: quòd ſi oppoſitum attuleris, ergò demonſtrabitur eſſe ens impoſſibile: quod ſi poſſibile ens ſit, cōponetur ex poſſibilitate, & actualitate. igitur ratio non conſtringit. Reſpondetur autem ly impoſſibile ſolere diſtingui vel prout opponitur impoſſibili, vel prout diſtinguitur à neceſſario, primo loco idē ſonat ac ens quodlibet, cui non repugnat eſſe: ſecundo autem negat neceſſitatem eſſendi, & admittendi contingentiam in ipſo eſſe. Non dubium eſt, quòd Deus ſit altero iſtorum modorum ens poſſibile, ſumēdo prout impoſſibili opponitur; ſed hoc non ſufficit, niſi etiam ei addatur ratio neceſſariò eſſendi; etenim addēdo ſimpliciter poſſibilitatem eſſendi, iam non diſtingueremus eum à creaturis, quæ etiam vt ſic, ſunt poſſibilia, quia nō impoſſibilia: neceſſitas autem non repugnat enti, ſicut nec repugnat contingentia, igitur hac poſſibilitate ſtante cum neceſſitate, & excludente contingentiam, & impoſſibilitatem, eſt Deus poſſibilis. quod tamen in alio ſenſu poſſibilitatis negatur, eſſet namq; ens contingens, creatum non neceſſariò æternum, & ſimilia, quæ in creaturis defectum connotant, ſicut etiam connotat ordinem tranſitus de non eſſe ad eſſe, & de obiectiua potentia ad actum entitatiuum. Eſt quoque ens poſſibile Deus poſſibilitate logica, quæ conſiſtit in non repugnantia terminorum: nō autem poſſibilitate phyſica, quæ conſiſtit in tranſmutabilitate materiæ de non eſſe ad eſſe, & de eſſe in non eſſe.

39 Aliud argumentum, quo negatur compoſitio. Deus eſt ineffectibilis, ergò non eſt componibilis. antecedēs patet, & probatur conſeq. cauſalitas materiæ & formæ, ſeu compoſitio materiæ cum forma nō poteſt haberi niſi habeatur cauſalitas cauſæ efficientis; eſt autē Deus ineffectibilis; ergò non componibilis ex materia, & forma. prob. aſſumptum, materia non poteſt formam educere de potentia ſua, niſi Agens effectiuum agat circa eamdem materiam diſponendo eam: nec forma poteſt educi, niſi actione veri efficientis abſtrahatur de potentia ad actum, præparando ſubiectum, diſponendo materiam, & prouidēdo de ſingulis, quæ ad talem eductionem requirũtur: nec inſuper materia formæ vnitur, nec è conuerſo, niſi actio, & effectiuitas intercedat veri Agentis. igitur remanet probatum conſequens. Adde quod Ariſtoteles primo phyſ. neceſſario cōceſſit hæc principia, tum intrinſeca, tum etiam extrinſeca, quia alterũ ſine altero non operatur, quapropter quatuor ſpecificauit genera cauſarum, eaque omnia, & ſingula requiſiuit ad opus, & compoſitionem. Addamus autem minorem, ſed Deus non eſt effectibilis, ergò nec componibilis. eandē rationem formabis ex parte finis; vt Deus non eſt finibilis, quia infinitus, nec terminabilis, nec ordinabilis ad cauſam finalem diſtinctam à ſemetipſo, ergò nec ex materia componibilis; quia finis proximus materię eſt forma, finis vltimus eſt compoſitum ſeu totũ.

40 Dices conſequentiam non eſſe neceſſariam à cognitione efficiētis ad negationem materialis, & formalis cōpoſitionis, & probatur inſtantia: Deus habet eſſe, & entitatem formalem ſuā abſolutam, cum omni eo, quod ad rationem conſtitutiuam Indiuidui abſoluti Deitatis requiritur, & tamen id non habet à cauſa vlla efficiente; loquimur enim de abſoluto Deitatis, nō de perſonis, quarum altera habet eſſe ab altera: igitur nec valebit vniuerſaliter conſequentia à negatione efficientis cauſæ ad negationem materialis. Reſpondeo argumentũ procedere vbi vera reperitur effectiuitas efficientis, & vera cauſalitas materiæ, & formæ: in diuinis autem nulla reponenda eſt materiæ ratio, nec quaſi materiæ, ideo negata hac materiali effectione, negabitur effectio veri efficientis, & negata hac, negabitur & illa: ad inſtantiam autem dicendum, indiuiduum abſolutũ Deitatis conſtare ex ſeipſo, & à ſeipſo: & in intrinſeca conſtitutione diuini eſſe, quod conſtat ex eſſentia, & exiſtentia, nulla reperitur materialis cauſalitas, nec enim eſſentia ſe habet veluti materia, nec exiſtentia veluti forma informans, ſed reperitur ſolùm forma abſtractis imperfectionibus, in quantũ forma eſt purus actus dans eſſe ſimpliciter, ſic enim ſolet vocari Deus, non in-

inquantum eſt forma informans, quatenus .n. dat eſſe ſimpliciter ipſi Deo, ſic habet rationem formæ ſecluſa imperfectione:cæterum reſecāda eſt omnis materiæ cauſalitas, & formæ propriè,& verè dictæ:quod cum ita ſit,negabitur compoſitio, & conſequenter negabitur cauſalitas agentis,& efficiētis, & finis extrinſeci. diſcurſus autem in argumento habitus ſupponit vtriuſque generis cauſarum cauſalitatem, vt ſi aduenit efficientia agentis, & finis,opus ſit concurrere materiam circa quam agant,& formam,quam inducant, quæue inde compoſitionem faciant, ex quo ſimul adnectuntur in ratione actus, & potentiæ, quæ omnia procul ſunt à diuinis.

Ratio veræ formæ excluditur à Deo.

41 probatur vltra,ex compoſitione materiali infertur Deum eſſe corpus,id verò implicat:illatio patet,eum conſtitutum ſequatur naturam conſtituentis, ergò quod ex corporea materia conſtat,eſt corporeum:implicantia autem probatur, aut namque eſſet viuum corpus,aut non viuum:non dabitur ſecūdum, quia multò imperfectior eſſet Deus tum homine, tum brutis, eſſetque ſimilis lapidibus, & ſimilia: ſi primū, aut ea vita corporea eſſet corruptibilis,aut æternalis,& expers corcorruptionis:non ſecundum,ergo primum, patet, quod namque ex materia conſtat corruptioni eſt obnoxium, cū ipſa ſit corruptionis origo, & generationis, itaque diſſolueretur aliquando hæc Dei vita, eſſetque verè in Deitate mortalis,nedum in humanitate aſſumpta,cui contradicit Apoſt. 1. Timot. 1. *Regni ſæculorum immortali*.& Ioann. 4. *Deus ſpiritus eſt*, & conſequenter immortalis. Dices corpus illud fore alterius rationis à corporibus cæteris ſublunaribus,hec namque corrumpūtur,& diuinum corpus non corrumperetur, exemplum à ſimili aſſumeretur de corporibus cœleſtibus,quæ carent corruptione.

42 Sed hoc eſt merum figmētum, dato enim quod conſtet ex materia phyſica ens aliquod,continuo non implicabit illud corrumpi.& ad exemplū de cœlo facilis eſt reſponſio iuxta Scotiſtas, illud quoque eſſe de ſui natura corruptibile intrinſecè, & licet nullū creatum Agens poſſit id deſtruere, poterit tamen ab ipſo Deo deſtrui; & maximè ſecundùm eos, qui materiam eiuſdem rationis apponūt in corpore cœleſti, & ſublunari,quæ de ſe vtriſq; machinetur corruptelam,quamuis impediatur corruptio aliunde ex impotentia creati Agentis, tum etiam quia cœli non recipiūt peregrinas impreſſiones, ita quoque foret corpus illud diuinum. quòd ſi corpus aliud inueniretur,id erit abſq;ratione vlla,& merū figmentum: eſſetq; neceſſario corruptibile,& corruptibilis Deus,& ſic non ens neceſſariū:& corruptionem vel ab altero expectaret,vel à ſeipſo,non primum, quia daretur alter Deus potentior,cui Deus ille corporeus nequiret reſiſtere:neque ſecundum cum rationi omni repugnet deſtruere ſeipſum, ſibi manus iniicere,& mortem propinare: vtcunque autem eſſet, remaneret mūdus abſque Deo ſuo, immo nec mundus eſſet, nec Deus, ab eo enim & factitatio pendet,& conſeruatio mundi, quo negato principio, negatur mundus. ex qua magis deluditur delirium Athæiſtarum negantium Deum eſſe, cūm etiam negare haberent mundum eſſe,& negare quoq;ipſoſmet Athæos, cum cæteris hominibus habere eſſe. Argumentum autem hoc de corruptione formauit prius D.Greg.Naziāz. qui oratione 2.de Theolog. ſic ait,*cōpoſitio pugnæ initium eſt, pugna autem diſſidij,diſſidium ſolutionis, ſolutio porrò nullo modo in Deum, ac primam illam naturam cadit*. hæc ille.& ad id de corpore alterius rationis in Deo eſt delirium hæreticorum aliquorum æſtimātium Verbum aſſumpſiſſe corpus ſiue phantaſticum, ſiue alterius naturæ, vt in mat.Incarnat.& in fine ſeq.art.

ARTIC. V.

Non componi ex trina demenſione quantitatiua.

1 OStenſa Dei ſimplicitate quaterius compoſitionem excludit ex materia, & forma ſubſtantiali, oſten-

oſtendemus conſequenter eiuſdē ſimplicitatem ſummam, quatenus excludit cōpoſitionem ex trina dimenſione, ſeu partibus quantitiuis. id verò probare aggredimur ex duplici loco Ariſtotelis pro re hac explicando. Primus autem deſumitur ex 8. phyſ. t. cap. 78. & 12. met. t. cap. 41. vbi deducit, quod Deus eſt potentię infinitæ: inde autem ſic infert, *potentia infinita non eſt in magnitudine, ergò Deus non conſtat ex partibus quantitatiuis.* Cōſequentia ſequitur; & probat minorem, ſi potentia infinita eſſet in magnitudine, ergò eſſet in magnitudine actu infinita; id autem implicat; conſequentia patet, etenim adęquari deberet ſubiecto, in quo reperiretur, at ea eſt infinita, ergò in magnitudine infinita; implicantia verò oſtenditur, quia potentia eſt in magnitudine, ergò maior in maiori magnitudine, ergò denique infinita potentia in magnitudine infinita; inde autem deducitur dandam in actu magnitudinem, & quātitatem infinitam præter communem ſententiam Sapientum.

Potētia infinita non eſt in magnitudine.

2 Poſſet afferri euaſio ad rationem iſtam reſpondendo negari dandam fore infinitam magnitudinem ſi infinita potentia eſſet in magnitudine, & ratio affertur, quia potentia illa infinita non eſſet opus vt extenderetur ad extenſionem magnitudinis; etenim ideo argumentum ſic procedit, quia ęſtimatur potentiam infinitam fore cum magnitudine extendendam, ob quod infinitæ potentiæ infinita correſponderet extenſibilitas; at non ſic eſt, cùm dicendum eſſet fore infinitam potentiam in magnitudine finita, itaut tota toti correſpondeat magnitutidini, & tota cuilibet parti magnitudinis. exemplificatur de anima, quæ in groſſo, oblongo, & quanto, atque extenſo corpore exiſtens non tamen extenditur ad extenſionem corporis, ſed tota toti reſpondet, & partibus ſingulis ipſa tota.

3 Verum Ariſtotelis ratio currit, quatenus fundamentum ſumpſit in extenſione ſaltem per accidens, ita vt mēs eius fuerit, quòd ſi infinita potentia eſſet extenſa per accidens, ſequeretur dandam magnitudinem actu infinitam: etenim extenſio eſt relatio actualis exquirens ſubiectum, ſupra quòd fiat, & formam extenſibilem, alias deſtruitur ratio extenſionis: qua propter foret ipſa infinita, & indiuiſibilis potentia vere extenſa, & conſequenter diuiſibilis, quanta, corporea, hæ.n. ſunt paſſiones extenſionis phyſicæ: quòd ſi daretur, verè etiam infinita daretur in actu magnitudo: Ad exēplum verò de anima, eſt diſpar ratio, etenim nec ipſemet Ariſtoteles eam fecit extenſam; quidquid tamen ſit de eo, de quo in lib. de anima, certum eſt nullam extenſionem de fide eam accipere: dum autē in ponderatione ſumus Ariſtotelicæ probationis, hinc vis, & efficacia patet ſuæ argumentationis, quòd potentia eſſet extenſa, atq; daretur maior, & maior, & in infinitū maior, ita vt actu daretur quantitas infinita.

4 Dubium vlterius oritur ex probatione, ex eo quòd dictum fuit, quòd maior potentia maiorem exquireret extenſionem: id verò falſum apparet immò conſtat extenſionem maiorē ſignum quandoq; eſſe minoris virtutis: prob. paruus ignis, minor eſſe quidem ſolet in quantitate, qui tamen intēſior eſſe poterit igne extenſiori, atque in quantitate maiori reperto. Sed reſpōdetur id fore intelligendū cæteris parib. vt.ſ. æqualis virtus in æquali extēſione, & maior in maiori abſolutè, & frequenter iuxta ordinem conſuetum agendi ſubiectetur, ità vt virtus adæquetur extenſioni, & extenſio adæquetur virtuti, nec virtutis gradus excedāt gradus extenſionis, nec gradus extenſionis excedant gradus virtutis: his ſtātib. eueniet ſemper vt virtutem menſuremus, ſaltem extrinſecè, à magnitudine, & quantitate, in qua reperitur extenſa: quòd ſi talis ordo, & correſpondentia non ſeruetur, iam currit euaſio, euenire.n. poteſt vt in modica quantitate ſit ignis, paruus quidem in quantitate molari, & extenſione, maior tamē in virtute, & actiuitate, eo qui in maiori reperiatur magnitudine: lege Scot. in 1. d. 8. q. 1. in corp. quæſt.

5 Altera probatio ex Ariſt. deſumenda pro primò intento hæc eſt, deſumpta ex eodemet Ariſtot. 8. phyſ. 78. 79. 12. met. 41. vbi ait, *ſi virtus infinita eſſet, moueret in non tempore.* quale verò fuerit eius intentum, ſic illud expli-

Si virtus infinita eſſet, moueret in non tempore, explicatur

plicat Scotus in 1.loc. cit. & quol.7. quòd ſi infinita Dei virtus eſſet in magnitudine extenſa,moueret vtiq, in nō tempore: ſed contradictiones quāplurimæ reperiuntur in hac Ariſtotelica loquutione: etenim quòd diuina virtus cùm ſit infinita agat in tempore, id quidem videtur abſonū, & incongruū, etenim finitam virtutem expectare tēpus non eſt mirum, cùm & in eſſendo, (loquendo de corporea)& in operando(loquendo de quacunq;finita)ſemper dependeat à tempore,ſeū ſucceſſiuitate, ita vt non ſemper poſſit agere in inſtanti: quòd verò infinita poteſtas expectet tempus,id derogat tantæ virtuti. aliud inſurgit incongruū, quod.ſ. moueat,& moueat in non tēpore: hoc ſiquidem maiorem inuoluit pugnam, quia de eſſentia motus eſt ſucceſſiuitas, & tēpus intrinſecè ingreditur ſucceſſiuam mobilitatem, & motū,immò eſt ipſamet motus ſucceſſiua menſura, & ſecundùm Scotiſtas idētificata realiter cùm motu. Vel ergò imperfectus Deus, vt mouere non poſſit in inſtanti, etenim id implicatur cùm dicitur, infinitam virtutem mouere, quòd denotat tempus: vel quidem fieret motus,at non in tempore, ſed in inſtanti.

Cntradictio in Ariſtotelis. 6 Quid autem dicemus? Reſpondeo Ariſtotelem contradictoria quidē in antecedenti inuoluiſſe, quapropter mirū non ſit, ſi etiam contradictoria deducantur inde in concluſione; quòd verò ita ſit, patet in illa hypotheſi, ſi virtus infinita eſſet in magnitudine; vnde virtutem infinitā apponendo extenſam in magnitudine, iam prima apparet contradictio, de qua egimus.infinitam, & ſpirituale, alioqui indiuiſibilem virtutem, extendi in magnitudine, quòd apertè implicat: hinc verò planum reſultat inconueniens aliud, quòd motus ille talis virtutis eſſet in non tēpore,probatur, primò eſſet motus,& verè motus, & inde eſſet in non tēpore:probatur primū,eſſet verè motus cùm vera ſucceſſione, quia omne mouens quantū,& extenſum,cū quantitas non ſit infinita actu, non ſemper habebit apprimè, & optimè præſens paſſum mobile: itē vnicuiq, quanto ea ratione qua eſt ens creatū, ſemper poteſt aliquid ſuo modo reſiſtere, vel ratione æqualis,vel maioris quantitatis, quæ reperiatur in quanto mobili: ex duabus autē hiſce cōditionib. elicitur reſiſtentia paſſi ad agens, ex ratione imperfectæ præſentialitatis, & ex ratione renitentiæ quantæcunq; quæ inter cæteras conditiones ſufficientes ſunt ad cauſandam ſucceſſiuitatem in operatione, quo fit, vt dum operatio talis ſit ſucceſſiua, erit quoq; actio motiua, ſeu actio quæ vocatur motus, & ita patet primùm, quòd virtus infinita verè moueret: probatur ſecundū, quia quā ratione eſſet virtus illa omninò, & vndequaq; infiniti vigoris, iā nihil ſibi reſiſteret,nil ſpſam oppugnaret, nec conſequenter neceſſariò expectaret tempus in agendo,ſed ageret ſubito,& ſic ageret in inſtanti, vereq; diceretur,quod ageret, ſeu moueret in non tempore. hæc verò duo ſunt contradictoria, ideò Ariſtot.contradictoria inuoluit: & ex eius ratione conſtat: Dei virtutem infinitam non eſſe magnitudine extenſam, nec ex partib.cōponi quantitatiuis.

7 Voū tamen aduertimus ad maiorem ipſius intelligentiam, ſtatuiſſe eum, agere Deum ad extra neceſſariò, & ex toto conatu ſuæ virtutis: quo fit, vt neceſſe ſit dicere conſequenter, vel in contradictionem neceſſariò incidiſſe, vel vndequaq; aſſerere agere ſemper in inſtanti: verum quia vtrumq; negatur, ideo clarū remanet quomodo,& qua ratione ad contradictionem deducatur ex dictis, tùm ipſe, tum vero quicunq: compoſitionem admiſerit ex partib.quantitatiuis.

8 Sed quid dicendum à Theologis circa difficultatem paulò ante motam circa omnimodam inſtātaneam actionem ipſius Dei: etenim arguitur demonſtrando ſemper agere in inſtanti, & ita non eſſe veram multorū Patrum ſententiam verè inſumpſiſſe ſex dierū ſpatium in creatione mundi: vel ſequeretur omnia ab æterno fuiſſe in eſſe reali: vel mundū fuiſſe ab æterno, vel ſubito,atq; ſtatim agere Deū id, quòd agit,cuius tamen oppoſitū experimur, creauit.n.motum,ſed non creauit eum in inſtanti,cùm implicet in inſtanti fieri, ergò & in inſtanti produci; creauit tempus, at non in inſtanti ex ratione

eadem, concurrit cùm creaturis temporaneè, & ſucceſſiuè agendo, ſeu coagendo, ſicut eæ ſibi, vel ſecum coagũt, & cooperantur, & his ſimilia. Reſpondeo autem, quòd Deus agat in tempore non eſt ſibi imputandum tanquam aliqua imperfectio, ſicut benè imputatur creaturæ ſub ratione imperfectionis: creatura namq; ſi in tempore agit, neceſſario agit in tempore, licet quandoq; poſſit minus tempus inſumere: at ſi Deus agit in tempore, liberè, & non coactè aget in tempore, poſſet namq; in inſtanti agere, niſi tamen implicaret à parte rei id ſic fieri. patet primũ, quia creatura pendet à tempore, eſt finitæ virtutis, nec poteſt ad omnia ſolis inſtantib. vti, ſed vtetur neceſſariò tempore, præterquã in productione actus intelligẽdi, volendi, cæterorumq; ſimilium, & præcipuè operationum immanentium, hæ. n. in inſtanti fieri poſſunt: licet tamen eadem et creatura aliundè inſumat etiam & tempus, vt in receptione ſpecierum, in depuratione phantaſmatum, & ſimilium. Patet ſecundũ, quòd namq; mundum non creauerit vnico inſtanti iuxta opinionem ſic ſentientium, id liberum ei fuit, cùm potuerit eum in inſtanti producere, ſicut etiã in inſtanti fuiſſe productum arbitrantur & plurimi: & ſic de cæteris. Et patet tertium, quia Deus agendo nõ vult rerum naturas deſtruere, ſed conſeruare, & ita agere, ſicut decens eſt, & oportet ad naturam creabilem, iuxta Auguſt. cùm vero implicet tempus, & motum in inſtanti eſſe, ideo hæc, & huius generis non in inſtanti produxit: cætera autẽ ſicut placuit. Ad id vero, quod dicitur, agens in tempore, ſeù expectans tempus eſt agens imperfectum: Reſp. verum de creatura, quæ vt plurimum neceſſariò expectat tẽpus: at Deus liberè vtitur tempore, & non neceſſariò quantum eſt de ſe: quòd ſi inſumit tẽpus, id facit propterea, quia ſe accommodat rerum naturis, quæ in agendo indigent tẽpore: ait enim Auguſt. *Deus res, quas condidit, taliter adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat.*

Deus qua ratione vtitur tẽpore.

9. Sed proſequamur ad quæſtionẽ; id inde ſequitur indiuiſibilem alioqui Deum, & inſectilem in ſeipſo, fieri omnino ſectilem, & diuiſibilẽ in infinitas partes quantitatiuas: eſt. n. hæc, paſſio, vel propria quantitatis ratio. ſ. diuiſibilitas: qua quantitatiuæ partes multiplicantur ad tantum numerum & proportionales ad infinitum: fruſtra antẽ eſſet potentia talis diuiſibilitatis in Deo, niſi actu quandoq; eſſet diuiſus: etenim in diuinis *non differt eſſe à poſſe.*

Item vbi quantitas, ibi laxitudo, & faticatio; propterea namq; Angelici ſpiritus defaticatione carent, quia corpus quantũ nõ habent. defaticatus autem appareret ad hæc vſq; tempora Deus ipſe, ſi eſſet formaliter quantus, ſicut per idiomatum communicationem, noſtram aſſumendo laxitudinem, voluit defaticari, ſudare, ac deniq; mori. Deniq; foret extenſus, magnus molari magnitudine; & hinc deduci poſſet, quòd poſſet etiam in ſua Deitate palpari, tangi, menſurari, ſaltem menſura reduplicationis, ſi non daretur quãtitas altera commenſurans æqualiter: hæ. n. ſunt paſſiones dimenſionum: nec dicere ſufficit poſſe ſubſtantiã dari aliquam, attamen ſimplicem, & alterius rationis à noſtris ſublunarib. quæ tamen ſit quanta; ſed id nec ratio conuincit, nec experientia comprobatur: eſt ergò de fide talem eſſe Deum, ſimplicem, quantum quidem; ſed quantitate virtutis: non compoſitum ex partib. quantitatiuis, integralib. & coextenſibilibus. ita in cap. firmiter de ſum. trin. & fid: cath.

10 Sic etiam Ioan. 4. *Deus ſpiritus eſt*: & Lucæ 24. *Spiritus carnem, & oſſa non habet*. Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit Orbem terrarum*: act. 17. *non debemus exiſtimare ſculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum eſſe eſſe ſimile*. Iſa. 40. *cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* de quare agũt Patres, D. Nazianz. orat. 2. Theo. Chriſoſt. homil. 5. ad Coloſſ. Anſel. monolog. c. 20. Iren. l. 2. c. 16. Baſil. homil. 10. exam. Theod. l. 4. hiſt. c. 10. Auguſt. hæreſ. 50. tum contra Auerroem fingẽtem ſubſtantiam quantam, ſed ſimplicem: tum contra Antropomorphitas tribuentes Deo humanum corpus, nõ tamen per hypoſtaticam vnionem; tũ aduerſus Anaximenem, & Apollinarẽ Diogenẽ tribuentes Deo corpus ſaltem aereum, Et Epicurum, cæteroſq;

hu-

humana membra affigentes Deo; tum deniq; contra Manichæos, qui Deum honorare magis penſitantes, corpus non vt cæteri, ſed corpus lucidum adſcripſere ipſi Deo; exiſtimabant.n. teſte Auguſt. hæreſ. 46. lucem hanc eſſe ipſam Dei naturam; tum demum contra ſingulos de quib. ſup. quòd ſi argumentum afferant de membris, Deo tributis, iam reſpondimus ſup. artic. 1. id dici per metaphoricam loquutionem, non verè, & propriè, &c.

ARTIC. VI.

Non componi ex accidente, & ſubiecto.

1 AN vero ſaltem ex accidente, & ſubiecto componatur tractãdum eſt. qua in re, cùm vnanimis ſit Theologorum ſenſus nulla huiuſmodi compoſitione conſtare, ſufficere id videretur. vel quia quidquid in Deo eſt, ſubſtantia eſt, vel etiam quia ſi quod accidens in eo foret, id fortaſsè reduci oporteret ad intellectionẽ, & volitionem, at hæ neq; accidentia ſunt, quia intelligere Dei eſt ſuum eſſe: vt docet Ariſt. & volitio cùm ſit eadẽ eſſentialiter cùm diuino eſſe; non amittat rationem, & quidditatem ſubſtantiæ. Alij ideo accidentia negant, quia accidentia informant, informatio autem per modum actus, & materiæ inde excluditur. Alij quia accidens cum diſtinctũ faciat prædicamentum eſſentialiter à ſubſtantia, conſimilem eſſentialem diſtinctionem admitterent in diuinis, cùm tamen omnia ibi ſint eſſentialiter vnũ. Alij id afferunt ex quo accidens nouã addit rei perfectionem, Deus autẽ nouitate perfectionis, præcipuè accidentalis non eget, cùm ſit in ſe eſſentialiter, & ſubſtantialiter perfectiſſimus.

Informatio an de eſsẽtia accidentis.

At nec hæ, nec conſimiles cogunt rationes excludere à Deo accidentia. 1 non prima ratio, quia informatio non adeo eſt de eſſentia accidentis; & ſubiecti, vt ſine ea denominare non poſſit; etenim intellectus, & voluntas in via Scoti cùm ſint eadem realiter cũ ipſa anima, & ſint realiter ſubſtantia eadem cum anima, non informabunt animam, & nihilominus anima ab ipſis ſuſcipit denominationẽ, qua denominatur intellectiua, & volitiua. ſimiliter paſſiones in eadem ſententia cùm ſint ſubſtantia realiter ſicut ſubiectum, & eadẽ cum ſubiecto, non tamen informabũt ſubiectum; quod tamen fortaſsè verum eſſet de informatione in ſentẽtia Thomiſtarum aſſerẽtium paſſiones, & animæ potentias eſſe accidentia vera, diſtincta realiter, & conſequenter informare; quidquid tamen ſit, conſtat non eſſe verum in ſententia omnium præcipuorum Scholaſticorum de eſſentia accidentis eſſe informare.

2 Nec ratio ſecunda conuincit, quia id verum vbi accidens remanet ſub præciſa forma, & ratione accidentis, at in diuinis omnia tranſeunt in identitatem eſſentiæ. nec vt accidens remaneat ſub ratione accidentaria, & extrinſeca, eſt neceſſe vt omnino remaneat diſtinctũ à ſubſtãtia, quæ.n. diſtinctio remanet à parte rei ſufficit vt ratio conſeruetur accidentis; quæcunq; ſit illa diſtinctio, ſiue ex natura rei formalis, ſiuè rationis; nam ex qua parte identificatur cum ſubſtantia iam euadit ſubſtantia, & accipit eſſe ſubſtantiale, & qua ratione remanet ſuo modo diſtinctum; iam vt ſic non retinet rationem ſubſtantiæ, ſed puri accidentis; quidquid enim vel ſubſtantia eſt, vel accidẽs: hac ſecũda ratione quatenus diſtinctũ eſt, non eſt ſubſtantia, erit ergò accidens; ergò aliqualis diſtinctio non tollit omnino rationem ſubſtantiæ. Dices tolli omnino, quia omnino à thomiſtis negatur diſtinctio formalis, & à parte rei. Reſpondeo, & ſi formalem tollant, relinquunt tamen diſtinctionem rationis, & hæc ſufficit vt ſub hac conceptione in ſenſu reduplicatiuo non tranſeat in rationẽ ſubſtãtiæ, ſed remaneat ſub ratione accidentis, ſaltem pro extraneo.

An omnis forma adueniẽs addat nouam perfectionẽ

3 Nec vltima ratio cogit, quia nõ omnis forma adueniens addit perfectionem nouam, & ſi ea ſit perfectiſſima, & infinita, immo in diuinis, & etiã multoties in creatis eſt potius ſignum ante-

antecedentis perfectionis demonſtratiuum, quam ſit nouæ perfectionis adductiuum. Patet in diuinis, relationes diuinæ, quæ adueniunt diuinæ eſſentiæ, quæ etiam in ſenſu Thomiſtarum dicunt perfectionem ſimpliciter, non addunt diuinæ naturæ perfectionem de nouo, quia antecedenter careret ea perfectione in aliquo priori ſigno diuina natura, ſed potius ſunt ſigna oſtẽſiua infinitæ perfectionis diuinæ eſſentiæ, quia ab ipſa tanquam à perfectionum omnium fonte emanãt perfectiones illæ relatiuæ, & attributa alia, ac modi intrinſeci. ita ibi non ſunt vt naturam diuinam perficiant, ſed oſtendant à poſteriori maximam, & infinitã diuinæ naturæ fœcunditatem, quæ cùm ſit perfectionum infinitarum fœcunda, communicat eas diuinis perſonis. Patet quoque in ipſiſmet creaturis, vbi reperitur quandoque mulier fœcunda, & grauida, quæ præ fœcunditatis plenitudine erumpit in partum, quid quæſo partus addit matri, ſeu matris fęcũditati? immo partus idem oſtendit matrem in hoc genere matris fuiſſe perfectam valdè, quia fuit fęcunda, & non ſterilis, itaq; potius matris perfectionis eſt ſignum oſtenſiuum, & demonſtratiuum, quàm ipſi matri vt ſic, omni alio reſpectu relicto, addat perfectionem: idipſum conuinci poteſt ex plantis, & arboribus, & ſimilibus, quæ iam fœcundatæ erumpunt in frondes, inde flores emittunt, & germinant fructus. itaque perfectionis nouæ additio, cui ratio illa innitebatur, vel nulla, vel admodum modica eſt, & ceſſat ratio.

Accidentis varia acceptio.

4 Dicendum ergò, omni ſemota imperfectione, rationem accidentis in Deo remanere, non tamen compoſitionem vllam facere, vt explicabimus, quod vt intelligatur neceſſe eſt recurrere ad duplicem explicationem huius nominis accidentis. ſumitur. n. accidẽs pro omni eo, quod non eſt de intrinſeca ratione eius in quo eſt: & ſumi etiã vſitate ſolet pro accidente communi prout eſt vnum de quinq; vniuerſalib. ſeu de decem prædicamẽtis prout importat naturam eſſentialiter diſtinctã à ſubſtantia, informantem, & perficientem eam, dependentem vera dependẽtia ab ea, & cum ſimilib. reſpectib. de quib. eſt frequens colloquutio in ſcholis: primò modo ſumptum accidens, ſolum vnum, vel duo, vel pauca includet, multa tamen reſpuit ex his, quæ de ſecundo accidente diximus. etenim ſolum dicit extraneitatem à ſubiecto, prout accidens vocatur omne id, quod non eſt de intrinſeca ratione ſubiecti: rationes autem cæteras, vt informare, diſtingui eſſentialiter, dependere, poſſe ſeparari, & ſimilia, ſolum accidenti ſecundariò accepto competunt, & non primò.

5 Hinc deducimus, in vnaquaq; re, ſiuè creata, ſiuè increata, omne id, quod de ratione intrinſeca non eſt primarij ſubiecti de quo conſideratio habetur, omne id eſt accidens. ratio patet, quia quod alteri accidit, iam non eſt illi ſubſtantia, etenim non dicimus rationalitatem, & animalitatem accidere homini, propter duo, tũ quia ſunt de ratione hominis, atq; eſſentiæ eius conſtitutiua; tum etiam quia ratio accidentis connotat reſpectum ad rem iã apprimè, & plenè, atq; eſſẽtialiter præconſtitutam in ſuo eſſe, vnde fit vt omne tale adueniens vocari poſſit accidens, quòd etiã eſt à Scotiſtis frequentatum liberrimè. hinc etiam ipſi deducunt potẽtias animæ, & paſſiones ſubiecti vocari accidentia: ſunt namq; poſteriora naturæ ordine, nec de eſſentia ſunt eorum, ergo accidunt, quia à rationib. ipſorum eſſentialib. extraneantur.

Accidens qualiter in diuinis.

6 Quo ſtante non eſt abſurdum hanc rationis accidentariæ explicationem, ſuo modo, cadere in diuinis: immò ſic magis ordinatè, & minus confusè explicamus, quæ ſunt in diuinis. vt dicamus, omnia quæ ſunt vltra rationẽ intrinſecam diuinæ naturæ vocari ſic accidentia: vnde modi intrinſeci, diuina attributa, relationes, ſeu perſonalitates diuinæ, omnia ea accidere eſſentiæ: probatur, nihil horum de ratione intrinſeca eſt eſſentiæ, ergò vt ſic accidunt eſſentiæ: prob. anteced. nullũ poſterius eſt de ratione eſſentiali prioris: omnia hæc ſunt ad diuinam naturam poſteriora, fons. n. eſt eſſentia, quæ eſt prima radix, & cætera ſubſequenti ordine inſunt. item eſſentia dat eſſe illis, non ergò hæc dant rationem conſtitu-

tiuam eſſentiæ; probatur antecedens, quia manant ab eſſentia, & perſonæ conſtituuntur per eſſentiam;& ſingula, ablata eſſentia nō pullularent, nec haberent eſſe: à contrario tamen, ſi per impoſſibile cætera auferrentur adhuc liceret conſiderare naturam non indigentem ipſis, cùm in ſe etiam perfectiſſima perſeueraret, & infinita: hoc totum confirmat D. Auguſt. l.15. de Trin.c.5.dicens, *ſi dicimus ſapiens, ſpecioſus, potens, ſpiritus, horum quod nouiſſimum eſt, videtur ſignificare ſubſtantiā, cætera vero huius ſubſtantiæ qualitates*. hæc ille. en igitur ſecluſa imperfectione ſeparabilitatis, informabilitatis, veræ dependentiæ, diſtinctionis eſſentialis,& ſimilium, quæ communi accidenti competunt, non implicare priorem rationem accidētis collocare in Deo.

7 At neq; per hoc admittimus cōpoſitionem; iuxta.n.explicatam rationem accidētis patet quomodo ad eius poſitionem non ſit opus recurrere ad compoſitionem:compoſitio ibi eſt vbi vera reperitur ratio potentiæ ſubiectiuæ,& actus vt formæ: explicuimus autem id non remanere ſub hac ratione. Ad compoſitionem requiritur diſtinctio ſaltem realis inter actum, & potētiam, attributa autem, modi,& relationes identificantur cum eſſentia. Addit etiam forma componens perfectionē nouam abſolutam:Deus autem nullius abſolutæ perfectionis nouæ eſt capax, quia omnem abſolutam perfectionem, quam capere potuiſſet, habuit iam ab æterno; & ſi quid accipit de nouo, eſt reſpectus aliquis rationis.

8 Inſuper ipſe Deus eſt primum omnium ens, at compoſitum eſt quid poſterius componentibus, ergò Deus eſſet quid imperfectum.& eſt ratio D. Thomæ.ſed licet nō ſit efficax, etenim non addit imperfectionem eſſe poſterius principijs formaliter, & intrinſecè, ſeu extrinſecè conſtitutiuis, patet de perſona diuina, quæ conſtituitur ex eſſentia,& relatione, quę vt conſtitutiuæ ſunt debent eſſe priores, attamen perſona conſtituta nō eſt quid imperfectius, tum etiam quia conſtitutum,& compoſitum eſt eiuſdem entitatis, & naturæ, cuius naturæ, & perfectionis ſunt conſtituentia, ergò ratio poſterioris nullam imperfectionem addit, niſi in creatis, vbi poſterius eſſentialiter dependet tanquam totum à partibus, & quia habet rationem veri effectus cauſati à cauſis etiam intrinſecis, propter quod nōnulli diſtinctionem admittunt realem, atq; eſſentialem, quæ rationes ceſſant in diuinis:tum etiā, quia filius,& Spiritus ſanctus ſunt poſteriores ad Patrem, nec tamen imperfectiores: itaq; ratio illa ſi efficaciam habet, eā videtur continere in creaturis.

Poſterius an ſemper imperfectius.

9 Vel etiam probatur, quia Deus eſt à ſe ſummum ens, ergo à ſe habet perfectionem vniuerſam: ratio autem accidentariç compoſitionis negare videtur omninodam continentiam perfectionum. quantum verò probet iam vidimus, quod concludat de accidente perfectiuo, ſeu adueniente ſub ratione perfectiui, non autem inſpectando accidentariam perfectionē quatenus demonſtratiuum eſt ſignum à poſteriori antecedentalis perfectionis eſſentiæ. Addunt alij id poſſe oſtendi ex ratione ſimplicitatis, quia ſimplicitas eſt perfectio ſimpliciter, hęc autem excludit omnem imperfectionem: & conſequenter compoſitionem:ſed ratio hæc non de ſola compoſitione accidentali concludit, ſed de omni alia,& circa id quod aſſerunt de perfectione ſimplicitatis iam diſcuſſum remanet ſupra, & ex parte id negatum.

10 Solum ergo ſupereſt, vt authoritatib. rem alioqui catholicam confirmemus D. Leo Papa ad Toribium epiſt.91. ait *ſolus Deus nullius participationis eſt indigens, de quo quidquid digne vtcunq; ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia: incommutabili.n.nihil accidit, nihil deperit, quia eſſe illi quod eſt, ſemper æternum, ſemper proprium ei eſt*, & Greg.Niſſen.ſuper cant.homil.5. *nihil eſt, ait, quod circa ipſum conſideretur, non tempus, non locus, non figura, non quantitas*, & Cyrill.Alex.l.1.theſ.c 8. *non eſt aliud natura Dei, & aliud ipſe Deus: ſimplex.n.atq; in compoſitus eſt*, hæc aſſertio, quæ eſt catholicorum, eſt contra pleroſq; oppoſitum ſentiētes de Deo: non.n.defuerunt qui accidentia Deo adſcriberent ſub vera ratione accidētis, prout refert Comment. 12.met.t. 39. & ex D.Auguſt. hæreſ. 46. Mani-

thæi in conſimili errore fuerunt, dum lucem exiſtimabant eſſe Deum: loquebantur autem de luce hac corporea, ex quo cùm ſit verè accidens, accidentariam compoſitionem Deo tribuebant.

11 Dices Deo competit ſapientia, prudentia, iuſtitia, bonitas, & ſimilia: at hæc ſunt de genere accidentium. Reſp. aliter Deo, & aliter creaturis iſta conuenire: creaturis namq; vt vera accidentia inſunt, diſtincta eſſentialiter ab ipſarum ſubſtantiali natura, quam verè informant, verè perficiunt, vereq; ipſi inhærent ſeparabiliter: At in Deo tranſeunt in identitatem naturæ, quæ quatenus infinita identificat ſibi omnia, quæ ibi ſunt, vnde tranſeunt in rationem ſubſtantiæ, ſaltim realiter concepta, quia vt diximus, iuxta identitatem eſſentiæ, vel diſtinctionem cum ea, remanet in attributis, & ſimilib. ratio accidentis, vel ſubſtantiæ, quia tamen realiter cum ſubſtantia diuina identificantur, ideo ſunt realiter ſubſtantia: quia tamen remanēt vel diſtinctæ formaliter, vel ſola ratione, ideo ſub his conceptionib. remanent ratio accidētalitatis modo ſupra explicato, ſumendo accidens pro extraneo, hinc ſæpè ipſi Deo conſimilia adſcribuntur ſub ratione ſubſtantiæ, & identificationis, vt Ioan. 14. *ego ſum veritas.* 1. Corinth. 1. *Chriſtum Dei ſapientiam*, quomodo etiam de eo dicit Apoſt. *factus eſt nobis ſapientia, ſanctificatio, & redemptio*, vt quia verè eſt ſapiens, ſanctus, & redemptor, & hæc ſanctitas, ſapientia, & veritas ſunt cum Deo idem.

Sapientia an vniuoca Deo, & creatura.

12 Dices ſapientia creaturæ, & Dei eſt vniuocè dicta, at creaturæ ſapientia eſt accidens, ergò etiam Dei. Confirmatur, quod vni accidit, nulli eſt ſubſtantia. Reſp. hæc poſſe concipi, vel ſub conceptu traſcendentali, vel ſpecifico: primò modo vniuoca eſſe Deo, & creaturis, vt vnitas, bonitas, entitas, ſapientia, & ſimilia. Secunda autem conceptione non vniuocari, ſed eſſe æquiuoca, cùm in creatura cadat ſub genere veræ qualitatis, in Deo nō item, vel dicas vniuocari in ea ratione, qua neutri sūt de intrinſeca ratione, nec Deo, nec creaturæ, & propter hoc retinere rationem aliquam accidentariam nedum in creatura, ſed etiā in Deo ipſo, quia ſapientia nec in creatura eſt de eius intrinſeca ratione, nec in Deo: cęterum aliunde æquiuocantur.

ARTIC. VII.

Non componi ex natura, & hypoſtaſi.

1 DE compoſitione autem ex ſuppoſito, & eſſentia eſt fortaſſe maior dubitatio: ſiquidem magis intellectus abhorret prima facie, à compoſitione per materiam, & formam, ex trina dimenſione, ex accidente, ac ſubiecto, quam vt primo compoſitionem reſpuat ex relatione ſuppoſitali ſaltē, ſeu relatione diuina cum diuina natura: Rationes verò dubitandi hę ſunt, ex diuina eſſentia, & relatione conſtituitur diuinum ſuppoſitum, ergò eſſētia, & relatio ſe habent velut actus, & potentia. probatur conſeq. quia nil ex duobus poteſt reſultare tanquam cōſtitutum, niſi conſtituens ordinetur ad alterum conſtituens, at talis ordinatio haberi nequit in ordine ad conſtitutionem niſi per modum potentiæ, & actus. Confirmatur quia ſic euenit in creatis, vbi compſitio nulla haberi poterit niſi partes eſſentialiter componentes ſic inuicem ordinentur per modum actus, & potentiæ.

2 Item diuina natura eſt fundamentum relationum, & hypoſtaſum, vnde ſequitur vt in ipſa fundentur: at talis fundatio neceſſariò affert ſecum actuationem, & informationem, ſicut eſſentia indicat rationem fundamentalem; fundamentum autem informatur, & actuatur à re fundata. Inſuper omnis relatio eſt actus ſui fundamenti, & ſubiecti, id autem eſt eſſentia: & multò magis conuincitur, ex quo cùm relatio non ſit de ſe quid ſubſiſtens, pendebit ad fundamentum, quod informabit. Vltra, relatio diuina eſt vltimus actus diuinæ naturæ, probatur, quia relatio eſt vltimus terminus, quē in diuinis concipimus: & eſſentia non ſiſtit in abſoluta entitate naturæ, ſed

ordinatur ad relationes hypoſtaſum; quod ſi ad ipſas ordinatur tanquam ad vltimos actus, remanet vt actuetur ab eis, ſaciatq; compoſitionem, & ſic dabitur ſaltem compoſitio ex natura, & hypoſtaſi.

3 Sed hæc minus vrgent, vt concedamus compoſitionem hanc in diuinis. & in primis, qua ratione probatũ remanet cæteras excludendas fore compoſitiones, ea etiam conuincitur fore explodendam iſtam: ſed addamus rationes alias, & inde ſoluemus rationes prædictas. Ad veram compoſitionem requiritur realis diſtinctio componentium; relatio autem hypoſtatica, & abſoluta natura ſunt realiter idẽ, ergò non componunt. Dices ſufficere ad compoſitionem diſtinctionem formalem, vel rationis: altera autem, vel vtraque reperitur inter ipſa iuxta mẽtem Theologizantinm. Reſpõdeo falſum eſſe allterum iſtarum, vel ambas ſuffieere, ſed neceſſariò requiri diſtinctionem realem: quod iam in præcedentibus admiſimus; etenim ſicut inter componentia requiritur vt alterũ ſe habeat per modum veræ formæ, & alterum per modum veræ materiæ, hæ autem ſunt verè diſtinctæ realiter, cõſimiliter requiritur vera diſtinctio realis ad compoſitionem. Conſtat autem exemplo compoſiti phyſici materiam, & formam diſtingui realiter, ergò diſtinctio realis requiritur, & formalis, vel rationalis non ſufficit.

Ad compoſitionẽ non ſufficit diſtinctio formalis.

4 Dices non faciunt vnum vnitate compoſitionis, ergò neque efficiũt vnum conſtitutionis vnitate. prob. ſeq. qnia eadem requiruntur ad compoſitionis vnitatem, & cõſtitutionis. Reſp. diſparem eſſe rationem de cõpoſitione, & conſtitutione: ad illam namque requiritur vera materia, & forma, & vera vtrorumque diſtinctio realis: ad hanc nihil horum requiritur: ſufficit autem inter ipſa conſtituentiã diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu formalis, vt alij vocant, vel ex natura rei cõnertibiliter. deeſt realis diſtinctio, quia eſſentia ratione infinitatis idẽtificat ſibi omnia: deficit ratio actus, & potentiæ, materiæq; & formæ, vt conſtat, requiritur autem aliqualis diſtinctio, ergò ſufficit hæc vltimò allata: non poteſt autem fieri vt ex eſſentia poſita cum relatione non reſultet aliquod vnum, igitur ſuo nomine eſt cenſendum, non quidem compoſitionis vt conſtat, ergo dempta imperfectione remanebit ſub titulo conſtitutionis.

Vnitas compoſitionis diuerſa ab vnitate cõſtitutionis.

5 Sed quale quæſo erit iſtud vnũ, quod exinde reſultat, nón enim vocatur vnum compoſitione, & licet detur ei vnitas conſtitutionis, non tamen videtur tale vnum adæquare, quoniam, id non videtur in rebus reperiri, cùm omnis vnitas coaleſcens ex pluribus vocanda veniat vnitas compoſitionis: non enim erit illa vnitate vnum, qua omnia ſunt vnum, vtputa vnitate entis, nam iſta eſt ſimpliciter ſimplex, non admiſcens pluralitatem cònceptuum, ergò alia vnitas adinuenietur, hæc verò non apparet poſſe excedere, vel minorem eſſe vnitate compoſitionis. Reſpondendum autem hanc vnitatem eſſe vnitatem ſimplicitatis, & hac vnitate Deum, ac conſtitutum ex eſſentia, & relatione eſſe vnum: vltra namque vnitatem eſſentialem, in rebus, aggregationis, ordinis, compoſitionis, per ſe, & per accidens, reperitur vnitas ſimplicitatis, qua conſtitutum ex conceptibus pluribus eſt ſic vnum: & meritò ſimplicitatis obtinet vnitatem; quia non habet oppoſitam ſibi compoſitionem, & componibilitatem: qua ratione compoſitionis exclnſa vocatur ſic ſimplicitate vnum. Nec vnitas talis Deo obſtat ratione, qua ſit fortaſſe ſimpliciter ſimplex: id enim falſum eſſe probatnm relinquimus; etenim ſi ſimpliciter ſimplex eſt, iam in Perſonis diuinis non caderet conſtitutio, cùm non poſſent multiplicari in illis varij conceptus, formalitates, ſeu conceptibilitates, vt oſtendimus artic. 2. & hoc ſenſu, hac vnitate neque eſſet vnus, ſed aliam ſimpliciter ſimplicem vindicaret, ad eum modum, quo vnumquodq; ſimpliciter ſimplex eſt vnum: quapropter cùm ſolum ſit ſimplex, ſeu ſummè ſimplex, vt eſt oſtenſum, vnitatem ipſi attribuimus ſimplicitatis.

Deus eſt vnum vnitate ſimplicitatis.

6 Ex hac etiam ratione conſtituendi Inferuntur corollaria. primò, vt vera ſit loquutio, qua dicimus eſſentia diuina eſt in Patre, Filio, & Spiritu Sãcto admodum præcipuè, quo explicabimus

Eſſentia eſt in Patre, et Pater in eſſentia declaratur.

bimus

bimus iuxta præſens ſubiectum,ſecundò Patrem,omnemq; relationem diuinam eſſe in eſſētia diuina. Primum declaratur vt eſſentia ſit in perſona, non tanquam actus in potentia, nec tanquam forma informans in perſona informabili; etenim ſuppoſitum cùm ſit in vltima actualitate non ordinatur ad formam ſubſtantialem vlteriorem, & idem etiam repugnat eſſentiæ, ſcilicet informare, & partem eſſe: ſed in perſona eſſe eſſentiam, tanquam naturam dantem eſſe, quātū eſt ex ſe ſuppoſito, ſic etiam in creatis currit loquutio, vt humana natura ſit in Franciſco,quia eſt Franciſco ratio formalis, qua ſit homo, & eſſentia eſt quidditatiua ratio,qua perſona ſit Deus.

7 Declaratur ſecundum, nō quod relatio ſit in eſſentia, tanquam dans ei eſſe, quia eſſentia eſt prior ſimpliciter relatione, & ab eſſentia emanat relatio. nec veluti nouam ipſi addens perfectionem, cùm eſſentia ipſa ſit primū pelagus perfectionum, ſed eſt in eſſentia tanquam ſuppoſitum in natura:etenim Franciſcus eſt in humanitate, quia indiuiduum eſt in ſua natura cuius eſt indiuiduum; nec talis eſſēdi modus informationem notat; etenim ſuppoſitū eſt omnino incommunicabile vt *quod*, & vt *quo*, ergò non vt ſic eſt in eſſentia perſona, ſed tanquam ſuppoſitum in ſua natura,cuius eſt:explicatur autem magis,quia indiuiduum,& ſuppoſitum non eſt extra naturam, ergò vt ſic eſt in natura. prob. anteced. ſi enim eſſet extra eam, non eſſet ſimul cum ea, eſſetq; ſeparatum ab ea, & ita eſſet ſuppoſitum huius naturæ,& non eſſet huius naturæ ſuppoſitum:eſſet quidem, quia talis naturæ ſuſcipit denominationem, vt ſuppoſitum naturæ diuinæ, ſuppoſitum Angelicæ, & humanæ ſuppoſitum naturæ: non eſſet autem, cùm eſſet extra eam: vt vero ſubſiſtentiam ſuppoſiti verè eſſe in natura,& ratione naturæ indicaret Chriſtus Dominus, dixit per Io: 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*: & D.Ambr. in hımn. fer. 6. *totus in Verbo Pater, & totus in Patre Filius*: id autem non eſſet niſi ratione naturæ,licet hæc non ſit ratio adæquata huius modi eſſendi in;quia ſequeretur quod ſuppoſitum Franciſci eſſet in ſuppoſito Petri: ſed id euenit vel ratione identitatis naturæ in perſonis omnibus, vel ratione diſtinctionis realis,vel etiam productionis vnius ab altero; primum autem non reperitur in creatis.ſed de hoc ſuo loco.

Suppoſitū in eſſentia, declaratur

8 Et hinc ſoluta remanent obſtacula,quæ proponebantur initio,probantia compoſitionem. Ad primum enim iam dictum eſt id ſolum ſequi ex ordine ad cōpoſitionem, quæ nititur actui, & potentiæ phyſicæ;ratio autem conſtitutionis longè diuerſa eſt à compoſitione, vt talia reſpuat, quæ cum imperfectione admittit compoſitio. Ad ſecundum patet ex proximè dictis relationes, & hypoſtaſes eſſe in natura nón vt forma, & actus in materia,nec vt perfectiuum in perfectibili, ſed vt ſuppoſitum in natura,quod abſtrahit à ratione actuandi. Vt verò amplius percipiatur, duo ſunt in fundamento, eſt ratio fundandi, ſeu ratio primaria qua allud exiſtit,& ratio etiam recipiēdi cū informatione, vt patet in ſubſtantia creata,quæ fundat, quia ſubſtentat accidentia, & etiam ea recipit, & informatur ab eis: ſecundùm iſtorum dicit imperfectionem:& hoc poteſt ſeparari à primo.in diuinis autem eſſentia nō habet rationem fundamentalem ſecūdo modo, ſed primo, vt aduertit Scot. in 1.d.5. q.2. art.3. non quidem quod cadant ſuppoſita, quia per ſe ſubſiſtunt.nec dependent vt accidentia,ſed quia eſſentia eſt prima radix, & prima ratio dandi eſſe ſimpliciter, & ſic conſequenter vocatur fundamentum. Ad vltimum autem, cùm dicitur relationē eſſe vltimum actum diuinæ naturæ, id improbatum fuit ſup.cùm natura diuina non egeat relatione vt terminetur,nec vt actuetur,quia ex ſe eſt in vltima actualitate abſoluta cōmunicabili.vide ibi.

Eſſētia habet rationē fundamenti, declaratur.

9 Solet autem contrarius error tribui Gilberto Porretano relato à D. Bernar.ſerm.80.in cant.veritas autem Catholica etiam compoſitionem hāc amouet à Deo. & probatur ex Diuo Athan.oratione aduerſus Idola inquirente, *per ſe eſt illa potentia Patris,illa lux, veritas,illa iuſtitia.* per hoc autem quod ei tradit modum exiſtendi per ſe, indicat non eſſe in alio informatiue,

uè, & cùm ei quod per ſe perfectiſſimè exiſtit nõ competat perfectionem expectare aliunde, ideo nec informabiliter paſſiuè. expreſſius autem id indicat Nazianz. tract. de fide, ſubſtantia Dei, ait, *ſimplex, ſingulare, purum, nulla concretione permixtum*. hæc ille. ſed omnibus lucidior eſt Cyrilli ſententia lib. 1. theſ. c. 8. *non eſt aliud natura Dei, aliud ipſe Deus, ſimplex enim, atque incompoſitus*. hæc Cyrill.

ARTIC. VIII.

Non componi ex genere, & differentia, nec eſſe in genere.

1 DE altero autem compoſitionis capite vltimato quęritur vtrũ ſaltem conſtet ex differentia, & genere: ad minus.n.compoſitio hęc videtur poſſe concedi inter tot compoſitionũ genera iam exploſa. titulus autem quęſiti talis eſt, vt nedum à parte rei, verũ etiam ex parte intellectus cogitantis quæratur vtrum ſit admittenda compoſitio talis, qua in re inter Recentiores Vaſquez diſp. 22. art. 3, negãs cum cæteris compoſitionẽ à parte rei, concedit tamen eam in Deo per opus intellectus, quæ etiam ſententia fuit aliquorum antiquiorum, vt notat Baſſol. d. 8. q. 4. l. 1. at compoſitio talis eadem ratione explodenda venit, qua excluditur realis, & à parte rei: non.n.intellectus concipere poteſt cùm veritate contradictoria eſſe ſimul vera: licet namq; abſtractione præciſiua concipi poſſit figmentum, chimera, & id quod repugnat, quia abſtrahentium non eſt mendacium, abſtractione autem diuiſiua, ſeu applicatiua prædicati repugnantis ſubiecto omnino implicat id concipi: quapropter cùm negẽt à parte rei compoſitionem, negare etiã coguntur per veram operationem intellectus: & minus verum eſt per intellectum cogitantem cadere Deum ſub differentia, & genere, cùm à parte rei id neget, eſt.n.abſtractio, ſeu applicatio mendax, nec ſiſtit ſolum conceptio hęc in modo concipiendi vtcunq; ſicut cõcipimus chimeram, ſed ait, quod benè ſub tali compoſitione concipitur eſſe compoſitus. id autem amplius pugnat cùm veritate, quæ eſt adæquatio intellectus concipientis ad obiectum cognitum: concedit verò à parte rei non ſic componi, ergo mendax eſt talis ſub contrario ſenſu præconceptio, quam tamen putat ipſe eſſe veram. inſuper ex Ariſtotelica doctrina *ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci*, at eſt incompoſitus à parte rei, ergo aliter concipiendo, non niſi mendaciter concipietur. quare relicto hoc concipiendi modo tranſeamus ad veritatem quæſiti.

Vaſquij opinio refellitur.

2 Deum non conſtare ex genere, & differentia eſt communis & philoſophantium, & theologizantium ſentẽtia eam docent ſententiarij in 1. d. 8. Scot. q. 3. Capr. q. 2. D. Bonau. q. 4. ar. 1. Richar. q. 3. Argentin. q. 1. OKam. q. 1. Gabr. Durand. Baſſol. eandem quoq; defenſant cætericum D.Tho. 1. p. q. 3. art. 5. Caet. Ferrar. 1. contra q. 25. contra paucos, qui ſunt Gregor. q. 3. Holcoth. in 1. q. 6. Marſil. q. 12.

3 Probatur autem rationib. & primo, omne quod collocatur verè in genere conſtat ex actu, & potentia, Deus caret potentia, & actu, ergo caret hac compoſitione. antecedens probatur, genus in ordine ad differentiam ſe habet vt materia, & potentia: differentia in ordine ad genus ſe habet inſtar formæ, & actus: qualis namq; eſt proportio inter phyſicam materiam ad formam, talis eſt generis ad differentiam, inquit Porphir. c. de gen. & diff. Dices per intellectum excogitari poſſe compoſitionem, qualis non eſt à parte rei: ſed id remanet impugnatum: vel.n.eſſet purum figmentum, vel contradictoriè conciperetur res, contrario ſenſu, quo eſſe debet. vltra quod non datur talis compoſitionis genus per intellectum conſtantis; immo fruſtra eam cõciperet, cum à parte rei repugnaret habere eſſe.

Quod eſt in genere conſtat ex actu, et potentia.

4 Dices, Deus, & creatura verè cadunt ſub ente: & entis conceptus de ſe indifferẽs eſt ad creaturam, & Deũ, quando vero ad Deum ipſum deſcendet,

Ens quomodo contrahatur ad Deum, & creaturas.

det, oportebit vt contrahatur per aliquod contrahens, id vero non erit, niſi differentia, ergo differentia Deum ipſum conſtituet, quæ faciet eundē differre à creatura: ſicq; genus per differentiam contrahibile, erit in potentia ad eam, atq; neceſſariò ex talib. principijs conſtabit Deus. Reſpondetur ad hoc ex optima doctrina Scoti, ens non contrahi ad Deum per differentiam eſſentialem, ſed per modum intrinſecum: quæ autem diſtinctio intercedat pro præſenti ſubiecto hæc eſt: vt ad differentiam ſit genus in potentia tanquam materia ad formam, quia genus quouis perfectiſſimo modo cōſideratum nunquam habet in ſe formaliter differentiam, ſed caret ea, ideoq; potentiam habet ad eam, & ordinatur ad illam: nuſquam.n. animalitas reperiri poteſt in tanto perfecto gradu, vt ex ſe habeat rationalitatem, ſed habebit eam per contractionem: item differentia eſſentialis eſt perfectio extrinſeca generis, ideoq; adueniens generi perficit illud, facitq; cum eo compoſitionem; quæ tamen duo minimè reperiuntur in modo intrinſeco; tum quia modus intrinſecus non variat naturā eius, cuius eſt modus; tum quia non accedit ad ſubiectum ſub ratione differentiæ ſpecificæ.

Ens quomodo contrahatur ad Deum.

5 Arguitur ſecundò, ſupponendo Deum eſſe ex ſe neceſſe eſſe, vt ſup. ſuo loco fuit diſcuſſum; ſi neceſſe eſſe habet genus, illud genus aut erit ex ſe neceſſe eſſe, aut non; ſi dederis primū, ergo non poteſt contrahi per differentiam ſpecificā, probatur, quod eſt neceſſe eſſe, iam eſt in vltima actualitate; quod vero vltimam habet actualitatē non eſt ordinabile ad aliud, nec cōtrahibile ab alio, repugnat enim; ſi dixeris non eſſe in vltima actualitate, vtiq; cōtradictoria concedes, impoſſibile eſt .n. quod hoc ſit neceſſe eſſe, & quod perfectione aliqua careat, prob. neceſſe eſſe habet omne, quod eſt ſibi neceſſe eſſe, ergo non indiget, vt ſibi adueniat aliunde. ſic.n. Deus nullo indiget, nec ad quid vltra eſt ordinabile; quia cum ſit neceſſe eſſe, in vltima, ac perfectiſſima exiſtit actualitate. ſi autē dederis illud genus nō eſſe neceſſe eſſe, ergò neq; includetur in Deo. prob. conſeq. quod eſt neceſſe eſſe non conſtat ex non neceſſe eſſe, probatur, neceſſarium ens non conſtat ex contingenti; eſt autē Deus neceſſe eſſe, ergò nō includit pro genere aliquod, quod non ſit neceſſe eſſe; eodem modo arguatur de differentia.

6 Inſuper, quod reponitur ſub genere, aut eſt ſpecies, aut indiuiduum: nullum iſtorum dicitur de Deo, ergò non eſt in genere. antecedens patet ex arbore Porphyr. probatur conſeq. non quidem erit genus ſubalternum, cum non poſſet continere ſub ſe varias ſpecies Deorum, niſi recurramus ad figmenta Paganorum, fingentium plures Deos: non ſpecies ſpecialiſſima, cum ea plura contineat indiuidua, ſicque oporteret ſaltem numero diſtinctos multiplicare Deos. nec tamen theologico ſenſu negamus indiuiduum in diuinis; probauimus namque ſup. dari indiuiduum Deitatis, vbi tamen ratio indiuidui erit traſcendentaliter ſumēda, non prædicamentaliter, quia ſic relationem dicit ad ſpeciem, & danda eſſet ſpecies multorum Deorum. Dices ſaluari poſſe vnitatem Indiuidui, nec opus eſſe multiplicare indiuidua diuina, ſicut ſaluatur indiuiduum Solis, & Lunæ, & Planetarum, quorum omnium in vnaquaque ſpecie vnicum ſolum conſtat eſſe indiuiduum, & vnicam ſpeciem. Reſpondeo, licet de facto ita ſit, tamen nil vetat vt plura poſſint eſſe ſub vnaquaque ſpecie Solis, Lunæ, ac cæterorum: implicat tamen, vt plura eſſe poſſint Deitatis indiuidua, & ſpecies multiplicari numinum, & Deorum: inſuper de illis rectiſſimè conſtat verè componi ex differentia, & genere, de Deo autem id omnino negandum, & inficiandum.

Non implicat dari plures Soles, Lunas, &c.

7 Item ex philoſ. 3. met. tr. 10. genus non poteſt eſſe ens, ſeu ens non poteſt eſſe genus, & probat id Ariſtot. quia genus non continet differentias, ſed omnis differentia eſt extra rationē generis; & patet diſcurſus, quia licet poteſtatiuè genus differentias contineat, nihilominus nuſquam formaliter habet eas, nullo enim modo ratio generis alterari in ſe poteſt, vt fiat differentia, animalitas namque nunquam eſſe poteſt rationalitas, ſed opus eſt vt

cou-

contrahatur extrinſecè ad eam, quod ſignum eſt, quod differentia eſt extra rationem generis: at nulla differentia inueniri poteſt, quæ ſit extra ens, probatur, quia non ens non poteſt eſſe differentia, immo omnis differentia eſt verum ens, ergò ens non poteſt habere propriè rationem generis. quod ſi concipiatur tamquam quid ſuperius ſeu quid cõmuniius ad entia omnia, id non eſt ratio conſtituendi ipſum ſub gradu veri generis. ex ratione autem concluditur Deum non cadere ſub genere; etenim ſi quod genus ipſi foret aſſignandum, non aliud poſſet tribui, quàm genus entis, cùm ratio entis ſit abſolutior, antiquior, & prior, atque ſimplicior quocunque genere cuiuſcunque creaturæ ſpiritualis, vel corporalis: at ens ex ſe caret ratione generis, ergò ex vtraque parte id repugnat, tum Dei, tum entis.

Reponibilia in prædicamento. 8 Linquo rationes cæteras, vt quod in prædicamentis reponũtur entia finita, creata, dependentia, & limitata, cuiuſmodi nõ eſt Deus. item prædicaméta adeo claudunt, & finiunt ea, quæ reponuntur in ipſis, vt non ſinant ipſa vagari extra, nec permittant ea ſpectare, ſaltem primo, ad alteram cathegoriam, vt ſubſtantiæ prædicamentum adeo ſibi ſubſtantias adſcribit, vt vetet eas ad aliud pertinere genus tãquã primariæ conditionis; ita de quantitate, qualitate, relatione, cæteriſq; inde fit vt cùm Sancti, cæteriq; rem alicuius prædicamenti Deo tribuunt, nõ abſolutè eam tribuant more cæterarũ creaturarum, ſed eminentiori quodam modo loquentes, rectè, & apertè indicant nolle reponere Deum ipſum in limitib. prædicamentorum.

Prædicamẽta qualiter in Deo. 9 Hinc D. Dionyſ. lib. de myſt. Theol. cap. 5. dicit, *profitemur Deum nec animam eſſe, nec mentem, nec viſionem, aut opinionem, vel rationem, aut mentis notionem habere, nec rationem eſſe, aut mentis perceptionem.* id verò ideo negat, non quod Deus non ſit mentis, rationis, aut intellectionis capax, ſed quia ea omnia, & ſimilia non ſunt ei adſcribenda more prædicamẽtali, cum hoc ſolis competat creaturis. Amplius autem id explicat Elias ad orat. 24. Nazianz. inquiens, *quamuis Deus ens dicitur, ens tamen non eſt vt ea, quæ ſunt: neque certo modo ens, ſed ſimpliciter, ac peculiari modo, aut velut eximio, ac præcellenti, quemadmodum ipſe ſolus nouit,* & ſubdit, *idemq; multa nomina habet, & nomine omni caret.* hæc ille. quibus ſanè verbis indicat nomina prædicamentorum Deo tributa, ſecundùm apparentiam quidem ipſi cõpetere, cæterum abſtracta prædicamẽtali notione, remanere in eo excellentiori, & eminentiori modo, *vt ipſe nouit.* Et hinc Boet. lib. de Trinit. de Dei loquens ſubſtantia, ſic ait, *ſubſtantia in Deo non eſt ſubſtantia, ſed vltra ſubſtantiam, nam cùm dicimus Deum, ſubſtantiam quidem ſignificare videmur, ſed eã quæ ſit vltra ſubſtantiam.* quapropter cùm Patres doceant tria remanere prædicamenta in diuinis, ſubſtantiam, relationem, & qualitatem, id abſque imperfectione intelligendum: indicant enim ſubſtantiam, non quidem prædicamentalem, ſed traſcendentalem, & eminentialem: eſt enim verè ſubſtãtia, & ens per ſuam eſſentiam, vt dixit, *ego ſum qui ſum.* & de relatione, præciſa ratione generis prædicamentalis, verè ibi eſt modo diuino, cùm relationes illæ diuinas habeant conſtituere hypoſtaſes: ac denique de cæteris, vt quantitate, qualitate, iam conſtat ſi prædicamentali ſub ratione ſibi competerent, fore diuiſibilem, extenſum, groſſum, latum, longum, ac ex veris accidentibus componi, quod iam fuit improbatum: ſed excellentiori ordine hæc inſpiciẽdo dicat, *ſine magnitudine quantum: ſine qualitate bonus,* & ſimilia, prout loquitur Auguſt. eſt enim quantus quantitate infinitæ virtutis, & attributis diuinis, infinitiſq; perfectionibus decoratus, quæ qualitatis nomine exprimuntur.

10 Solum ſupereſt vt videamus an ſaltem reductiuè ſit in prædicamento. Concedit Caetan. & Valent. diſp. 1. q. 3. punct. 5. idque exiſtimant colligi ex D. Tho. non quidem quod in aliquo determinato ſic reponatur prædicamento, ſed quia ratione, qua eſt principium omnium rerum, quæ reponuntur in diuerſis prædicamẽtis, inde putant reductiuè ſub ratione principij reponi in prædicamentis. ſed modus *An ſaltim ſit reductiuè in prædicam. opinio Caet. & Val.*

iſte

iſte loquendi non placet, licet enim ſit prædicamẽtorum Auctor, effector, atque prima cauſa omnium, quæ ſunt in prædicamentis, non tamen propter hoc remanebit in prædicamento: nec quidem reductiuè: cùm namque nullatenus in prædicamentis includi conceſſerit, negare quoq; debuerat reduci quoquo modo ad prędicamenta. prob. partes, & accidentia eorum, quæ per ſe in prædicamento reponuntur, dicuntur reductiuè reponi, Deus nullius eſt pars, & nullius accidens, ſeu qualitas perfectiua, ergò nec reductiuè ingreditur prędicamenta. Item, Deus eſt principium extrinſecum, & cauſa extrinſeca cuiuſque prædicamenti, vt oſtendit etiam D. Tho. quem pro ſeipſis citãt in quæſt. 6. art. 2. ad 3. & q. 4. art. 3. ad 2: probat autem idem D. Tho. q. 3. art. 5. non reperiri reductiuè in genere, quia quod ſic reducitur ad aliquod genus tanquam principinm eius, non excedit limites illius generis; vt punctus, qui eſt principium quantitatis continuæ, & vnitas quantitatis diſcretæ non excedunt ea, quorum ſunt principia: at Deus excedit omne genus, ergò nec ſic reducitur ad genus: quare ratio principij in Deo nõ facit Deum principium intrinſecum, ſed extrinſecum, & propterea eſt extra prædicamenta.

11 Et ex his facile eſt obiecta ſoluere: Auguſtinus enim lib. 5. de Trin. c. 10. 11. contendit in Deo admittere rationem ſubſtantiæ, & relationis: idẽque docet Boet. lib. de Trin. & conſẽtit Damaſc. lib. 1. de fid. orthod. c. 9. vbi Deum reuocat ad ſpeciem generis entis corpore vacantis. ſed reſponſio ex ſuperioribus conſtat, non fuiſſe mẽtem iſtorum Doctorum vera prædicamenta ſtatuere in Deo, ſed ad Deum ipſum transferre id, quod ſibi non repugnat, vt rationem ſubſtantiæ, & relationis: quia tamen talis transferendi, & cõcipiendi modus habetnr ex creaturis per ea, quæ in creaturis reperiũtu, ideo vt ea aptius more, & captu hominũ explicemus, ſolemus ſæpius per vſitatos terminos creaturarum explicare: quia tamen id fieri intenditur omni ſemota imperfectione, ideo traſferũtur ad ipſum Deum modo ſibi cõgruo, & non repugnante. vnde Deum

Prædicamẽta qualiter transferenda in Deum.

appellare ſolent non ſubſtantiam abſolutè, ſed ſuperſubſtantiam, quia ſubſtantia, quantitas, & relatio transferũtur in Deum, ſemotis tamen imperfectionibns.

12 Arguitur ratione. vnumquodq; menſurans eſt aliquid de genere rei menſuratæ: ſed Deus eſt prima menſura omniũ, & eſt aliquid de genere rerum huius Orbis: ſed hæ ſunt in prædicamentis, ergo etiam Deus. maior probatur, quia vnumquodq; menſuratur per aliquod ſui generis, vt quantitas menſuratur per quantitatem, linea per lineam, tempus per tempus, & res temporanea per ipſum tempus, ſic etiã numerus per numerum: minor autem eſt Ariſt. 12. met. Reſpondetur primò maiorem intelligi de menſura proportionata rei menſuratæ, quæ debet eſſe rei menſurabili homogenea ſub ratione ſaltem menſurabilis, licet in ſubſtãtia, & entitate ſint diuerſa aliunde: Deus autem excedit rem omnem, nec proportionatur vlli. vel ſecundo dicẽdum intantum Deum eſſe cæterorum menſuram, inquantum vnaquęq; creatura per acceſſum ad illum, maiorem, & minorem, dicitur in entitate, & perfectione menſurari. vel tertiò reſpondendum, maiorem veram eſſe de menſura intrinſeca, hæc. n. verè ſpectat ad illud genus, ad quod pertinet res ſic intrinſecè menſurata, vt eſt vnaquæq; cuiuſcunq; rei duratio, pertinens ad genus, ad quod ſpectat res durans: at extrinſeca menſura nõ eſt neceſſe in tali genere includatur, Deus eſt menſura extrinſeca rerum, non autem intrinſeca: & de eo dicitur, quod *in vnoquoq: genere datur vnum, quod ſit metrum, & menſura contentorum in tali genere*: loquitur autem, tum de intrinſeca, tum vero externa, at illa includitur, hæc excluditur.

Deus qualiter mẽſura rerum.

In vnoquoque genere datur vnũ, quod ſit metuam, & mẽſuram, declaratur

13 Inſuper, ſapientia, prudentia, cæteraq; Dei perfectiones vniuocè dicuntur de ipſo, & creaturis: ſed in ipſo non ſunt tanquam in genere, ergò neq, in creaturis, vel ſi prout in creaturis ſpectant ad genus, pariformiter erit prout ſunt in Deo. Ad hoc autem patet reſponſio ex dictis præcedenti artic. hæ namq; & cõſimiles perfectiones vniuocantur, quidem ſub ratione

Sapientia Dei, & creaturæ an vniuoca.

ſapientiæ, prudentiæ, potentiæ, & ſimilium, quandoquidem creaturę entitas, ſapientia, & perfectio eſt conſimilis ſapientię, bonitatis, & entitatis, ac perfectionis, quæ in Deo eſt, participatio: attamen in ratione generis, & ſpeciei qualitatis, & quantitatis, ſubſtantiæ, & relationis minimè vniuoca ſunt. & cõſimiliter ſoluitur ratio deducta ab vniuocatione entis ad Deum, & creaturã ſecundum Scotiſtas. Vel ſapientia Dei, & creaturæ vniuocantur in ratione ſapientiæ, non autem in ratione accidentis, cum bonitas, & ſapientia creaturæ ſit verè accidens ſeparabile; prædicamentale, informans &c. ſapientia autẽ, & bonitas Dei ſit ſubſtantia, nec ſit in prædicamento, nec accidens ſeparabile, niſi ſumpto accidenti pro extraneo.

DISPVTATIO SEXTA

De Vnitate Dei.

QVÆSTIO PRIMA

Vtrum ſit tantùm vnus Deus.

ARTIC. I.

Quàm varij extiterint Gentilium Dij.

1 PRimi quidem, qui Deos ſibi cõſtruxerunt, ligna adorabant, venerantes haſtas dolatas, delibratas, atque decorticatas. hinc Indi cæpere arbores reuereri, magnumq; inter ipſos fuiſſet crimẽ, eas, vel incidere ferro, igniq; admonere. indeq; Meſſagetæ putabant harum fructus, & præcipuè ex quernis arboribus procreatos è Cęlo immitti, velutique ſuorum Deorum partus adorabant. qui verò in quernis ipſis oritur à Natura viſcus, tanquam Deorum præcipuus colebatur. Perſæ, & Ægyptij Solem coluerunt. ne autem quemquam præter ipſum, colendum admiſerint ſtatuto cenſuere. Arabes Iouem, & Bacchum: cæteros Cœlos alij excoluerunt. Magi tantùm elementis omnibus deferebant, vt terræ, mari, aeri, igniq; ſacra facerẽt: de igne verò id ſtatuerunt ne cadauera cremarentur penitus, ne ipſorum fętore Dij ignei inficerentur. Neuri Martem ſumpſerunt pro Numine: cuius gratia ferrũ, gladiũ, armaq; bellica adorauerũt. Pæni Lunæ litabant. Anaximander cętera docuerat ſydera adoranda pro Numinibus: inde Germani, quos ſolũmodo oculis aſpiciebant Planetas, colebant, vt Solẽ, Lunam, & præter hos nullum. Celtiberi Deum colebant, cuius nomen penitus ignorabãt: taliſq; cultus extitit Athænis, Deo, cui aram extruxerunt, titulo *ignoto Deo* de quo D. Paulus Athenienſibus prædicans, liberè faſſus hunc eſſe noſtrum Deum, quẽ tamen ipſi ignorantes colebant ſub nomine ignoti Dei. Perſæ quoque ſtatuerunt Deos, ad ſummum duos, alterum *largitorem bonorum*, & *malorum alterum*: quibus & conſenſerunt inde Manichæi, duo rerum admittentes principia, *malum alterum*, &

Deorum genera multiplcia Antiquorum.

& ſeuerum, alterum bonum. Syrij colubas, & piſces. Sycionitæ ſcarabæos, & feles: Troglodítæ teſtudinē. Heliopolitani Bouem. Nemphitæ vaccam. Thebani aquilam. Leonotopolitani Leonem. Mendeſij hircum. Lycopolitani lupum pro numinibus excoluerunt, ſed quis innumeras Antiquorum ſuperſtitiones enarrare ſufficit; quiſq; enim pro libito, nunc Draconem, ſerpentem, mures; nunc lignea, marmoreaq; ſibi numina fabricabant; & quē viſſent item inter ipſos aliqua in arte vel celebrem, vel armis præcellentem, aut erga Populos benè affectum; Patriamq; beneficijs adaugentem inſpectabant, continuò inter Deos aſcribebant, conſtruebant aras; & Phana, ſacra faciebant, ac eis litabant.

2 Et ex his aliqui iuxta Perſarum mores, etiam Deos duplicabāt; hi fuere Cedron; & Marcion, qui duos Deos admittentes docebant alterum eſſe Patrem Chriſti Domini, quem Deum vocabant *Deum bonum*: & alterum Creatorem Mundi, quem inquiunt eſſe *crudum, & ſeuerum*. ex D. Iren. l. 1. c. 28. Auguſt. l. de hæreſ. cap. 21. Valentinus etiam ad duos ſeriem Deorum traduxit, alterumq; nominauit *profundum*, & alterum appellauit *ſilentium*; ex quibus aiebat triginta proceſſiſſe *Aeones*. ex Epiphan. hæreſ. 31. Cyrill. cath. 6. & Iren. lib. 1. cap. 1. Carpocrates etiam alterum ex his vocauit *bonum*, alterum *malum*: idemq; Gnoſtici, Apelles, & Manichæi. de quibus omnibus ſcribunt. D. Epiphan. hæreſ. 33. D. Auguſt. lib. de hæreſ. 23. 46. Iren. l. 3. cap. 18. & lib. 1. cap. 24. his accedunt Trithæitæ, & Peratæ, qui naturā diuinam in tres hypoſtaſes diuidentes, tres Deos confingunt, ex Theodoret. lib. 1. hæreticar. fabul. c. 18. & Niceph. Caliſt. lib. 18. cap. 48. quibus vltimo accedens Valentinus quidam Caluini diſcipulus, cum trinitatē Deorum probare non poſſet ex diuinis ſcripturis, quam tamen impiè defenſare cupiebat, ad Arianiſmum inde cōuerſus eſt. ſicq; iam ſepultæ hæreſes, excitantur modò, ac è tumulo reuocantur ſæpè ſæpius; vt videre eſt in Germania, Anglia, Polonia, Tranſiluania &c. lege Alex. lib. 6. Genial. dier. c. 26.

ARTIC. II.

Conuincitur Dei vnitas naturalibus demonſtrationibus.

1 CОntrouerti tamē ſolet à Theologis num ratione naturali id poſſit demonſtrari, an vero per ſolam habeatur fidem. quia in re licet Rabi Moyſes lib. 3. c. 6. docuerit id per ſolā fidem haberi, & per authoritates ſcripturæ: quam ſententiam ſequuti ſunt etiam OKam, & Gabr. in 1. d. 2. q. 10. nihilominus naturalibus innixi principijs demonſtrare eam efficaciter nituntur D. Tho. l. 1. contra g. cap. 42. & 1. par. q. 11. art. 3. atq; Scot. in 1. d. 2. q. 3. Durand. Marſil. cæteriq; diſcipuli vtriuſq; ſcholæ, præter etiam Baſſol. qui in 1. d. 2. q. 3. ſuſtinet negatiuam: quæ controuerſia ſimilis eſt alij, quam ſuperius diſputauimus de exiſtentia Dei, an Deum eſſe ſit per ſe notum: vbi licet diſputationis gratia dixerimus rationes naturales non eſſe efficaces; tamen in fine concluſimus eſſe temerarium, & erroneum negare poſſe, Deum eſſe, demonſtrari efficaciter naturaliter: ſicut autem hoc diximus de eſſe Dei, ita nūc idem aſſerimus de vnitate Dei cōtra Authores in fine articuli illius citatos: hi tñ Authores cōſequēter loquētes ſicut de primo negant efficaciā naturaliū rationū, ſic de ſecundo: quidquid tamen ſit, quantæcunq; ſint efficacitatis rationes à lumine naturali deductæ, eæ tamen fidelē cogunt, atque intellectum nullo pacto proteruientem, ſed benè affectum, atq; optima pollentem ratiocinatione apprime conuincunt. Dixi ratiocinatione pollentem, quia benè fatuus id non verebitur proteruiendo negare: vt ſicut teſte pſalmo 52. *dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*, ita eadem quoq; obductus fatuitate dicat, *non eſt vnus Deus*, afferamus autem potiores ad id rationes, & demonſtrationes.

Ex parte intellectus. probatur vnitas Dei

2 Primum autem probationis caput accipiatur ex parte intellectus, inde verò ex parte voluntatis: Primum ſit: Deus vnus aut intelligit aliũ Deũ, aut ignorat: non eſt dandum ſecundum, cùm Deus ſit omniſciens, eſſetque ad modum creaturæ cæcus, & ignorans. ſi detur primum, quæro, aut eum cognoſcit per eſſentiam propriam, aut per eſſentiam Dei cogniti; ſi das ſecundũ, ergò Deus cognoſcens depẽdet à Deo cognito. probatur ſequela, omnis cognitio dependet effectiuè ab obiecto cognito, & eſſentialiter diſtinguitur ab intelligente, quandocunque eſt producta ab obiecto realiter diſtincto ab intellectu cognoſcente: explico. Ideo cognitio noſtri Dei non dicitur dependere propriè à diuina eſſentia, quia non eſt producta verè, ſed eſt improducta, & vocatur notitia eſſentialis, & communis omnium diuinarum hypoſtaſum; nec eſt realiter diſtincta ab ipſomet Deo cognito, nec eſt verè accidens, ſed ipſamet ſubſtantia Dei: Cuius contrarium experimur in nobis, vbi noſtra cognitio, cùm ab obiecto paritur, dependet ab eo in vera cauſalitate. & conſequenter eſt quid eſſentialiter diſtinctum, eſtq; verum accidens informans: ſed cognitio cognoſcẽtis Dei de altero Deo cognito realiter ſaltem à primo Deo diſtincto, verè cauſabitur à Deo cognito tanquam ab obiecto, ergò pendebit ab eo, eritq; realiter diſtincta, tanquam verum accidens cauſatum, à cognoſcente Deo. Dices Deum noſcentem cognoſcere per ſuam propriam eſſentiam, non autem per naturam alterius, quia primũ ens cognoſcit cætera, & ſingula per eſſentiam propriam. Contra, ideo ens primum cognoſcit cætera alia entia, quia primum ens continet in ſe entia, & obiecta ſecundaria: ſed ex ſuppoſito non daretur vnum primũ ens, ſed plura. primum autem nó contineret aliud primum, quod ſit primum in tota coordinatione entium: aliàs ſi primum contineret ſic primum, alterum iſtorũ non eſſet primum, ſed ſecundum, quia continens habet rationem primi in tota entium coordinatione, quod autem contineretur in eo, iam non eſſet primum. ergò implicat ex hac parte intelligendi dari plures Deos.

3 Dices neutro modo alterum noſcere alterum, ſed id euenire propter cognitionem alicuius tertij, quod ſit ſimile vtriq; Deo. ex hoc autem fugitur ratio continentiæ vnius in altero. ſed contra hoc obſto dupliciter, primo, aut illud tertium continens erit quid primum, & quid increatum, aut quid ſecundum, & creatum; ſi dederis primum, ergò remanebit ratio quæ prius, quia illi duo Dij non erunt primi, ſed ſecundaria entia, quia continerentur in hoc tertio, & hoc tertium eſſet primum. Dices conſequentiam non eſſe neceſſariam, quia effectus cõtinet ſuo modo cauſam ſuam, & tamẽ cauſa eſt prima, & effectus eſt ſecundus. ſed hoc non obſtat, quia effectus cauſam in ſe continet, & repræſentat imperfectè, vnde ab effectu imperfectè noſcimus cauſam; at cognitio, quam Deus haberet de Deo non eſſet neceſſario ab effectu petẽda, quia quod cognoſcat intellectus principia à poſteriori, id multoties eſt imperfectionis in illo, præcipuè quando modum non habet cognitionem producẽdi à priori; at cognitio Dei de Deo eſſet perfectiſſima, & à priori conſequenter, igitur limitare cognitionem ad hunc modum noſcendi valdè vilificat intellectum diuinum, Improbatur ſecundo id quod dicebatur de ratione noſcendi per aliquod ſimile; quia cognitio habita per aliquam ſimilitudinem eſt cognitio imperfecta: tunc namq; perfecta erit cùm intuitiua erit notitia, & quæ ferri poſſit ad obiectum in ſua entitate, & propria exiſtentia: vnde in hoc cognitio Viatorum diſtincta erit à cognitione Comprehenſorum, quia illi vident in ſimilitudine, & ſpeculo in ænigmate, vt D. Paulus loquitur, hi autem vident facie ad faciem, & videbimus Deum ſicuti eſt: quare ad remouendam imperfectionem diuinæ notitiæ excludantur plures Dij ex capite cognitionis.

Ex parte voluntatis

4 Arguitur autem ex parte voluntatis. Conceſſa pluralitate Deorum, quæritur aut alter alterum diliget, aut non diliget: non ſecundum, quia Deus eſt ex ſe diligibilis, ergò dabitur primum: inde quæro aut alter alterum dili-

diſig[illegible], quantum ſeipſum diligit, aut plus, minuſuè: nullum horum eſt dandum: non dicendum quod diligat minus ſe, quia vnuſquiſque nedum tenetur diligere Deum quantum ſe, ſed ſupra ſe, ergò non diligit minus quàm ſe: nec dandum quod diligat eũ ſupra ſe, quia cũ ipſe diligẽs ſit Deus, Deus autem nihil poteſt diligere plus quàm ſe, quia eſſet aliquod perfectius ipſo Deo, & plus diligibile, nec deniq; aſſerendum quod diligat eum quãtum ſe, probatur, quia vnuſquiſq; cæteris paribus tenetur magis diligere ſe, quã alium, niſi tamen diligens ſit effectus, vel pars dependens ab altero, tanquam omnino primo ente diligibili. ſumus autem in paribus, quia vterque eſſet Deus, vterque infinitus, & neuter eſſet productus ab altero, & neuter deberet alteri amorem, & honorem ob beneficium aliquod præſtitum, quia hoc eſt ſignum indigentiæ, & impotentiæ, quæ Deo repugnant, ergò plus diligeret ſe, quàm alium Deum: ergo inſuper alter Deus non eſſet Deus, quia non eſſet ſummè diligibilis ſicut verus Deus, & ſic non æqualis eſſet Deus Deo, ſed altero alter inferior, quia indignus eſſet tanto amore, quanto dignus eſſet alter Deus. Ratio autem iſta ſupponit vnum ab altero fore ſaltem realiter diſtinctum, qua diſtinctione ceſſante cõſtat Patrem, Verbum, & Spiritum ſanctum æquali amore ſe diligere inuicẽ, tum ratione vnius actus amandi reperti in omnib. tùm etiã ratione identitatis naturæ, cùm ſint vnus Deus, & hac ratione perſonæ omnes ſũt æquè diligibiles: oppoſitũ tamen aſtruere oportet in plurificatione Deorũ: ſiquidem diſtincti actus amandi, diſtinctæq; naturæ ratio ſunt vt vnus magis teneretur amare ſe, quàm alterum: niſi tamen eſſet alterius pars, vel effectus, vt creatura magis tenetur amare Creatorem, cùm ſit effectus eius, & pars magis tenetur diligere totum, ſeq; ad totius defenſionem morti exponere, quæ rationes ceſſant in caſu noſtro cùm neuter eſſet alterius vel effectus, vel pars.

Natura quantum eſt de ſe nõ eſt determi- *nata intrinſecè ad certum numerum indiuiduorũ niſi extrinſecè.*

5 Inſuper arguitur, nulla natura quantum eſt de ſe eſt determinata ad certum numerum indiuiduorum, & ſi poteſt in pluribus reperiri indiuiduis, non magis reperietur in vno, quàm in duobus, vel decem, nec magis in decẽ, quàm viginti, nec magis in viginti, quã in infinitis: ſed poteſt reperiri in pluribus Dijs, ergò in infinitis Dĳs, ergo deniq; actu non duo, ſed infiniti reperiuntur Dij. Maior propoſitio intelligenda venit modo præſcripto; vt intelligatur ex ſe ſola; & quãtum in ſe eſt; quia & ſi ex ſe ad certam multitudinem nõ determinetur, determinatio tamen multotica prouenire poterit aliunde, vnde ceſſet actualis multiplicatio in plura & infinita. totum patet primo de diuinis ſuppoſitis, quæ tria ſunt, & non infinita: id verò inde prouenit quia nõ natura ſola dat perſonis numerum, & conſtitutionem, ſed aliunde habetur numerus, & multiplicatio perſonarũ; reperitur namq; duplex ibi productiuum principium, per memoriam fœcundam, & voluntatem fœcundam, & vtrumq; iſtorum producit perſonam adæquatã omninò tali principio, quod ſi non adæquaretur omnino ſub ratione termini, procederetur vltra, quouſq; haberetur terminus productiuæ potentiæ adæquatus: euenit autem, vt duo ſint principia communicatiua eſſentiæ ad perſonas, & ambo iſta habent terminos omnino adæquatos, qui ſunt duo, & neceſſario dabitur vna omnino Perſona, quæ ſit omnium prima, inde igitur fit, vt natura diuina nec in pluribus ab his poſſit eſſe, nec in infinitis poſſet reperiri perſonis. Idem patet de Luna, Sole, & quacunque ſpecie creata in ordine ad indiuidua: ex ſe quidem ad infinita prouehitur, attamen extrinſecum, & primum Agens non concurrit ad productionem plurium, ſed ad tot limitat indiuidua, vnum, decem, mille, plura, minuſue, ſicut libet, vt planetas ad vnum in ſingulis ſpecieb. cætera verò multiplicãdo vt eſt opus, ſed in propoſito vndenam diuina natura prodiret ad infinitos Deos? vndè ſaltim ad duos? nulla ratio cogit: quod ſi poſſunt eſſe duo Dij in diuina natura, ergo actu ſunt: ergo ſunt & infiniti, patet quia *in diuinis eſſe non differt à poſſe*. ſi quod autem reperitur principium determinatiuum Perſonarum diuinarum, id eſt iam explicatum; quod tamẽ non oportet amplius in alia Deitate

collocare, ne demus duas Trinitates. & hæc eſt D. Auguſtini argumentatio, ſi plura eſſe poſſent Verba, eſſe poſsēt & infinita, & ita actu eſſent infinita, & quoq; infiniti Dij aduerſus Arium.

Ex parte omnipotentiæ.

6 Arguitur etiam ex parte omnipotentiæ, data pluralitate ſequitur alterum altero eſſe inferiorem, ac minus altero potentem, probatur ex ratione ipſius omnipotentis, quam adducit Richar. l. 2. de Trin. c. vlt. dicens, *quod omnipotens ſicut ſuo velle poteſt producere omne poſſibile, ita ſuo nolle poteſt illud deſtruere, vel impedire*: hoc ſuppoſito & ſuppoſito etiam quod id, quod produceret Deus vnus omnipotēs, eſſet ens contingens, & non neceſſarium, tunc ſequitur ratio, ſi duo omnipotentes dantur, ergo alter alterum impedire poterit in agendo, & deſtruere rem actam; id vero eſſet contra rationem omnipotentiæ, cui nihil obſiſtit, ſed omnia obediunt. Dices eſſe concordes huiuſmodi Deos: id vero eſt figmentum dicere ſemper fore cōcordes, quod patet ex diuinarum perſonarum concordia, quod namq; ſumma pax ſit inter ipſas ac ſumma concordia, mirū non eſt, quia eſt vna numero voluntas, vna, eademq; numero volitio, amor idem, ac natura eadem, & quæ in vna eſt ratio infiniti amoris, eſt etiam & in altera infinitæ dilectionis argumētum. At hi duo dij eſſent natura diſtincti, diſtincti etiam volūtate, cum in duob. dijs multiplicarentur duæ numero voluntates, & duæ volitiones numero, at impoſſibile eſt vt ſemper vniformitas, & concordia ſeruetur in omnib. & per omnia in duob. ſic diuerſis natura, & diſtinctis. Dices id poſſe euenire, quia creatura tum corporalis, tum etiã ſpiritualis quandoq; adeo conformis, & concordans eſt cum Creatore, vt id velit, id nolit, id amet, id odio proſequatur, quod ſuus creator iubet, vt patet in Virgine, Baptiſta, Ioſepho, cęteriſq; ſanctis; ergo eſſent ſimiliter cōcordantes dij iſti. Sed hoc exemplum eſt ad oppoſitum, quandoquidem vnaquæq; creatura aut conſideratur per naturam conſtituta; aut quatenus eſt affecta gratia Dei: ſi primo modo, vtique experimur oppoſitum, quia teſte

2. Cor. 4.

Apoſtolo, *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus militat aduerſus carnem*: omniſq; creatura de ſe declinabilis eſt à ratione recta: & omnes teſte eodem *naſcimur filij iræ*, & vnuſquiſq; proclamat *iniquitatib. conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*: quod etiam de ſpiritib. patuit Angelicis, de quorum capite dicitur, *in veritate non ſtetit, mendax eſt, & pater eius*: & continuo ruerunt à Dei amore, & concordia cum voluntate diuina; quapropter de natura quacunq; creata ſic tenta dici poteſt illud pſalmi, *omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum*: quod ſi ſecundo modo ſpectetur, id conceditur, ſed id prouenit ex gratia, & liberalitate Dei præbentis creaturę donum, quo ſecum cōcordet, ſibi vniatur, ipſumq; amet: At in propoſito vnus Deus non egebit gratia alterius Dei, nec ab altero Deo recipietur in gratiam; quod.n. ſic ordinatur, diuerſitatē indicat ſtatus, & perfectionis: igitur ſi vnus alteri non adhæret per gratiam, & natura vnius eſt ab alterius voluntate, & natura diſtincta, non neceſſariò ſemper concordabant, ſed quod alter operari intendit, deſtruet alter, vel impedire tentabit.

Pſ. 40. *Apoc. 14.* *Pſ. 10.*

Ex cauſalitate efficientis, & finis

7 Eſt & altera ratio deducta ex cauſalitate cauſę efficientis, & finis arguendo ſic, implicat dari duos vltimos fines, ergo implicat plurificare Deos: antecedens negari non poteſt: & probatur, omne ens aut eſt vltimum, aut ordinabile ad vltimum tanquam ad finem: diuiſio iſta ſufficientiſſimè diuidit vniuerſum ens: igitur ex duob. finib. alter erit ordinabilis ad alterum: quo admiſſo conſtat alterum illorum non eſſe finem vltimum, ſed vel finem proximum, & intermedium, vel conſequēter ordinabilem ad alterum magis finem: Quod ſi non implicare aſſeras plures vltimos fines, quæro ad quid deſeruient tot vltimi fines: non quidē ad finiendum, quia alter eorum ſufficit ad vltimatò finire, & terminare, ergo alter ſupereſt, & ſuperuacaneus erit: at fruſtra in natura admittuntur plura, cum effectus haberi poſſit æquè benè per pauciora; igitur negatis plurib. finibus vltimis negabuntur plures Dij, quib. competit ratio vltimi finis.

8 Eo-

Ex parte cauſa totalis.

8 Eodem modo ratiocinandum de primis cauſis,& præciſè totalib. in eodem genere: implicat dari plures, primaſq; totales cauſas eiuſdem generis, ergo & plures Deos: cōſequens patet cum Deo competat ratio primarij effectiui. probatur antecedens, primo quia ſuperuacanea eſſet multiplicatio cauſarum totalium; etenim id quod vna cauſa ex ſe ſola præſtare poteſt, & ex ſe ſola vult præſtare, fruſtratoriè admittitur ad illud idem altera cauſa: ſed vna totalis cauſa in ſuo genere, & primaria, id poteſt, & vult præſtare, ergo non admittenda altera: quod ſi Deus alter non cauſabit aliquid, cum Deus primus cauſet omnia, iam mundus non pendebit ab eo, nec mundus indigebit eo, & ideo ſuperuacaneus erit: Dices ſtabit in ſeipſo abſq; effectione vlla circa mundum ad extra; ſed contra, quia hoc implicat, etenim mundus cū ſit ens dependens, erit conſequenter creabilis, conſeruabilis, & dirigibilis ab ente independente, quod ſi hanc dependentiam tollas, vel auferes mundum, & de creatura mundiali facies Deum independentem, vel auferes ipſum Deum, quia mundus hic non regitur niſi à Deo.

9 Probatur minor rationis, Deo incumbit regimen, & gubernamen totius mundi, ipſeq; promiſit curam habere de vniuerſis, ſicut in parabola de lilijs, de auibus, ac de ſingulis expreſſerat Chriſtus Dominus Matt. 15. & de hominib. præciſè, Luc. 16. dicens *capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* inſuper ſcit ipſe quod ſiuè immediatè per creationem agere intendat ex ſe ſolo, ſiuè per generationis, & tranſmutationis opus vna cum ſecundis cauſis, ſcit, inquam, quod ex ſe ſiue ſolus agat, ſiuè cùm ſecundis cauſis, certo eueniet, ſicut ſibi libuerit, euentus, & effectus; igitur admittitur fruſtraneè alterius primariç cauſæ concurſus, nec dicendum cauſam aliam primariā admitti vt defectum ſuppleat primi agentis nolentis fortaſsè prouidere de ijs, quæ neceſſaria ſunt, etenim *Deus & natura* ex communi axiomatè *non deficiunt in neceſſarijs*, ſed ſolettior eſt Deus ipſe in prouidendo nobis ea, quæ opus ſunt, quam promptiores ſimus nos ipſi in petendo, quæ proficua ſunt.

10 Confirmatur, quia talis concauſæ concurſus non requiritur vt ſuppleat imperfectionem agentis primarij, ergo admittitur fruſtra. patet antecedens, etenim primum agens perfectiſſimum eſt, & infiniti vigoris, ergo nullo adiumento eget, cur igitur admittitur ſecum concauſa alia primaria cooperans? Confirmatur deniq; tota ratio, quia nullus effectus à plurib. primis pendere poteſt totalib. ſic cauſis, quia ſimul ſequeretur habere eſſe, & non eſſe: eſſentq; contradictoria de eo ſimul vera: probatur ſequ. eſſet quidem quia altera earum cùm ſit primaria, & totalis cauſa, daret ei eſſe adæquatè, non eſſet etiam, quoniam deficiente altera, quæ inſuper eſſet totalis cauſa, non haberet eſſe: verū hæc ratio apud recentiores quoſdam parui eſt ponderis, exiſtimant. n. ſimul dari poſſe cauſas plures ſic concurrentes: cōtra quos tamen arguitur, quia ſit exempli gratia producendus vnus gradus caloris, & producatur ſimul ab his verisq; cauſis, quid quæſo facient cauſæ iſtæ? aut vna producit totum, aut partem; ſi primum, ergo concauſatio ſecundæ, vel alterius totalis cauſæ nil proficit: ſi ſecundum, ergo diuiditur gradus: at dato quod ſit diuiſibilis, accipiamus minimam eius, ſaltem proportionalem partem, quæ prorſus ſit indiuiſibilis, & iterum quæro, aut tota illa indiuiſibilis pars producitur à prima cauſa, aut pars, non ſecundum; cùm ſit contra præſuppoſitum, ergo primum, ergo fruſtra altera operatur.

Idem effectus nō poteſt pendere à pluribus cauſis totalibus.

11 Dices ſimul operari; quæro quid producit vnaquæq; aut totam illam partem, aut partem partis: nō partem, cùm ſit indiuiſibilis, dices eſſe etiā diuiſibilem: quidquid tamen ſit, accipio punctum, & ſit producibilis ab ambabus, quidnam ſimul producent, non partem, & partem, cùm punctus non habeat partem, ergo producitur totus ſimul: quod ſi ſimul concurrunt, ergo oportebit vt vnà cauſa diminuat virtutem ſuam, & dum liberè agit, non agat ſecundùm totam virtutem, itaut ſi ad productionem puncti requiritur virtus vt quatuor, tunc cauſa vna pri-

primaria expendat duos gradus ſuæ actiuitatis, & cauſa altera primaria duos reliquos. At quis quæſo medius fuit qui pacem, & concordiam inter cauſas iſtas appoſuerit, atq; pactum ſtatuerit vt ita agerent, immo oſtendimus, quam difficillimè pacem, & concordiam inter eas reperiri, ſi admittédæ forent: quapropter magis rationi cõſentaneum videtur, vt alibi agemus, plures cauſas totales non ſic poſſe agere.

Ex alijs capitibus.

12 Linquo rationes cæteras deductas ex ratione neceſſe eſſendi, & infiniti: vt quod implicat plura reperiri neceſſe eſſe. plura entia infinita. plura independentia. plura increata, & prima plura. Additur ratio deducta ex regimine, & gubernio rerum, Monarchia à cunctis expetitur, ita vt in cunctis regiminib. requiratur principium vnum regens ſingula, & diſponens omnia: vel ſi in Republica plures reperiuntur Rectores, hi tamen dum optimè ſunt concordes, per optimè etiam Rempublicam dirigunt, & gubernant. Entium autem vniuerſorum ordo hoc requirit, nempè optimum ordinem, diſpoſitionem aptam, & regimen temperatum; id verò præſtabitur ab vno, hinc Ariſt. 12. met. docuit, *entia nolunt malè diſponi, vnus ergo Princeps*: ergo Deus vnus, vnuſq; omnium Monarcha Deus optimus.

Cognoſcimus Deum tunc, ſed non vt hũc

13 Dices Deus vnus eſt, & ſingularis, id vero rationes naturales conuincunt, ergò etiam naturaliter deuenire poterimus in cognitionem huius Dei, id vero implicat, cum Deum hũc, vt hunc non cognoſcemus niſi in patria, aut per reuelationem. Reſpondédum nos poſſe naturaliter noſcere Dem hunc, ſed non vt hunc in ſenſu compoſito. explico, cognoſcimus eſſe Deum, & noſcimus etiam Deum noſtrum non eſſe Deum in abſtracto, ſed in concreto, eo quod noſcimus ipſum eſſe ſingularem, habere actuale eſſe, & ſimilia, attamen non noſcimus eum vt hunc, & vt hac ſingularitate præditum, quæ ſit hæc, exempli gratia, ſcio hunc eſſe hominem, & hominẽ ſingularẽ, attamẽ ignoro quis determinatè ſit, & qualis ſit, & quomodo ſpecialiter, & diſtinctè habeat eſſe: ita cognoſcimus Deum noſtrum eſſe verum ens ſingulare, ſed ignoramus conceptus particulariores, & proprios de eo, quia ipſum non noſcimus diſtinctè, licet ſciamus ipſum eſſe ſingularem, quia ſcimus habere eſſe ſingulare, & in concreto, vel ſecundo reſpondédum aliud eſſe cognoſci ſingularitatem vt obiectum cognitum, & aliud tanquam rationem cognoſcendi: conceditur quidem ſingularitatem eſſe obiectum cognitum, non tamen habere rationem cognoſcendi diſtinctè.

14 Eſt quoque veritas hæc apertè tradita in ſcripturis diuinis, vt Deutor. 6. *Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* & 4. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* & ibid. *Dominus ipſe eſt Deus in Cælo ſurſum, & in terra deorſum, non ſit alius.* Iſa. 43. *ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.* & 44. *ego primus, ego nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus.* & 48. *gloriam meam alteri non dabo.* intellectus autẽ, & ſenſus eſt, vt dũ honorem latriæ nulli alteri permittat tribui, apertè docet non reperiri alterum præter ſeipſum. Oſeæ 13. *Deum abſque me neſcis, & Saluator non eſt præter me.* 3. Reg. 8. ait Salomon, *Dominus Deus non eſt ſimilis tui Deus in Cælo deſuper, & in terra deorſum.* pſalm. 85. *magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.* & pſal. 17. *quis Deus præter Deum noſtrum?* Sap. 12. *non eſt alius Deus quàm tu.* & ex nouo teſtamento Matt. 12. dum ſermo ageretur de vnitate Dei, dixit quidam Scriba, *benè Magiſter in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* Apoſtolus deniq; 1. Corint. 8. *ſcimus quia nullus eſt Deus, niſi vnus*; & Epheſ. 4. *vnus Deus, & Pater omnium.*

15 Ex Patribus autem planè etiã conſtat, itaut innixi homines Scripturis, non relinquatur quomodo poſſint dubitare locus, ait enim Damaſc. lib. 1. cap. 5. *Apud eos, qui ſcripturis credunt, Deum eſſe vnum extra controuerſiam eſt.* Acutè autem idipſum conuincit D. Athan. orat. aduerſ. Idola, inquiens, *æqua in ambobus eſſet poteſtas, & imbecillitas, ſi duo darentur Dij, par quidem poteſtas, quod alter alterius voluntatem vinceret, eoipſo, quod altero inuito eſſe poſſet:*

poſset: par item imbecillitas, quod nolentibus ipſis ea quæ nollent, euenirēt: ſiquidem vnus præter alterius voluntatē exiſteret. hæc ille. quē rationē etiā nos attulimus inter cæteras. Scribunt verò cæteri Patrès de re eadem ſparſim, & ſinguli, vt D. Auguſt. 1. de Trin. Athanaſ. Baſil. orat. contra Sabell. & Ariū. Nazianz. orat. 2. Theol. Cyprian. de vanitat. Idol. Athan. in ſimbol. & orat. contra Gregal. Sabell. Cyrill. lib. 11. in Ioann. c. 20. Auguſt. lib. 1. contra Maxim. Baſil. epiſt. 141. Tertullian. apol. aduerſ. Gent. & Lactant. Firm. lib. 1. diuin. inſtit. c. 4.

QVÆSTIO II.

Vtrum vnitas addat aliquid poſitiuum ſupra ſubiectum.

ARTIC. I.

Vnitatem nihil addere poſitiuum ſupra ens ex D. Thoma.

Sententia D. Th. negatiua.

1 Ocaſione autem deſumpta ab vnitate Dei quærimus vtrū vnitas ſecundùm ſe addat aliquid reale, & poſitiuum ſupra ens, an verò ſolam duplicem negationem importet, indiuiſi quidē à ſe, & diuiſi à quocunque alio, ſeù negationem indentitatis cum omni alio. qua in re D. Tho. 1. p. q. 10. artic. 1. ſuſtinet nullam addere entitatem, ſed conſiſtere in pura negatione. ſuaderi autem poteſt ex definitione vnius, de quo dicitur quod vnum ſit illud, quod eſt indiuiſum à ſe, & diuiſum à quocunque alio: definitio autem per eſſentialia, adæquatè explicat naturam rei diffinibilis, quod ſi in eius diffinitione nil poſitiuum ingreditur vt conſtat, remanet vt ratio vnius ſiſtat in ſola negatione. ita verò deſcribi, ſeù definiri vnum planè apud omnes conſtat, tùm ex Ariſt. 4. met. c. 2. 5. tùm etiam ex Porphir. c. de indiuiduo.

2 Secundò, ratio vnitatis non videtur ob aliud introducta, niſi ob ſeparationem, diuiſionem, ſeù etiam indiuiſionem, & indiſtinctionem: at omnes iſtæ voces important puram negationem: declaratur ratio: eſt enim Franciſcus vnus, & enti eſt addita vnitas, quæ appellatur vnitas Franciſci, nobis tamen non ob aliud conceſſum, & cōtractum apparet, niſi vt ratio entis, quæ prius non erat vna hac determinata vnitate numerali, fieret indè prorſus vna, applicabilis Franciſco, per quam Franciſcus eſſet ens vnum, non ens commmune, ſed determinatū, non indifferens, ens deñique, quod etſi prius ſub conceptu entis erat vnum, & idem cum cæteris indiuiduis contentis poteſtatiuè in amplitudine entis, euaderet poſtea ens vnum, ſegregatum ab alijs, diſtinctum à cæteris, & quod non ſit vnum cum cæteris: hæc verò omnia negationem important, igitur eſſentialis ratio vnitatis eſt negatiua.

3 Tertiò, daretur infinitus proceſſus in vnitatibus. probatur, quia ſi vnitas eſt ens poſitiuum, ergò alia vnitate eſt vna: quærimus autem de vlteriori illa vnitate, aut eſt poſitiua, aut priuatiua, ſi ſecundum, habetur intentum, ſi primū, quærimus de eadē ſicut prius, ſicq; daretur in infinitum proceſſus in vnitatibus. Præterea ſimplicitas non eſt entitas formaliter poſitiua, ergò

nec vnitas, probatur conſequens, quia eſſe maximè ſimplex eſt eſſe maximè vnum, & ſicut vnitati repugnat multitudo, ita & oppugnat ſimplicitati. antecedens autem eſt communiter receptum à Theologis, quia nil formaliter importat, niſi carentiam compoſitionis, quod enim ſimplum eſt, non eſt duplum, & quod eſt ſimplex, non eſt compoſitum. hanc eandem ſententiam cum D.Tho. defendit Caetan. ad locũ D.Tho. Soncin. 4. met. q. 4. Durand. Gabr. & Capr. in 1. d. 24. & ex Recenſiorib. Suar. t. 1. met. diſp. 4. ſect. 1.

4 Quartò, ſi vnitas diceret poſitiuam entitatem, vel quidem diceret entitatem ſubiecti, vel aliam: ſi primam, ergò committitur fallacia nugationis; ſi ſecundum, quæro de illa alia, vel .n. eſſet vna, vel plures, & daretur proceſſus in infinitum.

5 Quintò, ſufficienter concipitur ab intellectu vnitas per duplicem illã negationem indiuiſi à ſe, & diuiſi à quocunque alio: ergò fruſtra additur noua entitas.

ARTIC. II.

Vnitatem addere veram entitatem poſitiuam ſupra ens.

1 Licet tamen præcedens ſententia ſenſui apparens videatur, & prima facie probabilis, nihilominus exiſtimo veriorem oppoſitam opinionem, ſicq; ſtatuo vnitatem addere poſitiuum quid ſupra ens. Rationes quidem id conuincentes non deſunt, verũ eſt tamen quod difficile eſt aſſignare quid ſpecialiter ſit illud poſitiuũ quod addit: quidquid tamen ſit, ſiue aſſignetur, ſiuè non aſſignetur, hoc tamen veritati non obeſt, etenim ex Ariſtot. *vltimę rerum differentiæ ſunt nobis ignotę*: at non propter hoc ipſas differentias vltimas negamus: & ex D. Auguſt. l. 1. de prædeſt. ſanct. non ideo prædeſtinationis, & efficaciæ gratiæ neganda eſt veritas, quia de eis certo loqui ignoramus; ſed verè credimus ea eſſe. & ſic certo ſuſtinemus poſitiuam additionem entitatis vnitatis ad entitatẽ ſubiecti entis, licet eam in ſpeciali qualis ſit aſſignare ignoremus.

2 Exordiamur autem probationes ordine immediato, arguendo ab ipſiſmet entis paſſionibus, ſeù proprietatibus. Paſſiones entis, aut ſunt entia poſitiua, aut priuatiua: non ſecundum, ergò primum, ergò vnitas eſt entitas poſitiua. minor negari non poteſt, etenim Ariſtoteles, cæteriq; Metaphyſici de paſſionibus entis loquentes vocant eas verè poſitiua, & à parte rei entia: quòd ſi dixeris non de omnibus id aſſerere, ſed de duabus cæteris, nempè veritate, & bonitate, id gratis dictum: quandoquidem Ariſtoteles inter ipſas diſcrimen appoſuiſſet ſubdiſtinguẽdo in paſſiones negatiuas, & poſitiuas, nec ſufficit dicere ad id non aduertiſſe, quia cũ in omnibus accuratiſſimus extiterit, & præcipuè in metaphyſicis, ſi id opus fuiſſet exprimere, & diſtinguere, vtique nouiſſet, igitur eſt ſolum inuentum, ac figmentum cæterorum diſputantium, negare poſitiuam rationem vnitati. *Paſſiones entis ſunt entia poſitiua.*

3 Sunt qui concedunt additionẽ iſtam poſitiuam, ſed illam dicunt non eſſe realem à parte rei, ſed rationis: hoc caſu ſtare non poteſt & probatur, metaphyſicales demonſtrationes ſunt demonſtrationes reales, quia non ſunt demonſtrationes logicales; ſed metaphyſicus demonſtrat paſſiones entis de ipſo ente, ergò demõſtrat quid reale de ente reali, ergò non ſunt entia rationis. item vnitas eſt ens rationis, ergo nullum ens eſt vnum à parte rei, conſequens ſequitur neceſſario, quod namque à ſolo intellectu dependet eſt ens rationis, & non à parte rei, ergo nullum eſt ens vnum: inde quæro aut ſunt multa, aut non multa: non ſecundum, quia negatio multitudinis eſt vnitas, at hæc eſt à parte rei: ergo dabitur primum, ſicq; ens aliàs vnum eſſet multa. cùm à parte rei neganda foret vnitas realis. De multitudine autẽ illa quæritur etiam an vera ſit, & à parte rei, quod ſi concedatur, ergò concedetur magis de vnitate quod ſit realis, *Demonſtrationes metaphyſicales sũt reales.*

pro-

probatur, multitudo coaleſcit ex vni-
tatibus, ergò qualis eſt multitudo, ta-
les ſunt componentes vnitates, illa au-
tem eſt realis, ergò & vnitates.

Multitudo eſt quid poſitiuum.

4 Hinc etiam formatur & alia ra-
tio, multitudo vnitati oppoſita eſt quid
poſitiuum, ergò vnitas de cõceptu for-
mali, eſt etiam poſitiua. antecedens
patet, quis enim negabit Trinitatem
Perſonarum eſſe quid poſitiuum, quis
inficiabitur duodenarium Apoſtolorũ
numerum fuiſſe multitudinem poſiti-
uam: nega hoc, & deſtruas Trinitatẽ,
& diſſipabis numerum Apoſtolorum.
probatur conſequens ex diſcurſu fa-
cto, multitudo eſt effectus compoſitus
ex vnitatibus: ex priuatiuo autem, tã-
quam ex eſsẽtiali, & materiali, ſeù for-
mali, & intrinſeco principio conſtitu-
tiuo non poteſt reſultare quid poſiti-
uum, cùm ens non conſtituatur ex nõ
ante, antequam ex eſſentiali forma, &
& materia; quod ſi multitudo ſit enti-
tas poſitiua, antecedẽter erit quid po-
ſitiuum ipſa vnitas conſtituens.

Multitudo eſt quid poſitiuum, tũ fundamentaliter, tũ formaliter.

5 Dices multitudinem ea ratione
eſſe quid poſitiuum, quatenus compre
hendit plura entia poſitiua, & realia, &
quatenus ſupponit pro entibus reali-
bus, itaut fundamenta numerata ſint
entia realia, non multitudo ipſa, & mul
tiplicitas formaliter tenta: quod ſi fun-
damenta multiplicata ſunt poſitiua,
non opus eſt, vt ipſamet formalis mul-
titudo ſit quid poſitiuum. ſed hoc nihil
obeſt, quia cùm video Franciſcum, Pe-
trum, Ioannem, & Ambroſium, dicor
videre quatuor, ſeù multitudinẽ qua-
tuor hominum: & cùm dico quatuor,
aliquid vltra addo ſupra tria, ſupra
duo, & ſupra vnum, & ſupra nihil: ad-
ditio autem iſta non eſt ſolius rei nu-
meratæ, & fundamentaliter tentæ, ſed
alicuius vlterioris veri additi, ſeù poſi-
tiui, quia numerus quaternarius, ter-
narius, & ſimiles, ſunt veri, & poſitiui
aliud vltra addentes ad rem numera-
tam, ergò multitudo non præciſe figi-
tur in fundamento. Confirmatur, da
oppoſitum quod multitudo pro for-
mali tenta non ſit realis poſitiua, ergò
inferam quod quatuor homines non
ſunt quatuor, id namq; ſequitur ex eo,
quod ſola fundamenta admittũtur ſub
ratione poſitiua, & multitudo forma-
lis. Dices formalem multitudinem pro
formali tentam eſſe quid priuatiuum;
fundamentalem autem eſſe ens poſiti-
uum. Contra. numerus eſt poſitiua, &
vera entitas à parte rei, ergo multitu-
do pro formali eſt ens poſitiuum. an-
tecedens probatur, quia numerus eſt
vera quantitas, hæc autem eſt prædi-
camentum reale. item ſequeretur ſciẽ-
tiam mathematicam eſſe ſcientiam ra-
tionis, ipſa autem eſt vera, & poſitiua,
ac realis ſcientia, agit autem de quan-
titate, & de numero; & multitudo non
eſt aliud, quàm numerus, ſeù aggrega-
tio vnitatum, ergò de formali concep-
tu importat quid poſitiuum.

Vnitas eſt quid poſitiuũ, quia numerus, cuius ẽ prĩcipium eſt quid poſitiuum.

6 Præterea vnitas eſt principium
numeri, at numerus eſt quid poſitiuum,
ergo eſt vnitas. minor eſt probata; &
conſequens non poteſt negari: agit au-
tem ratio hæc de vnitate formaliter
tenta, de ea enim ſic accepta formatur
controuerſia. ex vnitate deriuant vni-
uerſæ ſpecies numerorum, quæ ſunt
vera poſitiua entia, etiam abſtrahendo
à fundamentis, & à rebus ipſis nume-
ratis: eſt ſiquidem obiectum ſcientiæ
realis, terminat ex ſe ſolo numerus co-
gnitionem, & diſcurſum: quomodo au-
tem fieri quibit vt entitas hæc, quæ cõ-
flatur, ex vnitate multoties accepta, ſit
quid negatiuum, cum re vera numerus
ipſe ſit quid poſitiuum, quod ſi poſiti-
uum eſt, ergò magis poſitiua erit ratio
vnius ex ſe ſola ſumpta, abſtrahendo à
quacunque re vna, ſeù à ſubiecto vno:
locus arguendi tenet à conſtitutione
ad conſtitutum, à principio eſſentiali,
& intrinſeco, ad effectum formalem, &
conſtitutum: quæ quidem ratio maxi-
mè cogit ad ſuſtinendam noſtram po-
ſitionem. Quod ſi dixeris vnitatem nu-
meralem fore alterius rationis ab vni-
tate traſcendentali, de qua loquimur,
& illam eſſe poſitiuam, hanc verò pri-
uatiuam: id eſt merum figmentũ quan-
tum ad id, quod attinet ad rationem
vnius in ſe: licet namque traſcendenta-
lis vnitas à numerali aliunde differat,
quia hæc conſurgit in quantitate, ex
materia, ſeù ex diuiſione continui, illa
verò communis ſit, abſtrahens ab im-
perfectionibus hiſce, quæ etiam collo-
catur in Deo; nihilominus in ratione
formali vnitatis, pari paſſu ambulant,

vt ſi altera poſitiua eſt, idem cenſeatur de altera, & è conuerſo: ratio namque effectionis, & productionis talis vnitatis non variat eſſentialem, & ſpecificam, ſeù formalem rationem vnitatis vt ſic, licet benè varietur id vnde ſumitur, aut id, in quo ipſa collocatur.

Dualitas, & trinitas eſt quid poſitiuum, ergo & vnitas.

7 Vrgetur magis, quærendo cur potius ratio vnitatis ſit ratio, & entitas negatiua, quam ratio dualitatis, trinitatis, quaternitatis, & ſimilium: nulla apparet ad id conuincens ratio, immo ſimilis eſſe debet omnium numerorũ ratio, ſicut & vnitatis. at ratio dualitatis, & trinitatis eſt ratio poſitiua, vt eſt iam deductum, ergo conſimiliter vnitas. Alias confugere oporteret ad negandum dualitatem, & trinitatem eſſe quid poſitiuum, vel opus foret aſſerere eſſe alterius rationis vnitates componentes dualitatem, & trinitatem à ratione vnitatis præcisè additæ ſoli enti. ſed vtrumq, eſt falſiſſimum, de primo patet, quia trinitas Perſonarum diuinarum non eſſet poſitiua, ſed negatiua, quod æquipollet huic propoſitioni Deus non eſt trinus in perſonis: de ſecundo etiam patet nulla vera ratione poſſe formari, quia dualitas, trinitas, & cæteræ numerorum ſpecies ortum habent, & originem ab vnitàte primaria, quæ ſecundum formalem, & abſtractiuam rationem concepta, vnius eiuſdemq; rationis reperitur in omnibus.

Negatio, et priuatio nulli competit, niſi per aliquod poſitiuum.

8 Probatur inſuper rationibus ex altero capite deductis. Nulla negatio, & priuatio poteſt alicui eſſe adæquata, & prima ratio, qua aliquid repugnet: ſed repugnat vni numero diuidi in plura, ergo talis repugnantia non poteſt ei competere per ſolam negationem. minor patet, & probatur maior, ſeù magis declaratur, nihil poteſt repugnare alicui per ſolam negationẽ, vel priuationem: ſiquidem ideo ſubiecto ineſt negatio, quia ei ineſt affirmatio, ſeù poſitio, vt ſubſtantiæ ſecluſa quantitate repugnat proximè diuiſibilitas in partes quãtitatiuas: ratio autẽ diuiſibilitatis competit ſubſtãtiæ gratia quantitatis, quæ eſt quid poſitiuũ: at quid eſt diuidi, niſi negatio identitatis, & vnionis plurium vt conſtat, ergo talis negatio competet per aliquod poſitiuum, quod eſt quantitas præbens diuiſionem. patet etiam in cadauere, de quo dicimus quod priuatum remanet, & ſubiectat in ſe negationem, vitæ, at cur cõpetet ſibi priuatio hæc, vtique per quid poſitiuum, nempè per animam, quæ iam receſſit: & dum in reſurrectione iterum cadauer viuet, remanebit in eo negatio mortis, & interitus, id autem per poſitiuum competet, per animã denuo vnitam, & informantem. Confirmatur, nulla imperfectio conuenit alicui, niſi per aliquid poſitiuum: diuidi autem eſt imperfectio, ergo nonniſi per poſitiuum competet: id verò conuenit multitudini, & eius oppoſitũ competit vnitati, & totũ id gratia quantitatis, ergo erit quid poſitiuum. nec ſufficit confugere ad ſubiectum poſitiuum, quia non ens, ſed quantitas eſt radix talis diuiſionis, ergo non ab ente, vt ſubiecto recipiet indiuiſionem.

Negatio non facit ſubiectum, perfectius; quàm ſua affirmatio.

9 Item ex ſola negatione non cõſtituitur quidquam in entitate perfectiori, quam ſit entitas quæ ſubſternitur negationi: ſed prima ſubſtantia eſt perfectior, quam ſecunda, eo quod illa maximè ſubſiſtat, ſeu independens, & à parte rei extat, ergo cùm ipſi quatenus exiſtenti competat vnitas, ſingularitas, & indiuidualitas, non poterit per ſolam negationem competere: diſcurſus patet, quia per vnitatem realem, quæ eſt à parte rei extra cauſas ſuas, ſubſtantia prima eſt perfectior quam ſecunda: quomodo autem fieri poterit vt negatio pura reddat aliquid omnino perfectius, & abſolutè exiſtẽs, vnum numero, hoc, ſingulare, indiuiduum, & hoc aliquid: immo cum entitas ipſa abſoluta radix ſit perfectionũ emanantium ab ea, ſiuè perfectiones poſitiuæ ſint, ſiuè negatiuæ, ab ea quidem ipſæ, non illa ab ipſis perfectionẽ mendicabit, & gradum.

10 Additur optima ratio inter omnes, reducendo opinantes ad metam nugationis, arguendo ſic; quæro quare vni repugnet eſſe idem cum altero, & diuidi à ſe ipſo: hæ. n. ſunt negationes duplices, quas importat ipſa vnitas, eſſe quidem indiuiſum à ſe, & diuiſum à quocunq; alio: reſpondebis ideo repugnare, quia habet in ſe duplicem iſtam negationem, tunc verò committetur

nu-

negatio, quia idem eſt, ac dicere; ideo non poteſt diuidi à ſe, & eſſe idem cum alio, quia à ſe diuidi non poteſt, nec idẽ eſſe cum alio poteſt: hoc autem eſt reſoluere idem per idem. probatur exẽplo, ſi quæras quare homo non eſt lapis, ſi reſpondes, quia habet negationẽ lapidis, idem erit ac dicere, ideo nõ eſt lapis, quia non eſt lapis. A ſimili, cum quæro cur enti repugnet à ſe diuidi, & identificari cum altero: ſi dices, quia eſt vnum, tunc idem erit ac dicere, repugnat quia habet negationem: & ſi quæras cur habet iſtam negationem duplicem diuidendi à ſe, & identificandi cum altero, ſi dices, quia eſt vnum, idem erit, ac dicere, ideo habet hanc negationem, quia habet negationem: etenim per te vnitas formaliter eſt negatio, ergo idem per idem: quod ſi admittitur quid poſitiuum, aſſignabitur vera ratio, quemadmodum in quæſito de lapide aſſignanda venit ratio ex aliquo principio poſitiuo, ex quo magis conſtet negatio, & priuatio.

11 Quid verò ſit poſitiuum hoc, quod addit, id neſcimus, ſed non propter hoc id negare debemus, cum *vltima rerum differentiæ nobis ſint ignotæ*, ex quo non mirum eſt ſi vltimam vnitatis differentiam, qualis, qualiſue ſit, nominare neſciamus. Bannes quidem addit indiuiſibilitatẽ eſſe modum intrinſecum ipſius vnitatis, & dicit idem aſſerere D. Thomã ſiue tamen ſit modus, ſiue paſſio conſequẽns nihil refert ad præſens quæſitum, dummodo poſitiuum eſſe illi tribuamus. Sententiam noſtram docuit Auicenna 3. met. c. 2. & Scotus in 2. d. 3. q. 2. Lichet. cæteriq; eius diſcipuli ibid. & 4 met. q. 2. quibus in locis diſtingui etiam aſſerit ex natura rei. Anton. Andr. 4. met. q. 3. Rada p. 2. controu. 3. art. 2. Fauent. in natural. philoſ. theorem. 90. c. 5. atq; etiam Bannes. p. 1. q. 11. art. 1. & ex antiquioribus Alex. Alenſ. par. 1. q. 13. memb. 1. 2. D. Bonau. in 1. d. 23. art. 1. q. 1. ac Sot. c. de proprio. q. 2. eandem eſſe citat ſententiam D. Thomæ in 10. met. lect. 4. Bannes ibidem: qui licet ſectator ſit D. Thomæ, ſuſtinet tamen expreſsè addere entitatem realem, ac realem perfectionem in fine primi artic. Et hæc ſententia ſi rationes ſpectentur verior apparebit: licet ſenſui apparentior videatur oppoſita.

Poſitiuum vnitatis quid?

ARTIC. III.
Reſponſiuus ad rationes tertij articuli.

1 Reſpondendo autem ad rationes oppoſitas, ad primam dicimus, deſcriptionem vnius numero datam per duplicem negationem, eſſe potius per effectum, quã per cauſam, & magis per extrinſeca, quam per intrinſeca: ſiquidem prius vnitati competit ratio poſitiua, qua formaliter, & eſſentialiter conſtituitur in eſſe ſuo, quam eidem conueniat ratio illa duplicis negationis, quia negatio nulli competit, niſi per poſitiuum, vt fuit oſtenſum, quamobrem negatio hæc duplex eſt quid poſterius, & quid conſequens, licet neceſſario, ad poſitiuam entitatem formalem vnitatis: quo fit, vt diſcurſus actus de negationib. importatis ab vnitate, non ſit diſcurſus habitus per diffinitionem, ſed per deſcriptionem, ſeu extrinſecam circumloquutionem: & Ariſtot. & cæteri cum vnitatem deſcribunt per negationem, deſcribunt per eam, tanquam per quid magis notũ nobis, per quid poſterius ad rationem eius poſitiuam, & quod non ſit de intrinſeca ratione vnitatis, quapropter ſi indiuiduo, & vni numero competit illa negatio, dicendũ quod antecedenter ſibi competet aliqua poſitiua ratio, et per hanc habetur ratio eius diffinitiua, et quidditatiua, alias nobis ignota, per negationem verò ita ſub negatione rem vnam concipimus, quia tanquam à poſteriori procedimus, cùm negatio ſit nobis ſignum magis, et clarius manifeſtatiuum. Ad ſecundum pariformiter reſpondendũ, quod vnitas Franciſci facit eum diſtinctum, et diuiſum à Petro, id verò prius prouenire dicimus per poſitiuã rationem vnitatis determinantis, tanquam à priori, inde verò ſubſequenter eandem diuiſionem aduenire per duplicẽ illã negationẽ, tãquã cõſequẽter ad rationem primariã, et poſitiuam.

Vnius deſcriptio per negationẽ datur per extrinſeca, à poſteriori, & tanquam per effectum, et per magis notum.

2 Ad tertium dicendum non eſſe ne-

neceſſe recurrere ad talem proceſſum infinitum, nec.n. vnitas alia vnitate eſt vna, ſed ipſa de ſe eſt vna: ratio eſt, quia cum ipſa ſit ratio alteri vt ſit vnum, multò magis erit ratio vt ipſa in ſe ſit vna, eadem ſua vnitate: & ita ſicut hac vnitate ens eſt vnum, ita vnitas ex ſua ratione eſt ſic vna: eſt exemplum de quãtitate, quem cum ſit ratio qua ſubſtantia eſt extenſa, & diuiſibilis, erit etiã ſibimet cauſa extẽſionis, & diuiſibilitatis, quia verè quãtitas in ſe diuiſibilis eſt, & extẽſa, nec tñ quãtitas alia quantitate eſt extenſa, & diuiſibilis.

Vnitas ex ſeipſa eſt vna.

Simplicitas non cõſiſtit in ſola negatione.

3 Ad illud de ſimplicitate dicendũ non conſiſtere in ſola negatione compoſitionis, ſed addere quid poſitiuũ, & connotare poſitiuum ſubiectum, quod eſt ſumma actualitas, ſeu actus purus: vt diximus in materia de ſimplicitate Dei art. 3. & ad id, quod additur, quod ſicut vnitati repugnat multitudo, ita repugnat ſimplicitati, falſum eſt, quia Deus ſimplex habet multitudinẽ ſuppoſitorum realiter diſtinctorũ, & pluralitatem perfectionum attributalium, atq; pluritatem conceptuum internorum: non.n. omnis multitudo repugnat ſimplicitati, ſed ſolum pluralitas, ac multitudo faciens compoſitionem, vt multitudo eorum, quorum alterum ſit actus, & alterum potentia: vnitati etiã non repugnat omnis multitudo, nam vni compoſito non repugnat multitudo principiorum, & partium componentium, ſed reddendo ſingula ſingulis vni compoſito completo, & vltimatè conſtituto in eſſe ſuo, repugnat multitudo aliorum principiorum componẽtium, non.n. componerent amplius, ſed deſtruerent, & vnicæ rationi, ac ſoli, & ſolitariæ tentæ repugnat aliarum rationum admixtio, alias deſtrueretur: & vnitati ſimplicitatis ſummæ, quæ competit Deo, repugnat pluralitas Deorũ: ergo reddẽdo ſingula ſingulis vnicuiq; vnitati repugnat multitudo, non quidẽ omnis multitudo, ſed proportionaliter, nõ abſolutè, ſed comparatiuè, quia ſtat aliquo modo vnitas totalis, cum vnitatib. partialib. ſeu cum multiplicatione partiali, vt patet in omnibus diſcurrendo: ſola autem vnitas indiuiſibilitatis eſt illa, quæ reſpuit omnem multitudinem, & talis eſt vnitas numeralis, quæ eſt principium numeri: & huic correſpondet vnitas alia conceptus ſimpliciter ſimplicis, qui adeo eſt vnus, vt ſi addatur quidquam deſtruetur ſimplicitas, quæ vocatur ſimplicitas ſimpliciter: vel.n. remaneret ſummè ſimplex, quod multitudinem amplectitur conceptuum, abſq; tamen compoſitione, vel nihil ad propoſitum: quidquid tamen ſit, ſimplicitas non ſiſtit in ſola negatione, ſed connotat ſummam actualitatem in Deo, ergo vnitas non ſiſtit in negatione ſola.

4 Ad quartum, vnitas dicit entitatem ſubiecti, & ſuam propriam: at diuerſimodè, quia illam dicit in recto, iſtam in obliquo. Contra, magis conueniret vt in recto diceret entitatem propriam, quam entitatem ſubiecti, quoniam entitas ſubiecti eſt ſibi extranea, at propriæ eſt ſibi coeſſentialis. Reſp. vnitatem eſſe accidens, licet pro extraneo: accidens vero non eſt ens completum, ſed incompletum, & dependens à ſubiecto, ideoque non appellatur propriè, & perfectè ens, ſed *quia entis, accidentia enim*, inquit Ariſt. *non ſunt entia, ſed quia entis*: & ex accidenti, et ſubiecto fit vnum; his ſtantibus, primaria, et completa entitas non eſt accidentis, ſed ſubiecti, et hinc fit, vt vnitas primario denominet ſubiectum, inde accidens, proindeque remanebit, vt ſubiectum denominetur in recto, accidens in obliquo.

Paſſionis vnitas dicitur de ſubiecto in recto, de vnitate in obliquo.

5 Ad quintum, loquendo de intellectu diſtinctè concipiente terminos, minimè ſufficienter concipit vnitatem ex ſola negatione, cum intellectus acutior, & perfectior tranſeat vltra quærendo poſitiuam entitatem; intellectui autem, concipienti confusè vtique ſibi ſufficeret; ſicut imbecillis viſus omni, etiam remiſſa luce contentus eſt: viſus vero Aquilæ æmulatur attingere fixa acie, ad ſphæram Solis; ergo quod intellectus non attingat ad perfectam, poſitiuamque notitiam vnitatis, id imperfectionis eſt intellectus, non defectus ipſius poſitiuæ entitatis. Item *vltimæ rerum differentiæ, non ſunt nobis notæ*, proinde eſt, vt intellectus minus perſpicax nõ attingendo naturam rei, ſeu vnitatis, contentus ſit cognoſcere duplicem illam negationem.

Intellectus diſtinctè cõcipiens nõ contentus eſt, ſola duplici negatione.

DIS-

DISPVTATIO SEPTIMA

De Veritate Dei.

QVÆSTIO PRIMA

Vtrum Deus ſit veritas.

1 POſtulat tractationis ordo, vt poſt diſcursū de Dei vnitate, ſubſequamur tractātes de eiuſdem veritate; hic.n. inter paſſiones ipſas traſcendentales, cuicunq; applicabiles ſubiecto, reperitur ordo, vt ad vnitatem veritas ſubſequatur: igitur primo loco de veritate diuina, quod eſt magis ad theologicam narrationem ſpectans, agemus, inde veritate ipſa ſecundùm ſe, & in ordine ad fundamenta vera, atque in reſpectu ad intellectum agnoſcentem, & concipiētem, iuxta varia quæſita de veritate, prout ordinē dicit vel repræſentandi, vel eſſendi, vel denique contemplandi,

Veritatis diuſio.

2 Veritatem primo loco diſtinguimus in neceſſariam, & contingentem, ſeù in temporalem, & æternalem, creatam, & increatam: eamq; more logico applicamus ad veritatem propoſitionis cuiuſcunque ſiuè de prædicato neſſario, ſiuè contingenti: quo fit vt propoſitio hæc, *homo eſt animal*, ſit de veritate neceſſaria, hæc verò de cōtingēti, *homo currit*; iam primitus incipit patere quo gradu prædicetur de Deo veritas; ſiquidem propoſitio hęc, *Deus eſt*, eſt ſummè vera, quia eſt de prædicato ſummè neceſſario, eſtque per ſe notum talem primam veritatem in eſſendo reperiri, vt ſupra fuit oſtenſum: atque idipſum clarius manifeſtat ipſamet de ſeipſa veritas Exod. 3. dicendo, *ego ſum qui ſum*, cui neceſſum eſt ita, & verè credere, etenim de ſeipſo fatetur eſſe primam in aſſerendo, & dicendo, veritatem, *ego ſum veritas.* confirmat id ſeries multarum aliarum enunciationum, vt neceſſe eſſendi, infinitum eſſe, æternum, & increatum, incommutabile, à ſe, & independenter eſſendi, quibus omnino patet de Deo prima veritas in eſſendo. Confirmat etiam huius Orbis regimen, cauſatio, conſeruatio, gubernatio, redemptio, præmiatio, finitio, ac terminatio; etenim congeries tot eſſentiarum creatarum, atque operationum, & motuum reduci poſtulat ad vnum primum motiuum, primumq; efficiens, cauſam primā, ac vltimatum; atq; ſicut eſſe omne dependens, ad independens; ſecundarium ad primarium: cauſatum ad incauſatum reducitur, ſic ad vnum eſſe verum per eſſentiam expetūt ordinari omnia vera, aliàs ablato eo, Orbis interiret, & omne verum: hinc ergo prima ratio veritatis diuinæ cōſtat in eſſendo. quę ſiue ſub propoſitionem cadat, ſiue abſtrahat ab enunciatione, veritatem non tollit, etenim ſi propoſitioni admiſcetur, efformabit propoſitionem omnino veram quia neceſſariā, ſi verò nullus reperiretur intellectus veritatē propoſitionis contemplans, adeſſet tamen diuinus intellectus veritatem ipſam neceſſario noſcens; quod ſi per impoſſibile abſtrahatur à notione cuiuſcunque intellectus, veritas tamen diuini eſſe ex ſe eſſet noſcibilis, & id ſuf-

Deus eſt veritas.

Veritas in eſſendo.

ſufficit ad neceſſitatem veritatis ſui eſſe.

Veritas in cauſando. 3 Secundò, veritatem conſideramus in *cauſando*: id verò ſibi competit ea ratione, qua cunctis elargitur quod ſuum eſt: & hinc ſecundario conſtat Deum eſſe ſummam veritatem: quæ veritatis ratio duo complectitur, ſapientiam, & voluntatem operandi conformiter ad ſapientiam, & prudentiã: omnia autem Deus iuxta metas ſapientiæ ſuæ creat, gubernat, & dirigit: nec contrariam voluntatem habet, vt minus conſequenter agat ad ſapientiam, & prudentiam ſuam: per primum modum omnia creaſſe dicitur *in numero, pondere, & menſura*, & ſub hac ratione admittuntur ideæ rerum omnium in diuina mente, iuxta autẽ ideas ex D. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 46. format omnia, reddens ſingula ſingulis idæis. quod etiam cognitum fuit Antiquioriqus, vt Senecæ epiſt. 66. & Ciceroni lib. 1. tuſcul. quarum primam notitiam traddidere Platoni: quod magis inſinuauit Boetius l. 3. de conſol. phil. inquiens, *Pulchrum pulcherrimus ipſe, Mundũ mentem gerens; ſimiliq; in imagine formans.* conformatio autem cauſationis idæatæ rei ad ſuam idæam, eſt veritas diuina creatrix: de qua etiam veritate intelligendus venit locus ille Sap. 12. *quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & giro vallabat abyſſos quando, æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terræ, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos, cum eo eram cuncta componens, & delectabar &c.* quæ verba ſunt diuinæ ſapientiæ, inquientis ſe adſtitiſſe omnipotentiæ diuinæ in creatione, & gubernatione mundi, vt cunctis diſtribueret quod ſuum erat: ex quo autem ſubdit quod delectabatur in tali aſſiſtentia, præbita omnibus diſtributione, clarè demonſtrat vtrumq; reperiri in ipſo Deo, vt quoad præſens negotium admittamus maximam in eo veritatem in creando, & conſeruando: ſiquidem contrarium in creaturis euenire poſſet vel ex defectu ſapientiæ, & prudentiæ, vel ſaltẽ ex deficientia voluntatis ad ſapienter, prudenterq; agendum: non autem ita euenit in Deo, qui & ſapiens eſt, & volens, apprimeq; benè erga creaturas affectus, ita vt nulli quantum eſt ex ſe deſit tùm in tẽporalibus, tùm verò in ijs, quæ pertinent ad ſalutem, quapropter hoc etiam modo cenſebitur ſumma veritas in *Creando*. confirmatur ex D. Auguſt. *res, quas Deus condidit taliter adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat.* cooperatur cunctis, non deficit in neceſſarijs: quod ſi monſtra, & deformitas accidunt, id defectui tribuitur creaturæ, nõ autem ipſius Dei: qui etiam in monſtrorum productione veraciter ſe gerit; dum namque cõcurſum ſuũ omnibus præſtat, vniuerſa producit iuxta diſpoſitionem materię, & ſubiecti: ac reddendo ſingula ſingulis, ſiuè bonis præmia, & gloriam, ſiuè reprobis perditionem, & gehennam, veritas in operando nominatur. *Monſtrorũ productio vnde.*

Veritas in dicendo. 4 Eſt & tertius veritatis modus, qui vocatur veritas in *dicendo*, ſeù *teſtificando* de hac autem vſitatior habetur loquutio penes homines, vt quis mẽdax, periurus, & falſus, alter autem verax, & conſtans habeatur in ſuis dictis. Deus autem eſt ſumma veritas: ſiquidem nec falli, nec fallere poteſt, nec de abſoluta potentia mentiri: patet ex Ierem. 23. *non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur.* Exp. 34. *Domine Deus miſericors, & clemens, patiens, ac multæ miſerationis. & verax.* Iſa. 48. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia.* ex hoc autem, quod vtilia docere promittit, iam non docere, ait, falſa, & inutilia. Ioan. 8. *qui me miſit verax eſt.* ad Tit. 3. *in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur Deus.* Roman. 3. *eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax,* & denique ſuolore idipſum profitetur, *ego ſum via, veritas, & vita.* Ioan. 14. & dum à Præſide interrogaretur de veritate, & quis, & quid eſſet, reſpondit ſeipſum eſſe ſummam veritatem. Ioann. vlt. hac ergo ratione vocatur Deus ſumma veritas: Inſuper ipſe Eccleſiam docet, reuelat articulos, inſtituit credenda, aperit os Prophetarum vt prędicant vera: ora, & linguas dirigit Cõcionatorum vt prædicent quæ ad ſalutem pertinent, ipſeque ſicut eſt prima veritas in docendo, ita ſit idem ipſe, ad quem vltimato fiat reſolutio credibilium, prout in materia de fidei creden-

dendis.eoq; ſenſu loquitur Dauid pſal. 39. *redemiſti me Domine Deus veritatis*:ideſt, tu Deus, qui verax es, & non mentiris, tu quidem me ſaluaſti, ac redemiſti: ſic etiam Chriſtus Dominus Spiritum ſanctum vocat *ſpiritum veritatis* Ioann. 14. 15. quod ſcilicet ille Eccleſiam ſponſam ſuam docebit quæ neceſſaria ſunt, & quæ oportet ad ſalutem,& vitam. ſic quoque Apoſtolus prædicans aiebat id conſentaneum eſſe æternæ veritati,prædicando enim,quæ edoctus erat à Domino,inquiebat ſe anuunciare Dei veritatem, ait namq: Epheſ. 1. *ſuſcepiſtis verbum veritatis*.& ad Galat. 5. *quis vos impediuit obedire veritati?* ita etiam penes Ioan.19.*veni vt teſtimonium perhibeam veritati*. & deniq; ſicut homines promiſſa firmius ſtatuendo iurare ſolent, & inter cætera iuramentorum genera adhibent iuramentum in veritate,dicendo,iuro in veritate,quòd hoc faciam, ita quoque Deus per ſemetipſum, tanquam per ſummam veritatem quandoq; in ſcripturis iurat, vt habetur pſal.88. *neque nocebo in veritate mea*.

Veritas in nominãdo.

5 Vltima,& ad eundem applicabilis veritatis acceptio, eſt veritas nominis: adeo enim vere Deus hoc inſigniri debet nomine, vt non falſo, non minus apto, non incongruenter appoſito eo vtatur oomine:ſolent ſiquidem homines ſæpius aliena vſurpare nomina,Carolimagni,quinti,Alexandri,Cęſaris, Pompei, Octauiani, ac ſimilium, ſperãtes vel cõſimilia fore bellica geſta perpetratur os,vel quid ipſis ſimile iã perpetraſſe: cùm tñ multoties vel nomina minora ſint geſtis,vel excedentia prorſus,& maiora:at Deo ita adæquatè tale conuenit nomen,*quod eſt ſupra omne nomen*, vt id nulli alteri competere queat,niſi falsò,vt Diis Gentium, & ſimulachris Antiquorum, Ioan. 5. *hic eſt verus Deus*. & 17. *hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum Deum verum*.Theſſaloni.1.*conuerſi eſtis à ſimulachris ſeruire Deo viuo,& vero*.pſalm. 95.*omnes Dij Gentium Dæmonia*.& Ierem.2. *Dominus autem, Deus verus eſt*. & ſimilia: quod ſi alteri tribuitur, vel iniuſtè quidem, vt *Dij Gentium Dæmonia*, vel per gratiam, & adoptionem in filiationem diuinam, vt *ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes* pſalm.81. vel per communicationem idiomatum ratione vnionis hypoſtaticæ diuini Verbi ad creatam naturam:vel per cõſtitutionẽ alicuius in gradu ſublimiori, vt Exo.32. *Dijs non detrahes*. & 21. *offerat eum Dominus Dijs*. vel pro poteſtate accepta,ibid.7. *conſtitui te Deũ Pharaonis*.vel de quib.loquitur Apoſt. ad Phil.3, *quorum Deus vẽter eſt*:& ſimilia,vt loquuti fuimus diſput.de diuinis nominibus,hoc igitur etiam modo remanet Deus verax in *appellatione,& nomine*, itaut nil ſibi deſit vllo modo veritatis, verus quidem in eſſendo,verus in operando, verus in atteſtando, ſeù loquendo, & verus etiam in appellando,& nominando.

6 Alter remanet modus veritatis in cognoſcendo,ſed de hoc nõ agimus in præſenti, agemus autem in attributo ſapientiæ,& præſcientæ. pro nũc enim certo ſupponimus eſſe infallibilem veritatem etiam in cognoſcendo,cùm omnia norit,nil ipſum lateat, ignorantia nulla opprimat, de quo ſuo loco. ſolum ſupereſſet difficultas qualis ſit veritas cognitionis ſuæ,& in quo veritas ſuæ notitiæ fundetur:id autem quia non de ſolo Deo agitur, verum etiam de veritate cognitionis in ſe, prout omnem permeat intellectum creatum, & increatum,ideò eius quæſiti reſolutio, habebitur ex dicendis ſucceſſiuè infra per ſubſequentes articulos. *Veritas in gnoſcendo.*

QVÆSTIO II.

Vtrum veritas addat aliquid ſupra ſubiectum.

ARTIC. I.

Referuntur Aliorum placita.

PRæbet autẽ quæſtio de veritate Dei occaſionem agendi de vniuerſis, quæ de veritate in ordine ad ipſum ens tractantur, vt apertius etiã pateat qua veritate comprobetur Deũ eſſe verum. igitur varia ſunt de veritate ſcribentium placita.

Opinio veritatem nō addere ſupra ens.

1 Alij ſiquidem nihil poſitiuum aiunt addere enti, immo nec priuatiuum. & probant primò, ens, & verum conuertuntur mutua prædicatione, adeoq; ſunt vnum, & idem vt ſuper ens nil prorſus addat; ſecundo nulla ratione hęc duo diſtinguuntur ad inuicem, probatur, quia dum eundem implicant conceptum, cum ens ſit verũ, & verum ens, ſequitur vt nulla fiat ad alterutrum additio. tertio, vnum abſq; altero non eſt conceptibile, quis.n. valeat ens concipere abſq; veritate, aut veritatem abſq: ente, quod ſi id fieri implicat, apertè conſtat nihil addere. probatur conſequens, quia quod alterum abſq, altero concipiatur id prouenit quia vel vnum ab altero diſtingui ſolet, vel conſequenter euenit, quia vnum addit ſuper alterum conceptum nouum: nequit tamen verum concipi abſq; ente, & è conuerſo: probatur, quia quacunq; ratione concipiatur ens, vel concipietur ſub ratione veri, vel falſi, diuiſio autem iſtius conceptionis ſufficientiſſima eſt, nec datur aliud concipiendi caput, non.n. datur in actu ens aliquod, ſeu propoſitio, quę poſita in actu ſit ad veritatem indifferens, & falſitatem. Confirmatur, quia quærendo de ente aliquo, vel id eſt verum, vel falſum, ſi verum, ergo eſt: ſi falſum, ergo non eſt: quo ſit vt veritas ipſa rei ſit res ipſa. hoc etiã docuit Auicenna dum dixit, *veritas cuiuſcunq: rei eſt proprietas ſui eſſe, quod ſtabilitum eſt*, ex eo autem quod ait, de *ſtabilimento rei*, indicat intantum eſſe verũ quodcunq, ens, inquantum eſt, & quod non eſt, non eſt verum, & quod etiam falſum eſt, ens non eſt.

Quarto ſi quid addit, ſequeretur dandum proceſſum in infinitum, probatur quia entitas, quam adderet veritas eſſet etiam vera, aut falſa, ergo per aliam veritatem vera, & ita de illa altera veritate conſimilem entitatem addente quæritur, quæ entitas ſimili modo eſſet vera, ne autem in infinitum veritates multiplicemus ſufficiat dixiſſe nihil noui addere. Quintò ſicut vnitas, quæ eſt altera paſſio entis nil poſitiuum addit, pari etiam ratione nil addet verum: in hoc autem differentia ſiſtit inter verum, vnum, & bonũ, quod bonũ verè reperitur in rebus, additq; vnum aliquid, id vero non addit verũ. Sextò, ſi quid addit veritas, id ſolum videtur eſſe quædam extrinſeca denominatio, at vt ſic non magis ſibi competit quatenus ens eſt, ſed etiam quatenus non ens, vel quatenus ens ſolius rationis, vel quatenus ſunt entia falſa, ſeu puræ negationes; probatur antecedens, ſi namq; nihil à parte rei addat, vt conſtat, addet ſaltem aliquem reſpectum conformitatis ad intellectum,

hæc

hæc vero eſt extrinſeca denominatio: at hæc non magis competit enti, quam non enti, probatur, nedum ens ab intellectu capitur, & ad intellectum habet talem conformitatem ſub ratione intelligibilis, ſed etiam non ens, & negatio, & ens rationis, quia intelligimus entia, non entia, priuationes, negationes, atq; entia rationis: quod namq: diuerſa in horum intellectione vtamur via, id per accidens eſt, & extraneum: itaq; non poterit hoc eſſe proprietas entis: patet, quia proprietas ſoli competit naturæ tali, ac tali, & nulli alteri, igitur talis ordo ad intelligi, ſeu conformitatis, non eſſe poterit entis paſſio, & proprietas, cum etiam non enti competat, negationi, priuationi, & enti rationis. Deniq; confirmari poteſt ex Ariſt. qui 6. met. c. vlt. ait *veritatem non reperiri in rebus, ſed in intellectu*; igitur id habemus, quod in re extra nihil addit, quia in re extra non eſt.

Alij conſiſtere in pura negatione.

2 Alij veritatis rationem dicunt conſiſtere in pura negatione, vt quemadmodum vnitas prima entis paſſio in negatione conſiſtit, ita & veritas. explicatur autem vt ſicut vnum eſſe, idem eſt, ac negatiuè ſe habere, nempè non eſſe multiplex, & plura, ita eſſe verum, eſt idem ac non eſſe ens imaginarium: & quemadmodum eſſe idem indicatur per negationem. ſ. per non eſſe diuerſum, & diſtinctum, ita quoq; eſſe verū indicetur per non eſſe fictum per opus rationis: ac veluti eſſe ſanctum, idem eſt, ac nulli terreno vacare affectui, ita & eſſe verum, nulli adiacere falſo: & deniq; inde conſpicimus Deum noſtrū eſſe verum, quia per negationem comprobamus non eſſe Deum falſum, vti ſunt falſi, & mendaces Dij, ita quoq; veritas nullo aptiori, & congruentiori explicetur nomine, quam negatiuo, & contrario falſitatis, ob quod omne ens exiſtens eſt ens verum, quia falſum eſt dicere non eſſe à parte rei, & conſequenter ideo verum, quia non eſt falſum: ac de entib. quoq; poſſibilib. veritas etiam prædicatur eo, quo ſibi cōpetit, modo, vt verum ſit eis non implicare habere aliquando eſſe, id autem exponitur per negationis naturam, quia non eſt falſum id ſibi poſſe competere, & multo magis confirmatur ſententia hæc in ſenſu Antiquorum aſſerentium omnia eſſe vera quatenus ſenſui obiectabantur: multò magis dicendum vniuerſa eatenus eſſe vera, quatenus & ſenſui obiectantur, & rationi: ſenſus namq; dummodo non ſit eluſus, vera approbat, quatenus falſa non eſſe agnoſcit; & ratio præſtantius id aſſequitur, quatenus fortius ſemetipſam figit in contemplatione, & aſſeueratione, quod falſum non ſit id, quod certo argumento noſcit eſſe verum, vel cui falſitas omnino repugnet, & contradicat effictio.

Alij veritatem collocāt in denominatione extrinſeca.

3 Alij deniq; totam veritatē collocant in denominatione extrinſeca, nec mirum, quia negant veritatem cōſiſtere in re ipſa, igitur ſi quæ in entib. reperietur veritas, eam locabunt in ratione, & mente. deducunt id, quia ſupponunt veritatem formaliter ſituari in intellectu, etenim veritatem definiunt communiter philoſophi *eſſe conformitatem intellectus ad rem intellectā, vel intellectæ rei ad intellectum*, reddendo ſingula ſingulis: quo fit vt veritas omnis ab intellectu poſtmodum deriuetur, quia principaliter exiſtens in ipſo, veluti in fonte, ſi quæ contingat reperiri, & diffundi extra, ab intellectu neceſſe eſt vt diffluat, & emanet. Exēplum afferunt de ſanitate, eſtq; deſumptum à D. Tho. quæ formaliter collatur in animali, inde autem deriuat ad cætera, quæ ſanitatis ſunt vel cauſa, principia, vel ſigna, vt medicina, & vrina: ſic cum Dei intellectus prima ſit cæterorum cauſa cognitiua vera, ab eoq; veritas rerum pendeat cæterarū, cæteræ deinde extrinſecè cenſentur tales: itum maximè conuincitur, quia ita creaturis competit ratio veri, ſicut ratio entis: at entitatis ratio competit à cauſa extrinſeca, non. n. ſunt entia à ſe, ſed à Deo dependenter, veluti extrinſeca cauſa, ita quoq: veritatem ab eo mendicent extrinſecè: nec etiā ſunt neceſſaria entia, immo ex ſe ſunt tanquam nō eſſent, quia defectibilia ſunt, & corruptibilia, igitur ex ſe ipſis nullam habent rationem veri, niſi extrinſecè. & confirmatur ex citata auctoritate Ariſtotelis 6. met. quod veritas nulla eſt in rebus, ſed in ſolo intellectu: ſi quis autem intellectus reperi-

tur, qui reddatur omnino verus, nullius capax ignorãtiæ, nulliuſq; expers erroris, & falſitatis, is eſt intellectus diuinus, ergo extrinſeca denominatione ab eo entia vera ſunt vera.

ARTIC. II.

Statuitur veritatem addere poſitiuam rationem ſupra ens, & confutantur placita articuli præcedentis.

Veritas addit entitatẽ poſitiuam.

1 A Contrario autẽ ſtatuimus poſitiuum aliquod addere veritatem ſupra ſubiẽctum ſuum, ita vt nihil ſit eorum, quæ in præcedenti articulo allata fuere ex diuerſorum placitis: id vero præſtabitur & probando, & confutando, & rationib. aduerſis reſpondendo.

Subiecti realis debent eſſe paſſiones reales.

2 Primum autem ſit. ſubiecti realis debent eſſe proprietates reales: ens autem eſt quid reale, ergo paſſiones habebit reales: habere autem paſſiones reales eſt habere eas tanquã quid ſuperadditum tali ſubiecto, ergo veritas erit quid verè ſuperadditum enti. probatur aſſumptum, nullum ſiquidem reale ſubiectum ſolis contentatur negatiuis atq; fictitijs paſſionib. ſeu ſolũ per extrinſecam denominationem habentibus eſſe: & ſi namq; negationes aliquæ, & priuationes indelebiliter ſubiecto alicui competant, eæ tamen non immediatè competunt, & per ſe, ſed mediatè, & per aliud: probatur, quod Deus ſit immobilis, incorruptibilis, immortalis, & ſimilia, ea omnia competent mediantibus proprietatib. eius poſitiuis, vt quia eſt infinitæ, ac magnæ potentiæ, purus ſpiritus, omnino concors in ſemetipſo, quæ omnia corruptionem reſpuunt, & mutationẽ: ſic ergo formetur ratio, nulla negatio poteſt alicui enti poſitiuo competere, niſi mediante aliquo poſitiuo: ergo ſi veritas eſt quid negatiuum, vt dicebat ſecunda opinio, competet mediante aliquo ente poſitiuo: at illud non erit ſubiectum, nam quærimus de ratione, qua poſſit competere veritas, non autem de ſubiecto ipſo, cui competit, quod eſt ens: illa autẽ ratio quid erit, & quomodo vocabitur, ſi erit veritas poſitiua, habetur intentum, ſi pura negatio, adhuc remanebit argumentum allatum, quo vſq; deueniatur ad entitatem realem, quam addat ipſa veritas. Probatur minor primi argumenti, omnis paſſio addit aliquid ſupra ſubiectũ; da oppoſitum, & committetur nugatio, vel non erit paſſio: ſi namque nil addat, ergo idem erit dicere ſubiectum & paſſio, ac paſſio, & ſubiectum, quod tamen in omni ſententia eſt abſonum: Scotus namque diſtinctionem ſaltem formalem admittit inter ea, & Thomiſtæ realem: inſuper nullæ eſſent veræ paſſiones: & auferrentur riſibilitas, flebilitas, & ſimilia ab homine, & à cæteris ſubiectis propriæ remouerentur proprietates: itaq; aliquid addit; quod etiam indicat diſtinctio reperta inter paſſionem, & ſubiectum, quod namq; additur, non eſt id, cui additur, ſeù cui fiat additio, ergo ſi paſſiones entis verè adduntur enti, tanquam ſubiecto, erunt vera entia realia, & poſitiua.

Negatio nulla ineſt alicui, niſi mediante poſitiuo.

Nihil conſtituitur in eſſe veriori per ſolã negationẽ.

3 Probo inſuper. nil conſtituitur in veriori, & perfectiori eſſe per ſolam negationem, ſed per veram affirmationem alicuius veræ entitatis poſitiuæ: at homo eſt verius ens quàm Equus: & Angelus habet verius eſſe, quàm homo, & Deus ipſe eſt magis verus, quàm vnaquæque creatura, ergo totũ erit effectus alicuius poſitiuæ, & realis entitatis. maior de ſe clara eſt, quia negatio ſicut non dat eſſe poſitiuum, & reale, ita non dat eſſe verum, cui autem non competit poſitiuum, neque competere poteſt comparatiuum, & ſuperlatiuum, ergò ſi negatio non dando eſſe poſitiuum, non dat eſſe verum, neque dare poterit eſſe verius, & eſſe magis verũ: minor probatur, quia licet hæc omnia, Deus, Angelus, homo, equus, & ſimilia, habeant ſimpliciter eſſe, nihilominus quia diſtinguuntur in gradibus eſſendi, vt alter altero ſit perfectior, & nobilior, ita quoque alter altero intelligatur eſſe verior, & ma-

magis verus;& probatur,quia facta alteratione in ſubiecto,fit conſequenter alteratio in paſſione, & proprietate ſubiecti,patet, quia paſſiones inſequẽtes naturam ſubiecti, inſequuntur etiã diminutionem, vel accretionem gradus perfectionalis adinſtar ſubiecti. reperitur autem inter entia omnia talis veritatis ordo, minoritas, & exceſſus, ergo prouenire nequibit niſi à vera entitate reali, & poſitiua, cùm id præſtare nequeat ipſa negatio.

Probatur ex abſurdis.

4 Confirmatur ex quamplurimis abſurdis,quę ex iam acto diſcurſu poſſent prouenire. ſequeretur enim primo Deum ipſum non eſſe formaliter, realiter,& poſitiuè verum, quò tamen nihil abſurdius poteſt cogitari: oſtendimus autem artic. 1.eſſe omnimodam veritatem tùm in eſſendo, tùm in operando,tùm verò in nominando: da autem oppoſitum, quod veritas ſua non ſit veritas realis, ergo ſequitur Deum non eſſe Deum,Deum non eſſe verum Deum, id autem neceſſario conuincitur, quia hi negant veritatem addere quid reale: igitur ens, quod eſt Deus non eſt verum à parte rei, nec conſequenter erit Deus verum ens reale. Dices eſſe Deum verum, quia non eſt falſus: at hæc eſt pura tergiuerſatio, quia non ſolùm Deo vero competit negatio falſi numinis, ſed poſitio veri Dei; & inſuper nihil cõſtituitur in eſſe ſimpliciter per ſolam negationẽ, ergo Deus in ſimplici eſſe veri Dei non cõſtituitur per negationem falſæ Deitatis. Item ſequitur operationes,quas exercet ad extra, creando, conſeruando non eſſe veras poſitiuè, ſed ſolùm priuatiuè,cùm tamen nedum falſum ſit Deum non creare, non conſeruare, & ſimilia non agere,ſed etiam per poſitiuam, & realem veritatem verum eſt Deum ita ſe gerere. multo magis vrgetur in Deo ad intra, quia ſic ſequeretur Patrẽ generare,Patrẽ, & Verbũ ſpirare eſſe verum ſolum negatiuè, cũ tamen fides catholica doceat reali, nõ ficta,veritate à parte rei,non pendente à ratione & mente,& veritate denique poſitiua, nõ negatiua, Patrem generare, Perſonas produci, Trinitatem eſſe verum, & vnum Deum in tribus Perſonis. quapropter poſitionem hãc negantem veritatem eſſe poſitiuam entis rationem, ad hunc errorem conducimus,& ad tot conſimiles, quot ſunt fidei articuli, quia de ſingulis, & circa ſingula conſimili modo eſſet ratiocinandum.

Inconuenientia negantiũ veritatem po ſitiuam.

5 Eãdemque rationem vrgemus, quia perſonas eſſe,produci, & producere, eſſe Deum verũ, agere ad extra, creaturas quoque habere eſſe, & operari iam non eſſet intrinſeca denominatione verum, ſed ſola extrinſeca: ita enim loquebatur tertia illa poſitio: ex quo deducitur Patrem vocari Patrẽ, & Verbum Filium ſola denominatione extrinſeca, ſicq; à parte rei non eſſet Trinitas: ſubſequitur quidem ex tali poſitione, quia Perſonas dicere habere eſſe,& Trinitatem eſſe, & Mũdum eſſe,eſt dicere verum: at hi collocant veritatem in denominatione extrinſeca, ergo Trinitas per extrĩſecam denominationẽ cẽſetur habere eſſe, nõ autem verè ſubſiſtẽter à parte rei.Cõfirmatur, quia veritatem collocant in ſolo intellectu, ſeũ conformitate mentis,& rationis, quæ veritas vt ſic, pendet ab actuali contemplatione intellectus,igitur in tantum Deus eſt verus Deus,& Mundus eſt verus Mundus,in quantum intellectus id cognoſcit: ſed quid ſtultius poterit excogitari? Dices veritatem figi non in quocunque intellectu,ſed in diuino, itaut prima ſit veritatis ratio in intellectu Dei: Deus autem ſi Mundum non intelligeret,nõ amplius eſſet Mundus: circa verò ſeipſum, ſemper ſemetipſum intelligit, nec poteſt à ſui ipſius contemplatione deſiſtere, quapropter non ſequitur quandoque non eſſe, quia etſi creatus intellectus ab eum contemplando deficiat, non tamen deficit ipſe à ſemetipſo.ſed licet hoc de intellectione Mũdi valeat,attamen quamuis Deus nuſquam à ſui contemplatione deſiſtat,nihilominus prius eſt eſſe Dei ſecundũ noſtrum cognoſcendi modum, quàm ipſemet intellectus,& intellectio eiuſdem Dei, cùm hæc ab eſſentia pullulent Dei,quæ neceſſario tãquam prior concipitur ad intelligere Dei: quo fit vt dum hæc prior quodammodo eſt, vtique in illo priori ſic, habet verum eſſe, attamen in illo priori, quatenus ſe-

Alia abſurda.

ſecundùm entitatem ſimplicem præſcindit ab intellectu, non habet eſſe verũ ab intellectione, quia vt ſic prior eſt: ergò abſolutè veritas non ſiſtit in extrinſeca denominatione: nec in ordine contemplationis intellectum.

Ad metam ducuntur nugationis

6 Arguo etiam deducendo Aduerſarios ad metam nugationis. & quæro cur ens ſit verum, reſpondebunt, quia non eſt falſum, idem autem eſt dicere cur eſt ens verum, ac quærere cur ens non ſit falſum, cui quæſito dum adaptatur reſponſio dicendo, ideo ens eſt verum, quia nõ eſt falſum, idem eſt ad dicere ideo ens nõ eſt falſum, quia nõ eſt falſum. diſcurſus patet, etenim apud eos veritas in negatione falſitatis cõſiſtit, igitur idem eſt dicere verum per eos, ac non falſum, ergò cùm quæro cur Deus eſt ens verum, idem eſt, ac quærere cur Deus non eſt ens falſum, cui reſpondebunt, ideo eſt verum, quia non eſt falſum, at id eſt idem dicere, ac, ideo non eſt ens falſum, quia non eſt ens falſum: & idem eſt dicere ens verum, ſeù ens eſt verum, ac ens eſt ens, quia verum nihil addit ſupra ens.

Non eſſet magis paſſio entis realis, quàm rationis.

7 Vlterius, conuincitur veritatem non eſſe amplius paſſionem entis veri, quàm imaginarij, fictitij, entis rationis, & entis falſi: probatur, iam nihil poſitiuum addit, ſed addit vel negationem, vel denominationem extrinſecã penes intellectum: at hæc omnia competunt citatis ſubiectis, ergò non eſſet proprietas ſolius entis veri, & realis. probatur de ſingulis, ſi ens adeo eſt verum, quia non eſt falſum, de ente etiam rationis eſt dicendum, quod ſit ens verum rationis, ſeù verum ens rationis, eo quia falſum eſt non eſſe verum ens rationis in ſuo genere. & de negationibus, ac priuationibus probatur idẽ, quia priuatio, & negatio eſt verũ ens priuatiuum, & negatiuũ, ſeù priuatio, & negatio habent veram rationẽ priuationis, & negationis. item mors habet veram naturam, ac rationem mortis, cùm falſum ſit mortem non eſſe, & mortem non eſſe veram mortem; igitur proprietas veri, & realis entis non erit veritas, cùm proprietas non debeat excedere ſuum ſubiectum. inſuper quoad denominationem extrinſecam, nec hoc erit proprietas entis ſub ratione veritatis, quia nedum intelligimus entia realia, & vera, verùm etiã fictitia, entia rationis, priuationes, negationes, & ſimilia, vniuerſa enim capiuntur ab intellectu, igitur veritatis ratio non conſiſtet adæquatè in denominatione extrinſeca fienda per conformitatem intellectus. Dices, licet vniuerſis competat intelligibilitas, nõ tamen ſingulis eodem modo, entibus namq; poſitiuis competit ex proprietate reperta in re, gratia cuius talia entia ſunt formaliter ſpeculabilia, negationes autem, priuationes, intentiones ſecundas non intelligi niſi gratia alterius, vel ratione habitus oppoſiti, vel ratione intentionis primæ, & huius generis. Sed hoc nihil obſtat, nam de veritate intelligibili entis poſitiui, & realis quæro, aut in fundamento vero, & intelligibili præcisè ſub ratione veri reperitur proprietas vera competens veritati, aut non reperitur: ſi negatur, remanent argumenta iam facta: ſi reperitur, ergò apertè concedis veritatẽ de ſe eſſe quid poſitiuum, vt ſic intelligi, & vt ſic, addere entitati quid poſitiuum, quod eſt intentum.

Prius abſolutũ poteſt eſſe abſque poſteriori. quantũ eſt de ſe.

8 Item non implicat ens intelligi abſq; proprietate veritatis. probatur, omne prius abſolutum poteſt terminare cognitionem ex ſe ſolo abſq; omni poſteriori. Dixi prius abſolutum, vt linquam relatiuum, quod nequit intelligi abſque correlatiuo. ens autem habet rationem prioris ad paſſionem, tanquam ſubiecti prioris ad ſuas proprietates, eſtq; abſolutum, ergo intelligi non implicat abſque tali paſſione; ex hoc autem elucet non omnino hæc duo eſſe ſynonima, cùm diſtinctas rationes habeant, & conceptibilitates diſtinctas. idem confirmatur ex ſententia D. Tho. q. 3. ad 3. vbi docet ens intelligi poſſe abſque vero, licet verum non poſſit intelligi abſque ente, & affert exemplum de ente intelligibili, & ait quod non poteſt intelligi ens, quin ſit intelligibile, attamen intelligi poterit ens, abſque eo, quod intelligatur eius intelligibilitas: ſic, ens intellectum eſt verum, non tamẽ intelligendo ens, intelligitur verum. hæc D. Th. ex quo liquet, quod licet nuſquam ſit ens, quin ſit verum, paſſio enim ſeparari nequit

Ens poteſt intelligi abſq; paſſione veri.

à ſub-

à ſubiecto; attamen quoad opus intellectus præſcindentis, poteſt prius intelligi abſque poſteriori, vtputa ens abſque vero. & ex hoc iuxta D. Thomæ ſententiam nedum veritas addit ordinem ad intellectum, ſed etiam diſtinguitur ratione ab ipſo ente, vt clarè explicat ibid. in reſponſ. ad primum, quam diſtinctionem vocant rationis ratiocinatæ ij, qui nobiſcum ſuſtinent veritatem addere poſitiuam rationem ſupra ens, hi autem ſunt Capreol. in 1. d. 19. q. 3. Iauell. 1. met. c. 5. & Soncin. 6. metaph. q. 17. Scotiſtæ autem adderent vlteriorem diſtinctionis gradum, ex natura rei, vel formalem.

9 Authoritatibus deniq; confirmatur totus diſcurſus, Auicennas 1. met. c. 6. ait, *veritas rei eſt proprietas vniuſcuiuſque rei.* ex hoc autem deducitur eſſe quid poſitiuum. D. Auguſtin. lib. de vera relig c. 7. *vera*, ait, *tantum ſunt vera, inquantum ſunt.* en D. Auguſtinus non collocat veritatem in negatione, non in extrinſeca denominatione, ſed in fundamento, & conſiſtentia rei. Ariſtot. 2. met. t. 4. docet, *veritatem ſequi ad entitatem rei.* & D. etiam Thomas tùm 1. contra Gent. c. 60. tùm q. 16. 1. par. art. 1. in eadem eſt ſententia, dum docet nedum in intellectu reperiri, ſed etiam in reipſa, quod comprobatur magis ex eod. Auguſt. ibid. c. 36. dicente, *veritas eſt, qua oſtenditur id, quod eſt*; & ex D. Hilario apud eund. D. Tho. *verum eſt declaratiuum, et manifeſtatiuum eſſe.*

10 Hinc autem ceſſant rationes omnes in contrarium, quæ, ſicut ſententiæ ipſæ improbatæ remanent, ita quoq; inutiles cenſentur, & parui roboris. & ad ea, quæ in principio adducuntur à prima opinione iam conſtat dicere quid poſitiuum, & aliquid diſtinctum vel ratione ſaltē ex D. Tho. vel diſtinctione maiori ex cæteris: & patuit non importare omnino eundē conceptum, nec eſſe ſynonima, licet conuertantur ad inuicem, atque vnum abſque altero eſſe conceptibile, ſaltem ens ſub ratione prioris, tanquam ſubiecti. & ad id, quod dicunt, quòd concipiendo ens ſub ratione veri, eſt concipere ſub præciſa ratione entis, iam oſtendimus eſſe falſum, quamuis enim omne quod eſt verū, ens ſit, & habeat eſſe, non tamen ibi habetur ſola ratio eſſēdi, ſed habebitur vlterior ratio veri, vt dicemus infra, & hoc innuere ibi intēdebat Auicenna: quia quod nō habet eſſe vel actuale, vel aptitudinale, nec habebit conſimilem rationem veritatis, quia ad veritatem requiritur firmitas, & ſtabilimentum eſſendi, non tamen ratio vnius eſt ratio alterius, licet hæ duæ rationes ſint inuicem inſeparabiles.

11 Ad proceſſum autem in infinitum, quem intendit prædicta opinio deducere, negatur talis infinitas, quia entitas, ſeu ratio poſitiua, & formalis veritatis erit de ſe formaliter vera, & non per aliam veritatem vera, ſicut de quantitate dicimus, quod etſi cæteris ſit ratio, qua vniuerſa ſint quanta, & extenſa, ipſa tamen non per aliā quantitatem eſt quanta, vel extenſa, ſed formaliter eſt talis ex ſeipſa. Et ad illud de vnitate, conſtat ex ſuperiori quæſt. etiam eam tanquam realem paſſionem entis addere quid poſitiuum, & à conſimili dicendum de veritate.

12 Ad alia, quæ ſecunda, & tertia poſitio addunt reſpondendum eſt id eſſe falſum: & præciſè de negatione remanet improbatum. ad id autē, quod addunt de extrinſeca denominatione, id etiam confutauimus, quia nulla proprietas, & propria paſſio deſumitur ab extrinſeco ad ſubiectum, ſed à natura intrinſeca talis ſubiecti, vt quia homo eſt intrinſecè rationalis, ideo ab interna natura pullulat paſſio eius. Cùm autem ordinem collocant veritatis penes intellectum, falſum eſt rationem veri collocare præciſè in intellectione, ſeu conformitate intellectus, quia vt dicemus, etiam nullo intellectu cōſiderante res de ſe eſt vera, qua propter veritatis acceptio duplex eſt, fundamentalis, & formalis: illa eſt in re extra, præciſa ab omni intellectu, hæc vero ab intellectu pendet, & intellectione, at hæc non ſufficit ſine illa. licet illa ſufficeret abſq; iſta: & ideo cum in intellectu eam collocant, & non in re, falſa eſt collocatio, quia non eſt collocatio primaria, & adæquata, cum primo eam collocare debeamus in re extra, & ſecundario in intellectu, & ex vtraq;

Etiā nullo intellectu cogitante ens eſt verum.

Veritas primo fundatur in re, inde in intellectu.

vtraq; collocatione reſurget inde adæquata, & completa collocatio. & hoc ſenſu exiſtimãdum eſt fuiſſe loquutum Ariſt. 6.met. cum negabat reperiri in re, definiebat namq; tunc veritatem formaliter ſumptam, non fundamentaliter, vt ſic autem ſolum dicit ordinẽ, & conformitatem ad intellectum; cæterum fundamentalem non eſſe negãdam, & ex authoritatib. plurimis conſtitit, & conſtabit amplius. ſic etiam ad negatiuas explicationes propoſitionũ verarum, vt Deum eſſe verum, mũdum habere eſſe, cælos eſſe, & ſimiles; quas ideo veras exiſtimant, quia oppoſitum eſt certo falſum, remanet etiam reſpõſum non ſufficere negationem ſolam ad talem explanationem propoſitionis, quia ſicut per quid poſitiuũ Deus, & mundus conſtituitur in eſſe ſimpliciter, ita quoq; per quid poſitiuum ſtabilitur in eſſe vero, quare ſola negatio non ſufficit. ex recentiorib. autem ſententiam hanc amplectitur Bann. p. 1. q. 16. art. 3.

QVÆSTIO III.

Vtrum veritas ſubiectetur in re ipſa, an in intellectu.

ARTIC. I.

Veritatem ſubiectari in intellectu, non autem in re ex multorum placitis.

1 NVnc autem agendũ proponitur de veritatis ſubiecto, an ſit res ipſa, quæ cẽſetur vera, an potius intellectus, & ratio, in qua conſiſtit adæquatio ad obiectum, qua in re varia ſunt philoſophantium placita. & primò ex recentiorib. vnus Vaſquez, & ſolus auſus fuit veritatem formaliter negare à rebus: ſic e.n. clarè tuetur, & apertè demonſtrat p. 1. diſp. 77. c. 4. in principio: qui licet pleroſq; nitatur in confirmationem adducere ſuæ ſententiæ, ij tamen longè aliter loquũtur. & licet idem in eiuſdem capitis decurſu veritatem ſaltem ſecundariò collocet in rebus, nihilominus eam iam initio ſententiam protulit, veritatem non exiſtere formaliter in rebus, quam quidem nec probat, nec munit, tranſit enim, in probando reperiri in intellectu iuxta aliorum ſententiam.

Opinio Vaſqu.

2 Sunt alij, qui à re ipſa veritatem non auferentes, collocant tamen eam in intellectu primario, & ſecundario in rebus; hi ſunt D. Tho. loc. cit. eiuſq; diſcipuli Caet. & Bann. ibid. Ferrar. 1. contrag. c. 60. Capr. 1. d. 19. q. 3. Soncin. 6. met. q. 17. & quamplures ex recentiorib. probat autem id præcisè D. Th. art. 1. quia omnis res aut eſt naturalis, aut artificialis: vtroq, autẽ modo continet veritatem ſecundariò, & dependenter à veritate intellectus: probatur de primis, quia naturalia intantum habent eſſe verũ, inquantum conformantur ideis, quæ ſunt in intellectu diuino. vt homo ideo eſt verus, quia formatur conformiter ad idæam ſuam, quæ in intellectu reperitur diuino; & ſic de ſingulis. probatur etiam de ſecundis, quia artificialia in tantum nominanda ſunt vera, inquantum conformia ſunt intellectui Artificis, operantis conſequenter ad idæam domus conſtruendæ, quia *domus extra fit à domo intra*, & vniuer-

Alij veritatẽ primario collocant intellectu, ſecũdario in rebus.

ſa prodire debent ſimilia ſuis idæis. Confirmatur, quia dato oppoſito iam non eſſent neq; ſecundariò vera: dato nãq; quòd Deus, & Artifex nolit producere, vel Artifex creatum impediatur in producendo rem conſequenter, & conformiter ad propriam idæam, non diceretur vera, ſed falſa prorſus res illa, talis autem falſitas, & veritas primo ſita eſt in mente, & intellectu, & inde deriuatur ad rem extra, ergo primario competit intellectui, & ſecundario rebus.

Probatur primo. 3 Probatur etiam ex eod. D. Tho: art. 6. vbi diſcurrens de hac voce, *ſanũ*, eam triplicem habere docet ſignificationem analogicã, primò namq; ſignificat ſanitatem formaliter, ſecũdo cauſaliter, & tertiò ſignificatiuæ, & oſtenſiuè à poſteriori. primò modo dicitur de animali, cui formaliter competit ſanitas, ſecundò de medicina, & tertiò de ipſa vrina. pariformiter applicando ad veritatem, eam primò, ac formaliter collocat in intellectu diuino, à quo veritates omnes deriuant: cauſaliter vero reperiatur in rebus ipſis creatis, nõ quidem in ordine ad diuinum intellectum, cum cognitio eius non cauſetur ab obiecto creato, ſed cognoſcat ſingula in obiecto primario, quod eſt ſua eſſentia: cauſaliter tamen penès intellectum creatum; in quib. tamen veraciter ſubiectetur veritas, & formaliter, ſed ſecundariò.

Secundo. 4 Et hoc etiam comprobatur authoritate D. Auguſt. lib. de ver. relig. c. 36. dicentis, *veritas eſt ſumma ſimilitudo principij, quæ ſine vlla diſſimilitudine eſt*. quo oſtenditur in tantum in rebus creatis veritatem reperiri, in quãtum veritati conformatur, quæ diuino adiacet intellectui. & ex D. Anſel. dialog. de verit. c. 21. dicente, *veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis*. quo magis oſtenditur pertinere ad intellectum, & ex D. Auguſtin. ibid. *veritas eſt, qua oſtenditur id quod eſt.* atq; Hilario, *verum eſt declaratiuum, & demonſtratiuum eße*: de quib. omnib. iudiciũ elicit D. Tho. vt vera ſint omnia ſecundario, & non niſi à veritate diuinæ mentis primario.

Tertio. 5 Probari autem poteſt ratione: creata omnia dicuntur vera, inquantũ conſona ſunt, & conformia vero conceptui; at conceptus eſt operatio mentis, ergo veritas creaturæ obiectiuè ſumptæ ordinatur ad veritatem cognitionis. item veritas quæ reperitur in vocibus, in ſignis, & nominibus nõ eſt veritas reperta in ipſis ex natura rei, quia ſolum pendet ex impoſitione voluntariè Agentis per intellectum, & rationem, igitur talem veritatem continent, qualis reperitur in mente, hæc autem primaria eſt, quia ab hac pendet veritas vocum, & ſignorum, illa autem eſt ſecundaria, ergo conſimiliter veritas rei ſecundariò habita pendet à primaria intellectus, & rationis veritate. diſcurſus conuincitur ex demonſtratione circuli in Taberna, qui veritatem cõtinet eius operis, & exercitij, quod ibi fit, at non poſſet ex ſe ſolo veraciter id indicare, niſi habita relatione ad mentem Inſtituentis, ergo primaria veritas eſt in mente, & ſecundaria in re ipſa. ſic autem, ſe habent vniuerſa entia creata, vt ea omnia in tantum ſint vera, & in tantum ſint entia, in quantum à diuina pendent mente dante omnib. eſſe per proprias idæas.

6 Eſt & altera opinio aſſerens in veritate duo contingere, alterũ quod eſt veritatis ſignificatum, atq; conceptus, alterum erit eiuſdem veritatis inſtitutio ſic, & ſic habita, ſeu impoſitio acta per talia, & talia nomina. Primò modo, aſſerunt veritatem reperiri formaliter, & ſubiectiuè in rebus ipſis: ſecundò autem reperiri in intellectu: & ratio eſſe poteſt, quia vocibus, & nominibus vtimur ad ſignificandum negationes, vel affirmationes veras, vel falſas intellectui, cui nota ea facimus: quæ ſignificatio per nomina, & ſigna poſterior eſt ad rem ipſam primitus ſignificatam: Dixi, primitus ſignificatã, quia etſi omnis ſignificatio anterior ſit conceptu per ipſam ſignificabili, tamẽ ſignificatio ipſa per nomina, & ſigna poſterior eſt ad primæuam ſignificationem ſubiecti, à quo deinde oritur talis vlterior ſignificatio in ordine ad alterum intellectum: probatur, quia primæua ſignificatio eſt naturalis, & ſecundaria eſt impoſita ad placitum: prima pendet à re ipſa, & ſecunda à *Aliorum placitum.*

Veritatem habere prius fundamentum in ipſa re.

volnntate determinante, vt per tale ſignnm, & nomen ſignificetur : prima etiam inuariabilis eſt, & immutabilis, altera autem mutabilis, cum variari poſſint ſigna, & nntus, quibus exprimitur : & deniq; prima in omnibus conſtat ſemper, & vbiq; quia eſt affixa naturæ ipſius rei veræ, ſecunda antem poteſt non ſemper eodem modo ſe habere, quia intellectus, ſaltem ctea tus, poſſet eam intelligere aliter quam eſſet : prima inſuper à ſe eſt, quia nullo cogitante intellectu ſemper talis, & vera eſt; at ſecunda eatenus vera eſt, quatenus actualem cõnotat conformitatem ad intellectum : & ſi prima ſaltem ab intellectu Dei, eſſet ſemper, & inuariabili modo cogitabilis, nihilominus loquendo de veritate diuini eſſe, præſcindit ab vniuerſo intellectu, quia natura eſt prior intellectu, & intellectu, ergo vt ſic in illo priori non intelligitur ſaltem actualiter conformitatem habere ad intellectum : exemplum autem totius diſcurſus ſit homo ; cuius natura ſemper, vbiq; quocnnq; tempore, & loco vera eſt, & inuariabilis extat iuxta eſſentialia principia, alias non eſſet homo; at quatenus per vocem exprimitur ad notificandum conceptum ſuũ alteri intellectui, variabilis eſſe poterit, & falſus, vel quia minus congruè concipietur, vel ob ignorantiam concipientis, vel ob impedimentum, vel ob variationem ipſiuſmet vocis, quæ penes Nationes varias nõ importaret conceptum eundem. Declaratur etiam exemplo circuli in Taberna, qui ibi vendi ſignificat vinum : qua in re duo reperimus, ſignum expreſſiuum veritatis, & conceptus ipſe veritatis in ſe ipſa : prius quidem eſt à parte rei ibi eſſe verè vinum, quam per tale ſignum exprimatur ibi eſſe : & ſi ſignum prius apponitur ad ſignificandum antequam ſit ibi vinum, iam erit ſignum falſum, ſaltem pro præſenti, licet pro tempore proximo foret verum : itaq; per tale ſignum habetur veritas ſecundario, in re tamen ipſa conſtituitur veritas primario.

ARTIC. II.

Aſſignatur ordo veritatis circa ſubiecta ſecundùm prius, & poſterius.

1 QVam vero improbabilis ſit, et falſa prima opinio in artic. præcedenti allata exinde conſtat, quod ea conceſſa neceſſum eſt nullum ens admittere, mundnm negare, nil reperiri in entibus, omnia habere eſſe ſolummodo apparenter, immo cogemur etiã & negare Deum ipſum, Deitatis Perſonas, atq; totum cælum, et fingere quidem vniuerſa habere eſſe verum ſola conſideratione, non autem in re extra, et in ſubſiſtentia vera. Ad hæc quidem, et ſimilia inconuenientia adducendi ſunt ij omnes, qui veritatem collocant in ſolo intellectu : quod autem ea inconnenientia ſubſequantur, planè cõſtat, & prob. in tantũ ens vnũq; quodque habet eſſe, in quantum habet eſſe : ens enim & verum conuertũtur ; at habetur veritas ex ſola intellectus perceptione, ergo ex ſolo intellectu habebitur entitas talis eſſe : ſicq; Deus, Angeli, Mundus totus vera quidem entia erunt quatenus percipinntur ab intellectu. (Nec obſtat dicere id intelligi de intellectione diuina, non autem creata, à qua diuina intellectione promanant vniuerſa iuxta proprias ideas, quæ etiam diuina notio ſicut in ſe indefectibilis eſt, & æternalis, ita poſſunt omnia perpetuò habere eſſe ab intellectu diuino : non ſic autem de creato intellectu, quo ceſſante ab actuali intellectione, optimè concluderetur vniuerſa pendere à ſola fictione intellectus, & eo non intelligente ſub ratione veri, amplius non eſſent vera :) non inquam obeſt, primo quia loquũtur de omni intellectu, tùm diuino, tũ etiam creato, & volunt veritatem in intellectu verè collocari : tùm ſecundò, quia ſi de diuino etiam ſolo loquantur, probatur etiam eſſe falſum.

Si veritas eſt in ſolo intellectu, ergo nihil reale à parte rei.

2 Quia ſequeretur entia, ſi loquamur

Ergo omnia erunt vera denominatione extrinſeca.

mur de creatis, eſſe vera ſola denominatione extrinſeca, & non formaliter intrinſecè: probatur, ordo ad intellectum diuinum eſt ordo extrīnſecæ denominationis ſub ratione intellecti; cogniti, viſi, gubernati, recti, & ſimiliũ: ſi autem in ordine ad ſolum intellectũ conſiſtit rei veritas, ergo cuncta erunt extrinſecè vera: probatur antecedens, cognitio rei ſequitur conſtitutionem rei, ergo veritas cognitionis erit denominatio extrinſecè addita ipſi rei: aſſumptum eſt verum in cuiuſcunq; obiecti conſtitutione, & intellectione: ſi enim loquamur de obiecto primario, planè conſtat prius diuinam naturam habere rationem eſſendi ſimpliciter, quã rationẽ obiecti actualiter cogniti: tum quia prius eſt eſſentiã, quã intellectus diuinus, & ſicut eſſentia prior eſt intellectu, ita erit prior intellectione: probatur etiam de obiecto ſecundario, quia Deus non intelligit non entia, ſed intelligit entia: prima namq; ſicut non ſunt, vel ſicut eis repugnat eſſe, ita eiſdem repugnabit per ſe intelligibilitas, ergo prius creatura habet verum eſſe, quam ab intellectu etiam diuino intelligatur habere quocunque modo eſſe: Dixi, quocunq; modo, quia reddendo ſingula ſingulis, intelligere creaturas ſub eſſe potentiali, idæali, ſeu cognito, eſt poſt ipſum eſſe cognitum: & intelligere ſcientia viſionis eaſdem ſub eſſe exiſtentiæ erit poſt ipſum eſſe exiſtentiæ: igitur veritatis notio erit poſt veritatem ipſam vniuerſi eſſe, ſiuè potentialis, ſiuè actualis. Dices id implicare ſic Deum intelligere, quia cum diuina cognitio nõ producatur à creato obiecto, nec conſequenter erit poſterior veritas ſuę cognitionis ad creatum obiectum: ſed hoc nihil obſtat, quia iam creata obiecta non per ſe motiuè intelligit Deus, quia ſolum terminatiuè: ſed cum ea noſcit, inſpicit in obiecto primario diuinæ eſſentiæ, quæ ſicut parit cognitionem ſui ipſius ad ſuum intellectum, ita etiam notitiam parit creaturarum in ipſa relucẽtium: attamen in tali negotio idem etiam obſeruatur ordo in eſſendo, & cognoſcendo, licet non obſeruetur in modo cognoſcendi, quia diuina natura primò parit cognitionem ſui, & inde cognitionem creaturarum, intellectus autem diuinus nec eſſentiam diuinam, nec creaturas ipſas intelligere poſſet, niſi prius etiam de creaturis diuina obiectum pareret cognitionem, quapropter ſemper cognoſcibile obiectũ prius eſt, ſiue primum, ſiue ſecundariũ ſcientia viſionis: licet in modo cognoſcendi motiuè non præcedat creatum obiectum ipſum intellectum diuinum, quo ſi prius eſt, prius etiam erit verũ, quam ſic videatur, alias verum eſſet ſola denominatione extrinſeca.

Veritas primario fundatur in ipſa re.

3 Igitur hæc ſit prima aſſertio, veritatem reperiri in re extra fundamẽtaliter, & primario. hæc aſſertio clara eſt ex diſcurſu iã acto, & ex iis, quæ in artic. 3. diximus: prob. eſt vera, realis, & poſitiua paſſio entis, vt ibi probauimus, ergo eſt in fundamento rei. Item, quia paſſiones entis non habent eſſe per ſolius intellectus contemplationem, ſunt namq; paſſiones reales, abſtrahentes quantum eſt de ſe à neceſſaria cõſideratione intellectus, quia abſq; tali conſideratione habent verũ eſſe: tum etiam quia dato oppoſito ſequeretur omne ens eſſe falſum, vel nec verum nec falſum à parte rei: probatur ſequela, ſi in re extra non reperitur veritas, ergo reperitur falſitas, quod ſi negaueris, ſaltem dabitur res quæcũq, in aliquo ſtatu medio, itaut nec vera, nec falſa, ſicq, Deus, cælum, Angelus & ſimilia nec vera eſſent, nec falſa entia, quo nihil cogitatur falſius: licet namq; in propoſitionibus aliquib. cõtingentibus detur talis medius ſtatus, quia prædicatum neceſſariò non conuenit, nec neceſſariò diſconuenit ſubiecto, & ob id poteſt ineſſe, & abeſſe à ſubiecto, tamen in ipſiſmet propoſitionib. contingentibus poſtquam poſitæ ſunt in actuali eſſe, itaut actualiter prędicatum inhæreat ſubiecto, falſiſſimum eſt negare in ipſis tanquam in fundamento reperiri veritatem: immo in eiſdem contingentib. propoſitionib. antequam in eſſe ponuntur, & prout indifferens eſt prædicatum ad hærendũ, & non inhærendum, etiam reperitur veritas, ea autem talis eſt, vt dicatur propoſitionem verè eſſe contingentẽ, & verè non eſſe neceſſariam, atq; verè prædicatum indifferenter ſe habere ad

Si veritas nõ eſt à parte rei, ergo aderit falſitas, vel nec veritas nec falſitas

ſubiectum, omnes namq; hæ enunciationes veræ ſunt, licet ſint contingentes, immo quod propoſitio contingēs ſit contingens, eſt propoſitio neceſſario vera, & negari non poteſt, quod.n. albedo contingenter inhæreat parieti, propoſitio iſta eſt neceſſariò vera, quia talis eſt natura propoſitionis contingentis, vt ſit neceſſariò contingens. ſi ergo etiam in contingentib. quæ ſunt minima entia in genere entium reperitur veritas à parte rei nullo cogitante intellectu, falsò conceditur veritatē eſſe præciſam paſſionem intellectus, & in re non reperiri veritatem, niſi dependenter ab intellectu: multò autem magis id applicabitur ad veritates propoſitionum neceſſariarum, in quibus magis eluceſcit, quod opere ceſſante intellectus ſint veræ, quia ſunt neceſſario, & abſolutè veræ, & ex intrinſeca natura ſunt veræ. vide etiam authoritates allatas in artic. 3.

Paſſio ſubiecti non pēdet à cōſideratione intellectus.

4 Accedit, quod propria paſſio ſubiecti non pendet ab applicatione intellectus ad ſubiectum, ſed à propria natura ſubiecti: ergo veritas non ab intellectu tanquam ab aliquo extrinſeco ad ſubiectum pendebit, ſed à propria ratione intrinſeca ſubiecti: patet maior, riſibilitas.n. non competit veraciter homini, quatenus fortaſsè eam homini tribuit intellectus, nullo nāq; vt deductum eſt, intellectu negotiante, adhuc eſt riſibilis: competit vero ei ab interna talis ſubiecti natura, quia.n. tale ſubiectum eſt, ideo talem ſibi adſcribit proprietatem: pullulant.n. proprietates, ac paſſiones à ſubiecto, veluti etiam attributa diuina, diuinæq; Relationes pullulant, & emanant ab eſſentia: quod ſi talis eſt ordo, & modus habendi paſſiones, & proprietates, immerito ad ſolum intellectum recurrimus, vel ad ipſum tanquam ad primariam cauſam extrinſecam, vt inde demonſtrabitur, quod etiam fiet manifeſtius ex dicendis. eſtq; expreſsè contra D. Auguſt. lib. 2. ſoliloqu. c. 5.

Veritas primario in rebus, ſecūdario in intellectu.

5 Et ideo ſit ſecunda aſſertio, veritas prius reperitur in rebus, & ſecūdario reperitur in intellectu. hæc eſt contra allatas in præced. artic. vt autē magis conſtet aſſertionis veritas, atq; vt amphibologiam omnem fugiamus, præmittimus communem acceptionē veritatis, quæ diſtingui ſolet in fundamentalem, & formalem: prima eſt, qua vnumquodq; ens eſt verum, vt demonſtrauimus, & ſecunda eſt, qua intellectus intelligit rem ipſam ſicuti verè eſt: prima etiam dicitur veritas in re ipſa ſubſiſtens, tanquam in fundamento, & ſecunda deſcribi ſolet vt ſit adęquatio intellectus, ſeu conformitas intellectus ad rem intellectam: hoc tanquam communiter recepto, diſſentitur quodnam iſtorum debeat eſſe primum, an prior ſit veritas fundamentalis, & formalis poſterior, an vero hæc prior ſit, & poſterior illa: qua in re cōcedunt quam plurimi ex citatis eſſe ſimpliciter, & omnino primariam veritatem formalem, & ſecundariam veritatem in re, ſeu fundamentalem; & hi cenſent hanc eſſe expreſſam D. Thomæ ſententiam: ipſe namq; in verbis quidem ſic loquitur, vt primo in intellectu eam collocet, & ſecundo in re: ſed longè aliter eſt interpretandus D. Thomas, iuxta.n. comparationem ad varias intellectus operationes, variabitur ordo harum veritatum.

Veritas fūdamētalis, & formalis.

Operatio practica, et ſpeculatiua, ac diſcrimē vtriuſque.

6 Igitur vlteriori indigemus diſtinctione, vt aſſertio noſtra appareat vera, & poſſit abſq; controuerſia recipi, & oppugnatione. Intellectus quicunq, ſiuè creatus, ſiuè increatus duplicem exercet operationem circa quodcunq; obiectum: ea autem eſſe ſolet, vel operatio ſpeculatiua, vel practica: his quidem duob. modis negotiatur intellectus, vel altero iſtorum; vel namq; operatio, & intellectio erit ſpeculatiua, vel practica. quid autem intereſt inter operationes iſtas breuiter indicemus, afferendo ſolummodo diſcrimina, quæ neceſſaria ſunt ad præſens negotium, de reliquis.n. ſuo loco fuit dictum: mediante quidem ſpeculatiua operatione ſolum intelligit obiectum, prout in ſe eſt, vel non eſt, nihil vlterius agendo, etenim ſpeculatio nō egreditur limites intellectus, cuius munus eſt ſolum intelligere; mediante autem practica operatione agit quid vltra circa obiectum intellectū, poſtquam.n. id intellexit, dirigit inde potentias cæteras, præcipuè voluntatem ſi dirigibilis eſt: dixi, ſi dirigibilis eſt, vt exclu-

excludam voluntatem diuinam, quæ à diuino intellectu nequaquã dirigitur, cùm ipſamet diuina voluntas ſit prima regula infallibilis, & ex ſemetipſa ſit indefectibilis, & inobliquabilis, ac prima regula ſuorum actuum, atq; actuũ etiam cuiuſcũnque creaturæ: igitur dirigi ſolùm competit voluntati creatæ: itaque operatio practica eſt operatio factiua, & productiua vel obiecti ſimpliciter, dando eſſe, vel ſecundùm quid, alterando, producendo, componendo, & ſimilia, quæ quidem non addit operatio ſpeculatiua. vlterius diſtinguuntur, quia obiectum pendet ſecundùm ſuum eſſe ſimpliciter, vel ſecundùm tale eſſe, ab operatione practica, ad operationem verò ſpeculatiuam nil aliud connotat, niſi reſpectum aliquem extrinſecum, quatenus de non cognito fit cognitum, & de non intellecto intellectum.

Veritas fũdamẽtalis eſt prior formali in cognitione ſpeculatiua.

7 His ſuppoſitis primo dicimus, loquendo de obiecto ſub ratione ſpeculabilis, & purè intelligibilis, prius reperitur veritas in re ipſa, quàm in intellectu, & prior eſt veritas fundamentalis, quàm veritas formalis. aſſertio iſta eſt, & debet eſſe eorum omniũ, quos citauimus, & ad hunc ſenſum loquitur etiam D.Tho: ſi benè mẽs eius perpendatur, quod etiam magis cõſtabit eſſe de eius mẽte in ſecundo aſſerto. Probo aſſertionem, in productione intellectionis intellectus non eſt cauſa totalis, ſed partialis; quia etiam cõcurrit obiectum veluti cauſa partialis: at prius obiectum mouet intellectum ad intelligendum, & inde producitur notitia de veritate obiecti, ergo prior eſt veritas obiecti, quàm veritas formalis intellectionis. maior patet, & clara eſt etiam minor, & ſuadetur amplius, quia ſi obiectum ſpeciem non immitteret in intellectum, iam intellectus non intelligeret, ergò eſt prior motio obiecti: at obiectum in miſſione ſuarum ſpecierum nil alind præſtat, quàm oſtenſionem facere ſuæ entitatis, & veritatis fundamentalis, ergò veritas ſua eſt prima veritas. item da oppoſitũ, quod obiectũ non moueat nec intellectũ, nec ſenſum, nulla habebitur ſuæ entitatis oſtenſio, nec demõſtratio veritatis, nec conſequenter intellectus veritatem percipiet, dum obiectũ non cognoſcet, nec vllo modo, etiam ſecundario, & formaliter erit verus. Probatur minor primi argumẽti, quod ſcilicet obiectum ſit prius in mittendo ſpeciem veritatis, & entitatis ſuæ, tùm quia quocunque tempore, quouis momento, quouis loco, ſi obiectum naturale eſt, immo quodcunque creatum, vt diſputationem ſubticeam de Angelo cognoſcibili, ſemper, inquam, ſpeciem ſui immittit, ſenſus autem, atque intellectus non ſic ſemper in exequutione eſt, deficit enim multoties, præpeditur, abſtrahitur, intendit alijs, itaq; obiectum ſemper præuenit, & primũ eſt ad faciendam oſtenſionem ſuæ veritatis in ordine ad intellectum: tùm etiam quia ſiuè ſenſus, & intellectus virtutem habeat abſtrahendi ſpecies, ſiuè non habeat, ſemper poterit repleri ſpeciebus, apertis namque oculis, continuò immittuntur ſpecies ab obiecto: immo & ſi mens abſtrahatur, ſiuè dormiat quis, dormiatque oculis apertis, vt de Leone tradunt, & Lepore, etiam in ipſis oculis recipiũtur ſpecies, licet pro tunc non cauſetur ſenſatio propter impeditionem potentiæ, ergò ſignum eſt quod fundamentalis veritas prior eſt vt ſeipſam propalet, quòd ſi intellectus, & ſenſus eam experiantur, vel non experiantur in ſeipſis, erit quid poſterius, & ſecũdarium; tùm denique quia veritas formalis intellectus nil aliud eſt niſi conformatio ſui ad obiectum, igitur veritas obiectiua debet eſſe prior. probo ſeq. quod. n. ad alterum dicit ordinem conformationis, id eſt poſterius ad id, ad quod conformatur, quoniam omne ordinabile ad alterum, quatenus ordinabile, ſemper dicit relationẽ poſterioris ad illud, id enim, ad quod cuncta ordinantur habet rationem prioris, nedum prioritate perfectionis in tali genere ordinabilitatis, ſed etiam naturæ, vel originis: intellectus autem ideo denominatur formaliter verus, quia conformatur ad obiectum verũ ſub ratione intelligibilis, & vt ſic, ordinatur ad illud, & erit conſequenter poſterior eo.

8 Confirmatur ex D. Anſel. dial. de verit. c. 12. inquiente, *veritas eſt re-*

ctitudo ſola mente perceptibilis. quo oſtendit vtramque rationem repetiri in vero, cum enim ait, *verũ eſt rectitudo*, oſtendit fundamentalem veritatem, & cùm eam primo loco collocat, inſinuat prorſus eſſe primam, atque antecedere: cùm autem ſubdit, *ſola mente conceptibilis*, indicat veritatem formalem, quæ intellectui inhæret, & cum eá locat poſteriori ordine, clarè oſtendit quinam ordo inter has veritates foret collocandus. Atque hoc etiam ſenſu intelligendi ſunt Antiquiores, qui veritatem collocabant in ſola mẽte, vt de veritate fuerint loquuti formali: ſicq; interpretandus venit Ariſt. 9. met. in fin. cùm ait, *veritatem non eſſe in rebus, ſed in mente*: non. n. negat fundamentalem veritatẽ rei, ſed ſermonẽ inſtituebat de veritate accepta formaliter, prout eſt conformitas, & ordinabilitas potentiæ ad obiectum ſub ratione intelligendi rem ſicuti eſt.

9 Dices diſcurſum, & probationes deficere, quia diuinus intellectus creata obiecta, vt vera intelligit, attamen ea non poſſunt habere rationem primariæ veritatis. probatur, quia dũ non habent rationem motiui, nec cauſatiui ſuæ cognitionis diuinæ, reſtat vt prima veritas ſit potius in intellectu, quàm in obiecto. ſed argumentum hoc eſt ſæpius ſolutum, atque concluſum, & demonſtratum, quod licet ea in propria ratione nón moueant, eſſentia tamen diuina, quæ eſt primarium obiectum ſe habet loco illorum, & ſicut ſe habet circa cognitionem ſui, ita circa productionem notitiæ creatorũ obiectorum. non autem modus talis noſcendi deſtruit ordinem veritatum, itaque Dei intellectu cognoſcente per diuinam eſſentiam eſſe hominis, ſiſtendo intra limites cognitionis, & intellectionis ſpeculatiuæ, erit ſemper prior veritas fundamentalis mouente diuina eſſentia, quàm veritas formalis intellectionis.

Obiectum primariũ eſt prius in ſe verum, quàm intellectum.

10 Vnde amplius applicando, ne vllum remaneat cognitionis obiectum inapplicatum, deducimus obiectum diuinum primarium continere prius veritatem in ſe ipſo ſub ratione etiam obiecti, quàm ſit veritas cognitionis actualis, prob. quia eſſentia illa Dei prior eſt Dei intellectu, ergo prior erit quoque ſua, & cuiuſcũque intellectione, ergò veritas fundamentalis obiecti increati prior erit veritate formali intellectus diuini. eodem quoq; modo non obſtabit vt eſſentia diuina ſupplẽs in cauſatione vicem obiecti ſecundarij, dicatur etiam facere vt veritas ſecundariorum obiectorum fundamentalis prior ſit, & anterior ad veritatem formalem diuini intellectus, ſaltim loquendo de ſcientia viſionis, quę poſterior eſt ſecũdũ omnes, quidquid ſit de eſſe cognito, in quo intellectus præcedit ſecundum Scot. in 2. d. 1. q. 1. & Cõfirmatur, quia deſcriptio allata de veritate formali competit etiam Dei intellectui penès obiecta creata, noſcendo. n. intellectus diuinus perfectè naturã hominis, dicitur cognoſcere naturam eius verè, & dicitur conformari ad obiectum tale creatum: conformatio autem non eſt niſi noſcere hominem verè, vti verè eſt cognoſcibilis, ergò noſcens vt ſic, dicitur cõformari illi: quod autem ad alterum conformatur in ratione noſcendi ſpeculatiuè, dicitur vt ſic poſterius illo, vt deduximus, ergo vt ſic veritas fundamentalis erit prior. linquimus autẽ dum de diuina loquimur notitia, rationes illas, quæ imperfectionem connotant, vt dependentiæ, cauſalitatis, ordinabilitatis, & ſimilium in ordine ad cognitionem obiecti, conformari autem obiecto cuicunq; in ratione cognoſcendi non dicit imperfectionem, immo neceſſe eſt vt ſic ei cõformetur, alias non perfectè, nec verè intelligeret obiectum: conformari autem ſub ratione dependentiæ, & cauſalitatis cognitionis, hæc quidem, & ſimilia imperfectionem admiſcent, quæ tamen non admittimus in Dei cognitione.

Veritas formalis eſt prior fũdamentali in cognitione practica.

11 Secundò dicimus, quòd loquẽdo de cognitione practica, veritas per prius dicitur de veritate formali intellectus, quam de fundamentali veritate ipſius rei. Supponimus autem ad iſtius aſſerti notitiam entia creata ſublunaria, quatenus ordinem indicant ad intellectum practicum dependere ab eo in eſſe aliquo modo, ſicut namque practica operatio pendet ab intellectu practico, ita obiectum in ratione pra-

ctici,

ctici,ſeu practicabilis, pendebit ab intellectu practico. hoc ſuppoſito ſtatuendum eſt intellectum practicum eſſe normam,& idæam, talium rerum, ſiquidem volſitas agentis practici agit conformiter ad regulam practicam, & idæam, ideoq; omne quod è tali progreditur officina,totum id progreditur ſub ratione recipientis eſſe, & ſub ratione conformitatis ad tale iudicium practicum,ad talem idæam, ſiuè ad rationem practicam: & hinc fit, vt cum conformitas non ſe teneat ex parte iudicij, & regulæ, ſed ex parte operis practicabilis, ſeu factibilis conformiter ad iudicium practicum, conſequēter ſtatuenda ſit prima veritas in ipſomet intellectu practico, & ſecundariò in re ipſa practicabili,atq,in re agibili.

Prob.1. 12 Comprobemus totum hoc maiori explicatione.Artifex creatum cupit domum conſtruere; opus autem Artificis, vt ſit perfectum requirit, vt fiat,& eliciatur conformiter ad idæas, & regulas, quas ipſe in mente retinet de domib.conſtruendis: egreditur autem ad opus, & deniq; apparet extra iam conſtructa domus: continuo quidem de ſtructura ipſa iudicium profeſimus,& ſententiam, an ſit debitè, & ordinatè conſtructa, an vero à recta conſtruendi ratione deficiat: id profectò aſſequimur ſi ad regulas ipſas,quas de conſtruendis domibus optimi Architecti ſtatuerunt recurramus, applicando autem artem ad opus, ſeu potius opus ipſum ad artem, certiores fiemus de vera, vel falſa domus conſtructione:quod ſi eam conformari cōpererimus arti, veram quidem iudicabimus, quòd ſi quid minus aduenerit; ipſam exiſtimabimus falſam. hoc tamē præſtabitur applicando artem ad domum,in ratione cauſæ,& principij,domum autem ad artem, tanquam opus ad regulam, & veluti effectum ad cauſam,& ad principium ſuum.

Prob.2. 13 Hoc etiam ordine incedēdum in rebus alijs tum artificialibus,tum verò naturalibus, in ordine ad Deum ipſum, qui eſt ſupremus Artifex, mundi conſtructor,& rector:qui agendo ad extra mediante intellectu practico dat cunctis eſſe: & dum in ſemetipſo formas habet, ſeù idæas rerum ipſarum creandarum,& producendarum, conſequens eſt,vt eas conformiter producat ad ſuas idæas:ſicq; de facto euenit: qua in re, ideæ illæ, & intellectus practicus, vna cum voluntate eiuſdem regulæ ſunt, & principia rerum producendarum ad extra, ſiue ſpiritualium, ſiuè corporalium, corruptibilium,ſiuè immortalium:inde autem colligitur vt res ipſæ creatæ dum ſunt effectus talis iudicii practici,conformiter ſe habere debeant ad ipſum intellectum practicum.

14 Sed quid ad rem ex tali diſcurſu? en concluſionem inferimus valdè oppoſitam primæ, vt veritas primò ſit in intellectu practico, & ſecundariò ſubiectetur in re ipſa producta.probatur, veritas eſt adæquatio, & conformatio regulati ad regulam, ſed regula cuiuſcunq, agibilis eſt intellectus practicus,& idea practica,ergo omne formatum per talem regulam habebit veritatem ſuam conſequenter ad veritatem ſuæ regulæ,ergo veritas regulę eſt prior:antecedens patet, quia veritas abſolutè conſiſtit in adæquatione, & conformatione;& probatur minor,nō de ratione regulæ eſt, vt conformetur regulato, ſed è contra de ratione regulati eſt, vt ſuæ regulæ conformetur, probatur, quia non menſura pendet à menſurato, ſed menſuratum pendet à menſura, ſed res operata habet rationem mēſurati, & iudicium practicum rationem menſuræ, ergò veritas menſurati,& regulati erit poſterior ad mēſuræ veritatem, & iudicij practici: itē *propter quod vnumquodque eſt tale, & illud magis*,ſed propter regulam rectā, & veram regulatum eſt verum, ergo multò prius veritatem continebit ipſa regula: inſuper relatio inter menſurā, & menſuratum non eſt eiuſdem rationis, quia in menſura eſt relatio rationis in ordine ad menſuratum,& in mēſurato in ordine ad menſuram eſt relatio realis: at vbi reperitur relatio realis, ibi reperitur maior dependentia,quam vbi reperitur ſola relatio rationis, ergo magis conformari debet res ipſa producta ad regulam ſuam tanquam ad menſuram,quàm menſura ipſa ad regulatum, & menſuratum, ſed cōformari altero tāquā vero, eſt ordi- Prob.3.

naria

dinari ad alterum; tanquam ad prius verum, ergo ſi talis conformitas reperitur in re producenda, hæc quidem poſterius vera erit, & prius vera erit regula, ad quam conformatur. probatur prima minor, etenim in creatura reperitur relatio realis ad Deum, ideoq; ad Deum ipſum ordinatur, & à Deo dependet: in Deo autem inuenitur ad creaturam relatio rationis, qua tamen non ſic ordinatur, nec ſic dependet ad ipſam creaturam.

15 Confirmatur ex D. Auguſt. lib. de vera relig. cap. 36. dicente, *veritas eſt ſumma ſimilitudo principij, quæ ſine vlla diſſimilitudine eſt*. ex hoc autem inſinuat conformitatem rei agibilis ad ſuam regulam, & indicat primario veritatem inſidere in regula, ſecundario in re ipſa: ex his autē deducitur, quod quandiù principijs artis non conformatur opus; nō verum, ſed falſum erit, quia ſicut veritas eſt conformatio ad regulam, ita falſitas eſt defitio talis cōformationis ad rectā regulam: & hoc ſiuè intellectus ſpeculatiuus cogitet, ſiuè non cogitet, nam dum in ſola conformatione conſiſtit ad veram regulā, & intellectum practicum, per accidens eſt, vt interueniat operatio intellectus aliquando ſpeculatiui: poterit ſiquidem ſpeculatiuus intellectus omnia, hæc ſpeculari, atque iudicium ferre an regulatum, & menſuratum conformetur regulæ, & menſuræ, cæterum ad rationem ipſam practicationis, ſiuè exercitij, & exitus ad opus, non eſt neceſſe vt actus eius interueniat, & operatio, ſed erit per accidens.

Obiectum cuiuſnam intellectionis menſura.

16 Hinc denique deducimus quatenus hæc eadem ſub nomine cenſentur menſuræ, & menſurati, regula enim habet rationem menſuræ, & regulatum menſurati; vt reddendo ſingula ſingulis iuxta primum, & ſecundum aſſertum dicamus quòd in ſpeculabilibus obiectum habet rationem menſuræ, & cognitio ſpeculatiua rationem menſurati, ſicque veritas menſuræ erit in obiecto, & veritas menſurati in intellectione: tum in intellectione creata, tū verò increata reſpectu ſui primarij obiecti, extendendo impropriè rationem menſuræ, quia ipſa in rigore ſumpta connotat diſtinctionem realem inter menſuratum, & menſuram, licet nō ſemper eiuſdem rationis, ſeù eiuſdem generis relationis, cùm ex parte menſuræ ſit relatio rationis, & ex parte menſurati ſit realis: in intellectione quidem creata reperitur vera ratio menſurati, ſiuè ab obiecto dinino producatur, ſiuè à creato obiecto, vt conſtat: in notitia etiam increata, non iam circa obiectum creatum, quia hoc non cauſat intellectionem diuinam, & ſicut non eam cauſat, ita neque eam menſurat, quia quod non eſt intellectionis cauſa, neque vt ſic, erit eius menſura: ſed obiectum increatum erit menſura eiuſdem, extenſo vocabulo vt dixi, ipſius menſuræ impropriè, quia non diſtinguitur realiter ab ipſo obiecto increato; menſurabit autem, tùm ratione ſui, tùm etiam gratia cæterorum obiectorum ſecundariorum, quæ ſolū in virtute dinini, & primarij obiecti intelliguntur, atque cognoſcuntur.

In ſpeculabilibus obiectum eſt menſura cognitionis.

17 In practicabilibus autem viceverſa vt regula quidem, ſeù idem et intellectus practicus; & cognitio practica habeant rationem regulæ, & menſuræ, res autem producta rationem indicet regulati, & menſurati. id autem conſtat, quia non regula à re producta pendet, ſed res producta pendet à ſua idæa, & ſua regula, ergo regula erit menſura, & menſuratum erit res producta: id autem peculiare eſt intellectioni, & ideo practicæ, vt ſicut viceverſa menſuræ ratio deſumebatur ab obiecto in ſpeculabilibus, ita à contrario in practicabilibus deſumatur ab ipſo regula: ſicque diuina intellectio practica rationem continebit menſuræ, non quidem diuini, & primarij obiecti, cùm nō producatur ab ea, immò potius intellectio pullulat à diuino obiecto; ſed regula erit, atque primaria menſura cæterorum producibilium à voluntate diuina mediantibus idæis, atq; cognitione practica: ſic etiam intellectio creati Artificis menſura erit cuiuſque operis practicè efformandi, quia conſequenter elicitur ad regulā, atque idæam in ipſa mente Artificis conſiſtentem.

In practicis cognitio eſt menſura obiecti practici.

18 Circa tertiam autem, & vltimā ſententiam id totum recipimus, quod prior ſit rei veritas, quàm vocalis ſigni-

gni-

gnificatio, cùm non veritas rei à voce pendeat, ſed vox ipſa debeat eſſe conſona rei, ideoq; dixit Ariſtot. 1. per. 1. *veritatem reperiri in vocibus tanquam in ſignis.* id tamen erit non vniformiter applicandum, ſed reddendo ſingula ſingulis; in ſpeculabilibus quidem ratio veritatis prçcedat ſicut intellectionem, ita & nominationem; in practicabilibus autem è conuerſo, quia ſicut practica veritas pendet primo ab Artifice, & ab idæa, ſeù recta, & conformi ratione agendi, ita etiam & nominatio pendeat ab ipſo Agente, & vt ſic præcedat veritatem ipſius rei. Confirmatur, quia nomina, quæ imponuntur ad placitum non ſemper ſunt conſona rei, in qua nominatione prior erit veritas nominis, quàm rei, id quod tamē non euenit in nominibus, quæ ſunt cōformia ipſi rei: de primis quidem conſtat, quòd ſi velim hominem non nominare hominem, ſed lapidem, prior erit veritas, ſeù ſalſitas, importata per nomē, quàm per ipſam rē nominatam: quod patet deducendo id à contrario ſenſu, ſi namque ſpeculer ipſam naturā hominis, conſtabit non cauſare conceptum lapidis, ſed valdè à lapide differentem, quod ſignum eſt, quod nomē lapidis non eſt talis naturæ connaturale expreſſiuū. immo multo diuerſū: cùm autem nomen ad placitum impoſitum contemplor, prius concipio talis nominis naturam, & inde ex pacto interueniente id iudico per lapidem importari, quod placuit imponēti nominare: & licet talis nominatio incōgrua ſit, & ſalſa, nihilominus habendo reſpectum ad conceptum, quem ſic imponens vult exprimere, dicemur verum iudicium facere, cùm concipiennns rem importatam, & ſignificatam ad eum modum, quo ipſe Inſtituens vult vt concipiatur, & nominetur, licet tamen aliunde ſalſa ſit nominatio, & incongrua conceptio, cùm repugnet à parte rei. conſtat ergò in tali nomina tione ad placitum, ſiuè falſa ſit, ſiuè vera, primitus veritatem, & ſalſitatem reperiri in nominatione, quàm in conceptu rei: Quod tamen in nominibns non ad placitum ſignificantibus non

Nomina impoſita ad placitū nō ſemper conſona rebus.

ſolet euenire: ſiquidem eum ea nomina imponantur iuxta naturam ipſius rei, prior erit rei ipſius conſtitutio, quàm eiuſdem conceptio, & nominatio, atque prior conſequenter erit veritas ipſius rei, quàm veritas conceptionis, nominis, atq; vocis: vt patet in nominatione *animalis rationalis*, quo vniuersè vocatur homo: vt patet in Deo, & in ſimilibus, quæ non ideo vera ſunt à priori, quia talia eis nomina competunt, qnoniā prius talia ſunt, & vera ſunt, qnàm talibus nominibus cēſeantur: ſed potius ideo talia aſſequūtur nomina, qnia talis entitatis ſunt, talis veritatis, & naturæ. Et huc ſpectat recōnciliatio axiomatum valdè aduerſorum inter ſe circa inſtitutionem nominum, ſiquidem nomina, quandoque dicit Ariſtoteles imponi ad placitum, quandoq; autem docet eſſe conſona rebus, & imponi iuxta naturam, & qnidditatem ſingulorum: loquitur nāque vel de ſpeciebus, ſeù ſpecifica natura, vel de ſingulari, & indiuiduo, etiā pront abſtrahit à ratione naturæ ſpecificæ: primo modo, neceſſe eſt vt ſint conſona rebus, ac propterea primo enti, competit nomen *Deus*, qnia exprimit conſequenter naturam ſuam, ac rationem intrinſecam, & eſſentialē, vt diximus cùm ageremus de Dei nominibns: nomē etiam *homo, bos, aſinus*, & ſimilia conſimiliter ſunt nomina ſpecifica. & internè explicantia rei naturam, quæ variari nequeunt, proptereaq; nomenclatura hominis eſt rationale, bonis, aſini, leonis, rudere, mugire, rugire, & ſecūdùm Raymundū Lullium exprimitur *per are, tiuum, bile*, quę ait magis explicare naturas ſpecierū, tum à priori, tum à poſteriori per potentiam, & actum, quæ exprimuntur per hos terminos Lullij. ſecundo autē de indiuiduis agendo, ſicut ea nominamus hoc nomine, ita & altero poſſumus appellare, nec nomen id erit ſpeciei deſtructiuum, cùm denominatio talis ad libitum ſacta, non verſetur circa ſpecificam rationem, ac naturam ſpecificam talis indiuidui, ſed circa ſpecialia accidentia, variabilia, & mutabilia qnæ illi accidunt.

Nomina conſequentia ſpecie, & indiuidua, ſolent eſſe diuerſa

QVÆSTIO IV.

Vtrum veritas reperiatur in omni operatione intellectus, tùm compoſitione, tùm ſimplici apprehenſione, tum etiam in ſenſu.

ARTIC. I.

Veritas in omni operatione intellectus.

1 Rationi, & veritati conſentanea videtur ſententia aſſerens in omni prorſus operatione intellectus reperiri veritatem tùm ſimplici, tùm etiam compoſitiua, & diuiſiua: id autem cõprobemus rationibus, & authoritatibus, quæ idipſum conuincunt. inter rationes autem prima ſit, veritas conceptionis, ſeù intellectionis habetur, cùm intellectus in concipiendo conformatur obiecto intelligibili, at in intellectione, ſeu ſimplici apprehenſione poteſt haberi talis conſormatio, ergo etiam in ſimplici notitia poteſt reperiri veritas, maior ex ſupradictis patet, eſt enim, *veritas, adæquatio, & conformatio rei cũ intellectu*; & probatur minor, intelligendo aurum, habeo ſimplicem, ac verum conceptum auri: intelligendo hominem habeo verum, ſimplicemq; hominis conceptum: tunc autem quæro aut implicat, vt quodquid eſt ſimplici notione poſſim intelligere, aut minimè implicat: non concedatur ſecundum, quia falſum: ergo dato primo, poterit per ſimplicem notitiam haberi veritas.

Entis conceptus ſimpliciter ſimplex.

2 Probatur etiam de conceptu entis id habemus, vt ſecundùm ſe formaliter conſideratum, ſit quid ſimplex; dixi *formaliter*, quia *poteſtatiuè* tantum abſtrahit à ratione ſimplici, ſicq; cõprehendit vniuerſa, quæ ſunt, & quæ poſſunt eſſe: formaliter verò contemplatum, eſt omnino quid ſimplex: de conceptu autem, & quidditate ſimpliciter ſimpli axioma habemus vulgo receptum, quod aut totaliter ſcitur, aut ignorari patet hoc, quia ob id poſſum ignorare multa de homine, & aliqua ſcire, quia conceptas, quos continet, plures ſunt, quorum alterum euenit vt noſcamus, & ignoremus alterũ at dum entis conceptus excludit formaliter plures alios conceptus, ſequitur vt ſi de eo quidquam ſciamus, vel ſecundùm totaliter ſciamus, vel totaliter ignoremus. hoc ſuppoſito arguitur, cõceptus entis eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, ergo intellectus cognoſcens apprehendit id ſicuti eſt: ſed apprehendere rem ſicuti eſt, eſt apprehendere eam ſub ratione veri, ergo in ſimplici etiam conceptione ſiſtit veritas. Confirmatur, vltimæ rerum differentiæ, paſſiones ipſius entis, & vltimæ formæ ſunt primo diuerſæ: ſed quæ ſic ſunt primo diuerſa, ſimplici apprehenſione aut totaliter ſciuntur, aut totaliter ignorantur: non eſt dicẽdum quod ſemper ignorentur, quod namque non capit vnus intellectus, percipiet alter, ergo dum ſciuntur, ita ſciuntur ſicut in re ipſa ſunt, apprehendere autem, & ſcire rem ſicuti eſt, eſt apprehendere, & ſcire eam ſub ratione veri, ergo de ſimplici obiecto per notitiam percipimus veritatem.

3 Inſuper, omne ens eſt verum, omne verũ eſt cognoſcibile, ergo omne ſimplex erit ſcibile. antecedens patet: & minor etiam: ſequela autem nititur *Omne verum eſt ſcibile.*

tur

tur ſuperiori probationi, quia conceptus ſimplex, qualis eſt conceptus entis vel totaliter ſcitur, vel totaliter ignoratur. Adducuntur inſuper Aduerſarij ad inconueniens, eſt autem id, quod reperiretur aliquid, quod reuera non eſſet ſcibile: probatur quod quid eſt, ſeu ſimplex conceptus, circa quem non cadit compoſitio, & diuiſio, non poteſt ſciri ſimplici, neque compoſitiua apprehẽſione, ergo erit quidquam, quod nullo modo ſcietur: at id repugnat: vel namque repugnantia ad ſciẽdum, & intelligendum de eo proueniret ex parte intellectus abſolutè, vel ex parte obiecti ſimplicis, vel ex parte ipſius ſimplicis notitiæ, ac ſimplicis apprehenſionis: nullum horum eſt dicendum. probatur primum, quia talis conceptus obiectiuus, ſeu tale ens nõ excedit vires intellectus vt intellectus eſt: probatur vtraque pars, non quidẽ ſuperat vires intellectus, quia ens eſt obiectum intellectus, & maximè ens creatum, ergo ſub hac ratione poteſt ab intellectu apprehendi: neque etiam implicat ex parte intellectus, vt intellectus eſt, quia etſi intellectus huius, vel alterius hominis rudis, & inaſſueti ad ſpeculandum, & intelligendum non poſſit conceptum talem percipere, poterit idipſum præſtare quicunque alter intellectus, acutior, aſſuetior, atq; promptior ad intelligendum, & contemplandum, ergò abſolutè non implicat ex parte intellectus. Probatur ſecundum, obiectum quodcunq; & ſi ſit ſimplex, eſt ens, omne autem ens eſt ab intellectu perceptibile, patuit, quia non excedit vires intellectus, & ſi vires ſuperet intellectus humani, vel Angelici, nõ tamen excedit vires intellectus diuini, ergo nõ eſt repugnãtia ex parte obiecti ſimplicis. & ſi dices, ens omne cadere ſub viribus intellectus, intelligi de intellectu componente, nõ autem ſimplici: id iam fuit improbatum, quia omne ens, etiam ſimplex, eſt ens verum, ſed omne verum eſt obiectum intellectus, ergo etiam vt ſic poteſt concipi. Probatur tertium, munus ſimplicis notitiæ eſt apprehẽdere ſimpliciter obiectum, vocatur enim prima, & ſimplex intellectus operatio, ſimplicium apprehenſio, quæro autem quid facit intellectus cum tali operatione circa obiectum, aut enim apprehendit obiectum, aut non apprehendit illud: item aut apprehendit illud ſub ratione veri, aut falſi, aut nec veri, nec falſi: non eſt dicendum quod nuſquam apprehendat, non enim poterit ſubſequi ſecunda, & tertia intellectus operatio, non præcedente prima ſupponendo producere ſecundam, & tertiã: tum etiã quia & ſi intellectus vnus apprehendere nequit, apprehendet alter: nec dicendum apprehendere ſub ratione indifferenti ad verum, & falsũ, quia dum apprehẽdit ſub ratione qua eſt, & non habet impedimentum ad apprehenſionem, ſub altero quidem modo apprehendet vel veri, vel falſi: tum etiam quoniam vnumquodq; ens, præcipuè ſimplex in ſui natura verum eſt: licet enim comparatum ad alterum poſſit eſſe falſum, attamen omne ens, etiam falſum, in natura falſitatis verum eſt, quia verum eſt eſſe falſum, eſt enim verum quod ſit falſum, quòd homo ſit brutum: ergo nullum remanere videtur caput ad negandam veritatem in tali ſimplici, primaria, atque tenui operatione, & apprehenſione ipſius intellectus.

4 Item ſimplices nutus, & ſimplicia ſigna cauſant cognitionem veritatis, quam continent, ergo in ſimplicib. poteſt eſſe veritas prob. anteced. quia vtimur multoties nutibus, & ſignis, vt noſtros explicemus conceptus, circulus enim in taberna eſt ſignum venditionis vini; fumus egrediens denotat, licet æquiuocè, ibi reperiri ignẽ: nutus etiam exteriores, indicant habitum hærentem animæ, & ſimilia: at negare quod per talia ſimplicia ſigna veritas cauſetur, & concipiatur, eſt quaſi primum negare principium in ordine ad potentias phyſicas, exteriores, & materiales. Confirmatur, quia etiam ſenſus ipſi veritatem percipiunt circa eorum obiecta ſimpliciter, & primo propoſita; at non eam percipiunt diſcurrendo, & ratiocinando, vt efficit intellectus media compoſitione, & diuiſione, vnde eſt vt ſimplici obtutu percipiat oculus, & auris primo, ſimpliciq; auditu, & tactus ipſomet experimento tangendi, & ſic de cæteris, veri-

Simplicia cauſant notitiam ſui.

ritatem ſimplicem ſui obiecti, & falſitatem. hoc etiam probat D. Aug. l. 15. de Trin. c. 2. aſſerens, *abſit à nobis, vt ea quæ per ſenſus didicimus vera eſſe dubitemus*; alias neganda eſſet res omnis, & obiectum omne per ſolum extrinſecũ ſenſum perceptibile. Quod ſi dixeris veritatem non apprehendi à ſenſu, ſed ab intellectu ſubordinato ad ſenſum: id falſum omnino eſt, tum quia bruta carent intellectu, & ratione, quæ nihilominus per ſenſum operando percipiunt verum, & falſum, percipit n. bos fænum, paleam, & herbam virentem, & aridam; percipit & canis baculum, & panem, illum veluti offenſiuum, hunc velut proficuum: & percipit Ouis lupũ, percipit & matrem inter tot oues alias circumfuſam: percipit deniq; ipſum brutum ſi conueniens, aut minus conueniens quandoq; ſit id, quod edendum proponitur, vnde tanquam amarum, & inſulſum percipiendo, relinquit illud, in quo & falſitatem apprehendit obſonij, atq; veritatem comprehendit pabuli proficui: veritas autem ſiſtit in cõformatione potentiæ ad obiectum, ſiuè ſenſitiua ſit, ſiuè intellectiua: experitur vero obiectum id non ſemper ſibi conforme eſſe, nec difforme ſemper, ergo etiam eſt veritas in ſenſu. tũ etiam conſtat eſſe falſum, veritatem ſolummodo ab intellectu percipi etiam in rationalibus, quia ſenſus ipſe diſcõuenienti affectus ſenſatione, continuo fugit, renuit, reſpuit, contra nititur, & violenter ſub tali forma ſubſiſtit, vt patet de tactu aggreſſo à calore nimio, vel frigore, vel ab igne: & patet amplius in ipſamet voluntate, atq; naturali affectu cordis, quod continuo iraſcitur à natura contra diſconueniens, & improportionatum obiectũ: & multò magis id conuincitur, quia & ſi ipſe intellectus intendat ſe auertere à tali conſideratione improportionati obiecti, non tamen ſe auertit ſenſus, niſi fortaſsè ex vehementi imaginatione alterius obiecti raperetur, vnde remaneret expers primæ ſenſationis, vt patet in raptu, ſeu potius in extaſi: At cũ impedimenta iſta non adſunt, nec prohibet, nec retrahit voluntas, intelligat, vel non intelligat mens, & ratio, ſenſus nihilominus facit ſenſationem ſuam, & percipit veritatem obiecti vt conuenientem, aut diſconuenientem: ſed plura inferius.

Senſus veritatem, & falſitatem percipit propoſiti obiecti.

5 Dices, percipere vt conuenientem, vel diſconnenientẽ ſpectare prorſus ad Intellectum, nõ ergo ſenſus percipit hanc veritatem: probatur antecedens quia requiritur diſcurſus intellectus, vt conuenientia percipiatur, & diſconuenientia, qui tamen non eſt in ſenſu: vbi autem eſt diſcurſus, adeſt etiam diuiſio, & compoſitio, ſenſus tamen nec diuidit, nec componit. *Obſlatur.*

6 Dico diſconuenientiam, & conuenientiam poſſe percipi dupliciter, vel directè, vel reflexè. primò modo vnaquæque potentia tum intellectiua, tum ſenſitiua ſuum, vel alienum percipit obiectum ſub ratione conuenientis, aut diſconuenientis: nec ad hoc requiritur diſcurſus, nec operatio intellectus, ſed ſufficit naturæ contemperamentum tale, & tale; ita vt ſubito ſenſus tactus v.g. experiatur vtrum ignis ſit ſibi conueniens, an incommodus, & in hoc agit, & operatur natura, quæ eſt naturalis inſtinctus, ſicut in altero operatur intellectus componendo, & diuidendo: ſecundò autem modo non poteſt ſic verum, aut falſum concipere ſenſus, ſed erit operatio, & effectus ſolius intellectus: ratio quia *ſenſus non eſt ſupra ſeipſum conuerſiuus*, nam quantũ non eſt conuerſiuum, & reflexiuum ſupra quantum, vt ſicut oculus non reflectit ſe ſupra ſe in videndo, ita non reflectit ſe ſupra viſionem ſuam, videndo eam: quod tamen agere poteſt ſpiritualis potentia intellectus, atq; etiam voluntatis, voluntas nãq; vult, & amat, hæc quidem eſt directa operatio: & vult inde, & complacet ſibi ſe velle, & amare, reflectendo ſe ſupra ſuos actus in infinitum: pariformiter intellectus reflectere poteſt ſupra ſe intelligentẽ, intelligendo ſe intelligere, cognoſcendo intellectionem ſuam, & comprehẽdendo ſe intelligere verum: quæ quidẽ reflexiua operatio eſt effectus ſolius operationis ſecundæ intellectus, quæ eſt compoſitio, & diuiſio, non autem operatio ſimplex, quæ vocatur ſimplicium apprehenſio. hac namq; ratione intellectus, & ſenſus pari paſſu ambulant, quia per eam ſolummodo intelli-

Senſus veritatẽ percipit directè tantũ, intellectus directè, & reflexè.

gitur

gitur obiectum primò directè tantū, quæ tamen ſimplex intellectio non eſt reflexiua, quia nec compoſitiua reflectendo ſe, ſicut ſecunda: & hæc eſt mēs Ariſtotelis dum ſupra docuit veritatem, & falſitatem non in conceptu ſimplici, ſed in compoſitione, & diuiſione reperiri, neq; reperiri in ſenſu; hoc namq; modo loquutum fuiſſe cenſendum eſt, & hac ſub diſtinctione reſoluuntur rationes, & reſpondetur authoritatib. ſingulis in contrarium: & hæc quoq; eſt aperta mens D.Thomę, vt ibi expreſsè conſtat; quam etiā defendunt Ferrar. 1.contra g. c.59. Soncin. 6.met. q. 17. Fonſec. 4.met. q.6. Egid.quol.4.q.7.& Capreol.in 1.d.19. q.3.

Confirmatur ex Ariſtot.

7 Quam etiam docuit idem Ariſt. in 3.de anima c.6.dicens, *intellectum, qui eſt ipſius quod quid eſt, ex ipſo quid erat eſſe, verum eſſe, & ſi non aliquid de aliquo.* vbi veritatem admittit etiam in ſimplicibus, licet intellectus non operetur componendo, & diuidēdo, quod indicatur per id quod ait, *& ſi non aliquid de aliquo*. expreſſius autem id docuit 9.met.c.7.dicendo, *in ſimplicibus eſſe veritatem per hoc, quod cognoſcitur res ſecundum propriam quidditatem*, hæc ille. quidditas ſimplex etiā per primam, ſimplicemq; operationem intellectus apprehenditur; qui locus eſt valdè clarus, & negari non poteſt non id ſenſiſſe Ariſtotelem; vel Durand. in 1.d.16.q.5.Heru.quodl.3.q.1. D.Tho, 1.p.q.16.art.2.& Caet.

8 Dices Ariſt. 1.Perierm. c.1. ait *verum, & falſum in compoſitione eſſe*, & 9.met.c.vlt. atq; lib.6.c.2. dum ait *veritatem ſolum eſſe in intellectu, quia tantum in illo eſt compoſitio, & diuiſio*; ſic etiam vbi 3. de an.c.6. dixit *falſitatem non eſſe in indiuiſibili mentis conceptione.* non inquam ex locis iſtis cōtrarietas elicitur in eius mente: etenim iuxta ſuperiorem diſtinctionem, penes diſtincta concipiendi membra veritatem applicabūtur ſingulariter loca pugnātia: nam loquendo de veritate directè inſpecta, ſeu de modo noſcendi ſolùm directè, veritas etiam reperitur in ſimplici, ac primaria notione, & ita procedūnt priora loca Ariſtotelis: quod ſi de modo cōcipiendi, tum directè, tum reflexè fiat ſermo, id reperitur in operatione compoſitiua, ſiuè diuiſiua, et ſic procedunt teſtimonia ſecūdo loco adducta. et ſic etiam conciliantur pugnantes ſententiæ Theologorum. Amplius autem declarari poteſt vterq; noſcendi modus, ad hoc vt omnis fugiatur altercatio, quæ eſſet ſaltim in nomine; quando quis noſcit intellectionē ſuam, et quando noſcit ſe noſcere, et intelligere, poterit quidem dici talis cognitio directè tendere in cognitionem cognitam, & in intellectū noſcentem, & intelligentem: etenim verè in tali caſu habebit idem penès ſeipſum rationem obiecti, & veri termini noſcibilis, & terminatiui intellectionis, verèq; ipſa intellectio intellecta poterit habere rationem directi obiecti; nihilominus ſiſtendo in rigore loquutionis, talis noſcendi modus non poterit vocari modus noſcendi directè, ſed erit omninò reflexus, quia ſupponit modum directè noſcendi: vbicunq; autem modus directus præcedit, quodcunq; ſubſequatur ſupra eundem noſcendi modum, totum id vocabitur reflexum, & non amplius directum: comprobatur ex ratione radij directi, ſeu recti, & reflexi, præcedit ille, & rectò terminatur ad parietem, cum autem à pariete retorquetur, non amplius cenſetur rectus, ſed benè reflexus: eſt igitur modus directè noſcendi propria paſſio primæ operationis ſimplicis intellectus, quam etiam directam rationem intelligendi non negamus competere operationi eiuſdem intellectus componenti, & diuidenti: nam talis ſimultanea poſitio duorum, vel diuiſio eſt operatio actus directè tendētis ſuper terminos componibiles, & diuiſibiles: erit quidem directus, ſed nō primus: non quidem primus eùm ſupponat anteriorem actum, erit autem ſubſequens, ſed etiam directus: reflexio nihilominus eidem componenti, & diuidenti competit, non autem concipienti ſimpliciter, & id accidet cum alio actu non amplius recto, ſed retorto redibit ſupra ſemetipſum, vel ſupra operationem ſuam, & hic vocatur reflexus. Reſpondent alij, dum negant Ariſt. in primaria operatione veritatē, loqui de veritate complexa, nō autem ſim-

Veritas directè tantū in prima operatione; at in ſecunda directè, & reflexè.

Veritas incomplexa in ſimplici operatione: complexa in compoſit. & diuiſ.

ſimplici, & incomplexa: vel dicendum in prima operatione reperiri veritatẽ impropriè, in ſecunda verò propriè.

In actu ſignato reperitur in prima operatione intellectus: in actu exercito, in cõpoſitione, & diuiſione.

9 Vel poteſt adhiberi diſtinctio de actu ſignato, & exercito, vt demonſtretur veritatem actus exerciti conſiſtere in compoſitione, atq; diuiſione, ſignati autem in operatione ſimplici, & primaria. declaratur, cum nãq; concipio me intelligere, exercitium habeo actuale de reflexione, quam ſupra me ipſum experior, experiendo actualiter me eſſe reflexum ſupra memetipsũ: quæ reflexio in exercito actu non habetur abſq; compoſitione: idem .n. indicat exercitium, ſi plenum ſit, ſeu ſi extenſum aliquo pacto ſit, vt decet, ac actualem compoſitionem, diuiſionemq; quæ ſicut eſſe poteſt de quibuſcunq; terminis componibilib. & diuiſibilibus, ita etiam ferri poteſt ſuper intellectum, & intellectionem ſuam, cognoſcendo ſe habere eam, & actualiter intelligere, & noſcendo vtrum verum intelligat, an falſum; at vero, cum ſimplici intellectione intelligimus hoc & illud, nulla acta cõpoſitione in exercito actu, actum quem exercere poſſumus per operationem alteram compoſitiuam, ſiuè diuiſiuam, virtualiter includimus, & ſignamus tacitè in illa prima, & ſimplici conceptione intellectus: & hoc quidem verum eſt, quia veritates multæ in tali ſimplici obiecto continentur virtualiter, & in actu ſignato, atq; implicitè, quæ huc vſq; nõ percipiuntur neq; omnes quidem directè, neq; vllo pacto reflexè, non quidem omnes directè, licet vna vel plures, vel etiam omnes, iuxta capacitatẽ, & facultatem intellectus ſiuè hominis, ſiuè Angeli, ſiuè in ordine ad ipſum Deum: at nullo modo tũc reflexè, quia reflexio habetur per alium actum, qui ſicut in componendo ſitus eſt, & diuidendo, ita quoq; remanet, vt actu exercito ſit in compoſitione.

10 Accedit vltima ratio, quia Angelus, & Deus intelligendo non componunt, & intelligunt ſimplici perceptione intellectus, ergo ex ſe non implicat veritatem in operatione ſimplici reperiri: antecedens patet, quia nec Angelus, nec Deus diſcurrit, negato autem diſcurſu negatur compoſitio, itẽ iam conſtat quod vterq; ſimplici actu intelligit obiectum: ſed hæc ratio licet ab Aliquib. magni fiat, nullius tamen eſt roboris: & quidem de Deo, licet non diſcurrat, nec multiplicet actus cognitionis ſuę, nihilominus vnica Dei operatione intellectiua Deus intelligit ſeipſum, & cognoſcit intellectionem ſuam eſſe de ſe ipſo, & intelligit & ſcit ſeipſum intelligere, atq; noſcit ſe verũ cognoſcere, et noſcit obiecta cognitionis ſuæ adæquatè comprehendi ab intellectione ſua; eueniũt quidem hęc, et ſimilia circa Dei intellectum, quæ in creaturis nos dicimus eſſe modos cognoſcẽdi reflexè per multiplicationem actuum, et tamen Deus ſic ſe habens nec componit, nec diuidit per multiplicationem operationum; ſenſus autem eſt, quod Deus intellectione ſimplici nedum percipit ſimpliciter omne noſcibile, ſed etiam quocunq; modo noſcibile, quod in nobis non euenit niſi multiplicando actus, tùm recti, tùm reflexi: in Deo autem vnus eſt actus continens omnem modũ cognoſcendi, ſemotis imperfectionibus, ratione, qua ſua cognitio eſt infinita, et æquiualẽs omni noſtro modo cognoſcendi. De Angelo autem prædicta ratio non vrget apud omnes, Scotus enim ait Angelum diſcurrere: licet non cum tanta imperfectione, et temporis mora, cum quanta ipſe homo, valet vero contra Thomiſtas negantes diſcurrere. Alia, quæ obſtare vlterius poſſunt ſoluentur artic. ſequ.

Dei ſimplex cognitio æquiualet omni noſtro modo cognoſcẽdi.

ARTIC. II.

Eadem ſententia amplius confirmatur, & reſpondetur argumentis alijs in oppoſitum.

1 PRo nũc verò ad allatas ex Ariſtot. authoritates præced. art. eſt iterum reſpondendum: non fuiſſe

Ari-

In ſimplici operatione veritas reperitur ſolum directè, in compoſit. & diuiſ. directè, & reflexè.

Ariſtotelis mentem negare veritatem reperiri in ſimplici notitia, atq; etiam in ſenſitiua operatione: ſed tantundem in ſecundaria operatione mentis eam ſtatuit modo artic. præced. explicato nēpè ad ipsā eandē operationē ſecūdā iudicare pertineat, & cognoſcere veritatem cōceptam, obiectum cognitum ſub ratione vera, atque cognoſcere ſic reflexè nonniſi ad ipſam operationem compoſitiuam, vel diuiſiuam ſpectare, quod primariæ operationi non conuenit, niſi ſolùm directè, cum primario, ſimpliciq; obtutu obiectum percipiat; cogitare autem, & intelligere ſe cognoſcere, ac ſimilia agere, tùm directe, tùm reflexè, pertinere ſolùm ad operationem vlteriorem. Reſponſiones aliæ patent in præced. artic.

Iudicium nō eſt opus operationis ſimplicis, ſed compoſitionis, & diuiſionis,

2 Oppoſitum conceſſit Caetanus; aſſerens iudicium vt cognitum, ſeù veritatem vt cognitam poſſe etiam eſſe in prima, ſimpliciq; creata intellectione: at id conſtat eſſe prorſùs, & alienū à D. Tho. & veritati oppoſitum, cum ad id agendum opus ſit diſcurſu, & ad interuētum diſcurſus habeamus etiam compoſitionem, diuiſionemq; ſine quibus nequit fieri diſcurſus, id autem peragere non eſt opus intellectionis, & notitiæ ſimplicis, ſed ſecundariæ: plura infra. ſolū haberet locū in intellectione diuina, quæ unica exiſtens, ac ſimplex, omnia permeat, atque vnico actu agit eā omnia, quæ intellectus creatus conficit plurimis operationib. directis, a reflexis.

Veritas eſt etiam obiectum ſēſus.

3 Et de ſenſu etiam hoc idem docuit Ariſt. vt ſit verus circa obiectum præcipuè proprium, & probatur. habet enim 3. de an. t. 161. *ſenſus quidem propriorum eſt verus, aut raro admodū ſuſcipit falſitatem*: & 2. de an. t. 63. docuit circa ſenſibilia communia decipi quidem, circa propria autem non decipi, vt viſum circa colorem, vel lucem; auditum circa ſonum, & ſimilia. idemque 9. met. cap. 12. Mihi etiam negare veritatem ſenſus videtur ſtultiſſimum, eo enim poſito, neceſſe eſſet firmas, ac ſtabilitas veritates rerum omnino eliminare, & haberet D. Auguſtini diſcurſus locum, quo conuincit vbi ſupra, quod negatis ſenſuum aſſeuerationib. negaremus Romam eſſe, Galliam, Europam, cæteraſq; Orbis partes, quas ſolo ſenſu percipimus, vel videndo oculis, vel auribus fidem præſtando Enarrantibus ſe talia vidiſſe. Inſuper de operatione hac ſenſuum quærerē, aut ſenſus per eam aliquid agit circa propoſitum obiectum, aut nihil: non eſt dandum ſecundum, quia vel fruſtra admitteretur ſenſus, niſi exiret, vel exire poſſet in operationem, ad hoc namque ſenſus percepimus à Deo cōditore, vt medijs ipſis operaremur: quod ſi operamur; & aliquid agimus, quid quæſo aſſequimur per talem operationem, aut enim percipimus veritatem de obiecto, aut falſitatem, aut neutrum illorum: non eſt dicendum quod neutrum percipiamus, quia cum vnūquodque obiectum ſit ex ſe tale, vel verè, vel apparenter, ſenſus neceſſariò ſub tali ratione id conſiderat, ſub quali approximatione, diſpoſitione, & qualitate ſibi repręſentatur; nec dicendū poſſe ſemetipſum ſuſpendere ab actione, & perceptione tali, quia agens naturale, cuius modi eſt ſenſus, ſicut in poteſtate ſua non habet agere, & non agere, ita non habet modum ſic, & ſic contrariè, & remiſsè, atque pro placito ſuo agendi, ſed neceſſario operabitur conformiter naturæ ſuæ: cuius cōtrarium contingit in Agente libero vt ſic; quòd ſi ſenſus cogitur ad operandum circa obiectum, igitur mediante tali operatione, quæ prima, & ſimplex eſt, aliquid operatur, operatio autem cùm ſit ſenſitiua, quia eſt ſenſus, attinget obiectum ſub ratione percipiendi ſenſationem ſimplicem de eo: at percepta ſenſatione, continuo vel condelectatur, vel fugit: ſiquidem eſt obiectū ſibi conſonum, condelectatur in ea operatione ſimplici ac ſenſitiua, & naturaliter cupit perſeuerare; ſi verò triſtatur quia ſit diſconueniens illud ſenſibile, etiam naturaliter appetit aufugere: at noſcere naturaliter hoc, eſt noſcere de obiecto veritatem, quia noſcit naturaliter obiectum eſſe ſibi conueniens, vel diſconueniens, ideoq; dicere noſcere verum, etenim veritas eſt obiecti ad potentiam conuenientia, proportio, ſeu conformatio, & è conuerſo.

4 Quòd autem tale iudicium non

fiat

Nullo intellectu cõſiderante, ſenſus non impeditus percipit veritatem ſui obiecti.

fiat à ratione,& intellectu, id oſtendimus ſup. quia ſiue intelligat, ſiue non intelligat,iam ſenſus remanet,ſaltem malè, vel benè affectns ex ſenſatione, quam percipit, vt ſi quis in extaſi eleuatus, admoueatur igni, vel candenti ferro, aut ſimile diſconuenlens apponatur ſuper eius carne, non quidem ſenſus percipiat ſenſationem propter vehementem abſtractionẽ, ſeu imaginationem, at dum ad priſtinas vigilias reuertitur,& percipiet dolorem,& nouam experietur abſtractionem: cumq; idem vigil eſt,& integro ſenſu, ſi ferro incidatur,vel torqneatur,neceſſe eſt vt ſenſus benè percipiat veritatem obiecti ſibi improportionati: & ſiuè velit, ſiuè nolit percipere,vtique etiam ſeipſo inuito aliqualiter percipiet dolorẽ, licet non adeo intensè, vt patet in patiente torturam, & procurante intellectum aliò diuertere ne vehementem dolorem torturæ ſentiat, & percipiat.

Vuicnique potentiæ ſẽſitiuæ correſpondet ſua cognitiua, & appoſitiua.

5 Et confirmatur, quia vnicuique potentiæ ſenſitiuæ ſicut correſpondet propria potentia appetitiua,ita etiam reſpondet propria cognitiua, vt probatur in lib. de An. per cognitiuam nõ ſemper intelligimus potentiam intellectiuam,cum in Brutis non ſit hęc facultas, at in ijſdem Brutis reperitur ſenſitiua, appetitiua, reperiri quoque neceſſe eſt cognitiua, qua vnũquodq; naturaliter noſcit quodnam ſit ſibi cõueniens,ſeu diſconueniens: & ſic cõſequenter de ſenſu vt ſenſus eſt, naturali ductu noſcit obiectũ ſuum. noſcitq; verum, atque falſum eſſe, dum experitur ſibi cõueniens naturaliter eſſe vel minus commodum:& talis ductus,ſeu naturalis notio,propriè vocabitur inſtinctus naturæ: quæ optima ratione talẽ inſtinctum cognitiuum cunctis indidit, vt percipiat naturaliter vnuſquiſque ſenſus præuio experimento veritatẽ, & falſitatem, atque conſentaneitatem, & diſconuenientiã ſui obiecti: quod ſi actũ à Natura non fuiſſet, poſſet vnuſquiſq; ſẽſus eſſe apprimè obnoxius interitui, & diſcerptioni: niſi.n. naturaliter perciperet dolorem, & diſconueniẽtiam ferri,& ignis, poſitus in igne, & ſuppoſitus ferro, ſiſteret in tali paſſione libenter,ſicq; præſto vnumquodque eſſet obnoxium morti, & interitui, nec natura prouidiſſet de ijs, quæ opus eſſent ad conſeruationem vitæ pro quãto ſupremo placet Conditori: inter cætera autem ad id neceſſaria, præcipuum eſt noſcere, & percipere quodnam obiectum ſit congruum, & quod minus congrui ipſi ſenſui.

Ariſtoteles qualiter negat veritatem in ſenſu?

6 Cùm verò negauit Ariſtot. veritatem in ſenſu: negaſſe dicitur ad modum expoſitum de intellectione ſimplici, vt non ſit veritas in ſenſu ſub ratione obiecti cogniti reflexe, non enim ſenſus percipit,nec diſcurrit,nec concipit ſe percipere veritatem, ſicut per ſimplicem intellectionem non noſcit intellectus ſe verum intelligere reflectendo ſe ſupra ſeipſum per talem primariam operationem, ita neque id præſtat ſenſus, licet verum percipiat obiectum, & condelectetur in ipſo,nõ per cognitionem, qua cognoſcat ſe in bono, & commodo obiecto ſiſtere,ſed per naturalem inſtinctum, quo vnumquodque figitur in ſuo bono: aliunde tamen non componit, nec diuidit,nec vt ſic percipit veritatẽ, quia ſicut quãtum non eſt reflexinnm ſupra ſeipſum, ita neque reflectitur ſuper operationẽ ſuam: vt dedniximus. & ad hunc ſenſum etiam loquitur D. Anſel. de verit. c. 6. negans veritatem à ſenſu,& collocans eam in ſenſu aliquo interiori. eſt etiam Ariſtotelis 3. de an. cap. 6. Vel dicendum magis Ariſtotelem curaſſe de veritate intellectus,quam ſenſus,quia illa eſt propria hominis, hæc communis homini,& bruto.

7 Dubitari tamen poteſt quomodo poſſit veritas eſſe in ſimplici cognitione, ſeù apprehenſione, atq; ſenſatione,cùm per talem operationem nec intellectus,nec ſenſus valeat iudicare; ratio, tum quia iudicium conuenit ſoli actui compoſitiuo, & diſcurſiuo: tum etiam,quia ſimpliciter apprehendere non eſt iudicare, ſicut nec diſcurrere. inſuper cùm proponitur quæſtio, exempli gratia, vtrũ cras pluibit, apprehendit quidem intellectus notitia ſimplici propoſitam dubitationem, ſed non ſtatim iudicat,& ſi iudicat,vtique per alterum actum iudicabit, quã per actum ſimplicem,& apprehenſiuũ, quia apprehendere non eſt componere,& per conſequens non eſt iudicare:

con-

confirmatur quia in iudicio fit diſcuſſio, & examinatio, interuenit diſcurſus, inſumitur tempus, quæ non aduениunt in ſimplici, ac primaria intellectione, ſeu ſenſatione. & ſpecialius vrgetur de ſenſu, qui non reflectitur ſupra ſeipſum, iudicando de actu ſuo, nec componit, aut diuidit, igitur nec iudicat.

Iudicium vtrum in prima, & ſecũda operatione intellectus.

8 Reſpondemus tamen vtrobique reperiri iudicium, tum in operatione ſimplici intellectus, & ſenſus, tum etiã in compoſitione: attamen non æquè perfectè, verum enim, & perfectum, atque integrum iudicium reperitur in vlteriori actu compoſitiuo, quo ſtatuimus prædicatum conuenire ſubiecto, vel diſconuenire, & hoc etiam ſenſu lo qui ſolent Philoſophi admittentes veritatem in compoſitione: in operatione autem apprehenſiua, & ſimplici, atque etiam ſenſatione reperitur quidẽ, ſed non ſic imperfectè, & integrè: de intellectione conſtat, quia apprehendendo, etiam aliquo modo, & ſi imperfectè iudicamus: licet priori ſigno naturæ præcedat apprehenſio, & poſteriori ſubſequatur imperfectum iudicium: de ſenſatione autem eſt abſolutè aſſerendum quod per eam apprehendit, & iudicat perfectiſſimè brutum, & ſenſus de ſuo obiecto: quis enim negabit Ouem dum lupum videt, iudicare, & apprehendere illum, tanquam inimicum, atq; propriã cognoſcere matrem inter centum oues conſimili vellere, ac lana indutam: hinc etiam ſenſus vnuſquiſq; de ſuo iudicat obiecto; immo vnuſquiſque experitur ſuam operationem, & ſcit ſe operari, licet ſit ſẽſus materialis, atq; corruptibilis; ita docet de oculo Ariſt. 2. de anim. cum dicit, quod *viſus videt ſe videre, & dixit eſſe viſionem coloratam.* & idem in lib. de memor. docet Canem fugere eo ipſo, quo videt baculum eleuatũ, quo vapulabit: at nulla reflexio reperitur, nec compoſitio in Brutis, & in ſenſib. ergo per eam ſimplicem ſenſationem, qua ſimpliciter apprehendit, videtur etiam iudicare; quod ſi Ariſtoteles videatur fateri ſẽſum reflecti ſupra ſeipſum, non eſt id accipiendum; quaſi verè ſe reflectat, id quod ſoli competit potentiæ immateriali, & intellectui, ſed in eo ſenſu loquitur, quod ſicut operando circa obiectum ſuum, experitur concipere delectationem, & paſſionem, ita etiam dicatur quaſi experiri ſe videre, audire, & in vniuerſum sẽtire: non experitur ſentire eo modo, quo experitur intellectus ſe intelligere, ſed modo conſimili dicitur per naturalem inſtinctum noſcere obiectum ſuum, & operationem tendentem ad tale obiectum, ex qua operatione recipiat delectationem, & amorem.

Reſponſio Aliorum eluditur.

9 Dicunt alij id prouenire propter ſenſum aliquem interiorem, vtputa ſenſum communem, vel æſtimatiuam, vel aliam conſimilem potẽtiam internam, quæ iudicet ob immiſſionem ſpeciei à ſenſu exteriori, non autem quod sẽſus ipſe exterior iudicet, ita Albert. lib. 1. de anim. tract. 4. quem ſequuntur & multi: at id non eſt vniuerſaliter verũ; quamuis enim in Brutis ita ſæpius accidat, & in cęteris ſenſibilibus; tamẽ abſq; tali recurſu ad internam potentiam experimur quod ſenſus ex ſe ſolo iudicat quandoq; conueniens, vel diſconueniens obiectum: patet in ſenſu tactus, qui ſi admoueatur ad ignem, continuo iudicat per naturæ inſtinctũ, illud agens eſſe ſibi diſconueniens: nec eſt opus recurrere ad ſenſum internũ, quia dato quod homo nolit apprehẽdere ignem vt obiectũ diſconueniens, apprehendet tamen ſenſus ſub ratione omnino diſconuenientis, ergo ſignum eſt, quod etiam in ſenſu eſt vis iudicatiua; & non mirum, quia cum natura non deficiat in neceſſarijs, ſicut ſenſui contulit virtutem appetitiuam, ita etiã præbuit vim cognitiuam conuenientis, & diſconuenientis obiecti, quæ vis, ſeu virtus, eſt ſolus inſtinctus naturæ.

Vtrum in voce ſimplici ſit veritas.

10 Obſtabis vltimò, in voce ſimplici non eſt veritas, ergo nec in ſimplici operatione. Reſpond. negando anteced. eſt enim ibi veritas directè, non reflexè: in actu ſignato, non exercito; ſimplex, non complexa: impropriè, non propriè, quia non ad primam operationem pertinet indicare, ſed ad ſecundã: veritas autem propriè, & rigoroſè loquẽdo, pendet ex iudicio, & diſcurſu: vnde in ſimplici operatione aderit quidem veritas, at non ſic propriè.

QVÆSTIO V.

Vtrum falſitas poſsit eſſe in prima intellectus operatione.

Probatur pars affirmatiua.

1 Falſitatem reperiri in prima operatione intellectus his ſuaderi poteſt 1. reperitur veritas in prima operatione intellectus, ergo et falſitas: antecedens ex præcedentib. articulis conſtlit, et probatur conſequẽs, quia *oppoſitorum idem eſt iudicium, & oppoſita habent fieri circa idem.* 2. fallitur quandoque ſenſus in ſimplici apprehenſione obiecti, ergo et intellectus in ſua ſimpliciom apprehenſione, probatur conſequens, non enim eſt maior ratio de vno, quam de altero. Antecedens probatur auctoritate, et experiẽtijs: authoritas eſt Ariſtotelis, qui 2. de an. c. 6. ait *ſenſum falli circa ſenſibile cõmune*: idemque ſaltim raro euenire docet lib. 3. t. 161. et 4. met. t. 26. Experientiæ ſunt multæ, vtpote Ebrius domum euerti videt, cunctaque à ſuo ordine diſcedere. Febri laborans dulce apprehendit vt amarum. Ruſticus ſolem admodum debito æſtimat minorẽ, in collo Columbæ apprehenduntur, ſicut et in Iride, qui non ſunt, colores; Ex præſtigijs multa cernuntur veluti vera, quæ tamen non ſunt: atque ex naturali magia ex applicatione actiuorũ ad paſſiua aſpiciuntur quæ re vera nõ ſunt talia. auricalchum pro auro: Hæc thorẽ falſum pro vero, vt in tragædijs euenit, et ſimilia.

In prima operatione nequaquã falſitas.

2 Verum communis eſt ſententia minimè in prima, ſimplicique operatione adeſſe falſitatem. ita Albert. 2. de an. tract. 3. c. 5. Apollin. q. 13. D. Tho. 1. p. q. 17. art. 3. Egid. quodl. 4. q. 17. Ferrar. 3. contra g. c. 59. idemq; Ariſtoteles 9. met. cap. 12. ac 3. de anim. cap. 6.

Probatur.

3 Hinc ergo dicimus in ſimplici operatione non adeſſe falſitatem. Fundamentum ſit, quoniam falſitas conſiſtit in iudicio: at intellectus per primã operationem non iudicat, ſed ſimpliciter apprehendit, ideoque appellatur prima operatio, ſimplicium apprehenſio: verum quia ſecunda operatio eſt, quæ iudicat, hinc eſt vt in ea conſiſtat falſitas, aut veritas. Rurſus veritas, et falſitas habetur ex comparatione ſubiecti ad prædicatum: quia in re ſi reperitur conformitas vnius ad alterum; erit ibi veritas; ſi difformitas, falſitas: comparare autem non conuenit ſimplici operationi, quia munus eius eſt apprehendere, ſimpliciter, non autem comparare. Rurſus falſitas, veritaſque pendet ex actu compoſitiuo, collatiuo, ac diuiſiuo: dũ namq; compono Animal cum homine, habeo veritatem: dũ diuido ab homine animal, habeo falſitatem; dumque cõfero vnum ad aliud, habeo veritatem, vel falſitatem, iuxta collationem rationabilem, vel irrationabilem: at hæc non præſtat ſimplex operatio; propterea namque appellatur ſimplex, quia non componit, non diuidit, non comparat, non confert. Inſuper, ſimplex, ſeu termini ſimplices, talis ſunt naturæ, vt vel totaliter ſciantur, vel totaliter ignorentur: ex hinc colligitur non adeſſe in ſimplicium apprehenſione falſitatem.

In prima operatione adeſſe põt ſimplex neſcientia, nõ autẽ error.

4 Dicimus ſecundò & ſi non adſit falſitas, adeſt tamen quædam ſimplex neſcientia: non dico, error, ſed neſcientia: longè quidem differunt error, & neſcientia: ille namque fundatur ſuper actu collatiuo, & compoſitiuo, ſiue di-

uiſiuo intellectus, vt comparando hominem ad Aſinum ſub ratione conuenientis in ſpecie eadem &c. ſiue diuidendo animal ab homine,&c.hic adeſt error,& ignorantia:at ſemota collatione,& cōparatione, ſiuè diuiſione vnius ab alio,irrationabili, & improportionata, ſi intellectus non percipit obiectum vt par eſt, non dicitur ignorare, nec errare,ſed ſimpliciter neſcire,cum hæc pertineant ad ſecundam operationem intellectus: adeſt ergo in ſimplicium apprehenſione quandocunque non ritè, vt fas eſt, apprehenduntur, adeſt,inquam, ſimplex neſcientia.

5 Dices,ſimplex aut totaliter ſcitur,aut totaliter ignoratur: ergo adeſt error, & ignorantia: *Reſp.* ſumi latè ignorantiam, non rigoroſè, & preſsè; ſumi,inquam, pro ſimplici neſcientia.

In prima operatione falſitas virtualiter, quomodo.

6 Dicimus tertiò in prima operatione poſſe adeſſe falſitatè virtualiter, & per accidēs.explicatur:etenim poſſunt ſimplicia nõn vt fas eſt, intelligi per ſecūdam operationem intellectus, vt paſſim contingit, ergo ſtat in illis falſitas radicalis,virtualis, & per accidens. Dixi virtualiter,quia non reperitur in ea falſitas formaliter; quādoque enim intellectus percipit rem ſub terminis ſimplicib.& incomplexis,vt animal,lapis, lignum: quandoq; percipit eos prout compoſitos,vel diuiſos, cōplexos, ſeu inconnexos: primum munus formaliter tentum indicat id ſolummodo, ad quod terminatur vt animal,lapis,lignum, &c. & hæc ſimpliciter vt ſonant, concipit:ſecundum verò indicat vnionem extremorū,ſicut connexionem prædicati ad ſubiectum:quę ſi vera erit, vt animal cum homine, dicendo homo eſt animal, aderit veritas: ſi falſa, falſitas: talis autem connexio radicaliter, & in virtute reperitur in terminis ſimplicib. quia termini ſimplices ſunt cauſa materialis compoſitionis,propoſitio namque fit, & pendet ex terminis:igitur dum propoſitio falſa, vel vera continetur in terminis virtualiter, dicetur falſitas pendere virtualiter,& per accidens ex eis. Adnotandum eſt tamen falſitatem non contineri, ita virtualiter in terminis,vt termini ſint cauſa falſitatis ex ſe:id nāque eſt falſum, ſed id intelligitur occaſionaliter virtualiter,quia termini ſunt materia compoſitionis, & diuiſionis: diuiſionem vero, & compoſitionē falſam facit intellectus, ergo formaliter falſitas eſt in intellectu; non enim verū eſt,quod termini iſti animal, & lignū, poſtulant copulari ſub ratione prædicati, & ſubiecti, dicendo animal eſt lignum: ergo falſitas hæc non eſt in terminis, ſed dicitur intellectus ex terminis ſumere materiam, & occaſionem, vt eas copulando,vel diuidendo ſit verus, vel falſus.

Ad obiecta

7 Ad obiecta reſpondetur, & ad primum negatur paritas, poteſt namque adeſſe veritas, non autem falſitas; ratio differentiæ eſt, quia qui rem intendit cognoſcere,vel quidem attingit illam per intellectum, vel non; ſi primum, ergo adeſt veritas, quia conformatur intellectus obiecto, & adæquatur illi; ſi ſecundum, ergo neſcit illud: non autem dicendum errare, ſeu eſſe falſum circa illud, quia quando neſcitur aliquid non dicitur intellectus circa illud propriè,& in rigore errare; dū namque rem ſcire,componendo,& diuidendo nitimur, tunc dicimur poſſe errare, & falsò diſcurrere, at per primam operationem nil horum facimus, ſed ſimpliciter apprehendimus,ergo ſi nō attingimus obiectum, dicimur ſimpliciter illud neſcire, adeſt igitur ſimplex neſcientia, non error.

8 Ad Ariſtotelem patet qualis error contingat circa ea ex dictis, & ex dicendis, vnde

Ad experientias reſpondetur.

9 Ad experientias quidquid Alij dicant,reſpondendum ſiuè ſenſum,ſiuè intellectum non falli per ſimplicem illam ſenſationem, ſiuè apprehenſionē; ratio quoniam ſenſus v.g.linguæ, ſeu guſtus febricitantis apprehendit potū prout eius palatus,et guſtatiua potentia ſibi repræſentat; at palatus prout bili affectus,afficit cibum, et potum amaritudine, ergo vt amarum ſibi repræſentat, dum vero rem intellectus percipit,prout repræſentatur, non dicitur in rigore errare: ita Sol dum Ruſtico apparet minor terra; colores in collo columbæ,in Iride; Aurichalcum, Comædus, præſtigiata,et huius generis;dum namque colores ibi repræſentantur,tanquam colores ſenſus, et in-

tellectus percipit; tanquam aurũ æſtimat auricalchum; minorem putat ſolem, quam ſit; ſic de ſingulis, quoniam percipit rem, vt repræſentatur, ergo percipiendo, prout repræſentatur, non errat, agendo ſic per ſimplicem ſuam operationẽ, & hęc apparẽt nobis probabiliora, præter reſponſa Aliorum.

Obiectio diluitur.

10 Dices igitur nunquam continget errare, nuſquam falli, prob. quia multa percipimus falſa, quæ verè falſa ſunt, ergo non errabimus percipiendo falſa. Reſpondetur, quod aliud eſt apprehendere, aliud iudicare: loquendo de apprehenſione, in ea non eſt error; ſed ad ſummũ neſcientia, neſcire enim poteſt quid ſit; loquendo de ſecundo, ibi adeſſe poteſt error; quoniam poſtquam ſenſus, ſeu intellectus prima operatione ſimpliciter apprehendit, vel amaritudinem in potu, vel colores in columbæ collo; vel ſolem minorẽ terra, non debet ibi ſiſtere, ſed vlterius procedendo inquirere, & iudicare vtrũ vera ſint hæc; quod ſi aſſentiat, falſus erit; ſi diſſentiat, verus; hoc autem iudicium, & inquiſitio nõ ſpectat ad ſimplicẽm apprehenſionem ſiuè ſenſus, ſiuè intellectus, ideoque non ei tribuitur, vt poſſit, in rigore, & propriè loquendo, errare, ſed rem ipſam ſcire, vel ſimpliciter non ſcire.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ètiam in operatione ſenſitiua, poſſit repèriri falſitas, vbi etiam expeditur tota materiá falſitatis.

1 HOc autẽ eſt, quod art. præced. examinãdum propoſuimus, vtrum .ſ. ſicut veritatem admiſimus reperiri in operatione ſenſus, atque ſimplici operatione intellectus, etiam concedere debeamus vtrobique reperiri quandoque poſſe falſitatem. ij namque, qui primum negarint, coguntur & negare id, de quo quæritur; ſed nos ſicut primum conceſſimus, ita & admittere nitimur ſecundum: ſed maioris intelligentiæ gratia permittamus nonnulla neceſſario requiſita ad explicationem ipſius falſitatis.

Falſitas quid.

2 Primum ſit. *falſitas nil aliud eſt, quàm inæqualitas intellectus ad obiectũ, vel è contra.* patet autem deſcriptio iſta, quia falſitas nil eſt, niſi negatio veritatis: ergo totum quod veritas includit, excludit falſitas: ſequela tenet ex ratione, & natura oppoſitorũ, vt quod vni competit, alteri negetur, atq; vnum ſit alterius deſtructiuum, & corruptiuum. competit autem ex dictis ſupra, veritati conformitas rei ad intellectũ, & idæam, igitur falſitas totum id deſtruendo, ſolùm ſiſtit in intellectus, & rei inæqualitate: & in hoc etiam ſenſu loquitur D. Auguſt. 7. confeſſ. *falſitas eſt, qua putatur eſſe, quod non eſt:* igitur intellectus aliter concipiendo rem, quam ſit, non conformat ſeipſum ipſi rei,. & lib. 83. q. quæſt. 32. tom. 4. *omnis, qui fallitur, id, in quo fallitur non intelligit:* non intelligendo autẽ modo congruo, & conuenienti, fallitur, & non conformat ſe obiecto intelligibili: & lib. 2. ſoliloq. cap. 6. tom. 1. *eas res eſſe falſas nominamus, quæ veriſimilia apprehendimus:* apprehendere autem veriſimiliter, non eſt adæquatè cõformari ipſi rei in apprehendendo: & deniq;

Ariſt.

Ariſt.5.met.tex.34.*falſa dicuntur quæcunq; apta nata ſunt apparere, aut qualia non ſunt, aut quæ non ſunt*: hæc ille, ſed ex tali apparentia extrinſeca falſus remanet intellectus, quia deficit in adæquata cōformatione ſui cum re cognoſcibili, igitur ſi falſitas dicta eſt à fallendo, id autem ſiſtit in negatione conformitatis ad obiectum cognoſcibile, vel è contra, remanet ſtatuta deſcriptio, vt *falſitas ſit inæqualitas intellectus ad obiectum, & è contra.*

Falſitatis materia.

3 Et hinc conſtare poteſt ex multis capitibus genericè loquendo deſumi poſſe denominationem falſi, ſeu falſitatis: ſiuè enim de intellectu, ſiuè de ſenſu, ſiuè de obiecto ipſo efferri poteſt falſitas, ſeù ratio falſi: De obiecto quidem cognoſcibili habemus eam, cùm falſitatem terminat, eamq; in ſemetipſo ſubiectat, quomodo Idolum dicimus eſſe rem falſam, quia verè eſt falſus Deus: immo ſub hac ratione nihil eſt, quia in ſe non eſt Deus, quin potius vt ſic, quatenus exiſtimatur eſſe Deus, tollit ex mente Idolatrarum verum Deum, qui eſt ens entium, ſons, & origo entium, quo ablato nihil eſſet in mundo, & non eſſent entia, & in hoc etiā ſenſu loquebatur Paul. 1. Corint. 9. *ſcimus quia nihil eſt Idolum*. & ſub ratione eadem ipſum nominat *mendacium* Rom.1. quia iuxta Dauidicum pſalm.113. *os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, pedes & non ambulabunt*: proptereaq; ſpeciem apparentiæ continent, ſed non ſunt, ob idque fallitur intellectus Ethnici, dum veritatem aliter apprehendit, quā verè ſit: id autem proponitur ex inadæquata conformatione intellectus ad obiectum. Conſimiliter loquitur D. Auguſt.lib.2. ſoliloq. cap.10. cùm ait, *Tragœdum repræſentantem perſonā Hectoris, eſſe falſum Hectorem*: & Ariſt.5. met.34. *diametrum eſſe falſum commēſurabile coſtæ*. Ex parte etiam ſenſus contingere poterit, vt quia ſit ad experiendam veram rei ſenſationem indiſpoſitus, qua ratione accidit, vt febricitanti dulce appareat amarum, inde verò & fallitur, & multoties intellectus inexpertus idipſum iudicat, intellectus autem Medici non fallitur in eo, noſcit enim veritatem obiecti, & deprauationem ſenſus, atq; falſitatem. Res inſuper vel minus approximata, quam opus ſit ad operationem, vel incongruè diſpoſita, vel rei alteri ſimilis, occaſio eſt cum ſimilibus accidentib. vt falſitas percipiatur in ſenſu, & in intellectu, vt de Iride, in quo veri iudicantur colores, qui tamen non ſunt; in Auricalcho etiā, quod exiſtimatur verum eſſe aurum, quod tamen non eſt, & ſimilib. ſiuè id proueniat ex impotentia intellectus, ſiuè ex accidentib. alijs, conſtat in his eſſe mendacium, & falſitatem iuxta etiam illud pſalmi 4. *vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*: quo in loco idem ſonat, ac *falſitatem*, etenim de creaturis idē dixerat pſalm. 115. *omnis homo mendax*, & Salomon Eccl.1. *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, ſiquidem ſolus Deus verax, & in eo ſolùm reperitur vera ratio boni, veritas, & æterna, ac immutabilis ſubſiſtētia, qui in ſe nec fallitur, nec cæteros fallere poteſt: ideoque in creaturis ſiſtendo, vt quia entia defectibilia ſunt, ideo de eis ait Dauid, *omnis homo mendax*. hęc generatim de nominis notione.

4 Secundò aduertimus falſitatem non eſſe naturalem paſſionem, ſeu proprietatem entis; ratio eſt, quia paſſio competit omni, & ſemper: omni quidē contento ſub ſubiecto ſuo, & ſemper eidem conuenit: at falſitas nō ſic competit, neque omni enti, neque ſemper: probatur, quia nuſquā conuenit Deo. non Angelis ſemper, neque ſemper homini, neque ſemper vnicuique enti, licet competat quandoque eis: tum etiā quia entis paſſiones debent eſſe poſitiuæ, ſicut ſubiecti natura eſt etiam poſitiua, falſitas autem eſt negatio, cū neget veritatem. Dices, paſſiones & accidentia contraria habent fieri circa idem ſubiectum, veritas autem, & falſitas opponuntur, ergo ſi vniuerſo enti competit veritas, etiam competit & falſitas. Reſpondeo paſſiones euenire circa idem ſubiectum genericum, & ſpecificum ſemper, non autem circa omne ſubiectum indiuiduale, & numericum: vnde rationale, & irrationale ſunt differentiæ oppoſitæ, quæ quidem eueniūt ſemper circa idem ſubiectum genericum, quia animal vel eſt rationale,

Falſitas nō eſt naturalis paſſio entis.

Contraria habēt fieri circa idē, declaratur

Paſſiones contrariæ an circa idem ſubiectum.

nale,

nale, vel irrationale, non autem circa idem ſubiectū numericum, quia ſi rationale competit homini, non competit eidem irrationale: ſimiliter album, & nigrum competunt ſubiecto generico qualitatis, non autem ſpeciei albedinis, quæ nuſquam eſt nigra: competunt tamen ſucceſſiuè ſubiecto indiuiduali. Reſpondeo ſecundo quod id verum eſt vbi paſſiones contrariæ ſunt accidentia ſeparabilia à ſubiecto: tunc enim vna dempta, poteſt altera ſubintroire, non autem vbi habent rationem inſeparabilium, etiam in ſubiecto numerico, & indiuiduali: exemplū ſit de homine, circa quem habemus paſſiones oppoſitas, vt riſibilitatis, & flebilitatis, beatificabilitatis, & damnationis: quarum altera paſſio ſaltem in actu ſecundo eſt ſeparabilis à ſubiecto tum ſpecifico, tum indiuiduali, non enim ſemper neceſſe eſt vt rideat, ideoq; poteſt ceſſare riſus, & aduenire fletus: neq; abſolutè neceſſe eſt vt ſaluus fiat, ideo multoties damnatur, & è contra: at loquendo de his eiſdem paſſionibus, & ſimilibus in actu primo ſēper inſunt. Deo autem adeo eſt connata veritas, vt omnino repugnet falſitas: & cùm nullatenus ceſſare poſſit à veritate, nullatenus etiam ſubijci poterit falſitati: quia veritas, & falſitas ſunt quidem paſſiones contrariæ, quæ fieri poſſunt circa idem ſubiectum genericè tentum, vt eſt ens, at non fieri queunt circa omne ſubiectum indiuiduale, vt eſt Deus: circa cætera verò indiuidualia ſubiecta fieri poterunt, loquendo de ſubiectis creatis, ſiue ſpecificis, ſiue indiuidualibus, vt circa Angelum, qui *in veritate non ſtetit*, Io: 8. & circa hominem, de quo dicitur, *omnis homo mendax*.

5 Dices eo ipſo, quod res in ſe vera eſt, eo etiam ſequitur vt comparata ad alteram ſit falſa, vnde falſitas erit paſſio communis toti enti. prob. anteced. quia eo ipſo quod homo ſecundùm ſe verus eſt, quia eſt talis naturę, eo ipſo eſt falſus, quia nō eſt bos, aſinus, lapis, & ſimilia, vnde dicere ipſum eſſe lapidem, bouem, aſinum eſt falſum, ergo etiam falſitas eſt cognata paſſio omni enti. ſed hoc argumentum friuolum eſt, primò quia ideo res vna dicitur reſpectu alterius falſa, quia rei illi competit repræſentare, vel eſſe imaginem, & Idolum rei alterius, cumque minus aptè contineat, & minus congruè repræſentet, inde vocatur falſa, & mendax res illa: homo autem non habet ex ſe vt repræſentet lapidem, aſinum, & vniuerſa cætera entia, ideo ad notitiam hominis, quatenus comparatur ad illa alia, non ſequitur ipſum hominem eſſe falſum Item ſi hoc eſſet verum ſequeretur Deum benedictum eſſe ens falſum, quia cum ex ſe repræſentet naturam ſuam, & cum ex ſe ſit verus Deus, quatenus tamen non ſit verus lapis, non verus Angelus, non verum cœlum, & ſimilia, erit in ſeipſo falſum. Sequitur etiam Chimeram in ſe eſſe ens falſum, & Auricalchum, & mortem, & negationem, ac priuationem, ac tenebras eſſe falſa, cuius tamē oppoſitum eſt veriſſimum: & probatur, ſupponendo hæc omnia in genere ſuo nō eſſe falſa, ſed vera: etenim mors nō eſt falſum, ſed verum, quia verè habet talē conceptionē, quę ſibi cōpetit, vt verè ſit mors, & priuatio, & negatio vitæ: ac tenebræ ſunt in genere ſuo vera, & non falſa, quia verè competit negationi, priuationi, ac tenebris talis priuatio lucis: ac demum chimera, & auricalchum in ſuo genere ſunt etiam vera, quia licet chimera ſit ens à ratione fictum, & imaginatum, nihilominus in genere chimeræ eſt vera chimera, & auricalchum licet in ordine ad verum aurum ſit aurum falſum, tamen in genere auricalchi eſt verum auricalchū, cum habeat quæ expediunt auricalcho: hoc ſuppoſito, ſi res in ſe, & genere ſuo vera, eſſet falſa in ordine, & cōparatione ad aliud, quod non continet, vel quod non eſt ipſum, ſequitur chimeram, mortem, negationes, priuationes, & ſimilia eſſe entia falſa, ſeu nō eſſe vera in genere ſuo: licet enim non mereantur nomen entis, tamen in genere ſuo ſunt vera. item nullo intellectu cogitante, & comparantè inuicem obiecta, ſequitur nihilominus vnum, & alterum ex ſe ſolo eſſe verum: & ſi per impoſſibile nō faceret diuinus intellectus comparationem illam, adhuc verū remaneret in ſe obiectum, & non falſum, quia tale eſt in genere ſuo. Deniq;

Omne ens ſiuè poſitiuum, ſiuè priuatiuū in genere ſuo eſt verum.

Falſitas nō eſt cognata omni enti. niq; peccatum de ſuo formali nihil eſt, cùm ſit pura priuatio, carentia, & negatio rectitudinis, ac iuſtitiæ: at peccatum & ſi pro formali non ſit ens, nihilominus eſt dicendum quod in genere ſuo habet eſſe verum, quia eſt vera offenſio Dei, vera culpa, & vera legis tranſgreſſio. remaneat igitur vt non ſit paſſio cognata enti falſitas, nec omni enti competit, quia non Deo: nec ſemper conuenit cuicũq; enti, etiam creato, & finito.

Falſitas, et Veritas quomodo opponãtur ſententia Aliorum. 6 Tertio addimus veritatis, atq; falſitatis pugnam, & oppoſitionem: alterum namq; alteri obſtat, & opponitur, vt patet, quia alterũ ab altero tollit propriam rationem, & naturam, cũ alterum in adæquatione ſiſtat, & alterum in deſtructione adæquationis, vt dictum eſt: quæritur autem qualis ſit hæc pugna, & qualis oppoſitio, vtrum contradictoria, diſparata, an verò contraria. Dixere quidam opponi negatiuè tanquam affirmatio, & negatio, quia totum quod affirmat veritas, negat falſitas. immo ipſum eſſe, & componere, ſeu cõſtruere vocatur ab Ariſtot. *affirmatio*, ſicut deſtruere nominatur ab eodem *negatio*: conſtructio autem per veritatem habetur, qua cũcta ſunt verè entia, poſſibilia, vel actu: falſitate autem deſtruere intendimus, dum intendimus veritatem negare. ergo opponuntur tanquam affirmatio, & negatio. Diuus Tho. artic. 4. docet opponi cõtrariè. & ſubdit quod vtrũque addit aliquid poſitiuum; de veritate patuit ſupra, & de falſitate expreſsè concedit quod addit aliquid: & probat ex Ariſt. 2. perih. cap. vlt. vbi docet, *falſam opinionem eſſe opinioni veræ contrariam.* & idem 4. met. t. 27. ait, *eſt enim falſum, ex eo quod dicitur, vel videtur aliquid eſſe, quod non eſt, vel non eſſe quod eſt*: ex quibus authoritatib. duo elicit D. Tho. alterum eſt quod falſitas aliquid addit: & alterum, quod veritati opponatur contrariè.

Falſitas nō ſemper addit quid poſitiuum, 7 At iſta duo non videntur poſſe ſubſiſtere: non primùm, quia non ſemper falſitas addit aliquid, probatur ex eadem authoritate proximè allata, cũ dicit, *falſum eſſe, vel quia videtur eſſe, quod non eſt, vel non eſſe quod eſt*: vbi duplicem aſſignat Ariſt. rationem falſi, vel attribuendo rei, id quod non eſt, vel negando ab ipſa abſolutè id quod eſt: primus quidem modus conſiſtit in additione alicuius realis, dum attribuo homini entitatem lapidis: at ſecundus conſiſtit in ſimplici negatione totius eſſe ſecundum Ariſt. abſq; noua additione alicuius vlterioris, vt cum quis negat cælum, & mundum, hic. n. nulla facta additione, reperitur ſimpliciter falſitas, ergo abſolutè non addit ſemper falſitas aliquid ſupra rem, de qua eſt falſitas. Conuincitur hoc idem ex definitione blaſphemiæ, eſt namq; blaſphemia *maledicentia contra Deum, & ſanctos, vel addendo quod non licet, & quod non eſt, vel negando quod ipſe Deus eſt*; qua in re, poſitiuum reperitur, & negatiuum; penès primum, iam cõſtat reperiri veram, & realem additionem, vt addendo Deo caput, pedes, bracchia, & ſimilia; & penes ſecundum, nulla facta additione etiam habebitur ratio blaſphemiæ, vt negando Deum eſſe, negando eſſe Trinum, eſſe ſummum ens, &c. at ipſamet blaſphemia nil aliud eſt, quam falſitas, & mendacium: ergo ratio falſi non ſemper conſiſtit in additione. repugnat etiam ipſimet nomini, & voci falſitatis, quæ de ſui primo ſignato importat quid negatiuum, vnde pro ſignificato formali, & ſecundo intentionaliter capto, eſt pura negatio: quod ſi aliquando reperiatur facta additio, importabuntur ibi duo, & poſitiuum additum, & negatiuum: primum patet ſiſtere in additione noui prædicati, & ſecundum habet locum in falſa additione talis enunciati.

8 Nec alterum, quòd prædicta opinio addebat videtur abſolutè verum, quod. ſ. falſitas opponatur contrariè veritati; probo, cum dico hominem eſſe, dico veritatem, cum autem dico nõ eſſe hominem aſſero falſum: at eſſe, & non eſſe non opponuntur cõtrariè, ſed contradictoriè; ergo abſolutè non interuenit contraria oppoſitio. maior eſt D. Aug. l. 2. ſoliloqu. c. 5. Reſpondet D. Tho. quod quatenus apprehenditur per intellectum eſſe, & non eſſe, eatenus ſunt contraria, ſimpliciter tamen, aſſereret eſſe, & non eſſe, fore contradictoria. Sed reſponſio non euacuat rationem, & prob. ſicut res ſe habet ad *Falſitas vtrũ opponatur contrariè veritati.*

eſſe, & non eſſe, ita ſe habet ad cognoſci: ſed res in ordine ad eſſe, & non eſſe ſe habet contradictoriè, ergo intellectus concipiens rem eandem ſub ratione eſſendi, & non eſſendi, concipiet eam ſub oppoſitione contradictoria; maior propoſitio pendet ex vulgato axiomate, quod *ficut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci*, ſequitur etiam vel nunquam intellectum poſſe concipere cōtradictoria, vel cum concipit contradictoria non concipere ea vt contradictoria, ſed ſolum vt contraria, vtrūq; autem eſt falſum, & probatur, intellectus concipiendo eſſe, & non eſſe, concipit per te ſub ratione contrarij, ergo non apprehendit ſub ratione contradictorij; ſi dixeris, apprehendendo ſub ratione contrarij, apprehendere implicitè ſub ratione contradictorij quia contradictorium includitur in contrario; id licet ſit verum quoad includi, quia ſi inter albedinem, & nigredinem eſt veritas contrarietatis, multo magis aderit veritas contradictionis, quia verè vnum non eſt aliud, & vltra hoc, vnū contrariatur alteri; attamen dicere, quod omnino contradictoria non cōcipiantur niſi ſub ratione contrarii, id expreſsè pugnat rationi, tum quia contradictio non eſt contrarietas, ſed eſt in ſpecie admodum differenti oppoſitionis; tum quia non vbicunq; reperitur contradictio reperitur contrarietas, vt patet, in hac propoſitione, *qualitas, & non qualitas*, vbi tamen nō adeſt contrarietas nigredinis, & albedinis, ſpectantium ad ipſam qualitatem; tum deniq; quia nullus intellectus poſſet veritatem concipere contradictionis, ſed ſemper eam conciperet ſub ratione contrarietatis; quod falſum eſſe experimēto diſcimus noſtri intellectus, qui ſi deficiat, id præſtabit Angelus, aut ſaltem non deficiet intellectus infinitus ipſius Dei, qui cuncta permeat, & vnaquæq; nouit vt ſunt, contraria quidem vt contraria, & contradictoria vt contradictoria.

Gradus multiplices oppoſitionis inter veritatem, & falſitatem.

9 Dicendum ergo ex noſtra ſententia varios eſſe, & diſtinctos oppoſitionis gradus inter veritatem ipſam, & falſitatem, adeoq; tot inter vtramq; modos reperiri oppoſitionum, quot modi ſunt ipſiuſmet oppoſitionis in genere oppoſitionis, vnde dedoceo quādoq; falſitatem veritati opponi ſolum contradictoriè, quandoq; priuatiuè, quandoq; diſparatè, atq; etiam quandoq; opponi contrariè. Declaro ſingula, cum dico albedo non eſt, falſum dico, quia verè eſt in rerum natura, & talis falſitas opponitur ei ſolum contradictoriè, quia abſolutè negat totum eſſe eius: inter eſſe autem, & non eſſe ſimpliciter ſtat cōtradictio: igitur primo loco habemus oppoſitionem contradictoriam. item cum dico albedo eſt rubedo, falſum affero, & falſitas ſibi opponitur ſolum diſparatè, etenim id aſſerit, & id apponit, quod diſparatè opponitur ipſi albedini, cuiuſmodi eſt rubedo, cæteriq; colores intermedij. cū inſuper aſſero albedo eſt nigredo, habeo falſitatem oppoſitam contrariè, quia contrariè opponitur albedini nigredo: cum deniq; dico, videns eſt cæcus, falſitatem pronuncio, at ſolum oppoſitam veritati priuatiuè, quia talis eſt inter cæcitatem, & viſionem oppoſitio. habemus ergo clariſſimè, & diſtinctiſſimè, ni fallor, cunctos oppoſitionis gradus inter falſitatem ipſam, & veritatem: quapropter non abſolutè contrariè opponi, nec abſolutè priuatiuè, & negatiuè, ſed ſic, vel ſic vt dictum eſt, aſſerendum erit falſitati ipſam veritatem. nec mirum eſt ſi tot gradus in falſitate diſtinguimus, etenim ſicut veritas ſuſcipit gradus, vt ſup. attigimus, omnia namq; entia, entia vera ſunt, at vnum altero verius, firmius, magis neceſſarium, minuſq; corruptibile, & minus corporeum, aut quantum, ita etiā iidem gradus multiplicandi veniunt in falſitate, quia *oppoſitorum eſt idem iudicium*.

Falſitas veritati an oppoſita mediatè, an immediatè.

10 Et hinc deducimus oppoſitionem inter veritatem, & falſitatem non eſſe immediatam, ſed mediatam, niſi tamen loquamur de oppoſitione priuatiua, & contradictoria: & patet de omnib. quia inter priuationem, & habitū non datur medium, quod neq; datur inter contradictoriè oppoſita, igitur oppoſitio veritatis ad falſitatē loquendo de his, erit immediata, ſicq; falſitas, & veritas erunt immediatè oppoſita: in oppoſitione autem diſparata, & cōtraria, quia media intercedunt, inde ſit,

ſit, vt falſitatis ad veritatem oppoſitio diſparata, vel contraria non ſit immediata,ſed mediata,ſitq; veritas, & falſitas oppoſita mediata. quod etiam patere poterit in plurib. conſimilib. exēplis vt de amicitia,non amicitia,& inimicitia: de iuſto, iniuſto, nec iuſto nec iniuſto per Dei potentiam, & de ſimilibus,circa quæ diſcurras, vt prius, aſſignando oppoſitionem mediatam, vel immediatam,contradictoriam,contrariam,vel diſparatam: vt cum Frãciſcus per Dei potentiam conſtituitur in ſtatu medio, ſeu in puris naturalib. quo facto neq; erit Deo amicus, nec inimicus,& dicere eſſe inimicum, erit aſſerere falſum contrariè,ſicut etiam dicere eſſe formaliter amicum, erit falſum aſſere diſparatè: aſſerere autem nec amicum eſſe, nec inimicũ, erit quidem aſſerere verum; & nullam oppoſitionem habebit falſitatis, non quidē contrariam,cùm non ſit inimicus, non diſparatam, cùm non ſit amicus, nec contradictoriam,cùm non dicatur eſſe amicum, & non amicum, quod eſt cōtradictio, ſed dicatur, nec amicus nec inimicus,negando amicitiam,& inimicitiam,contradictio autem habet alterum terminum poſitiuum,hic verò ambo ſunt negatiui. Dices ſaltem adeſſe oppoſitionem priuatiuam, quia anima Franciſci eſt ſubiectum capax amicitię Dei,quam non habet:ſed verius eſt dicendum neque eſſe priuatiuam talem oppoſitionem, quia priuatio cùm ſit carentia, dicit defectum, at ſuppoſito quod Deus velit formare,& conſeruare creaturam in puris naturalibus iam nullum permittet defectum,& culpam in ea,ſicut etiam nullam admittere formam oppoſitam ſanctitatis, & gratiæ: aſſerere autem reperiri priuationem, eſſet aſſerere contradictionem, & implicantiam, quia ratione priuationis eſſet anima eius defectuoſa, & inimica,& ratione hypotheſis non eſſet inimica; quod ſi extenſo priuationis nomine intelligamus negationem formę, quæ poſſet ineſſe, & non ineſt, id concedatur, attamen non admittatur talis priuatio ſub ratione defectus, & culpæ,quia repugnaret ei, quod ſupponimus de potentia Dei abſoluta conſtituente hominem in puris naturalibus.

11 Ad Ariſtotelem autem cùm aiebat contrarietatem reperiri inter falſitatem,& veritatem, dicendum vsũ fuiſſe nomine contrarietatis valde extenſè, non enim ſpecificare voluit cōtrarietatis ſpeciem, atque oppoſitionis, ſed cōfusè, & indiſtinctè de oppoſitione loquens dixit opponi contrariè: quomodo etiam nos ſolemus multoties ita largè vſurpare nomen contrarietatis, vt de quocunque qualitercunq, alteri oppoſito dicere ſolemus ea eſſe cōtraria,& ſibi inuicem pugnare. hac ergo ratione de contrarietate loquebatur veritatis, atq; falſitatis.

Ariſtotelis ſenſus de oppoſitione falſitatis ad veritatem.

12 Quartò dicimus falſitatem in vniuerſum contemplandam fore varijs ex capitibus, iuxta ipſiuſmet veritatis naturam,ſiue moralis.& practicæ, ſiuē etiam ſpeculatiuæ: ab his namq; principijs falſitas omnis pendet; ſicut etiã omne veritatis genus attribuimus ſupra ad iſta duo capita practicæ, & ſpeculatiuæ. itaque de falſitate loquendo de duplici loquimur intellectu, diuino, & creato: & inſuper addimus rationes ipſas menſurarum ſiue cognitionis menſurabilis,ſiue etiam menſurabilis obiecti, non enim parum, ſed admodum confert ratio menſuræ ad falſitatem, ſicut per eandem menſuræ naturam reſoluimus materiam de veritate.

Falſitas ex varijs capitibus contemplanda

13 Ergo ad diuinum intellectum accedendo ſub ratione ſpeculatiui,in ipſo nullatenus poteſt eſſe falſitas. id autem probatione non eget,ſed veluti primum habetur principium in ſcientia Dei, vt dicetur agendo de ea:quapropter cùm comprehendat adæquatè eſſentiam diuinam,perfectiſſimè etiam norit omnia creata in ipſamet eſſentia beatiſſima contenta, euenit quod nil impedit, aut retardat diuinam notitiã à veritate noſcendi, non enim cauſatur à ſecundarijs obiectis, igitur nec loco indiget,nec tempore,nec diſpoſitione vlla,approximatione, aut præparatione obiecti ad intelligendum, etenim *in altis habitat, & humilia reſpicit in Cœlo. & in Terra*, iuxta Dauidicum pſalmum 104. Rurſus ipſemet Deus mediantè etiam diuino intellectu, & voluntate operatur cuncta, quæ fiunt, ipſiſq, ab æterno contulit eſſe idæatũ,

Falſitas nulla in intellectu Dei ſpeculatiuo.

& cognitum,& inde in re extra producit ea in tempore, igitur falli nequit in eorum intuitione: cùm etiã, quia producit cuncta iuxta idæas proprias, atque iuxta cognatas rationes creandi, ab ipſomet taxatas, & præfinitas ab æterno, quo fit vt non erret, cùm cognoſcat res ipſas eſſe creatas conformiter ad ſuas idæas. Præterea, in hoc noſcendi genere non cognitio ab obiecto meſuratur creato, ſed creatum obiectum à diuina menſuratur cognitione, vt dicebamus ſupra de veritate: nec enim eius notitia paritur ab obiecto creato, igitur cùm non dependeat ab eo ſub ratione entis, nec dependebit ab eodem ſub ratione menſurati, & notitiæ; prius autem diuina notio eſt creati obiecti menſura, quia ſapientia Dei cunctis elargitur qud ſibi eſt congruum, & cuncta formata ſũt iuxta præfinitas metas, & taxatas idęas à ſapientia Dei, iuxta illud Eccleſ. 12. *quando præparabat Cælos aderam*; & poſt diuinorum operum enarrationẽ, concludit eadem ſapientia diuina, *cum eo eram*, nempe cum Deo. *cuncta componens*, itaq; ex tot capitibus, quorum reliqua ad attributum ſapientiæ transmittimus, conſtat falſitatem nullam in diuina notitia, nec quoad ſimplices terminos, nec quoad quodquid eſt, nec ad genus vllum compoſitionis, & diuiſionis cognoſcibilis. Et multo minus falſitas reperietur quoad notitiam cõpoſitiuam, & diuiſiuam eiuſdem Dei: oſtenſum eſt enim non multiplicari actus intellectus in eo, ſicut in nobis, ipſe namque actu vnico ſingula iuxta omnem conditionem intuetur, atque noſcit compoſitionem omnem, diuiſionemq; cuiuſq; creati intellectus, licet in eo non ſit talium actuum viciſſitudo, vt diximus artic. præced.

Falſitas nulla in intellectu Dei practico.

14 Et ex hac ratione etiam cõſtare poterit neque falſitatem reperiri in eius practico intellectu: ſiquidẽ Deus eſt primus omnium Artifex, & Moderator, & cuncta ipſe idem adminiſtrat, nihilq; euenit abſq; eius voluntate, ſeù permiſſione, igitur ex hoc capite non poteſt. inſuper cuncta ipſe agit conformiter ad regulas prudentiæ, & ſapientiæ ſuæ, hæc autem eſt infallibilis, ergo & practica eius cognitio erit infallibilis. Cũctis etiam diſtribuit prout eſt opus, iuxta rationes, & idæas ſingulas ipſarum rerum, conſtat ergo nõ falli. Denique ea, quæ eueniunt, nunquam eueniunt inſcio Deo, ſed cuncta deriuant ab æterna, & inexhauſta ſapientia eius, igitur implicat vt ſic fallatur. Dices multa euenire tortuoſa, monſtruoſa, atque defectuoſa, vt patet in monſtris, atq; etiam in ipſis peccatis: atqui hæc non intendit Deus, cuius finis eſt, vt cuncta perfectè prodeant, & habeant cętera id omne, quod ad ea ſpectat, & recta ſint. Reſpondetur cũcta euenire ex certiſſima Dei ſcientia, & voluntate ſiue permiſſiua, ſiue eorũ tanquam cauſa verè effectiua: vnde ſi bona ſunt, verè Deus ea intendit producere, atq; efficere, vel mediatè cum cauſis ſecundis, vel immediatè ex ſe ſolo vt in creatione: quod ſi mala ſint, vt peccata, defectus, culpæ, monſtra, & ſimilia, etiam ea ex certa Dei ſcientia eueniunt, quæ antequam accidant nouit, & intellexit, vnde ab æterno intuitus fuit Petrum fore eum negaturum, Iudam proditurum, Magdalenam peccatricem, & ſimilia: ad quam inde notitiam acceſſit diuina voluntas permittens Petrum negaturum, proditurum Iudam, & huius generis: idem aſſerendum de Monſtris, cæteriſq; defectibus, vt morte, & priuationibus, præſciuit namque ob defectum materiæ, vel alterius cauſæ fore naſciturum monſtrũ, & idipſum permiſit, quia Deus non deſtruit naturam, ſed concurrit ita cũ cauſis ſecundis, *vt proprios motus agere non impedit*, iuxta Auguſtin. quo fit vt optimè hæc noſcens non fallitur. Et hinc concludimus nil fortuito accidere, neque caſu in ordine ad Agens primarium, ſi namq; caſus, & fortuna accidunt penes creata agentia, id non euenit penes Deum, à quo diriguntur omnia, veluti ab Angelo, ſeù *intelligentia non errante*, vt dicitur in ſecundo phyſ. quo fit, vt neque in intellectione ſua practica fallatur.

Peccati, & Monſtrorũ productio.

15 Nunc verò accedamus ad intellectum creatum, de quo item duo diſtingnimus, vel diuidimus, in duplicẽ nempè rationem notitiæ vel practicæ, vel ſpeculatiuæ: ſed incipiamus à practica cognitione, praxim ſupponimus

eſſe

eſſe, *operationem alterius potentia ab intellectu, poſteriorem quidem intellectione, atque natam conformari rationi recta ad hoc vt ſit recta*. ita habitum fuit in materia de praxi: ex qua vnum deducimus, veluti nunc neceſſarium ad falſitatem indagãdam intellectus practici: id autem erit conformatiuitas cum ratione, quæ ſi recta erit, recta quoque foret ipſa praxis, quòd ſi illa falſa, neceſſum eſt, vt praxis quoq; ipſa ſit falſa. hoc ſuppoſito, cui addimus & alterum, nempè intellectum quoq; ipſum alias ſpeculatiuum, fieri inde quandoque practicum per extenſionẽ ad praxim, prout etiam ibi habetur ex axiomate Ariſtotelico, *intellectus extenſionis fit practicus*.

Intellectus creatus practicus tũc falſus, cũ recedit à ratione regulatiua recta; ex oppoſito verus cũ cõcordat cum ratione recta.

16 Modo dicimus, tunc creatum intellectum practicum eſſe falſum, cũ à regula diſcordat, & à ratione recta agendi, & operandi moraliter practicè. probatur hæc cõcluſio tùm ex deſcriptione praxis: tùm etiam ab oppoſito ſenſu veræ operationis practicæ. tunc practicus intellectus erit verus, cùm ad regulas, ac metas recurrit operandi, & agendi, conformando ſe dictamini, & rationi rectæ circa praxim, ergo tunc erit falſus, & mendax, cùm à dictamine deficiet, & recta ratione agendi non conformando ſe ad rectas regulas practicas. Confirmatur ex pſalmo 13. *omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*: declinare autem eſt à recta ratione deficere, vnde conſequens eſt, vt mendaciter agant, & falſa commententur. ſimile huic eſt alter ille locus pſ. 57. *errauerunt ab vtero, loquuti ſunt falſa*: errare autem ab vtero non eſt cõformari legi, ac diſpoſitioni diuinæ, ordinauerat namq; Deus vt vnuſquiſq; propagatus ab Adam, ortus ex vtero matris ſuæ, veſtem afferret innocentiæ, ac iuſtitiæ originalis, quam cunctis promiſerat ipſe Deus in Primo capite Ada, at quia naſcimur tali exuti veſte nuptiali, incipimus initio, ab eodem primo conceptionis inſtanti etiam exiſtentes in vtero, errare, declinare, ac peccare. iuxta id pſalm. 50. *iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*: ac demum ita errantes naſcimur vt inde loquamur falſa, ementita operemur, & agamus peruerſa, ideoq; addit, *loquuti ſunt falſa*, quia .ſ. *errauerunt ab vtero*: qui error cũ vniuerſaliſſimus ſit, etenim tota remanſit ab originali culpa infecta Natura, *excepta Virgine*, quia *omnes naſcimur filij ira*, iuxta Apoſtolum, ideo etiam de omnibus loquitur, omeſque comprehendit ipſe Dauid cũ ait. 115. *omnis homo mendax*.

17 Accedit & altera ratio, quia creatura omnis de ſe defectibilis eſt, & peccaminoſa: omnis inquam, tùm Angelica, tùm verò humana: taliter, quod ex Anſelmo neque per Dei potentiã poſſit creari natura, quæ de ſe per naturam ſit impeccabilis, vt docet Anſelm. lib. 2 cur Deus homo c. 10. Auguſt. lib. 3. contra Maxent. c. 13. & D. Hieron. in tract. de filio prodigo: quare cùm omnis ſit nedum phyſicè defectibilis, vel ratione materiæ, vt corporalis; vel ea ratione, quia non ens neceſſarium, ſed cõtingens, vt ſpiritualis natura; verum etiã defectibilis ſit moraliter in operando difformiter, & diſcorditer ad rationem rectam: & denique quia voluntas cùm ſit eſſentialiter libera, non cogitur ad ſe conformandũ rectæ rationi, ideoq; difformiter agit, & peccaminosè operatur non ſe conformando practicæ legi, & præcepto recto: & hæc capita deſeruire poſſunt ad reddẽdam rationem cur mẽdax ſit, & falſus intellectus practicus in operibus moralibus, in adimpletione legis, in obſeruatione mandatorum, & ſimilibus; euenit namq; vel quia non ſe conformat recto dictamini, vel quia nõ cogitur ad ſe conformandum, cùm ſit eſſentialiter libera; vel quia de ſui natura eſt defectibilis; vel deniq; ratione primarij peccati, ex qua deprauatus remanſit affectus, excæcatus intellectus, atq. procliuis totus homo ad malum, iuxta id Geneſ 8. *ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*.

Creatura omnis de ſe defectibilis eſt, tũ phyſicè, tũ moraliter.

Falſitas intellectus creati ſpeculatiui ratione culpæ, ratione ſtatus via, & ex ordine potẽtiarum.

18 Sed tranſeamus ad intellectum ſpeculatiuũ, vndenam deſumetur eius falſitas? nonnulli eam referunt ad rationem culpæ, & originarij peccati, eo namq; remanſit, vt fuit dictum, obſcurata ratio, iuxta id, *excæcauit illos mali-*

tia eorum : quæ etiam eſt ſententia Auguſtini, qui 15. de Trin. cap. vlt ait, *qua igitur cauſa eſt, anima mea, cur acie fixa lucem ipſam videre non poſſis, niſi vtique infirmitas? & quis eam tibi fecit, niſi iniquitas?* & lib. 3. de lib. arb. *approbare vera pro falſis eſt natura lapſa, non inſtituta.* ad quod etiam adduci poteſt Phyloſoph. *omnis malus ignorans*, Alij, vt Scotus præcipuè, dicit id prouenire ex capite duplici, vel ratione *ſtatus viæ*, vel ex *ordine potentiarum*: primo ratione *ſtatus* euenit vt fallatur intellectus, quandoquidē ſumus in ſtatu valdè imperfecto, qui eſt ſtatus Viatoris, quē, vt ſic, contingit ſæpè ſæpius errare, falli, cadere, atq; mentiri: hæ namque paſſiones ſunt ipſius naturæ creatæ, quæ antequam conſtituatur in termino, deficere poterit, ſicut de facto deficit; & ita patuit de quibuſdam Angelis, qui in ſtatu viæ, & morularum paucarum exiſtētes iam ceciderūt, & prolapſi ſunt, quod multo frequentius accidit in natura humana corrupta. Cùm verò in termino ſui ſtatus fuerit, non cadet amplius, nec ruet; ita quoq; nec intellectus falletur, nec falſus erit, ſicut accidit in Beatis, omni expertibus falſitate, & mendacio, qui intuentur Deū *ſicuti eſt*; & circa obiecta creata, quæ noſcere voluerint, ea apprime noſcēt, affert namq; talibus reuelationem, & claritatem obiecti cognoſcibilis ipſe Deus, pro cuiuſq; merito, & captu, de quo infra in mat. de Viſione beatifica: & hæc poterit eſſe prima ratio. Altera eſt potentiarum ordo, & nexus, quandiu enim ſumus Viatores recurrimus ad ſenſus cauſa intellectionis producendæ, ſiquidem *omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſibus* : at euenire poteſt vt organa ſint prauè affecta, ſenſuſq; malè diſpoſiti, inde eſt, vt intellectus fallatur, & decipiatur: multiplicitas etiam ſpecierum, quarum altera magis moueat, magiſq; deſtrahat, valde impedit : infirmitas quoque ipſius corporis, & pręcipuè perturbatio mētis, & animi, valdè rectum iudicium impedit: ac denique affectus, & paſſio excedens, ſiue amoris, & odij quam maxime retardant, immo cauſa ſunt vt de cæteris non aptè, & veraciter iudicet intellectus: depravatis autem organis, & ſenſibus, qui tanquam via deſeruiunt ad intelligendum, & contemplandum, reſtat vt intellectus quoque remaneat fallax, & deluſus, quia *corpus, quod corrumpitur aggrauat animā.* Sap 9. Addunt alij id prouenire quia intellectus nō noſcit ab intrinſeco rei ipſius naturas, & eſſentias: ſed hoc non erit veluti diſtinctum impedimēti mēbrum apponendū, etenim ideo à priori non noſcimus, quia imperfectionib. extamus inuoluti ſenſuum; ideoq; non apprime intellectus etiā à priori noſcens, non apprime inquam, & adæquatè cognoſcit, aut comprehendit, quia licet quandoque à priori cognoſcat, attamen in modo cognoſcendi deficiet, intenſius enim cognoſcet altero vnus, & vnus altero, ea ratione, qua finita entia ſumus, & impares, vt adæquate vt decet, noſcamus obiecta: id enim ſolo Deo reſeruatur, qui cōprehendit ſeipſum, & cuncta cætera creata. Hoc autem quod de ſpeculatino diximus intellectu, nedum dictum volumus de quodquid eſt, & de ſimplcibus obiectis: ſed etiam de quibuſcunq; etiā componibilib. & nedum de ſecunda intellectus operatione, quæ in compoſitione, & diuiſione conſiſtit, verum etiā de prima, & ſimplici, quæ eſt ſimplicium apprehenſio: de cunctis namque accidere poſſunt impedimēta noſcendi, quæ hucuſque attingimus: quo fit vt pro aurichalco intellectus neſcius, & ignarus, comprehēdat, & credat aurum : pro apparentibus coloribus in Cœlo, & Iride, iudicet eſſe ibi veros colores, & pro ficto Hectore, verum concipiat Hectorem, & ſimilia. diſtantia namq; indebita approximatio, cunctaq; impedientia, ſiue allata, ſiue conſimiliter afferenda, mendacem reddunt intellectum, quoad primam, ſecundam, & tertiam, atque vltimam operationem ſuam.

Ex alijs capitibus.

19 Idem ſtatuamus iudicium de ſenſibus, vt quæ pro intellectus operatione mendaci adduximus, applicemus ad ſenſum: experimur ſiquidem ſenſum prauè affectum, non veracem adipiſci ſenſationem de obiecto : ſcimus febricitātibus dulcia apparere amara propter alterationem palatus, ac prædominium febris : ſcimus oculum in Iride

Senſus deceptio vnde.

con-

condelectari, veluti in colore, ac ita judicat cælos, & metherologicas impreſſiones eſſe coloratas: ſcimus eundem decipi circa aurichalcum exiſtimando ipſum verum aurum: ſcimus Echon non eſſe quid animatum, nec eſſe animal, at iudicat auris eſſe viuentē quendam ſic loquenti reſpondentem, & confabulantem: ſcimus deniq; multa ſenſibus pro veris apparere, quæ tamen falſa ſunt, & erronea, prout omnibus conſtat experimento, & iudicio: quapropter & de intellectu, & de ſenſu aſſerimus multoties falli, vt ſicut idē ſubiectū capax eſt veritatis, ita quoq; capax ſit falſitatis, & erroris, & id circo quodcunq; obiectum, ſiuè commune, ſiuè proprium, ac penes quamcūq; operationem, ſiue primam, & ſimplicē, ſiuè ſecundariō. hæc autem eſt Ariſtotelis ſententia expreſſa, & clara: ſiquidem vbi prius dixerat 2. de anim. c.6. *ſenſum non falli, circa proprium ſenſibile, circa autem commune poſſe decipi*, alibi tamen eandem ſententiam corrigendo in lib.3. t.161. ita dixit, *ſenſum non falli circa proprium ſenſibile, niſi raro*: conſtat autem ex eod. aliquando falli: eandemq; ſententiam tuetur D. Tho. qui art.2. ait, ſenſum circa proprium ſenſibile non falli per ſe, & vt in pluribus, ſed per accidens, & in paucioribus, & ita exiſtimat exponendum fore Ariſtotelem. idemq; dicendum de prima operatione intellectus, vt per eam non ſemper, per ſe, & vt in pluribus ſit falſitas, ſed ex accidenti, & in paucioribus: atq; hoc ſenſu loquutum fuiſſe eundem Ariſtot. lib.3. de an. t.21. & 9. met. t.22. indicāt D. Tho. loc. cit. & cum Ariſtoteles docuit falſitatem, & veritatem nec in ſenſu, nec in operatione ſimplici reperiri, ſed in compoſitione, & diuiſione, id explicat idē Thom. de veritate, & falſitate per modum cogniti, & in actu exercito, ſeu reflexo, vt fuit dictum, quomodo nec ſenſus cognoſcit veritatem, aut falſitatem operationis ſuæ, cum non ſit reflexiuus ſui ſupra ſeipſum, aut ſupra propriam actionem, nec intellectus per operationem ſimplicem, & primariam cognoſcat veritatem, aut falſitatem ſuæ propriæ operationis, cum conuerti ſupra ſe, & ſupra actionem non ſit opus operationis ſimplicis, & primariæ, ſed ſecundariæ, compoſitiuæ, ſiuè diuiſiuæ, quomodo ſupra tradidimus, ſed ea operatio competat vlteriori operationi intellectus, ſiuè ſecundæ, ſiuè tertiæ. atq; ita ſoluuntur loca omnia Ariſtot. in contrarium adducta artic.6. prout etiam adnotauimus in artic. præced.

Sēſus vtrū decipiatur ex Ariſtot.

20 Sed explicemus amplius occaſionem, & cauſam deceptionis, atq; erroris aduenientis circa ſenſum: cauſam .n. deceptionis intellectus vtcunq; attigimus, de ſenſu autem varia extat explicatio. Alij namq, dicunt id prouenire ex eo, quod vna ſpecies ſenſibilis recepta impedit receptionem alterius & verioris obiecti, de quo deberet producere ſenſationem veram; vt exēpli gratia cum intueor obiectum nigrū mediante corpore trāſparenti rubeo, decipitur oculus exiſtimando nigrum eſſe viride, quia viridis vitri ſpecies recepta impedit exterioris obiecti ſpeciei receptionem, ex quo fallatur viſus, & decipiatur. Alij aſſerunt non quidē prorſus impedire vnam ſpeciem alterius ſpeciei receptionem, etenim per vitrum ſemper ferè trāſit externi obiecti ſpecies, & ſimulachrum, ſed vnam impedire ſenſationem alterius, ita vt ſenſus affectus ſpecie vna, ex qua ſenſationem eſt expertus, impediatur vt apprimè ſenſationem experiatur alterius ſpeciei: vel ſi alterius etiam ſenſationem facit, et experitur, vincet ſenſatio intenſior, et magis potens, ratio autem inde deducitur, quia *intus exiſtens prohibet extraneum* ex lib.3. de an. t.4. Addunt alij, ex duab. ſpeciebus ſimul concurrentibus formari vnam, ita vt ex ſpecie viridis, et nigri formetur vnius tertij repræſentatio; ſicq; fallitur ſenſus, quia nec percipit ſub ratione viridis, nec nigri: Dicendum autem id primo prouenire ex parte ſenſus, vt ſi aliter ſit affectus, neceſſe eſt, vt minus veritatem recipiat, quam decēs eſt: ideoq; Ariſt. docuit omne receptiuum ſenſitiuum debere eſſe denudatum à natura recepti in communi: dixi *ſenſitiuum*, vt excludam *intellectiuū*, ſeu intellectiuam potentiam, quæ non impeditur ad cætera intelligenda obiecta, etſi ſpeciebus ſit affectus aliorū obiectorum: oculus namq; ſiuè viſiua po-

capita alia deceptionis ſenſus.

Recipiens debet denudari à natura recepti: declaratur.

potentia ſit exempli gratia nigra, vel alba, non percipiet quidem cæterorũ ſenſationes obiectorum, quod ſi percipit, non iudicabit iuxta naturam ſpeciei receptæ, ſed iuxta naturam ſuam propriam coloratam: ita nec auris, ſi de ſui natura ſit affecta v.g. ſono Organorum, non percipiet ſonum fidium, et Campanularum, ſic etiam de tactu, ac cæteris: Rurſus ſpecies magis mouẽs, & intenſius agens, impedit quominus vel cæteras ſpecies recipiat, vel iam receptis, minus idoneus ſit, ac diſpoſitus ad intelligendum, & ſentiendum, & hinc eſt vt in Aegroto palatus exuberãti febri, & calore affectus, dũ dulcis mannæ, & Zacchari recipit ſpeciem, non eam perfectè ſentiat dulcedinem, impedit namq; ſpecies magis mouens, & diſtrahens, item multiplicitas, ac varietas ſpecierum non parum refert ad impediendam ſenſationem, iuxta id, *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*: quod ſi de intellectu verum eſt, verum quoq; erit de ſenſu. Præterea debita, & proportionata diſtantia multum prodeſt: etenim ſi ſuper oculum immediatè apponatur obiectum viſibile, vel falſum videbit, vel non faciet vllo modo ſenſationem, quia *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non faciet ſenſationem*: & idem erit iudicium vbi diſtãtia erit valdè improportionata, & valdè remota, cum potentia non agat extra ſphæram ſuæ actiuitatis: & deniq; ipſum et obiectum in immiſſione ſpeciei ſi impediatur, vel ſi per medium incongruum immittat ſpeciem, cauſa erit erroris, & falſitatis. his omnibus, & ſimilibus concurrentibus habebitur optima ratio inueſtigãdi falſitatis originem tum in ſenſu, tum vero in intellectu. poſſet autem quæri quonam pacto competat ſenſui tale iudicium in cognoſcendo, & ſentiendo falsè, ſed ad id multa diximus articul. præced. quod vbi in intellectu ſuppetit ratio, & diſcurſus, in ſenſu ſufficit inſtinctus naturæ, vt diximus ibi.

Falſitas in naturalib. vndè. 21 Vnum ſupereſt ad complemẽtum articuli, quod eſt inueſtigare cauſam falſitatis ipſarum rerum: ſiquidem de falſitate operationum iam diximus vnde id emanet, attingamus vero cauſam, qua res ipſa in ſe ipſa ſit falſa, atq; mendax: id autem præſtabimus ſi res ipſas reuocabimus ad tria in vniuerſũ capita, ad genus quidem rerum naturalium, ad genus rerum artificialium, & deniq; ad genus operationum moralium, omnia namq; vera vel falſa ad hæc tria capita reuocantur. & quoad primum falſitas in naturalib. prouenire poteſt ex defectu, & falſitate cauſarum ſecundarum operantium, vnde conſequens eſt, vt oriantur monſtra, & partus difformes recurramus autem ad materialem cauſam, vbi quandoq; materiam valdè exuberantem reperimus, & quando deficientem, & minorem, quam opus ſit ad integram totius partus efformationem, vnde apparet effectum eſſe quandoq; mancum, & quandoq; amplius habentem, quam ea ſpecies requirat ad conſtitutionem adæquatam ſui indiuidui. Ad cauſas etiam agentes, & efficientes creatas idẽ ipſe effectus referri poteſt, vt quod vel non ordinem obſeruent à natura præfixum in operando, vel vt minus aptè eum admittant, & exequantur: id autem cauſa erit vt quandoq; effectus, & partus non producatur ſimilis generanti, ſed diſſimilis valdè etiam in ſpecie, quia fortaſſe brutum coeat cum bruto alterius ſpeciei, quomodo ex aſino, & iumento vnum tertium habetur. Vel deniq; impedimento eſſe poſſent varia, & incongrua accidentia temporis, loci, atq; cauſarum exterarũ cæleſtium. & vniuerſalium: ex quibus omnibus ſic ſe habitis, effectus naturalis vocari poſſet falſus, & mendax, ſeu vt alij aiunt, defectuoſus, & imperfectus. Sed numquid defectus hic refũdi poſſit in cauſam primariam Deum? dictum eſt quod non: ipſe namq; ex ſe intendit perfecta omnia producere iuxta naturam cuiuſq; *Dei. n. perfecta ſunt opera*: at quia ſe accommodat vna cum cauſis ſecundis, dum non vult deſtruere earum operationes, non. n. alterat nec deſtruit naturas rerum, & cauſarum, ſed fouet, & cõſeruat, ideo præbendo concurſum ſuum cauſis ſic defectuosè agentibus, non attribuitur ipſi Deo defectus; tanto magis, quanto opus eſſet mutare ordinis naturalis ſtatum, & exercere potentiam abſolutam, relicta ordinaria, ſeu agendi mo-

do

do ordinario ſi vellet aliter produci effectum, quam decens eſſet iuxta ſtatum,& diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, at ipſe non agit miracula, niſi vbi neceſſe,& expediens fuerit, ſtatuit autem concurrere cum cauſis ſecundis, ſinẽdo eas operari iuxta proprias diſpoſitiones, & contẽperationes, ideo non ipſi, ſed illis imputatur defectus, imperfectio,& falſitas effectus.

Falſitas in artificiatis vnde?

22 Ad ſecundum, falſitas euenit in artificiatis ex negatione conformationis ad idæas, & regulas artis: eſt enim verum, ac perfectum artificiatum quãdocunque arti conformatur, igitur à contrario falſum erit cùm deficiet à tali conformatione ad ſuam artem. id verò euenire poſſe multis modis, at non ſemper exiſtimandum erit opus eſſe falſum. vel namq; intendit Artifex rem producere iuxta exemplar veræ, ac perfectæ artis: vel intendit iuxta libitum beneplacit ſui, magis, minuſue operando conformiter ad artem. primo modo toties erit falſitas in opere, quoties intendens Artifex iuxta regugulas veræ artis producere, non attingit completè, & adæquatè effectum, quia non conformatur ſuæ regulæ, ex imperitia, vel impotentia, ideoq; opus erit falſum, vt patet in fabricantibus lapidem philoſophicum,& in operibus Alchimiæ,& conſimilibus: in quo imperfectionis, & falſitatis opere nedum ignauia, potius demẽtia, reperitur Artificis tanquam principalis cauſa, verũ etiam ipſemet defectus vel materiæ aptæ, vel indebitarum diſpoſitionum pro loco, & tempore, cauſa ſunt vt effectus imperfectè prodeat falſus, & mendax. ſecundo autem modo non continget falſitatem in opere reperiri, ſed potius veritatem: patet, quia ſicut Artifex cùm ſit agens liberum poteſt operari, & non operari, ſic etiam poteſt magis, & minus perfectè operari, ſi polleat ſcientia operandi. vnde eſt, vt ſi Sculptor ſcit ritè ſtatuam ſculpere, cum ijs, quæ ad veram requiruntur artem, & peritiã ſculpturæ, poterit quidem ſtatuam efformare, quæ apprimè, & adæquatè arti conformetur, & ſciẽtiæ, vnde ſic vera denominabitur ſculptura illa, quandoquidem adæquatur arti, & conformatur regulæ ſculpturæ; idem tamen poterit aliam inſculpere ſtatuam, at non adæquatam arti, nec ſuæ regulæ, ſed proprio ex marte intendere poterit inſculpere imperfectam, & minus congruam: hæc quidẽ ſi ad modum, quem intendit Artifex impendere, comparetur, non erit defectuoſa, nec falſa, immo habebit cætera requiſita ad talis imaginis inſculptionem, & formam, & erit denominandũ opus apprimè verum, quia adæquatur tali rationi,& methodo taliter agendi: quæ tamen ſi comparetur ad verum, ac rigoroſum operandi modum, iuxta quod vera ars poſtulat vt operetur, & inſculpatur, profectò erit opus falſum, & non verum, peccaminoſum, & non rectum, defectuoſum, & non adæquatum veræ arti.

23 Ideo autem ſpecificaui modũ agendi iuxta beneplacitum Agentis liberi, quia ſi ſit effectus naturalis, & producibilis à naturali Agente, ſiquidem imperfectè prodeat, erit omnino effectus ille mendax, & falſus; ratio vtriuſque, quia naturale Agens habet à natura taxatam formam, & idæam agendi, & non poteſt quantùm eſt de ſe, agere magis, vel minus perfectè, magis, minuſq; intenſè, conformiter, vel diſformiter ſuæ naturali inclinationi, & formæ, ac impetui; liberum vero & poteſt operari,& deſiſtere, poteſtq; ſibi aliam diuerſam idæam ſtatuere qua agat, quo caſu effectus euadat conformis proximo agendi principio, ſeù proximæ Agentis idæę, iuxta quam erit effectus verax, quia adæquatus, & vniformis principio; quod nõ continget comparando eundem effectum ad veram, ſtrictam, & rigoroſam artem, iuxta quam erit falſus, quia non conformabitur veræ arti. & iuxta hoc etiã addimus eoſdem effectus artefactos comparatos ad Deum tãquam ad primam cauſam, neque vocari falſos, ſed veros, & ſi à vera arte, & ſtricta ratione deuient agendi; quia dum Deus cõcurrit cum hoc Artifice ad formandũ voluntariè opus diſcrepans à vera arte, dicitur etiam id præſtare Deus, eo modo, quo ſibi competit ſic concurrere,& agere:& cum non impediat operationem agentis creati ſic volentis operari, ſic etiam & ſic intendit ex beneplacito

Falſitas, et veritas ex cõparatiõne ad idæã Artis, & ad idæam liberè Agẽtis.

nepla-

neplacito, & libertate ſua ſecum concurrere ipſe Deus, quare cum ſit effectus liber vtriuſque cauſæ, quatenus ſic intendunt agere, non dicetur effectus eſſe falſus, & defectuoſus, maximè quia non ex ignorantia ſic agũt, ſed quia ſic volunt, & permittunt vt producatur effectus.

24 De tertio autem quid ſit dicẽdum patet ex dictis ſup. deduximus .n. voluntatem eſſe liberam, & poſſe per conſequens deuiare à ratione agendi quãdo libuerit: eſſe etiam ens finitum, & conſequenter defectibilem, cum nõ ſit de ſui natura indefectibilis, & impeccabilis; reperiri inſuper valdè pronam ad malum, tentationibus vrgeri, corpore aggrauari, iuxta id, *corpus, quod corrumpitur aggrauat animam*: nõ reperiri in termino, ſed eſſe in via, qua peccare poſſit, & demereri: hæc, inquã, & cætera ſuperius adducta in caſu sũt, vt opera eius quandoque falſa ſint, ac defectuoſa, quia nec rationi, nec vocationi diuinæ, nec legi conformantur, nec diuinę voluntati quandoque, & ita de his loquitur Proph. pſalm. 4. *vt quid diligitis vanitatem, & quęritis mendacium*: res autem vana eſt res falſa: & mendacium eſt negatio veritatis, quæ negatio eſt falſitas, quia non ſit conformatio ad ſuperius Agens. remanet tamen vt comparata ad proximam operandi regulam, qua velimus ſic, ex propoſito operari, vocentur vera, quia ei adæquata, non tamen abſolutè vera, quia non conformatur Arti, atq; Ideę ſpecificæ agendi, ſed ſingulari idęę huius particularis pro voluntate, liberè ſic, & ſic agendi, vt eſt dictum.

QVÆSTIO VII.

Naturam veritatis eſſe de genere relationis ſecundùm dici.

Opinio veritatem in ſola relatione conſiſtere.

1 SVpereſt autem, vt quæramus an veritas ſit quid abſolutum, an reſpectiuũ: pro parte enim vtraque ſunt pugnantes rationes. & quidem videtur in ſola relatione conſiſtere. prob. veritas eſſentialiter eſt conformitas intellectus ad obiectũ. at conformitas eſt ſola relatio, ergo erit veritas quid formaliter relatiuum: Confirmatur, quia ablata conformitate, adeſt falſitas, & ablata relatione cõformitatis tollitur eſſentialiter ipſa veritas. item ab oppoſito, falſitas conſiſtit in negatione talis relationis, ergo veritas ſiſtet in formali relatione. Rurſus, veritas addit aliquid ſupra ens, ſed non addit abſolutum in communi sẽtentia, vt diſcuſſum fuit ſup. ergo addit relationem: antecedens probatum remanet, vt fuit adductum artic. 2. & 3. minor autem ſuſtinetur à plurimis, ergo ſaltim in ſententia negantium addere veram entitatem, concedendum erit addere relationem, & ſiſtere in ſola relatione. ita ſentiunt Durand. Caet. & alij pauci vbi ſup.

Veritatem non conſiſtere in relatione principaliter.

2 Quod verò non conſiſtat principaliter in relatione probari poteſt, primo, quia veritas eſt maxima perfectio intellectus creati, at nulla relatio, ſaltim creata, poteſt eſſe perfectio ſic maxima intellectus: probatur minor, quia relatio eſt minima inter entitates, perfectio autem intellectus, quæ eſt ſola veritas, non debet eſſe ſic parua, aut minima. item de Deo inter cætera prædicata formaliter infinita, alterum enunciamus, quod eſt veritas; immo de ſe ipſo fatetur eſſe veritatem

Ioann.

Ioann. 14. *ego ſum via, veritas*: abſurdū eſt autem tam maximam, & infinitam Dei perfectionem admittere formaliter in aliquo reſpectu; Confirmatur, prædicatio iſta eſt Theologica, Deus eſt veritas, patet, quia ipſe idem connexit prædicatum cum ſubiecto, atq; cattholicam, & theologicam de ſe ipſo formauit propoſitionem, dum dixit *ego ſum via, veritas*: quod ſi ita eſt, ergo idē erit, ac dicere, ego ſum relatio veritatis, ſeu relatio, quæ eſt veritas. licet autem dicerent, relationes diuinas eſſe etiam infinitas formaliter, id tamen nō cōcorditer aſſeueratur, tum quia Scotus negat talem infinitatem: tum etiam ipſimet, qui infinitatem admittunt, norunt nihilominus abſurdum forè formalem perfectionem intellectus diuini admittere formaliter in aliquo reſpectu, quod ſi id dixeris non repugnare, cum perſonæ diuinę perfectionem adipiſcantur ex relationib. ex quibus cōſtituuntur, id tamen, licet ſic procedat in eorum ſententia, nihilominus certo ſcimus diuinarum hypoſtaſum perfectiones non haberi adęquatè, & totaliter à relationibus; ſed principalius haberi ab ipſa diuina eſſentia: immò ſicut eſſentia eſt origo, & fons omnis perfectionis perſonarum, ipſæ quoq; relationes conſtituentes, primum pullulant ab eſſentia, à qua deſumunt entitatem, & perfectionem, & inde conſtituunt, & tribuūt perſonis perfectiones, quas habent: igitur non à ſolis relationibus expectanda eſt perſonarum perfectio, ſed principalius ab aliquo abſoluto, quod tum perſonis, cum etiā relationibus det entitatem, & perfectionem, & id erit eſſentia. Concluditur hæc ſententia, quia relatio non habet eſſe ſine abſoluto, tanquam accidens abſq: ſubiecto, vel fundamento: dixi abſq: ſubiecto, vel fundamento, quia relationes creatæ ſunt verè in ſubiecto, tanquam accidentia informātia, increatæ autem relationes ſunt in diuina eſſentia, tanquam in fundamento, ſemotis imperfectionib. de quo ſuo loco. & ſunt in ea, veluti ſuppoſitū in natura. & ad inſtar pullulantis in eo à quo pullulat, ergo ſi entitatem non habet abſque fundamento, nec habebit perfectionem vllam abſue eo; nec conſequenter poterit conſtituere abſque entitate abſoluta. Dices ſufficere vt ſit in intellectu, vel obiecto: at hoc licet verum ſit, non tamen ſufficit vt nude ſit formaliter in intellectu, quem denominet verum, ſed requiritur quid proximè relationi ſubſtratum, ſecundùm entitatem abſolutam, vt denominet inde intellectum verum per habitudinem conformitatis ad obiectum.

3 Ideo verius cenſemus ſi negetur eſſentialiter conſiſtere in ſola relatione, at propterea primo ſtatuimus veritatem nec in ſola abſoluta entitate cōſiſtere, nec in ſola relatione. prima pars huius dicti de ſe patet, quia veritas requirit conformitatem, quæ conformitas eſt relatio: ablata autem cōformitate cognitio vel non eſt vera, vel erit falſa, & hoc probant rationes adductæ pro prima opinione. ſecunda pars etiam remanet probata, quia relatio de ſe ſola non eſt perfectio potētiæ, ſed perficit cum vno altero, nempè cum aliqua ratione abſoluta; tum etiā quia non datur relatio ſine abſoluta ratione fundandi eam; tùm deniq; quia intellectus non eſt verus per ſolam relationem ad obiectum, ſed eſt primo verus fundamentaliter per cognitionem, quæ eſt qualitas abſoluta: atque etiam, non poteſt haberi conformitas relationis, niſi mediante aliqua operatione ergo non poterit denominari intellectus conformis obiecto, niſi præuia eius intellectione abſoluta, patet antecedens, quia Pater non acquirit relationem Patris, niſi præuia abſoluta actione gignendi, ſic Filius, ſic Magiſter, ſic Artifex, ſic Cauſa, cauſatum, & ſic de ſingulis. Accedit, quòd Deus ipſe eſt in intellectione ſua verax, at non poteſt relationem conformitatis acquirere, niſi præuia eius abſoluta intellectione; igitur remanet probata vtraque aſſerti pars, quod nec in ſola abſoluta entitate, nec in ſola relatione conſiſtat ratio veritatis, & hoc etiam intendunt aſtruere rationes adductæ pro ſecunda, & contraria opinione.

Veritas nec in ſola entitate abſoluta conſiſtit, nec in ſola relatione, ſed in vtroq;

4 Secundò dicimus veritatē fundamentaliter tentam eſſe quid abſolutum, formaliter autem inſpectam eſſe verum reſpectum. Aſſertio hæc ſubſe-

Veritas fundamentaliter eſt abſolutũ, formaliter reſpectus.

quitur ex dictis, & probatur per eadem, per quæ probata ſunt proximè dicta. Declaratur autem, quia ſiue pro fundamento concipias rem extra, ſiue ipſam actualem notitiam purè ſecundùm entitatem, & formam qualitatis, totum ducitur ad rectum ſenſũ, & prob. tum quia ſupra ſtatuimus veritatem primo reperiri in fundamento rei cognoſcibilis, ſecundario autem in conformatione ad obiectum; tum etiam quia penes intellectum cognitio, & notitia eſt proximum fundamẽtum, quo mediante intellectus referatur ſub ratione, & relatione veri ad obiectum, non enim eſt verus intellectus, niſi cognoſcendo, & mediãte cognitione, conformando ſe obiecto, ergo erit prior abſoluta entitas cognitionis, quàm relatio conformationis, quo fiet, vt prius denominetur à cognitione cognoſcens, & inde à conformatione in cognoſcendo referatur vt verus, & vt conformis obiecto, ſicque fundamentalis veritas, ſiuè ex parte obiecti, ſiuè notitiæ, erit quid abſolutum, tanquam quid ſubſtratum cõformitati, quæ eſt reſpectus; formalis autem erit eſſentialiter reſpectus, cum per ipſam formaliter referatur ad obiectum. Dices non denominari cognitionem à relatione, ſed intellectũ, quia refertur tanquam verus, & tanquam conformis obiecto. Reſp. denominatum totale, & adæquatum eſſe intellectum, ſeù ſuppoſitum intelligens, quod etiam vocatur denominatum *quod*: denominatum autem *quo*, concedi eſſe ipſam cognitionem, nam de ipſa etiam dicimus, quod ſit cognitio vera, vel falſa: ipſiq; competit denominatio proxima, remota enim competit intelligenti.

Veritas relatiuum ſecundum dici.

3 Dicimus tertiò, veritatem eſſe relatiuum ſecundum dici. hæc eſt veriſimilior, & videtur verior explicatio ipſius naturæ veritatis. quod autem ita ſit, probatur apertè ex ſupradictis, & addendis; oſtendimus enim in veritate ambo reperiri, nempè abſolutam entitatem, atq; relationem, & ex eo quod in veritate reperitur ratio abſoluta mirum eſt vt negent veritatẽ aliquid addere abſolutum ſupra ens, ſed de hoc ſupra: non eſt autem præciſè entitas abſoluta, nec præciſè relatio, vt remanet declaratum, igitur dicendum quod ſit vnum tertium: id autem vocabitur relatiuum ſecundũ dici; at relatiuum huiuſmodi conſtat ex ratione abſoluti, & reſpectiui, ergo veritas erit quid ſpectans ad genus huiuſmodi, non deſunt autem conſimilia, quæ collocentur in tali relatiuorũ genere: habemus enim, quòd ſcientia, & notitia, quæ de ſe eſt entitas, & qualitas de genere abſoluti, connotat etiam relationem ad obiectum ſcibile, ac cognoſcibile, igitur ex vtroque conſtat, ex abſoluto, & reſpectiuo: non eſt autem eſſentialiter quid reſpectiuum, cũ ſit eſſẽtialiter de genere qualitatis; verum quia dicit relationem ad ſcibile, à quo cauſatur, & ad quod terminatur, ideo etiam cõnectit reſpectum, & relationem: At veritas ſic ſe habet, cùm de ſe addat, vt probauimus, verũ quid abſolutum, cùm ſit vera paſſio abſoluta entis realis, addit autem conformitatem, ſeu relationem ad ſcibile verũ, ergo vt ſic, ſpectat ad genus relatiui ſecundum dici. & hæc eſt mens Antiquorum, vt D. Thom. de verit. q. 1. art. 8. Capreol. in 1. d. 19. q. 3. atq; Soncin. 6. meta. q. 17.

Relatio cõformitatis ad obiectũ qualis?

4 Eſſet autem quærendum qualis ſit relatio iſta, quam veritas addit cõformitatis ad obiectum; vtrum realis, an rationis, vtrum ſit relatiuum ſecundum dici per relationem realem, an per ſolam relationẽ rationis. Ad quod in primis dicimus relationem, in qua ſecundario conſiſtit veritas non eſſe quid fictum à ratione: probabur, quia Deus vera à parte rei conformitate, & relatione intellectus ſui ad obiectũ ſuum intelligit, aliàs non eſſet à parte rei ens verum, nec verus Deus. Item veritas de ſe non eſt figmentum, non eſt Chimera ficta ab intellectu, ſed in re extra reperitur, ſiue actualiter, ſiue aptitudinaliter: Denique dantur ſinceræ, & æternæ veritates, at illæ non pendent à ratione, & operatione intellectus, ergò abſolutè remanet, vt veritas de ſe non ſit quid fictum, non à ſolo pendens intellectu, ſed poſſibiliter, vel actualiter eſt quid in re ipſa. Non excludo autem ex hoc diſcurſu veritatẽ Chimeræ, & mendacij, etenim Chimera

ra nihil eſt, & mendacium eſt nihil, attamen de ipſis quoq; haben us, & cõprehendimus veritatem, ſcimus enim, & verè ſcimus, & veritatem dicimus, chimeram eſſe quid falſum, & mendacium eſſe nihil; igitur reddendo ſingulis veritas à ſolo intellectu non pendet,ſed à parte rei eſt: Dices quomodo de mendacio, & chimera habebimus veritatem, cùm verè non ſint: Ad hoc reſponſio eſt facilis. vt ſicut negatio,& priuatio,& mors,& tenebræ sũt prorſus nihil, & tamen ea noſcimus per habitum oppoſitum, lucis,vitæ, & ſimilium, & per eoſdem habitus poſitiuos noſcimus verum eſſe quòd ipſa reuera nihil ſunt, ita quoque ex ente vero,reali,& poſſibili,quod opponitur mendacio,chimeræ, & impoſſibili noſcimus verum eſſe quod ipſa ſunt nihil. & de chimera etiam habetur altera ratio poſitiua noſcendi, nempe per partes, quæ ſunt poſitiuæ, vt mons aureus, & membra animalium ingredientium compoſitionem ſphingis,ſeu chimeræ:vt ſaltem ex partibus, quæ ſunt entia realia, habeamus veritatis notitiam, licet habere eam nequeamus de toto,quia nihil eſt.

Veritatis relatio an ſemper realis.

5 Inſuper vtrum relatio illa ſit ſẽper realis, vel quandoq; ſaltem ſit rationis,quia fortaſſe ſibi alicuius extremi deficiet conditio requiſita ad relationem realem, ad hoc dicendum ſub diſtinctione, vel enim loquimur de relatione veritatis diuinæ intellectionis penes eſſentiam diuinam, aut in ordine ad eſſentias creatas: & de his rurſus eſt diſtinguendum, quòd aut referuntur ad intellectum creatum ſub ratione obiecti ſpeculabilis,aut ſolum ſub conditione obiecti practicabilis. his autem diſtinctionibus reddendo ſingula ſingulis apparebit diuerſitas relationum, quas importat relatio ipſius veritatis. & quidem ſi de ea loquamur, quæ interuenit inter diuinam eſſẽtiam ſub ratione veri, & intellectũ diuinum dicendum eſt eam eſſe relationem ſolius rationis; probatur,inter cæteras conditiones ad relationem realem requiſitas, altera eſt, vt extrema ſint realiter diſtincta inter ſe: talis autem diſtinctio non interuenit inter notitiam Dei, eiuſque eſſentiam, ergo relatio talis ad intellectum ſuum eſſet ſolius rationis. Dices,inde ſequi diuinam veritatem non eſſe realem,ſed rationis,eſſetq; figmentum,& Chimera. Reſpond. negando ſequ.aliud eſt enim dicere Deum eſſe verum, quod ſit ens rationis,& aliud eſt aſſerere veritatem diuini eſſe, vt ordinem dicit ad intellectum cognoſcentem, eſſe ens rationis, primo enim modo non eſt ens rationis,ſed verum quid reale,vt eſt de fide: ſecundo autem, conſtat eſſe ens rationis, quia cùm veritas de formali ſignificato dicat relationem ad intellectũ, talis relatio non poterit eſſe realis, tũ quia extrema non diſtinguuntur realiter; tum etiam, quia ſi per impoſſibile diuinus intellectus eam non intelligeret,nec vllus alter intellectus creatus, non haberetur actualis conformitas, neque actualis relatio obiecti ad intellectum, licet remaneret relatio, & conformitas aptitudinalis cùm nata eſſet intelligi, & cognoſci ſub ratione veri,vt dicemus. vel dicimus etiam relationem illam eſſe realem, extendendo nomen relationis realis incompletæ; ſumi.n.ſolet ordinario modò prout diſtinctionem realem importat inter extrema diſtincta realiter, & hoc modo nullatenus erit realis: extendendo autem nomen, pro eo, quod verè à parte rei connotat ordinem ad intellectum verè intelligentem obiectum ſub ratione ſummè veri, & hoc ſenſu erit realis illa relatio; vel dicendum eſſe realem inadæquatè, quoniam deficit ſibi cõditio diſtinctionis extremorum realis.

Veritatis relatio quo modo realis, quomodo rationis

Veritatis relatio qualis ex parte obiecti negatiui.

6 Comparando inſuper eundem intellectum diuinum habebitur alterutra relatio, iuxta obiecta creata diuerſa,ad quæ comparetur: ſi namque intelligat negationes, priuationes, fictitia, & figmenta,relatio quidem ex parte ſui non erit realis, etenim ad extra ſe extendendo, nil reale acquirit, ſed ſolum reſpectum rationis;ex parte etiam ipſorum intelligibilium,talis relatio erit rationis, quia non ſunt extrema realia,ſed ficta à ratione, & pura figmenta: quod etiam eſt aſſerendũ de intellectu creato ea intelligente,deficit .n. realis entitas ex parte obiectorum intelligibilium. ſed vtrum intel-

telligibilitatis relatio terminata ad res poſſibiles ſit realis; certè ſecundū vſitatiorem loquendi modum non eſt realis, cùm deficiat ab exiſtentia reali actuali: attamen non deſunt qui eam etiam docent eſſe realem, & addunt ad realem relationē ſufficere vt res ſit intra cauſas ſuas, & vt ſit ens poſſibile: hi autem ſunt formaliſtæ, qui inter Franciſcum viuentem, & Antichriſtū futurum admittunt realem diſtinctionem. At conſtat diſtinctionem realem requirere etiam extrema realia, ſicut ea requirit ipſa relatio; ipſa etiam diſtinctio eſt relatio ſecundùm genus ſuum. Iis autem eſſet ſolùm in explicatione intentionis, etenim & ipſi conueniunt cum cæteris requiri vtrobiq; extrema actualia, attamen extendendo relationem realem poſſet eis concedi factus diſcurſus, ita enim docent in artic. 1. vt Vallon. fol. 22. ex Scot. q. 3. quol. & d. 35. lib. 1.

Relatio ad res poſſibiles an realis.

7 Inſuper eundem Dei intellectū cōparando ad obiecta realia actu exiſtentia, & è conuerſo, comparando. ſ. obiecta actualia ad intellectū ſub quacunq; ratione ſiue practici, ſiue ſpeculatiui, dicendum, quòd ex parte obiectorum relatio veritatis eſt quid reale ex parte autem intellectus eſt quid rationis: hoc ſecundum patet: & declaratur primum, quia ſicut entitas creaturæ relationam dicit realem ad Creatorem, ita etiam eiuſdem creaturæ veritas concepta dicet realem relationem ad intellectum diuinum vt ſic cōcipientem: item quia omne creatum ſub quacunque ratione conceptum pendet ab ipſo Deo, agente ad extra per voluntatem, & intellectum, ergo veritas creata, ſicut quicunque creaturæ conceptus, pendebit ab eodem ſub ratione intelligendi, & cognoſcendi: talis autem pendentia ſiſtit in ordine relationis, & pendentia illa eſt realis, ergo etiam & iſta. Confirmatur, nam loquendo de practico intellectu Dei, propoſitio iſta cauſalis eſt vera, *quia Deus intelligit creaturam ſub eſſe vero, ideo creatura habet eſſe verum*: non recipit autem verum eſſe, niſi per practicum Dei intellectum operantem, & dirigētem ſingulas res, iuxta proprias Idæas latitantes in intellectu diuino, ergo vt ſic ab eo pendet realiter, & realem ex parte creaturæ connotat relationem: Dixi, loquendo de *Dei intellectu practico*, quia ſi loquamur de ſpeculatiuo, eſt aliter cenſendum etenim ſpeculatiua cognitio, non dat eſſe obiecto, ſed ſupponit illud, intellectus autem practicus eſt ille, qui dat rebus eſſe, & ideo de eo eſt vera cauſalis allata, de qua tamen ſuo loco, intellectus autem ſpeculatiuus non dat niſi eſſe ſpeculatum, & cognitum.

Veritatis relatio qualis ex parte obiecti realis.

8 Vlterius, loquendo de intellectu creato in ordine ad creata obiecta, vel concipitur itidem ſub ratione practici, vel ſpeculatiui: ſecundo modo dicendum cōformitatem veritatis obiectiuæ ex parte quidem obiecti eſſe relationem rationis, & ex parte intellectus eſſe realem; & ad hoc capiendū neceſſe eſt recurrere ad alterum relationis genus, quod eſt menſuræ ad mēſuratum, inter quæ extrema relatio nō eſt eiuſdem rationis, cùm ex parte mēſuræ ſit rationis, & realis ex parte mēſurati: ſic autem ſe habet veritas obiectiua, vt quia obiectum ſub hac ratione eſt menſura, ideo ex parte ſui indicet relationem rationis; quia tamen intellectio eſt effectus menſuratus, & productus ab obiecto vero, ideo in ea relatio conformitatis erit relatio realis: quod ſi ad practicum intellectum fiat comparatio, conſtat ex parte vtriuſque veritatem dicere relationem realem, ex parte quidem Agentis, quia verè agit producendo practicè iuxta veram rationem Artis, ſeù veram idęāſ ex parte etiam obiecti producti, quia dum eſt conforme Arti, erit vtique effectus verax, & non mendax, quia conſequenter ad veram artis idęam productus, ideoq; vt ſic, relationem realē connotat ad verum Artificem: licet nihilominus concipiendo artem, & idæam ſub ratione menſuræ, & idæatū, & arteſactum ſub ratione menſurati, non eſſet relatio æqualis ordinis, cùm in menſura eſſet rationis, & in menſurato realis.

Veritas in intellectus creati qualis.

9 Solum ſupereſſet quærere an relatio veritatis conſiſtat in eſſe actuali, an vero ſufficiat eſſe aptitudinale: quod eſt quærere an conformitas hæc ad intellectum eſſe debeat actualis, ita vt non

Veritatis relatio an conſiſtat in eſſe actuali an aptitudinali.

non ſufficiat aptitudinalis, & vtrum ad vniuerſum intellectum, an autem ad ſolum diuinum ſpectet talis conformatiuitas. Alij nãq; aſſerunt in ſola actuali conformitate ſiſtere, quia intantum res vera eſt, in quantum iudicatur talis. Cenſent alij ſufficere aptitudinalẽ: & hæc quidem verior loquutio, licet .n. eſſentia Dei neque ab ipſo Deo per impoſſibile cognoſceretur vt vera, eſſet nihilominus in ſe apprimè vera, & conformitas ſuæ veritatis licet actu exercito non adeſſet, haberetur tamen actu ſignato, quia omne tale, eſt poſſibile vt cognoſcatur vt verum, haberetq; aptitudinalem conformitatem ad intellectum. Alij etiam volunt vt conformitas non habeatur ad intellectum creatum, ſed ad ſolum diuinum: quia ſi deficeret creatus intellectus, iam non haberetur talis ad creatum intellectũ conformitas, remaneret autem intellectus diuinus, ergo ad ipſum ſolum habetur relatio conformitatis. & patet amplius quia neq; Angeli, neq; homines fuere ab æterno, & nec etiam ab ęterno habuere talium veritatum creatarum intelligentiam, & conformitaté, quam tamen habuit ſolius Dei intellectus, qui extitit ab æterno. At diſcurſus iſte licet indefectibilitatem admittat in intellectu diuino, ac propterea aſſerat ad diuinum intellectum aſportandam forè talem conformitatem, quia ipſe æternalis eſt, & ſemper erit, non tamen propter hoc eſt auferenda conſormitas ad intellectum creatum: tum quia veritas dicit conformitatem aptitudinalem ad omnem intellectum, omnis namq; intellectus eſt capax veritatis, ſiuè ex ſe ſolo, ſiuè cum alterius adiumento, & eleuatione; tum etiam ex quo obiectum alicuius ſenſus exterioris, poteſt eſſe obiectum talis ſenſus in quocunq; animali reperiatur, licet percipiatur ſecũdum magis, & minus, vt ſi ſonus eſt obiectum ¡mei auditus, poterit etiam in aptitudine ſaltem, à quocunq; percipi auditu, remotis obſtaculis, & impedimentis, ergo conſimiliter de veritate, quæ eſt obiectum cuiuſq; intellectus, ſeu de ea, quatenus eſt conceptibilis ab intellectu: Dixi ſic, quia non terminamus modo litem, vtrum veritas vt veritas ſit intellectus obiectum, an vero ens. nec obſtat id, quod adducebatur de Angelis, & hominibus, qui ab æterno tales veritates comprehendere nequiuerunt, dicimus .n. primò quod ſi ab æterno extitiſsẽt, potuiſſent eas comprehendere, vel ſaltem aliquas ex eis, pro captu, & virtute ſingulorum: ſecundò, ſufficit vt potuerint ab ęterno concipi, & vt poſſint etiam concipi in æternum à parte poſt, dato quod Deus nollet amplius conſeruare Angelos, neq; homines cõcipientes, vel tertio, ſufficit vt tunc incipiant actu cognoſci, quando creatura capax eſt, & apta vt eas poſſit cognoſcere: quod ſi talem virtutem recepit in tempore, quia in tempore accepit eſſe, in tempore quoq; incipiat eas intelligere. Deniq: non valet conſequentia, non intelligitur actu ab vllo intellectu creato, ergo non eſt intelligibilis, à negatione .n. actus ad negationem potentiæ non valet in creaturis, & contingentibus, ſicut neq: valet, hoc obiectum nunc à Petro non noſcitur, ergo ſimpliciter non eſt noſcibile: falſa conſequutio valet autem in diuinis arguere à potentia ad actum, & ab actu ad potentiam, quia *in diuinis poſſe non differt abeſſe.* *Arguere à potentia ad actum, ubi valet.*

10 Ad rationes autem initio adductas pro vtraq: ſententia, reſponſio conſtat ex dictis: & concedantur ſingulæ, dummodo non præciſè ſiſtatur in tali abſoluta ſolum, vel ſolum reſpectiua additione ſupra ens, ſed conficiatur ex ambobus membris vnum tertium, quod diximus eſſe relatiuum ſecundum dici.

DISPVTATIO OCTAVA

De Bonitate Dei.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit ſummè, & per eſſentiam bonum.

1 POſt veritatem diuini eſſe, accedimus ad eius bonitatē: circa quam inueſtigabimus etiam ea, quæ ad homines pertinent, Angelos, ac creaturas cæteras ſecundum hanc bonitatis rationem, & idipſum quoq: conſiderabimus de bonitate ſecundum ſeipſam ſumpta, ſiuè de bono: prius tamen ordine theologico loquamur de Dei bonitate.

2 In præſenti autem negotio eſt aſſerendum primo Deum eſſe bonum. ſic paſſim teſtantur ſcripturæ, pſal.72. *quam bonus Iſrael Deus*.pſal.118.*bonus es tu, & in bonitate tua doce me*.Thren. 3.*bonus eſt Deus quærentibus illum*: Luc.18. *nemo bonus, niſi ſolus Deus*. 1. Timoth 4.natura creata eſt participatio bonitatis diuinæ. Exod.33.*oſtendā tibi omne bonum*. & ſæpè ſæpius id annuunt ſcripturæ, vel ſub ratione miſericordiæ, quo pacto hominem miſericordem, & pium vocamus bonum: vel ſub ea ratione, qua non eſt ſimilis ei, pſal.34. *Domine quis ſimilis tibi*.Iſai.46. *cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & feciſtis ſimilem*: vtroq: autem modo apparet bonus, & ratione pietatis, & miſericordiæ, quam exercet in hominib. & ratione, qua vnicus, & ſolus reperitur ſic, & ſic bonus, itaq: iam conſtat eſſe bonum. cum vero. & hæc quæ diximus de fide ſint, conſtat etiam de fide eſſe ipſum eſſe bonum.

3 Non deſunt autem rationes bonitatem hanc demonſtrantes. Argui.n. poteſt vel ex intrinſeca, & ratione formali ipſius Dei, vel ex ratione effluentiæ bonitatis ſuæ in cæteras creaturas, vel deniq: ratione finis, qua cuncta Deum appetunt, tanquam bonum. at ratio finis, & cauſalitatis huiuſcemodi bonitatis, quia extrinſeca eſt ipſi Deo; licet ipſemet ſit efficiens, & finis, ideo magis patere poterit eius bonitas ſi ab intrinſeca, ac formali eius ratione exordiamur, & diſcurramus, eſt ergo Deus bonus, quia formaliter in ſe habet rationem perfecti, & eſt in ſe formaliter infinita perfectione, ac bonitate infinitus. probatur: continet in ſe formaliter quidquid bonitatis competere poteſt ſibi, continet etiam perfectiones creaturarum, ergo eſt formaliter perfectus. de primo patet, da.n. oppoſitum, & erit imperfectus: nulla etiā alia ratione intrinſeca admittitur eſſe formaliter infinitum; nomen autem infiniti in entitate id importat, vt infinitam indicet perfectionem. rurſus perfectiones ſimpliciter ipſi ſoli competunt, non creaturis, at illæ carent imperfectione, cum ſint abſolutè, ſimpliciterq; perfectæ: patet etiam de ſecundo, cum perfectiori modo reperiātur entitates, & perfectiones creaturarum in eſſentia infinita Dei, quam in ipſiſmet creaturis, at ipſę verè ſunt bonæ, perfectionumq; gradib. pollent, & fruun-

Bonitas diuina oſtenditur.

ſruuntur, ergo multo magis ex competent ipſi Deo. antecedens patet, quia in ſeipſis ſunt entia corruptibilia, ſi materialia ſint, vel ſaltim defectibilia, & annihilabilia ſi ſint ſpiritualia, atq; etiam habent eſſe temporaneum, & mutabile, in diuina autē mente habent rationem viuentis, etiam ſi ipſa nō ſint de genere viuentium, quia cum ſint in diuina mēte, cuius intellectio eſt actus vitalis, inde concluditur eſſe viuentia, ſicq; exponit D. Auguſt. illud Ioann. *quod factum eſt in ipſo vita erat*: habent quoq; eſſe æternale, inuariabile, & indefectibile, prout & ipſa diuina mens, & eſſentia inuariata remanet, & incorrupta, ſicq; idem Auguſt. l.9. de Trin. c.10. docet *inferiora, perfectius eſſe habere in intellectu*, præcipuè Dei, *quam in ſeipſis*, quod etiam diſertè expendit Scot. in 4.d.1.q.1. in reſponſ. ad argum. Auicennæ: licet vero hinc argumētum deſumere, quidquid perfectionis conuenit creaturis, conuenit ipſi Deo: cōpetit creaturæ eſſe perfectam formaliter in ſuo genere, ergo & Deo: poſſemus autem conſequentiam inferre cōparatiuam, vt multo magis, ac modo perfectiori conueniat ipſi Deo, ſed eā inferemus paulò infra.

4 Dices ex formali creatarum rerum perfectione deduci potius eſſe Deum imperfectum, quam perfectum, & bonum, ſiquidem quæ creaturis cōpetunt perfectiones, ex ad mixtæ apparent plurimis imperfectionibus, ſunt .n. perfectiones creatæ dependentes, finitæ, limitatę, ac prorſus defectibiles; itemq; ſunt in ijſdem ſub ratione informantis, at Dei perfectiones nec Deum informare poſſunt, nec ſic imperfectionibus eſſe inuolutæ, ergo non eſt apta deductio.

Creaturarum perfectiones quo modo contineantur in Deo.

5 Sed reſpondemus perfectiones quidem eaſdem contineri in Deo, ſed non eodē modo, prout continentur in creaturis, quatenus namq; ſunt perfectiones ſimpliciter hac ſub ratione Deo tribuuntur, creaturę autem in ſunt ſub rationibus prædicamentalibus, cæteriſq; imperfectionib. in argumento recenſitis, & hac ſub ratione D. Anſelm. l. monolog. c.14. definit perfectionem ſimpliciter, eamq; applicat ſoli Deo, prout eandem ſæpius expendit Scot. tum in 2.d.44.q.1. ad prim. tum vero in 1.d.8.q.1. ad prim. Et ad illud de informari negatur ſic reperiri in Deo, vt namq; oſtenſum ſupra fuit non componi ex ſubiecto, & accidēte, ſic etiam oſtendimus quomodo euenire poſſit, vt perfectiones reperiātur in ipſo abſq; informatione, vide ibi, ideoque in creaturis reperiuntur formaliter, in Deo autem virtualiter, & eminenter.

6 Vnde apparet magis diuina bonitas ratione continentiæ eminentialis, qua creaturas continet modo eminentiori, ac perfectiori, ita vt ſi quid perfectionis reperitur in illis, multo excellentiori modo contineatur in eſſentia Dei. & hinc deducitur ſecundū aſſertum, quod nedū Deus eſt bonus, ſed eſt ſummè bonus. & ad hunc etiam ſenſum loquitur Ioannes primo ex ſentēt'a Auguſt. l.4. in gen. ad litt c.24. *quod factū eſt in ipſo erat vita creatrix*, quia cognitio Dei eſt realiter vita creatrix, & quod de cognito dicitur obiectiuè, hoc in ipſa cognitione oportet intueri perfectius inquit Scot. 4.d.1.q.1. & hoc eodē modo loquitur Dionyſ. de diuin. nomin. c.5. Clemens Alex. l.1. pedag. c.9. & D. Cyrill. l.1. cōtra Iulian. quod ſi formalis continentia reperta in creaturis denominat eas formaliter perfectas, ac bonas, ſimiliter excellentior, eminentiorq; continentia in diuino eſſe eminentiorem apponet bonitatem, perfectionemq.

7 Patere autem amplius poterit hæc continentia, quia Deo nihil deficit perfectionis, tum competentis ſibi, tum vero conuenientis creaturæ; de primo patet, quia eſt formaliter infinitus: & probatur ſecundum; quod nāq; aliquid minimè contineat, nec comprehendat aliud, id exprimi ſolet duplici communi termino, vel priuationis quidem, vel negationis, quomodo cæcus oculus dicitur priuatus viſione, ad quam eſt aptus natus, vt recipiat: quomodo etiā lapis eſt ſolùm negatus viſione, quia ad eam non aptitudinem habet, nec inclinationem, qua ratione diſtingui ſolet à logicis negatio à priuatione, vt hæc ſit in ſubiecto apto nato, & illa non item: neutro autem modo dicitur Deus non eſſe perfectus: nō quidem priuatiuè, quia quidquid in

Deo

Deo ad intra poteſt eſſe, actualiter eſt, cùm in diuinis potentia, & poſſe non diſtet ab actu: item ſi daretur priuatio, vel volens priuatus remaneret tali perfectione, vel nolens, & id vel à ſe, vel ab alio impediente, & priuante, nullum poteſt dici: non primum, quia Deus vellet carere ſumma perfectione, quæ ſibi deberetur, quod eſt contra conditionem ſummi, & perfecti ac infiniti entis, ſicq; ageret contra rationem, & contra iuſtitiam, quia cum iuſtitia reddat ſuum ius vnicuiq; iuſtus erit is, qui quod ſibi neceſſario conuenit accipit, & retinet: Dices poſſe quempiam cedere iuri ſuo, ſicq; Deum cedere perfectioni ſibi debitæ, voluntariè eam repellendo, & ſiſtendo ſine ea: ſed ad hoc dicendum aſſumptum non eſſe ſemper verum, primo.n. cedere nemo poteſt iuri ſuo, quando in alterius vergit præiudicium, ſic nec Prælatus, nec Superior iuri, & famæ propriæ cedere poteſt cum in præiudicium vergat ſubditorum: nec itidem fieri id poterit cũ vrgeat in præiudicium Status, Dignitatis, & Officij, hoc.n. tranſit de perſona in perſonam, nec perſona, quæ gradum talem poſſidet, poteſt in præiudicium gradus cedere, quia ceſſio vergeret in præiudicium perſonarum ſuccedentium ad talem ſtatum, ſed de his ad Canoniſtas vide D. Tho. 2.2. q.73. art.4. ad 1. Petrum Nau. l.2. c.4. Valent. t.3. d.5. q.17. punc.2. Nau. c.18. n.61. & Tolet. l.5. c.68. in propoſito autem cedi non poteſt in præiudicium iuſtitiæ, nec in præiudicium Dei, at ratio iuſtitiæ requirit vt Deus ſit omni perfectione ornatus, ergo nec ipſe in ſui præiudicium cedere poteſt perfectioni ſuæ: & ſicut nos præiudicare nequimus ipſi Deo perfectiones aliquas ab eo remouẽdo, ſic nec ipſe ſibi præiudicare poterit, nec velle vnquam id facere, ageret.n. Deus contra Deum, dũ ageret contra ſemetipſum, eſt enim Deus neceſſario bonus, neceſſario perfectus, & impoſſibile eſt vt non ſit perfectus.

Vtrũ quis cedere poſſit iuri ſuo.

Dempta vna perfectione à Deo corrueret ipſe Deus.

8 Rurſus dempta perfectione vna ab ipſo, corrueret totus Deus: probatur, quia Dei perfectiones idem ſunt realiter, atq; vna eſt omnium eſſentia; vnaq; natura, propter identitatem realem, dato ergo quod aliqua vna perfectione priuaretur, priuatus remaneret cunctis alijs, immo pene deſtructus in ſeipſo: confirmatur, ex quo vnaquæq; eius perfectio eſt quid infinitum, ablata ratione hac infinitatis à Deo, non remaneret infinitus, immo prorſus deficeret quia non poſſet remanere intra gradum creaturæ, cum ſibi implicet, quoniam eſſet finitus, ergo nec eſſet Deus, nec creatura.

9 Dices remanere poſſe in ſua eſſentia adhuc infinitus, cæteriſq; attributis infinitis, quæ remanerent, dempto illo vno: immo ſi cætera attributa, & perfectiones infinitæ deficerent, remaneret tamen in eſſe infinito ratione ſuæ eſſentiæ, quæ eſt inſuper infinita: & confirmatur, quia infinitates formales cæterarum perfectionum pullulant ab infinitate radicali, & fundamentali eſſentiæ, non autem è contra, ergo nihilominus eſſet infinitus, & perfectus. Reſpondeo nihilominus ad id obſtare identitatem, & inſeparabilitatem perfectionum ab eſſentia diuina; quia.n. ſunt vnum, & idem, conſequens eſt, vt ſeparato vno, deſtruatur totum, & ſeparata bonitate, ſeu ſapientia à Deo; vel iuſtitia, vel aliquo ſimili, deſtruatur Deus, quia omnia in Deo ſunt vna natura, & eſſentia, eadem realiter, & ſecundum D. Thom. ſunt idem formaliter, ſuntq; prorſus inſeparabilia, ergo hæc prima ratio obſtat. Reſp. ſecundò, quod dempta illa vna perfectione, iam non eſſet infinitus, quoniam infinitum eſt illud, cui nihil deeſt perfectionis: Dicendum tertiò Deum ratione eſſentiæ eſſe infinitum radicaliter, at ratione infinitatis eſſe infinitum formaliter: & ita ratione eſſentiæ eſſe bonum, iuſtum, ſapientem, & huiuſmodi, radicaliter, at ratione attributi ſapientiæ eſſe ſapientem formaliter: quapropter ablatis per impoſſibile attributis, remaneret Deus, talis, ratione eſſentiæ radicaliter, non formaliter, deficiente formalitate attributi.

Perfectione aliqua ablata per impoſſibile à Deo, an infinitus.

10 Nec dicendum fore vt accideret id ſibi nolenti, etenim accideret conſequenter ipſi Deo triſtitia, & mæror iuxta Diui Auguſtini deſcriptionẽ de triſtitia, quæ *eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt*: cum tamen Deus ſumma

ma pace fruatur, lætitia, ac delectatione. nec dicendum priuationem accidere ab aliquo impediẽte perfectionem, nam Deus non eſſet infiniti vigoris, daretur Agens aliquod potẽtius Deo, & vincens Deum, cuius tamen potentiæ nemo eſt qui reſiſtat: igitur ſi quid, quantum, vel quale, vel quidquid ſit, quod Deo poſſit perfectionis eſſentialis, atq; connaturalis competere, totum neceſſe eſt dicamus ſibi adeſſe, non.n.cadit in Deũ priuatio alicuius eſſentialis, neceſſariæ, connaturalis; atq; ſibi omnino, debitæ perfectionis.

Perfectiones creaturarum in Deo, & à Deo.

11 Nec dicendum deniq; deficere eidem perfectiones alias defectu negatiuo, ſeu vt clarius ex primam nõ poſſumus aſſerere reperiri in Deo negationem alicuius perfectionis creaturæ; probatur, creatũra omnis continetur in Deo, igitur omnis, & vniuerſa eius perfectio continetur in eodem. inſuper perfectio omnis creaturę emanat à Deò, at nihil dare poteſt id, quod non habet vel formaliter, vel eminentialiter, aut in virtute. vlterius creaturę ſunt participatio diuinarum perfectionũ, & diuini eſſe, ſupponunt igitur ea antecedenter reperiri in ipſo Deo. Itẽ da oppoſitum, quod à Deo negetur perfectio aliqua creaturæ, ergo ſequitur creaturam, ſaltem quoad gradum, & perfectionem illam, eſſe independẽtem à Deo, prob. quia eam non haberet à Deo, quia dum Deus eam non daret, ſequeretur vel quod creatura eã non haberet, vel quod nõ eſſet in Deo talis perfectio, probatur prima ſequela, quia quidquid eſt in creatura eſt à Deo, & ſi quid Deus non pręſtat, creatura non habet, iuxta id, *ipſe fecit nos, & non ipſi nos*, & alibi, *ſine me nihil poteſtis facere.* probatur ſecunda ſequ. nã ſi quid haberet creatura, & nõ à Deo, ergo Deus vel nollet id communicare, vel non poſſet, vel ideo non communicaret, quia eam non haberet in ſe: ſi dederis primum, ergo ſequitur ex dictis creaturam non habere eã, quia Deo non tribuente, creatura non accipit, iuxta illud Pauli 2. Cor. 4. *quid habes quod non accepiſti; vel poſſet gloriari creatura ex ſe, & à ſe independenter id habere, quod etiam retunditur ibidem ab Apoſt. dum ſubdit, *ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* ſi dederis, nolle Deum id communicare, ergo etiam ſequitur creaturam non poſſe id habere, propter dicta; ſi dixeris non poſſe, iam reddis eũ impotentem, alioqui per omnia omnipotentem: ac deniq; ſequeretur incõueniens vltimum, quod eam non haberet: at vltra incommoda recenſita, ſequeretur aliquid perfectionis eſſe in entibus, quod non eſſet in Deo, cum tamen ipſe contineat omnia, cum ſit perfectus, ſummum bonum, cæteriſq; bonitatem largiatur, & perfectionem, *quia per ipſum, & cũ ipſo, ac in ipſo ſunt omnia, & vniuerſa.*

Deus eſt bonus per eſſentiam.

12 Et hinc tertiò deducimus Deũ eſſe bonum per eſſentiam: quæ loquutio communis eſt apud Theologos, licet modus explicandi non ſit vnus: vt etiam inde à contrario deducant creaturas non eſſe bonas per eſſentiam, quo in loco Caetan. ad prim. part. q. 6. art. 3. propoſitionem diſtinguit, vel.n. concipimus eam ex parte prædicati, vel ex parte ſubiecti: ex parte quidem huius indicat hunc ſenſum reddere, Deum eſſe de ſe bonum, & non per aliquod additum: ex parte autem prędicati ſenſum reddit, vt ſit bonus per eſſentiam. ſ. non participatam ab altero: gratia cuius expoſitionis inferunt & alij ex D. Thom. creaturas non dici bonas per eſſentiam. probat autem D. Thò. art. 3. ſolum Deum eſſe ita bonũ per eſſentiam, quia triplici bonitatis, & perfectionis gradu cõtingit aliquid eſſe bonum; vel quia conſtituitur ſimpliciter in ſuo eſſe, vel quia aliqua ei accidentia inſunt, quibus operetur, vel deniq; ratione attingentiæ ad propriũ finem, quia finis habet rationem boni, ac perfecti, primo modo dicitur, inquit, ignis perfectus, quia per talem formam conſtituitur in ſuo eſſe: ſecundò per calorem, ſiccitatem, ac leuitatem, quibus operatur, ac tertiò ratione centri, & loci vbi quieſcit. hæc autẽ perfectio, ſubdit, nulli creato conuenit per eſſentiam, ſed ſoli Deo, qui prima perfectione pollet, dum habet talem rationem eſſendi: ſecundo etiam perfectus eſt, non quidem accidentaria perfectione, ſed eſſentiali, cum accidentia ſint in Deo eſſentiæ, & eſſentialia. ter-

Explicatio Caet.

tiò deniq; eſt per eſſentiam talis, quia ad nullum finem ordinatur, à quo perficiatur, ſed in ſeipſo ſiſtit, vnde ipſe ſolus per eſſentiam eſt bonus, creaturæ autem non per eſſentiam.

Creatura vtrum bona per eſſentiam.

13 Hæc vero, quæ D. Tho. aſſerit difficultatem non effugiunt, & præcipuè circa id, quod docet creaturam non eſſe bonam per eſſentiam: & quidem poteſt & ratione, & authoritatibus ſic argui, demõſtrando creaturam quoq; eſſe bonam per eſſentiam: ratione ſic, bonitas eſt paſſio entis, tum increati, tum vero creati, ergo conuertibilis cum ente, ergo prædicabilis de ente, ergo verè dicendum quodcunq; creatum ens habere bonitatem tanquam propriam, & connatam paſſionem: at paſſio per eſſentiam competit ſubiecto, quia eidem conuenit per naturam, ergo ſimiliter creatura erit & per naturam bona, & per eſſentiam. item creatura non eſt formaliter bona bonitate Dei, ergo eſt formaliter bona bonitate ſua, ergo per eſſentiam bona: antecedens conceditur à D. Th. art. 4. in fin. ſi benè expendatur, & probatur ratione, quia denominatio formalis debet eſſe à forma inhærẽte ſubiecto, at formalis Dei bonitas non inhæret creaturæ. ergo per bonitatem ſibi formaliter inhærentem erit bona, omnis autem, & talis denominatio erit intrinſeca ab inhærente forma. & conſequẽter erit denominatio eſſentiæ, qua dicatur verè eſſentia eſſe talis. Confirmatur, quia ſicut contra Magiſtrum arguunt Theologi, nos non diligere Deum mediante Spiritu ſancto, tanquam principio formali, ſeu inhærente, ita etiam creatura dum denominationem formalem recipit, per propriã vtique formam denominabitur talis: at vbi talis reperitur formalis denominatio, verè dicendum id eſſe mediante ſua forma, tale, & tale per naturam, ac per eſſentiam. vlterius ſecundum eam rationem eſt bona, ſub qua eſt appetibilis, nam *bonum eſt quod omnia appetunt*, at creatura eſt etiam obiectum appetitus, licet non ſit vltimus finis; tanquam. n. habens in ſe participationem diuini eſſe eſt bona, ergo ſub ratione entitatis eſt appetibilis, ergo eſt per eſſentiam bona. Confirmatur, quia creatura vna eſt altera amabilior, dignior, & appetibilior, patet diſcurrendo per genera, & ſpecies, quarum altera ſicut perfectior eſt, ita appetibilior, vt appetibilior eſt Angelica entitas, quàm humana, & appetibilior humana, ſeu rationalis, quàm brutalis, ergo amabilior, quo fit vt ſecundùm proprias entitates ſint ita bonæ, dignæ, perfectæ, & comparatiuè digniores, amabiliores, appetibilioreſq; alijs aliæ.

14 Scripturæ etiam id oſtendunt, vt Geneſ. 1. *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*; ſicq; paſſim ea quæ creabat, citiſſimè approbabat, in quiẽdo, *vidit lucẽ, quod eſſet bona*, & de ſingulis inde concludens, ait Scriptura, *cuncta quæ fecerat erant valde bona*. Prouerb. 3. *cuncta fecit bona in tempore ſuo*. & D. Paul. 1. Timoth. 4. ait, *omnis creatura bona eſt*: Patres quoq; id docent, & præcipuè D. Auguſt. contra Manich. de duabus anim c. 5. *cuncta*, ait, *bona eſſe in ſuo genere*. expreſſius autem in lib. de nat. bon. cap. 1, oſtẽdit qua ratione omnia à Deo prodire, ea etiam ratione eſſe bona, ſiue parua ſint, ſiue magna, iuxta diuerſum, ac varium rerum earundem ſitum, & diſtinctionẽ. apertius autem Nazianz. orat. in appulſum Epiſcoporum hanc excellentiam alternatim creaturarum oſtendit cùm ait. *creatura alia alys dignitate præſtant, prout qualibet Deum propinquius attingit*.

15 Fundamentum, cui ſequaces D. Thomæ innituntur, vt Caet. Bann. cæteriq; hoc eſt, vt conſiderent creaturam ſub eſſe potentiali, in quo eſſe præſcindit, vel preſcindere poteſt ab actuali exiſtentia, tùm quia creatura non eſt ens neceſſario exiſtens, tùm etiam quia exiſtentia non eſt de ratione extrinſeca creaturæ: Cũ verò creaturæ diſtinguatur in hoc duplex eſſe, potentiale, & actuale, concludunt, vt ipſa non ſit per eſſentiam bona, probant, quia ens in potentia eſt ens imperfectum, ergò prout ab actuali eſſe præſcindit non eſt per eſſentiam bona. Rurſus, creatura non habet rationem appetibilis, niſi quatenus actualiter exiſtit, & tunc eſt bona cum actu eſt, cum autem inpotentia concipitur non eſt bona. denique quia creaturæ, aiũt, ſecundũ potentiale eſſe nec à creatu-

ra,nec à Deo ipſo ſunt amabiles, ergo neque ſic erunt bonæ.hæc hunt fundaméta eorum.Et addi poteſt ex D.Tho. 1.p.q.5.art.1. dicente bonum eſſe idē, ac perfectum; perfectum autem eſſe vnumquodque in quantum eſt actu; quia eſſe eſt actualitas omnis rei.

Ens in potētia vtrū amabile. 16 Verùm, de ente in potentia, vtrum appetibile ſit,& diligibile;de eo quidē diſtinguimus, quod duplex eſt, alterum quod nuſquam erit actu, licet poſſibile ſit eſſe: & alterum quod actu & verè erit à parte rei. Circa primum fruſtra amorem impendimus, & deſiderium:vnde id non appetimus,ſaltem efficaci appetitu,cùm nuſquam erit:an autem poſſimus id diligere, negant quamplures; & aſſerunt nec à nobis diligi,nec à Deo. ſed de nobis loquendo verius cenſemus ea diligi poſſe, & quandoq; actu diligi, ſicut etiam quādoque appeti,licet appetitu ſolius cōplacentiæ, & inefficaci: poteſt enim cęcus appetere illuminari, ſaltem à Deo, & complacere ſibi in illuminatione poſſibili,licet ſciuerit nunquam id fore ſibi præſtandum: de Deo autē dicimus non eas appetere, ſed aliquatenus amare: non appetere inquam, quia iam deſtinauit eas non creare, Deus autem nec inefficaci amore cōplacet circa ea, quæ nuſquam futura ſunt, in quo differt à nobis, qui complacemus in ipſis, & ſaltem inefficaciter appetimus,& deſideramus:non ergo appetit eas Deus: aliquatenùs tamen amare eas manifeſtum deberet eſſe, quia Artifex nedum ſibi complacet in opificijs, quæ verè operabitur, ſed etiam in ijs, quæ nuſquam aget, quæ tamen poteſt agere: dum namque complacet ſibi in arte ſua, amat quoq; ea omnia, quæ à ſua arte prodeunt, & poſſunt prodire, licet nuſquam prodibunt: non quod amor ſit in ipſa negatione effectus futuri, ſed quatenus cōplacendo ſibi in arte,complacet etiam in eadem arte,quatenus ordinē dicere poteſt,& exitum ad artificiata poſſibilia,ſicq; dicitur Deus ſupremus Artifex amare poſſibilia,quia complacēdo ſibi in officina omnipotentiæ ſuæ, dicitur amare ea omnia, quæ exitum habere poterunt ex tali arte. & hæc quoad ea,quæ non erunt:Circa autem poſſibilia ſecūdi generis eodem prorſus diſcurſu eſt vtendum, vt & nos, & Deus ipſe, dicamur ea amare, & complacere in eis: Adde, quòd ea etiam appetitu deſiderij proſequimur, pro ſuo tempore, id quod negauimus de poſſibilibus primi generis, primum quidem deducitur ex dictis,quia Artifex complacendo in arte ſua, complacet ſibi in quocunque poſſibiliter produci ad artem: & addimus quod complacentia, atq; appetitus de talib. erit efficax, quandoquidē verè erūt,verèq; actualiter exiſtent: ideoq; Deus amat illa nedū cōplacēti amore, ſed efficaci pro tēpore, quia efficaciter ꝓducet, & cōſequēter amādo, appetet ſic efficaciter:& cōſimiliter amamus nos ea, quæ quandoq, euenient,licet actu non ſint, Nec obſtat, quòd talia non ſint entia in actu, vt poſſint amari, quia vnūquodque amatur vel eo modo quo habet eſſe,vel eo modo,quo poteſt habere eſſe, & pro quando habebit eſſe, non enim amamus ea quatenus præſcindunt ab omni ratione eſſendi, ſiuè actuali, ſiuè potentiali, ſed amamus, quatenus ordinantur ad eſſe actuale pro tempore.vel dicendū quod amantur tunc cùm habent eſſe in potentia, ſed non amātur pro tunc, ſed pro tempore, quo habebunt eſſe: quia tamen eſſe ſic potentiale dicit ordinem ad actum pro tempore, ideo vt ſic amantur & à nobis,& à Deo: & hinc cōcluditur,quòd etiam vt in pontentia conſiderantur, ſunt quid bonum in genere ſuo.; nec etiā abſolutam potentiam, ſeu negationem abſolutam conſideramus, ſed concipimus eam cum ordine ad actum, ideo ſub iſto ordine potentiali ſunt bona,& amabilia à Deo. nec hoc negat Bannes,quia ait ea eſſe bona in potentia, & concludit, entia in potentia ratione entis, ad quod dicūt ordinem, eſſe bona per eſſentiam: & hac eadem ſub ratione vnum eſſe altero perfectius, vt ſupra arguebamus: quod etiam docuit Ferrarienſ.1. contrag.c.38. aſſerens non ſolùm ens actu exiſtens eſſe bonum per eſſentiam, ſed etiam ens habens ordinem ad exiſtentiam, id autem eſt ens in potentia. Ex his denique ſatisfit fundamentis eorum, tùm quia etiam potentiale ens

eſt bonum, amabile, & appetibile; tùm quoq; quia dum dicit ordinem ad exiſtentiam, multo magis appetitur, amatur, ac deſideratur.

Deus eſt bonus per eſſentiam, nō ſic creaturæ. explicatur.

17 Vnum tamen addamus ad cōpletionem totius diſcurſus, loquutionem hanc, *eſſe bonum per eſſentiam*, habere alium communiorem, & vſitatiorem ſenſum, diuerſum à ſenſū Thomiſtarum, qui ideo Deum ſic inquiunt bonum, quoniam in eo eſt ſimul potētia, & actus, poſſibilitas, & exiſtentia, & nuſquam caruit actu ſuo, quod de creatura non dicitur; Alter tamen, & magis receptus ſenſus eſt hic, vt eſſe per eſſentiam bonum, idem ſit, ac bonitatem, & entitatem, cæteraſq; perfectiones, habere *à ſe, independenter, idēticè, & neceſſario*: ita paſſim loquuntur ſancti, vt Anſelm. in matt. 19. Dionyſ. c. 4. de diuin. nomin. Cæleſtin. epiſt. 1. ad Epiſc. Gal. c. 5. vnde deducūt Theologi creaturas non eſſe per eſſentiam bonas, quia bonitas earum eſt bonitas per participationem, eſt bonitas depēdens, & eſt bonitas accidentalis, quia ſeparabilis ab ea: at bonitas Dei eſt ſibi coeſſentialis, & idem cùm eo, ergo eſt per eſſentiam bonum. eſt item bonitas eius independens, habet eam à ſe, & neceſſario ergo: bonitas autem creaturæ pendet ab eo ex Boetio lib. de hebdom. & Dionyſio vbi ſupra: quia dum prodeunt ab effectiuo primario, quod eſt Deus, largitur quoq, bonitatem; *Dei. n. perfecta ſunt opera*: & dum etiam ordinantur ad ipſum Deum ſub ratione finis, patet hinc eſſe bonas, quia finis eſt per ſe bonus, & ea quæ ordinantur ad finem, ſpecificationem bonitatis deſumunt à bonitate finis. Addit autem D. Tho. art. 4. vnumquodq; dici bonum per ſimilitudinem diuinæ bonitatis ſibi inhærentem, quæ eſt formaliter ſua bonitas denominās ipſum. quæ quidem verba importare fortaſsè videntur creaturam eſſe formaliter bonam bonitate formali, qua Deus eſt formaliter bonus: at non eſt cenſendum hanc fuiſſe mentem D. Th. cum omnis formalis denominatio debeat prouenire à forma inhærente, bonitas autem formalis Dei non inhęret formaliter creaturæ, ſicut nec formaliter dicimur amare Spiritu ſancto tanquam formali principio: igitur cū D. Tho. ait creaturas eſſe bonas mediante ſimilitudine bonitatis diuinæ, ſibi inhærente, ſenſum reddit, vt bonitas formalis, qua creatura eſt formaliter bona, dum eſt quędam participatio lucis, & bonitatis diuinæ, quia eſt bonitas per participationē, dicitur quoq; eſſe ſimilitudo illius diuinæ bonitatis, quia verum eſt, quod creatura eſt veſtigium, & ſimilitudo, & imago Dei, & bonitas creaturæ inhærens non eſt bonitas formalis infinita Dei, ſed creaturæ.

Aliter explicatur bonitas Dei, & creaturæ. per eſſētiā

18 Alium quoq; addimus ſenſum ad bonitatem Dei per eſſentiam, vt creaturæ comparatione bonitatis Dei non appareant bonitate præditæ, & probitate. ita. n. dicitur *quod cæli non ſunt mundi in conſpectu eius, & in Angelis quoq; reperit prauitatem.* Iob. 4. ſic ad locum Matt. 19. indicat Hieron. vbi . n. Matthæus ait, *vnus eſt bonus Deus*, ait Hieron. *ſancti comparatione Dei nō ſunt boni.* & Gloſa ſubdit, *non ſe Magiſtrum negat bonum, ſed Magiſtrū abſq; Deo vllum bonum eſſe.* & vbi Marci 10. habetur, *nemo bonus, niſi vnus Deus.* Inter linearis ait, *comparatione Dei.* & deniq; vbi Lucæ 18. repetitur hoc idē, *nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Gloſa ait, *quiuis ſanctus homo comparatione Dei bonus non eſt.* ex triplici ergo capite conſtat explicatio propoſitionis, *Deū eſſe bonum per eſſentiam*: ex primo, quia actu ſemper eſt, ſuaq; exiſtentia eſt de eſſentia eius, vt proprio loco oſtendimus, vt ſicut eſt ens per eſſentiam, ita ſit per eſſentiā bonus, quæ ratio creaturæ non competit. ex ſecundo quia eſt talis à ſe, independenter, neceſſario, imparticipatè; & tertio comparatiuè ſumpta eius bonitate: quæ omnia nequeunt efferri de creatura: primum caput non tam explicat bonitatem, quam exiſtentiam: ſecundum, & tertiū explicant intentum.

Bonitas Dei probatur etiam à poſteriori.

19 Et hinc vlterius proſequendo oſtenſionem bonitatis Dei, comperimus ex rationibus alijs, tanquam ab extrinſeco apparere vlterius bonum, & optimum; habet namq; rationem effectiui rerum omnium, quibus elargitur bonitatem, ergo & in ſe bonus eſt, immo multo magis bonus, ratione

namq;

namq; virtualis continentiæ, ex qua prodie in actum productionis patee effectiuè ad extra eius bonitas. Quod ſi ratio efficientiæ eſt ratio oſtenſiua bonitatis Agentis, multo magis hæc vberiorem oſtendet Dei bonitatem; probatur diſcurrendo: vel namq; efficiens eſt vniuocum, vel æquiuocum, ſi primum, vtiq; apparebit bonitas Agẽtis producendo vniuocè, nam ex Ariſt. *perfectum illud eſt, quod poteſt producere ſibi ſimile in natura*, bonitas autem hæc non deeſt Deo, ipſe namq; etiam vniuocè agendo ad intra, verè generat filium: quam perfectionem forè ſibi adſcribẽdam omnino teſtatus fuit per os Iſa. 27. inquiens, *numquid ego qui cæteris generationem tribuo ſterilis ero?* & ex Pſal. 109. *ex vtero ante Luciferũ genui te*. igitur ſic primo patet eius bonitas vniuocè. ſi de ſecundò producendi modo loquimur, apparet amplius, quia Agens æquiuocum, præcipuè ſi ſit primarium, & totale, perfectius eſt effectu ſuo ſimpliciter, & abſolutè, vt Deus: quod ſi totale non ſit, nec primarium, & ſi vna vel altera ſub ratione imperfectius eſſe poſſit effectu, nihilominus, quia in virtute ſua continet effectum vnum, vel plures, inde perfectius erit, & effectus imperfectiores erunt ratione cauſalitatis, & dependentiæ, vt Cæli reſpectu effectuũ ſublunarium: quanto autem cauſa actiua eſt ſuperior in entitate, tãto eſt perfectior in cauſalitate, ex Scot. 7. quolib. eſt autem Deus ſuprema omnium cauſa, quia & omnia continet, & cauſat vniuerſa, ergo hinc elucee maior eius bonitas: aſſumptũ probatur, quia cauſa potens producere effectum vnũ eſt bona, & perfecta vt vnum: & quæ poteſt duo producere, erit bona vt duo: cæli, & aſtra, qui tot continent, & producunt effectus, erũt ſic & ſic perfecta, iuxta virturem contentiuam, & productiuam: Deus autem continet virtualiter omnia, & omnia producuntur ab eo, ergo ex hac ratione extrinſeca eſt melior cunctis. ratio quoq; finis idipſum demonſtrat, quia cum ſit finis omnium, omnia ad ſe trahit, & ordinat, iuxta præſcriptas, ac præfinitas leges vniuſcuiuſq; ſiuè rationalis, ſiuè brutalis, ſiuè inſenſibilis, & immobilis creaturæ. immo ratio eadem efficientiæ hoc oſtendit, quia cuncta operatur propter ſui gloriam, celſitudinem, atq; bonitatem oſtendendam: hinc inſenſatis rebus tribuit pondus, ſiuè leuitatis, ſiuè grauitatis ad centra: hinc vegetabilibus dedit fœcunditatem florum, fructuum, ac germinum: hinc brutis propagationem, ac miniſterio ſubdidit ipſius homini; hinc Angelo & homini rationem tribuit, & affectum, quo ferantur in ipſum; hinc deniq; cuncta ſpectant ad finem, complementum, & ornatum huius ſæculi, ſæculum autem ipſum, complectens hæc omnia fecit propter ſemetipſum, vt ſit vera loquutio prouerb. 16. *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

Deus, & creatura vtrum ſint quid melius extenſiuè.

20 Et ex his vlterior ad principale ſubiectum deducitur ratio bonitatẽ oſtendens, quod cum cæterorum bonitas ab ipſo promanet, & contineatur in ipſo, conſequens eſt vt abſq; contradictione cogitari non poſſit, nec etiam quidquam reperiri maius, melius, & perfectius Deo ipſo: ſolent quidem Theologi communiter aſſerere Deum vna cum creaturis eſſe quid melius, & perfectius quam ſine ipſis: & declarant meliorationem, ac perfectionem vlteriorem eſſe extenſiuam, non intenſiuam, vt quod extenſiuè ſit maius cum creaturis, non autem intẽſiuè: ſed licet loquutio hæc bonum poſſit habere ſenſum, nihilominus verius erit id negare omnino; probo; creatura neque in eſſe actuali, neque in eſſe contento eminentialiter in Deo addit aliquid, vel maius, vel perfectius ipſi Deo, ergo nec melior, nec maior erit Deus cum creaturis, quaṁ cum ſeipſo. antecedens probatur, qula ſiuè in eſſe cognito, aut poſſibili, ſiuè in eſſe extra proprias cauſas conſideretur creatura, tota cõtinetur eminentialiter ſecundum rationes ſuas poſitiuas in ipſo Deo, & continetur inſuper multo perfectius, ac melius, quam in ſemetipſa, ergo ipſa nihil addit Deo etiam extenſiuè. item ipſemet Deus eam producit de theſauro omnipotentiæ ſuæ, ipſiq; ipſemet tribuit eſſe, non ergo creatura tribuet eſſe Deo, neq; extenſiuè. item inde ſequeretur hoc, quod quandoq; creatu-

ra aliunde haberet eſſe, & non à Deo, nec contineretur in Deo, at continetur in eo ſecundum quodcunq: eſſe, ergo non eſt aliquid melius, nec extēſiuè maius. Dices eſſe quid maius extenſiuè, quia diſtinguitur à Deo, vnde cum Deus non ſit creatura, nec creatura Deus, & ſint aliqua plura, conſtituent aliquid maius. Sed hoc eſt deceptio, & error: etenim licet ſint quid diſtinctum, nihilominus, quia creatura quidquid habet, totum habet à Deo, & totum eſſe creaturæ, licet perfectiori, eminentióriq: modo) continetur in Deo, ideo non eſt quid extenſiuè maius: licet namq: inde diſtinguantur per rationes creati, dependentis, finiti, & ſimilium, tamen creatura nihil habet poſitiuum, & reale, quòd non ſit (ſuo modo) in Deo. Adde quod non ſolùm eſt in Deo totum quod habet, ſed eſt ipſe Deus, quia creatura in eſſe intellecto, ſeu cognito ab ipſo Deo, eſt ipſe Deus, ita.n. exponit D. Auguſt. illud Ioannis primo, *quod factum eſt in ipſo vita erat*, id eſt in Deo contenta eſt ipſe Deus, quia omne quod eſt in Deo eſt ipſe Deus. inquiens, *quod factum eſt, in Deo eſt vita creatrix*: quatenus eſt in cognitione diuina, quæ eſt Deus. Scot. 4.d.1.q.1.

Scoti mens ex D. Tho. 21 Accedit hanc eſſe ſententiam ſapientum, Scotus.n.quæſt.5. quolib. probans non dari plura infinita, ait ſi darentur plura infinita, ergo plura bona infinita excederent in bonitate vnū bonum infinitum, ergo bonum infinitū iam non eſſet infinitum bonum, quia poſſet excedi. Ad quòd ſubdit idem Scotus, ſi hoc eſſet, ſequeretur Deum, & creaturam eſſe maius bonum, quia vltra bonitatem Dei adeſſet bonitas creaturæ: ad quod reſpondet negando conſequentiam, & rationem aſſignat, quia bonitas creaturę continetur eminenter in ipſo Deo, & ideo creaturæ bonitas non auget bonitatem Dei. Diuus etiam Thomas 1.2.q.34.art.3. ad 2. ait, *Deum nullius boni additione fieri melius.* & 3. ſent.d.6.q.2.art.3.ad prim. ait, *licet in Chriſto bonum increatum natura diuinæ, & bonum creatum naturæ humanæ ſint plura bona, quàm ſola natura diuina, coniunctim tamen ex vtraque natura non eſſe maius bonum, neque melius ſola natura diuina.* & denique Auguſt.5.de Trin.cap.8. ſubdit, *cùm creatura adhæreſcit Creatori, illa fit maior, quam erat, non ille.* è Scoto autem, & D. Thoma habetur non eſſe quid maius. nec ſufficit reſpondere loqui de maioritate perfectionis, ſeù intenſiua, quia inde D. Tho. ſubdit, *neque melius*, & vbi prius dixerat, *non eſſe quid maius*, inde addidit, *neque melius*, aliàs, ſi pro *maius*, intelligeretur perfectius, ſeù maius inteſiuè, quod idem eſt, commiſiſſet nugationem, & fallaciā inutilis repetitionis, vbi opus non erat ſic inutiliter id repetere. & confirmatur Exodi 33. vbi Deus ſe appellat omne bonum, inquiens, *oſtendam tibi omne bonum*, quo ſit, vt acceſſu creaturæ nō ſit maius, neque melius bonum.

22 Sed quid vltra remanet de diuina bonitate? diſtingui quidem bonitas ſolet in moralem, & meritoriam, de quibus latius infra: at licet in ipſo Deo nullus gradus deſit cuiuſcunque bonitatis, nihilominus in moralis bonitas quandā imperfectionem connotant in ſubiecto, ea autem eſt, vt id ſit inferius ad Deum, ſit diſtinctum, & alterius naturæ ab ipſo Deo, & iuxta conditionem, & circumſtantiam finis, quæ in bonitate morali præcipua eſt, quod ordinetur ad finem aliquem ſuperiorem, & meliorem ſe. & denique connotat quod mediantibus meritis, orationibus, ac operibus aſſequi debeat talem bonitatem, quam non habet: quæ omnia patent in creatura merente eam: ideoq; Theologi aſſerunt Chriſtum oraſſe quidem, & meruiſſe, ſolùm ſecundùm naturam hnmanam, quia erat inferior ad diuinam, non autem ſecundùm diuinam, quæ non cognoſcit ſuperiorem: item habens bonitatem denotatur non eam habere à ſe, ſed dependenter ab alio, nec eſſe per ſui naturam ſic bonum, ſed ex accidenti: at hæc omnia transferri nequeunt ad diuina, cùm Deus ſit à ſe, & per eſſentiā bonus, nec ab alio mendicet bonitatem, ideo in rigore loquutionis ſiſtendo negandus eſt in Deo talis modus bonitatis dependentis, & mēdicatæ per merita, cùm ſit per eſſentiam bonus: quod ſi per vtramque & Theologicā, ſeù moralem bonitatē *Bonitas meritoria, ſeù moralis an in Deo.*

intel-

intelligitur quid conſonum voluntati diuinæ, quid vniformæ rectæ rationi, & aliquid congruum æternæ legi, ſeù quid optimè coniunctum Deo per talem bonitatem, concedatur Deum eſſe ſic bonum; quandoquidem nullus magis Deo dilectus, quàm Deus ſibimet: nulluſq; Deo magis vniformis, magiſque coniunctus, quàm Deus ſibi ipſi, qui eſt per omnia vnus, & indiuiſus: ac nullus ita iuxta rectat, atque æternas, veraſq; rationes agendi operatur, ſicut ipſe Deus; ergo vt ſic, ac ſub rationibus conſimilibus concedatur eſſe ſic bonus demptis tamen imperfectionibus recenſitis.

Bonitate cõſummata bonus Deus.

23 Cùm autem harum bonitatum effectus ſit conſummata bonitas, atq; ſanctitas, eoq; magis erit cenſendus quis bonus, quo magis appropiat ad ſanctitatem; hoc quidem præſtantiſſimo modo erit etiam Deus bonus, vnde, & perfectione eſt plenus, & ſupereminet ſanctitate. & ſic eum in cœlis nominant beatiſſimi ſpiritus ex Iſai. *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*. ſic etiam primo Regum habetur cap. 2. *non eſt Sanctus vt eſt Dominus*. quod ſi ſanctus idem ſonat, ac ſine terra, iam Deus noſter eſt ab omni terrea fæditate ſemotus, vnde Sanctus Sanctorum erit appellandus: & ad eius etiam ſanctitatem imitandam prouocãs nos Chriſtus Dominus aiebat, *eſtote perfecti ſicut Pater veſter perfectus eſt*. in pſal, etiam 135. *confitemini Domino quoniam bonus*. & 144. *fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*. & 118. *iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*.

Bonitas Dei effuſa in creaturas.

24 Inſuper nedum ſibi bonus eſt, ſed creaturis etiam eſt valde bonus. bonus quidẽ rationibus recenſitis virtualis contingentiæ, qua cunctis dat eſſe, prouidet, gubernat, regit, de quibus ſupra: verùm alia ratione bonus creaturis; vtpote ob ſingularia beneficia vocationis, excitationis, illuſtrationis, ac denique glorificationis; linquo benoficic Incarnationis, quo magis apparuit bonus, maioriq; bonitate fuit cum creatura largus donator, & bonus, de quo Ioan: 3. *ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret*: & inſuper, quia quod ad extra operetur, & agit, redundat in beneficium creaturæ: vnde Tren. 3. *bonus eſt Dominus ſperantibus in eũ, animæ quærẽti illum*. & pſal. 71. *quàm bonus Iſrael Deus, his, qui recto ſunt corde*. Diuus quoq; Bernardus in quodam hymno eandem bonitatem expendens ſic aiebat, *Ieſu ſpes pœnitentibus, quàm pius es petentibus, quàm bonus te quærentibus, ſed quid Inuenientibus*. Nec neceſſe eſt hãc bonitatis rationẽ informare creaturam, cui Deus eſt ita bonus; etenim multipliciter dicitur quid bonum, vel quid in qualitate illa, ſeù habitu, tanquam forma inhærente, & informante; vel 2. bonitate obiectiua, & extrinſeca, quomodo pulchrum, & integrum obiectum, vocamus bonũ, quia eſt integrè efformatum, & aptè diſpoſitum. vel 3. ratione cauſalitatis beneficiorum, & beneuolentiæ, quàm amicus vnus, v.g. alteri præbet, & communicat amico: non primo modo eſt ſic bonus creaturæ, vt etiam in diſcurſu huius articuli attigimus. Secunda quidem bonitas Deo competit, quia integer, & perfectus, cui nihil deeſt, propter quod Beati quam maximè quieſcunt, & delectantur in ipſo: ſed ad propoſitum facit. vltima bonitatis acceptio, qua ſic bonus eſt Deus creaturæ, vt verè dixerit, *quid potui facere ei, & non feci?*

27 Vltimò, vt terminemus hoc caput, *bonum, & perfectum eſt id, cui nihil deeſt perfectionis*, inquit Ariſt. 5. met. Deo autem nihil deeſt: creaturæ omnes in eo ſunt, immo perfectiori modo, quidquid boni eſt in Mundo, totũ eſt in ipſo eminentius, & excellentius: infinitas, bonitaſq; ſua adeo magna eſt, vt creſcere nequeat, aut fieri maior, nec per acceſſum creaturæ, vt oſtendimus: immo & ſi nulla creatura extaret, aut extare poſſet, nihilominus eſſet infinita bonitate bonus, quoniam *ſibi ſufficit ipſe*, ipſeq; ſeipſo fruitur, & oblectatur; ergo omnimodè conſtat eſſe bonum, & bonitate ſummum, & ſumma integritate perfectum.

QVÆSTIO II.

In quo conſiſtat formalis ratio bonitatis.

ARTIC. I.

Aſſertur ſententia dicentium in ſola relatione ſitam eſſe ratione͂ bonitatis.

Varij modi dicendi.

1 IN quo autem conſiſtat formalis ratio bonitatis diſcutiendum eſt: eſt namq; primo loco receſenda opinio dicentium eã ſiſti in ſola relatione: hi autem diuiſi ſunt; quia Alij cenſent relationem hãc eſſe ſolius rationis; Alij verò relationis realis: qui etſi in aſſignanda relationum varietate diſcrepent, concordant nihilominus in hoc, vt aſſerant eſſe puram relationem, ſcilicet conuenientiæ: eamq; conuenientiam explicare poſſumus eſſe debere vel ad ſemetipſum, vel ad alterum: priori quidem modo quatenus forma dicitur eſſe bona ſuo toti, quod conſtituit; & ſecundo modo, quatenus ens aliquod completum, (non tamen tanquam forma, nec veluti pars) dicitur perfectio alterius, non quidem informando, nec inhærendo, ſed influxum bonitatis ſuæ alteri præſtando mediante communicatione propriæ perfectionis, vt de Deo patet in ordine ad creaturas, & de quolibet altero ordinante ſeipſum ad benefaciendum alteri: ſed hæc, & ſingula infra ſuis locis diſtinguemus, & explicabimus. referamus autem horum placita, ac fundamenta, quibus in ſola relatione collocant ipſam bonitatem.

2 Igitur hi aſſerunt bonitate͂ conſiſtere in ſola ratione reſpectiua: quæ autem ea ſit, aſſignant communiter eſſe conuenienientiam rei ad rem, ſeù perfectionis ad perfectibile; probari poteſt, bonitas non eſt quid reale diſtinctum ex natura rei ab ipſo ente, tãquam propria paſſio: eſt autem quid reale additum enti, ergo erit ſolummodo reſpectus. maior probata eſt iiſde͂ rationibus, quibus de veritate, & vnitate fuit oſtenſum non addere quid formaliter diſtinctum ab ente. inſuper abſque ratione talis cõuenientiæ omne quod eſt, incongruum, & inconueniens erit: ergo videtur ſita bonitas in tali reſpectu: arguitur autem ab oppoſito; negata ratione conuenientiæ tollitur ratio boni, & perfecti, qua alterũ alteri congruit, & conuenit, ergo præciſa eius ratio conſiſtit in reſpectu, & relatione. *Bonitatem conſiſtere in ſolo reſpectu prob.*

3 Confirmatur diſcurrendo de ſingulis gradibus bonitatis. bonum.n. vtile relationem per ſe dicit ad id, cui acquiritur talis vtilitas, abſq; qua relatione iã nõ erit vtile huic potius, quã alteri. nec valet dicere poſſe præſcindere à particularibus ſubiectis, quib. acquiri poſſet talis vtilitas, ſicq; eſſe bonitatem abſque relatione ad ſubiecta; etenim loquendo de bonitate abſtracta, poterit quidem explodere relationem actualem ad actuale ſubiectum: at reſpectum aptitudinalem excludere nequibit: nec cogitari poterit eſſe bonum delectabile, & vtile in aptitudine, abſque ſubiecto aptitudinali, cui applicanda eſſet in actu primo bonitas aptitudinalis. cõfirmatur ex bonitate *Ex bonò vtili, delectabili, honeſtè.*

nſitate actuali, quæ actuale expoſtulat ſubiectum,cui fiat applicatio actualis, ita pariformiter non poterit eſſe aptitudinalis, abſq; ſubiecto aptitudinali.

Videtur autem omnino eſſe de bonitatis eſſentia talis relatio: quia ablata relatione vel actuali, vel in aptitudine, deſtruitur omnis ratio boni,ſicut poſita omni ratione diſconuenientiæ,habetur omnis ratio mali;ergo interna eſt,& intrinſeca,ac eſſentialis talis relatio in bonitate. Vrgetur amplius de bono honeſto, quod tot cauſas expoſtulat,vt efficientem, formalẽ, ac præcipuam,& principalem, quæ eſt ratio finis, hæc autem haberi nequeũt abſque eſſentiali reſpectu ad eundem finem,quo amoto, ceſſat ratio honeſti, ac deperit ratio omnis boni. Conuincitur etiam, quia requiſitio tot circũſtantiarum ad formandum bonum videtur ſiſtere in eſſentiali relatione, & vnione earundem: & hinc ſpectat circumſcriptio boni ſecundùm Dionyſ. quod *bonum eſt ex integra cauſa: malũ vero ex defectu cuiuſcunq.* at integritas non indicat abſolutè entitates tot rerum concurrentium, ſed eſſentialiter integritas ſiſtit in eſſentiali reſpectu, quo ablato deſtruitur integritas, & completio. item abſolutę perfectiones ſpectatæ ſecundùm ſimplicem entitatẽ non conſtituunt rationem boni; ergo bonitas non conſiſtit in ratione abſoluta: conſiſtit autem perfectio bonitatis in ordine, connexione, & vnione, atque integritate concurrentium neceſſario requiſitorum,ea autem eſt relatio,ergo ſiſtit in relatione.

4 Tanto magis veritatem cenſetur continere, quanto relatio hæc reducitur ad genus relationis extrinſecus aduenientis, iuxta Scotiſtas: hæc autem non conſurgit ex ſimplici entitate extremorum, ſed ex eorundem actuali vnione, eaq; vocatur vera relatio: bonitas autem conſimiliter, & ſi præſupponat extrema realia,tanquam ipſius bonitatis fundamenta, non tamen ſubito habebimus rationem bonitatis ex extremorum poſitione, niſi applicauerimus antea ipſa extrema, quorum vnitio cauſa erit conuenientiæ,vel congruitatis, quæ eſt ipſa ratio boni, ſeu ipſamet vnio erit ipſa conuenientia,& congruentia, in qua conſiſtit eſſentialis ratio boni.

5 Præterea magis conuincitur ex bono,quod vocatur bonum alteri: habemus.n.bonum, quod vocatur bonũ in ſe, & bonum quod ſic dicitur in ordine ad alterum: hoc ſecundum neceſſariò conſiſtit in relatione, quæ principaliter importatur per dici *ad*; albedo .n.bona eſt in ordine ad parietem, & ad ſubiectum,quod perficit, qua ablata relatione,non eſt amplius bona parieti. ſicut frigiditas eſt bona in ordine ad aquam,quia tamen relation.m hãc negat in ordine ad ignem,ideo non eſt bona igni, priuatq; ignem perfectione ſua, ſeu potius negat perfectionem ſuã igni; quia cum ignis, vt talis naturæ nõ ſit aptus ad aquam,non dicitur priuatus perfectione aquæ. Probant alij de bono in ſe, quod in relatione non cõſiſtit,quia non dicit ordinem ad aliud: qua ratione *D*eus erit huiuſmodi. Sed diſcurſus eſt falſus: primo quia *D*eus eſt bonus ſibi, ideoq; relationem rationis dicit ad ſeipſum ſub hoc ordine bonitatis. ſecũdo quia eſt bonus creaturæ, qui licet non ſit bonitas hominis,& Angeli,ac cæterorum ſub ratione formæ informantis, tamen erit ſic bonus ſub ratione efficientis, & finis. tertio quia ipſamet diuina attributa quatenus ad idem ſpectant Deum,ſunt ſic bona,& conſimiliter eſſentia, & relationes,& quidquid vel *D*eum conſtituit vel ipſaſmet perſonas. *Ex bono, ad ſe, & ad Alterũ.*

Accedit, quod Scotus ipſe negat bonitatem dicere rationem abſolutã: quo fit vt ſi ab aliquibus eſſet opinio contraria defenſanda, maximè id præſtandum foret à Scotiſtis, Scotus autem negat dicere rationem abſolutam in 4.d.49.q.4. ad quæſt.

6 Argumenta hæc, vltra confutationem huius opinionis ſitandam articulo ſequenti, ſoluentur infra artic. 3.in fin.

ARTIC. II.

Statuitur rationem bonitatis non eſſe præciſè relatiuam:

Bonitas non conſiſtit in ſola relatione.

1 Falſa tamen protſus eſt opinio hæc præcedens conſtituês bonitatem in ſola relatione. Argui autem poterit contra ipſam primo, quia Ariſtoteles nunquam docuit formalem rationem propriæ paſſionis eſſe ſolam relationem: id autem patere poterit diſcurrendo per ſingula prædicamenta: & quidem de prædicamento ſubſtātiæ planè conſtat, quia proprietates omnes, quas de ſubſtantia enumerat, ſunt verè entia abſoluta, vt in ſubiecto non eſſe: poſſe ſuſcipere contrarias qualitates: non ſuſcipere magis, nec minus: non habere contrarium: ſignificare *hoc aliquid* primam ſubſtantiam, & ſecundam *quale quid*; deniq; prædicari in quid vniuocè de inferioribus; de quibus ſingulis patet non conſiſtere in ſolo reſpectu, ſed ſi relationem aliquam indicant, non tamen eam ſolàm important, ſed prout abſolutæ entitati ipſius proprietatis adnexam: cuiuſmodi eſt poſſe ſuſcipere, ſeu ſubiectum fieri contrariorum accidentium: vbi licet ex accidentis inhæſione importetur relatio inhærentis ad ſubiectum cui fit inhæſio, hæc tamen poſterior eſt ad abſolutam rationem ſubſtātiæ; & ratio ſeſe offert, quia prius abſoluta, & poſitiua ratione ſubſtantia eſt ad ſe, independens, non inhærens, & inde ſecundariò indicat relationê ſubſtentantis ad ſubſtentatum, ſeu ſubiecti independentis, ad accidens inhærens: magiſq. patet ex communitate altera, qua prima ſubſtantia ſignificat *hoc aliquid*, & ſecunda *quale quid*: illa enim abſoluta remanet in ſe, & prorſus abſq; omni relatione cōmunicabilitatis, quod eſt verū loquēdo de ſubſtantia creata: hæc autem licet addat relationem quandam, importatam ratione deſcenſus ad inferiora per communicationem, vniuerſalitatem, & prædicabilitatem, non tamen in hac præciſa ratione ſiſtit eius proprietas; cum pendeat antecedenter ex abſoluta entitate ſubſtrata ſuæ proprietati. relationes deniq; cæteras negatiuas; quas important, vt non habere contrarium, nec ſuſcipere magis, aut minus, non eſt aſſerendum cōſtituere adæquatè naturam propriæ paſſionis; ſiquidè omni rationi eſt contrarium aſſerere negationes eſſe adæquatè paſſiones veri entis, ac veras proprietates, vt ſup. de vnitate, & bonitate fuit oſtenſum.

Negatiuū fundatur ſuper poſitiuum.

2 Quod patet diſcurrendo de multis: & quidè in moralibus, eſſe impeccabilem, negatio eſt, attamen ex ſe ſola negatio iſta non conſtituit hanc paſſionem; ſupponit. n. ſanctitatem, & iuſtitiam, diuinamq; potentiam, qua redditur ſubiectum tale impeccabile, at iuſtitia, ſanctitas, & potentia ſunt entia poſitiua. Vltro, eſſe cæcum, & non videre, ſupponit ſubiectum capax, & poſitiuum viſionis, potentiamq; ſaltim remotam ad videndum. Dices, lapis habet negationem viſionis, quia non videt, attamen potentiam poſitiuam non habet ad eam aſſequendam, ergo non ſupponitur poſitiua entitas proprietatis. Sed reſpondetur, primo in lapide, & ſimilibus ſufficere ipſam naturam lapidis, quæ de ſe non tendit ad viſionem, ipſaq; poſitiua natura ſic cōſtituta in cauſa eſt vt de ea neganda ſit viſio. item 2. vbi non adeſt priuatio, nec ibi fas eſt potentiam poſitiuam vllo modo reperire, qua redeat ad viſionem, quæ tamen reperitur vbi interuenit vera priuatio, vt in homine cæco, in quo vera degit priuatio, quia eſt aptus natus ad actum oppoſitum viſionis, ergo in eo remanet aliqualis potentia ad viſionem adipiſcendam; attamen in quo degit abſoluta negatio vt in lapide, cùm non ſit ſubiectum aptum natum ad videndum, nec per conſequens vere priuatum, nulla quidem facultas admittenda ad viſionem habendam. Confirmatur autem diſcurſus de negationibus, etiam in naturalibus proprietatibus Dei, vt eſſe immortalê, impaſſibilem, immobilem, non temporalem, & ſimilia, & ſi negatiua ſint, adſunt tamen mediantib præcedentibus perfectionibus poſitiuis, vt quia eſt pu-

Lapis negatus viſione, non priuatus.

purus ſpiritus, ideo impaſſibilis; quia etiam eſt infinitæ potentiæ, quam oppugnare nemo poteſt, ideo immortalis: quia cælum,& terram implet, iuxta illud, *cælum,& terram ego impleo*, eſtq; immenſus, vbique exiſtens, ideo immobilis: quia deniq; æternus, ideo non temporalis, & ſic de ſimilibus: ergo à primo ad vltimum, proprietatum ſubſtantiæ, ſiuè cæterorum generum, & ſi aliquæ ſint negatiuæ, tamen negatio in abſoluta poſitiuitate fundatur: ſicut etiam etſi relationem connotent, tamē entitatem indicant abſolutam: & ex ſupradictis conſtitit omne negatiuum præſupponere poſitiuum, vt in quæſt. de vnitate, & verit. an conſiſtant in ſola negatione.

Obijcitur. 3 Idem cenſendum omnino de cæterorum prædicamentorum proprietatibus, ſed ſolum ſupereſt difficultas de altera tùm quantitatis, tùm qualitatis paſſione: illius ſiquidem paſſio inter cæteras eſt, æqualitas, & iſtius eſt ſimilitudo: vt iuxta primā doceat Ariſtoteles ibid. ſecundum quantitatem contingere æquale eſſe, vel inæquale: & ſecundum qualitatem contingat eſſe ſimile, vel diſſimile: at ſimilitudo eſt eſſentialiter relatio: & ſimiliter æqualitas eſt formaliter reſpectus, ergo non implicat proprietatem eſſe omnino reſpectiuam: *Occurritur*

Relatio ſimilitudinis, æqualitatis, & identitatis fundantur ſuper vnū. 4 Sed ceſſat omnis difficultas ſi naturam recenſeamus, & ordinē fundandi æqualitatem, & ſimilitudinem, igitur Ariſtoteles.5.metaph.c. de relatione docèt tres relationes fundari ſuper vnum: eæ autem ſunt, identitas, ſimilitudo, & æqualitas: prima competit ſubſtantiæ, ſecunda qualitati, & tertia quantitati. Explicatio autem mentis ipſius talis erit, vt in fundandis hiſce relationibus duplicem habeamus reſpectum ad duplex quidem fundamentum talium relationum, alterum.n. erit proximum, & alterum remotum: hoc vocabitur res illius generis, ſuper quō fundabitur relatio: & illud erit vnitas talis generis, quę vnitas erit ratio proxima fundandi relationem, quatenus in ea vnitate aliqua conueniunt: ſiuè quidem ea ſit vnitas ſpecifica, ſiuè numerica: explico, quatenus duæ quantitates conueniunt in genere quantitatis, & duæ qualitates in genere qualitatis, ſic quidem habent fundamentum remotum ſuarum relationum æqualitatis, & ſimilitudinis, quatenus inſuper conueniunt magis, ac magis, ita vt minus diſtent, dum duæ iſtæ quantitates non ſe excedunt, & duæ qualitates iſtę pares ſunt in gradibus, tunc accedere dicuntur, vt ſic, ad vnitatem ſuo modo, eaq; vnitas non quidem numeralis, in creatis, erit proxima ratio ſimilitudinis, & æqualitatis; quatenus inſuper Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus conueniunt in eſſentia diuina, habent fundamentum remotum æqualitatis, ſimilitudinis, & identitatis; vt vero conueniunt in vnitate infinitatis, & perfectionis, habebunt fundamentum proximum earundem relationum: quia proxima ratio æqualitatis ſicut in creaturis eſt quantitas molaris, ita in ſpiritibus eſt quantitas virtutis, & in diuinis erit infinitas, ſeu infinita perfectio; prout optimè deducit Scotus in 1.d.31.q.1. His habitis, & ſi æqualitas, & ſimilitudo ſint veræ relationes, attamen habent etiam fundamentum de genere abſoluti; ſic pariter & ſi in bonitatis formali ratione aliqualem conſtituamus relationem, vt probabimus, nihilominus habemus etiam rationem fundamentalem abſolutam ſuæ entitatis abſolutæ, quæ fundet talem relationem.

5 Sunt qui aliter reſpondendo aiūt paſſiones eſſe in duplici diſcrimine, ita vt aliæ ſint formaliter relatiuæ; vt hæ de quibus loquuti ſumus, æqualitas, & ſimilitudo; & aliæ abſolutæ, cuiuſmodi ſunt paſſiones entis; ſed vel iſta eſt petitio principij, hoc.n. quærimus an ſint vera entia abſoluta, præcipuè illæ duæ poſitiuæ, vt veritas, & bonitas, an relatiua: gratis autem diſtinctio talis admittitur. & licet clarior euadat diſcurſus de æqualitate, & ſimilitudine, quia planè conſtat eſſe relationes, attamen vtrum de his dicendum ſit in ſola ratione relatiuā conſiſtere, & de illis in ſola ratione abſoluti, hoc eſt diſcutiēdum; & hoc quærimus, quòd tamen reſponſio præſupponit, vt deciſum. *Aliorum reſponſio eluditur.*

6 Præterea arguo ad principale, relatio illa conuenientiæ, in qua præciſè collocant bonitatem, vel dicit

perfectionem, vel imperfectionem, vel negat vtrumq; ſi dederis ſecundum, ergo non poterit eſſe ratio boni cum careat perfectione; ſi conceſſeris tertium, ſub eadem etiam ratione nō poterit alteri præbere bonitatem, quia ipſa in ſe non eſt ſic bona. ergo dabis primum, inſuper quæro aut illa relatio eſt bona ex ſeipſa formaliter, aut per aliam relationem bona, ſi dederis primum, ergo à ſimili poterit dari entitas abſoluta, quæ per ſeipſam ſit bona, abſque relatione ad alterum, & talis erit bonitas, quæ eſt abſoluta paſſio entis: ſi des ſecundum, quæro de illa altera relatione, qua hæc relatio eſt bona, aut quidem erit bona per ſe, aut per alteram, ſi per ſe, ergo ſtabit ſimilis conſequentia de bonitate abſoluta: ſi per alteram, quæram de illa altera vt prius, ſicq; dabimus proceſſum in infinitum.

7 Dices, idem argumentum formari poſſe contra ſententiam noſtrā, qua aſſeruimus bonitatem eſſe relatiuum ſecundum dici, quæri enim poterit conſimiliter de relatione hac vt prius, & dabimus proceſſum in infinitum. At reſpondetur non militare argumentum in ſententia noſtra; ſiquidē in relatiuo ſecundum dici vltra relationem habemus quoque entitatem abſolutam, & vnumquodque iſtorum propriam habet bonitatem ex ſeipſo intrinſecè, & formaliter, itaut non ſit opus proceſſu in infinitum, qui tamen neceſſe erit, admittendo per ſolam relationem eſſe ens bonum: patet autem diſcurſus, quia entitas abſoluta relatiui ſecundum dici, eſt de ſe bona bonitate abſoluta, quā etiam vocamus bonitatem radicalem, ſubſtratam, ſiue fundamentalem, entitas autem reſpectiua, ſeu relatio illa talis relatiui ſecū-dum dici, etiam erit de ſe ſic bona ſua bonitate reſpectiua: quare non erit opus quærere qua vlteriori bonitate ſit bona; erit enim bonitate ſua ſic bona, nec procedetur vltro amplius. Quæres, conuenientia illa, in qua ſiſtit formaliter bonitas, per quid erit bona? an per vlteriorem relationem, an ſeipſa? Dico non per vlteriorem relationem, ſed ſeipſa bona erit bonitate ſua traſcendentali, ſeu ſibi competenti, quæcunq; illa ſit: eaq; erit ratio for-

Relatio cō-uenientiæ bonitatis per quidnā bona.

malis reſpectiua, qua alterum alteri ſit, & dicatur bonum. Quod ſi contendas, quod hoc dato, falſum erit quod diximus, vnumquodq; abſolutum eſſe ſua bonitate bonum, cùm aſſeramus inde eſſe bonum bonitate reſpectiua. hoc quidem ceſſat, quia ea eſt natura boni relatiui ſecundum dici vt per alterum, ſeu in reſpectu ad alterum dicatur formaliter, ſeu per ſe ſecundario bonum: dixi formaliter, quia abſoluta entitas talis relatiui erit ex ſe fundamētaliter, immo etiam formaliter bona; attamen ſumpto toto relatiuo ſecundum dici, dum copulat vtrumq; & abſolutum, & reſpectiuum, indicat formaliter, & pro per ſe ſignificato bonitatem haberi per relationem, quia fundamentaliter, & radicaliter eſt ab entitate abſoluta, & formaliter, ſeu pro per ſe ſignificato, vt loquuntur Logici, erit à relatione.

8 Inſuper prius eſt eſſe abſolutum, quàm relatio, ſicut prior eſt ſubſtantia, quàm accidēs: igitur in bonitate prior erit ratio abſolutæ entitatis, quā relatio conſurgens: Antecedens eſt veriſſimū in omni genere, priora .n. ſunt abſoluta conſtitutiua, vt cauſæ, quàm cōſtitutiua, & prius ſunt iſta duo, quàm relatio inter hæc conſurgens: prior etiam eſt potentia, quàm operatio, & priora ſunt hæc duo, quàm relatio cōſurgens Operantis ad opus; à cōſimili ergo præcedet in bonitate ratio abſolutæ entitatis, eaq; prior erit vtcunq; qualis qualiſq; ſit prioritas illa, indeque ſubſequetur relatio conuenientiæ. Confirmatur, quia perfectio formæ habetur in ſuſceptiuo eo ipſo, quo recipitur, etiam nulla habita ratione relationis; probatur tùm quia perfectio illa non eſt relatiua, ſed abſoluta; tùm etiam, quia nulla inde inſurgente relatione, etiam præhabetur abſoluta, & entitatiua perfectio: quis .n. neget ſapientiam inhærentem intellectui, eſſe veram perfectionem eius, antequam relationi inſurgenti poſteriori loco ſe ſubiectet intellectus: illa autem ſub ratione abſoluti præcedet omnino.

Bonitas, & perfectio relatiua præſupponit abſolutam.

9 Item forma habet perfectam rationem boni, in ſuo genere, etiam antequam vniatur ſubiecto perfectibili, immo etiam antequam vllum exiſtat

per-

perfectibile ſubiectum: abſtrahamus namq; & cogitemus nullum reperiri ſubiectum, quod perficiatur, non erit neceſſario ex tali negatione ſubiecti, neganda omnis ratio formæ bonæ, & perfectæ, vnde erit in ſe forma talis verum ens abſolutum, bonum, ac perfectione pollens, carens tamen perfectionis relatione ad ſubiectum, dato quòd nullum extaret ſubiectum.

ARTIC. III.

Declaratur in quo conſiſtat totalis ratio bonitatis. Addit aliquid ſupra ens, & eſt relatiua ſecundum dici, & ſoluuntur rationes artic. primi.

1 Conſequens eſt autem, vt reiectis recenſitis ſententijs rem planiorem reddamus, oſtendendo, adæquata bonitatis ratio in quo debeat conſtitui.

Bonitas nulla abſque relatione conuenientiæ, ſiue honeſti, ſiue vtilis, ſiuè delectabilis.

2 Primo igitur ſtatuimus nullam bonitatem reperiri, nullumq; bonum abſq; relatione aliqua conuenientiæ, ſiue honeſti, ſiuè vtilis, ſiuè deniq; delectabilis, hoc eſt contra quoſdam recentiores, ſtatuentes ſolùm bonum ad aliud, dicere aliquam ex his relationib. & reperiri bonum per ſe, ſeu per eſſentiam, quod præſcindit ab ea. quia bonitas talis eſt ſibi eſſentialis, & includitur in eſſentiali conceptu entis talis realis. oſtendo autem omnem rationē bonitatis conſtitutiuam dicere aliquā ex his relationib. nec poſſe eſſe abſq; aliqua ipſarum, ſiuè ſit bonum in ordine ad ſe, ſiuè in ordine ad aliud.

3 Et primò ſic, omne bonum, aut eſt creatum, aut increatum: aut compoſitum, aut cōpoſitione carens, quod ſi careat compoſitione, non carebit tamen conſtitutione: his.n. terminis vtimur in diuinis, quomodo dicimus Deū conſtitui ex eſſentia, & exiſtentia, & perſonas conſtitui ex eſſentia, & relatione: omnia autem conſtitutiua habēt rationem boni in diuinis in ordine ad aliud, & multo magis in rebus creatis, ergo non dabitur bonitas abſq; aliqua iſtarum relationum. Probo ſingula, & primò in diuinis. Capiamus ipſum eſſe abſolutum Deitatis, in eo quidem reperimus duo, nempè eſſentiam, & exiſtentiam: eſſentia autem, & exiſtentia non conſtituunt Diuinitatis indiuiduū niſi eſſentia conuenientiam habeat cū exiſtentia, & exiſtentia cum eſſentia: at hoc eſt ſummum, infinitum, & perfectū bonum; ergo omnis bonitas, maximè diuina habet hanc relationem. probo minorem: & quidē de duplici id oſtendo conuenientia: altera.n. poterit vocari vnio, & hæc eſt pura relatio, & altera idem eſt, ac decentia, congruētia, ſeu natura ipſa; vel neceſſitas, quæ id expoſtulet, vt ita res ſit. de prima quidem conſtat, nec de ea dubij ſumus; etenim ſicut in entibus creatis abſq; vnione materiæ cum forma non fit cōpoſitum, ita in increatis abſq; vnione eſſentiæ, & exiſtentiæ non reſultat diuinum eſſe, non ergo loquimur de iſta relatione: de ſecunda vero eſt intentio, & demonſtratur; quoniam ſic cōgruit, ſicq; decet, vt eſſentia diuina, alioqui infinita, iungatur cum actuali exiſtentia, id namq; in tempore competit, & congruit creaturis, multo magis congruit, & æternaliter ipſi Deo. item neceſſitas id expoſtulat, vt id quod eſt ens neceſſarium, actu ſit; quia *in æternis*, & ſimpliciter neceſſarijs *poſſe non differt ab eſſe*, id deniq; exigit eſſentiæ infinitas, idq; omni rationi eſt conſentaneum; at inde ex tali habitudine habetur eſſe bonum, immo infinitè perfectum; ergo increata perfectio nequit haberi abſq; relatione talis conuenientiæ.

Probatur in diuinis.

Relatio actualis conuenientiæ bonitatis nō ſemper actu in creaturis, ſed ſemper in diuinis.

4 Item in rebus creatis non ſemper relatio hæc conuenientiæ habetur actu, concipitur.n. forma abſq; ſubiecto, cui inhæreat tanquam perfectio, ſeu forma bonificans: vt concipimus ſcientiam abſq; tamen intellectu quem actualiter perficiat, quia ſcientia eſt bonitas, eſt perfectio intellectus, vel dari poteſt, vt actu datur, forma accidentalis perfectiua, abſq; tamen vllo ſubiecto perfectibili, vt quantitas ho-

ſtiæ

ſtiæ Altaris: at in his deficit actualis quidem conuenientia vnius boni ad alterum: licet remaneat conuenientia aptitudinalis, quia forma ſeparata applicabilis eſt, ſaltim in potentia, & in potentia eſt perfectiua ſui ſubiecti: At in diuinis non deeſt actualis conuenientia, ergo multò magis in Deo ſtat bonitas cum hac relatione. Inſuper nega talem conuenientię relationem, ergo ex oppoſito inferam, eſſe inconueniens vt talis fiat vnio, ergo mala, ergo non neceſſaria, ergo contingens, ergo aliquando non actualis, ergo deſtructibilis; ergo deniq; deſtruemus primum ens: igitur abſq; tali relatione nequit diuina bonitas conſiſtere.

5 Dices id forè verum in compoſitis, & præcipuè creaturis, vbi vnum ad alterum ſe habet vt potētia, & actus vt ſubiectum, & forma, vt perfectibile, & perfectiuum, quæ tamen ceſſant in diuinis; quia ſumus in ſimplicib. & Deus ſimplex eſt; quapropter abſq; relatione tali ſtabit ſua ſumma, & infinita bonitas. At diſcurſus eſt nullus, quia & ſi Deus omnem reſpuat compoſitionem, vt ſup. diximus loquendo de Dei ſimplicitate; & ſi etiam ſit ſimplex, nihilominus nón excludit multiplicitatem cōceptuum, perfectionaliū attributorum, modorū intrinſecorum, & rationum quidditatiuarum eſſentialiter cōſtitutiuarum ipſius Dei, vt ſunt eſſentia, exiſtentia, Spiritus, vita intellectualis, perfectiones omnes tum abſolutæ, tum relatiuæ, ſiue quæ ab imperfectione abſtrahunt; vnde à Scotiſtis ob conceptuum pluralitatem vocari ſolet non quidem *ſimpliciter ſimplex*, ſed *ſimplex*, & *ſummè ſimplex*, quia primum negat pluralitatem conceptuum, cuiuſmodi eſt conceptus entis, qui non eſt reſolubilis in plures conceptus anteriores, pro cuius ſimplicitate, vel *totaliter ſcitur, vel totaliter ignoratur*: ſecundum autem cum contineat perfectioné multiplicem nō negatur à perfectiſſimo ente Deo: de talibus autem dicendum omnino eſt, vnum alteri bonitatem, & perfectionē ſuam communicare, & omnia ſimul adæquare, & complere bonitatem Dei, per concernentiam vnius ad alterum, & amborum ad ipſum Deum: vt infinitas cōcernit eſſentiā, cæteraq; attributa copulantur eſſentiæ, & omnia ſimul conſtituunt Deum ipſum: at id non fit abſque concernentia vnius ad alterum; non tamen ſub nomine imperfecti, vt in rebus creatis; etenim vnio illa non eſt ad inſtar phyſicę cōpactionis, ſed vnionem indicat Theologicam, realem, logicam, & metaphyſicalem, omni ſemota imperfectione informantis, &c.

Deus ſummè ſimplex, non ſimpliciter ſimplex.

6 Accedit, quod vnumquodq; attributum propriam habet formalem bonitatem. Deus autem dicitur perfectè integratus ex omnibus his; quæ quidem licet entitatiuè ſint abſoluta entia, nihilominus quia dicuntur ordinari ad Deum conſtituendum, inde dicuntur etiam eſſe bona ſub tali addita relatione cōuenientiæ ad ipsū Deum; quia bonum in ordine ad alterum dicit relationem conuenientiæ ad alterum. quare ij, qui aſſerunt Deum ſecúdùm hæc abſtrahere ab hac relatione falluntur, quia vnaquæq; attributalis perfectio Dei, & omnis eſſentialis conceptus perfectus ipſius Dei ordinātur ad conſtituendum, & integrandum Deum; ergò vt ſic dicunt vltra poſitiuam, & abſolutam entitatem, etiam rationem relatiuam.

7 Solùm id eſt negandum in conceptu entis, qui cùm non ſit conſtitutus ex alijs antecedentib. conceptib. cùm ſit ſupremum omnium traſcendentium, nec per conſequens bonitatem habebit aliunde, quæ ſit ordinabilis ad ipſum ſub ratione conſtitutiui. Dices, ergò talis conceptus non erit bonus, vel ſecundo conceptus entis carebit propria paſſione bonitatis, quæ tamen eſt inſeparabilis, vel iuxta alios identificata realiter. Reſpondeo ad primū, entis conceptū eſſe bonum, non quidem bonitate participata aliunde antecedenter, quaſi eam habeat à ſuis conſtitutiuis, quæ ſint prius bona, & conſequenter ſic ei tribuant ſuā bonitatem, quemadmodum de Deo diximus, qui dum eſt conſtitutus, habebit bonitatem ſuam formalem à conſtituentibus, elargientibus ſingulariter proprias bonitates, & perfectiones formales, licet bonitatem radicalem, & fundamentalem habeat anteceden-

Bonitas Dei, & cōceptus entis, formalis, & radicalis vnde?

ter

ter à ſua eſſentia, quæ ex Damaſc. eſt pelagus omnium perfectionum. vt patebit etiam in compoſitis creatis:non inquam ſi conceptus entis erit bonus, cùm ipſe ſit primus, & irreſolubilis in plures anteriores conceptus :] ſed bonus erit bonitate pullulante ex ſeipſo tanquam ex ſubiecto, ſicq; propriam habebit, & formalem bonitatem, quæ ſit eius paſſio,& proprietas,vel bonus erit bonitate radicali,& fundamentali: ſicq; etiam reſpondetur ad ſecundum non carere propria bonitate veluti paſſione, carere autem bonitate anteriorum conceptuum conſtitutiuorum.

Probatur intentum de creaturis.

8 Magis autem probatur in rebus creatis relationis conuenientia in bonitate.Componamus vnum tertium ex ſubiecto,& forma:hæc quidem tanquã perfectio ordinatur ad ſubiectum: vbi plura conſideramus.& primo concipimus entitatem abſolutam talis formæ: ſecũdò ordinabilitatem, ſaltem in actu primo, ad tale ſubiectum bonificandũ. tertiò conuenientiam, condecentiam, & naturalem habitudinem talis formæ tanquam perfectiuæ ad perfectibile. quartò concipimus actualem conuenientiam, qua actualiter bonificat, & perficit mediante vnione: hæc quidem. & alia plura clarè indicant includi relationem in bonitate ipſa; quæ hucuſq; dicitur relatio conueniẽtiæ perfectionis ad perfectibile. idipſũ patet per ſingula diſcurrendo compoſita,tum in ſpiritibus,tum vero in corporibus. Quod inſuper pro omnibus conuinco ex oppoſito, capiamus.n. frigiditatem, & comparemus eam ad ignem: vtiq; apparebit citiſſimè eam non eſſe bonam igni, quia non ordinatur ad ignem, non habet conuenientiã cum igne, & vnita igni ſtatim deperit, vel ipſa, vel ignis; ergo conuenientiæ relatio per ſe reperitur in bonitate, ſiuè aptitudinaliter,ſiuè actualiter, ſicut à contrario in oppoſitis per ſe negatur talis conuenientia, quia deeſt aptitudo,promptitas,deeſtq; ratio bonitatis,& eſſentia perfecti.

Probatur de Deo.

9. Multo autem clarius probatur id de cæteris relationibus honeſti,vtilis,& delectabilis:quę omnes ſunt paſſiones, & accidentia ipſius boni. De Deo.n.cum bonus eſt per eſſentiam, erit quoq; ſibi ipſi principaliter bonus ſub omni relatione: ſub ratione quidem honeſti, quia cum ipſe contineat omnem rationem boni, ſi à creaturis propter ſe diligitur, multo plus diligitur à ſemetipſo, & ſi creaturis eſt bonus, vt poſsè beneficia impertiendo, creando, gubernando, beatificando, multo magis eſt bonus ſibi beatificando ſeipſum. item creaturis delectationem affert,quanto magis ſibi ipſi,cum ſe infinitè diligat,ſeq; fruatur infinitè: & ſi vtilis eſt creaturis, nil minus erit ſibi proficuus,cum à ſemetipſo habeat quidquid ſibi per neceſſarium eſt, & per vtile: omnia autem hæc relationes important honeſti, vtilis, & delectabilis. quid namq; Deo honeſtius, quid vtilius magis,& quid delectabilius. ipſe autem eſt bonum omnis boni, quo fit vt haſce relationes dicat ad ſemetipſum ſub ratione perfectiui, & boni, in ordine, & conuenientia ad ſe ipſum ſub ratione cui competant hæ relationes boni.

Bonitatis relatio in Deo non realis.

10 At quæres quænam ſint relationes iſtæ importatæ in Deo ad ſe ipſum, vtrum ſint reales, an rationis? ſi ſint reales, ergo Deus à ſeipſo diſtinguitur realiter, patet conſequentia ex conditionibus requiſitis ad relationẽ realem, inter quas eſt realis diſtinctio extremorum. ſi rationis, ergo non eſt ſic bonus, probatur ſequela, quia vbi extremorum vnio eſt à ratione ſola cogitante dependens, compoſitum erit ens intentionale,chimericum, & imaginarium; at bonitas conſtituitur per vnionem,ſeu conuenientiam vnius cõceptus perfectiui ad alterũ,ergo Deus ſic habens bonitatem non erit à parte rei bonus. item rationis relatio non eſt realis, ergo nec realiter erit admittenda in Deo bonitas:& hæc ratio nedum de Deo conuincit, ſed etiam de bonitate creaturæ.Non deſunt qui reſpondeant eſſe reales, quia verè, & à parte rei eſt conuenientia talis, taliſq; vnio plurium,ex quibus reſultet bonitas totalis,quo negato, nõ eſſet à parte rei conſtituenda bonitas.tùm etiam quia termini ſunt reales, & ſi non realiter diſtincti. à contrario autem eſſe rationis, quia negatur realis diſtinctio extremorum, nullaq; poteſt, ſaltem in diui-

diuinæ bonitatis conceptibus, interuenire diſparitas, & ſeparatio. At confundendo nomina relationum poteſt vtrumq; ſuo modo aſſeri, & defenſari: & quidem non eſt aſſerendum eſſe relationem realem adęquatè, & completè, quia in rigore hæc requirit extremorum diſtinctionem realem, quæ inde abeſt: quia tamen vera eſt relatio illa, nullo etiam cogitante intellectu creato, ideo realis ſic poteſt denominari. quia etiam extrema ſunt realia, & terminus realis relationis, & fundamentum etiam eſt reale, ideo hinc etiã denominabitur realis. quia denique Deus eſt realiter bonus, ideo reali relatione erit bonus; conſequentia ſequitur à cauſa ad effectum, à cauſa reali ad effectum realem. ex quo tamen eiuſdem ad ſeipſum nõ eſt relatio realis, cùm à ſeipſo idem non diſtinguatur realiter, ideo vt ſic non vocabitur realis; etenim bonitas Dei eſt ipſe Deus, & Deus eſt bonus per eſſentiam, ergò relatio bonitatis ſuæ ad ſeipſum bonum, prout idem eſt cum ſua bonitate, ſic non erit realis: eſt verò eiuſdẽ ad ſeipſum diſtinctio ſolius rationis, ergo eſt relatio ſolius rationis. ergo remanet vt confundendo nomina relationum, ſit quidem realis relatio illa, ſed inadæquatè, ſit autem rationis in rigore, quia magis rationes militant pro relatione rationis, quàm pro reali; excludatur tamen dependentia ab opere fictionis intellectus, quæ vt plurimum vocari ſolet ens rationis, & ſic non erit relatio rationis, quia eſt à parte rei.

Bonitas fũdamẽtalis eſt de genere abſoluti, formalis de genere reſpectiui.

11 Statuimus ſecundò fundamentalem rationem bonitatis eſſe de genere abſoluti, formalem vero eius rationem eſſe de genere relatiui. hoc ſecũdum ex dictis remanet probatum, vel ſub relatione cõuenientiæ, vel ſub relatione honeſti, vel vtilis, vel delectabilis. de primo autem oritur lis, & eſt ea, vtrum bonitas ad ens addat quid abſolutum. quod quæſitum ex ſupradictis de vnitate, & veritate remanet conſimiliter deciſum addere poſitiuã, & abſolutam formalitatem: & nunc breuiter aliqua ex probationibus ibi adductis recenſetur pro bonitate. ſi namque nihil addit bonitas ad ens, ergo committitur nugatio, probo, ergo dicere bonum ens, & ens bonum, idem eſt, ac dicere ens, ens; & quærere vtrũ ſit bonum, idem eſt ac quærere vtrum ens ſit ens: & in propoſitione vbi dicitur ens eſt bonum, idem eſt, ac aſſerere, & dicere ens eſt ens. conſequutiones iſtæ negari nequeunt, quia per eos nihil addit. Item relatio eſt imperfectũ ens, & minus ens, & ſecundùm plurimos neque diuinę relationes ſunt perfectę, quod ſi perfectione careant, non poterunt alteri eſſe rationes boni, & perfecti. relatio inſuper dicitur ſterilis, eſtque de genere ſterilium: ſterile vero vt ſic, caret bonitate, ergo non ſola relatione completur ratio bonitatis in ente.

Relatio nõ poteſt inſurgere ſine noua abſoluta ratione fundandi.

12 Præterea non poteſt relatio fieri noua, ſaltem in creaturis, ſine noua abſoluta ratione fundandi, ergo non poterit ſupra ens addi ſola relatio bonitatis reſpectiuè, ſine præcedenti abſoluta ratione fundandi eam: id autem erit aliqua ratio, & formalitas abſoluta addita enti, quæ ſit inde ratio proxima, ob quam adueniat poſtmodum relatio. Vrgetur magis, ſi negatur in ente fundamẽtalis ratio abſoluta propriæ paſſionis, ergo concludo vel non poſſe addi talem relationem, vel ſi aduenire eam opus ſit, non magis neceſſe erit aduenire illam, quam alteram alterius generis, hæc autem omnia sũt falſa; probatur primum, quia ſine noua ratione fundandi nõ poteſt haberi noua relatio. patet in omnibus, tùm creaturis, tùm etiam in ipſo Deo; licet .n. Patri exiſtenti vnico adueniant filij de nouo, & paternitates nouæ, attamen eæ non inſurgunt abſq; nouo actu generandi, qui eſt proximum fundamentum abſolutũ talis relationis: in Agentibus etiam vniuerſis, ſiue naturalibus, ſiue liberis non acquiritur relatio noua abſque nouo actu operandi, vt patet: ſola difficultas eſſet de Deo, qui nõ variatur per acquiſitionem noui reſpectus ad creaturas, nec mutatur per actionem ad extra, quam operatur in tẽpore: ſed licet hæc vera ſint, ceſſat tamen difficultas, quia ad acquiſitionem relationis nouæ, ſaltem rationis ad extra, præcedit noua actio, vtpote creatio, diſpoſitio, gubernatio, cõſeruatio,

Relatio rationis in Deo ad extra inſurgit præuia operatione creandi, cõſeruandi, &c.

&

vtrũ potius relatio hæc inſurgat, quàm altera ſupra ens, aſsignãdũ eſt pro fundamẽto aliud, quã ens.

& ſimiles; quòd ſi dicas hæc eſſe omnino ſolum reſpectus, & relationes, id falſum eſt, quia prius concipitur diuina voluntas abſoluta, ſub exercitio abſolutæ creationis, & conſeruationis, & inde inſurgit reſpectus, vt tradunt Theologi in 2. d. 1. ergo conſtat relationem bonitatis præſupponere abſolutam rationem fundandi. Alterum inconueniens demonſtratur, quia quod magis ſupra ens inſurgat relatio hæc, quam relatio altera, quæro quænam eſt cauſa? aut quidem aſſignanda erit aliqua formalitas abſoluta tanquam proximum fundamentum, aut negandum inſurgere talem relationem. primum ſequitur, quia quod primo loco inſurgat paſſio, quæ eſt vnitas, inde veritas, & tertio bonitas, quænam eſt ratio, & proximum fundamẽtum? ſi nullum aſſignes, ergo gratis id concedis eas inſurgere, ergo neque credendum eas inſurgere; vel aſſerendum non magit illas debere inſurgere, quàm alias, & alteras, etiam alterius generis: ſi dixeris pro fundamento ſufficere ipſum ens: hæc quidem fuga eſt, & falſa reſponſio, & primo ſequitur iſtas paſſiones debere eſſe vnius, eiuſdemq; rationis inter ſe, & ſic veritatem eſſe formaliter bonitatem, & vtramq; formaliter eſſe vnitatem, & è conuerſo, probatur, quia in fundamento proximo primario omnes paſſiones conueniũt, & non diſcrepant cùm ſit ens, ergo vt ſic, non deberent diſtingui, nec haberent aliunde vt poſſent diſtingui: inſuper *in fundamento natura*, inquit Ariſtot. *nihil eſt diſtinctum*, ens autẽ, quod aſſignant commune fundamentum æquo modo ſe habet penes omnes paſſiones, ergo ratione huius fundamenti præcisè, paſſiones ſunt vnum, & idem, & eiuſdem prorſus rationis, at paſſiones ſunt alterius rationis, ergo ratione entis ſolummodo nec multiplicantur, nec variæ ſunt in ſuis generibus; igitur poſtulant aliam proximam rationem fundandi, qua diſtinguantur fundamentaliter., quia penes ens præcisè non variantur, nec multiplicãtur. hæc ratio potiſsima eſt, & militat non magis de bonitate, quàm de cæteris. Adde, quod negata ea additione abſoluta, non magis vna reſultat paſsio, quàm altera, non magis hæc, quàm illa, nec magis debeo alteram vocare vnitatem, quàm veritatem, & bonitatem, quàm vnitatem: omnia ex eodem diſcurſu inferuntur, quia ens vt ens nõ eſt ratio multiplicandi, nec variandi, nec eſt ratio quare magis hæc ſic vocetur, quàm ſic, ergo non mágis hæc reſultare debet, quàm altera; Item non habetur ratio cur bonitas vocetur bonitas magis, quàm veritas. prob. quia dum aſsignas nouum poſitiuum abſolutum additum ſupra ens, remanebit pro fundamento ſolum ens; ſed ens vt ſic non magis determinatur ad bonitatem, quàm ad veritatem, & ens vt ſic non poteſt dare bonitati nomen bonitatis; & veritati, atq; vnitati nomẽ vnitatis, & veritatis, quia *nemo dat quod non habet*, ergo ſi nihil addit, non habetur ratio quare multiplicẽtur hæ paſsiones, quare ſic vocentur, quare ſint alterius rationis, & quare magis ſint tres, quàm duæ, & minus quatuor, quàm tres, & ſimilia. hæ rationes militant in communi de omnib. entis paſſionibus, & applicandæ veniunt veritati, & vnitati, de quibus ſupra: Conſequenter vero infertur diſtingui formaliter, prout ſuo loco eſt demonſtratum.

Relatio bonitatis eſt relatio ſecundũ dici

13 Statuimus tertio bonitatem eſſe relatiuum ſecundùm dici: hoc probatur ijſdem rationibus, quibus idem aſſertum attulimus de veritate. & conuincitur, quia non conſiſtit in abſoluta entitate, non ſtatuitur in ſolo reſpectu, ergo remanet vt ſit vtrumq; ex his: tale autem eſt relatiuum ſecundum dici. item non eſt eſſentialiter reſpectiua, quia non eſſentialiter relatio: non eſt eſſentialiter abſoluta adæquatè, quia nõ reponitur adæquatè, & ſecũdùm ſe totã in prædicamento abſoluto; participat ergo de vtroque. Conſimilis eſt etiã cæteris habitib. huiuſce rationis, vt ſcientiæ, & veritati, quæ & qualitates abſolutæ ſunt, & dicunt ordinem, & reſpectum. & hic eſt congruentior, vt apparet, modus loquendi de bonitate, quàm abſolutè relatiuam eſſe, vel ad ad genus abſolutum ſpectare cenſeamus. quo fit vt cũ ente ſaluemus propinquitatem, atque identitatem, eſt enim eadem tanquam paſsio abſoluta

tum ſuo ente, & ſaluemus etiam diſtinctionem, & alteritatem rationis in ordine ad relationem quam dicit: licet diſtinctio eius ab ente non ſumatur adęquatè, & completè per relationem, & reſpectum, ſeu quia ſic eſt de genere reſpectiui, & ens de genere abſoluti, ſumitur namq; etiam ex ratione abſoluta, quàm addit bonitas ſupra ens, vt eſt dictum, ob quod etiam diſtinguitur ab eo ex natura rei.

14 Circa diſtinctionem ex natura rei eſt argumentum D. Tho. & ſequacium, quod diſtinctionē negat, arguunt enim ſic, bonum eſt id, quod eſt appetibile, ſed vnumquodq; eatenus eſt appetibile, quatenus eſt reipſa ens, ergo ens, & bonum nullo modo niſi ratione differunt. probatur minor, quia vnumquodq; eatenus eſt appetibile, quatenus eſt perfectum, eſt autem perfectũ quatenus eſt ens, ergo non diſtinguitur ex natura rei ab ente. Verum argumenti eſt facillima diſſolutio, concedatur maior: & negetur minor: & ad probationem concedimus maiorem, & negamus minorem: eſt enim falſum appetibile eſſe bonum quatenus eſt ens, in ſenſu reduplicatiuo: ſed formalis ratio appetibilitatis eſt bonitas, & perfectio. quo fit vt appetibile quidem ſit ens, ſed non quatenus ens abſolutè, ſed quatenus ens bonum: & ſuadetur, quia ens vt ens iuxta opinionem multorum eſt obiectum intellectus, & iuxta ſentẽtiam aliorum eſt ſub ratione veri: at iuxta quamplurium ſententiam ens vt ens non eſt obiectum voluntatis, ſed ens vt bonum, ergo appetitus volitiuus non habet pro obiecto ens vt ens, ſed ens vt bonum; igitur remanet falſa minor ens vt ens eſſe appetibile. hoc iuxta opinionem ſtatuẽtium ens ſub ratione boni inſpectari à voluntate. ſi quis autem dubius eſſet an ſub ratione boni eſſet obiectum, vel ſtatueret ſub ratione entis obiectum eſſe, prout à conſimili ſtatuunt Scotiſtæ de obiecto intellectus non ſub ratione veri, ipſi reſponſionem exquirãt ad hoc argumentum: quod quidem nõ eſt parui valoris contra ipſos. ſuſtinẽt enim obiectum voluntatis eſſe ens, vt ens, ergo bonum intantum eſt appetibile, inquantum eſt ens, ergo nec ſecũdũ eos bonitas addit quid ſupra ens, vel non poterit negari minor propoſitio argumenti propoſiti quod vnumquodq; eatenus eſt appetibile, quatenus eſt ens. hoc argumentum ſoluant qui ſuſtinent bonitatem nil addere ad ens.

Ens vtrũ appetibile vt ens, an vt bonum.

15 Verum quia ęſt formata hæc vltima concertatio contra Scotiſtas, ideo videamus quomodo ad Scoti mẽtem poterit ſolui. & quidem Scotus loquendo de voluntatis obiecto vtrũ ſit bonitas, dubius eſt, tum in 4. d. 49. q. 4. in reſponſione ad quæſt. tum etiam in 1. d. 3. q. 3. de obiecto enim intellectus certum eſt penes ipſum non eſſe verum ſed ens vt verum, ſed de obiecto voluntatis eſt expreſsè dubius, quod ſi apud eum de hoc non extet determinatio, non implicat ſuſtineri bonitatem eſſe conditionem voluntatis obiecti. quo conceſſo, vt concedũt aliunde fere omnes, reſpondetur ad rationem, concedendo voluntatem ferri in ens ſub conditione boni, atq; delectabilis: at cùm infertur nil eſſe delectabile, niſi ſub ratione entis, id falſum, vt iam diximus, ob quod remanet ſolutum argumentum.

De obiecto intellectus, & voluntatis ex Scot.

16 Hinc ad argumenta ſecundi articuli, quibus probabatur bonitatẽ conſiſtere in reſpectu, & relatione, hoc vltimo loco reſpondendo dicimus ex deciſione totius articuli, quod nobiſcum ſentiunt, attamen in eo diſcrepant, vt adæquatè, & completè ſtatuãt rationem bonitatis in reſpectu, quod iam negauimus: ſed concedendum eſſe dicere vtrumque & reſpectum, & relationem, ſeu abſolutum, ex quibus reſultet, vt fiat relatiua ſecundùm dici.

Soluuntur rationes articuli primi.

16 Et ad locum Scoti dicendum non ex propria ſententia ſtatuiſſe non dicere entitatem abſolutam, ſed loqui valde dubitatiuè; inquit enim, *ſed fortè nec verum, nec bonum dicunt vltra ens rationes abſolutas*, quod ſi dubius eſt, non eſt vt contra Scotiſtas ex eius loco deſumatur validum argumentum.

AR-

ARTIC. IV.

Oſtenditur bonitatem conuerti cum omni genere entis.

Vnicuique enti ſua bonitas.

1 QVam vero latius pateat bonitatis natura hinc facilè conſtare poterit, quod eius ratio reperitur in omnib. ita vt ipſa, tanquam vera entis paſſio, conuertibilis ſit cum quocunq; ente: explicabimus autem de entibus ſingulis, demonſtrando conuerſionem eius cum quouis ente. Capita autem entium cum quibus poſſit conuerti, erunt vel abſoluta, vel relatiua, vel ens ſubſtantiale, vel accidẽtale: ita vt nullum ſit, quod excludatur à bonitate. quibus addenda ſunt entia quoq; mathematica: & eſſe nedum exiſtentiæ, ſed eſſe eſſentiæ, eſſe actuale, & potentiale, ſingulis ſingula reddendo. quibus deniq; addenda erunt entia rationis, atq; entia fictitia; quia vnicuiq; propria adaptatur bonitas, iuxta propriam cuiuſque rei naturam, ſiuè veræ, ſiuè imaginariæ.

Bonitate ſua in genere proprio priuanda nõ ſunt entia fictitia, & chimerica.

2 Exordiamur autem à non entib. ſeu ab ente fictitio, & imaginatio, vt eſt chimera. hoc, inquam, propriam poſſidet bonitatem, veluti connaturalem paſſionem: quæ tamen bonitas nõ excedet perfectionem, ſeu imperfectionem ſubiecti; ideoq; ſi ſubiectum non eſt ens reale, nec propria bonitas ens erit reale; quia non eſt nobilioris ordinis paſſio quàm ſubiectũ; ſed chimera non eſt ens reale, ergo nec propriæ bonitatis paſſio erit quid reale. inſuper paſſio, & ſubiectum ſunt realiter idem, ergo qualem entitatem poſſidet ſubiectum, talem habebit paſſio: imaginaria autem entia non ſunt realia, ergo nec propria bonitas erit realis: item bonitas, quam atteſtabatur Deus de reb. quas creabat, erat realis, *& vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, inquit Moyſes gen. 1. at bonitas illa erat de ente reali: nihilominus non erit propria neganda bonitas enti fictitio, quia chimera adeo bona eſt, quatenus perfecta eſt in genere ſuo: at in genere chimeræ nil ſibi deficit, ergo vt ſic erit, in genere chimeræ perfecta, & bona. item *perfectum eſt illud, cui nihil deeſt*, quod intellige in ſuo genere, imaginarijs autem entibus nil deeſt in propria ratione eſſendi imaginarij, nec obſtat quod actu nõ ſint, etenim ipſis actualiter habere eſſe extra cauſas ſuas in entitate reali non competit, igitur propterea quod non ſunt realia entia, non propter hoc bona non ſunt, quia bonitas eo modo cõpetit ſubiecto, quo ſubiecto conuenit habere eſſe, ſiuè reale, ſiuè ab intellectu, & imaginatione. confirmatur ex D. Auguſt. lib. 3. de lib. arb. c. 15. dicẽte, *quicquid eſt, ſicut eſſe debet, bonum eſt*: chimeræ autem ſic competit habere eſſe, imaginarium, & fictitium, ergo habendo ſic eſſe, erit ſic perfecta, & bona. & lib. 83. q. 24. ait, *omne quod eſt, inquantum eſt, bonum eſt*, de eſſe autem intelligitur ſiuè reali, ſiuè imaginariè. quo etiam ſpectat illud Boetij, *quidquid eſt, in eo quod eſt, bonum eſt*: quo fit, vt quodcunq; ens, etiam fictum in entitate, quam habet, bonum ſit: id autem cum ait reddendo ſingula ſingulis, quia ens reale habet bonitatem realem, chimera vero chimericam.

Cõfirmatur idem.

3 Da autem oppoſitum, & apparebit non eſſe bonum; ideſt, fac vt chimera habeat eſſe reale, & continuo deſtruetur bonitas, & perfectio eius. probatur, chimera deſtruitur per entitatẽ realem, quia ens fictitium, accedente entitate reali deſinit eſſe fictum, & trãſit in eſſe reale, ergo perfectio chimeræ deſtruitur per acceſſum entitatis realis. ratio conuincit à cauſa, & ratione formali, ad effectum formalem; ſubiectum namq; eſt cauſa, ſaltem metaphyſica, propriæ paſſionis, ergo deſtructa entitate fictitia, & chimerica ſubiecti, deſtruitur, & propria bonitas. Dixi, ſaltem metaphyſica, propter Scotiſtas negantes diſtinctionem realem inter vtrumq; ob quod non erit cauſa phyſica ſubiectum, quæ cauſalitas ſemper diſcrimen reale importat, ſed metaphyſica, quæ conſiſtit in ratione ſubiectiua, ex qua pullulant propriæ paſſiones. ſed de hoc ſuo loco: igitur proſequendo diſcurſum, eſſe fictum eſt de ratione quidditatiua chimeræ, ergo

quotieſcunq; habebit tale eſſe, habebit quoq; totum id, quod ad integram rationem ſuam poſtulatur; omne autē quod habet quidquid ſibi competere poteſt, totum id perfectum, integrum, & bonum eſt. Ne tamen credatur chimeram eſſe quid perfectum verè ob bonitatem, quam ei tradidimus, iam diximus bonitatem quoq; eſſe bonitatem chimericam, ideo n. eſt bonitas chimerica, quia eſt bonitas chimeræ, & vtrumq; erit ens fictum, & imaginatū à ratione, & ratio ita poſtulat, quia paſſio non eſt perfectior ſubiecto, nec eſt verius ens, quam ſubiectum, nec ſubiecto nobilior, maximè quia identificantur realiter; igitur non excedit in entitate, realitate, & nobilitate ſubiectum; ex quo remanet vt ſit quoq; bonitas, & perfectio chimerica, ſicut ſuum ſubiectum eſt chimericum: & tāta ſit perfectio chimeræ, quanta eſt perfectio ſubiecti chimerici.

Bonitas quoq; competit ipſi eſſe eſſentiæ.

9 Dicendum ſecundò, etiam rerū eſſentias, prout abſtractas ab exiſtentiis bonas eſſe, id quidem plerią; negant, quia ex citato loco D. Auguſt. *bonum eſt omne ens; inquantum eſt*, at D. Auguſtinus loquitur de bonitate completa, quæ adæquatè, & vltimatè completur in actuali exiſtentia cuiuſq; rei; quia ſicut res non eſt adhuc completa per ſolum eſſe eſſentiæ, completur autem per actualem exiſtentiam, ita quoq; per eſſe ſolius eſſentiæ non habet integram bonitatem, quam tamen poſſidet per actualem exiſtentiā, & ſic loquitur Auguſt. Cæterùm omne ens, quatenus creatura eſt, omne inquam, participat bonitatem diuinam, ſiuè completum ſit ex exiſtentia, ſiuè incompletum ex ſola eſſentia, ergo vt participans ſuo modo, ſiuè completo, ſiuè incompleto, perfectum eſt. Accedit, quod bonitas, & perfectio non cōſiſtunt in indiuiſibili; quia ſuſcipiunt magis, & minus, quo fit vt vno modo ſpectatum ens, ſit perfectius; & ſpectatum modo altero maiores, pluresq; participet gradus perfectionis. Confirmat Auguſt. lib. 1. de doctr. chr. c. 32. inquiens, *cætera quæ ſunt, niſi ab illo, eſſe non poſſunt, & in tantum bona ſunt, inquantum acceperunt, vt ſint*. pari autē modo acceperunt eſſe à Deo res eſſentiæ, ac res exiſtentiæ, quia ambæ pendent ab eo, conſeruantur, & terminantur ad eum, licet vna perfectiori modo eſſe acceperit, quam altera, ergo quatenus diuinam participant ſuo modo bonitatem bona ſunt. Inſuper ex ipſo eſſe eſſentiæ habetur inde ens perfectum, & bonum, quod integratur ex vtroq; eſſe, tum eſſentiæ, tum exiſtentiæ, ergo ipſum quoq; eſſe eſſentiæ propriam habet bonitatem, alias eam non poſſet alteri præſtare, cum ipſamet & conſtituat rem in eſſe quidditatiuo eſſentiali, & in eſſe bono. At tamen eſt inſuper verum, quod bonitas ſua talis eſt, qualis eſt ſua eſſentia; ſiquidem eſſe eſſentiæ non eſt actuale, ergo bonitas nec erit actualis: illa non eſt extra cauſas ſuas, ergo nec iſta bonitas erit extra proprias cauſas: illa eſt ens incompletum, ergo bonitas quoq; erit incōpleta, prout ambæ ordinantur ad integrandum totale eſſe reale actualis exiſtentiæ, quia abſolutè ex ſe conſideratæ in proprio genere ſunt entia completa, & completè etiam perfecta; illud denique eſſe eſſentiæ nō eſt actuale, ſed potentiale, ergo talis quoq; erit eius bonitas potentialis.

Auguſtinus exponitur.

Moyſis approbatio extenditur ad res pro tunc exiſtentes, & ad futuras potentialiter.

10 Confirmatur totum ex diuina approbatione, qua dicitur, *& erāt valdè bona*: vbi præcipuè loquitur Moyſes de rebus conſideratis ſecundum eſſe eſſentiæ, nedum ſecundum eſſe actualis, & veræ exiſtentiæ, probo, ſi de rebus ſolum actualiter exiſtentibus eſſet dictum, quod *erant valdè bona*, ergo ſolum res illæ, quæ tunc temporis habebāt eſſe exiſtentiæ, quando Moyſes hæc ſcribebat, erant bonæ, id autē eſt omnino falſum; probatur ſequela, bonitatem admittis in re ſolū actualis exiſtentiæ, ſed quando Moyſes hoc teſtimonium approbationis protulit, iam non erant in actuali exiſtentia tot homines, quot nunc ſunt, nec pertranſiere tot luſtra, tot ſecula, totq; ſolis reuolutiones, quot pertranſiere nūc vſq; nec tot effectus producti fuere, quot hucuſq; ſunt producti; ergo bonitas, quam Deus reperetat in creaturis, nō erat ſolummodo in rebus actualis exiſtentiæ. Inſuper ſunt omnia præſentia ipſi Deo, tum quæ adſunt, tum præterita, tum etiam ipſa futura, quæ licet

ab actuali eſſe abſtrahant, tamen obiectiuè in diuina mente habent eſſe, & in diuina eſſentia eminenter ſunt, & in potentia creatiua continentur virtualiter, ergo remanet, vt quoquo modo habeant eſſe; ac perinde non abſtrahũt à bonitate ſibi debita, & perfectione; tanto autem magis habet locum in via Thomiſtarum, aſſerentium futura eſſe præſentia in æternitate, vna cum totius temporis circum volitione, vnde maius eſſe ſibi tribuunt, quod licet reſpectu omnium differentiarum temporis non ſemper ſint præſentes ſecundum totale eſſe, tamen ſecundum æternitatis menſuram inquiunt habere præſens eſſe: igitur reddendo ſingula ſingulis quomodo actuali, & exiſtenti rei competit actualis bonitas, actualiſq; perfectio, ſic etiam ipſi incompletæ eſſentiæ competit bonitas potentialis, & incompleta.

11 Tertiò accedendo ad eſſe actuale, magis, magiſq; patet perfectio, tùm quia eſt extra cauſas; tùm etiam quia habet eſſe completum, quod indicium eſt bonitatis, atque completæ perfectionis; id verò demonſtrandum eſt de ſingulis entibus actualibus; at primo incipiamus à minimo inter actualia entia, quod eſt materia prima, hæc quidem paruam entitatem habet, itaut inter ſubſtantialia entia vix mereatur frui nomine entis; ſiquidem eã viciniſſimam ſtatuit D. Aug. ad nihilum, dum ait ipſam *eſſe prope nihil*, & Thomiſtæ omnem illi denegant actum entitatiuum; & Ariſtot. eam negatiuè definierit dicendo, *non eſſe quid, nec quale, nec quantum*, quaſi indignam æſtimauerit poſitiua, & affirmatiua nominatione; de ſe etiam indiſtincta apparet, vt veluti antiquũ Cahos ſingula in ſe copulet formarum genera; ob quod *turpis* ſæpius nominatur à Phyſicis, cum ex ſe ſola nullam calleat ſpecioſitatem, ſed eam mendicet aliũde: *Sylua* etiam appellari ſolet, atque *incultum Rus*. cũ ex ſe ſola nil diſtinctũ ferat, nil conſonum, ſed inconcinnum omne, tetrum, atque confuſum: ob iſta ergo, & ſimilia, de quibus in phyſicis, vix mereri poterit prima facie nomen entis; ergo in propoſito nec nomen, & decus merebitur boni, ac perfecti, ſi quidem negato ſubiecto, negãtur quoque neceſſario paſſiones.

Materiæ imperfectiones.

Bonitate ſua nec eſt priuanda materia.

12 Sed non obſtat vt ei quoque non cogamur adſcribere ſuam perfectionem: igitur ſtatuto quod ipſa in ſe verum habeat actum entitatiuum, de quo in phyſicis, conſequenter eſt, vt dicendum ſit propriam, veramq; habere bonitatem, & perfectionem; probatur ſequ. quia bonitas ſequitur ad ens, illa autem eſt ex ſe abſque forma verum ens, ergo habet propriam, & veram bonitatem; minorem ſupponimus vt probatam aliàs. item ſeparari poterit ex diuina potentia à ſua forma, ergo bonitas eius ſeparari poterit à bonitate formæ, antecedens ſubſequitur ad primum propoſitum de eius actu entitatiuo, vt ibidem probatur; & conſequens neceſſario infertur, quia cuius entitas eſt diſtincta ab entitate alterius, eius quoque perfectio diſtincta erit ab alterius perfectione, diſtinguitur autem entitas materiæ ab entitate formæ, ergo & illius bonitas alia erit à bonitate formæ: vel cuius entitas eſt ſeparabilis ab entitate alterius, eius quoq; perfectio independens eſt à perfectione alterius, quia ſeparabilis ab ea; entitas autem materialis ſeparabilis eſt, vt ſupponimus, ab entitate formæ, ergo & eius perfectio eſt independens à perfectione eiuſdem formæ. Appetitus quoque ipſius materiæ ad formam indicat illius perfectionem; ideo enim materia appetit formam, vt forma magis perficiat materiam, non autem vt perficiat ſimpliciter: at comparatiuum ſupponit poſitiuum, ergo ſi additur forma, tanquam complementum perfectiuum materiæ, ſignum eſt, quod antecedẽter ipſa materia ſit in genere ſuo bona ſimpliciter. inſuper materia vna eſt alia perfectior, ergo materia eſt abſolutè perfecta; antecedens probatur, quia cęlorũ materia perfectior eſt materia inferiorum corporum ſublunarium. ſed argumentum hoc non vrget in omni ſchola, negant enim antecedens Scotiſtæ, qui aſtruunt vnitatem materiæ in cœlis, & ſublunaribus; militat tamen in ſententia aliorum: At argumentum hoc eſt validiſsimum contra Thomiſtas, reducendos eos ad præſtandum

ma-

materię actum entitatiuum diſtinctum à forma; quia per ipſos, materia cęli eſt perfectior materia ſubcęleſtium, comparatiuum autem ſupponit poſitiuū, ergo vtraq; habet perfectionem aliquam. nec valet fingere perfectionē illius eſſe à ſola forma, quia ideo forma cęleſtis additur tali materiæ cęleſti, quia materia hæc pertinet ad genus alterius rationis, ſeu quia materia cęleſtis eſt alterius rationis à materia elementari, ideo autem eſt alterius rationis, quia hæc eſt perfectior illa. & confirmatur quia ſi non ita res ſe habet; ergo non magis materia cęleſtis recipiet formam cœli, quam materia elementaris, ſed conſequens eſt falsū, quia ideo magis illa, quàm hęc recipit, quia eſt rationis alterius, & perfectionis maioris. Dicea id prouenire ex diuerſitate accidentium, & diſpoſitionū, quæ ſunt in materia illa, & non in hac; ergo coincidunt cum Scotiſtis, quod materiæ ex ſe ſolis ſpectatæ abſq; diſpoſitionibus non erunt alterius rationis, & ſic cœli materia, & ſublunarium erunt eiuſdē rationis. ſed de hoc aliàs. ſufficiat ergo cōcludere materiā quoque ſuam habere bonitatem. quanta autem ſit illa, vtique tanta erit, quanta erit ſua entitas; ſed entitas materialis admodū exigua erit; ergo conſimiliter ſua bonitas erit parua, & minima: entitas item materiæ eſt prope nihil, talis etiam erit ſua bonitas: & deniq; reddendo ſingulis ſingula, ad inſtar entitatis materiæ erit ipſius bonitas materiæ.

Bonitas formæ, & compoſiti.

13 Quartò loquendo de eſſe actualiori, vt de forma ſubſtantiali, ſiue etiam de compoſito, omnia hæc bona ſunt duplici bonitate, vel bonitate abſoluta in ordine ad ſe, vel reſpectiua in ordine ad aliud: declaro, forma vltra perfectionem ſibi intrinſecam, & coeſſentialem, dicit etiam ordinem perfectionis ſuæ in ordine ad materiam, & ad cōpoſitū, ſeu cōſtitutū, & hoc tàm de corporib. loquendo, quàm de ſpiritib. atq; etiā de ipſo Deo, reddēdo ſingula ſingulis. in corporib. quidē patet, quia forma eſt bona materiæ, dū perficit ipſam, datq; ei actum formalem, & perfectum, in eo ſ. genere, quo materia pendet à forma: & vtrumq; eſt bonum in ordine ad compoſitum, quia dant eſſe compoſito, & talem perfectionem ei tribuunt, qualem ipſæ habent, quia perfectio compoſiti, & conſtituti metienda eſt ex perfectione cōponentium, & conſtituentium, materia quoq; vice verſa eſt bona in ordine ad ipſamet formam, quia ipſius eſt cauſa, dum de potentia ipſius educitur forma. Inſuper hæc omnia bona ſunt in ordine ad accidentia, quæ ſubſtentant, quæ tamen abſq; ſubſtentaculo eſſent entia imperfecta, vel oporteret diuinā adhiberi potentiam ad faciendum miraculum, vt ſint ſine ſubiecto, vt patet in Sacramento Altaris: & è conuerſo accidentia bona ſunt ipſis ſubiectis, vt ſcientia intellectui, & albedo parieti, quia perficiunt illa. Item principio bona eſt operatio, tanquam terminus explens eius virtutem, & oſtendens principij perfectionem; & è contra principium eſt bonum operationi, quia dat ſibi eſſe, & entitatem: & in ſumma diſcurrendo per ſingula cauſarum genera manifeſta eſt bonitas hæc, quæ in reſpectu conſiſtit, atq; ordine ad alterum. ſic cauſæ intrinſecæ, vt materia, & phyſica forma in phyſicis, & genus, & differentia in ſpiritibus, plenè oſtendunt bonitatem ſuis conſtitutis, quæ formant. Cauſa inſuper efficiens idipſum indicat penès effectum, ac deniq; ipſa cauſa finalis magis id demonſtrat, quia finis habet rationem optimi, & in hoc genere boni, & perfecti ipſe finis cunctas cauſas excedit, dum vniuerſa metiuntur à fine.

14 De Deo etiam patere poterit tum in ordine ad ſe, tum vero ad creaturas: de primo quidem, quia diuina natura bona eſt perſonis diuinis, cum ex diuina conſtent eſſentia: de relationibus quoque idem cenſendum, quia ſub ea ratione, qua dant eſſe perſonis, dicuntur bonę perſonis: & adeo vtrūq; tum eſſentia; tum relatio eſt perſonis bona, vt abſq; ipſis iam non eſſent perſonæ, vel perſonæ illæ nō eſſent Deus; ſaltem loquēdo de diuina natura, quia per hanc conſtat de fide conſtitui perſonas, & euadere Deum, cum tamen de relationibus aliquorum fuerit oppoſita ſententia, negans conſtitui per relationes, de quo ſuo loco: at iuxta

com-

communem ſententiam, dum etiam relatio conſtituit, dicitur neceſſario eſſe bona perſonæ conſtitutæ: quam vero perfectionem dicat, & bonitatem paulò infra attingemus. Diuina etiam attributa, modi intrinſeci, & quidquid reperitur ad intra in Deo, totum id eſt & Deo, & perſonis omninò bonum, quia proprias communicant conſtitutis perſonis formalitates, ſeu formales conceptus, vt inde dicantur perſonæ ſingulariter habere ſapientiam, bonitatem, infinitatem, immenſitatem, & ſimilia. diuina item eſſentia eſt bona ipſiſmet attributis diuinis, ac diuinis relationibus, quia dum ex ipſa pullulant, dicuntur quoq; ex eadem exhaurire bonitatem, & perfectionem infinitam. ipſaq; attributa denominant formaliter eſſentiam talem, cum tamen eſſentia ſit talis radicaliter, & fundamentaliter, quia ipſa eſſentia eſt pelagus infinitum omnium perfectionum. & tota perſonarum cõſtitutio dicitur ſuo modo bona diuinæ naturæ, quatenus perſonæ oſtendunt vtramque fæcunditatẽ eſſentiæ propter quam communicatur vna cum ſuis attributis, perfectionib. atquè modis intrinſecis ipſis diuinis perſonis: ob quod ſicut effectus dicitur bonus ſuæ cauſæ, quatenus indicat perfectionem cauſæ, ſiuè virtutem, ita quoq; tota Trinitas dicitur à poſteriori bona diuinæ eſſentiæ, omni tamen ſemota imperfectione, vt potè manifeſtando infinitam virtutem, infinitam ſapientiam, potẽtiam, amorem, & ſimilia, ita quoq; perſona vna eſt alteri bona, vt Pater æternus Verbo, & è conuerſo, & vterq; Spiritui ſancto: Pater quidem quia filio præbendo eſſe, præbet & eſſe Verbum bonum: & vterq; ſpirando Spiritum ſanctum dãt ei per ſpirationem actiuam, eſſe Spiritum ſanctum, & bonum, & deniq; ex quo inuicem ſe amando, & ſpiritum amoris producendo, manifeſtè oſtendunt bonitatem, & perfectionem, quæ maximè in amore conſiſtit, quia *bonum eſt, quod omnia appetunt*, & affectant, & amant.

Bonitas in ordine ad intra.

15 In ordine etiam ad creaturas eſt ſic bonus, vt potè creando, producendo conſeruando, exercendo cauſalitatem præcipuè vltimi finis, ſub qua ratione eſt bonum beatis in ordine ad fruitionem, peccatoribus in ordine ad iuſtificationem, & ipſiſmet reprobis eſt bonus, tum quia puuit citra condignum, tum etiam quia eorum culpam ordinat ad pænam: pęna autem eſt bona ipſi culpæ, *quia pæna eſt ordinatiua culpæ*, ſicut præmium eſt ordinatiuum meriti: bonus inſuper eſt ipſi culpæ, quia etiam de malo elicit bonum, vnde *melius iudicauit mala permittere, vt de malis eliceret bona, quam mala nulla eſſe permittere* ex D. Auguſt. l. Enchyrid. c. 27. itaq; omnibus ipſe Deus eſt bonus, tum iuſtis, tum reprobis, tum bonus peccatoribus, tum ſanctis, & rectis, ita vt verum ſit dictum Ioannis, *pertranſibat benefaciendo omnibus*. bonus etiam brutis, & inſenſibilibus, dũ vnicuiq; dat cibum in tempore, & ordinat vnaquæq; ad centra, & fines, prouidendo de ſingulis, quæ forent opus, quia Deus nunquam deficit in neceſſarijs, vnde ait Pſal. 71. *dat eſcam omni carni* & 84. *imples omne animal benedictione*.

Bonitas in ordine ad extra.

16 Denique adeo vniuerſalis, & ampla eſt ratio boni, vt iuxta Ariſtot. diſcurrat per ſingulas Cathegorias, & prædicetur tum de ſubſtantia, qualitate, & quantitate, tum vèro de relationibus: inquit. n. 1. Ethic. c. 6. *bonũ æquè diuiditur, ac diuiditur ens, quod bonum, & in ſubſtantia dicitur, & in quali, & in eo, quod eſt ad aliquid*.

Bonitas per ſingulas Cathegorias.

17 Supereſt diſcutere an etiam reperiatur in Mathematicis, quia ſicut in qualitate, & in relatione, atq; ſubſtantia, cæteriſq; prædicamentis collocatur, nõ videtur cur excludi debeat ab entibus mathematicalibus. & conuincitur rationibus, quia ſi bonitas conuertitur cum omni ente, ergo etiã cum mathematicis deberet conuerti; probatur conſequẽs, quia mathematicalia ſũt verè entia: nec oportet dicere in tantum eſſe entia, inquantum vel ſubſtantiæ ſunt adiuncta, vel ſunt affecta qualitate; quia & ſi de potentia ordinata non dentur quantitates ſegregatæ ab omni accidente, tamen non implicat poſſe dari per abſolutam potentiam: & probatur, quia datur per eandem potentiam quantitas ſeparata à ſubſtantia, vt in Sacramento, ergo dari

Bonitas verũ in mathematicalibus.

dari poterit quantitas ſeparata à qualitate: immo magis, & amplius, atque facilius concedi deberet conſequentia hæc, quàm antecedens, quia quod quãtitas ſeparetur à ſubſtantia maiorem denotat repugnantiam, quàm quòd ſegregetur à qualitate, quia eſt eſſentialior ordo accidentis ad ſubiectari, & ſubſtentari paſſiuè, quàm vt ipſum ſit ſubiectum, & ſubſtentaculum actiuum alterius accidentis, ideoq; maior virtus exquiritur ad faciendum vt accidens ſit ex ſe ſine ſubiecto, quàm vt idem accidens ſit ſine vllo accidente in ſe ſubiectato: ergò remanet vt licet talis ſeparatio à qualitate non fiat, nõ tamen implicat poſſe fieri; quo dato, eſſent verè entia res mathematicales, & conſequenter conuertibiles cum ſua bonitate. item alia ratione, vniuerſalia abſtrahunt ab omni ſubſtantia, & accidente, & operatione, & tamen ipſa vniuerſalia perfecta ſunt, quatenus entia abſtracta; ergo à ſimili quòd mathematicalia abſtrahant ab operatione, & qualitate, non erit impedimento, vt ſint perfecta, antecedens probatur, quia ea omnia ſpectant vel ad logicũ, vel ad metaphyſicum: vterq; autem illa conſiderat ſub abſtractione, & præciſione, ſeù intentione abſtrahente.

Sententia Ariſtot.

18 Nihilominus vera eſt Ariſtotelis ſententia, mathematicalia abſtrahere à bonitate, & malitia. præcipua autē ratio, quæ vrget pro hoc, eſt eiuſdem Ariſtotelis dicentis, *nihil per cauſam finalem demonſtrari in mathematicis*, ex quo excluditur ratio boni, & perfecti, quia *finis haabet rationem optimi.* ſed hęc ratio habet ſuas inſtantias, quia etiam ipſa ſcientia mathematica habet proprium finem. finis namque cuiuſcunque Artificis reperitur in ſua arte, vt finis mathematici erit demonſtrationes efficere in ſua arte de quãtitate, de lineis, deq; circulis demonſtrare plura, diſcurrendo, dimetiendo, & ſimilia. item quia inter demonſtrationes, quibus in vniuerſum vtuntur ſcientifici, præcipua, principalior, & magis ad ſenſum patens extat demonſtratio mathematicalis, quæ adeò clara eſſe ſolet, vt nequeat negari, vnde ſortiuntur nomina verę demonſtrationis: ergò nõ ſibi deeſt proprius finis: quòd ſi finem habet, habere quoq; neceſſe eſt ſuam bonitatem.

Inſtatur.

Occurritur

19 Sed ratio hæc non obſtat contra finem negatum ab Ariſtotele in methematicis; de duplici namque fine eſt nobis loquendum, de fine quidem intrinſeco, & eſſentiali propriæ arti, & de fine altero, qui eſt tali arti extrinſecus, ordinatus tamen ad aliud opus. loquendo de primo concedēda eſt ratio facta; & ſic nulla eſt ſcientia, quæ ſuo intrinſeco ſibi, caret fine, qui tamen finis non exit limina ſuæ artis: & hoc etiam modo licebit finem conſtituere in quauis ſcientia, & arte: vt artis fabrifactoriæ finis intrinſecus eſt domus conſtructio: & artis ſcribendi, formatio, & compoſitio caractherum: atque agriculturæ colere agros: quæ tamen artes alium externum habent finem, qui in genere moris eſt extra artem, vt artis fabrifactoriæ finis erit domum conſtruere gratia habitationis humanæ, ſub qua homines tuto degãt, commorentur, ſomnum capiant, propriaſq; & debitas exerceant operationes. Cõſimiliter eadem ars conſtruit forum, & tribunalia, cuius quidem internus finis apparet eſſe conſtructio illa, illud forum ſic extructum, & Tribunal illud ſic confictum; attamen adeſt finis alter moralis, & politicus, qui eſt, vt in foro, ac Tribunali cauſæ agitentur, componantur lites, feratur ſententia, & neceſſaria ordinentur, ac decretētur pro ſalute, & incolumitate Reipublicæ. ſic agriculturæ, ſcribendi, & pingendi artis finis primns erit ſcriptura illa, ager ille ſic excultus, & imago illa taliter efficta; attamen finis moralis erit alter, ordinatus quidem ad Reipublicæ decorem, decus, vtq; prouideatur de perneceſſarijs ad victum ex plantis, herbis, pratis, ſegetibus, oleribus, & ſimimilibus. pariformiter in mathematicalibus concedendus eſt internus ille finis mathematicalium demonſtrationum, & ſimilium, intra naturam artis, & limites ſcientiæ repertarum, & hūc finem non negaret Ariſtoteles; verum quia dum de fine loquimur, accipi cõſueuit, vt finis moralis, qualificatus, & à politico, ſeù morali exercitio denonominabilis, qui tamen extraneus eſt mathematicæ, ideo, vt ſic, caret ſine, & caret

In mathematicis duplex finis.

caret perfectione, & bonitate, quia ſic abſtrahit à qualitate. & hæc eſt altera Ariſtotelis ratio, quia dum abſtrahit mathematica à qualitatibus bonificatiuis, abſtrahit quoq; à ratione optimi; & dum etiam abſtrahit à conſimilibus exercitijs, & operationibus, ideo perfectæ non ſunt cenſendæ, perfectio enim virtutis in operatione, & motu conſiſtit. ſed mathematica abſtrahit à motu. vel deniq; quia quantitas eſt de genere ſterilium, nec agit, nec operatur, nec motum vllum experitur ex ſe purè, & abſtractè inſpecta, ideo caret perfectione, & bonitate.

Mathematicalia habent bonitatem traſcendentalem, nõ politicam, & moralem.

20 Ad rationes autem in oppoſitum, ratio ſola entis non eſt ſufficiens ſubiectum bonitatis, de qua loquimur: nam cõceptus entis vel ex ſe ſolo abſolutè inſpectatur, vel in ordine ad operationes, motus, ac fines; primo modo non habebit vlteriorem bonitatem, quàm traſcendentalem: & hoc modo etiam entia mathematicalia quatenus pura entia ſunt, habent traſcendentalem bonitatẽ, quæ nullo modo neganda eſt eis, quia cum omni ente conuertitur talis bonitas; ſecundo autem modo inſpectum ens habebit bonitatem vlteriorem, quæ eſſe ſolet moralis, quæue in operatione, & motu conſiſtit, atq; in aſſecutione finis: & vt ſic inſpectata mathematicalia non habent bonitatem, quia abſtrahunt ab operatione, motu, atque fine ſuperius explicato politico, & morali.

Vniuerſalia non carent bonitate, carent tamen mathematicalia: & ſi habent, eã habent per accidens.

21 Ad illud de vniuerſalibus, & abſtractis, dicimus vniuerſalia & ſi actu abſtrahant à motu, & fine, nón tamẽ abſtrahunt aptitudine, & potentialitate: & vt ſic, dicũt neceſſario perfectionem, ſaltem aptitudinalem, & poteſtatiuam, quia quale eſſe habent, talem induunt bonitatem: & ſi iam abſtracta ſunt à ſingularibus, quia tamen poſſunt ſingularizari, ideo habent bonitatem adhuc potentialem, licet abſtractam, quam tamen habebunt concretam, & exercitam cùm fiunt ſingulares: non ſic de mathematicis, quæ neque actu, nec potentialitate habent hanc bonitatem, cùm ſiue conſiderentur in ſingulari, ſiue in vniuerſali, ſemper attendenda eſt in eis præciſa ratio ſterilis quantitatis, quæ ex hoc capite & ſterilis erit, & non perfecta, licet per accidens bonitatem capiat ex motu, & operatione, quam experitur ratione qualitatis, & ſubſtantiæ, quibus coniungitur: ſicut enim hæc prædicatio eſt accidentalis, quantitas eſt alba, ratione accidentis inhærentis, ita erit etiam per accidens prædicatio hæc, quantitas eſt bona, ratione bonitatis qualificatiuè ſibi inhærentis.

22 Vltimum remanet pro cõplemento capitis diſcutiendum, nempè de relationibus, an etiam de ipſis prædicetur bonitas, & conuertatur cum eis: quæ tamen difficultas aptiorem expectat locum, quando agemus de relationibus diuinarum Perſonarum, quo in loco de vtriſq; quæremus, tùm de creatis, tùm verò de increatis vtrũ dicant perfectionem, & ideo ad id trãſmittimus.

ARTIC. V.

De multiplici diuiſione boni.

1 POſt præhabitas diſcuſſiones de bono, remanet, vt loco poſtremo diuidamus ipſum, ac ſingula explicemus capita diuiſionis. Bonum quidem multiplices recipere poteſt diuiſiones, præcipuas autem commemorabimus, & hæ ſunt. Communis, & recepta, & ab Ariſtotele habita ea eſt, in qua diuiditur in *bonum honeſtum, vtile, & delectabile.* ſic bonum partitur 2. Ethic. c. 3. à quo cæteri. quid verò dicat vnumquodq; capitum indicemus. Honeſtum bonum propriè, & abſolutè naturæ competit rationali: ſiquidẽ honeſtas boni huius dicit ordinem, & pendentiam ad rectam rationem, qua ralione ceſſãte, iam deſtruetur eius eſſentia, & ceſſante rectitudine non amplius erit honeſtum, ita vt bonitas rationem poſtulet, inter præcipua, & honeſtas rectitudinem; quia dà oppoſitũ, & aderit malitia, & loco boni habebimus malum, & vice honeſti præſentabitur turpe, & inhoneſtum: ita explicuit

Bonum honeſtum de qua natura prædicatur.

cauit D.Hieron. cap. 11. Iſai. inquiens, *nihil eſſe bonum, niſi virtutem, nihil malum, niſi vitium.* Ad huius bonitatis genus ſpectat quælibet virtus, quodcunque virtutis exercitium, omniſq; actio optimè conditionata, cum præcipua circumſtantia finis, & cum cæteris requiſitis ad bonum, quia ex his omnibus coaleſcit bonum, iuxta vulgatum axioma Diui Dionyſ. cap.4. de diuin.nom. *bonum eſt ex cauſa integra*, hoc modo eleemoſynam elargiri, virtutem aſſequi, Deum amare, proximũ charitate proſequi, & ſimilia, bonum eſt, & hoc etiam explicat ſub hac ratione in ordine ad rationem D. Aug. lib. de cognit. veræ vitæ cap.7. dũ quatuor cõſtituit bonorum ordines, nempè exiſtentium, viuentium, ſentiẽtium, atque intelligentium: per hoc autem vltimum caput intelligit bonum honeſtum pendens à ratione. Sunt autem qui boni honeſtatem extendunt ad totum id, quod deceat naturam, quæcunque ſit, ſiue rationalis, ſiue brutalis, ſiue vtriuſq; conditionis expers, etiam inſenſata, quomodo lapidi deorſum tendere, vegetare plantis, & ſentire brutis ſit bonum honeſtum; ſed minus apta eſt tranſlatio hæc, & valde è longinquo protracta: ſiquidem dum ſubiecta hæc non eſſe poſſunt ſubſtrata, penes quæ contingat malitia oppoſita honeſtati, nec etiam, niſi impropriiſſimè, competere poteſt eis ratio boni honeſti: contraria autem habent fieri penes idem ſubiectum; ſed ſubiectum & honeſtatis, & oppoſitæ malitiæ eſt ſola natura rationalis, non ergo inſenſata, nec brutalis.

Boni honeſti deſumptio ex multiplici capite.

2 Natura huius boni ſolet ex triplici capite deſumi, vel ex obiecto, vel ex operatione, vel denique ex habitibus: omnia namq; hæc tribuunt honeſtatem, ſeù boni explicant rationem honeſtam. obiectiue quidem, quando ferimur in obiectum verè bonum, verè honeſtum, laude dignum, & præditum bonitate: quodue ex ſui natura, & ex ſe ſolo, ac per ſe ipſum poſtulat, vt ametur. huiuſmodi eſt ipſa ratio boni, ſancti, & iuſti, quæ eſt ratio obiectiua, tribuens cæteris honeſtatem, & bonitatem. cuius contrarium eſt id, quod de ſe inhoneſtum eſt, ac præditum malitia: & hinc conſtat operationes quaſdam abſolutè, & neceſſario debere, vel honeſtas fore, vel neceſſario malitioſas, quia obiectum eſt de ſe tale, vt peccatum, & ſanctitas, iuſtitia, & peruerſita, ſeù melius, iuſtus, & iniuſtus, ſanctus, & peccator, quorum alter de ſe honeſtatem tribuit actui de ſe obiectiuè, & alter turpitudinem. habitus quoque honeſtatẽ conferũt, vt virtutes, & quæ ex natura ſua tales ſunt, bonæ neceſſario cenſetur, atq; honeſtatem cõferunt poſſidenti: ac deniq; ipſi actus, ipſæq; operationes honeſtæ dicuntur, cùm & à virtute prodeunt, & ad honeſtum terminantur obiectum.

Bonum honeſtũ quomodo afficiat ſubiectum.

3 Addit bonum rationem conuenientiæ, vt etiam ſupra explicauimus: ſed quomodo ſe habeat conuenientia iſta, an per modum informantis, & inhærentis, an nullo modo ſic informando: primum dici nequit, quia Deus eſt bonum honeſtum creaturæ, qui tamen nec illi hæret, nec informat: nec ſecũdũ concedi debet, quia operationes, ſaltẽ immanentes, ac cæteræ virtutes cum habitibus verè inhærent, & informant potentias. ſed eſt facilis reſponſio, etenim Deus, ac cætera obiecta honeſta, dicuntur ſic honeſta obiectiuè, non inhæſiuè, vndè Deus eſt bonum honeſtũ rationalis creaturæ ſub ratione obiecti: virtutes, & habitus per modũ perficientis, & inhærentis, & operationes virtuoſæ per modũ inhærentis etiam, & perficientis ſi ſint operationes immanentes: ſi vero tranſeuntes, per modum condecorationis ipſum operantem, ſeù manifeſtantis eiuſdem honeſtatem, & virtutẽ; ex operatione enim patet quod intus latet mediãte habitu, & virtute, & manifeſtatur obiectũ, ad quod tendunt potentiæ Operantis.

Bonũ vtile

4 Vtile autem bonum eſt id, quod appetitur gratia alterius, tanquam medium propter finem, quodue maximè eſt conueniens naturæ, vtpote vtilitatem afferens, commodum, & proficuitatem. bonum hoc vniuerſaliſſimum eſt, omnibuſq; competere poteſt, tum rationalibus, tũ ſenſatis, tum vero ratione carentibus, & inſenſatis; ſiquidẽ vnicuiq; rei affertur vtilitas, & commodum ab eo, quod eſt ſibi maximè conconueniens, vt lapidi centrum vtile

eſt

eſt,quia conſeruat: plantæ temperatus calor, & aqua irrigans proficua ſunt, quia excreſcere faciũt, & fructus producere: Boui paleæ commodæ ſunt, & fænum vtile, ſicq; homini temperatus victus vtilis eſt, quia ſanitatem comparãs,& ſimilia: itaut bonum hoc vniuerſale ſit cunctis,ſiue cognoſcatur,ſiue à ratione nequeat comprehendi: ſufficit autem eius boni cognitio haberi ab Intelligentia non errante,itaut ſi rationalis creatura de tali vtilitate non cogitet,ſiq;cætera ſint expertia hac ratiocinatione, vtilitas tamen à Deo præcipuè intenditur, quia ipſe prouidet cuiq; naturæ id quod commodum, quod vtile, & quod proficuũ eſt.ſic Medicus etiam vtilitatem excogitat medicinę,quam fortaſſe non percipit Infirmus, immo eam quandoq; inutilem exiſtimat, dum amaram percipit,inſulſam,ſenſui non conſonam, nec guſtui. ſed relicta perceptione hac rationali,quæ ſoli homini competit,& rationali enti,etiam cætera inſenſata dicuntur ſuo modo percipere vtilitatem de bono ſuæ naturæ, & cuiq; ſtatui conueniente, vt patet de lapide in centro: & ſignum eſt, quod inde delectationem naturalem ſuo etiam modo dicitur capere, & tanto magis,quanto ibi non violenter,ſed naturaliter eſt,& conſeruatur ibi, ac fouetur. Plus verò id tribuitur ſenſatis, & brutis, quæ ex nutibus,& ſignis clarè indicant quæ ſibi ſint proficua, & quæ nocua: præcipuè in quibuſdam, quæ naturæ ductu ſciunt antidota contra venena reperire,vt de Canibus,& Felibus experientia docet,& de ſimilibus.

Bonũ vtile 5 Delectabile vero eſt id,quod appetitur in ordine ad quietem; ſiquidẽ vbi quies,ibi delectatio,& vbi finis ibi oblectamentum: finis autem eſt ſubiectum quietis. Verum tamen eſt delectationem præcipuè reperiri in rebus ſenſu,& ratione pollentibus:magis autem in rationalibus, quam in brutalibus. & ratio huius, quia quo magis percipitur bonum, eo magis affert delectamentum, quo autem minus penetratur, eo minus affert delectationis; hinc fit vt beatus vnus ſit altero beatior, quia magis, minuſq; intellectu percipit beatificum obiectum, nedum actu voluntatis,& amoris, verum etiã intellectus,& cognitionis, vt dicemus ſuo loco:& licet æqualitas ſtet ratione obiecti diuini, & rationum perfectionalium penes cunctos beatos, æqualitas inquam obiectiua, formalis tamen non erit æqualis, quia alter altero intenſius,remiſſiuſq; intellectu percipiet beatificum obiectum: Cum autem homo ſit cognitione nobilior brutis, reſtat vt delectatione teneatur maiori, quam ipſum brutum;& inter Viatores etiam alter altero, ſicut erit intellectu perſpicacior, ita & delectatione capacior, ſicut item in Angelis, & in Comprehenſoribus.& non diſſimilis admodum erit applicatio diſcurſus ad eadẽ bruta; ſiquidem ipſa quoq; ſicut delectationem ſentiunt, ita & alterum altero magis oblectatur, & minus: idq; proueniat ex ipſorum differentia ſpecifica, quia.n.alterum eſt altero perfectius, cõſequenter alterum capiet maiorem delectationem, quam alterum: nulli.n.dubium quod Camelus magis oblectabitur quam formica,& hęc magis quam vermis, & his omnibus maiorem oblectationẽ percipiet Equus, vel leo, vel Elephas, hi namq; cenſentur magis ad hominem accedere, maiorem perceptionem habere,maiorẽq; inde ſentire delectationem, ita vt inæqualitas iſta reperiatur nedum in moralibus penes gratiam,merita, & gloriam, verum etiam in vnaquaq; natura,quæcunq; ſit: omnes tamen dicuntur æquè proportionaliter æquanimiter oblectari,attento ſtatu, natura, & conditione cuiuſq.

6 Secundò diuidi ſolet ipſum bonum à D.Auguſtino lib.2. de lib. arb. c.29.in *bonum, maximum, medium, & infimum*. primum, & maximum ſunt virtutes,quibus rectè viuitur:medium ſunt potentiæ, ſine quibus non poteſt operatio vitalis produci, & minimum ſunt ſpecies quarũlibet rerũ, & entiũ, ſine quibus rectè viui poteſt,& hoc vltimum vocat Ariſtot. bonum etiã fortunæ, quia ad ipſum corporis bonum reducitur omne ad ipſum corpus ſpectans,ſiuè intrinſecum,ſiuè extrinſecũ, ſiuè naturale,ſiuè acquiſitum ex 1.eth. c.8. Inſuper diuiditur à Theologis in bonum per eſſentiam, & bonum per *Boni diuiſio ex Auguſtin. ex Theologis.*

participationem;illud eſt ſummum bonum,quod eſt Deus, de quo artic.1.& hoc ſunt creaturæ omnes, & hac ratione approbantur vt bonæ gen.|1. *& erant valdè bona.* quam diuiſionem deſumpſerunt ex eod. Auguſt. ſuper pſal. 134. Item in bonum naturale, & bonũ morale; primum eſt quod cuiq; ex natura eſt conſonum, hoc vero quod addit honeſtatem, & circumſtantias omnes, præcipuè finis, & de quo primo loquuti fuimus.deniq; vt cætera omittam,in bonum ſimpliciter, & ſecundũ quid,illud includit omnem rationem boni, exploſa omni ratione mali, & hoc cum bono habet admixtum malũ; & de primo loquitur etiam D.Anſel. ſub ratione perfectionis ſimpliciter, c. 14.monolog.quæ *eſt melior ipſa, quam non ipſa in quocunque.*

Boni diuiſio an vniuoca, an æquiuoca.

7 Solet quæri an diuiſio hæc ſit vniuoci in vniuocata, an æquiuoci, an analogi: qua in re eſt primo dicendum non eſſe vniuocam, & propterea cenſeri æquiuocam:probatur, diſtinctiſſimæ ſunt rationes eſſentiales taliũ bonorum, ergo ſola conuenientia eſt in nomine, & propterea erit æquiuoca, probatur,immo declaratione demonſtratur antecedens: bonum honeſtum eſt abſolutè, & per ſe ipſum diligibile, at bonum vtile diligitur gratia alterius,& non per ſe: iſtæ autem rationes diligendi per ſe,& per aliud, ſunt eſſẽtiales bono, ergo diſtinguuntur eſſentialiter. probo minorem, quia bonum honeſtum, eſt id quod eſt appetibile per ſe, & bonum vtile propter aliud; omnia namq, bona conueniunt in cõmuni ratione appetibilitatis, quia *bonum eſt id quod omnia appetunt*, differentiæ autem eſſentiales condiuidunt illud ſub ratione abſoluti, & reſpectiui, ad ſe, & propter aliud. inſuper in bono honeſto ſiſtimus,tanquam in per ſe termino,ac per ſe obiecto, quia habet omnem rationem boni, & appetibilitatis, in bono autem vtili non ſiſtimus, ſed ordinamus ad aliud, cui eſt vtile. item ſeparantur rationes iſtæ ab inuicem,ergo non ſunt eiuſdem rationis eſſentialis: conſequens ſequitur, quia ſeparatio eſt potiſſimum ſignum diſtinctionis, & diuerſificationis aliquorum; probatur verò antecedens, quia à bono vtili ſeparatur quandoq; bonum delectabile,vt in medicina patet,quæ vtilis eſt Infirmo, inſulſa tamẽ, & amara, nec gutturi grata.item à bono delectabili ſeparari quandoque ſolet bonum vtile, & honeſtum, de vtili patet in Ebrioſis, quibus vinum delectabile eſt admodum,ſed affert incommoda,& damna,de honeſto etiam manifeſtum eſt in venereis, quæ oblectamentum afferunt, ſed fædant honeſtatem,immo etiam & deſtruunt complexionem, Probatur idem,ſiquidem etſi de facto Deus qui eſt ſummum bonũ, omni pollens honeſtate, cum ſit beatificum obiectum beatorum, cauſet in eis oblectamentum, & delectationem, nihilominus de poſſibili poſſet ipſe Deus beatitudinis eſſe obiectũ abſq; cauſatione delectationis in beatis, quia delectatio iuxta multos non eſt de eſſentia beatitudinis, immo differre à beatitudine realiter, poſſeq; ſeparari ab ea, vt probat inter cæteros Scotus in 1.d.1.q.3. & in 4. d.49. q.7. quo fit vt ex diſtinctione, & ſeparabilitate inferatur eſſentialis differentia talium bonorum. item in bono delectabili nõ ſemper reperimus vltimum finem, qui ſoli competit ſupremo bono honeſto; nec in bono vtili eundem reperimus ſemper finem, quia ordinari ſolet ad aliud, ratione cuius appetetur amore concupiſcentiæ,non amicitiæ, nec bonum honeſtum ordinatur ad aliud, nec appetitur propter aliud, quia *ſumma eſſet peruerſitas*, inquit D.Auguſt.l.83. quæſt.q.30. *vti fruendis,ſicut frui vtendis*, ergo ex tot capitibus liquet æquiuocam eſſe diuiſionem bonitatis in hæc bona,adeoq; conſtat non placere id,quod ex D.Thoma Alij deſumunt, diuiſionem hãc non eſſe rerum diuerſarum, ſicut cum diuiditur Animal per rationale,& irrationale, ſed diuerſarũ rationum formalium, quæ poſſunt, inquiunt,in rem vnam coire: hoc inquã, repugnat rationib.hucuſq;allatis,quia & diuerſæ ſunt rationes formales bonorum iſtorum, & ſpecificè diuerſæ, atq; etiam adeo diuerſæ ſunt naturæ, vt vnum ab altero valeat ſeparari vt demõſtrauimus;nulla autem ratio maior diuerſificationis naturarum, quam ſeparabilitas earundem.

Boni diuiſio æquiuoca analogia. 8 Illud tamen addendum ęquiuocam diuiſionem ſtare cum analogia; etenim per prius, & perfectius dicitur de vno, quam de alio, ſicut ſanitas per prius de Animali, quam de medicina, deq; cæteris; ſic bonum deſcẽdit prius ad bonum honeſtum, cui quidem eſſentialiſſima eſt ratio boni, & ſecundario deſcendit ad bonum vtile, cui etiam eſt eſſentialis, quia quod eſt naturæ proficuum, & vtile, eſt ſuaptè natura bonum; & deniq; deſcendit ad delectabile, cui tamen minus congruit ratio boni, cum multo ſæpius ſit bonum apparens, ſeu præſtitutum, vera carens ratione vtilis, & honeſti boni.

Bonum an habeat rationẽ cauſæ, an effectus. 9 Poſtremo autem quæritur vtrũ ipſi bono competat vt ſit cauſa, an vero vt ſit effectus: nec loquimur de bono per eſſentiam, quod eſt Deus, qui eſt omnium moderator, & cauſa, ſed de bono ipſo ſecundum ſuam formalẽ rationem eſſendi, proue definitum fuit, & diuiſum, qua in re dicendum conſiderari poſſe dupliciter, vel quatenus habet rationem appetibilis, ſeu finis; vel ſecundo quatenus eſt quid integrum, *conſiſtens in modo, ſpecie, & ordine*, prout loquitur D. Auguſt. l. 4. de gen. ad litt. c. 3. & lib. de nat. boni c. 3. primo modo habet rationem cauſæ, & cauſæ quidem finalis, quia mouet tanquam deſideratus, & amatus; talis. n. eſt cauſatio, & motio cauſæ finalis. ſecundo modo habet rationem effectus, quia omne id, quod conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine, habet rationem boni, & ſic militat dictum Dionyſ. *bonum eſt ex cauſa integra.* ſed oritur difficultas, quia etiam bonum ſecundo modo cõceptum poteſt habere rationem cauſæ, immo neceſſario debet habere conditiones illas, ad hoc vt ſit bonum; etenim omne bonum finale, ſeu omnis finalis cauſa continet modum, ordinem, & ſpeciem, & ſub his rationibus mouet: da oppoſitum, & non mouebit; quia intantum finis mouet, inquantum eſt bonus; ſed non eſt bonus, niſi inquantum habet conditiones modi, ſpeciei, & ordinis: item in tantum mouet, inquantum deſideratur, & appetitur, quia talis eſt eius motio ſub ratione amati, & deſiderati; ſed nõ poteſt deſiderari ordinatè, niſi vt continens omnes rationes boni, & hæ cõſiſtunt in modo, ſpecie, & ordine ergo etiam vt ſic ſecundo ſpectatus habebit rationem cauſæ, & effectus. Inſuper omnia, quæ dicũt de fine ſpectato hoc vltimo modo, dicuntur etiam de prima conſideratione finis, ergo vt ſic nõ diſtinguuntur: patet diſcurrendo, quia finis primo ſpectatus habet rationem optimi, & eandem continet rationem ſub modo ſecundo, quia habet omnes cõditiones boni, quæ ſunt modus, ſpecies, ordo: ille quidem appetibilis eſt, & hic etiam cadit ſub appetitu, quia habet rationem perfecti. item vnus ab altero non differt, niſi ſecundùm eſſe intentionale, & ſecundùm eſſe realis exiſtentiæ: primo namq; modo eſt in intentione ſub ratione cauſæ finalis mouentis, & ſecundo modo eſt in re extra, attamen vterq; habet rationem boni, quia ſi domus in intentione Artificis mouet eum vt amata, & deſiderata, & vt bona habitationi humanæ, tanto magis apparebit eiuſdem domus bonitas quanto habebit verum eſſe reale, quia iam in actu experitur homo eius bonitatem, & integritatẽ, dum in ea habitat. hæc, & ſimilia reddunt reſolutionem datam aliquanto duram, & difficilem, quæ eſt Thomiſtarum, deſumpta ex D. Tho. p. 1. quæſt. 5. art. 4. 5. 9.

Obſtatur.

10 Ideo eſt aliter dicendum ad quæſitum, quod bonum iuxta duplicẽ modum eſſendi, quem habere poteſt, habet quandoque rationem cauſæ, & quandoq; rationem effectus: ſupponimus enim bonũ idem eſſe ac rem appetibilem, & idem eſſe motiuè, ac finẽ: ſiuè finis hic ſit vltimatus, ſiue non vltimus, ſiue pro bono capiamus operationem, ſiue habitum bonum, ſiue deniq; intelligatur in actu primo, ſiue actu ſecundo. Igitur conciplendo bonum quatenus eſt in intentione Operantis, dicendum omnino habere rationem cauſæ. probatur, quia bonum mouet Artificem, prout eſt in eius intentione obiectiuè, tanquam deſideratur, & amatus, ergo vt ſic conceptus habebit rationem cauſæ. item in mente Artificis habet rationem finis, ſed finis eſt vera cauſa, ſaltem metaphorica, & moralis, de quo alias, ergo taliter con- *dubitatio. Reſoluitur.*

conceptum bonum habet rationem cauſæ, ſequela tenet, quia bonum vt amatum, habet rationem finis. Dicendum ſecundò, quòd capiendo bonũ ſub eſſe actualis exiſtentiæ, ſic quidem habebit rationem effectus. probatur, bonum in actuali, & reali eſſe extra proprias cauſas, eſt effectus finis exiſtentis in intentione Artificis, ergo taliter captus habebit rationẽ effectus. antecedens probatur ex Ariſtotele 7. metaph. c. 5. *domus extra fit à domo intra*: domus autem in intentione mouet Artificem tanquam cauſa ad formandum domum extra, ergo ille erit cauſa, & hic effectus. item hic pendet ab illo, & non è conuerſo, ergo alter erit effectus, & alter cauſa. antecedens patet, quia bonum extra producitur ex motione boni ad intra tanquam finis intra, ergo bonum hoc pendens à bono illo, erit effectus illius. & deniq; hæc debet eſſe cõmunis aſſertio, quia finis habet rationem cauſæ, & effectus, diuerſimode tentus, in intentione quidem eſt cauſa mouens, in executione autem, & terminatione eſt verè effectus, finis autem habet rationem boni, ergo erit ſimiliter ſpeculandum de bono, quod intentionaliter captum, eſt cauſa, & mouens, executiuè verò, & terminatiuè eſt effectus, quia eſt conſimilis argumentatio, prout tradunt Philoſophi in 2. lib. phyſic.

Bonũ quomodo cõſiſtit in modo, ſpecie, & ordine.

11 Solùm reſtat explicare, quomodo bonum conſiſtat in *modo, ſpecie, & ordine*. & quidem modus indicat commenſurationem effectus cũ propria cauſa: ſpecies denotat formam, & ordo connotat perfectiones emanantes ex tali forma. & quidem modus accipitur pro limitatione, & terminatione effectus, qui repræſentat ſuam cauſam non ſub ratione ſimitudinis, & æqualitatis, ſed proportionaliter, quia limitatio producti reeræſentat potentiam illimitatam producentis eo quidem modo, qui effectus producibilitati competit: ſpecies verò repræſentat ſummam pulchritudinem; ordo autem connotat operationem, & quidem ordo vel erit in vltimum finem inquit Scot. in 1. d. 3. q. 4. vel in operationem. Cùm tamen modus hic, ſpecies, & ordo ſint limitata, & finita, ſufficit vt omnia hæc indicent ſub ratione finiti; & cùm inſuper inter bona detur exceſſus, & defectus, vt vnum altero ſit maius, & minus, conſequenter bona ſic per iſta tria repreſentata ita ordinatè ſe habebunt, vt vnum altero ſit limitatius, id eſt magis, minuſue participet de ſumma ratione boni, vnum altero ſit ſpecioſius, & altero vnum ſit ordinatius. hæc omnia deſumpta ſunt ex Sap. 11. vbi narratur Deum vniuerſa condidiſſe in numero, pondere, & menſura: quod explicans D. Auguſt. 4. ſuper gen. ad litt. ait, *menſura omni rei modum præfigit. numerus omni rei ſpeciem præbet, & pondus ad quietem, & ſtabilitatem trahit.* ex quo colligunt Theologi per modum intelligi commenſurationem effectus cum cauſa; per ſpeciem, ipſam formam; & per ordinem, exitum ad operationem, & ad finem.

Effectus quomodo commenſurabilis Deo.

12 Sola oritur dubitatio quomodo poſsit effectus commẽſurari Deo; cùm alioqui ſit ille finitus, & Deus infinitus; *finiti autem ad infinitum nulla eſt proportio.* ſed facilis eſt reſponſio, quia effectus non adæquatur Deo vt Deus eſt, ſed commenſuratur Deo, quatenus producenti per ideam vnũquodq; creatum: idæa namq; hominis eſt de ſe finita, & Deus producendo reſpicit ad ideam, itaq; effectus commenſuratur ideæ. vel ſecundo ex Scoto vbi ſup. non eſt commenſuratio ſimilitudinis, vel entitatis, ſed eſt commenſuratio proportionabilitatis, & ita inter quamcunq; cauſam, & effectum eſt talis proportionalitas, quia effectũ producit eo modo, quo producibilis eſt. vel tertio, commenſurationem non oportere fieri in æquiuocis, ſed in vniuocis, in his enim Pater, & Filius commenſurantur, & non ſe excedunt in natura ſpecifica, at in æquiuocis vnum excedit alterum, & tanto magis in Deo, qui eſt omnium cauſa vniuerſaliſsima æquiuoca, & tanto magis cùm ſit illimitatus, & infinitus, excedat omnino effectum in commenſuratione entitatiua, licet adaptet ei virtutem ſuam in modo producendi, quia taliter producit creaturas, ſicut producibiles ſunt; ex oppoſito autem ſi Angelum crearet, & hominẽ vltra rationes idearum

rum angelicarum, & humanarum, neq; virtus Dei creatiua diceretur adaptare ſe ideæ creaturarum, neq; res creata adæquaretur ideæ ſuæ; creat autem Deus ſingula iuxta proprias idæas, quoniam eſt iuſtus diſtributor rationũ eſſendi, & perfectionum competentiũ creaturis, ſi namque brutum crearet iuxta idæam hominis, & hominem ſecundùm idæam Angeli, inuerteretur ordo, & vniuerſitas entium, immo deſtrueretur Orbis, quia creando rem aliter quam creabilis eſt, erit ipsã deſtruere, ſicq; creando Leonem iuxta idæam hominis, non eſt Leonem creare, ſed deſtruere: ideo ſecundùm D. Auguſt. lib. 83. q. quæſt. 46. *alia ratione co nditus eſt homo, alia equus.* reſtat ergo vt ſecundùm has rationes dicatur effectus commenſurari, & proportionari Deo, tanquam ſuæ cauſæ. ait nãq; idem Auguſt. *Deus, res, quas condidit, taliter adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat.*

DISPVTATIO NONA

De Immenſitate Dei.

QVÆSTIO I.

ARTIC. I.

Oſtenditur Dei immenſitas.

1 LIcet Theologis res certiſſima ſit, & de fide Deum vbiq; præſentialiter eſſe, de modo tamen inquiritur, & ratione eſſendi in omni loco: in qua re difficultates vrgent pro vtraq; parte: expedit tamen ante earum diſſolutionem oſtendere immenſitatem Dei ex Theologis, ſcripturis, tum etiam Ethnicis, atq; Philoſophis.

Gentilium placita de immenſitate Dei.

2 In primis autem adeo nota fuit antiquitus, etiam penes fidei lumine carentes, immẽſitas diuini eſſe, vt nullam partem carere Dijs exiſtimarint: vnde Thales Mileſius omnia plena dijs eſſe teſtabatur, referente Ariſt. l. 1. de anim. t. 86. Plenitudinem vero mundi totius fiendam per tot Deos duo indicare poſſe conſpicuum eſt, alterum ex parte Deorum, & alterum ex parte mundi: Deorum quidem, vel quaſi ipſi corporei ſint, vtpote replentes, & occupantes mundum, vel ſi ſpirituales, & incompoſitos eos admiſerint, finitos tamen, & limitatos crediderint in entitate, quaſi vnuſquiſq; eorum tanquã finitus, & terminatus, non potuerit totum mundum opplere, ſed neceſſe foret plures admittere Deos, vt totum poſſent mundum occupare; atq; hinc etiam neceſſe fuerit ab ipſis exiſtimari infinitos propè numero Deos reperiri, vt infinitas mundi partes poſſent gubernare, ex parte etiam mundi ipſius, quia non totus ab vno, nec à ſingulis totus foret occupandus, ſed partim ab vno, partim ab altero, & totus eſſet à Dijs infinitis occupandus. Ab oppoſito autem cenſere alij non ſingulis partibus fore adſcribendam diuinitatem, nec etiam toti, ſeu integro mundo, ſed parti determinatæ, & defi-

nitæ:

nitæ: & inter hos alij locum præcipuũ dixerunt eſſe ſphæram ignis, vt Platonici, qui fortaſsè ſcripturis diuinis alludebant, in quibus ignis Deo tribuitur, vt Deut. 4. *Deus tuus ignis conſumens eſt*, & Exo. 26. *apparuit in rubo ardenti*, & in ſacrificio Eliæ, in quo Deus exaudiuit præces per ignem, dum deſcendit ignis de cælo, & conſumpſit holocauſtum. Alij ſolum cælum attribuerunt pro habitaculo, vt Aegyptij, Græci, atq; Barbari, teſte Ariſtot. 1. de cælo c. 3. t. 22. & Euſeb. 3. de præparat. Euang. vt potè coaptantes locum ad locatum, vt quia immortalibus numinibus immortalis correſpondeat, & perennis ſedes, & ſupremis omnium entibus, ſupremum decens eſſet adaptare habitaculum: hæc de Philoſophis.

Immēſitas ex ſcripturis.

3 Conſtat vero amplius, & perfectius hoc attributum ex ſolidiori fundamēto Scripturarum, dum vbiquitas Dei aſtruitur, & prædicatur: oſtenditur autem ex Ierem. 23. *cælum, & terrā ego impleo*: vbi non de corporali repletione loquitur, qua corpus dimenſionaliter exiſtens occupat locum, ſed de infinitate præſentiæ, quā rebus cunctis ſuam præſentem exhibet eſſentiam, vt Baruc 3. *immenſus eſt, & non habet finem*, quo fit vt nullus capax ſit locus quo obſtringatur ex 2. paralip. 16. *cælum, & celi celorum nō te capiunt*, quod magis explicat pſal. 144. *cuius magnitudinis non eſt finis*, ſingulariter tamen loca adſcribunt paſſim ſcripturæ, non quidem, vt particulari loco eum definiant, ſed vt loca ea explicent, vel quæ vſitatiora ſunt penes mortales, oſtendendo ſemper Deum omnibus eſſe præſentem, vel ea loca enumerando, quæ vniuerſitatē ſuorum nominũ cæterà comprehendunt, vt eſt cælum, & terra, quibus vniuerſa mundi machina ſolet explicari, prout egit Moyſes initio geneſis, *in principio Deus creauit cælum, & terram*: & his conſequenter dicitur Eſaiæ 66. *cælum ſedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum*: & Ioſue 2. *Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* & pſal. 138. *ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades.* Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Iſai. 6. *plena erat omnis terra gloria eius.* & paſſim ſæpius in ſcripturis: quo fit vt pueriliter fuerit Commentator loquutus, dum diſp. 14. in Algazel. aiebat *puerile eſſe fateri Deum reperiri vbiq;* etenim & puerile, & fatuum omnino eſt id negare, vt docuit D. Gregor. Nyſſen. orat. cathec. c. 25. inquiens, *quis eſt adeo puerili ingenio, & animo, vt ad vniuerſitatē aſpiciens non credat eſſe Deum eam induentem, & continentem, & ei inſidentem?* Hilarius quoq; lib. 1. de Trin. *nullus*, inquit, *ſine Deo locus eſt.* Auguſt. epiſt. 57. ad Dard. *Deus vbiq; præſens eſt, vbiq; totus.* Dionyſius, de diuin. nom. c. 9. *Deus omnia penetrat*: idipſum Cyrill. l. 1. theſau. c. 7. *Deus in omnibus, & penetrat omnia.* amplius autem, & largius diſcurſando per ſingula id explicat Auguſt. l. 7. confeſſ. c. 5. & per pulchrè, & acutè Chryſoſt. homil. 17. in gen. dum ait, *non ambulat Deus, quomodo enim ambularet, qui vbiq; præſens eſt, & omnia implet.* innixus philoſophorum legi, quod accedens ad terminum ad quē, neceſſe ſit, vt deſerat terminum à quo: nullus autem locus conſiſtere poteſt abſq; Deo: quod confirmat Hilarius 1. de Trin. *nullus ſine Deo, neq; vllus non in Deo locus eſt.* & Athan. l. de aſſumptione perfecti hominis, *Deus ſpiritus eſt, loco incomprehenſibilis, neq; vſpiam eſt Regio, vbi non exiſtat*, ac tandem vt omittamus reliquos, idem in ſymbolo ait, *immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.*

4 Veritas de fide eſt: quam negando, concedere neceſſe eſt creaturam aliquam eſſe ſine Deo, quod cũ Apoſtolo pugnat, inquiēte, *in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus, non longe eſt ab vnoquoq; noſtrum* act. 17. & ſequitur etiam creaturam aliquam eſſe independentē à Deo: ſiquidem nedum Deo indiget creatura quoad cauſalitatē, vt ei præbeat eſſe, & nedum requirit ab eo cōſeruationem in eſſe, verum etiam applicationem diuinæ, & cōtinuatæ præſentialitatis ad ipſam: da oppoſitum, vt ſepares creaturam à Deo, & ruet continuo, atq; cadet, vt dicitur pſal. 104. *dante te illis colligent; aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate, auertente te faciem turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pul-*

puluerem ſuum reuertuntur, &c.

Immenſitas an ratione naturali demõſtrabilis.

5 Solum hic quæri poteſt an ratione naturali demonſtrari poſſit talis immenſitas, ita vt eſſe omnibus præſentem ratio aliqua naturalis conuincat, & intellectum conitringat. ita videtur aliquibus, vt id oſtendi poſſit, maximè autem oſtendere nititur. primo ex Ariſt. 12 metaph. quãto aliquod eſt ſimplicius, tanto à pluribus deſideratur, & tanto in plurib. inuenitur; eſt autem Deus ſimpliciſſimus, ergo reperitur in cunctis.

Probatur.

Sed prima hæc ratio non cogit vt concedatur indigentia Dei ſimpliciter quoad præſentialitatem, ſed ſolum quoad cauſalitatem, & influxum, quo cætera vniuntur Deo, & quo maximè indigent, vt conſeruentur. & fortaſſe axioma hoc Ariſtotelicum connectitur illi alteri, ſicut imperfectum reducitur ad perfectum, & multitudo ad vnitatem, ita omne ens compoſitum reduci debet ad ens omnino ſimpliciſſimum. itaq; non neceſſario infertur ex Philoſopho indigentia, & deſiderium præſentialitatis ſuæ eſſentiæ, ſed benè deſiderium, & indigentia influxus, conſeruationis, ſiue cauſalitatis, abſtrahentis à præſentialitate.

Eluditur.

Probatur.

6 Probari poteſt ſecundo, quanto cauſa eſt prior, tanto eſt vniuerſalior; Deus eſt cauſa prima, ergo omnium vniuerſaliſſima; ſed quanto aliquid eſt vniuerſalius, tanto magis influit in plura, ergo vniuerſaliſsimus in efficiendo Deus influet in omnia: quod autẽ influit, eſt aliquo modo præſẽs rei, cui influit, ergo Deus eſt ſic præſens; eſt verò præſens ſecundùm virtutem, ergo & præſens ſecundùm eſſentiã, probatur, quia in Deo virtus, & eſſentia ſunt idem. ſed ratio hæc ſecunda ſolũ cõcludit præſentiam virtualem, & terminatiuè ſumptam: quod clarè patet ex terminis, quibus vtitur, qui ſunt, cauſa, influxus vniuerſalis, & præſentia virtualis: quæ ſingula oſtendunt cõtactum virtualem. & ad conſequentiã vltimam, in qua ex identitate virtutis cum eſſentia, concludit præſentiam etiam eſſentiæ, reſpondetur eſſe quoq; hæc duo diſtincta, ſiue formaliter, ſiue ſaltem ratione: & alterum horum ſufficit, vt propter quamcunq; diſtinctionem, ſi eſt præſens ſecundùm virtutẽ, non ſit præſens ſecundùm eſſentiam.

non cõuincit.

7 Tertiò, quod eſt in re aliqua limitata, itaut non ſit in cæteris rebus, eſt limitatũ, Deus autem eſt in rebus omnibus, ergo eſt ens illimitatum: ſeù conuertendo ſimpliciter, Deus eſt illimitatus, ergo eſt in rebus omnib. per præſentiam: patet conſeq. quia qualis eſt illimitatio, talis eſt præſentia: eſt autem illimitatus ſecũdùm eſſentiam, ergò ſecundùm eandem eſt præſens.

Probatur.

Nec etiam hæc ratio cogit; conuinceret autem ſi Deus neceſſario adeſſet præſens rebus: cùm namq; ſit ſecundũ eſſentiam illimitatus, & infinitus, ſi neceſſario ſe faceret rebus præſentem, vtique ex eius immenſa infinitate argueretur rebus omnibus intima ſecũdùm eſſentiam præſentialitas. eſto exẽplum, ſi daretur corpus aliquod occupans totum mundum, ita tamen vt ſecundùm ſe totum poſsit eſſe in qualibet parte totius Mundi, atq; eſſet totũ in toto, & totum in qualibet parte Mundi, inſtar rationalis animæ in toto corpore: vtiq; ex illimitatione, & immenſitate ſuæ entitatis inferretur neceſſario præſentialitas ſecundùm eius eſſentiam penes totum Mundum, quia cùm eſſet corpus naturale, neceſſario eſſet præſens loco, & locis omnibus, & conſequenter ſecũdùm omnem entitatem, & ſecundùm omnem modum ſuæ entitatis neceſſario adeſſet præſẽs toti Mundo: Deus autem non ſic, quia etſi ſit ſua entitate immenſus, liberè tamen ſe præſentem facit rebus, & locis, itaut vel toti Mundo, & parti Orbis ſe præſentem facere in ſua ſitum ſit libertate, & arbitrio; ergo ex immenſitate entitatis non neceſſario concluditur præſentia entitatis. hæc autem eſt præcipua inter rationes, quas Aliqui aſſerunt ad hoc demonſtrandum. attamen vt patet, minus conuincit. vt cæteræ allatæ. & his etiam rationibus probat Dei vbiquitatem Doctor Sãctus Bonau. in 1. d. 37. art. 1. q. 1. quas tamen non vocat demonſtratiuas, & neceſſarias; nec enim in hoc certamen deſcendit, ſed eas, & plures affert, vt quoquo modo, pio lectori oſtendat, adhiberi probabiles rationes ad Dei immenſitatem oſtendaendam.

non concludit.

Ex capite infinitatis.

8 Vna autem vrget ratio, quæ aliquando cõſtringere viſa eſt, ad id pro-

Nn ban-

bandum.eſt autem hæc. fundamentum immenſitatis diuinæ, eſt diuina infinitas; ſed Deus eſt entitate infinitus,ergo, & entitate immenſus quoad loca. antecedens eſt euidens,& patet ex oppoſito, quia fundamentum, & ratio, qua creatura non eſt immenſa quoad loca eſt finitas;quia enim eſt finita in entitate,ideo non eſt immenſa,nec reperitur in locis infinitis: ergo ex Dei infinita entitate, neceſſario conuincimus eius immēſitatem. Sed rationem, alioqui admodum apparētem ſic eludimus,primo dicendo, ex Dei infinita entitate concludi eiuſdem immenſam entitatem, ſeù immenſitatem, verùm quoad actum primum; ſiquidem dum Deus eſt ex ſe infinitus,erit etiā quantum eſt ex ſe, entitate immenſus, quia poſſet adeſſe,ſi vellet,infinitis rebus,ſi eas produceret:immo quoad hūc modum eſt etiam neceſſario, & naturaliter immenſus, quia ſicut eſt naturaliter, & neceſſario infinitus in entitatiua perfectione, ſic etiam in entitate erit conſequenter neceſſario immenſus in actu primo: excludo autem voluntatem, qua liberè ſe facit immensū quoad actualem præſentiam,& loquor de pura entitate, qua ſicut eſt neceſſario infinitus, ita eſt neceſſario immenſus quoad actum primum.quoad hunc autem immenſitatis modum rectè naturali, & neceſſaria demonſtratione concluditur immenſitas ex infinitate: quoad autem ſecundum non ſic,ex infinitate namq; non neceſſario oſtendimus actualem præſentiam: & patet vtrumque.Deus ab æterno antequam quicquam produceret, erat entitatè infinitus, & immenſus quoad actum primum, quia poterat infinitis adeſſe præſens locis, qui tamen non erat immenſus quoad actum ſecundum, cùm nullus extaret tunc locus, cui adſuiſſet:nunc autem ſe præſentialiter exhibendo,oſtendit aliqualiter immenſitatem ſuam aliqualiter quidem, quia ex præſentialitate ad loca, & res omnes, præteritas,præſentes, & futuras non euacuatur tota, atque infinita eius immenſitas, cùm adeſſe poſſet in infinitū infinitis rebus,& locis creabilibus. ſic ergo remanet ſatisfactum rationi.

Deus eſt neceſſario immenſus quoad actū primū ita.

9 Sed vt magis res percipiatur; declaramus breuiter terminos ipſos infinitatis, & immenſitatis. non enim idem important: infinitas namq; dicit ordinem ad Dei perfectiones, & entitatem;& immenſitas dicit ordinem diuinæ entitatis ad locum:vnde creatura immenſa non eſt,quia non eſt in omni loco, nec immēſa eſt,quia nō eſt entitate infinita, infinitas oſtendit perfectiones infinitas diuini eſſe, & immenſitas declarat diffuſionem diuini eſſe quoad loca. illa indicat perfectiones eſſentiales, & neceſſarias diuinæ entitatis,& hæc demonſtrat accidentalem Dei relationem, quam adipiſcitur ex reb. quibus adeſt præſens:& deniq; illa neceſſario, & ab æterno Deo competit,hæc autem liberè, & ex tempore:additq; relationem rationis præſētialitatis ad loca.

Immenſitas,& Infinitas differunt.

10 De Philoſophis etiam dubiū eſt an naturali ratione conſtricti fuerint ad eam immenſitatem aſtruendam: & quidem Ariſt. 8. phiſ. t.84. Deum appoſuit in extimo Cęlo.ſub ratione primarij Motoris,vt Expoſitores docent eius loci. De Commentatore etiam diximus ſenſiſſe puerile eſſe cogitare Deum reperiri in ſingulis Orbis partibus.idem verò Ariſt. lib.de Mund.c. 7.referens opiniones veterum Sapientum, ait, *Veteres dictitaſſe Deorum eſſe plena omnia*. & in eandem ſententiam referuntur Poetæ, inter quos Virgil. atque Orphæus. Seneca etiam, Hermes,atq; Pythagoras ex Lactant. Firmiau.lib.1.c.5.& iuxta illud

Philoſophi vbinā Deū collauerint.

Iouis omnia plena.

11 Cæterū ſicut naturaliter demonſtrari poteſt Deū eſſe vt ſup. diximus: ita naturaliter demonſtrari poteſt vbique eſſe, & immenſum eſſe.

ARTIC. II.

De intelligentia trium modorum eſſendi in rebus per eſſentiam, præſētiam,& potētiam.

1 Conſtat autem modos, quibus diuina entitas rebus ſe diffundit eſſe tres, quos communiter Theologi

Quomodo Deus eſt omnibus praſẽs per praſent.eſſent.& potent.

logi appellant modos eſſendi in rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiã: modos inquam generales, quibus in vniuerſis rebus ſe communiter facit præſentem: modi namq; alij ſpeciales, quibus cum ſola rationali creatura ſe facit præſentem, vel ad gratiam pertinent Incarnationis, vel ad donum Iuſtificationis, vel deniq; Glorificationis, ſiue punitionis, de quibus ſuo loco. igitur cùm veritas hæc certa ſit, & recepta ab omnibus, de ſola inquirimus intelligentia, ſeù explicatione modorum, quærendo quis ſit ſenſus horum modorum eſſendi: quia in re varij extant modi eos explicandi.

2 Et primo Seraphicus Doctor in 1.d.37.art.3.q.2. ita explicat, eſſe in rebus per præſentiam, eſt eſſe tanquã contentum in continente, vt aqua in vaſe; eſſe per virtutem, ſeù potentiam, eſt tanquam motor in mobili: & denique eſſe per eſſentiam, eſt eſſe per intimitatis exiſtẽtiam, & Anima in Corpore; & hoc modo eſt Deus. ratio primi modi explicatur à D.Bonau. per indiſtantiam, quia quod non diſtat, præſens eſt: ſecundus modus explicatur per operationem, quæ proprius virtuti conuenit, & potentiæ operandi: ac deniq; eſſendi modus per eſſentiam explicatur ab eodem per intimum illapſum, dum ſua eſſentia intima eſt vnicuiq; rei: immo iuxta Scotum, eſt intimior nobis, quàm nos ſimus intimi nobis ipſis. hæc de D.Bonau.

Explicatio D. Bonau.

3 Hęc tamen Doctoris Sancti explicatio patitur difficutates, ſiquidem conſumdere videtur primum modum cum vltimo; etenim modus eſſendi per præſentiam idem videtur eſſe penes ipſum, ac modus eſſendi per eſſentiam; quod patet; quia modus eſſendi per præſentiam explicatur ab eo per rationem indiſtantiæ, ideo namq; præſens dicitur, quia non diſtat: & eadem ratio eſt de modo eſſendi per eſſentiã, quia eius eſſentia à nullo diſtat propter eius immenſitatem, *non enim longe eſt ab vnoquoque noſtrum* act.17. inſuper exemplum quod affert de præſentia per modũ continentis. potius pertinet ad modum eſſendi per potentiã, & virtutem, quàm per præſẽtiam; quia continere omnia diuinæ virtutis eſt opus, atq; omnipotentiæ, cùm ipſamet continentia ſit operatio, quę à Dei deriuat virtute, atque potentia. & hinc ſit vt modi hi explicandi impugnentur ab aliquibus, præſertim Recentioribus, ad primam part. D. Tho. diſp. 30. vt Vaſq. & alij.

Obſtatur.

4 Nihilominus aptiſſimus eſt modus iſte explicandi, ſi mens Bonauenturæ percipiatur: Pro cuius intelligẽtia aduerteneus eſt duplex præſentialitatis modus iuxta Bonau. internus quidem, & externus: intimus, & extimus. primus competit diuinæ eſſentiæ, quæ præſens eſt intimè vnicuique noſtrum, vt D.Paulus loquitur, quia *in ipſa viuimus, mouemur, & ſumus*; ſecundus autem competit præſentialitati, quæ externam indicat præſentiam rebus cunctis. atq; ſic loquitur ipſe Seraphicus Doctor dum ait eſſe præſentem ſe habere per modum continentis, nempe præſentialitate externa, qua præſentialitate continens eſt præſens contento. de pręſentialitate verò per eſſentiam loquitur dum ait præſẽtem eſſe per intimitatem, ſeù vt communiter Theologi loquuntur, per intimum illapſum. non ergo Bonauentura confundit primum modum cum vltimo. Scio alias expectare, vt D.Bo-Bonauentura dixiſſet præſentialitatẽ referẽdam fore ad cognoſcibilitatem, quia præſentes dicimur, & ratione, qua certo nouimus, & tuto ſcimus, ideoque dicimur ad eſſe, & præſentes eſſe, vt amplius explicabimus: A Diuo Bonauenturæ hoc non erat opus, immo tacitè vnum inferebat ex alio, nẽpe cognoſcibilitatem ex præſentialitate: cognoſcibilitas enim eſt quid poſterius conſequens ad præſentialitatẽ; ſaltem poſterius ratione etiã in Deo: quia ſicut in Creaturis prius dicimur eſſe præſentes, quàm cognoſcere eas, & ſcire, ita in Deo, licet abſq; mora, & intercapedine; immo ab æterno, omni ſemota imperfectione, prius ratione dicitur præſens, quam cognoſcere, & ſcire, vt infra. igitur de primo loquebatur D.Bonauentura, tanquã de magis neceſſario, & requiſito, quo præſtito, ſtatim ſequitur inde certitudo, atq; noſcibilitas. Dixeris fortaſſe præſentiam non fore ſemper neceſſariam ad co-

Defẽditur.

Prior eſt præſentialitas rei, cognoſcibilitate eius, etiam in ordine ad Deum.

cognitionem, vt patet in creaturis, ergo minus neceſſaria erit in Deo; qui etiam ab æterno antequam res forent eas optimè cognoſcebat, quibus tamen nullatenus præſentem ſe exhibebat. Reſpondeo præſentiam obiectiuã eſſe abſolutè neceſſariam, etiã in Deo, quia non poteſt dari notitia abſq; obiecto; igitur ſufficiet hæc præſentialitas in eſſe cognito, & obiectiuali: quod etiam patet in creaturis habentibus notitiam de Antichriſto non habente hucuſq; præſentiam, niſi obiectiualem: & multo magis Deus ita ſe habet, qui nedum poſſibilia ſic obiectiuè habet præſentia, verum etiam eminenter ea continent in ſua entitate; igitur prius creaturæ ſunt Deo præſentes, quatenus continentur eminenter, & virtualiter in ipſo Deo, & quatenus ſua diuina eſſentia repræſentat eas ſuo diuino intellectui; & inde cognoſcuntur ab eodem: & hoc nulla ratione poterit negari, quia prius in Deo concipitur eſſentia ſua continens eminenter, & ſua voluntas, ſeù potentia continẽs virtualiter creaturas, quam concipiatur diuinus intellectus cognoſcens, & intelligens creaturas præcipuè ſcientias viſionis: non quod expectet præſentialitatem earum in tempore extra cauſas ſuas, quia præcognouit ab æterno antequã eſſent; ſed quia prius ab æterno diuina eſſentia repræſentauit eas diuino intellectui, & inde eas cognouit. & ex his conſtat optimũ eſſe modum explicandi Diui Bonauenturæ: ſiue præſentialitas ſit intima, ſiue æterna; quia omnis ea in vniuerſum antecedit cognitionem, atq; cognoſcibilitatem. Ad ſecundam inſtantiam dicimus continentiam tunc pertinere ad virtutem, ſeù ad potentiam operatiuam, cùm aliquid geritur penes rem contentam: at cum ſumitur continentia prout ſolam indicat præſentiam, & indiſtantiã, non ad operationem ſpectat, ſed ad præſentiam: in continentia namq; duo ſunt, primũ eſſe præſens, & ſecũdũ eſt operatio: de primo loquitur D.Bonau. & quidẽ ſic explanata eius mens aptiſſimè explicat modos eſſendi per præſentiam, & per eſſentiam.

Explicatio Durandi.

5 Secundo loco Durandus in 1. d.37.q.1. aliter declarat, & inquit primo præſentialitatem prouenire ratione operationis; quia operatio Dei eſt cauſa vt res ſint præſentialiter præſentes. quod probat, quia ſi Deus nõ operaretur producendo, res non acciperet eſſe, & conſequenter non poſſet eſſe præſens; quia quod non eſt, nõ eſt præſens, ergo operatio dat eſſe præſens, quia dat vt exiſtant, & conſequẽter vt exiſtendo ſint præſentes Deo, & hinc habetur rei præſentialitas. Verũ quia nedum res eſt Deo præſens. ſ. per actualem cognitionem, ſed etiã Deus ipſe eſt ipſi rei præſens ſecundum ſuã propriam exiſtentiam, ideo hinc dicitur ſecundò Deus præſens per ſuam eſſentiam, ſeu coexiſtentiam cum rebus ipſis. at quia demum operatio eſt ab eſſentia Dei, mediante virtute, & potentia, ideo dicitur eſſe præſens ſic per potentiam.

Impugnatur ab aliquibus.

6 Redarguunt alii explicationem Durandi, eo quod confundat modum eſſendi per potẽtiam, cum eſſendi modo per præſentiam; quia modus eſſendi per potentiam eſt modus eſſendi per operationem, per operationem autem habetur præſentialitas per Durand. ergo modus potentiæ coincidit cum modo per præſentiam. Inſuper, eſſe per præſentiam ſupponit rem vnã eſſe alteri præſentem per modum cognitionis, & notitiæ: ſed modus eſſendi per cognitionem non eſt modus producendi, quia operatio immanens non eſt gratia alterius, ſed gratia ſui: nec eſt alicuius alterius productiua, quin potius operationes intelligendi vocãtur à Scotiſtis non *productiones*, ſed *operationes*: ergo modus eſſendi per præſentiam non eſt modus eſſendi per productionem. Probatur aſſumptum, quia non dicitur ferrum ferro eſſe præſens, nec lapis lapidi, eo quod ferrum cognoſcat ferrum, vel lapis lapidem; propriè tamen præſentialitas indicat modum cognoſcentis, vnde præſentes dicimur, cum oculis intuemur, vel alio ſenſu cognitiuo percipimus verum. his ergo Durandi ſententia, atq; etiam Alenſis impugnatur à Vaſq. aliiſq; recentioribus.

Defenditur.

7 Verum impugnationes hæ nullius ſunt firmamenti, nec Durandi ſententiam euertunt, ſeu explicationem

&

& primo cum dicitur, quod Durandus confundit potentiam cum præſentia, id non concluditur, quia penes Durãdum, ſicut & penes omnes, potentia diſtinguitur ab operatione, & ſaltim pro nunc ſufficiat, quod potentia indicat actum primum, ſeu virtutem, vel poſſe operari, & operatio indicat actũ ſecundum, ſeu operationem in actu: quo ſtante, loquens de præſentialitate Durand, inquit, haberi per actualem operationem, quia non poſſunt fieri præſentes, niſi recipiant eſſe in actu: loquẽs autem de potentia, eam ſolum conſiderat in ordine ad ſe, & in actu primo: ab hoc autem primo actu deriuat actus ſecundus, qui eſt operatio. & hæc duo diſtincta ſunt, hac ergo ratione non confundit potentiam cum præſentia. Ad alteram inſtantiam reſpondemus duplicem reperiri præſentiam, alteram obiectiuam, & alteram entitatiuam: loquendo de prima, verum eſt requirere cognoſcentem eſſe, & contemplantem, vt homo per intellectum, vel quouis ſenſu altero percipientem, vt ſenſus externi, & bruta, eſſe inquam præſentem, vel per ſpeciem intelligibilem, vt in abſtractiua, vel immediatè, vt in notitia intuitiua: at de ſecundo modo loquendo, id non eſt neceſſe; verè namq; entitatiua præſentia paries hic eſt alteri parieti præſens, & ſi ab altero alter ſenſu nõ percipiatur, quia da oppoſitum quod non ſit præſens, ergo inferatur eſſe abſentem, quod eſt falſum. ſed cum dicis, per præſentiã quæ habetur ad cognoſcentem nihil producitur, quia per cognitionem nil producitur, ergo præſentialitas non explicatur per operationem, reſpondendum aſſumptum eſſe falſum loquẽdo de cognitione diuina: ipſa namq; eſt productiua à parte rei, quod patet tum ad intra, quia Pater intelligendo, & cognoſcendo diuinam eſſentiã producit Verbum, tum etiam ad extra, quia ex communi ſenſu Theologorum Deus intelligendo dat eſſe rebus, quia eius ſcientia eſt cauſa rerum, vt modo ſupponitur ex D. Auguſt, 15. de Trin. c.13. & 11. de ciu. c. 10. Nyſſen. examer. in princ. Gregor. 29. mor. c.24. Ambroſ. l.4. de Sacram. c.4. ergo præſentialitas Durandi habetur per operationem, & ſi habeatur etiam per cognitionem. hæ igitur impugnationes non obſtant.

7 Poteſt ergo aliter efficacius impugnari, quatenus Durandus confundat ordinem præſentialitatis rei. & entitatis: quæ tamen cum ſint duo diſtincta, confundi nequeunt, ſed ordinatè erit de eis diſcurrendum. Itaq; potentia diuina duo inter cætera facit, alterum eſt dare eſſe ſimpliciter rebus, & alterum eſt conſequens ei, nempè facere vt res ſint inde præſentes: vnum præcedit alterum, & illud eſt prius iſto, quia ſimpliciter eſſe eſt fundamentum præſentialitatis, nec.n. præſens quidquam eſſe poteſt niſi prius habeat eſſe: prius namq; eſt fundamentum abſolutum, & inde eſt relatio præſentalitatis. igitur, quod Durandus ait, præſentialitatem haberi per potentiam, & operationem, totum eſt verum: ſed haberi quidem ordinatè, ſecundario, & mediatè; quia prius operatio, & virtus dat ſimpliciter eſſe, & hic eſt primus effectus operationis ad extra, ſiue etiã ad intra, & inde mediatè ſubſequitur præſentialitas, ſeu præſẽs eſſe. quocirca cùm ait operationem explicari per præſentialitatem, explicatur quidem, ſed mediatè, & remotè, quia propriè terminus primarius potentiæ, & operationis eſt eſſe, & præſentialitas eſt quid poſterius. Præſentialitas verò, vt dicemus, maximè in ordine ad Deum, dicit obiectiualem conditionem ſub ratione .ſ. cognoſcibilis; dixi, maximè in ordine ad Deum, quia nil eſt, quod non fiat præſens Deo hoc modo, cùm omnia ſciat. omnia intueatur, quod nõ ſemper euenit in creaturis, vel quia non omnes cognitiuæ ſunt, vel quia & ſi ſint cognitiuæ, non tamen ſemper omnes actu cogitant: vel ſi ſemper actu intelligunt, vt Angeli, ſeu Intelligentiæ cœleſtes, non tamen omnia obiecta percurrunt, nec ſemper in eiuſdem creati obiecti perſiſtunt ſpeculatione, quapropter magis præſentialitas pertinebit ad cognitionem, quàm ad operationem.

8 Tertio loco D. Tho. explicat longe aliter; vt dicatur per eſſentiam eſſe in rebus, quatenus dat eſſe rebus: dicatur inde per potentiam, quatenus vni-

Impugnatur efficacius.

Explicatio D. Th.

vniuerſa ſubijciuntur eius poteſtati: & deniq; per præſentiam quatenus ea cognoſcit, & perfectè habet in proſpectu. explicat exemplo Regis, qui eſt per eſſentiam in ſede propria, in qua continetur: eſt per potentiam in toto Regno, quod gubernat: & eſt per præſentiam in cubiculo, in quo cũcta eius conſpectui obijciuntur, cunctaq; videt. ſic habet 1.p.q.8.art.3.

Impugnatur ab Aureolo.

9 Nec tamen placet pleriſq; modus hic D:Thomæ, patitur namq; & ipſe difficultates, & dubia. & primò Aureolos apud Capreol. in 1. d.31.q.2. ſic impugnat explicationem modi eſſendi per præſētiam. eſſe ſic per præſentiam per te eſt eſſe in rebus per cognitionem, quatenus eas cognoſcit: at Deus non eſt in rebus per cognitionē, ergo falſa explicatio. minor prob. quia potius cognitū eſt in cognoſcente, quàm cognoſcens ſit in re cognita, ergo non benè explicat. Deinde impugnat modum eſſendi per eſſentiam, & arguit ſic: modus iſte coincidit cum modo eſſendi per potentiā, ergo inepta explicatio. prob. anced. eſſe in rebus per potentiam indicat Deum eſſe immediatè In rebus immediatione virtutis, & eſſe per eſſentiam oſtendit eſſe immediatum immediatione ſuppoſiti: at ſuppoſitum, & virtus idem ſunt; ergo explicatió horum modorum eſt confuſa.

Reſponſio Caetani.

10 Durandus quoque impugnat hanc explicationem: & primo impugnat modum eſſendi per eſſentiam: modus eſſendi in rebus per eſſentiam; eſt modus eſſendi per realem præſentialitatem ſuæ eſſentiæ: igitur modus eſſendi per eſſentiam non dicit modū dandi eſſe ipſius rebus. inde impugnat modū eſſendi per præſentiam: hic modus eſſendi eſt eſſe in rebus per cognitionem; at inde ſequitur Deum reperiri etiam in rebus quæ nō ſunt: prob. ſeq. quia etiam quæ non ſunt cognoſcit Deus, vt dicitur, *vocat ea quæ non ſunt, ſicut ea quæ ſunt.* Rom 8. vel loquendo de modo eſſendi per potentiam, idem inſurgit inconueniens, quia eſſet per potentiam in rebus quæ non ſunt, & fuiſſet per hanc potentiam ab æterno in Mundo, qui ab æterno non fuit, patet, quia ab æterno habuit potentiam ad producendum Mundum.

11 Verùm impugnationes iſtæ parui ſunt roboris, & omnes aptè poſſunt eliminari. & primò Caetanus reſpondens ad argumenta Aureoli, diſtinguit de modo eſſendi in re cognita, & è conuerſo: eſſe enim contigit vel per viam aſſimilationis, vel per viam intimæ penetrationis; primo modo, cognitum dicitur eſſe in cognoſcente, quia cognoſcens aſſimilatur cognoſcibili, & hoc per ſimilitudinem, ſeu per ſpeciem, quam habet de cognoſcibili. ſecundo autem modo cognoſcens eſt incognito, quia ipſum intimè penetrat per cognitionem. reſpondet ſecundo quòd loquendo de cognitione abſtractiua, hæc quidem eſt in cognoſcente, & ſic cognitum erit in cognoſcente: de cognitione autem intuitiua, cognoſcens erit in cognito, quia intuitiua notitia ex ſe ipſa tendit in obiectum præſentialiter exiſtens.

Defenſio Caetani refellitur.

12 Nihilominus reſponſiones iſtę non euacuant argumenta Aureoli. & Primo id, quod dicit, quod cognitum eſt in cognoſcente per viam aſſimilationis, hoc quidem impertinens eſt ad negotium intellectionis: licet namque ex cognitione ſequatur aſſimilatio, tamen hæc non eſt principaliter intenta in cognitione, ſed ſecundario, & poſterioriſticè: igitur prius eſt attendus modus eſſendi ſimpliciter cogniti in cognoſcente, & vice verſa, & inde attendi poſſunt ſpeciales effectus, qui ſequuntur, vt aſſimilatio, & ſimilia. quemadmodum & ſi cauſa ſit in effectu per modum ſimilitudinis, ſeù repręſentationis, quia repręſentatur ab effectu, & præcipuè ſi ſit cauſa vniuoca, tamen non erit primarius cauſæ terminus ipſa ſimilitudo, ſeù repręſentatio, ſed quid prius, nempè terminatió cauſalitatis fienda ab effectu, qui eſt terminus cauſæ, & inde ſequitur ſimilitudó, repręſentatio, & ſimilia. Nec etiam concludit reſponſio ſecunda, quia terminos diſputationis variat: etenim tranſit à cognito ad cognitionem, & ab obiecto ad ſpeciem: quæ res ſi curreret, poſſet facillimè ſolui argumentum, vt obiectum ſit in cognoſcēte, quia ſpecies obiecti eſt in cognoſcen-

ſcente, vel obiecti notitia eſt in intellectu, & quod addit de cognitione intuitiua, quod penes ipſam dicitur cognoſcens eſſe in cognito, quia conſpicit obiectum in ſe: id confusè explicatur, non enim indicat, qua ratione dicatur cognoſcens reperiri in cognito, & gratis ita loquitur deuians à communi vſu ſcholarum.

Cognitum eſt in cognoſcente, & è cõtra: explicatur

13 Igitur ſic poterit aptius, & breuius explicari axioma illud, atq; argumento reſponderi. *cognoſcens eſt in cognito nempè terminatiuè: & cognitum eſt in cognoſcente, nempè obiectiuè.* hi quidem ſunt termini ſcholarum communes, & clarius explicant, & immediatius illud axioma. explico autem reſponſionem. Non dicitur quidè cognoſcens eſſe in cognito, per eſſentiã, prob. non eſt in eo continentia formali, non virtuali, non potentiali, nec ſimilibus, loquendo præcisè de cognito, ſeu de obiecto creato: quia de increato erit aliter cenſendum; etenim creatura Deum cognoſcens, continetur in eo eminentialiter, ac modo perfectiori, etiam antequã producta fuiſſet in eſſe ſuo: & nunc etiam quoad conſeruari, & quoad iterato produci in reſurrectione, continetur virtualiter, tum quia conſeruari continuo eſt iterato produci, & in reſurrectione iterũ producetur. hæc ergo ſic currunt in ordine ad obiectum increatum, ſeu cognitum Deum. at de cognito creato, nulla talis intercedit continentia penès cognoſcentem, vt patet: quomodo igitur continetur in eo: tantummodo per cognitionem *terminatiuè*, vt quia cognitum obiectum terminat cognitionem: nolo autem hinc excludere alios continendi modos, vt per aſſimilationem, & ſimiles, quia verè ita ibi ſunt, attamen, vt dixi, impertinentes ſunt ad rationes cognitionis, vt cognitionis, quia hæc primo præſcindit ab aſſimilatione. Cognitum autem continetur in cognoſcente obiectiuè, quia cognoſcens habet illud tanquam obiectum ſuæ cognitionis: non quidem continetur in eo vt dante eſſe ſimpliciter, quia intellectus creatus non dat abſolutè eſſe obiecto cognito, ſed dat ei ſolummodo eſſe quoddam extrinſecũ, quod vocatur eſſe cognitum, ſicut viſus non dat eſſe parieti, nec voluntas dat abſolutè eſſe obiecto volibili, ſed conferunt eſſe quoddam accidentale, ſeu demonſtrationẽ alicuius extrinſecæ denominationis, quod eſt eſſe volibile, & viſibile. igitur non abſolutè eſt in cognoſcente, ſed vel eſt in eo per ſpeciem intelligibilem repræſentantem in cognitione abſtractiua, vel dempta ſpecie, vt in cognitione intuitiua, erunt in ipſo cognoſcente per modum obiecti mouentis, & terminantis. quod eſt dicere, eſſe cognitum in cognoſcente, & cognoſcentem in cognito, terminatiuè, motiuè, & obiectiuè. Excludimus autem aliqua ex his à Deo optimo maximo, veluti dicentia imperfectionem; non. n. Dei intellectus mouetur ab obiecto creato: nec etiam Deus ſpecie indiget in cognitione quaſi abſtractiua, cum omnis eius cognitio, etiam nõ exiſtentium ſit intuitiua, & nulla cadat in eum cognitio abſtractiua. vt dicetur ſuo loco, igitur non erit cognitum in cognoſcente per ſpeciem: ſupplet vero diuina ſua eſſentia ad repræſentanda omnia eius intellectui. igitur terminatiuè, & motiuè erit cognitum in cognoſcente, & cognoſcens in cognito, loquendo de cognitione creata. & ad argumentum ſequitur ex his clara reſponſio, Deum cognoſcentem eſſe in rebus cognitis creatis, terminatiuè, & res creatas cognitas eſſe in Deo cognoſcente, obiectiuè, modo explicato: & adde alium eſſendi modum in eo, tanquam in infinito pelago continente omnia ratione eſſentiæ diuinæ, vt diximus. & ſic patet ad primum.

Ad primũ Aureoli.

14 Ad ſecundum autem eiuſdem Aureoli reſpondetur, licet re vera idẽ realiter ſint, tamen aliqualis, quæcunq; ſit diſtinctio intercedens, ſufficiens eſt vt reddat modum vnum diſtinctum ab altero. diſtinguitur autem ſaltem ratione ſuppoſitum à virtute, ergo hæc diſtinctio ſufficit, vt reddat modos ipſos diſtinctos.

Vaſquez impugnatur.

15 Ad ſecundum Durandi reſpõdet Vaſq. Deum non eſſe rebus præſentem per quamcunq; cognitionem, ſed ſolum per notitiam, quę ad res exiſtentes terminatur. itaq; futura obiecta cum non exiſtant, nõ dicitur Deus eis præſens eſſe per cognitionem. At

re-

reſponſio hæc nimis derogat infinitæ Dei virtuti in cognoſcendo: cum nāq; infinitus ſit eius intellectus, omnia perfectiſſimè noſcit, & non minus perfectè futura, quam præterita, & præſentia, igitur cum eſſe per præſentiam ſit eſſe per cognitionem, cognoſcendo perfectiſſimè ab æterno futura, dicetur etiam eis eſſe perfectè præſens per cognitionem. vt autem melior euadat cōfutatio, & clarior appareat doctrina; recolimus duplicem illum modū communem apud Theologos, quo expiicant præſentialitatem, in quæſtione illa de præſcientia Dei, quomodo Deus nouerit omnia perfectè ab æterno. nēpè de præſentialitate entitatiua, ſeu ſecundum exiſtentiam realem, & de præſentialitate obiectiua. quo in loco ex communiori ſentētia habebimus omnia ab æterno fuiſſe Deo præſentia obiectiuè, & ſic perfectiſſimè nouiſſe vniuerſa. præſentialitas autem hæc, mutua per conſequens erit, vt & creatura dicatur ab æterno præſens fuiſſe Deo obiectiuè, & Deus præſens fuiſſe creaturæ per cognitionem eius ab æterno, & ſic pariter nunc præſens ſit Deus rei non exiſtenti, præſens inquam, & tunc, & modo obiectiuè per cognitionem, ratio autem eſt, quæ amplior ſuo loco reddetur, quia omnia cognoſcit Deus intuitiuè, tum præterita, tū præſentia, tum futura; cum penes ipſius modum cognoſcendi non detur nec præteritum, nec futurum, quia cognitionem non ſumit ex rebus: & quia vniuerſa noſcit in eſſentia ſua beatiſſima, quæ perfectiſſimè continet creaturas, & præteritas, & futuras, ideo veluti ſemper præſentes adſunt creaturæ futuræ diuino intellectui, quia præſens ſemper habet obiectum diuinum, quod præſentialiter continet, & perfectè repræſentat creaturas. hinc merito omnis Dei cognitio de futuris vocatur intuitiua, quæ doctrina clariſſima eſt apud Scotum in 1. d. 10. q. 1. in reſponſ. ad vlt. & in eod. 1. d. 39. & diſt. 2. q. 7. aliquanto ſupra duplici G: quia intuitiua eſt vel obiecti præſentis in ſua exiſtentia, vel obiecti continenti in aliquo ſupremo eminentialiter, cuiuſmodi eſt diuina natura continens perfectiſſimo modo futura contingentia; quapropter Deus eſt hoc modo præſens per intuitiuam notitiam etiam rebus futuris, licet abſtrahant à præſentialitate, vel exiſtentiæ, vel propriæ actualitatis, & hoc etiam apertè docent Scripturæ, vt Deuteronom. 31. *ſcio cogitationes eius, quæ facturus ſit hodie.* & ſap. 8. *ſcit præterita, & de futuris æſtimat.* Ierem. 1. *priuſquam te formarem in vtero noui te.* Eccleſ. 23. *Domino Deo noſtro antequam crearentur nota ſunt omnia.* & Iſai. 25. *quæ ventura ſunt interrogate me.* & alia omittendo Rom. 8. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* quo fit vt ad argumentum reſpondendo dicamus falſum eſſe Durandi aſſumptum, Deum non eſſe præſentem rebus futuris, eſt namq; & ipſe eis præſens, præſentialitate cognitionis, & ipſæ ſunt ei præſentes, tum præſentialitate obiectiua, tum etiam eminentiali, & virtuali continentia in eſſentia, & voluntate diuina.

Præſentia omnia ab æterno diuino intellectui obiectiuè.

Cognitio intuitiua de qua re Scot.

16 Quid ergo dicemus? erit ne verior, & cōpletior explicata ſic propoſitio à D. Thoma, ita vt verum ſit id, quod aſſerit de modis eſſendi Dei in rebus omnibus? Vtique eſt apta explicatio circa duos ſolummodo modos, ſed deficere videtur circa tertiū, quod namq; ait eſſe præſentem, idem eſſe ac cognoſcere, id quidem verum; & quod addit, eſſe per modum potentiæ, idem eſſe, ac poteſtati eius ſubijci vniuerſa, etiam admittimus: ſed quod concludit, quod eſſe per eſſentiam ſit per modum dantis eſſe, hoc diſplicet, & propter hoc nō aſſentimus, quia cōfundit modum eſſendi per eſſentiam cum modo eſſendi per potētiam: quia dare eſſe, & operari, competit eius potentiæ, qua vniuerſa producit, & conſeruat in ſuo eſſe: id autem non cōpetit eſſentiæ vt eſſentiæ ſoli, ſed eſſentiæ vna cum voluntate, quę eſt eius potentia. quapropter per eſſentiam ſolam, non dat eſſe rebus, ſed etiam per potentiam, ergo dicere quod eſſe per eſſentiam ſit eſſe per modum dantis eſſe, eſt confundere modum eſſentiæ cum potentia.

Primus, & ſecundus modus D. Thomæ approbatur, tertius diſplicet.

17 Nec obeſt quod Caetanus ait diſtingui modum eſſentiæ à modo potentiæ, quia per illam operatur in rebus immediatè immediatione ſuppoſiti,

Caetani reſponſio impugnatur.

ſiti,& per hanc agit immediatè immediatione virtutis: nō obſtat,quia operari nullo modo conuenit eſſentiæ vt eſſentia eſt, ad extra præcipuè, quia nec eſſentia ex ſe ſola eſt completum principium operādi, ſed operatur vna cum voluntate:& ad intra etiam eſſentia non operatur ex ſe ſola circa diuinas perſonas, ſed vna cum intellectu, ſeù memoria fœcunda, & ſimul cum voluntate,ſeù voluntate fœcunda: tùm etiam quia ſi operaretur ad extra ex ſe ſola, iam ageret neceſſario, & non liberè; ergo concludimus quòd operari ſic nullo modo conuenit eſſentiæ per modum dantis eſſe,ſed requiritur vt adnectatur potentia vna cum eſſentia. & quod addit de immediatione ſuppoſiti, id ſaluatur abſque eo, quod admittatur eſſentia ex ſe ſola dare eſſe: etenim totus Deus cum potentia ſua infinita agit immediatè immediatione ſuppoſiti,& virtutis, & ſic ſaluatur vtraque immediatio abſque recurſu ad modum eſſendi ſub ratione dantis eſſe ſimpliciter.

Breuior & explicatior modus eſſendi per præſent. potent. & eſſent.

18 Quonam igitur modo explicabitur propoſitum axioma? breuibus ita dicimus, eſſe *præſentem*, idem eſſe ac conſpicere, & intueri perfectiſſimè omnia: ſumpto vocabulo ex tranſlatitia ſignificatione illius, quod accidit in creaturis, ſolemus namque de re, quā perfectè norimus, dicere nos ibi fuiſſe præſentes,vt v.g. incendio, ſpectaculis, & ſimilib. eſſe inde per *potentiam* idem eſſe ac poſſe operari, & producere, quia terminus omnipotentiæ ſunt effectus producti. eſſe deniq, *per eſſentiā* eſſe idem, ac per immenſitatem ſuam reperiri in omnibus, immenſitas enim eſt ratio, qua Deus per eſſentiam eſt in cunctis. & ſic plenè haberi poteſt intelligentia cōmunis huius axiomatis deſumpti ex D.Greg.ſuper cant.5. vel hom.8.ſuper Ezech. parū ante mediū.

Modi alij ſendi Dei in creaturis.

19 Sunt denique modi alij ſpeciales in creaturis eſſendi, nam recenſiti modi ſunt generales: vt eſſe per modū Veſtigij:eſſe per modum Imaginis:per modum vnionis hypoſtaticæ,per gratiā in hac vita, & demū in Patria per gloriam. de quibus aliqualiter diſſerit D. Auguſt. l.3. contra Maximin.c.21. vbi ait, *in templo ſuo habitat Deus. ſcilicet in ſanctis, qui ſunt templum Dei, modo per fidem ambulantes: & aliquando per ſpeciem, qualiter nunc templum Dei sūt Angeli.* ſed hi ſpecialem habent, quo tradantur locum, vt de incarnatione Imagine,Punitione, ac demum Glorificatione.

QVÆTIO II.
Vtrum ex operatione Agentis alicubi ſequatur eius præſentialitas ibi.

ARTIC. I.
Aſſertur ſententia D. Tho. circa principale quæſitū.

Affirmat D.Tho.ſequi conſequētia formali.

1 Non quærimus vtrū conſequentia materiali inferatur præſentialitas ex operatione, tum Dei, tum alterius Agentis,qui eatenus dicitur conſequentia materiali eſſe præſens,quatenus operatur ibi, vbi de facto reperitur præſens: ſed quærimus de conſequentia formali, vtrum ex operatione inferatur neceſſario ex vi operationis,præſentialitas Agentis. omnes aiunt conſequentia materiali Deum eſſe ibi, vbi operatur, eſt etiam de fide Deum eſſe in omni loco dominationis ſuæ:ſed controuerſia eſt,vtrū cōſequētia formali inferatur Dei præſētialitas ex eius operatione. D.Thomas ſuſtinet conſequentia omni, tum materiali, tum formali præſentem eſſe

vbi operatur. ita habet 1.p. q.8. art. 1. & ſequaces, de quibus infra. probatur autem hæc ſententia.

Prob. 2 Primo, impoſſibile eſt, vt Agens, agat vbi non eſt, præſertim ſi ſua ſubſtantia eſt actio, vel cũ ſubſtantia identificata; at Deus eſt principale inter agentia, cuiuſq; actio eadem eſt cum ſui ſubſtantia; igitur ex ſua operatione infertur præsẽtialitas. maior quoad vtramque partem de ſe patet: oportet enim Agens eſſe aliquo modo cum paſſo; igitur ſi nullo modo erit cũ eo, nec agere poterit: & quoad partem ſecundam eſt etiam de ſe clarum; omne .n. quodeſt ad intra eſt ipſe Deus.

3 Item præſentia agentis cũ paſſo quandoq; mediata erit, & aliquando immediata: primum prouenit vel ex voluntate nolendi immediatè coniungi paſſo, cum poſſit illi coniungi & ſecundo prouenit ex finita virtute eius, quæ tanta ſit, vt ex eius imperfectione non poſsit paſſo coniungi; quomodo in creaturis accidit, vt nõ poſsint quãdoque effectum immediatè attingere, niſi præuijs medijs. immediata verò præſentia vel inſuper proueniet ex vicinitate Agentis ad paſſum, vel item ex infinita virtute agendi: vt quamuis Agens ſit remotum, vel ſaltem non egeat vicinari paſſo, tamen ex altero capite proueniet immediata actiuitas, vt quia infinitæ virtutis eſt, & immenſæ: huiuſmodi autem eſt Deus: qui immenſitate ſua vicinus eſt omnibus, circa quæ operatur; ergo ex operatione habetur præſentialitas.

4 Confirmatur ex Ariſtotelis doctrina 7. phiſ. qui docet præſentialitatẽ Agentis ad paſſum eſſe omnino neceſſariam; atqui nullum agens eſt paſſo vicinius, quam Deus ipſe.

5 Et corroboratur fortiori argumẽto: velit, nolit Deus, neceſſario erit præſens paſſo, circa quod operatur; creando, conſeruando, & ſimilia, ergo elicitur neceſſaria prçsẽtalilas ex operatione. antecedẽs probatur; quia ſuppoſito Deum velle conſeruare hanc aulam, opus eſt, ſit ei præſens: alias præſentialitatem ſuam auferendo, cito rueret, & in puluerem abiret, iuxta pſal. 103. *auertente te faciem tuam turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum conuertentur.* quo fit, vt operatio cauſa ſit ſuæ præſentialitatis.

6 Inſuper nuſquam intelligitur præſens abſoluta præſentialitate abſq; aliqua operatione. probatur, quia dato quod alicubi eſſet per ſolam ſubſtãtiam prçſens, & non per operationem, ſequitur eſſe præſentem, & non præſentem: & ſequitur illud, cui eſſet præſens, habere eſſe, & non eſſe, quæ implicant: probatur vtrumq; quia terminus diuinæ præſentialitatis eſt quid reale; præſentialitas enim realis habet terminũ realem: realitas autem iſtius termini procedit ab ipſo Deo, vel creando, ſeu producendo illum, vel conſeruando, vel aliter diſponendo: vel vltra ab his capitibus poteſt pendere realitas alicuius, quia per hæc media terminus dicitur eſſe realis, præcipuè in creaturis: ſed Deus ex ſola ſubſtantiæ præſentialitate nihil producit, nihil conſeruat, nihilq; diſponit: facit autem omnia iſta per alium eſſendi modum .ſ. per potentiam, vt in artic. præced. potentia vero reſpicit operationem; ergo hæc eſt ratio faciendi Deũ alicubi ſecundùm ſubſtantiam præſentem: ex quo tandem infertur operationem inferre præſentialitatem.

7 Vlterius ex ratione prçſentialitatis Angelicæ deſumitur ratio præſentialitatis diuinæ: ſed Angelus ſit loco præſens ratione ſuæ operationis, ergo ſimiliter Deus: at ex operatione Angeli alicubi elicitur argumentum ad demonſtrandam eiuſdem præſentialitatem inibi, ergo ſimiliter ex operatione Dei.

8 Præterea quod agens corporeũ non ſit intimè præſens rei, circa quam operatur, ratio obſtantiæ eſt eius quãtitas molaris impediens intimitatem corporum, & penetrationem: at in Agente ſpirituali, in quorum ſpirituũ grnere excellit Deus, nulla reperitur talis implicantia; ſiquidem deeſt quãtitas impediens penetrationem, ergo operatio includit præſentialitatem.

9 Hoc idem conuinci poteſt ex ſcripturis. Paulus enim act. 17. ex operatione Dei concludit prçſentiam immenſitatis: dicit namq; *non longe eſt ab vnoquoque noſtrum*: & cauſam red-

dens

dens præſentialitatis, ait, *in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*: hæc verò ſunt operationes, vt viuere, conſeruari in eſſe, & operari. & confirmatur ex pſalm. 138. *ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernũ ades. ſi ſumpſero pennes mèas diluculo, & habitadero in extremis maris, etiam ibi tu es*: ratio autem cur ibi ſit, ait, *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*: cauſã ergo præſentiæ vbique aſsignat operationem, & deductionem, ſeu manutenentiam prouenientẽ ex dextera ſua. ſimilis eſt mens omnium Patrum, præſertim Anſelmi, qui cap. 21. monol. *ipſe enim*, nempe Deus, *citra vllam permixtionem omnia permeat, rebuſq; omnibus efficacitatem impertit*: hæc Damaſc. lib. 1. de fid. orthod. cap. 16. & Anſelm. ibid. *ſed quia aliquid ſine Deo, neq; vſquam, neq; vnquam eſt, neceſſe eſt illum eſſe vbiq; & ſemper.* & cap. 20. *quando eſt in vno loco, nullum bonum, & nulla eſſentia eſt in alijs locis, quia ſine eo prorſus aliquid nõ exiſtit.* & 22. 23. ſubdit, *quoniam nil ſine Deo poteſt aut eſſe aut conſeruari, dicere cogimur, Deum vbique, & ſemper eſſe.* idem in proſol. c. 19. Hilar. in pſalm. 124. ac fere omnes.

10 Item Deus eſt immediatè præſens immediatione virtutis, & ſuppoſiti, quo fit, vt à nullo diſtet: cùm hoc ſit eſſe immediatum immediatione ſuppoſiti.

11 Inſuper non poteſt vnionem hypoſtaticam cauſare abſque immediata vnione ſui ſuppoſiti ad naturam creatam: ergo neceſſario ex operatione habetur præſentia. anteced. prob. quia vnio hæc non eſt ſolùm vnio virtualis, ſed vera, & realis vnio naturarum diuinæ, & humanæ, cum vera præſentia reali diuini ſuppoſiti ſubſtentãtis: aliàs ſi ſufficeret virtualis, omnes quidẽ de facto ita vniremur, niſi quod obſtat præſentia proprij ſuppoſiti cũ natura: ergo operatio Incarnationis neceſſario includit præſentiam, non. n. poteſt aliter fieri.

12 Præterea non poteſt fieri trãſitus de extremo ad extremum abſq; medij pertranſitione, igitur actio indiſtans eſt impoſsibilis. prob. anteced. non poteſt fieri motus cõtinuus abſq; tranſitione medij, actio eſt quidam motus.

13 Denique ſi poſſet id accidere, ſequeretur Agens agere poſſe in quãcunque diſtantiam: ſequela eſt falſa. probatur autem id ſequi, quia mediũ impedit, quamuis in diſtans magis, ac magis, agere poſsit, ſed Agenti hoc medium non obeſt, cùm poſsit operari abſque eo in extremum, ergo poterit in quamcunq; diſtantiam.

14 Tandem ſi inter locum Agentis, & paſsi reperiretur vacuum, non poſſet actio prodire in extremum: vt ſi aer medians inter ſphæram Solis, & centrum Terræ eſſet vacuum, non poſſet recipi actio in centro, nec producerentur ibi virtute Solis mineralia, etiam ſubſtinendo Solem, & non accidentia ibi cauſare ſubſtantiam auri: quod ſignum clarum eſt debere eſſe propinqua.

ARTIC. II.

Quæ ſint rationes agendi, vel non agendi in diſtans, & remotum.

1 AGens poſſe, vel non poſſe agere in diſtans, & neceſſario, vel per accidens requirere approximationem, ex multiplici capite prouenire poterit. primo vel ratione ſitus, cui addictum ſit, & limitatum: ſecundo ratione limitatæ virtutis, per quam nõ poſſit extra ſphæram agere in diſtans. tertiò quia vel eadem virtute, eademq; ſpecifica actione agit in proximum, & remotum, vel diuerſa in proximum, & diſtincta in remotum. primum aſſignat Caetan. ſecundum aſſignant communiter omnes: & tertium aſſignat Scotus cum diſcipulis: explicantq; omnes proprium aſſignatumq; modũ, vt adeo reſtrictum ſit agens ſitui, & loco, vt extra illum, tanquam extra determinatam ſphæram nequeat agere, etiam ſi agens illud infinitum ſit: vnde aſſerit Deum, quantumuis infinitæ virtutis, ſi tamen ſitui limitetur, & reſtringatur,

Agens poſſe, vel non poſſe agere in diſtans, prouenit ex variis capitib.

operari nequibit in diſtans: hæc Caetan. in eod. art. ad D.Tho. quod vero ad modum ſecundum, facilius, & ſine contradictione id patet eſſe verum, ratio namq; limitans extenſionem virtutis ad operandum in diſtans præcipua eſt eiuſdē virtutis coarctatio: & quoad tertiū diſtinguit Scot. de duplici agendi virtute in agentibus: quandoq; n. eadem prorſus virtute agit in propinquum, & remotum, vt ſi ignis calefacere intendat partem remotiorem aeris, neceſſe eſt calefaciat prius partem aeris proximiorem: eadem namq; eſt virtus calefactiua remoti, atq; propinqui: quandoq; autem diuerſa virtute in propinquum agit, & diuerſa in remotum: vt alia virtute producit aurum, & alia calefacit aerem: illa namq; eſt vis ſubſtantialis, & hæc accidentalis: vnde concludit illa mediante agere in remotū, in viſcerib. terræ, & hac in propinquum, in medium aerem. ita docet in 1.d.37.q.1.& in 2.d.2. q.5.

Poſſe agere in propinquum ex varijs capitib. 2 Ex oppoſito autem ex iiſdem ferè capitib. poterit prouenire, vt agere poſſit ſemper in propinquum: primo ſi agens nulli ſit determinatum, vel affixum loco, ſed totam ſuæ actiuitatis ſphęram repleat. ſecundò ſi virtus eius ſit infinita prorſus, & illimitata. & tertiò ſi qua actione agit in proximum, agere quoq; poſſit in propinquum. ex his, inquam, prouenire continget ex modis recenſitis agens poſſe agere in remotum.

Caetanus impugnatur quoad primū dictum. 3 Verum hi modi vel non omnes ſufficientes ſunt, vel parum Ariſtotelicæ conueniunt doctrinæ: & primo, id, quod ait Caet. quod qua ratione agēs eſt in determinato ſitu, non poteſt agere in remotum, dupliciter peccat, primo, quia aduerſatur ipſi Ariſtoteli collocanti Deum in extimo cælo, & nihilominus tribuenti eidem virtutem ad agendum vbiq; & in proximum, & diſtans: cum.n. in lib. ad Alex. referret Antiquorum ſententias circa Deum, ait, *vetus fama eſt vniuerſa à Deo, & per Deū nobis eſſe conſtituta; qua propter veteres nonnulli adducti ſunt, vt dicerent hæc omnia Deorum eſſe plena;* ſubdit inde ex proprio marte *diuinæ excellentiæ magis conuenire, vt in vno, ac ſupremo loco reſidens, omnia inde conficiat.* hæc Ariſt. patet igitur mentem eius eſſe, quod etiam ſi adſtringatur determinato ſitui, poſſet nihilominus omnia gubernare, licet diſtantia. Dices pro Caet. eum fuiſſe loquutum, vt decet Theologum, nulli quidem determinato loco adſcribentem Deum; quod non egit Ariſt. vt minus Catholicæ veritati conueniens. Hoc quidem bonum eſt, Deum vbiq; locorum collocare, vt decet, & veritas docet, at de vi illationis philoſophicæ loquimur, & contendimus, vtrum quia agens eſt in determinato ſitu, ideo non poſſit agere in diſtans: & hanc quæſtionem ibi tacitè decidit Ariſt. docens poſſe agere in diſtans, etiam ſi determinatum ſibi vendicet locum, quomodo Deum gubernare omnia aſſerit, & nihilominus ipſum particulari, ac determinato adſcribit loco; ergo ex naturali ratione non conuincitur determinationem ſitus impedire actionem in diſtans.

4 Peccat ſecundò, quia dum agens eſt in ſua ſphæra poteſt non occupare totam ſphæram, & poteſt inſuper in totam agere ſphæram, etiam in remotam, & extimam partem ſuæ ſphæræ: aſſumptum de agentib. ſpiritualib. verum eſt, Angelus namq; ſi pro ſphæra adæquata habeat totam hanc aulam, vel totum hoc clauſtrum, nō erit opus vt totam repleat; immo quia ſpiritus eſt, ad eius vniuerſas partes non extēditur dimenſiuè veluti corpus: ſufficit namq; virtutem ſuam extendi terminatiuè: & cum potens ſit ſe determinatæ parti definire, agere quibit in extimas totius clauſtri partes, agendo ab extremo ad extremum. Nec diſtantia impediet; non.n. dicitur eſſe diſtans, dū namq; intra ſphæram eſt, vnicuiq; parti ſphæræ præſens eſt, & agendo ab extremo ad extremum, dicitur ſemper agere in propinquum in ordine ad ſuā virtutem; licet namq; pars hæc aeris ſit Angeli exiſtentiæ propinquior altera parte remotiori, tamen ſpectando non ſolam eius exiſtentiam, ſed præcipuè virtutem, dicetur ita ſibi vicina pars aeris, & loci extremi, ſicut pars prima, & propinqua; quia præſentia virtutis ſuæ non magis reſpicit de propinquo vicinum aerem, quam remotū intra ſuam ſphæram: & confirmatur, *Impugnatur quoad ſecundum.*

quia

quia dum loquimur de Angeli reſtrictione,vel ampliatione,quęrendo vtrū poſſit minorem,maioremue locum ſuę ſphæræ definire, non agitatur quæſtio de Angeli exiſtentia, quæ cum indiuiſibilis ſit,nec ampliari poterit, nec reſtringi, ſed loquimur de propria eiuſdem virtute, qua intra ſphæram agere poterit,etiam in remotum, ob rationē prætactam, quia etſi præſens non eſſet ſecundum exiſtentiam omnibus ampliſſimi v.g. loci partibus, quia finita eſt,& inextenſibilis,tamen præſens eſſet ſecundum virtutem, ideoq; hac ratione erunt omnia exiſtētia intra propriam ſphæram ſibi propinqua. Applicando autem ad Deum,ipſe quidē pro ſphæra actuali habet totum orbem, iuxta illud Oſeæ *cælum, & terram ego impleo*:dixi actualem,quia de facto hęc minor eſt virtute ſua infinita, cui infinitati deberet correſpondere ſphæra infinita: & nihilominus, cum actualis, & definita ſphæra ſit Orbis, præſens erit eidem Orbi, vel per præſentiam ſuæ exiſtentiæ, vt de facto eſt, vel per præſentiam virtutis:ſi primus præſcinderetur modus, poſſet remanere ſecundus: & ſic in determinato ſiſtens ſitu,operari diceretur, vt dixit Ariſt.in in diſtans.

Impugnatur tertio.

5 Deniq; controuerſia, quam habuit Ariſt.cum Antiquis ſupra relata, id confirmat: retulit enim opinionem dicentium Deum eſſe vbiq; & omnia eſſe plena Dijs ipſis,quia omnia regūtur ab ipſis Dijs,& vt melius diſponātur vniuerſa oportere vbiq; Deos reperiri:confutat hos Ariſt.& ait nō eſſe neceſſe, nec plures in Mundo Deos conſtituere, minuſq; Dijs Mundum replere,nec etiam eſſe opus Deum ipſum in omni præſentem colloeare loco; quia & ſi in ſupremo Cęlo tantum collocaretur,poſſet ritè omnia gubernare: vbi aduertēdum, quod licet Dei exiſtentiam collocarit in particulari, ac determinato ſitu Cęli, tamen iuxta ſuam virtutem exiſtimauit fore præſētem vbiq; & ita poſſe cuncta gubernare, atq; concludit præſentiam virtualem ſufficere in Agente,& quod ſecundùm abſentiam ſubſtantialē poſſit agere in diſtans, mediante tamen præſentia virtuali.idq; idem Ariſt. exemplificat de Rege Perſarum habente ſedem in Vrbe Regia, non autem in omnib. eius Ciuitatibus,& in fine cap.9.lib.1. de cœlo Deum poſuit extra cœlum.& 8.phyſ.t.84. collocauit eundem in circumferentia mundi, non in medio. & primo cęl. approbat commune omniū axioma tribuentium Deo ſedem in cœlo.Dicunt Aliqui Ariſtotelem collocaſſe Deum in particulari ſitu ratione alicuius præcipuæ operationis,quā ibi, vel inde exercet, collocaſſe autem ſecundùm ſubſtantiam eundem Deum vbiq; locorum. At hæc euaſio fallax eſt, & gratis allata; conſtat namq; expreſsè ex dictis collocaſſe illum ſic ratione eſſentiæ: quod facilius conuincitur ex allata diſputatione cum Antiquis, vbi poſtquam retulit Antiquos ſtatuiſſe Deum vbique ratione operationum vbique receptarum, aliter ipſe opinando dixit,magis diuinæ excellentiæ conuenire, vt in vno loco exiſtens, omnia inde perficiat: ex confutatione igitur ſententiæ Antiquorum, & ex oppoſita eius ſententia patet in determinato ſtatuiſſe præſentiam eius loco. nec circa operationem controuerſia erat inter ipſum, & Antiquos: ambo namq; conuenere,vt cuncta gubernet, ſed lis oriebatur circa ſitum ipſius Dei, quem vt Antiqui tribuerāt Deo totum Orbem,ipſe tamen illi tribuit cœlum. hæc de Caetano.

Ariſtoteles collocauit Deum ſecundùm eſſentiam in loco determinato, at ſecundū potentiam vbiq;

Suarij impugnatio quoad ſecundū modum.

6 Secūdus aſsignatus modus,quo Agens nequeat agere in diſtans, proueniens ex finitudine virtutis impugnatur à Suarez in metaph. diſp. 30. ſect.7. num.12. quod inde ſequeretur eandem rationem impeditiuam militare in omnibus agentibus, maioris,& minoris indiſcriminatè virtutis: & ita ſicut Angelus virtutis finitæ eſt, ita homo, lapis, planta: & omnia hæc ratione limitatæ virtutis agere nequeūt in diſtans:ex quo ſequitur eandem militare rationem in his omnibus, quod eſt falſum:quia lapis limitatiorem virtutem habet,quam planta vegetans,& hæc imperfectiorem quàm homo, & homo quàm Angelus: cùm ergo in participatione finitæ virtutis ſeruetur proportio, vt vnum altero ſit finitius, non poterit pro vniuerſis eadem aſsignari ratio finitæ virtutis. Addit, quod

quod forma licet infinita eſſet, nihilominus eius infinitas non ſufficeret ad agendum,abſq; propinquitate ad materiam: & multo minus, inquit, agere in diſtans conuenit Agenti,etiam infinitæ virtutis;quia & ſi agere in diſtans dicat perfectionem, non tamen dicit perfectionem ſimpliciter, quia perfectius eſt eſſe indiſtãs, & appropinquatum effectui, quàm habere talem virtutem.

Suarij impugnatio eluditur primo. 7 Verùm circa impugnationem ſecundi modi facillimè ſoluitur eius ratio: & quoad rationem impeditiuã procedentem ex finita virtute Angeli, & hominis, ac cæterorum, dicendum vnam, eandemq; eſſe virtutem omniũ fundamentaliter, & remotè conſideratam, proximè autem inſpectam, non eſſe in omnibus in eodem gradu, ſed maiorem, minoremue: ex quo ceſſat eius ratio: fundamentaliter namque quatenus entia creata ſunt, erũt limitata, & finita: & in hoc reperitur conuenientia: ſed non propter hoc debet negari finitatem impedire omnia hæc ab actione indiſtans;quia alterum magis, & minus alterum impeditur in agendo, proximè quidem, & ratione formali:quomodo,nõ propterea quod quantitas, & commenſuratio competit etiam plantę,& lapidi,neganda erit homini in ordine ad exiſtendum in loco, & occupando locum: quomodo etiam defectibilitas,quia competit vitro,citius omni alio fractioni obnoxio, non propter id neganda erit ferro, & magneti duriſsimo: vna namq; eſt fundamẽtalis ratio defectibilitatis,& corruptionis amborum, nempè natura dependens,cõtingens,creata, corruptioni obnoxia,& ſimiles,ſed ratio proxima non poſsidetur in pari gradu ab omnibus, cùm proximius corruptioni ſit vitrum, & fractioni, quàm ferrum, ita ratio finitæ virtutis erit vna, eadẽque fundamentalis tùm lapidis, hominis, tùm & Angeli, vt non agant indiſtans, licet ratione proxima vni magis conueniat, & minus alterij: quare attenta operatione erunt ſic impedita, reddendo ſingula ſingulis.

Refellitur ſecundo. 8 Circa id, quod addit de forma, quod ſi eſſet infinita non ſufficeret informare, niſi eſſet propinqua; contradictionem inuoluit, dato namq; formã eſſe infinitam extenſiuè ſubito dandum erit eam eſſe indiſtantem à materia: quod probatur; quia aut infinitas illa erit intenſiua,aut extenſiua:ſi detur ſecundum, igitur indiſtans erit à quacunq; materia, quia vbicunq; collocetur materia, infinitas extenſiua formæ eam neceſſario attinget: ſi primum,cũ infinitas virtualis ſit virtus potens *attingere omnia à fine vſq; in finem*,& cũcta tali infinitæ virtuti ſubiaceant, neceſſariò etiam erit vt ſic, vicina materiæ:quare idem eſt dicere eſſe formam infinitam,ac eſſe vicinam: & licet formales rationes infinitatis, & vicinitatis non ſint idem ex natura rei, nihilominus ſe habent velut principium, & paſſio ſequens,aut velut cauſa, & effectus; quia vicinitas erit veluti paſſio, aut effectus pullulans ex infinitate, & neceſſario conſequens ex ea: in corpore,n.v.g.infinito,extenſio infinita erit radix, qua corpus illud erit propinquũ,& vicinum cũctis: ſi intenſiua, vtiq; infinita intenſio virtutis erit fundamentum,quo cuncta operari poſſit, attingere, moderari, & producere: & quia ad infinitatem ſequitur immenſitas,inde ſit,vt coexiſtendo cunctis, ſit quoque cunctis vicina. quare concludendum, quod ſicut finitas cauſa eſt diſtantiæ, ita infinitas indiſtantiæ: & ceſſat ratio de forma.

9 Et id,quod ſubdit agere in diſtãs non dicere perfectionem ſimpliciter: *Refellitur tertio.* id apparet non eſſe verum: ratio nãq; qua hoc agens creatum agat circa tãtam diſtantiam dicit perfectionem: patet ex oppoſito, quia non poſſe agere denotat imperfectionem: item quod aliud agens poſſit circa maiorem diſtantiam dicit maiorem perfectionem, & quod aliud circa maiorẽ vltra, maiorem, vlterioremq; connotabit perfectionem:ergo quod reperiatur agẽs, quod poſſit ſuper diſtantiam infinitam connotabit perfectionem infinitã: hæc autem eſt perfectio ſimpliciter. Confirmatur,quia ad creandum aliquid de nihilo requiritur facultas infinita: ſed reperitur diſtantia infinita inter creaturam,& nihil,ex ſententia Henrici,& Richard. Inſuper ſpectata ipſa actio protenſa in infinitam diſtantiam, cum ſit *Vtrũ agere in diſtãtiã infinitam dicat perfectionẽ ſimpliciter.*

ſit relatio quædam,abſtrahet à ratione perfectionis ſimpliciter terminatiuè; præcipuè cum ſit relatio Dei ad extra:at conſiderata fundamentaliter, & originatiuè, reperiet in ipſo Deo virtutem infinitam,infinitatem,perfectionem infinitam,& infinitam potentiam: quæ omnia,tanquam in radice, & fundamento explicāt ex perfectione ſimpliciter operari primarium agens in infinitam diſtantiam; tum etiam, quia finita virtus creaturæ ſuper eam non poteſt, & quod deniq; concludit, multo melius eſſe agens eſſe propinquum omnibus ſuis effectibus; vtiq; hoc bonum eſt, ſed reperitur quid anterius eo, & melius eo; id autem eſt infinita virtus: anterior quidem,& perfectior: quia vt dixi, ipſa eſt cauſa, & origo, qua idem infinitum agens reperiatur proximum, & coniunctum effectib.

10 Tertius autem modus omnibus abſolutior eſt, atq; ſufficientior, quia per optimè explicat vnde agens in diſtās agere cogatur, & vnde poſſit agere,& debeat in vicinum.

Cauſa propter quæ Agens non poſſit agere indiſtās

11 Sed explicemus amplius vnde id poſſit prouenire. Dicimus ergo cōcludēdo ex dictis: applicationem præcisè ad determinatum ſitum non eſſe in cauſa, vt agens non poſſit agere in diſtans,quod demonſtratū eſt, & oſtēdetur amplius in ſequ.inſuper dicimus fundamentum, & radicem eſſe finitudinem,& limitationem virtutis, quia ſicut infinita dicitur ratio eſt agendi in diſtans, ita finita facultas erit impeditiua actionis indiſtans, vt etiā demonſtrauimus, & amplius patefiet. Vlterius aſſerimus id prouenire ex ordine, & continuatione Vniuerſi: quæ continuatio expoſtulat, vt non agat indiſtans, niſi per medium: ideoq; natura abhorret vacuo, quia dato vacuo in aere, non poſſent Cœli influxus recipi in Terra; eſt namq; determinatus ordo vt prius recipiātur in medio: ideoque dixit Ariſt. 1.meteor.*oportere mūdum inferiorem ſuperioribus lationibus contiguum eſſe*: ergo naturæ ordo hic eſt,vt Agens influxus ſuos prius communicet vicinis,quàm lōginquis.Præterea id eueniet ex imperfectione Agentis: ſi enim creatum eſt, non poterit formam imprimere, niſi præuijs diſpoſitionibus, quæ viciniores erunt, & forma longinquior. & ſi operationes ſint perceptibiles tùm in medio, tùm in remoto, prius recipientur in medio propter ordinem naturę,& imperfectionem Agentis non valētis ſuperare medium: ſi verò ſint ſolùm in remoto receptibiles, producet eas in diſtans, vt creatio Orbis antequam eſſet, operatio per ſolam voluntatem diuinam, potentem omnia indiſtans, loquutio Angeli ad Angelum etiam diſtantem: & denique infinita perfectio ipſius Agentis, valentis per infinitam virtutem ibi agere, vbi non poteſt finitum. hæc quidem capita per ſe clarè oſtendunt quale agens poſſit,vel nequeat agere indiſtans, & quæ ſint originaria, ex quibus concedi, vel denegari poterit actio indiſtans. ſed expendamus amplius ſingula capita reſpondendo ſucceſſiuè ad quæſitum.

Agens, & paſſum debent eſſe ſimul,declaratur.

12 Quod antequam fiat, ſupponendum eſt, axioma Ariſtotelicum, *Agens,& paſſum debere eſſe ſimul*,ſemper veritatem cōtinere,itaut nuſquam ſeparetur ſimultas inter ea: quod autem ea ſemper foret mathematica in corporibus,& ſpiritualis contactus in immaterialibus, non eſt neceſſe ex vi actionis,niſi foret id neceſſarium aliūde, vt dicam; fore autem ſimultatem ſemper ſaltem virtualem, id omnino neceſſarium eſt actioni, qua actio eſt, pendens ex applicatione virtutis Agētis ad paſſum: & ſic propoſitio iſta, Agens quatenus agens debet eſſe indiſtans à paſſo, verum, & completum habet ſenſum de indiſtantia ſaltem, & præſentia virtuali, per accidens verò eſt, vt habeat indiſtantiam ſubſtantialem, quomodo clarè deductum fuit ex Ariſt. ex vi etiam actionis ſufficit eadem virtualis præſentia; quia licet aliunde adhibeatur præſentia exiſtentiæ, id nō neceſſario requiritur ex vi actionis,cū ſufficiat virtualis:quod apparet vel in Agentibus imperfectis non valentibus ſupra remotum, niſi per vicinū: vel ex ordine vniuerſi, vt diximus: vel ſi Agens perfectum eſt, vt Deus; pręſentia in ſe exiſtentiali erit per accidens ad actionem, quia ratione immenſitatis, qua replet omnia, eſt in agendo præſens: ſufficit verò ex vi

actio-

actionis præſentia virtuali attingere vniuerſa, licet de facto ſit præſens vbi operatur.

Illationes per conſequẽtias formales, & materiales

13 Hinc fit demum, vt recurramus in tali negotio ad conſequentias materiales: quia arguendi modus fallacias continet, & impedit cognitionem veritatis: multa namq; ſequuntur ex principijs conſequentia ſolùm materiali, quæ tamen concludi nequeunt conſequentia formali: vt in hac, Petrus eſt albus, quia eſt quantus. Franciſcus eſt quantus, quia eſt ſubſtantia: rationes conſequentiales non ſunt formales; non enim formalis cauſa albedinis eſt quantitas, ſed qualitas, vnde albus eſt, quia habet qualitatem albedinis, & eſt quantus, quia habet quantitatẽ; forma namq; eſt, quæ denominatione formali denominat, & ſpecificat ſubiectum, in quo eſt, at per quantitatem quantus, & per albedinem dicitur Petrus albus: cauſalis verò deſumpta vel ex quantitate in ordine ad albedinem, vel in ordine ad qualitatem deſumpta ex quantitate, erit ſolummodo materialis: & eſt ſenſus; ad faciendum Petrum album prærequiritur quantitas; quia ipſa eſt proximum fundamentum qualitatis: & ad reddendum ſubiectũ quantum requiritur præcedens ſubſtantia, cùm ipſa ſit primarium fundamentum quantitatis; ergo arguere ab his fundamentis materialibus, tanquã à fundamento formali, ſeu ratione formali cõmittitur fallacia: eruntq; conſequentiæ tales, ſolùm materiales, non formales: qui explicandi modus etiam intelligentiæ Patrum, & Scripturæ aptiſsimus eſt, & neceſſarius: præcipuè in moralibus tractationibus ſpectantibus ad gubernium, & ſalutem: in quibus vt plurimum cõſequentiæ eſſe ſolent materiales, quia facilius percipiuntur à Rudibus, quàm conſequentiæ formales, quæ expoſtulant altiorem captum: hinc conſequentia hæc, Deus operatur hic, ergo eſt hic, deducenda ex ſcripturis, & Patribus, non erit formalis: vt namque facilius caperetur Deum eſſe vbiq; à Rudibus, arguebãt ab operatione; qui arguendi modus facilior, & intellectui aptior eſt; attamen id nõ infertur ex vi abſolutè operationis, cùm ſit materialis, vt dicemus; primuſq; loquendi modus eſt theologicus, quo ex Dei operatione hic, infertur eius præſentialitas hic: ſecundus autem eſt metaphyſicus, ad quem ſenſum diſputat Scotus aſſerens ex operatione Agentis alicubi nõ inferri conſequentia formali præſentialitatem, eius ibi, cùm poſsit operari indiſtans, vt in ſequentib.

Illatio præſentialitatis Dei ex operatione eſt theologica, & in conſequentia materiali: non autẽ præcisè metaphyſica, & conſeq. formali,

---

ARTIC. III.

Ex operatione Agentis alicubi non ſequitur conſequẽtia formali pręſentia ſuæ exiſtentiæ.

1 NVnc vero ſoluendum eſt quæſitum, & decidendum quid verius appareat in controuerſia præſenti. quapropter aſſerimus ex operatione alicuius alicubi non inferri ſemper, & neceſſariò præſentiam exiſtentiæ eius, vel ſi infertur, non tamen inferri conſequentia formali. Concluſio remanet declarata artic. præced. & ex parte probata: ſed ampliora afferamus ad eam magis ſtabiliendam, ex cuius oppoſito concluditur benè ſequi poſſe conſequentia materiali præſentiam agentis cum ipſo paſſo.

Ex operatione non ſequitur conſequentia formali præſentia Agentis.

2 Primò autem loco, vt videatur ſententia hæc ab Ariſtotele deſumi, & eſſe omnino perhypateticam recolenda eſt diſputatio inter ipſum orta, & Antiquos circa Dei ſitum, & locum: qua in concertatione l.2. ad Alex. refert antiquos cenſuiſſe totum orbem eſſe Dijs plenum: & rationem aſſignãtes dicebant, ita conuenire ratione gubernij, diſpoſitionis, atq; cõſeruationis eiuſdem Orbis: quapropter cum in toto orbe operarentur Dij, concludebant ſedem Deorum eſſe totum orbẽ. hi ergo ex operationibus Deorum inferebant præſentiam eorundem, quos etiam ex Theologis multi ſequuntur.

Veterum ſententia de ſede Dei.

3 Non placuit Ariſtoteli hoc ipſorum

Sententia Ariſtotelis collocantis Deū in determinato loco.

ſorum placitum : immo in contrarinm abieus docuit melius conuenire diuinæ excellentiæ ipſum collocare in aliquo aſſignato loco, quam in toto orbe:& ita agendum docuit,quin potius ipſe Deum ſtatuit in extimo cælo, & ſubdit, quod ibi reſidens cuncta gubernare poteſt,& moderari.verba eius ſunt, *vetus fama eſt vniuerſa à Deo, & per Deum eſſe nobis conſtituta:quapropter veteres nonnulli adducti ſunt, vt dicerent hæc omnia Deorum eſſe plena*: ſubdit autem ipſe ſuam ſententiam, *diuinæ excellentiæ magis conuenire, vt in vno,ac ſupremo loco reſidens,omnia inde conficiat.* hæc Ariſt. Attendamus quæſo mentem eius, & apparebit ex operatione Dei uon forè neceſſarium inferre eius præſentialitatem: qui tamen operationem admiſit à Deo procedētem circa gubernium orbis, quæ nihilominus demonſtrabat ipſum Deum abſentem ſecundum præſentiam exiſtētiæ, cum collocauerit eum in ſupremo cælo, & oſtendebat inſuper præſentiam ſolum virtualem, qua attingebat omnia etiam à cælo diſtantia, vbi Denm collocarat tanquam in ſede; igitur ſententia noſtra aperta eſt in via Ariſtot.

Affertur euaſio.

4 Scio duplici euaſione occurri ad hanc authoritatem: prima eſt, negando librum illum eſſe Ariſtotelis, & conſequenter ſententiam non eſſe perhypateticam: ſecunda,& ſi ſuus ſit liber, tamen mens eius fuerit nou abſolutè collocare Deum in ſolo cœlo, cùm collocaſſe ceuſendum ſit in toto Orbe, ſed collocaſſe ibi ratione alicuius præcipuæ operationis perfectioris, vel ratione nobilitatis ſitus, vt inde pateat ſua maior perfectio, quod etiam pro ſitu habeat ipſum cœlum. ita D.Tho.

Refellitur.

5 Sed tamen vtrumq; impugnatur eſſe. & primo licet concederetur Authorem libri non fuiſſe Ariſtotelem, tamen illud, quod tali libro continetur, reperitur repetitum ſæpè ſæpius alibi ab eodem Ariſtot.nam in 8.phyſ. 84. collocauit Deum in circumferentia non in medio: ergo conſtat ex libris,qni ſunt certè eius,eadem ſententia, quæ ſibi tribuitur in libro ad Alexand. item in l.1.de cœl. cap.9. poſuit Deum extra cœlum, in extima ſuperficie cœli.& ibid.t.22. approbat commune axioma aſſerentium Deum habere ſedem in cœlo. & 2.cœl. t. 66. & 2.de gener. t.59. corpora, quæ à Deo diſtant aſſerit eſſe mortalia: ergo mens eius clara eſt,ſaltim in libris,quos cōſtat eſſe ſuos, ſtatuiſſe Deum in determinato ſitu. De ſecundo etiam, aperta mens eius eſt, tribuiſſe eidem in eo determinato loco vim producēdi omnia, & ſingula indiſcriminatim; in lib. enim primo cęli c.9. aſſerit à Deo cæteris rebus vitam prouenire: quod ſi vitam inde tribuit,addat quoq; conueniens eſt quidquid ad vitam capeſſendam, conſeruandamue foret neceſſe, ſi vellet eam conſeruare. immo inter ipſum, cæteroſq; diſputantes non erat controuerſia de operationibus, perfectiorib. vel minus perfectis,quia ſimul conuenerant circa hoc, ſed concertatio erat de loco,& ipſe ſtatuendo cęlum pro loco, ſubdit etiam inde gubernare omnia, & perficere vniuerſa.

Probatur rationib.

6 Arguitur inde rationibus,& primo ſumo argumentum ex ſpatio imaginario: nec vtor ratione Scoti deducta ex ijſdem ſpatijs imaginarijs, quia cum nitatur ſuper fundamento, quod pleriq; negant, minus eos conuincet; ipſe namq; arguit, Deus operatur vbi non eſt, ergo poterit operari in diſtās. probant antecedens, quia operatur in ſpatijs imaginarijs, vel poterit operari,ſicut ante mundum, in eius creatione operabatur, in eo tamen imaginario,ac ficto ſpatio non eſt. Negāt Aduerſarij Deum in ſpatijs illis non eſſe: ſicque ſoluunt argumentum, ſed de hoc infra. Poſſumus tamen ſic fortius argumentari: ſiue conceſſeris Deum eſſe in ſpatio illo,ſiuè non eſſe,abſolutè ſequitur poſſe operari ibi, ergo ex operatione non habetur præſentialitas. probatur ſeq. ſcimus Deum operatum fuiſſe in ſpatijs illis in Mundi creatione, ergo vel antequam operaretur erat præſens, vel non præſens: ſi dederis ſecundum, igitur habeo intētum,quod operatus fuerit vbi nō erat, & ſic indiſtans: ſi primum : ergo prius erat præſēs,quam operaretur; ex quo ſequitur operationem non eſſe cauſā præſentiæ,quia prius erat præſens.hoc

argumentum currit in omni opinione de ſpatijs imaginarijs. & ita vnuſquiſque, etiam oppoſitæ ſententiæ de ſpatijs, vrgetur hac ratione. peto namque aut cōcedis Deum ante operationem in ſpatijs fuiſſe præſentem, aut negas: ſi negas, igitur operabatur indiſtans, & vbi non erat: ſi conceſſeris, igitur prius erat præſens, quàm operaretur.

Caetani reſponſio retunditur

7 Diceret Caetan. operationem facere Deum præſentem, & eſſe rationem *qua* præſentialitatis. ſed conuincitur, quia per te prior eſt operatio, quàm præſentia. & ſe habet per ipſum operatio ad præſentiam, tanquam *quo* ad *quod*: ergo concluditur, quod prius operatur, quàm fiat præſens; ergo in illo priori non eſt præſens, ſed diſtās, & ſic vt diſtans operatur: hoc non poteſt ipſe ſubterfugere: quod eſt validū argumentum contra omnes.

8 Ratio autem ſit principalis, & formetur ſic. admittunt Aduerſarij operationem eſſe cauſam præſentiæ, quia illa eſt prior iſta: ergo abſentia præcedit operationem, & ita operatur indiſtans. conſequens aperte ſequitur. & ſit clarius, iſta admittenda ſunt per ordinem ex ipſis, in primo ſigno eſt eſt operatio, & in ſecundo eſt præſentia: ergo addendum eſt aliud anterius ſignum præcedens, quod erit abſentia eſſentiæ, ſi enim nunc operatur, & ex operatione habetur præſentia, ergo in operando habetur abſentia præcedēter, & ita operatur indiſtans. Confirmatur, quia ex eod. Caet. præſentia eſt effectus formalis operationis, ergo nō habetur, niſi habeatur operatio, ſed ex hoc ſequitur ante operationem eſſe abſentem. Inſuper in primo ſigno habetur abſentia operationis, & abſentia eſſentiæ, & per te prius habetur operatio, quàm præſentia. ergo abſentia in operando præcedit præſentiam, igitur operatur vbi non eſt. hoc argumēto neceſſitantur concedere noſtram ſententiam.

Reſpondet, redargui tur.

9 Dicet Caet. operatio, & præſentia ſunt vnum & idem. & habendo vnū habetur & alterum. At licet id conceda tur, non tamen reperitur inter ea omnimoda identitas; vel namq; diſtinguuntur formaliter: vel aliunde non ſunt idem, cùm eſſentia Dei, & relatio ad creaturas ſint omnimodo diuerſa, cum eſſentia ſit quid reale, relatio ad extra ens rationis. multo magis id patet verum in Agentib. creatis, vbi intellectus præſentia non eſt intellectio, & Agens non eſt actio: quod ſi in diuinis ſad intra concedatur identitas, id aliunde prouenit, ex radice infinitę eſſentiæ identificantis omnia; attamen nec ibi erunt omnino idem, cum ſaltē vel formaliter diſtinguantur, vel ratione, iuxta Doctorum placita. hoc igitur dictum eius non obſtat, propter diſtinctionem repertam. Inſuper quidquid ſit de diſtinctione, tamen ordo, quem admittit eſt contra ipſum, & ſequaces; quia dum operatio eſt ratio, & præſētia id, cuius ratio: dum etiam concedit vnum altero priorem eſſe, concedat neceſſe eſt, quod in operando habetur abſentia præcedēter, quamuis habeatur præſentia ſubſequenter.

Præſentia, & operatio an idē.

10 Ex quo formari poteſt ſic ratio, præſentia habetur conſequenter ad operationem, ergo habetur abſentia antecedenter ad eandem operationem; primum ipſi concedunt, & conſequens neceſſario infertur, quia vbi non habetur præſentia, habetur abſentia, ſed antecedenter ad operationem non habetur præſentia, quia habetur conſequenter, ergo antecedenter ad operationem habetur abſentia: ſicq; ſequitur haberi operationem in abſentia eſſentiæ, & conſequenter operabitur Deus vbi non eſt. Dicent, operationem, & præſentiam, quatenus vnum, & idem ſunt, ſimul ponuntur, & nuſquam habetur abſentia, ſed poſita operatione ponitur præſētia; verum, ad identitatem iam diximus quomodo poſſit locum habere; & ad illationem vnius per alterum, mihi videtur falli in nolendo apprehēdere rationes, & cauſas talis illationis; verum eſt namq; operationem diuinā admittere præſentiam diuinam, & cum vnum admittitur, apponitur alterum; at tamē videatur ſi vnum ſit ratio formalis apponendi & alterum; multa namque ſe inuicem conſequuntur, ſed non ſemper conſequentia formali: vt eſt creatura, ergo eſt in loco; benè ſequitur, quia omnis loco comprehenditur, & nulla eſt ſine loco: at non ſe-

Cauſa illationis nō æquales.

qui-

quitur conſequentia formali, quia de de ratione creaturæ non eſt eſſe in loco; nullum enim poſterius eſt de eſſentia prioris, & nullus reſpectus eſt de eſſentia ſubſtantiæ, locus autem connotat reſpectum, & quid poſterius ad creaturam; tum etiā, quia poteſt Deus creaturā conſeruare ſine loco; à ſimili operatio facit de facto Deum præſentem, at non eſt ratio formalis præciſa, & nec de ratione præſentiæ eſt operatio, ſicut nec præſentia de ratione operationis ſecundùm ſe præcisè ſpectando hæc omnia metaphyſicè.

Ex operatione infertur theologicè præſentialitas Dei.

11 Quocirca loquendo de facto verum eſt, maximè loquendo theologicè, quod vbicunque operatur Deus ibi eſt; ſiue namque operetur in ſpatio imaginario, ſiue in vero, & reali, ſemper ibi eſt, vt pro nunc concedam Cōtrarijs vtramq; poſitionem, de qua tamen in quæſt. ſeq. at præſentia hæc tāquam ex radice prouenit ex immenſitate; quatenus namq; eſt immenſus, ſibi competit cuncta replere loca; & hæc eſt prima, & primaria radix ſuæ præſentiæ; quapropter concedimus quoque quod vbi operatur, ibi eſt, attamen operatio non erit formalis radix præſentialitatis; ſed immenſitas, qua replet omnia. tum etiā, quia rueret Vniuerſum, ſi deſineret præſens eſſe Deus; quod quidem eueniret, tum quia Deus nullam haberet operationem conſeruando illud; tum etiā quia deficeret ſua præſentia, quæ primo prouenit ex immenſitate.

Operatio non eſt prima radix præſentialitas.

12 Vnde probè argui poteſt, ſi nō eſſet præſens alicubi, poſſet operari ibi; igitur operatio non eſt prima radix præſentialitatis. conſequ. patet, & antecedens ſequitur ex dictis, præcipuè de ordine contra Caet. quia operatio eſt ratio præſentiæ, ergo ante operationem non habetur præſentia, ergo in operando operatur in abſentia; ſequitur, quia præſentia habetur poſt operationem, ergo cùm operatur non eſt præſens, ſed erit præſens poſt operationem: & ita operabitur indiſtans, quod hucuſque deduximus, & hinc ſequitur antecedens argumenti, quod ſi; eſſet abſens, poſſet operari indiſtans.

13 Confirmatur, quia Ariſt. collocauit eum in determinato loco, ex textib. recenſitis: & nihilominus admiſit operari omnia: ergo ſtat antecedens ratione ſuffulctū, & auctoritate, quod ſi eſſet ſolum alicubi, poſſet operari vbi non eſſet. Reſpondet Caet. implicare contradictionem eſſe omnipotētem, & eſſe in determinato loco; quia ratione primi poſſet operari omnibi, & ratione ſecundi non poſſet agere vbiq; Sed gratis hoc ipſe dicit, ſufficit namq; omnipotentiæ, vt poſſit operari omnibi, quia determinatio ſitus non obeſt, cum eius virtus omnipotēs poſſit attingere omnia, & ſupplere defectum ſitus, & loci. Hoc namq, præſentijt Ariſt. & nihilominus ipſum nō deterruit, ſed audacter collocauit in determinato ſitu, & ſufficiebat ſibi tribuere infinitam virtutem, qua attingeret omnia.

Caietani euaſio, refellitur.

14 Inſuper omnipotētia, qua Deus operatur eſt ſuamet volūtas, quidquid ſit de potentia exequutiua, ſed voluntas eſt magis abſtracta in operando, quam potentiæ cæteræ, ergo agens per ſolam voluntatem erit minus indigens medio, & propinquitate, ſic vero agit Deus: minor probatur, eſt namq; magis abſtracta quam intellectus, nā hic in intellectione vnius relatiui neceſſe eſt vt intelligat & alterum, nec vnum abſq; altero percipere poteſt, vt in c. de relat. at volūtas amarè, & velle poteſt vnum relatiuum ſine altero, ergo eſt magis abſtracta quam intellectus. eſt etiam abſtractior ſenſu, namq; pes corpus ducere nequit ad extremum, abſq; eo quod ducat ipſum per mediū, voluntas autem quandoque vult extrema, abſq; medijs, ergo eſt abſtractior cunctis: hinc fit vt quod eſt medium potentijs alijs, non ſit neceſſario mediū voluntati. ex hoc arguitur, quod eſt neceſſario medium virtuti inferiori non eſt neceſſe vt ſit medium virtuti Superiori, præcipuè quando virtus eſt infinita: ſed mathematicalis, & ſitualis coniunctio eſt quandoq; neceſſarium medium agentibus creatis, ergo non debet eſſe neceſſariò medium virtuti diuinæ. maior probatur, tum quia cauſa Superior, & prima poteſt ſupplere vicem cauſæ ſecundæ; tum etiam, quia medium, ſeu medij neceſſitas in agente in-

Volūtas eſt abſtractior cæteris potentijs.

Quod eſt mediū virtuti inferiori nō eſt neceſſario medium ſuperiori.

inferiori prouenit ex imperfectione eius, non valentis medium ſuperare: virtus autem infinita poteſt hæc omnia.

15 Et hinc ſequitur ratio alia, quod agens quo perfectius, eo agere poteſt magis in diſtans: huiuſmodi eſt Deus. Dicit D. Thom. quod verum eſt poſſe in magis diſtans, ſed non immediatè, ſed mediatè: imperfectius autem aget in minus diſtans, & in hoc Deus excedit, attamen vtrumq; debet agere vel mediatè, vel immediatè: Deus vero ob ſui præſentiam agit immediatè. At D. Tho. loquitur de facto, ex quo Deus intimè præſens eſt cunctis, & operando eſt etiam præſens cui operatur; de poſſibili vero non eſt cenſendum negaturum poſſe agere in diſtans, ſi per impoſſibile nō eſſet præſens; tum quia id etiam conceſſit Ariſt. ponendo infinitam potentiam, attingentem omnia, & particulari ſitu determinatam, ſic etiam Thomiſtæ omnes loquantur neceſſe eſt, vt benè inferant conſequētia materiali de facto præſentiam ex operatione, vt etiam inferimus nos: at non negarent id inferri non poſſe conſequentia formali, vt probabilius, & verius cōſtat eſſe. & ita egit Bannes, qui ratione victus, dixit apertè in ſolut. ad prim. *poterit Deus operari vbi modo non eſt*. hæc ipſe. & cum conficeretur argumentum. Poteſt Deus operari vbi non eſt, quia poteſt producere Angelum extra mundum, vbi nihil eſt, ergo operabitur vbi non eſt; Reſpondendo dicit, *ſi conſequens intelligatur in ſenſu compoſito. ſ. quod Deus operatur aliquid, & non ſit in illo, nego, eo. n. ipſo, quo operatum incipit eſſe, ſtatim Deus eſt in illo, benè tamen poterit Deus operari vbi modo non eſt*. hæc Bannes præcipuus Thomiſta: per ſenſum autem compoſitum intelligit id, quod mox diximus, ideſt, quod de facto vbi operatur, ibi eſt, quia immenſitate replet cuncta, & hoc eſt materiali conſequentia inferre præſentiam ex operatione: cum vero loquitur in ſenſu diuiſo, connotat operationem non eſſe radicem, & formalē cauſam præſentiæ. quam doctrinā ipſius Bannes, vt veritati conformem, & menti Sancti Thomæ deberent cæteri Thomiſtæ amplecti: dixi, mēti S. Thomæ conformem; quia putauit & ipſe Bannes ſapiens eſſe inter Thomiſtas, ac mentem Sancti Thomæ apprimè, & benè fuiſſe aſſequutum, ita. n. præſumere ſibi fas eſt, quia vnuſquiſq; abundat in ſenſu ſuo. ita etiam egerunt aliqui ex ijs, qui Thomiſtica profeſſione cenſentur, vt Vaſquez, Gregorius de Valent. &c.

Bannes tādem deſcēdit in ſententiā Scoti.

16 Et hinc amplius conſtare debet diſcrimen inter loquutiones iſtas, *ex operatione fit Deus præſens hic*, & inter iſtam, *ex operatione Dei hic colligitur præſentia eius hic*, prima loquutio falſa eſt, vt deduximus, cum operatio nō ſit radix præſentiæ; & ſecunda eſt ſemper veriſſima, quia ab operatione, tanquā à poſteriori colligimus Dei potentiā coniunctam cum præſentia, & cum immenſitate. & ſuper hoc nititur alia ratio, ex operatione Dei aut oſtenditur à priori eius immenſitas, aut à poſteriori: ſi primum, ergo cum operatio ſit prima ratio præſentiæ, in ipſa operatione antecedenter habebatur abſentia, & ita operabatur in diſtans, quod prius deduximus: nam præſentia habetur conſequenter ab operatione, tāquam à priori, ergo in operatione antecedenter non habebatur præſentia, & ita operabatur in diſtans antecedēter. ſi ſecundum, ergo operatio non facit præſentiam, ſed demonſtrat eam adeſſe, tāquam à poſteriori: & hoc eſt, quod modo deduximus, operationem non cauſare præſentiam, ſed concludere eam, & oſtendere, quod ſi prior eſt operatio, & à priori demonſtrans præſentiam, ergo non præſens operabitur, ſed poſt operationem fiet præſens.

Expenduntur varij loquendi modi.

17 Difficultas ſiſtit in principio illo Ariſtotelico, *agens, & paſſum debēt eſſe ſimul*: Cuius intellectus facilis quidem eſt: & de ſimultate loquendo, ea vel erit mathematica in corporib. & ſitualis in ſpiritib. vel virtualis in omnibus agentibus. inſuper aliud eſt loqui de ſimultate, aliud de proportione inter agens, & paſſum. & quidem ad hoc requiritur ſimultas, vt vnū proportionetur alteri, quæ proportio eſt neceſſaria, vt eueniat actio, & effectus: alterum iſtorum ſufficit, alterum nāq; horum continet id, quod alterum: præſen-

Agens, & paſſum debent eſſe ſimul. declaratur.

ſentia ſiquidem virtualis continet totum id, quod continet præſentia ſitualis; quia & ſi illa non contineat formaliter exiſtentiam agentis, tamen continet eius omnimodam virtutem, quæ ſola, & non præſentia mathematicalis, requiritur ad actionem: per accidens namq; eſt, vt habeatur talis præſentia, ſufficit.n. virtus, & dum hãc habemus, non curamus de illa; vt in literis expeditionum, & gratiarum habemus, ſeu in Chyrographis, in quibus habetur præſentia Domini, ſeu Regis expedientis, & mandantis, ſeu ſtatuẽtis extra Aulam, & Ciuitatem: in quib. licet præſentia Regis non habeatur, quia tamen habetur præſentia virtutis contentæ in literis, ideo per accidens eſſet, vt ipſe præſens adeſſet per eſſentiam, dum id ipſum, quod per præſentiam exequeretur, illud idem per literas poſſet operari, & æq. benè: quapropter ſufficit præſentia virtutis: dũ vero in proprio Throno reſidet, vtraq; eius habetur præſentia; tum virtutis, tum vero exiſtentiæ. Quoad præſentiã etiam proportionis, hæc quidem ſufficit inter agens, & paſſum: nã nõ propter aliud Ariſtot. dixit debere eſſe ſimul: & cum habetur proportio, non eſt opus amplius applicatione, ac ſimultate. ex his autem arguitur: fruſtra fit per plura id quod fieri poteſt per pauciora, & æquè benè: ſed æquè benè per præſentiam virtualem, & per proportionem haberi poteſt actio, & effectus, ſicut haberetur per ſimultatem, & cõtactum, ergo fruſtra recurrimus ad ſimultatem, niſi aliunde vrgeat neceſſitas. probatur min. chyrographum ita æq; benè in ſe habet virtutem, qua ſoluatur pecunia in abſentia Donatis, ſicut virtutem habet præſentia eiuſdem Donatoris: & literæ mandamenti Regij ita virtutem habent in abſẽtia Regis, ſicut virtutem habet ipſa præſentia Regis, ergo æquè benè operatur præſentia virtualis, ſicut præſentia exiſtentialis: igitur à ſimili de Deo, & de quocunque agente, virtus ſufficit, & proportionata virtus de ſe ſufficiens admodum eſt producendi actionem.

Simultas multiplex.

18 Hinc Sol producit mineralia, & ſi diſtans, in viſceribus Terræ: ſufficit namque præſentia virtutis: & ſufficiens eſt proportio eius ad mineraliũ loca, quæ ſola virtus, & quæ ſola proportio exigitur ab Ariſtot. præſentia namque ſuperflua eſt ad actionem, dũ æquè benè per virtutem, & proportionem haberi poteſt id, quod habetur per præſentiam, vt deduximus.

19 Ad effugium, quod afferunt nõ Solem producere mineralia, ſed lumẽ, calorem, & accidentia Solis ibi præſentia, & immediata: nil aliud pro nũc oportet addere, niſi arguendo contra ipſos ad hominem: dicunt namq; accidentia illa producere ſubſtantiam mineralem, in virtute tamen Solis, quia aiunt accidentia producere ſubſtantiam, in virtute tamen propriæ ſubſtãtiæ; ex his autem arguitur, iam admittitis in mineralib. virtutem Solis cõmunicatam accidentibus, qua virtute accidentia producũt aurum, & admittitis etiam Solem eſſe ſecundùm præſentiam diſtãtem, ergo admittitis præſentiam virtualem ſufficere ad agendũ abſque præſentia exiſtentiali; licet nãque non admittant ſolam virtutẽ ſubſtantialem Solis producere aurum, quia concurrunt accidentia, nihilominus hoc non impedit, immo magis expendit præſẽtiam virtualem Solis cõmunicatam accidentib. dicunt etiam ſubſtantiam, & ſi abſentem, eſſe primã radicem, & remotam, & originariam producendi ſubſtantiam in abſentia; alij dicunt eſſe cauſam proximam; & immediatam cum ipſis accidentibus, virtutem inquam ipſis communicatã: quidquid tamen ſit, dicunt accidentia, in virtute Solis abſentis producere ſubſtantiam, ergo admittunt, nolentes, Agens per virtutem agere indiſtans, & confiteri coguntur præſentiam virtutis eſſe ſufficientem. quod patet amplius in accidentib. Euchariſtiæ, quæ habere aiunt à ſubſtantia vim, cùm corrumpuntur, producendi ſubſtantiam, abſente, vel corrupta prima ſubſtantia. eſſet aliud impugnationis medium, dicendo accidentia nullo pacto eſſe principia productiua ſubſtantiæ; ſed quia hoc negant, & probare eſſet limites quęſtionis tranſire, ideo dimittatur pro ſuo loco.

20 Arguitur inſuper. Angelus poteſt Angelum diſtantem alloqui, ergo non

non eſt opus præſentialitate. antecedens probatur, quia homo poteſt homini diſtanti loqui. ergo magis Angelus. Reſpondent aliqui in tali angelica loquutione nihil in Angelo, cui Angelus loquitur cauſare, ſed per quandam naturalem ſimpathiam vnus ab altero excitatur ad percipiendum id, quod alter manifeſtare intendit: ſicq; addunt vnum reſpectu alterius non habere rationem Agentis ad paſſum, ſed cognoſcentis ad obiectum cognitum. Verùm hoc conſiſtere nequit: & in primis, licet haberet vnus ad alterum rationem ſolius obiecti, nihilominus neceſſe eſt etiam habeat rationem agentis ad paſſum, quia obiectum mittendo, & imprimendo ſpeciem dicitur agere, & intellectus recipiendo dicitur pati, quia *intelligere eſt quoddã pati*, ait Ariſt. item ſi nihil reciperet non poſſet intelligere: inſuper ſi vnus in alterum nil voluntariè, & ex mera intentione immitteret, non diceretur loqui, ſed diceretur habere ſolã intellectionẽ obiecti: cùm tamẽ inter intellectionẽ, & loquutionem ſtet differãtia, & præcipuè circa hoc, quod liberè vnus alteri manifeſtare intendit conceptum ſuum, aliàs ablata hac conditione non ſe haberent vt loquentes, ſed vt intelligens, & obiectum. Præterea, naturalis ſympathia non eſt ſine influxu, ſaltim naturali, qui tamen influxus poſtulat recipi in termino ſympathiæ, ſeu in ſympathiato, ergo non fit ſine receptione, at vbi hęc interuenit, adeſt quoque ratio agentis, & paſſi. Angelus etiam animam intellectiuam alloquitur, & illuminat: at inter ea nulla eſt naturalis ſympathia, cùm diuerſæ ſint ſpeciei, & nihilominus agere in eam non poſſet, niſi illuminando, aliquid imprimeret, ex quo haberet rationem paſſi, & Agentis. Alij dicunt non poſſe abſoluiè diſtanti Angelo loqui: at id maximè vilificat perfectionem angelicam, conceditur .n. naturæ inferiori, vt homini diſtantem alloqui, non ergo eſt denegandum Angelo. quomodo autẽ fiat loquutio talis, de ea ſuo loco, pro nunc vero eſt neceſſario admittendus influxus aliquis, quiſquis ſit, & ita habebunt rationem Agentis, & paſſi in diſtans.

Angelus Angelum alloquitur indiſtantia

21 Solet etiam experimentis aliquib. comprobari, vt de imaginatione, de qua Auicen. lib. de anim. ſect. 4. ex Hippocrate tradit alterare membrum diſtans. & de faſcinatione, da qua Ariſ. ſect. 20. problem. 34. docet imprimi, præcipuè virtute oculorum mulierum, alterando, & prauè afficiendo, præſertim tenella corpora puerorum, quantumuis diſtantium. ac de Baſiliſco, flatu ſuo homines inficiente, atq; infeſtãte, & necante auiculas, etiam diſtãtes, vt ſcribit Plin. l. 8. c. 31. & D. Iſidor. l. 12. ethim. cap. 4. de torpedine etiam habente virtutem immittendi torporem in manum Piſcatoris diſtantem, & non in rete intermedium: atq; ſub arena ſe abſcondente, vt facilius inſidias paret piſcibus, quos à longe ſub arena torpefaciens capit, & deglutit, ex Ariſt. lib. 9. hiſtor. cap. 37. & de alijs penes eundem Plin.

Comprobatur experimentis de faſcinatione, torpore, baſiliſco.

22 Verùm experimenta hæc non magni ſunt roboris: ad omnia namque facilis eſt reſpõſio, actiones has, & influxus prius recipi in ipſum mediũ, & inde in remotũ, licet recipi in medium non appareat, quia medium vel non eſt capax talis effectus, vel ob ſui tenuitatem, vt aer, id non oſtendit. Et ad id quidem de imaginatione, ſupponendum naturalem reperiri inter mẽbra, & ſenſus hominis ſympathiam; atque correſpondentiam, & maiorem quidem, quo perfectior eſt compoſitio: vnde ſtante imaginatione mouetur appetitus ſenſitiuus per excitationem humorum, & ſpirituum vitalium, qui commoti commouent corpus, & ſenſus: primum vero mobile eſt Cor, ex cuius excitatione excitantur reliqui ſẽſus: igitur motio à faſcinatione procedens, non fit immediatè in remotũ, ſed per medium. non eſt vero putandum imaginationem vnius mouere imaginationem alterius, niſi excitatis appetitibus, mediantibus ſignis, & nutibus, quibus primo incipit moueri alterius appetitus ſenſitiuus, vt viſus, auditus, vel alterius potentiæ ſenſus, vſquequo hic talis, cui imprimitur imaginabile, moueatur ad imaginandũ; etenim operatio ſenſus interioris oritur ex ſenſibus, ergo totam, ſiue in ſeipſo, ſiue in ordine ad alium, fit per medium.

Imaginationis motus qualis.

23 Ad

Faſcinatio qualiter fiat.

23 Ad illud de faſcinatione, licet eam pleriq; negent, experientia tamen cogit, & ratio ad faſcinationem admittendam: quæ etiam ad extremum procedit per media: quandoquidem ex odio, amore, paſſione prædominante, vel prauis, & peſtiferis, ac venenatis humorib. exiſtentibus in corpore, alteratur cor, & ex ipſo prodeunt ſpiritus vitales ſic pariter affecti, & effluūt vſq; ad oculos, qui ex oculis prodeūtes primo inficiunt aerem intermedium, vſquequo pertingant ad extremum, ſeu ad corpus pueri. de quibus Plin, l. 7. c. 2. Conſimiliter de torpedine, de baſiliſco, & ſimilibus, vt prius agant in medium; quòd ſi talis actio non appareat, id prouenit, quia non pateat ad ſenſum, cùm aer ſit corpus tenue, nec oſtēdere ex ſe valeat talem affectionem, niſi per aliud corpus ſibi vicinum id demonſtretur, in quo poſſit recipi ſenſibiliter talis alteratio. Nec obſtat torpedinem occultari ſub limo; etenim vel non tota occultabitur, remanente ſaltem ore diſcooperto, ex quo poſſit vim torpendi afflare; vel vis, & efficacia eius vincet operimentum, itaut poſſit vltra tranſmeare fortè eſſet virtus eius; vel quid aliud, dummodo vincat obſtaculum operimenti,

Torpedo eiuſq; operatio.

24 Linquimus inquam, experientias iſtas, vt minus efficaces, contenti probationibus recenſitis, & alijs, quibus huius ſententię Authores eam conantur munire: vt ſunt Auicen. l. de anim. ſec. 4. c. 4. Hippocrates citatur pro eadem, Scot. in 1. d. 37. q. 1. Alex. Aprodiſ 1. met. t. 18. Okam, Gabr. Lyc. Mayron. Baſſol. in 1. d. 37 Fauent. in 1. diſp. 52. ar. 2. 3. 4. 5. Rada 1. p. controu. 28. art. 2. Greg. de Valent. 1. p. diſp. 1. q. 8. punc. 1. Vaſquez 1. p. diſp. 28. atq; etiam Molina, qui contrarius ſibi, vbi primo loco defendit ſenetiam oppoſitam, & hanc noſtram vocauit parum tutam in fide, vt q. 8. diſp. 2. poſtea tamen expreſsè faſſus eſt operationem nec in Deo, nec in ſpiritibus inferre eius præſentiam, ſed præſentiam eſſe priorem, & independentem ab actione, & habere eſſe vbiq; ex immenſitate ſuæ eſſentiæ, vt videre eſt ibid. d. 4.

ARTIC. IV.

Soluuntur argumenta pugnantia in oppoſitum.

1 Facile autem erit argumenta ſoluere ex dictis. Et ad primū negatur antecedens abſolutè de agente, vt agens eſt: agenti enim creato, limitato, & imperfecto id competit cū non valeat virtute ſua ſuperare medium. & id, quod addit de identitate actionis cum agente, vt in Deo, iam conſtat ex ſupradictis reſponſio in cōfutatione opin. non autem agimus de actione, ſeu productione ad intra, ſed ad creaturas. & ad probationem, ſufficit coniunctionem virtualem intercedere inter vtrumq; vel ſufficit proportio inter ambo, poteſt autem haberi actio ſi vnum alteri proportionetur, quod quidem fieri poteſt etiam indiſtantia,

2 Ad ſecundum nil poterit obſtare, etenim ſententiam noſtram probat; quia omne agens aut immediatè agit ex infinita virtute eius, ſeu ex vicinitate ad paſſum, & huiuſmodi eſt Deus, qui præſens eſt actioni ob ſuæ immenſitatem exiſtentiæ: aut eſt agēs mediatum, mediatione procedente ex imperfectione; & finitudine virtutis ſuæ, & ſic operari non poterit immediatè: ex hoc autem argumento cōcludit penes agens creatum, perfectionē ſuæ virtutis ad mixtam imperfectioni. & limitationi eſſe cauſam, vt non poſſit vltra ſe extendi indiſtans: & penes Increatum, rationem præſentiæ non eſſe operationem, ſed immenſitatem. Ad confirmationem diximus Ariſtotelem intendere præſentiam virtualē, ſeu ſufficere ſibi proportionem inter agens, & paſſum, quæ correſpondeat loco preſentiæ exiſtentialis; etenim loquendo de præſentia exiſtentiæ non eſt per ſe verum, cùm fallat in multis, ergo per ſe ſufficit proporaio, & ſimultas virtutis,

3 Ad tertium ſuppoſito Deū velle aulam conſeruare, opus quidem eſt ſibi ſit præſens: at neceſſitas non pen-

det ex operatione conſeruandi,ſed aliunde,quia cùm cuncta loca repleat,& ſit intimè in nobis, præſens quoq; erit cuicunque rei exiſtenti,præſentia prouenìente ab immenſitate, & ideo *non longe eſt ab vnoquoq; noſtrum.* ſi tamen nõ eſſet in aula, poſſet etiam eã cõſeruare operãdo in diſtãs,ſicut agit in diſtans agens limitatum,& creatum;non enim eſt inferioris virtutis ad illud.

4 Ad aliud dicendum,quod de facto non eſt præſens abſque operatione: non enim eſt præſens Deus veluti creatura, quia creatura præſens alicui ſolet eſſe abſque eo, quod aliquid ibi producat:Dei autem præſentia nõn eſt inanis, nam conſeruat, & operatur circa id, circa quod eſt præſens, ait.n. Apoſt. *non longe eſt ab vnoquoque noſtrum*, & ſubdit id, quod diximus de operatione, *in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*: hæc quidem procedunt de facto,vt vbicunque ſit,ſemper operetur: at de ſe, & ſecundùm rationes præciſas exiſtentiæ, & operationis loquendo,poteſt vnum ab altero ſeparì, itaut non implicet eſſe præſentem, abſq; eo, quod aliquid operetur: ſicut .n. poteſt operari, abſque eo, quod ſit præſens, ita præſens eſſe poterit abſq; operatione: & cùm dicitur, fore præſentem, & creaturam ſimul fore, & nõ fore,dicendum negari ſequelam:Deus .n. quantum eſſet ex ſe, eſſet præſens, & creatura quatenus ens, eſſet in ſuo eſſe, ſeu haberet eſſe: at implicatio aliunde proueniret, quia procederet ex parte creaturæ, quia quatenus eſt effectus pendẽs nedum in fieri, verum etiam in conſeruari à Deo, oporteret vt circa eã continuo operaretur Deus conſeruando; igitur hinc neceſſitas operationis diuinæ, iuncta præſentialitate. Cæterum præſcindendo à tali dependentia actuali creaturæ à Deo, & contemplando abſolutè præſentiam agentis, vna cum paſſo,nulla eſt implicantia, vt Dei præſentia haberi poſſet,facta ſuppoſitione,abſq; operatione: quod apparet euidentius in creaturis, præcipuè quando effectus pendebat à ſuo agente ſolùm in fieri,& nõ in conſeruari, ſi namque poſtmodum idem agẽs fieret ei præſens, nihil operaretur,& ita haberetur præſentia abſque operatione:patet in Domificatore, cuius præſentia tempore ædificij erat coniuncta cum operatione, quia ædificabat,& effectus pendebat in fieri:quod ſi poſt completionem fiat iterum ei præſens, ſiquidem nil deſit cõplemento, præſentia ſua nullam experiretur operationem. ergo non quia Deus eſt præſens, ideo neceſſe eſt, vt operetur, cum poſſint iſta duo ex ſe conſiderata ad inuicem ſecerni,ſed neceſſitas,ſtante præſentia,neceſſitas,inquam operationis, erit materialis ſolummodo pendens ex creatura, quæ vult conſeruari.

Præſentia Dei ad creaturas ex parte cuius erit neceſſaria?

5 Ad illud de Angelo, negamus per operationem incipere eſſe in loco, vt in Angelorum materia diſcutietur, & ſimiliter de Deo: niſi quod, Deus vbicunq; operatur de facto eſt, non ſic Angelus, qui non ſemper, etiã de facto, eſt vbi operatur.

Angeli ubi per operationem in loco.

6 Ad id de corpore dicimus non eam eſſe rationem præciſam abſentię, ſed prouenire aliunde, quia habens tantam virtutem,intra ſphæram actiuitatis ſuæ poteſt agere in remotum: licet quantitas ſit præciſa ratio ſolius negationis penetrabilitatis,& per cõſequens quantitas non erit ratio diſtantiæ, ſed ratio impediens penetrationem: defectus quantitatis in ſpiritibus nec erit ratio præſentiæ neceſſario, ſed erit ratio penetrationis, etenim operari poterunt non præſentes: inſuper falſum eſt quantitatem eſſe rationem impeditiuam præſentiæ, impedit.n.ſolùm intimitatem: non igitur ratio ſpiritus infert neceſſario præſẽtiam,licet inferat potentiam penetratiuam quando erunt præſentes, ſi voluerint penetrari.

Præſentiã an impediat quantitas.

7 Ad Scripturæ,& Patrum authoritates ſit prima reſponſio nõ eſſe omnes loquutiones Patrum, & Scripturæ deductiuas illationis,& conſequentiæ formalis, ſæpè.n.ſæpius ſunt materiales:quod multum proficit,pro rudibus, vt facilius capiant profunditatem Scripturæ; igitur ex operatione Dei, Patres, & Scripturæ inferentes eius præſentialitatem, non intendunt inferre conſequentia formali, ſed materiali:& hic eſt vnus ex arguendi,& reſpõdendi modis,aſſignatis ab Ariſt.de cõ-

Exponuntur Patres, & Scriptura.

ſe-

ſequentia formali, aut materiali. Reſpondemus ſecũdò Scripturam, & Patres recurrere ad operationes Dei, ad oſtendendam ipſius præſentiam propter rudes,&ſimplices,etenim cũ Deus ſit ſpiritus,nec videatur, difficile quidẽ eſſet noſcere eius præſentiam, niſi recurramus ad eius operationes: & ſic docent Deum eſſe ibi, vbi operatur. tertio talis oſtenſio eſt habita ſolum à poſteriori ex operatione,non à priori, cum Dei præſentia indemonſtrabilis ſit à priori. quarto dicimus talem probandi modum eſſe extrinſecum, & deductum ex concomitantibus,quæ probatio eſt à notioribus: exemplum, *eſt homo*,ergo *eſt miles accinctus gladio, & præliatur in bello*:conſequentia eſt extrinſeca,& materialis,quia ſolus homo gladio accingitur ad bellandum propriè,attamen ex intrinſecis non poteſt deduci,quia eſt falſa. Dicimus quintò D.Paul. præcipuè loquutum fuiſſe de cognitione Dei: cum namq; reperiſſet Athænis templum conſecratum *ignoto Deo*:volens eos inſtruere,& facere deuenire in cognitionẽ Dei, quem ignorabant, & cui templum fuerat dedicatum, dixit, *quod ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*: & docens quomodo poſſent eum cognoſcere, dixit ipsũ creaſſe mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, & non habitare in templis manufactis, cum non indigeat aliquo,ſed ipſum dare vitam, & inſpirationem, & omnia,& concludendo dicit, *non longè eſt ab vnoquoq; noſtrum*: quaſi diceret, Deum,quem ignoratis,quia non poteſtis eum videre cum ſit ſpiritus, ſciatis eſſe illum, qui operatur omnia, immo ſciatis eſſe nobis vicinum, *non.n.longè eſt ab vnoquoq; noſtrum*. igitur ad operationes recurrit D.Paul. vt his, tanquam notiorib. adduceret Athænienſes ad cognoſcendum Deum, quem ignorabant.

8 Ad illud pſalmi:de multis agitur ibi, primo agitur de cognitione Dei erga nos, ita vt nihil ipſum lateat: & ideo dicit,*quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam*: per faciem autem intelligitur cognitio, inquit D.Greg. in Ezech. quaſi diceret, non potero abſcondi à facie tua, quia quocunq; iero me intueberis. Secundò agit de præſentia eiuſdem Dei, dũ ſubdit,*ſi aſcendero in cælum tu illic es*, quaſi diceret, vbiq; es,& non potero eſſe abſq; te.& deniq; mentio fit de operatione eiuſdem Dei, ſeu de concurſu continuato cum creaturis, veluti diceret, non potero fugere abs te, quia fugiendo tu mecum ſemper eris,immo idem bracchium tuum me deducet, *& deducet me dextera tua*:cum abſq; cõcurſu tuo nil agere potero. nihilominus omnis ex operatione illatio ſuæ præſentiæ erit materialis, ex intellectu autem, & expoſitione admodum conſentanea Patrib. & Scripturis data oſtenditur rationabilitas, & conſentaneitas noſtræ ſententiæ ad catholicam fidem. ex quo notãda venit immodeſtia Molinæ,mordicè aſſerentis eam videri parum tutam in fide: equidem ipſe ſolus ſapiens,cũ minus in hoc ſapiat, in quo tot viri celebres, & catholici diù elaborauerunt:quinimmo viri alioqui illuſtres ex ſocietate eadem, tali cenſura opinionem hanc minimè notauerũt,quin potius & laudauerint, & fuerint amplexati, vt Vaſq. Greg. de Valent. &c. *Molina refellitur.*

9 Ad illud de immediatione,quidquid ſit ſiuè immediatione ſuppoſiti concurrat, ſiuè minimè,ſufficit dicere præſentiam ſuppoſiti ſui in agendo nõ inferri conſequentia formali ab actione,ſed conſequentia materiali aliundè ex immenſitate.

10 Ad illud de vnione hypoſtatica dicendum non eſſe parem rationem inter vnionem Agẽtis,& paſſi,& vnionem naturæ,& ſuppoſiti,quia vnio hęc eſt vnio ſubſtãtiarum, & eſt vnio vnius conſtituti ſubſtantialis: quæ ſubſtantialis vnio non poteſt haberi abſq; vera vnione ſubſtantiarum: quemadmodum vnio materiæ, & formæ eſt vnio ſubſtantialis,quia ordinata ad ſubſtantiam conſtituendam, licet de ſe ſit relatio,& accidens: & non poſſet homo conſtitui in ſuo eſſe niſi verè materia applicaretur formæ: ſic non poſſemus habere conſtitutum hoc, quod vocatur *Chriſtus*,niſi verè applicaretur ſuppoſitum ad naturam, etenim vnio eſt terminatiuè ſubſtantialis, quia ad ſubſtantiam: licet exemplum de compoſito non currat vndequaq; cum in eo *Vnio hypoſtatica diuerſa ab vnione Agentis ad paſſum.*

reperiantur imperfectiones formæ, & materiæ, informabilis, & informantis, cum ſimilib. imperfectionibus: tamen ad id explanandum adducimus, quomodo etiã idipſum adduxit D. Athanaſ. in ſimb. *ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo, vnus eſt Chriſtus.* vnitas autem Agentis ad paſſum eſt vnitas proportionis, vt alterum ad alterum ſit in proportionata diſtantia, vt poſſit fieri actio: & hæc vnio ſufficit; vel eſt vnio virtutis, qua mediante virtus Agentis iungi poteſt, & terminari ad paſſum: & hæc poteſt haberi abſq; vnione ſubſtantię.

Actio non ſemper trãſit mediũ, ſed virtus.

11 Ad illud de tranſitu concedatur ſiſtendo pro nũc intra limites potentiæ ordinatæ Dei, quidquid ſit de potentia abſoluta, de quo in materia de Angelis. Dicimus autem primò nõ eſſe parem rationem de actione, & de ſubiecto mobili; ſiquidem mobile cũ ipſum idem debeat de extremo procedere ad extremum, ipſum idẽ oportet vt pertranſeat omnia media, quia ipſum reperitur ſucceſſiuè in omnib. vbi, & ita ſeruatur naturæ ordo in mobili, vt idẽ prius ſit in parte vna, quàm altera, vſq; ad extremũ: at actio nõ eſt ea, quæ incipit ab extremo prodire, & tranſire inde per omnia vbi intermedia, quia dum ſit accidens, ſequeretur migrare de ſubiecto in ſubiectũ, vt de extremo ad mediũ, de vno vbi ad alia, & de iſtis vbi ad aliud extremum: ſed eſt dicendum agens in diſtans virtute propria terminabili ad extremũ, producere actionem in extremo, non tamen tranſeuntem per medium. Virtus quidem trãſit per medium, & ibi operatur vbi inuenit ſubiectum diſpoſitũ: dicimus ſecũdo, actionem motus ideo ab extremo tranſire per medium, quia ſubiectatur in mobili, ſeu terminatur in mobili, & conſequenter tranſitum præberi & motui, & mobili ſucceſſiuè per media: at productio ſubiectata in agente non mouetur, quia non mouetur agens ad extremum, ſeu non oportet ipſum moueri ad extremum, hinc non tranſit per media: terminatio etiam eiuſdem actionis non ſubiectatur ſemper in medio, ſeu non eſt neceſſe vt ſubiectetur in medio, quia Sol non producit aurum in aere, ſufficit verò ſubiectari in extremo, vbi aurum producitur, quod vt habet rationem extremi, ibi ſigitur, & non vltra mouetur, quia habet iam complementum, & finem ſui motus, ſ. actionem, ſeu auri productionem, ad quod aurum terminatur ipſa actio.

Sphęra determinata Agenti.

12 Ad id de quacunque diſtantia, falſum concluditur poſſe agere in quãcunq; quia vnicuiq; eſt determinata ſphæra ſuæ actiuitatis, ideoq; ſi poteſt agere in diſtãs, & remotum, id intelligitur de diſtanti, & remoto, non excedente ſphæram actiuitatis.

Agẽs creatum nõ poteſt agere in extremũ dato intermedio vacuo, ſic Deus.

13 Et ad illud de vacuo dicendum non poſſe tali caſu Agens creatũ agere, non quatenus agens eſt, nec quatenus requirat vicinitatem, ſed quia agẽs creatum eſt, & imperfectum: cuius cõditio eſt, vt formam ſubſtantialem non imprimat, niſi prius diſponat ſubiectũ: verùm quia dato vacuo non poſſet diſpoſitio, v.g. luminis, & caloris, atque conſimilis generis recipi in extremo; quia nõ poſſet prius recipi in medium propter vacuum, ideo neq; poſſet ſubſtantialis forma in extremo recipi, eſt namq; imprępatatum ſubiectum. ſi tamen Agens eſſet perfectiſſimum, & nõ indigeret tali ordine, poſſet præſtare vtrumq; etiam dato vacuo, vt poſſet Deus ibi vtrumq; & diſpoſitionẽ producere, & formam, quia de ſe non indiget hoc medio ad agendum: quo fit vt propter vniuerſi ordinem, perfectionem, ſympathiam, & ſimilia ſupra recenſita recurrendum ſit vel ad vicinitatem, vel ad medium; quod enim eſt neceſſario medium cauſæ inferiori, nõ eſt neceſſario medium cauſæ ſuperiori: igitur ſi Agens creatum poſtulat neceſſario continuationem medij cum extremis remouendo vacuum, talis neceſſitas non adueniet Deo Agenti ſuperiori.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus ſit extra Cęlum in ſpatijs imaginarijs.

ARTIC. I.

Aſſertur ſeñtentia affirmans.

1 PRæcedens autem quæſtio magis declaratur, & plenius deciditur ex quæſito pręſenti, quo poſtulatur vtrũ adeo ſit immenſus Deus, vt ſpatia etiam infinita imaginaria repleat: & dum nihil ibi de facto operatur, vtrum ibi ſit præſens, vel antequam in ipſis imaginarijs ſpatijs mũdum produxerit, ibi fuerit pręſens immenſitate ſua: quod ſi concedatur, iam conſtabit operationem non eſſe cauſam præſentiæ: ſi negatum fuerit, conſtat illud idem, quia ibi fuit mũdum operatus, vbi non erat: quod argumentum fuit ſub tali diſiunctione efformatum à nobis artic. 5. & eſt validiſſimum contra Thomiſtas. quod verò attinet ad præſens dubiũ eſt ſententia affirmans extra cælum ibi eſſe, & probari poteſt.

2 Negato ibi eſſe Deum ſequeretur ipſum poſſe mutari, quod Deo inconuenit, quia immutabilis. prob. ſeq. poſſet Deus lapidem transferre à loco vero intra Orbem, in quo eſt, ad ſpatium imaginarium extra cælum: tunc autem mutaretur Deus, quia Deus sẽper eſt cum lapide vbicunq; ſit, quandiu illum voluerit conſeruare, ſed prius erat cum lapide intra mundum in vero loco, nunc autem foret extra Mundum de nouo cum eodem lapide, ergo inde ſequitur mutari Deum, nouum acquirendo locum, & ſpatium, in quo non erat prius. Confirmatur, quia poſſet beatus, qui in vltimo cælo exiſtens eſt vicinior ſpatio illi imaginario, poſſet inquam brachium extra cęlum porrigere, ad quem motũ Deus concurret, fieretq; cum brachio in ſpatio nouo.

3 Præterea prius eſt eſſe præſentem, quam operari, nec per operationem habetur præſentia Agentis: operatus autem fuit mundi creationem in ſpatio imaginario, ergo prius aderat præſens. hoc argumentum conuincit negantes præſentialitatem pendere ex operatione.

4 Subſtantia ſpiritualis quo nobilior, eo ſibi vendicat ampliorem ſphæram præſentiæ, & actiuitatis: at Deus eſt infinitè excedens omnem Angelũ, ergo infinitam ſibi adſcribet præſentiæ ſphæram: ſed ſphæra hæc mundialis, qua actu continetur, eſt minima reſpectu infinitæ nobilitatis ſuæ, ergo poſtulabit ſphæram infinitam: non datur infinita ſphæra ſpatij realis in actu, ergo dabitur ſupplementum à ſphæra ſpatij imaginarij, ad complendam eius ſphęram infinitam, ſpatia namque imaginaria ſunt infinita. *Spatia imaginaria sũt infinita.*

5 Item conſtituat Deus duo corpora extra mundum, quorum alterum diſtet ab altero: neceſſe erit dicere Deum coexiſtere cum corporibus illis, atq; etiam cum ſpatio imaginario interiacente inter ea, ſicq; erit in ſpatijs: neceſſitas probatur quoad ſecundam partem de coexiſtentia in ſpatio, quia ſi ſolum eſſet cum Petro hic, & Paulo ibi, à ſe inuicem diſtantibus, ſequeretur Deum diſtare à ſeipſo, ergo ne diſtet à ſeipſo, erit quoq; in ſpatio imaginario intermedio: quod ſi de hoc

concedatur, concedi quoq; à ſimile conuenit de infinito ſpatio, quia non repugnat virtuti ſuæ, quæ eſt infinita.

6 Vlterius, non minus ſe habet immenſitas ad omnia loca, quam æternitas ad omnia tempora. at ęternitas coexiſtit, & coextitit infinito tempori imaginabili, ergo immenſitas coexiſtet infinito ſpatio imaginario: maior clara eſt, quia fundatur ſuper infinitate vtriuſq; tum æternitatis amplexantis omnia tempora, tum immenſitatis nõ reſpuentis ſingula loca. Confirmatur, propoſitio hæc, Deus ſemper fuit ante mundum, & ſemper erit, etiam ſi deſtrueret mundum, veriſſima eſt, ergo vera quoq; erit hæc, Deus ante mundum vbiq; fuit, & deſtructo mundo vbiq; erit: ſed ly ſemper, denotat tempus imaginarium, ergò ly, vbiq; connotabit locum imaginabilem.

7 Alias negata tali coexiſtentia poſſet reperiri, vel ſaltem cogitari, aut deſiderari ens aliquod, quod ſpatia illa repleat: ſicq; illud foret ens perfectius, & immenſius Deo: at *Deus eſt, quo maius, & perfectius cogitari non poteſt*, inquit D. Anſelm.

8 Accedunt auctoritates Sanctorum, & primo D. Auguſt. apertiſſimè fauet huic ſententię, libro. n. 11. de Ciu. Dei c. 5. ait, *Deum eſſe in infinito ſpatio, quod extra cælum quaqua verſus protenditur, & extra mundum eſſe infinitũ ſpatium, in quo poteſt creare infinitos mundos*. idem Aguſt. l. 1. confeſſ. c. 2. 3. & l. 7. c. 5. ait *Deum eſſe inſtar maris, & mundum inſtar ſpongiæ, quam penetret aqua maris*, & Deus penetrando intima quæq; mundi dicatur & intra mũdum eſſe, & extra mundum, ſicut maris aqua & intra ſpongiam eſt, & extra eã. & lib. de eſſentia diuinitatis inquit *extra omnia eſſe, ſed non excluſum, & intra omnia, ſed non incluſum*. Diuus Bernar. ſerm. de triplici cohærentia interrogauit. *vbi eſt?* ſed ſtatim petitionem corrigens ſubdit, *quid dixi miſer? ſed vbi non eſt? altior cælo, profundior inferno, latior terra, mari diffuſior, vbiq; eſt, nuſquam eſt, quia neq; abeſt vlli, nec vllo capitur loco*. D. Hilar. exponẽs illud, *cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum* ait lib. 1. de Trin. *vt in his Deus intra, & extra, & ſupereminens, & internus, infuſus, & circumfuſus noſceretur*. D. quoq; Hieron. expones illud Iſai. 40. *qui tenet cælũ palmo, & terram pugillo* ait in c. 66. Iſai. *ne arbitremur cælo, & terra Dei magnitudinem metiendam, oſtenditur forinſecus, & intrinſecus, infuſus, & circumfuſus, dum & ſolio ambiente non concluditur, & pugillo cõcludit, ac palmo*. Athanaſ. in epiſt. Synod. Nicen. *in omnibus eſt ſecundum ſuam bonitatem, & poteſtatem, & extra omnia ſecundum ſuam propriam naturam*. Baſilius magis vrget, cum doceat ibi eſſe, vbicunq; & quocunq; pertingit noſtra cogitatio, poſſumus autem concipere ſpatia illa extra cęlum, verba eius ſunt, *totũ quodcunq; noueris, & quocunq; ſpiritu tuo penetraueris, Deo plenum eſt*, homil. 16. in c. 1. Ioan.

9 Et confirmatur ex Scripturis, vt 3. Reg. 8. *cæli calorũ te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quã ædificaui*, Iob 2. *excelſior Cælo, profundior Inferno*. De Virgine canit Eccleſia, *quem totus non capit Orbis*. & in 11. de Ciu. Auguſt. 5. concludit, *vaniloquium eſt, quod Deus ſit tantum intra mundum*. & idem Iob 22. *nonne cogitas quod Deus excelſior cælo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur*. Deniq; Triſmegiſtus interrogatus de loco determinato Dei, reſpondit, *eius centrum eſt vbiq; & circumferẽtia nuſquam*. quaſi diceret omnibi eſt, nec in ſolo Orbe incluſus. Citatur pro opinione hac D. Bonau. Alij autem ſunt Caetan. Ioann. 12. Maior 1. d. 37. q. 1. Altiſiodor. in ſum. l. 1. c. 16. Ferrar. 8. phiſ. q. 4. Conimbric. ibid. Citantur & alij, attamen quia optimo ſenſu loquutos fuiſſe percipi poteſt, licet in modo loquendi ſtet æquiuocatio, eos reticeo, inſinuans quale iudicium de iiſdem auctorib. atq; de iis, qui pro contraria afferuntur, fiendum foret, ſicut de ipſamet quæſtione, vt in artic. ſequ.

10 Accedit pro ſententia hac opinio Ariſtot. qui l. 1. cæl. c. 9. collocauit Deum extra cælum. Stoici etiam id ipſum ſenſere ex Tertull. aduerſ. gent. c. 40. atq; Plato in Phed. poſuit beatos, & intelligentias extra cælum.

AR-

ARTIC. II.

Enodatur quæſtio, & recõnciliantur ſententiæ.

1 PVto autem circa rei veritatem diſcrepantes non eſſe Theologos, immo vnumquemq; ſenſum vnũ, ac eundem fuiſſe aſſequutum, quamuis in contraria videãtur abiiſſe: ratio autem contradictionis apparentis, atq; pugnæ procedit ex æquiuoca, & minus explicata loquutione eorum, ſiquidem res facilis eſt intellectu, & facilior ad decidi.

Loci, et locati conditiones.

2 Præmittimus conditiones competentes loco, & locatis; de quibuſcunq; loquendo proportionaliter, & ſuo modo: locus namq; realis eſt realis ſuperficies continens, vt Ariſt. tradit c. de loco, dicitq; relationem realem ad locatum: & addit conditiones alias poſitiuas, vt continere, cõſeruare, producere, influere, cum cõditione etiam negatiua, vt deſtruere, diſſipare, & ſimilia. & ex parte locati mutuo inſunt terminatiuè conditiones eædem, reddendo ſingula ſingulis, cum nempè locatum corporeum eſt, vel ſpirituale, vt vnicuiq; applicetur id, quod ſuaptè natura poteſt recipere à loco abſq; imperfectione, vt ſi conſeruari, alterari, & deſtrui nequeat ſpiritib. competere à loco, ſaltem ſint terminus relationis realis, & definiantur à loco, & includantur in loco; ſi locatum ſit corporale, conſeruetur, alteretur, vel etiã deſtruatur à loco.

Termini ibi, hic, declarantur poſitiuè, & negatiuè.

3 Præmittimus inſuper declarationem horum terminorum, *vbi, ibi, hic extra, intra, ſemper, vicinus, diſtans.* quorum explicatio apprime eſt neceſſaria ad hanc litem: igitur omnia hæc ſumi poſſunt vel poſitiuè, vel negatiuè: primo modo cenſenda ſunt eſſe veras, ac poſitiuas, realeſq; differentias loci, atq; temporis: quod in eo coſiſtit, vt poſtulent verum tempus, realem locũ, mutuam relationem realem locati ad locum, & è conuerſo, atque relationẽ reciprocam à parte rei, menſurati ad menſuram: quo ſenſu vera eſt locutio iſta, ego ſum hic, ſcribo nunc; circumſcribor hoc ſitu, referor ad hoc tẽpus: & ita conditiones hæ, ſeu differentiæ iſtæ locales, & temporales, erunt vera entia poſitiua: quæ vltra requirunt poſitiua extrema, realem commenſurationem, abſolutã entitatem, realemq; & mutuum modum referendi. ſecundo modo negatiua ſunt, ac propterea abſtrahunt à realitate veri loci, veri ſitus, deficiunt à veritate realis menſuræ; deeſt quoq; ipſis mutua, realiſq; correſpondentia, & referentia extremorum, quæ ſingula, & omnia, cum ſimilibus reddunt poſitiones illas, atq; loci, temporiſue differentias, inanes, futiles, non veras, non poſitiuas: ſed prorſus omnino negatiuas. Hinc ſit vt conſimilis inde reſultet loquendi modus: vt differentia hæc localis, *hic, ibi*, ſi demus vacuum inter Lunam, & Terram, explicanda ſit negatiuè: vt ſtante Petro, & Paulo in vacuo, vera ſit iſta locutio, Petrus eſt hic, & Paulus ibi, vera inquam negatiuè, ideſt, ideo Petrus dicitur eſſe hic, quia non eſt alibi, & ideo Paulus dicitur ibi, quia non hic. igitur, *hic, & ibi*, ſe tenent negatiuè. prob. quia locus non eſt poſitiuus, ſed vacuus, ergo conſimiliter differentiæ locales, *hic, & ibi*, non erunt poſitiuæ, ſed negatiuæ. Et hinc ſequitur loquutionem hanc ſimiliter interpretãdam; Petrus, *hic*, in vacuo, diſtat à Paulo, *ibi*, in vacuo: vel Petrus, *hic*, in vacuo eſt vicinus Paulo, *ibi*, in eodem vacuo: eſt namq; loquutio negatiua, vt ſenſus ſit, Petrus diſtat à Paulo, ſolùm negatiuè, & eſt Paulo vicinus, ſolùm negatiuè: eſtq; ſenſus, vnum diſtare, ideſt vnũ non eſſe cum alio: & vnum in tantum eſſe cum alio, inquantum non diſtat ab eo; etenim negata repletione, dato vacuo, omnes locales differentiæ erunt negatiuæ.

4 Dices eſſe diſtantiam realem, quia Luna, & Terra, inter quæ eſſet vacuum ſunt termini reales. Reſpondeo, diſtantiam nedum ſumendam eſſe ex extremis, verùm ex parte medij intercepti: quod ſi ad ſola extrema recurras, erit quidem diſtantia hæc realis; verum quia non complete ſumitur, & adæquatè ſic diſtantia, quia requirit intercapedinem medij realis, ideo negato

Diſtantia verum exiſtentium in vacuo verũ appellanda realis.

gato

gato medio remanebit diſtantia Imaginaria,& negatiua: quod ſi concedas diſtantiam eſſe realem, appellabitur realis inadæquatè;ſeu realis fundamétaliter, quia fundamenta ſunt realia; non formaliter,quoniam medium non eſt reale.

Intra, & extra, poſitiuè, & negatiuè.

5 Conſimiliter diſcurrendum de cæteris poſitionibus,*intra*,& *extra*: vt dicantur intra vacuum conſiſtere negatiuè,eò quod non ſunt extra vacuū: & pariformiter diſcurrendum de differentijs temporis, quod tempus ſi verum eſt,& reale,differentiæ quoque ſuæ erunt poſitiuæ, & reales: ſi imaginarium,& fictitium, erunt negatiuæ,& imaginariæ. hinc ante mundum,& ante reale tempus, propoſitio hæc vera fuit *negatiuè* in ordine ad tempus fictitium,vt Deus ante mundum, & ante tempus ſemper fuit,eſt autē ſenſus, ſemper fuit, quia nuſquā deſijt habere eſſe,& ita ly, *ſemper*, ſumitur negatiuè in ordine,inquam ad tempus,quia non fuit tempus verum ante mundum:poſitiuè tamen ſumi poterit ſi comparetur ad æternitatem, & ſic Deus ſemper poſitiuè fuit ante tempus, quia ſemper fuit in vera,& poſitiua, ac reali menſura ſuæ æternitatis.ſic denique ly, *extra*, ſumendum negatiuè, ſi ſpatium foret negatiuum, vt Deus eſt extra mundum, negatiuè, quia extraneitas illa reſpectu negatiui ſpatij eſt negatiua, reſpectu quidem Dei eſt poſitiua,quia Deus eſt poſitiuus; at reſpectu ſpatij negatiua, quia ſpatium negatiuum.

Spatia imaginaria nihil ſunt.

6 His præmiſſis dicimus primo, ſpatia iſta extra cęlum nihil ſunt, ſed ſola imaginatione conſiſtunt, & ſunt ſolùm figmenta,& fictio in rebus.probatur, ſi ſunt aliquid, aut ſubſtantia, aut quantitas,qualitas,aut relatio:nullum iſtorum ſunt, ergo nihil: non ſubſtantia,qua aut creata, aut increata, non primū, quia nec Anima,nec Corpus,nec Spiritus; non ſecundum, quia non Deus,non quantitas, deficit enim ſubſtantia, in qua ſubiectetur, aliàs ſine ſubiecto erit miraculosè,& pero ad quid deſeruiet id miraculū extra mūdum. non qualitas, non relatio, deficiente fundamento: item & conceſſo eſſe vera entia, ad quid deſtruient extra cęlum? aliàs reperiretur Mundus alter, & inſuper de altero tertio mundo quæri poſſet, quia extra ſecundum mūdum eſſet quid aliud poſitiuum, ſicut extra noſtrum conceditur quid verum, & ita de illo conceſſo quæreretur an extra illum eſſet quid aliud, quod vtiq; concedi oporteret, quia concederetur eſſe nunc aliquid extra hunc mundum, ergo in infinitum quęrerem de aliquo remanente extra conceſſum, & ſic coincideremus cum ponentibus infinitos mundos. ergo nihil ſunt ſpatia illa: inſuper ſi aliquid eſsēt, aut eſſent ens reale, aut rationis, non primum, ergo remanet ſecundum, at hoc nihil eſt à parte rei.

7 Dicerent non eſſe omnino nihil,ſed priuationem, nempè corporis; poteſt enim repleri corpore, ſicut ante creationem Mundi potentiam habebant replendi, quæ potentia per repletionē mundi fuit euacuata. ſed falſum hoc: quia priuatio eſt negatio in ſubiecto apto nato, ergo requirit poſitiuum ſubiectum,ſuper quo fundetur priuatio,at ibi nihil reale eſt,ergo nec adeſt ſubiectum priuationis, & conſequenter non erit ibi priuatio. hinc rationabiliter Ariſt. 1. de cęl. cap. 9. ait, *extra cælum non eſſe locum;neq; vacuū*; quia locus habet ſuperficiem,& quantitatem realem, & vacuū denotat, ſed connotat extrema actu realia,quæ tamen careant repletione, vt ſi daretur circulus carens repletione: ibi autem deeſt quantitas, deeſt figura, rotunda, vel alterius generis carens repletione, ergo deficiente quantitate non aderit vacuum, quia ſupponit corpus replebile, nec aderit locus negata quantitate.

Obſtatur.

Occurritur.

Spatia imaginaria nō dicunt priuationem corporis replenus.

8 Quid ergo erunt? dicendum eſſe loca imaginaria, in quibus non repugnat, potentia logica, produci aliquid.ergo melius explicantur per terminos non repugnantiæ, & potentiæ logicæ, quam per terminum priuationis; ſiquidem logica potentia eſt non repugnantia terminorum; quæ quidē nullum ſupponit eſſe actuale, ſeu non neceſſario illud præſupponit, prout præſupponunt cæteræ potentiæ phyſica, & metaphyſica: ſicq; mundus antequam omnino eſſet, erat,in potentia logi-

Spatia imaginaria habent potētiam logicam ad repleri.

logica; ſicut etiam ad quodcunq; eſſe & ad quamcunq; potentiam alteram, neceſſe eſt præcedat potentia logica, & non repugnantia ad eſſendum, & operandum; ergo iſtam potentiam habent ſpatia illa, ſeù loca illa imaginaria. Dixeris, potentia hæc eſt quid reale, & poſitiuum, ergo vel ſpatia erunt quoq; realia, quatenus ſunt fundaméta potentiæ realis, vel habebitur potentia ſine ſubiecto. Reſpondeo, ſi loquamur de potentia ad operandum, potentia hæc ſubiectiuè erit realis in entibus poſſibilibus, quia vltra potétiam phyſicam, vel metaphyſicã operatiuam eſt admittenda prius potentia logica, qua poſſit operari: & hæc ratione ſaltim ſubiecti potétialis, in quo erit, cěſebitur realis, & ſi nō ſit ſubiectum actuale; ſi verò inſpiciatur in ordine ad eſſe ſimpliciter, dicendũ eſt eſſe omnino quid negatiuum, quia idẽ eſt potentia iſta, ac nō repugnantia, igitur negatiua quoq; erit; & probatur, quia ſubiectata in ſubiecto reali in ordine ad operationem, non aliunde erit realis, niſi à ſubiecto reali, vel termino reali, cæterum ex ſe abſolutè ſpectata eſt formaliter quid negatiuũ, ideoq; vocatur logica, ideſt, non repugnantia: vnde quia potentia in ſpatijs illis eſt potentia ad ſimpliciter eſſe, hinc eſt, vt nec ſubiectiuè ſit realis, actualis, licet realis potentialis, nullo ſtante ſubiecto reali, niſi tamen voces realem terminatiuè, ſed de hoc non diſcrepamus. quo ſit vt remaneant in ſola negatione ſpatia illa, cum additione tamen non repugnantiæ ad repleri.

Potentia logica an realis.

9 Dicimus ſecundò, ſi corpus, vel ſpiritus collocaretur in ſpatijs illis, poſſet moueri; & ſi duo eſſent ibi corpora, duoq; ſpiritus, dicerentur inuicē poſſe diſtare; de primo probatur, ſupponendo doctrinam allatam de motu in vacuo, ſucceſſiuitatem motus poſſe prouenire vel ex diuiſibilitate, & ſucceſſiuitate medij, vel ex finita, & imperfecta potentia mobilis, vel ex reſiſtentia mobilis ad mouens, vel deniq; ex diſtantia extremorum. ſtante autem vacuo non poſſet motus fieri ex ſucceſſiuitate medij, quia nullum eſſet plenum medium, quam conditionem vti neceſſariam de facto, & via ordinaria expoſtulauit Philoſophus ad ſucceſſiuitatem motus: ergo hac negata fieri etiam poſſet aliunde, ſaltem ex limitata virtute mobilis, non valentis ſubito ab extremo fieri in extremo, tum etiam proueniret ex ipſamet negatiua diſtantia eorundem extremorum; etenim verum eſt dicere extremum vnum non eſſe cum altero, ergo erit quoq; verum, vnum diſtare ab altero, ſed diſtantia negatiua, negata repletione medij poſitiui, quæ eſt vna ex cauſis poſitiuis diſtantiæ terminorum. Hoc ſtante, ſequitur: Corpus ſi poneretur extra Orbem moueri poſſe, & ſucceſſiuitatem ſui motus prouenire non ex medio poſitiuo, quod non eſt, ergo proueniret ex diſtantia negatiua vbi, & vbi, ſeu loci, & loci imaginarij, ita vt verè diceretur non eſſe hic, ſed eſſe ibi per ſuum motum: exponendo *hic, & ibi* ſolùm negatiuè, ut ſupra, eſſet enim hic, quia non ibi; & eſſet ibi, quia non hic: vel diſtantia negatiua deſumeretur, incompletè tamen ex parte vnius extremi realis, & alterius negatiui, vt ſi tangeret conuexum vltimæ ſphæræ; & elongaretur ab illa, eundo ad ſpatia imaginaria, motus haberet terminum à quo, poſitiuum, & terminum ad quem, negatiuum, ſicq; motus ſuus eſſet ex parte vnius termini poſitiua, & diſtantia ratione termini eiuſdē eſſet poſitiua: tũ ex termino altero eſſet negatiuus, & abſolutè diceretur diſtare negatiuè, quia concluſio, & denominatio ſequitur debiliorem partē, debilior autē eſt terminus negatiuus, hoc dixerim de corpore: quod etiam locum habet in ſpiritibus, quia militat eadem ratio diſtantiæ terminorum, eademq; ratio motus, & minus de vno, quàm de altero, quatenus concernimus motum. eſtq; terminorum diſtantia, & limitatio virtutis motiuæ ita cauſa ſucceſſiuitatis motus in vno, quàm in altero.

Si corpus eſſet in ſpatio imaginario poſſet moueri: & ſi duo eſſent, poſſet vnum diſtare ab altero.

10 De ſecundo etiam perſpicuum eſſe debet, & conſtat ex dictis, quòd duo ſpiritus, ſicut duo corpora, ſi extra Orbem eſſent, diſtarent à ſe inuicē, at negatiuè. De corporibus concedit etiam Vaſqu. ſed negat de ſpiritib. dicitq; corpus ideo tunc à corpore poſ-

Si in ſpatijs imaginarijs eſſēt duo ſpiritus, poſſet vnus diſtare ab altero contra Vaſq.

ſe

ſe diſtare, quia inter corpus vnum, & aliud poſſet reperiri corpus alterum intermedium, quod eſſet cauſa diſtantiæ aliorum corporum: diſtant enim corpora illa ratione quantitatis: at de Angelis, ait, eſſe talis naturæ, vt inter vnum, & alterum nequeat vel intermedium corpus, & alter ſpiritus contineri, ideoq; vnum ab alio non poſſe diſtare. ſed hoc minimè apparet verum; etenim Angelus ab Angelo, vtpotè carens quantitate, & mole, diſtaret tamen diſtantia entitatiua, quia ſunt vera entia, & vnum nõ eſſet in alio. item ſecludatur quantitas à materia, quæritur an partes materiæ à ſe inuicem diſtarent, vtiq; diſtarent diſtantia entitatiua, licet non quantitatiua, quia gradus vnus materiæ non eſſet in alio, & pars vna non eſſet in alia. inſuper collocet ibi Deus duo indiuiſibilia puncta, vnũ longe ab alio, & in medio collocet pũctum alterum, diſtabũt illa duo, propter medium etiã indiuiſibile, ergo nõ ſola quãtitas molaris eſt ratio diſtantiæ. vel conſtituatur quantitas corporea, & extenſa inter illa duo pũcta, vtiq; diſtabunt, ergo nec quantitas molis inter Angelos impediet diſtantiam. Reſpondet diſp. 39. c. 3. num. 18. Angelos non eſſe indiuiſibiles eo modo, quo puncta, quæ poſitionem habẽt in quantitate, ſed eſſe indiuiſibiles ſpirituali modo, quia poſitionem non habent in quantitate, & ideo nec per quantitatem intermediam diſtare poſſe. ſed hæc euaſio nihil prodeſt, licet namq; non ſint ad modum pũctorum, nec quãtitati ſint addicti, nihilominus non habent exiſtentiam immenſam, vt Deus, qua omnibi eſſe poſſint, ideoq; vbi ſunt, diſtare dicuntur ab eo loco, ſaltẽ imaginario, vbi non ſunt: & multo magis, quo corpus aliquod, vel ſpiritus mediat, dicuntur inde ſumere maiorem cauſam diſtantiæ: immo ex corpore, vel ſpiritu intercepto in medio, diſtantia eorum erit poſitiua, & realis etiam ratione medij. probatur; quia corpus interceptum, ſeu ſpiritus interiacens inter duos Angelos eſt verũ ens poſitiuum, & reale, habet quoque rationem medij facientis poſitiuè diſtare, ergo medium interceptum erit reale, & poſitiuum, quo fit, vt etiam ex parte medij diſtarẽt vera diſtnatia poſitiua: licet autem ſpatium medium non eſſet reale, propter quod diſtantia non eſſet realis, cenſeretur tamen realis ex corpore reali, vel Angelo reali inter eos interiecto. Præterea partes ſpatij imaginarij non ſunt ſimul, nõ ſunt vnum, idemq; ſed conſequenter, & proportionaliter loquendo ad entitatem ſpatij partes diſtabunt ab inuicem, ſeu non erunt idem; & pars, quã imaginamur hic, non erit imaginanda illic, ſed ſeorſim vna ab altera, ne intelligatur inter eas penetratio: quæ omnia capienda ſunt negatiuè, vt diximus: vtimur autem his loquutionib. vt facilius explicemus conceptus: ergo dum Angelus vnus collocaretur in parte hac imaginarij ſpatij, non erit imaginandum Angelum alterum eſſe ibidem, ſed in parte ea, in qua mente noſtra ipſum collocauimus: maximè, quia conſimiliter veracius diſcurrimus de diſtantia eorundem, collocatorum in veris partibus veri ſpatij, ex quo alterũ diſtare ab altero neceſſum foret, ergo proportionaliter loquẽdo de partibus imaginarijs, talem etiam ſitum imaginabilem ſeruabunt inter ſeipſos, talemq; habebunt diſtãtiam: & maximè id conuenit, quia ſolus Deus non diſtat à ſeipſo, cum immenſitate ſua ſit in omnibus partibus, etiam diſcontinuis, & ſi collocaretur extra cęlum in duobus locis, inter quę adeſſet vacuum, ſiue in orbe in duob. extremis, inter quæ interciperetur vacuitas, eſſet vbique & nõ diſtaret à ſe, quia immenſus replet omnia, & potẽtia infinita attingit cuncta. At Angeli non ſic, cùm igitur qui imaginatur eſſe hic, vel verè eſt hic, non eſt imaginandum eſſe ibi, præcipuè cum locus ille ſit extra ſuam ſphæram, ergo ſiue mediet verum ens materiale, aut ſpiritale, ſiue nihil mediet, vnus nõ erit in alio, ſed diſtabit ab alio: hoc etiam expoſtulat ordo rerum, vt euitetur confuſio, & appareat debita diſtinctio, ſeparatio, diuiſio, & fugiatur etiam penetratio.

11 Tertiò dicimus poſſe Deum in ſpatijs illis collocare ens aliquod, ſiuè illuc transferendo ex orbe, ſiuè illic creando: de ſecundò probatur ex facto

crea-

In ſpatijs imaginarijs poteſt Deus creare aliquid, ſiuè illuc vẽ aliquam transferre.

creationis ipſius Orbis, qui fuit creatus ibi, vbi ſpatia erant imaginaria: & de primo conſequenter infertur eſſe verum, quia poteſt transferri à Deo lapis in Orbe exiſtens, illuc, vbi poſitus fuit orbis ipſe: ſed fuit orbis collocatus vbi erant ſpatia fictitia, ergo poterit pars eius illuc transferri à Deo: nulla tamen adeſſet differentia, niſi quod ſpatia, in quib. fuit poſitus orbis, de imaginarijs euenerunt, ſeu euaſerũt realia, & ea, in quib. nunc collocaretur lapis, eſſent ſola ab imaginatione pendentia.

Beatus. vtrum protẽdere poſſit brachiũ extra cœlũ ad ſpatia imagin.

12 Immo nedum diuina potentia poterit corpus aliquod ibi eſſe, ſed etiam virtute naturali exiſtimãt id fieri poſſe, vtpotè non implicabit beatum exiſtentem in Empyreo brachium extendere poſſe extra cælum, ſicq; foret in ſpatijs illis: an vero de hoc recurrẽdum ſit ad miraculum, dicimus, primo vt fiat talis brachij protenſio oportere diuidi cælum, quod an hucuſq; factũ ſit, verior eſt pars negatiua, quia loquutiones ſcripturæ de cęlorum apertione, ſunt metaphoricæ, & myſterijs plenæ, vt ibi *cæli aperti ſunt, & vox Patris intonuit*, & de Stephano, *video cælos apertos*, & de Meſſia, *vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes*, quandoquidẽ cum inalterabiles ſint, & incorruptibiles, fracturæ quoq; erunt incapaces: præcipuè in ſententia dicentium materiam cælorum eſſe rationis alterius à materia noſtra, vt illa inexpers ſit, & incapax corruptionis. tum etiam in Schola dicentium, ipſos non recipere peregrinas impreſſiones. tum deniq; ex Iob dicẽte *cæli ænei ſunt.* quod currit in ordine ad Agẽs creatũ, & ad potentiã Dei ordinatã, nõ autẽ abſolutã; tum quoq; quia de facto non experimur, neq; experti vſquam fuimus alterationem aliqualem eorum ſubſtantialem; & quæ futura erit tempore iudicij, erit ſolum accidentalis, in motu, & lumine, vt pſal. 102. *ipſi peribunt*, nempè cæli, *& mutabis eos, & mutabuntur.* Lucæ 21. *cælum, & terra tranſibunt.* Eccleſ. 17. *quid lucidius ſole, & hic deficiet.* 2. Petr. 3. *cæli magno impetu tranſibunt.* & apoc. 21. *vidi cælum nouum.* qualem alterationem ſubſtantialem, neq; (fiendam forè) cogimur aſſerere: licet namque natura ſua corruptibiles forent, vt affirmat Chriſoſt. homil. 9. ad pop. Anth. Baſil. homil. 1. in geneſ. Damaſc. l. 2. fidei c. 6. Ambroſ. l. 1. exam. c. 6. cum antiquiorib. Philoſophis, Platone in Tim. Anaxag. Democr. Cratill. Senec. Zen. nihilominus vrget vel oppoſita ſententia Ariſtotelis l. 1. de cælo. c. 3. & l. 2. c. 1. & lib. ad Alex. cum cæteris peripateticis, vel etiam Dionyſ. 4. de diuin. nom. negantium ſuopte ingenio alterabiles: vel ſi hoc nõ conuincit, cogit tamen præſumptio, quod Deus ad faciendum hoc non cõcurreret, & ſic nõ concurreret cũ beato ad extenſionem bracchij extra cælum: & ſi concurreret, vtiq; arbitrãdum eſſet ipſum acturum miraculum, non. n. finita potentia frãgere poteſt corpora illa, ergo opus eſſet miraculo, vt frangi poſſet, quia ſupra vires naturæ: vel daretur penetratio dimenſionum ex miraculo: at peto ad quid miraculum illud? fruſtraneum eſſet, & inane, melius igitur cẽſendum non fore: quod ſi inconuenientia allata, fracturæ, & ſciſſuræ non obſtarent, poſſet vtiq; ſine recurſu ad miraculum porrigere brachium beatus naturaliter, & ſic exiſtimarunt nonnulli; verius tamen quod diximus, & Ariſtoteli, ac Theologis magis cõſentaneum. quidquid tamen ſit, remanet ſuperius noſtrum aſſertum poſſe illuc transferri corpus reale.

13 Quæres autem, tale corpus, vel ſpiritus in quonam eſſe habebit? non in ſeipſo, nec in loco, ergo id fieri nequibit: probatur primum, quia habere eſſe in ſe, eſt habere eſſe à ſe independenter, ſicut Deus, qui eſt in ſe, & à ſe: creatura autem eſt neceſſario dependens. Confirmatur, quia eſſe in ſe, eſt nullo indigere ad conſeruandum, connotat etiam neceſſitatem eſſendi, dum namq; nullo indiget, & habet eſſe, eſt ens neceſſe eſſe. ſecundum patet, quia ceſſante loco, non continetur in loco, nec erit in loco: præcipuè cum loca illa non ſint vera, & realia, ſed imaginaria. ſed reſpondetur negando, quòd habere eſſe in ſe, ſit habere eſſe à ſe: & illud habere eſſe in ſe duplicem habet ſenſum, alterum poſitiuum, & negatiuum alterum. primus eſt, quo connotatur habere eſſe ſimpliciter, & abſo-

Obſtatur.

Occurritur

Lapis extra cęlum, quomodo, & in quo haberet eſſe.

abſolutè, hoc enim eſt primo loco dicere, habere eſſe in ſe, ac habere eſſe: ſecundus eſt negatiuus,qnod idem eſt, ac non habere eſſe in alio; tanquam in locante,& hoc verum eſt. vel ſecũdo, habere eſſe in ſe ſumitur, vel quatenus non eſt in alio tanquam in conſeruante,& dante eſſe,& influente virtutem,& neceſſaria ad eſſe, & ad agendum;vel eſſe in ſe,tanquam non in alio locante, circumſcriptiuè, ſeu definitiuè,iuxta naturam exiſtentis,vel potentis exiſtere in loco: primus ſenſus eſt falſus, quia lapis extra cęlum haberet eſſe in Deo, tanquam in conſeruante, & influente ad eſſe, & operationem eius, ideoq; non excludit dependentiam à prima cauſa:ſecundus ſenſus eſt verus,quia deficit locus.

Deus non eſt extra cęlum tanquam in loco.

14 Dicimus quarto, Deus non eſt extra cœlum, tanquam in loco,nec eſt ibi, tanquam immenſitate ſua replens loca imaginaria. probatur, Deus non eſt in nihilo: ſpatia illa nihil ſunt, ergo non eſt ibi tanquam in loco. Præterea ibi nullus eſt verus locus,ergo nec erit ibi tanquam in loco: antecedens patet, quia nulla eſt ibi entitas poſitiua, quæ conſtituat locum. item replere, eſt connotare adeſſe alicubi extrema realia,quæ tamen ſint vacua:at extra cęlum non ſunt extrema iſta continẽtia vacuum: antecedens patet,quia replebilia oportet ſint vera extrema, vt arca replebilis auro, & figura quadrata,vel circularis replebilis ſuo corpore: minor prob. quia ibi nulla adeſt figura habens poſitiua extrema, intèr quæ intercipiatur vacuum, non enim ibi adeſt circulus, non quadratus, non triangulus,non ſimilia,quæ realib. cõſtent extremis, & intus ſint vacua, ergo nulla fienda repletio à diuina immenſitate, itaut cogatur ibi adeſſe Deus, vt ea repleat, quandoquidem non ſunt.

Cõuexum vlt. ſphæræ non habet rationẽ loci continẽtis.

15 Dices adeſſe ſuperficiem conuexam vltimæ ſphæræ, ſupra quam tamen recipiuntur vacua imaginaria,ergo adeſt reale extremum. Reſpond. concedimus adeſſe extremum hoc,ſed vnicum eſt, & ſingulare: ad faciendam autem repletionẽ oportet conſtituere non vnicum, ſed plura extrema cõtinentia,quæ extrema debeant habere rationem ocluſiuam, ſaltem ex parte, ſi non ex toto: ſola enim linea non ſufficit ad ponendum fundamentum repletionis: ſed vel requiritur vt linea ipſa ſit circularis,vel ſemicirculus, vel formet triangulum, quadratum, vel aliam quamcunque figuram, vt ſic dicatur poſſe repleri, debet namq; habere terminos, quibus poſſit vacuum intercipi, & repletio intercludi: nam linea recta non poterit vocari vacua, nec plena, ergo opus eſt vel ſit circulus,vel ſemidiameter;vel figura altera, cui cõpetat cõtinere, vel poſſe continere,aut repleri. vel ſi erit ſemicirculus,ex parte quidem concaui erit corpus aptum ad vacuum, vel ad plenum, non verò ex parte connexi: ſic autem accidit ad vltimã ſphærã, vbi circulus eiuſdem ſphæræ apparet contiguus ſpatijs imaginarijs, at quia circulus ille eſt conuexus,ideo non eſt aptus natus repleri, quia non habet rationem continentis, qualem haberet ſi eſſet concauus, prout concaua pars eiuſdẽ ſphæræ verè repletur, & verè contingit Angelos, & Animas beatas: igitur ſi Deus exiſteret in conuexo cæli, non repleret illud,non enim habet rationẽ continẽtis: nec etiam rationem vacui, tùm quia ſupra cęlum nec [illegible], nec locum admiſit Ariſtot. tùm [illegible] quia oppoſita habent fieri circa [illegible], ibi autem non eſt corpus continens,ergo non eſt vacuum, quia vacuum eſt in corpore vacuo. Denique Deus exiſtens extra cęlum nullam relationem haberet ad loca illa, nec etiam rationis, deſumendo occaſionem à fundamentali,& reali loco. dixi ſic,quia iam ſcimus duplici modo relationem rationis localem competere poſſe Deo; vel quia exiſtente eo in vero loco, reſultat in eo relatio rationis, occaſione loci:vel etiam, quia & ſi in nullo exiſteret loco, poſſet tamen intellectus vittute concipi in ipſo relatio hæc rationis, ſolùm pendens ab intellectu, nulla tamen deſumpta occaſione à loco,quia non eſſet. dum igitur ibi nullus locus,nulla in Deo relatio ad locũ occaſionata à loco: niſi confingas ope intellectus,deſumpta occaſione à loco ſolùm imaginabili, vt à ſpatijs, quæ etiã erit rationis, & adæquatè, & mutuo

Extra cęlũ nec eſt locus,nec vacuum.

Dei ad ſpatia imaginaria nulla relatio.

tuo eſſet rationis, tùm ex parte Dei, tùm ex parte ſpatij, quod eſt ens rationis: quæ tamen inadæquatè eſt rationis, quandiu in loco exiſtit reali, exiſtente reali relatione ex parte loci, & ex parte Dei, rationis.

16 Et hoc noſtrum aſſertum confirmat D.Auguſt.l.2.de ſerm.Dom. in mont.cap.9.dicens, *vbique pręſens eſt, non locorum ſpatiis, ſed maieſtate præſentia*.& clarius in 11.de Ciuit.Dei c.5. vbi ait, *inanes eſſe hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur ſpatia extra mundum*. & Bernard.lib.5.de conſiderat. *non eſt quod vltra quæras vbi erat antequam mundus fieret, cum præter ipſum nihil erat*. & idem Aug. ibid. *inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cùm nullum tempus ſit ante mundum*. negat autem tempus, negat & locum.& in hunc ſēſum loquũtur Doctores negantes Dei præſentiam extra cęlum; non enim eſſet ibi tanquam in loco, nec relationē realem terminaret realis loci, nec diceretur replere locum talem: quæ omnia præſupponunt locum realem, verum, & poſitiuum, cùm ſufficientia ſint loca illa imaginaria, vt de eis tales poſſint enunciari veritates, atque dici actualiter repleri ab aliquo contento; non enim loca illa ſunt vera, ergo non habent rationem loci repleti: eo maximè quod ibi non adeſt corpus verè replens &c.

Ante Orbis creationē Deus non erat in ſpatijs imaginarijs.

17 Dicendum vltimo, Deum ante mundi productionem, ſicut poſt mundi deficientiam, ſi ipſum annihilaret, non erat in ſpatijs imaginarijs nec foret in ijſdem: ſed erat in ſemetipſo, nulla relatione dicente ad locum. hoc remanet probatum ex dictis: non.n. eſt in nihilo, ſpatia fuere, & ſunt nihil: non erat in loco, cum non fuerint vera entia, ergo remanet vt fuerit ante mundum in ſemetipſo. & nunc quoq; dicatur non eſſe ibi, quia ibi nihil eſt, & non eſt locus, eſſe autem alicubi eſt in ſe fundare, & terminare relationem ad locum, ibi nulla reperitur ad Deum relatio, nihil ergo terminat, nec ad aliquid refertur. item nihil ibi producit, nihil cōſeruat, nullam experitur ibi operationem, igitur ibi non eſt. quo fit vt ante mundum reſpectu ad talia ſpatia, diceretur non in ſpatijs fuiſſe, ſed in ſeipſo, & nunc reſpectu ad ſpatia eadem, non dicatur in illis eſſe, ſed in ſolo ſeipſo. hæc eſt verior, & expreſſa ſententia Patrum; Auguſtinus.n.in pſal.122.quęrit, dicens, *antequam faceret Deus cælum, & terram vbi habitabat?* reſpōdet. *in ſe habitabat Deus, apud ſe habitabat*: & decidens quæſtionem de præſenti, vtrum nunc habitet in ſpatijs eiſdem? reſpondet, *apud ſe eſt Deus*. & idem contra Manich.c.37. inquit, *ſi quis reprehendere velit illud Domini*, quod in Euangelio dictum eſt, *non iurabis per cælum, quoniam ſedes Dei eſt, neq; per terram, quoniam ſcabellum eſt pedum eius; & hoc dicat, vbi erat Deus antequā eſſet cælum, & terra? nonne ignorāt vbi caput habeant, & tamen aliquid ſibi videntur dicere*: & reſpondens quæſito, ait, in pſal.122. *apud ſeipſum habitabat, & in ſeipſo eſt Deus*. & lib.de natura boni contra Manich.c.3. ſubdit, *Deus ſupra omnem creaturæ modum eſt, ſupra omnem ſpeciem ſupra omnem ordinem, nec ſpatijs locorū ſupra eſt*. Diuus quoq; Baſil. homil.16. in c.1. Ioann. ait, *vbi erat Verbum?* reſpondet, *non in loco*, at vbi erat? reſpondet, *apud Deum*. hoc eſt clarius teſtimonium non fuiſſe in ſpatijs, quæ nihil ſunt. expreſſius autē Tertull. contra Prax. c. 5. *ante omnia Deus erat ſolus, & ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia*. quo oſtendit Deum non eguiſſe loco, quia ipſe ſibi locus, quoniam erat in ſeipſo. Ac deniq; confirmant de hac re duo carmina ab antiquis vſurpata, *dic vbi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet?* Reſpondet Vates, *tunc vbi nunc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe*. & talis eſt etiam ſenſus omniū Patrum, immo talis cæterorum Doctorum, præterquam eorum, qui multum ſpatijs tribuunt, & plus quam illis deberet conuenire.

Deus ante Mundum vbinam erat?

Exponuntur Patres in oppoſitū adducti.

18 Ad loquutiones Patrum, quibus oſtenditur Deum eſſe intra, & extra, intelligendæ ſunt, quatenus oſtendere nituntur immenſitatem, vt non intelligatur Deus claudi, & limitari intra mundum, ſed ſuper omnia excedere, & vt dicit Auguſt. *ſupra omnē modum, ſupra omnem ſpeciem, ſupra omnē ordinem, à quo omnis modus, omnis ordo, omnis ſpecies*, vel vt ait Alenſ. *intra mū-*

dum non incluſus, extra mundum non excluſus. & hæc profectò verior eſt, & rationabilior, quam defendit Scot. in 1.d,37.q.1. D.Bonau. ibid. art,2. q.2. Riechard. Durand. Caprol. Carthuſ. Argentin. Baſſol. Fauent. cæteriq; Scotiſtæ, cum Alenſi 1.p.q.9.art.4. quibus adde ex recentiorib. Valentiam 1.p. diſp.1.q.8.punct. 2, Vaſqu.1.p.diſp.29. & Bann.q.8. art.2.

Obſtatur. 19 Dices hoc derogare immenſitati Dei, non admittendo eum in ſpatijs imaginarijs, conſtaret namq; magis eius immenſitas, maioremq; perfectionem ipſi tribueremus colloeando in ſpatijs. *Occurritur* Reſpondeo: id, quod nihil eſt, perſectum non eſt: quia entitas eſt fundamētū perfectionis: ſpatia nihil ſunt, ex quo neq; perfecta erunt, & Deum ſpatijs inſerendo, nullam ei perfoctionem tribueremus, quia attribuendo ſpatiaꝫ attribuimus ei nihil. item non eſt Deus cupidus eius, quod non eſt, nec perfectionis, quæ non reperitur in rerum natura: hæc nec ſunt, nec perfecta ſunt: non.n.ſunt in rerum natura, poſſe tamen eſſe in ijs, quando replebūtur veris corporibus, ſeu ſpiritibus, id quidem perfectionis eſt in actu primo, quæ demonſtraretur in actu ſecundo, quando actualiter eſſet in ſpatijs iam repletis, vt nunc oſtenditur, quia reperitur in loco, vbi erant ſpatia imaginaria, in quibus nunc eſt mundus: & hanc perfectionem procedentem ex immenſitate admittimus in eo, quia poteſt eſſe in ſpatijs iam repletis, vt nunc eſt.

ARTIC. III.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Molinæ reſponſio refellitur. 1 AD primam autem rationem ij qui aſſerunt verè eſſe in ſpatijs maginarijs abſolutè negarent moueri Deum: oporteret.n. ad motum agendum vel quod ibi non eſſet, & de nouo inciperet eſſe, quo dato, aiūt moueri ſaltem per accidens; vel neceſſe eſſet, vt deſineret eſſe in hoc orbe, in quo nunc eſt, quo ſequeretur, deſinendo eſſe hic, & eūdo ad ſpatia, ſore mouendum. ex his eſt Molina, ex motu concludens præſentiam in ſpatijs. Cōfirmari autem poteſt magis argumentum, vt poteſt Deus totum vniuerſum mouere motu recto verſus extra cælū, & in ſpatia imaginaria diſtantia ab ipſo vltimo cælo extra: tunc inter mundum, & locum termini motus mediaret ſpatium vacuū: hoc quidem in loco, vnde abſcederet orbis, nō eſſet per te Deus, eſſet autem in termino motus cum mundo, ergo acquirendo nouum vbi mutaretur. ſunt qui reſpondeant vniuerſum non poſſe motu hoc recto moueri, ne vrgeantur concedere Deū moueri cū ipſo: quod ſi dixeris, poteſt Deus creare alterum mundum extra hunc, qui diſtaret ab hoc mundo, tunc acquiret nouum vbi in alio mundo, atq; moueretur, quia diſcretè tranſiret de hoc ad illum mundum, & non fieret in medio, quia nihil eſſet: reſpondent caſum eſſe impoſſibilem, vt creet mūdum diſtantem ab iſto, quin prius repleat corpore ſpatium illud intermedium: & ſi daretur ſpatium vacuum inter mundum hunc, & aliū, tunc Deus moueretur de hoc ad illum, at neceſſe eſſet prius replere aliquo corpore ſpatium medium, & inde creare alterum mundum, ex quo nō moueretur Deus, quia eſſet iam in hoc mundo, eſſent in ſpatio medio, eſſetq; in altero mundo. *An poſſit Deus eſſe pluribus mūdis præſens, vacuo inter eos intercepto.*

2 Verum prima reſponſio nō ſoluit argumentum, nec cogit vt aſſtruamus Dei præſentiam in ſpatijs; negato namq; eſſe in ſpatijs nec ex argumento, neceſſario ſequitur in tali caſu moueri: ad motum namq; verum, qui ſit acquiſitiuus, multa requirūtur, & præcipuè ad motum per accidens, de quo loquimur, non.n. argumentum probat moueri per ſe, quod non intenditur de Deo, ſed ſaltim per accidens: ad motū, inquam, talem requiritur vt mobile ſit definitiuè, vel circumſcriptiuè, ſeu determinatè in tanto loco finito, iuxta virtutem ſuam, & non in vlteriori, qui ſphæram ſuam excedat: inſuper quod mouēdo recipiat aliquid reale, vt realem quātitatem motus in ſe ſubiectet, & vltra vt fundet, & terminet veram *Creādo nouum mundum diſtātē ab hoc, an Deus moueatur ad illum.*

re-

relationem realem præſentiæ ad nouũ locum,& ſui motus: vlterius, vt quod mouetur per accidens, ſit in alio, vel tanquam forma in materia, vel tanquã pars in toto, vel tanquam accidens in ſubiecto,vel tanquam mouens ad mobile alligatum, vel tanquam quid coniunctum rei mobili, & ſimilia. nullum iſtorum Deo competit, non.n.eſt loco determinato ita affixus,vt ille adęquet infinitam ſphæram virtutis ſuæ, ita vt motu indigeat, & mutatione ad reperiẽdum locum extraneum, immo ſicut entia omnia in ſe continet, ita & loca omnia: nec acquirit quid reale, nihil namq; reale de nouo acquirit Deus: nec realem adipiſcitur relationem ex præſentia ad locum, cum ea ſit ſolius rationis: nec eſt in mundo tanquam forma in materia, nec tanquam pars in toto, nec veluti accidens in ſubiecto, nec vt neceſſario alligatum ipſi mundo ſub ratione mouentis,quia & ſi ipſe moueat mundum,ſeu & ſi ipſe mundum immediatè moueret, deſiſtentib. ex placito volũtatis ſuę Angelis à motione cælorum, nihilominus non diceretur eſſe ita alligatus mobili,ſicut Angelus,aut Quadriga,qui in determinata parte currus, vel ſphæræ ſunt affixi, & applicati,& nõ in tota ſphæra,Deus enim eſt vbiq; nec deniq; tanquam quid accidens addictum rei mobili:ſed adeo eſt in re mobili incluſus,vt extra illam non remaneat excluſus ex Alenſi artic. præced. citato. ex his ergo, & ſimilib. concernentibus ad verum motum,ſiue per ſe,ſiue per accidens,conſtat non moueri ad motum orbis.

Requiſita ad motum.

3 Quod autem ſubijciebant alij non poſſe orbem motu recto moueri, ne dicatur cum eo moueri Deus, remanet exploſum ex dictis: & quod addebant, non poſſe mundum diſtantem ab hoc creare,id profectò falſum, hoc namq; ſolum requireretur ad totius vtrinſq; machinæ ordinẽ, & perfectionem accidentalem, ne daretur vacuum inter eas, ideoq; eſſet contiguatio, & communicatio: cæterum ex parte Dei non implicat: immo nunc poteſt annihilare totum aerem medium inter lunam,& terram,& conſeruare mũdum, ergo id quod facere poteſt poſt creationẽ,potuit agere ante, vt dato, quod prius repleret ſpatia imaginaria, & inde crearet alterum mundum, poterit poſt creationem alterius mũdi eadem ſpatia repleta euacuare, & inania reddere: ergo euaſio hæc futilis eſt ad negandum motum in Deo: ſed dicatur, quod ſiue creet mundum alterum, contiguum mundo iſti, ſiuè diſcretum, & diſtantem ab eo, ſpatijs vacuis interceptis, non tamen mutabitur per nouam præſentiam ad alterum mundum, tùm quia nihil reale de nouo acquiret, ſed ſolam relationem rationis; tùm etiam ob rationes nuper aſſignatas. idem dicendum de lapide, & de brachio extento extra cęlum,quod ibi eſſet cum lapide, & brachio, ſed non mutabitur,ob dicta.

Mundum vnum diſtantem ab altero põt creare Deus vacuo intercepto.

Contiguatio inferiorum ad ſuperiora ſpectat per accidens.

4 Ad ſecundum negatur aſſumptũ, vt quæſt. præced. probauimus, poteſt .n. agere in diſtãs.

5 Ad tertium de ſphæra:vtiq; omnis ſphera reſpectu Dei immenſi minima eſt: attamen ſuppleri nequit ab eo, quod non eſt, vt ſunt ſpatia illa ficta,quia nihil ſunt. immo dum ſphæra mundi eſt quid verum,& reale, & quid minimum reſpectu Dei,minus ſuppleri poterit,& augeri ab ijs,quæ non sũt ens reale,vt ſpacia:quod ſi loquaris de ſupplemento imaginario,vt hoc modo ſuppleat, & hoc modo adaugeatur ſphæra Dei, transeat: ſed attendatur, quòd talis auctio non eſt realis, & vera,ſed ficta ab intellectu:& ſi inde euaderet realis per eorum repletionem, adhuc finita erit,& inadæquata immẽſitati Dei.

6 Ad illud de diſtantia:corpora quidem à ſe inuicem diſtabunt, ſed negatiuè, vt diximus artic. præced. quia medium eſt negatiuum: at Deus licet in locis exiſteret diſcontinuis, à ſeipſo nõ diſtaret, cùm eſſet in ambobus: Verùm hæc ratio non ſufficit ad negandum diſtare à ſeipſo; quia corpus in duobus diſcontinuis locis poſitum pariformiter à ſeipſo non diſtaret abſolutè, & ſubſtantialiter, cum eadem eſſentia ipſius eſſet in ambobus: diſtaret tamẽ localiter, ſeù reſpectiuè, fundando in ſe varios reſpectus locales, vnde diceretur, quatenus eſt hic, in ſenſu compoſito,non eſt ibi; & quatenus hic,in ſenſu reduplicatiuo,diſtaret

Creatura vt hic, vtrum diſtet à ſeipſa,vt alibi.

à ſe-

Deus vt hic, vtrum diſtet à ſeipſo, ut alibi.

à ſemetipſo, quatenus ibi: igitur multiplicarētur reſpectus, propter quos diſtaret, remanente non multiplicata ſui eſſentia, ratione cuius à ſeipſo non diſtaret: ſed differentia reperitur inter corpus, ſeù ſpiritus creatos, & Deum; etenim creatum locabile dum realem relationem acquireret ad loca diſcreta, & diſcontinuata, ſeù diſtantia inter ſe, dicetur etiam diſtare per aliquid reale, & poſitiuum, licet relatiuum, vnde quatenus in hoc eſſet loco, diceretur carere aliquo reali, quatenus eſſet in alio loco, & ė conuerſo, nempe relatione reali ad talem locum: At Deus quatenus hic, non priuatur aliquo reali, ratione alterius loci, quia nil reale acquirit: vnde quatenus hic, non diſtaret à ſeipſo quatenus ibi, quia idem Deus eſt hic, & ibi, & totum, quod habet hic, habet ibi, & ſtando hic, nihil deperdit de ibi; quæ omnia intelligēda ſunt de entitate reali: quatenus enim hic, habet totam entitatem realem, quam ibi, & quatenus hic, non diſtat ſecundùm entitatem, quamcunque realem ab ibi: licet quatenus hic non habeat relationem rationis, quam habet ibi, & quatenus hic, dicitur diſtare diſtantia ſolùm rationis à ſeipſo, quatenus ibi. patet ergo qua ratione verè non diſtet, tùm quia eadem ſua eſſentia eſt hic, & ibi, tùm etiam, quia quatenus hic, habet totum reale, quod habet ibi, licet non habeat reſpectum rationis, quem habet ibi: Et ſi ex diſtantia hac rationis inferas diſtantiam abſolutè, committitur fallacia à ſecundùm quid, ad ſimpliciter, quia diſtat ſecundùm rationē, ſed non realiter; non quod habet reſpectum aliquem realem, & eundem hic, & ibi, cùm reſpectus realis non inſurgat in Deo penes loca, & creaturas, ſed quod eadem ſua ſubſtantia realis, inalterata, & immutata realiter ſit hic, & ibi.

Tēpus infinitū imaginariū nō coextitit actualiter æternitati, ſicut nec loca imaginaria immenſitati.

7 Ad ſimilitudinem de æternitate dicendum æternitati non coextitiſſe actualiter infinitum tempus imaginarium, quia coexiſtentia pro formali, eſt realis relatio, quæ poſtulat amborum terminorum coexiſtentium realitatē, ſpatia autem ante Mundum non fuere realia, ideo non coextiterunt: ſolùm verò habebat æternitas potentia ad coexiſtendum illis. quia fuerunt in potentia ad eſſendum realiter, ſicut nunc ſunt: & modo etiam æternitas eandē potentialem coexiſtentiā dicit ad poſſibilia, quæ tunc erant imaginaria: ita etiam de coexiſtentia immenſitatis ad ſpatia.

Semper, et vbiq; variè explicantur.

8 Ad confirmat. dicendum vt declarauimus, ly, *ſemper*, ſe tenere negatiuè ex parte temporis: ergo ly *ſemper*, aut ſumitur tanquam paſſio æternitatis, aut tanquam paſſio veri temporis: primo modo verum eſt Deum ante mūdum ſemper fuiſſe, quia ab æterno fuit, ſi tamen ſit differentia temporis, eſt falſum, cùm nullum extiterit tempus, niſi in imaginatione. ita ly, *vbiq;* ſi connotat differentiam veri loci, falſum eſt ante mundum, nullo exiſtente loco; ſi tamen connotet immēſitatem in ordine ad ipſum Deum, verum eſt fuiſſe vbiq; ante mundum, quia erat in ſeipſo, qui eſt amplior, quàm infinita vbi: atque etiam, quia tunc nil aliud erat niſi ſolus Deus, ideo exiſtens in ſeipſo, dicebatur eſſe vbiq; quia exiſtebat in omni eo, quod erat, erat autem tunc ipſe ſolus, ergo in ſe ſolo ſic vbique & ſicut tunc etiam ab æterno erant omnes perſonæ diuinæ, ita erat in eis, ob quod dicebatur eſſe in omnibus &c. ſicut infra dicemus, quod ſi deſtrueret Mundum, & relinqueret vnicum ſolum lapidem, Deus diceretur in lapide eſſe, tanquam in vbique, quia nil aliud eſſet. Vel vt ſup. attingimus, ly *ſemper*, & *vbi*, pro eo tunc ante mundum ſumi negatiuè, vt dicebatur ſemper fuiſſe, quia nunquam defecit à ſuo eſſe: & vbiq; fuiſſe, quia non reſtrictus, non limitatus, ſed immenſus. vel deniq; de vbiq; potentiali.

9 Ad vltimum inconueniēs, quod alias reperiri poterit aliquod perfectius ens, quod ſpatia illa poterit replere, dicendum id nō poſſe fieri, quia extra nec locus eſt, nec vacuum ex Ariſt. ſup. igitur à nullo agente, ſiue perfecto, ſiuè imperfecto poterunt repleri, cùm nihil ſint, cùm verò ea fiene ſpatia vera, & realia, iam non eſt quærendum extra Deum agens aliud perfectius, quod poſſit repleri, quia Deus perfectiſſimus eſt, potens ea conſer-

uare,

uare,& creaturis replere. Ad authoritatem Anſel. *Deus eſt, quo maius cogitari non poteſt*, intelligendum, *abſq; contraditione*, ſed cũ contradictione poterit cogitari de eo quid maius, poſſet enim intellectus concipere infinitos Deos, maiores noſtro, vero, ac infinito Deo, at conceptio hæc mendax eſſet, & falſa, inuoluens contradictionem, ſic poſſum concipere aliquid Deo perfectius, quod repleat Mũdum, & ſpatia, quæ non ſunt, at contradictio eſt: an verò creaturæ vnà cum Deo faciant aliquid maius, ac perfectius, dicetur in mater. perfectionum Dei.

Deus eſt quo maius cogitari nõ poteſt: exponitur.

Ad Patres.

10 Ad Patrum loca dicendum primo abſolutè omnes oſtendere intendiſſe Deum non coarctari, ac limitari in Mundo, eo modo, quo creatura; & ideo ad eius illimitationem, & immenſitatem oſtẽdam, dixere reperiri quoque extra Mundum: iuxta illud, *intra mundum non incluſus, extra mundum non excluſus*. & de ſpatio, quod apponunt extra cœlum, prout Auguſt. primo loco videtur dicere, non ait illud eſſe ſpatium reale, & actuale, ſed imaginarium, quia concipimus ibi poſſe Deum mundum alium producere, ſicut mundum creauit in ſpatijs illis, in quibus mundus nunc eſt: immo idem Auguſt. 11. de Ciu. c. 5. diſputans contra Philoſophos negantes mundum dum creatum in tempore, in quo illi aiebãt creatum ab æterno, aliàs Deus æterno tempore fuiſſet otioſus, ex quo admittebant infinitum tempus imaginarium, quo præexiſteret mundus, ſubdit ipſe Aug. hinc ſequi, debere quoq; admitti in infinita ſpatia, quam conſequentiam de ſpatijs non aſſertiuè inferebat Auguſt. ſed ex cõceſſis ad hominem. ergo cùm alibi expreſsè admittit ſpatia, & partes eorum, in quib. creauit Orbẽ, ea vocabat ab intellectu confiſta, nõ realia, ſed imaginaria, erãt .n. loca potentialia, in quibus apponi potuerat mundus, ſicut appoſitus eſt.

Ad illud de ſpõgia.

11 Et ad illud de ſpongia, ſenſus eſt, Deum eſſe in mũdo, & operari per intimum illapſum, ſicut aqua maris intimè penetrat poros, & meatus ipſius ſpongiæ: & ſicut de aqua maris, vltra eam, quæ intercipitur in ſpongia, ſupereſt quantitas maxima exiſtens extra eandẽ ſpongiam, ita Deus eſt adeo immẽſus, vt & ſi intimè illabatur creaturæ, ac toti mundo, nihilominus non limitatur, nec definitur in mundo, ſed etiam habebat eſſe in ſeipſo ante, & extra mundum; & ſicut mare ingreditur ſpongiam, & in ſe etiam continet eã, ita Deus ſit intimè intra mundũ, & contineat illum, iuxta eiuſdẽ Auguſt. verba 1. confeſſ. c. 3. *an non opus habes*, loquitur cũ Deo, *vt à quoquã continearis, qui cõtines omnia, quoniã quæ imples, continendo imples*. idem ad Trimegiſtũ.

Ad Patres

12 Ad reliquos Patres vt ſuperius, eſt reſpondendum: & cùm dicunt eſſe *extra*, nituntur oſtendere non eſſe in mundo definitiuè, & circumſcriptiuè: & cùm dicunt, *ſupra*, demonſtrant eius eminentiã, influxum, ac poteſtatẽ: ſimiliter cùm dicunt eſſe *forinſecus*, eſt ſenſus non conſtringi intra mundũ, vt nos. & ad Baſil. dicendum loqui de rebus creatis, circa quas diſcurrendo per intellectum, & eas noſcendo, concipere debemus in eis eſſe Deum, non autem de ſpatijs, in quibus, etiam ſi illa mente concipimus, non eſt Deus, vt ipſemet fatebatur ſup. de Verbo, dicens, *vbi erat Verbum, non in loco, ſed apud Deum*. vel ſi de ſpatijs conceptis loquitur, mens eius eſt, ibi eſſe in potentia, quatenus replebilia ſunt, vel in ijs, quatenus ſunt actu repleta, vt ſpatia præcedentia, mundo actu oppleta. De Trimegiſto etiam, clarius conſtat eum non collocaſſe extra cœlũ, ſed immenſitatẽ extollendo, dixiſſe non capi centrò, nec includi circunferentia, ſed centro carere, atq; circunferentia. Cõſimiliter loquitur Eccleſia in Virgine, & ſcripturis, vt oſtandat eius immenſitatem non concludi, ac diffiniri loco.

Trimegiſtus.

Ad Philoſophos.

13 Ad Philoſophos autẽ, & ad Ariſt. dicẽdum extollere voluiſſe Dei perfectionem, & Intelligentiarum, dicens nõ decere ipſos collocari intra mundũ ad eum modũ, quo concludũtur corpora, ſed extra cœlũ eſſe, nempe in ſe ipſis, nõ definitos, nec circũſcriptos à mundo. eodẽ ſenſu loquutos Stoicos, & Platonicos. vel ad placitũ D. Th. collocaſſe in extimo cœlo rõne actionis, alicuius perfectionis: ſed quidiquid ſit, ſi aliter ſenſerint, quã catholicã Theologiã decet, nõ curãdũ de ipſis, Ethnici .n. ſunt.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum immenſitas poſſit communicari creaturæ.

Negãt aliqui.

1 AN vero adeo ſit Dei propria vbiquitas, vt communicari nequeat creaturæ diſcrepãt Doctores. & quidem ſuſtinentes per Dei potentiam non poſſe collocari creaturam in locis pluribus ſimul, dicerent multo minus communicari ſibi poſſe immenſitatem. in ſpecie autem negant fore poſſibilem communicationẽ iſtã ex recenſiorib. Suar. de Trin. l. 2. c. 3. in fin. & Molin. q. 8. art. vlt. refertur etiam Vaſq. in hanc ſententiam ab aliquibus, ſed immerito, nihil. n. de hoc Vaſquez, ſed modo ordinario, & de ordinaria lege loquitur, vt non competat corpori: & ratio quam affert, hoc non negat, de poſſibili ſaltem, ait. n. creaturam nõ habere aptitudinem ad eſſẽdum vbiq; quod eſt verum etiam in ſententia Scoti, vt mox nos quoque expendemus.

Immẽſitas poteſt communicari creaturæ.

2 Placet ergo nobis affirmatiua ſententia, qua ſtatuitur Deum de ſui potentia poſſe vbiquitatem, & immenſitatem communicare creaturæ: quæ quidem rationabilior apparet, & magis diuinam extollit omnipotentiam. Suadetur autem breuibus, quia ſi quod eſſet inconueniens, ſequeretur creaturam eſſe infinitam: immenſam: indepẽdentemq; atq; omniſcientem, cum ratione præſentiæ ſuæ vbiq; locorũ poſſit infinita intueri, quæ fierent in vniuerſo. At hæc inconuenientia minus obſtant, vt denegare debeamus tale poſſibile.

Inconuenientia ſoluuntur.

3 Et quoad primum, cum duplicẽ habeamus infinitatem, intenſiuam, & extenſiuam alteram, non eſſet creatura infinita intenſiuẽ, eſſet vero ſolum ſic extenſiuẽ, præcipuẽ ſuſtinendo dari poſſe per Deum infinitam quantitatẽ in actu extenſiuẽ: Verum hæc reſponſio non eſt bona, quia talis quantitas non diceretur eſſe immenſa, nec in infinitis locis ſituata, ſed eſſet in vno loco ſolum, & quidem in vnico infinito loco extenſiuẽ: nam quantitati infinitę correſponderet locus infinitus: item quãtitas hæc eſt vna, ergo in loco vno, non igitur in locis eſſet infinitis: confirmatur, quia partes, continuæ ſunt, nec diuiſæ, nec conſequenter aſſignatur ſeparatis locis, atq; ſeorſim ſumptis à toto infinito loco infinitæ extenſiuæ, quantitatis; igitur ad infinitatem dicendum, primo negari forẽ ſie in virtute infinitam, quia modus exiſtendi immenſiuẽ non eſſet ſibi connatus, ſeu non haberetur à ſe, ſed mendicatus ab alio, modos tamen vbiq; coexiſtendi infinitẽ ex ſe, atq; ex propria virtute, infinitatem connotat intenſiuam. ſecundo, talis corporis infinitas eſſet ſolum extenſiuẽ, non quidem ad modũ quantitatis vniꝰ infinitæ, vt eſt dictũ, ſed extenſiuitas iſta eſſet ſolummodo reſpectiua, quia participaret infinitos reſpectus ad infinita vbi: non autem implicat variari poſteriora hæc, & reſpectus iſtos locales, inuariatã entitate, & ſubſtantia fundamenti: vel tertio eſſet infinitas hæc ſolum extrinſeca, nõ intrinſeca: hæc pro fundamento habet infinitatem virtutis, atq; connaturalem exiſtendi modum immenſiuẽ per immenſitatem, & illa pro radice habet voluntatem diuinam, qua corpus idem coexiſtere faciat locis infinitis.

Ad illud de infinitate.

4 Hinc ad conſequentia inconuenientia, de immenſitate, & independẽtia, dicendum forẽ immenſam extrinſecẽ, & non ex intrinſeca ſui virtute.

Ad illud de immenſitate.

5 Et de independentia, negandum om-

Ad illud de indepē-dentia.

omnino forè independentem etiam extrinſecè,quia quouis modo conſideretur ſua immenſitas, ſemper erit dependens,quia à Deo habebit, vt poſſit in locis admitti infinitis.

Omniſciē-tia poteſt communi-cari creatu-ræ à Deo.

6 Ad vltimum autem de omniſciētia,dicendum primo,quod omni ſcientia poteſt communicari puræ creaturæ, ſicut iam de intellectu creato animæ Chriſti babemus:id autem non habebit à ſe,ſed à Deo: ſecundo,non valeret intellectus creatus à ſe ſcire omnia,licet eſſet præſens omnibi, tū quia per plura eſſent difficillia intellectu, tum etiam quia, difficultate remota, minus redderetur aptus ad infinita naturaliter capeſſenda,diſtraheretur nãq; ex intellectione intentiori alicuius obiecti,quo minus promptus redderetur ad intellectionem alterius, & multo magis ad intellectionem infinitorū, vt dicitur, *pluvib. intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*: vel deniq; poſſet Deus impedire ne ea omnia ſciret quib. eſſet præſens,ſicut iam de facto impedit, & impediuit malos Angelos à cognitione multorum,quæ naturali vi poterant intueri,ex Auguſt. & Ambroſ. ergo hęc non impediunt,quo minus poſſit creaturæ tribui immenſitas.

Probatur intentum.

7 Inſuper nullum fieret præiudiciū diuinitati,infinitati,atq;Dei ipſius vnitati: quæ fortè poſſent obeſſe tali immenſitati; ſiquidem non propter hoc deſtrueretur Dei vnitas,cum immenſitatis communicatio non reddat, nec efficiat creaturam Deū. quo nec multiplicarentur Dij, nec Diuinitas rueret,habendo conſortium, quia non reſultarent,nec plura eſſent infinita,cùm ordo ad loca infinita non ſit reſpectus infinitatis,ſed immēſitatis: & licet immenſitas intrinſeca nō habeatur abſq; interna infinitate,nihilominus immenſitas creaturæ eſſet infinita extenſiuè, ab alio,extrinſecè, atq; participatiuè, & ita non eſſet formaliter, & verè infinita.

Immēſitat intrinſeca non poteſt cōmunica-ri,benè ex-trinſeca.

8 Itaq; immenſitas ab intrinſeco pendens communicari nequit per abſolutam potentiam, & de hac loquuntur Sancti, & Scripturæ arti.1.præced. quæſt.allatæ: extrinſecè autem fieri id non repugnat: tum etiam quia cōmunicari poteſt æternitas,vt dicemus in eius mat. potuit.n.mundus creari ab æterno,eadem vero adeſt ratio locorū, & temporum,æternitatis, atq; immenſitatis. An autem id factum ſit,de tempore quidem, ſeu æternitate conſtat non factum, cum de fide habeamus mundum creatum eſſe in tempore, vt gen.1.& c.firmiter de ſum. Trin. & fid. catt. de immenſitate autem concedunt vbiquiſtæ, ſed hi ſunt hæretici: aſſerentes humanitatem Chriſti eſſe de facto vbiq; quia vt cōiuncta diuinitati Chriſti eſt, inquiunt, in locis omnibus, vbi eſt deitas Chriſti: quorum confutatio trāsfertur ad materiam de incarnatione. igitur cenſendum non factum, nec namq; comperimus neceſſum fuiſſe, vt factum fuerit,licet fieri ſit poſſibile.

Ad immen ſitatē crea-tura non habet incli nationem naturalē, ſed poten-tiā obediē-tialem.

9 Vnum notandum, quod in ordine ad immenſitatem,non dicitur creatura habere naturalem inclinationem quia ſequeretur ex propria natura debere habere illam, ſicq; eſſet verè infinita intrinſecè,verè indepēdens,eſſetq; *Deus*; etenim ſoli Deo ab intrinſeco competit, & neceſſario: habere autem dicenda eſt potentiam obedientialem ad immenſitatem, qua potentia redditur prompta ad obediendum Deo v.g. volenti eam in infinitis locis collocare.

Argumēta ſoluuntur.

10 Quo ſit, vt ceſſent argumenta, quib. noſtra poſitio impugnatur. inquiunt.n. vbiquitas fundatur ſupra naturalem potentiam ad infinita vbi: ergo à natura competeret creaturæ eſſe vbiq; ſicq; eſſet eius intrinſeca perfectio,non externa. Reſpondemus, vbiquitas diuina pendet à ſua diuina natura, ſeu inclinatione ad ſic, & ſic eſſe infinitè, & immenſiuè; vbiquitas vero creaturæ pendet à non repugnantia, vel à potentia ſolum obedientiali: & vnaquæq; vbiquitas fundatur ſupra ſuam potentiam reddendo ſingula ſingulis.

Immēſitas & vbiqui-tas an ſint idem.

11 Secundo vrgent, vbiquitas fundatur ſuper immenſitate, & hæc innititur potentiæ infinitæ, quo ſit forè infinitam. Dicendum, vbiquitatem, & immenſitatem in actu ſecundo eſſe vnum, idemq; eſſe .n. immenſum in actu ſecūdo,eſt eſſe in omnibus locis, ergo eſſe immenſum, & vbiq; ſunt idem, igitur falſum, vnum fundari in alio: immo

vbiquitas etiam in actu primo, & in actu primo immenſitas ſunt ſimiliter idem, quia ambo connotant facultatem, & potentiam reſpicientem loca infinita: ad min. cùm dicitur immenſitatem fundari ſupra infinitam potentiã, quidquid ſit modo de ordine iſto, dicendum, inde ſequi ex dictis, Deum fore infinitum intrinſecè, ſeù ab interno, & creaturam extrinſecè ab ipſo Deo. Defendunt hanc ſentent. Scot. in 4. diſp. 10. quæſt. 2. lit. K. Rad. 4. par. quæſt. 8. art. 1. Herrer. tr. 1. diſp. 28. art. 4. cæteriq; diſcipuli. Roffenſ. lib. 5. de Enchar. Gregor. de Valent. t. 1. diſp. 1. q. 4. punct. 4.

Vbiquitatis neceſſitas non ex parte Dei, ſed creaturæ indigẽtis præſentia Dei.

12 Vnum tandem aduertimus, quod eſſe vbique duo connotat, alterum quidem ex parte Dei, & ex parte locorum alterum: de primo loquendo non competit ei ita neceſſario, vt ſine eo eſſe non poſſit, quaſi opus ſit, vt ſit in omni loco; etenim ex parte ſui nulla habetur eſſentialis perfectio ex actuali exiſtentia in loco, niſi ſola accidentalis; connotat autem perfectionẽ abſolutam in eo, tantummodo in actu primo, quia id competere non poteſt intrinſecè, niſi enti infinito, perfecto, & immenſo: aliunde tamen non eſt eius eſſentialis, & abſoluta perfectio ſic eſſe vbique, nam ab æterno nec fuit vbique, nec fuit vllibi, aliàs tunc priuatus, & carens fuiſſet perfectione abſoluta, & eſſentiali; poſſetq; mundum deſtruere, nulla deperdita in eo perfectione, & gradu eſſentiali, ceſſaret autem in Deo ſolùm rationis reſpectus ad loca: De ſecundo verò non eſt neceſſe intelligere loca infinita, per eſſe *vbique*, quia de ſui loquutione, vbique non denotat loca infinita, ſed ſolùm connotat omnia, & ſingula loca, quæ ſunt in mundo: quæ & finita ſunt actu, & multo minora eſſe quoq; poterunt, quo fit, vt etiam iſta finita loca comprehendantur ſub propoſitione hac, *eſſendi vbique*, immo ſi duo vel tria ſola loca eſſent in mundo, adhuc diceretur Deus eſſe vbique, ſicq; etiam creatura in ijs exiſtens, eſſet vbique, ratio, quia non eſſent alia, & ita per vbique comprehenduntur ſingula loca, quæ adſunt: immo amplius, & ſi vnicum eſſet frumenti granum, & nil vltra eſſet extra Deũ, adhuc propoſitio eſſet vera, Deus eſt vbique, quia eſſet in loco, qui eſt, non adeſſet autem locus alter, aut creatura alia, niſi ſolum granum. ergo ad vbiquitatem non requiritur infinitas. Ex parte etiam Dei quod ſit vbiq; competit facta iam ſuppoſitione, nempe, quod dentur loca, quod mundus ſit, & quod creaturæ habeant aliquod eſſe, in quo ſit Deus: & hoc modo eſt ei competens eſſe vbiq; cæterum non competit vt abſoluta perfectio, ac neceſſaria, in actu ſecundo, cùm præcipuè noſtris locis non egeat, immo indigentia eſt ex parte creaturæ, vt ſit ſecum Deus: ſufficit autem ſibi ipſe, vt diximus, vnde quod ſit Deus vbique nõ eſt neceſſitas ex parte Dei, ſed ex parte creaturæ: dato nẽpe quod velit illabi in loca, & conſeruare creaturas, ſi namque ceſſaret eſſe Deus in eis, ruerent ipſæ creaturę iuxta pſalm. 13. *Aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione: Auertente te faciem tuam turbabuntur; auferes ſpiritum tuum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.*

DISPVTATIO DECIMA

De perfectione diuini eſſe in ſe.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus ſit omnium perfectiſſimus, contineatq; in ſe cęterorum perfectiones.

ARTIC. I.

Oſtenditur Dei perfectio ſupra omnes.

Quinam negauerit perfectionem diuini eſſe.

1 SOlū ex Antiquiorib. & pauci quidem, diuinam negabant omnimodam perfectionē, & infinitā: hi fuere Pythagorici, atque etiam leucippus referente Ariſt. 12. met. te.40. non tamen mirum fuit apud eos; ſiquidem conſequenter diſcurrebant ad ſua principia: fuit verò eorum mens, primum rerum omnium principium eſſe ens materiale, & quātum: materia autem eſt ens de ſe viliſſimum hinc conſequenter trahere cogebantur imperfectionem ipſius primi principij Dei: eſt namque illa in potentia ad perfectionem formæ, immo ad infinitarum prope formarum numerum, vſquequo adæquetur appetitus eius à perfectiſſima forma, igitur hiſce imperfectionibus inuoluebant Deum, quatenus primum Principium: quid verò hoc ſtultius, cùm hinc cogi debuerant, nedum Imperfectiſſimum eſſe tribuere Deo, iuxta imperfectiſſimam conditionem materiæ, verùm prope nihil ipſum Deum collocare, cùm *materia ſit prope nihil*, teſte Aug. immo confringere cogebantur, & auferre totale eſſe à Deo, quia materia *de ſe non eſt ens* ex D. Tho. ergo relictis hiſce delirijs oſtendamus Dei perfectionem ſuper omnia.

Oſtenditur Dei perfectio ex parte finis.

2 Poteſt autem deduci ex multiplici capite: & primo ex ratione finis: ſiquidem cunctorum iam exiſtentium finis, atq; præteritorum, necnon futurorum, aut poſſibilium eſt ipſe Deus: & nedum eſt finis, ſed vltimus finis: ergo eſt rerum omnium perfectiſſimus. antecedens patet, & prob. conſequ. quia *finis habet rationem optimi*, teſte Ariſtot. Cùm verò ſit nedum finis, ſed vltimus finis, magis oſtēditur eius perfectio; quia omnis finis habet rationē boni, vt præcipuè fines proximi, & nō vltimi, vltra quos tamen reperitur finis vltimus, extra quem nullus alter: Deus autem non continetur præcisè in ratione proximi, ſed vltro progreditur, quia habet rationem vltimi finis, extra quem nullus alter, ergo hinc eius ſupra omnes, perfectio. Confirmatur, quia ratio optimi, quam Ariſt. tribuit fini, non competit omni fini, ſed ſolùm vltimo, proximo namq; & non vltimo conuenit ſola ratio boni; & aliquatenus perfecti, Deo autem competit ſub ratione vltimi, ergo ſub ratione optimi, & conſequenter ipſe

eſt omniũ optimus, & perfectiſſimus. Inſuper ipſe ad nullum aliud ordinatur, tanquam ad finem, cùm ſit ipſe finis ſui, & omnium, quo fit, vt ſua perfectio à nullo fine dependeat, eſſet autem aliquid aliud perfectius ipſo, ſi poſſet eſſe terminus ſuę ordinationis, ac dependentiæ, cætera verò ſunt entia ad finem, & ipſe ad nihil.

Deus vtrũ ſit finis ſui ipſius.

3 Dixeris, ipſe quoque ordinatur ad ſeipſum, tanquam ad finem, eſt nãq; ſui finis, ergo vt ordinabilis, habet rationem minus perfecti, & vt terminus, vel finis ſuæ ordinabilitatis habebit rationem perfectioris. Reſpond. primo Deum eſſe finem ſui, potius *negatiuè*, quàm *poſitiuè*, & eſt ſenſus, Deus habet ſe pro fine, quatenus non habet pro fine alium extra ſe: & hic eſt modus conſuetus in Theologia, vt in explicatione independentiæ Dei, dicimus, Deus eſt à ſe, *negatiuè* quidem, quia non eſt ab alio: *poſitiuè* nequaquam, quia nil producit ſeipſum, & eſſet à ſeipſo realiter diſtinctus, cùm diſtinctio ſaltim realis intercedat inter producẽs, & productum teſte Auguſt. 1. de Trinit. ſic etiam illa altera, Pater eſt à ſe, *negatiuè*, quia à nullo, ergo optima de fine quoque erit interpretatio, vt Deus ſit finis ſui, negatiuè, quia non ordinatur ſub ratione finis ad alium. vel ſecundo ſumitur finis ibi fundamentaliter, non formaliter, finis namque formaliter tentus denotat reſpectum dependentiæ, & ordinabilitatis ad melius, ſeu terminum, à quibus tamen imperfectionib. abſtrabit finis fundamentalis, & vt ſic Deus eſt finis ſui poſitiuè, fundamentalis quidem, quia ſeipſo cõtentus eſt, & nullo indiget, formalis nequaquam, cùm non ordinetur.

Ex parte efficientiæ.

4 Poteſt vlterius deduci ex ratione efficientiæ: ipſe eſt cauſa effectiua cæterorum, ergo perfectior cunctis, patet anteced. & prob. conſeq. quia cauſa æquiuoca efficiens eſt perfectior effectu, Deus vt ſic, efficit, non autem agit vniuocè extra: ergo continet perfectiones effectuum, & multo melius. At hæc probatio non valet, & primo falſum eſt æquiuocam cauſam eſſe perfectiorem effectu, namque Sol, & Cæli ſunt imperfectiores homine. quod ſi dixeris, eſſe perfectiores in ratione cauſandi, cum cauſa vt cauſa ſit perfectior effectu, vt effectus: ſed hoc nihil eſt, etenim cùm quęrimus vtrum Deus ex capite efficientiæ ſit perfectior cũctis, non quærimus abſolutè de eo, prout efficiens eſt, nec quærimus an in ratione efficiendi excellat, etenim clariſſimum id eſt, excellere ſemper cauſam vt cauſam, etiam creatã, ſupra effectũ creatum, vt effectus eſt: ſed indiſcriminatim petimus vtrum ex omni capite in efficiendo Deus excellat effectum, ſiuè dando eſſe, ſiuè continendo perfectionem effectus, ſiuè ampliori modo, & eminentiori eam amplectendo: ergo probatio de æquiuoca cauſa non valet: tum etiam, quia accidentia in ſententia D. Tho. producunt ſubſtantiã, ſuntq; cauſa æquiuoca, ſed imperfectiora effectu. Dices, igitur efficientia non demonſtrat ipſius eminentiam ſupra effectum, quod Ariſtoteli aduerſatur, cæteriſq; Theologis, hinc ſumẽtib. probationem præcipuam pro oſtenſione perfectionis Dei.

Cauſa æquiuoca vt ſit perfectior effectu quid requiritur;

5 Dico hinc quidem poſſe ſumi demonſtrationem ad id ſuadendum, attamen alio modo debet formari ratio vt cõuincat, etenim vt formata eſt, minus conuincit: & quidem duo oſtẽdunt Dei perfectionem ſuper omnia ex parte efficientiæ, alterum eſt primitas, & totalitas cauſalitatis, alterum verò effectuum infinitas, ſaltem in potentia, quæ duo neceſſaria non incluſit ratio facta: & loquendo de primo, non poterit conſtare perfectio maior in cauſa, niſi conſtiterit eam eſſe cauſam omnino primam, Sol namq; & aſtra in cauſando, ſub ratione, qua cauſant non oſtendunt omnimodam eminentiam ſupra effectus, ſed aliqualem, iuxta virtutem proportionalem cauſandi, ratio, quia eorum perfectio, & virtus non eſt prima, & non eſt propria eorum, ſed alterius, ſcilicet primę cauſæ, & eſt perfectio mendicata, atq; participata, quod ſi participata eſt, ergo per partem habetur, & non ſecundum totam latitudinem perfectionum, reperitur autem iuxta totam latitudinẽ ſolùm in cauſa prima, igitur primitas cauſæ eſt apponenda in argumentatione, vt conuincat totalem eminentiam,

tiam,

Deum eſſe cauſam totalẽ explicatur. tiam, & perfectionem ſupra effectus. Inſuper eſt etiam attendenda totalitas cauſationis, cauſa namq; ſecunda non eſt totalis cauſa ad effectũ, immo nec poteſt eſſe per Dei potentiam, requirit namq; abſolutè concurſum cauſæ primæ, ergo ipſa, licet æquiuoca, non poterit eminere totaliter ſupra omnes effectus: vbi verò intercedit totalitas cauſationis, ea quidem talem eminentiam indicabit, Deus namque eſt talis cauſa totalis, nõ quod ipſe ſolus abſq; cõcurſu concauſarum de ſe ſolo producat effectus, cùm iam vtatur ſecundis cauſis, ſed totalitas expenditur ex duplici capite, primo, quia poteſt ipſe ſupplere vicem cauſæ ſecundæ, & tũc ſemotis cauſis, ipſe ſolus agendo, dicetur cauſa totalis, ſecundo, quia ipſe eſt, à quo totum eſſe dependet non ſolùm effectus, ſed etiam reliquarum cauſarum, quæ ipſo agente coagunt, & eo non cõcurrente non cauſant: quo ſtãte clareſcit ex tali totalitate euadere eminentiſſimum ſupra cunctos effectus. & deniq; requiritur ex parte effectuum, infinitas, nam non valet conſequentia, producit cauſa hæc effectus omnes, præteritos, præſentes, & futuros, ergo perfectiſſima in infinitum, cũ iam effectus hi finiti ſint, & tot numero, licet numero etiam augeri poſſent, & creſcere, opus eſt autem reſpicere ad effectus inſuper in infinitum producibiles in potentia, quorum numerica infinitas declarat amplius eminẽtiam cauſæ. ex his igitur ſic declaratis formari poterit ratio validior, & fortior, Deus eſt cauſa prima, & totalis, potens ſuper infintos effectus producibiles, ergo eſt de ſe eminentiſſimus, perfectiſſimus, & infinitus: ſequela eſt concedenda, tùm ex virtute, qua agit, quæ eſt prima, à ſe, & non ab alio, tùm etiã, quia totalis, tùm deniq; quia infinitas potentialis effectuũ id oſtendit.

Ex capite cõtinentię. 6 Deducitur inſuper, quia continet perfectiones cæterorum, ergo perfectiſſimus. patet antecedens, & conſequẽs neceſſario ſequitur. Poſſet autem antecedẽs pati difficultatem prætactam, quod effectus ſunt finiti in entitate, & numero, ergo non poſſet ex eis deduci infinita perfectio: ſed iam eſt reſponſum, actualem numerum effectuum non ſufficere ad eius oſtendẽdam perfectionem infinitam, ſed recurrendum fore ad effectus in potentia ſaltem infinitos, ex quibus expoſtulatur cauſa infinita, vt eſt dictũ. Cõſequens etiam pati poſſet inſtantiam, quia non ſequitur, eſt perfectiſſimum omnium, ergo continet ea omnia, homo namque eſt perfectiſſimum animalium, attamen nõ continet omnes perfectiones animalium: ſed ſoluitur, quia perfectio hominis ſupra animalia eſt perfectio in genere, & conſequenter limitata, & imperfecta, de qua Ariſt. ait, *in vnoquoq; genere dari debere vnũ, quod ſit metrum, & menſura omnium contentorum in genere*: at Deus eſt ſupra omne genus, ergo eius perfectio erit extra genus, & conſequenter non limitata, non diminuta, ſed excedens omnino, atq; infinita: perfectio hominis eſt ſolũ intra genus animalis, Deus traſcendit omne genus.

7 Vlterius, perfectio vniuerſa aut eſt creata, aut increata; ſi primum, ergo ab alio: quæro de perfectione huius, aut eſt creata, aut increata, ſi primum, quæro inſuper de perfectione creantis eam, de quo iterum quæram, ſi ſit creata, quo dato dandus proceſſus in infinitum, ergo deuenietur ad ad vnum primum, cuius perfectio, & virtus erit increata, conſequenter à ſe, independens, imparticipata, omnino prima, quæ ſingula oſtendunt perfectionem infinitam.

8 Item exceſſus eminentiæ primę cauſæ ad cætera entia creata non eſt diminutus, non eſt limitatus, non ſecũdum magis, & minus, ſed totalis, adæquatus, completus, & vndequaque excreſcens, etiam ſi excreſcere poſſet virtus, & perfectio cęterorum entium; exceſſus autem vnius creati entis ſupra aliud, eſt ſecundum magis, & minus, vt homo excellit Aquilam in ratione, & illa excellit hominem in viſione; vel ſi erit totalis in vno penes aliud, erit nihilominus finitus propter finitudinẽ effectus, qua excedit, exceſſus autẽ Dei non eſt talis, immo poſita ex hypoteſi infinitate effectuũ extẽſiua nulla reperiretur cauſa potẽs excedere intenſiuè, niſi ſolus Deus: quod ſi nõ eſſet, iam nõ eſſet primũ perfectione,

re, primum in eminentia, primum in continentia.

Deus eſt quo maius cogitari nõ poteſt, exponitur.

9 Præterea detur aliud ens perfectius, quod nõ ſit Deus noſter, quærendum de illo, aut eſſet de ſe, aut ab alio: non primum, quia darentur duo æquè prima, *entia autem nolunt malè diſponi, vnus ergo Princeps*, inquit Philoſ. non ſecundum, quia non eſſet perfectiſſimum, namq; dependeret, & eſſet creatum, quæ repugnant perfectiſſimo. Confirmatur, quia omnia ab vno poſtulant pẽdere, & moderari. Dices, illud ſaltem poſſe concipi per intellectum: id quidem falſum, nam *Deus eſt*, inquit Anſel. *quo maius cogitari non poteſt*: quod ſi per imaginationem plura ſic perfecta concipies, erit conceptio mendax, & cum contradictione; cum vera autem conceptione non poſſe maius, vel æquale Deo in creaturis concipi: hinc aiebat Nyſſen. lib. de Opific. hom. cap. 1. *Deus eſt tale bonũ, quod omne bonum, quod intelligendo cõprehenditur, exuperat.*

Habere eſſe in cauſa vtrũ perfectius.

10 Deniq; arguit D. Tho. q. 4. art. 2. præexiſtere in virtute cauſæ agentis eſt præexiſtere perfectiori modo: creaturæ autem præexiſtũt in virtute actiua Dei, ergo habet perfectius eſſe ipſe Deus: maiorem declarat, quia præexiſtere in virtute cauſæ materialis non eſt præexiſtere modo perfectiori, cum materia ſit imperfecta, agens autem eſt perfectius, ergo effectus exiſtẽs in eius virtute eſt perfectior, & conſequenter cauſa erit perfectior. Argumẽtum hoc concludit gratia materiæ, etenim ratione agentis, qua Deus eſt, cõceditur effectum præexiſtere perfectiori modo ſecũdum totam latitudinem perfectionis, at ratione agentis, qua agens eſt, non concedimus, ſiquidem vel agens eſt vniuocum, & quidem effectus non exiſtet perfectiori modo eſſentialiter, ant quam producatur, quã poſt productionem, ſed vel æquè perfectus erit ante, & poſt, ſecundum rationem ſpecificam, & vniuocam cũm agente, vel comparando ante, & poſt, ad ſolũ effectum, perfectiori modo exiſtet extra cauſam, quam in ipſius virtute cauſæ, propter eſſe reale, & cõpletum, quod non habet intra agens, vt agens: vel erit æquiuocũ, & id falſum etiam vniuerſaliter; quia non perfectius eſſe habet homo in ſole, & aſtris exiſtens virtualiter, quã extra: nec perfectius habebit eſſe animal in virtute ſeminis deciſi, quam in ſeipſo, vt patet.

Ratio D. Th. cõcludit gratia materiæ.

Reſponſio Bannes.

11 Reſpondet Bann. art. 2. q. 4. 1. p. propoſitionem D. Tho. eſſe veram de cauſa principali, non inſtrumentali: Sol autem, & cauſæ reliquæ, vt ſemen, ſunt ſola inſtrumenta, ſeu cauſa inſtrumentalis, ſed euaſio hæc non valet, & quoad id, quod ait Sacramenta, ſolem, & ſemen eſſe inſtrumenta, vno ſenſu poterunt eſſe vera, quatenus ſumitur pro inſtrumento omne id, quod nõ eſt cauſa omnino prima, quomodo omnis ſecunda cauſa reſpectu primæ increatæ vocari poterit inſtrumentum, cæterum communi ſenſu ſunt vera cauſa, tum ſol, & ſemen ratione virtutis actiuæ in eo exiſtentis, tum deniq; Sacramenta, quæ in ſententia eius, & Thomiſtarum ſunt etiã cauſa phyſica gratiæ: dicere autem abſolutè effectum in nulla iſtarum cauſarum præexiſtere perfectiori modo, eſt dicere, effectum in ſola cauſa primaria perfectiori modo exiſtere, & nuſquam in ſecundaria, quæ quidem excluſiua loquutio falſa eſt, ſiquidem teſte Auguſt. l. 9 de Trin. c. 10. *ſuperiora quidem habent nobilius eſſe in ſe, quam in intellectu. at inferiora habent eſſe nobilius in intellectu, quam in ſeipſis*: per intellectum autem hoc in loco concipimus cauſam intellectiuã, in qua effectus nobilius eſſe conſequitur ex Auguſt. etenim prius in mente rationalis agentis habet eſſe, quam in ſeipſo extra, iuxta illud Ariſt. *domus intra facit domum extra*, ſeu domus extra fit à domo intra 7. met. c. 5. quæ nobilitas, & maioritas eſſendi explicabitur amplius agendo de vita Dei: igitur abſolutè concedendum effectum in cauſa habere nobilius eſſe. quod nedum eſt verum de omni cauſa actiua, ſiue prima, ſiue ſecundaria, verum etiam de ipſa cauſa materiali, in ſententia ſuſtinentium materiam habere verum actum entitatiuum ex ſe, & conſequẽter dicere perfectionem ſuo generi cõpetentem. quod ſi arguas, igitur materia perfectior erit effectu, dicendum non dicere perfectionem adæquatam effectus, nec dicere eminentiam ſupra om-

Cauſa an, & quomodo perfectior effectu

omnem conditionem effectus, ſic.n.effectus, qui perfectiones alias recipit à cauſis alijs erit perfectior vnica cauſa ſua partiali, & prçcipuè materiali, cum ſit infimi ordinis, ſed perfectionem cõnotat, quatenus ipſa materialis cauſa non indiget effectu, cum habeat actum entitatiuum independẽtem ab effectu, & vltra dicit quoq; perfectionẽ ſupra effectum, quia dat entitatem, & perfectionem materialem effectui, in qua re nulli dubium perfectiorem eſſe materiam ipſam: ergo cõcludendo dicimus propoſitionem à D. Tho. aſſumptam, innuere quidem perfectionem maiorẽ in cauſa ſupra effectum, ſed non inferre perfectionem ſupremam, & totalẽ ſupra eundem effectum, quia efficiens creatum perfectionem connotat in effectum, ſed non vndequaque excedentem effectum, ſed vel æqualẽ ſi ſit vniuocum, vel minorẽ in ſubſtantia quandoq; ſi ſit agens æquiuocum, ita quoq; finis, ita forma, ita materia, quia cauſa ſemper perfectionem indicat ſupra effectum, nedum vt cauſa eſt, & vt dans abſolutè eſſe, verum vt participans ſuã perfectionem propriam independẽter ab effectu, effectus autem dependent à cauſa, & hoc tum in cauſa vniuoca, tũ æquiuoca, vt Ariſt. 7.met t.c.29 & 8. phiſ.t. c.78. indicat igitur cauſa perfectionem, ſed non ſemper maiorem ea, quæ eſt in effectu: ſed aliquando minorem æquali, vt in æquiuocis, quandoq; æqualem in vniuocis, çqualem quidem ratione ſpeciei eiuſdem, ſed maiorem etiam aliunde vt diximus, & deniq; demonſtrat perfectionem omnino excedentem totum effectum, vt in cauſa æquiuoca totali, & prima, qualis eſt Deus. Dixi, quod in æquiuocis demõſtrat minorẽ æquali, & eſt ſenſus quod cauſa æquiuoca creata eſt perfectior effectu, vt docet Ariſtot. locis citatis, at non eſt perfectio totaliter excedens perfectionem effectus, cum muſca ratione vitæ ſit nobilior toto cælo non viuente, ideoq; cauſa ſit æquiuoca partialis, & effectus ſe habent vt excedẽs, & exceſſum ad inuicem, tamen eius ſupra effectum perfectio nec etiã erit æqualis, non eſt.n.vniuoca, ſed eſt minor, æquiuoca, & vt ſic eſt perfectior: quod ſi contendas hinc magis cõſtare cauſæ imperfectionem, iam diximus æquiuocam partialem ſe habere cum effectu ſub ratione excedẽtis, & exceſſi, vt ſi in plurib. excedatur cauſa, in cçteris excellat, & ita loquitur Ariſt. de cauſa tamen totali primaria, atq; omnino prima abſolutè dicẽdum effectus omnes excedere iuxta totam latitudinem perfectionum, ideoq; ratio D.Th. hac cum modificatione validatur, alias ſolum gratia materiæ concluderet, vt eſt oſtenſum.

12 Eadem Dei perfectio ſtatuitur Scripturarum ſententijs, & Patrum, legitur namq; Matt.5. *eſtote perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Exod. 13. *oſtendam tibi omne bonum*, hoc aiebat loquens Deus de eſſentia ſua. Eccleſ.24. *in me omnis via vitæ, & virtutis*, & pſal.49. indicãs in ipſo recolligi perfectiones vniuerſi, ait *pulchritudo agri mecum eſt*: ſimilitudinem capiens ex agro varijs florum generibus conſito. atq; Roman.11. *ex ipſo, & in ipſo ſunt omnia*, & deniq; Ioan.1. *in ipſo vita erat quod factum eſt*. & in eod. *omnia per ipſum facta ſunt*. & Sap.1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia ſcientiam habet vocis* nẽpè ab eodem procedere & conſeruationem rerum, & vitam, multoq; magis ipſũ habere in ſe iſta omnia. ex Dion. diuin.nom.c 5. *cuncta continet ſecũdum infinitatẽ ſuam*: Iræn.l.2.c.1. *ſolus Deus continet omnia*. idem Dion. ibid. *omnia eſt, vt omnium cauſa*. Niſſen. de opific. hom.c.1. *eſt tale bonum, quod omne bonum, quod intelligendo comprehenditur, exuperat*: Trimegiſtus apud Eſculap. ad Ammio. *Deum omnium Dominum, factorem Patrem, ac ſeptũ imploro, ac omnia vnum exiſtentia, & vnum omnia exiſtentem, nam omnium plenitudo vnũ eſt, & in vno.*

Ex ſcriptu ris.

AR-

ARTIC. II.

De modo, quo Deus continet perfectiones cæterorum.

Continere cæterorum perfectiones aduenit ex plurib. capitibus.

1 Qualis autem ſit iſte continendi modus in Deo nunc explicandum, & vtrum ſingula, quæ in creaturis videntur rationem habere perfecti dicantur in ipſo Deo comprehẽdi. Pro hoc vero aduertimus ex plurib. capitibus dici poſſe aliquid perfectũ; ſeu cæterorum perfectiones aggregare: vel quia abſolutè perfectiones vniuerſas continet, nulla excluſa, comprehendendo perfectiones omnes iuxta totam latitudinem perfectionum; vel non ſic completè eas contineat, ſed inadæquatè, & ex parte: & hoc etiam contingit, vel vt perfectiones omnes habeat ſuæ naturæ iam conſentaneas, vt albedo, color, homo, & vnũquodq; iuxta capacitatem ſuæ naturæ inſpectatum, vel quod eas ſolum contineat, quæ ſtatui ſuo conueniunt: primi generis cenſentur perfectiones, quas vocamus naturales; ſecundi vero vel ſupernaturales, vel ſtatui cuiuſq; connaturales, & conformes, vt ſtatui viatorũ hæc, & hæc conueniant pro diuiſione miniſteriorum, & munerum, ſiuè naturalium, ſiuè ſupernaturalium, & ſtatui comprehenſorum tribuantur ſingula, quæ decent talem ſtatum, ac vitam.

Perfectio ſimpliciter quid: & declaratur Anſel.

2 Inſuper hæc, & vlteriora perfectionum capita in duplex coaleſcunt, in vniuerſum, perfectionũ genus, quorum alterum à Theol. vocatur genus perfectionum ſimpliciter, & alterum perfectionum ſecundum quid: explicatio primi ex D. Anſelmo habetur, qui monolog. 15. ait, eam eſſe perfectionẽ ſimpliciter, quæ *in vnoquoq; melior eſt ipſa, quam non ipſa*: vel, *quam in vnoquoq; melius eſt eſſe, quam non eſſe*: explicatio ſecundi, contradictoriè habetur ex explicatione primi, vt perfectio ſecundum quid, ſit, quæ in vnoquoq; non ſit melior ipſa, quam non ipſa. quę autem ſit congrua Diui Anſelmi explicatio de perfectione ſimpliciter difficile quidem eſt intueri, at Scotus difficultatẽ abſtulit, & dilucidè expoſuit, à quo inde ſumpſit Caetan. & ferè cæteri: Scotus igitur in 1. d. 8. q. 1. ad pri. & in quolib. q. 5. duplicẽ tradit explicationem, & primo ait explicandã eſſe in ordine ad ſuum oppoſitum; & ſecũdo in relatione ad ſubiectum: & incipiendo hinc, per ſubiectum non debet intelligi particulare, & determinatum ſubiectum alicuius naturæ, ſed abſtrahendum omnino à particulari natura, & concipiendum eſt ſubiectum ſecundum ſe: vt v. g. ſapientia eſt perfectio ſimpliciter, non quidẽ in ſubiecto naturæ lapideæ, ſeu bruti, etenim in his melior eſt non ſapientia, cum eis ſapere non competat, nec ſcire, ſed intelligitur de ſubiecto entis ſecundum ſe inſpecti, & ſic apparebit eam, & ſimilia eſſe perfectiones ſimpliciter: reperias autem in tota entium coordinatione ſuppoſitum aliquod cui veniat applicãda, & ita habebis pro ſubiecto ſolum Deum: de relatione altera ad oppoſitũ, nẽpè per eſſe, & per non eſſe non eſt intelligendum oppoſitum ſolũ contradictorium, ſic namq; omnis affirmatio eſſet perfectio ſimpliciter, & quodlibet poſitiuum eſſet melius negatiuo, & omne poſitiuum eſſet perfectio ſimpliciter, cum omni poſitiuo correſpondeat entitas, & affirmatio, quod falſum eſt, etenim lapis eſſet perfectio ſimpliciter, quia ſibi melius eſt, quod ſit, quam non eſſe, & viuere in bruto eſſet ſimpliciter perfectio, cum ſit ei melius viuere, quam carere vita, ſeu non viuere, ergo non eſt ſumenda contradictoriè, ſed ſumenda cum oppoſito ſibi poſitiuè contradicente, vt ſimplicitas eſt perfectio ſimpliciter; quia melior eſt ſimplicitas, quam cõpoſitio; & actualitas perfectio eſt ſimpliciter, quoniam melior ipſa eſt, quam potentialitas: iſta autem opponuntur poſitiuè, non contradictoriè.

3 Dices; oppoſitiones iſtas eſſe verè contradictorias, ergo non requiritur talis conditio, vel exempla non ſunt ad propoſitum: prob. antec. quia eſſe in actu, & eſſe in potentia, idem eſt ac eſſe, & non eſſe, ergo ſunt contradictoria. item eſſe cõpoſitum negat ſimplicitatem, igitur ſimplicitas, & compoſi-

poſitio pariformiter contradictoria ſunt? Reſpond. falſum aſſumptū, & probationes falſas: & ad id dc actu, & potentia, aduertendū, quod habemus hæc tria, primo, non eſſe; ſecundo, potentiam ad eſſendum; & tertio habemus ipſum actuale eſſe. hæc omnia diſtincta ſunt, & de eſſe actuali patet; de potentia autem, & de non eſſe, declaratur, non enim eſt idem non eſſe, atque eſſe in potentia, ſiquidem non eſſe eſt pura negatio, abſtrahens, & ab actu, & à potentia, vt Antichriſtus non eſt, & hoc primo loco non eſt cōcipiendum de eo, niſi ſola negatio eſſendi: inde autem attribuimus ei quid poſitiuum, licet imperfectum, & diminutum, & hoc eſt, potentia logica ad eſſendum, vna cum determinatione diuinæ voluntatis, iam determinantis tribuere illi potentiam, & dare ei hucuſque potentiam ad eſſendum, & facere illum pro nunc, eſſe ſolùm potentiale; cui denique tribuet illi actuale, & completū eſſe. igitur non eſſe, eſt abſoluta negatio, cum nullo gradu poſitiuæ entitatis, potentia autem addit ad illam, aliqualem gradum entitatis, licet imperfectæ, & facit illum habere entitatem in potentia, ſeù eſſe ens in potentia: ex quo conſtat non eſſe idem, eſſe in potentia, & non eſſe ſimpliciter: quo ſtāte ad rationem dicendum, eſſe actu, & eſſe in potentia non opponi ſolù contradictoriè. ſimiliter ad id de compoſitione, falſum ſimiliter dicere puram ſimplicitatis negationem, etenim cōpoſitio vltra excluſionem, & negationem ſimplicitatis connotat uetam, & realem entitatem poſitiuam, tùm abſolutam nempe illorum, quæ ſimul admiſcentur, vt materia, & forma, genus, & differentia, tum etiam reſpectiuam, quia dicit vnionem, quæ vnio eſt formalis relatio componibilium, & vnibilium, ergo non opponuntur ſolū contradictoriè. reſtat igitur pro non eſſe, in deſcriptione poſito, debere intelligi oppoſitum poſitiuum, ſiue relatiuum ſit, ſiue quid aliud. Addit Scotus idem duas conditiones alias ad perfectionē ſimpliciter, prima vt ea ſit cōmunicabilis, incommunicabile namque non erit ſic ſimpliciter perfectio, & altera, vt ei non repugnet infinitas.

Non eſſe, eſſe in potentia, & in actu diſtinguūtur

Perfectionis ſimpliciter conditiones aliæ.

hæc quoad perfectionem ſimpliciter.

4 Perfectio autem non ſimpliciter, & quæ cenſetur ſecundùm quid, ea eſt, quæ non eſt melior ipſa, quam non ipſa in quocunq; quæ deſcriptio ſumitur ex oppoſito perfectionis ſimpliciter; vt ſicut illa ſit melior, iſta ſit non melior. affertur exemplum de ſenſitiuo, & vegetatiuo, perfectiones quidem ſunt, quia perficiūt ſuppoſita, & naturas, quibus insūt, at nō ſunt perfectiones ſimpliciter, cùm in ſuppoſito abſtractè tento non ſit melius eſſe ſenſitiuum, & vegetatiuū, quàm oppoſitum eorum, patet, quia in Angelo melius eſt non ſenſitiuum, nec vegetatiuum eſſe, quàm vtrunq; & magis in Deo, cui minus hæc duo conueniunt, quàm oppoſita eorum, ſic etiam cōpoſitio perfectio erit ſecundùm quid, quia creaturæ, & finito enti ex ſui natura competit perfectionem, & entitatem recipere ex diuerſis, cùm & ipſa ex ſe ſola non habeat tale eſſe, & vna cauſarum non poſſit ex ſe ſola tribuere totale eſſe, igitur ad ſui entitatem perfectam concurſum requirit, & cauſarum expoſtulat commixtionem, quæ tamen in creatura quidem perfectionis eſt, at non in quocunq; ſuppoſito, quia non in Deo. ergo conſtat hucuſq; vtriuſq; explicatio perfectionis.

Perfectio non ſimpliciter quid.

5 Inſuper, cùm de continentia perfectionum in Deo ſit ſermo, explicemus triplicem continendi modum alicuius in alio: quandoq; enim continetur quidquam continentia formali, quandoq; virtuali, quandoq; denique perfectionali, ſeù eminentiali: primum contingere poteſt dupliciter, vel tanquam ſuperius in inferiori, ſeu tanquā ratio, & principium conſtitutiuum, & eſſentiale in conſtitututo; vel tāquam quid realiter vnitum, vel ſaltem identificatum cum continente. de primo conſtat inferius continere formaliter ſuperius, & compoſitum ſua principia, & corpus animam, ſeù materiam ſuam formam, quia vel vnum eſt de intrinſeca, & eſſentiali ratione conſtitutiua alterius, vel eſt forma alterius, vel denique ratio alteri ſubſtantialiter, vel accidentaliter eſſendi. de ſecundo, id accidet, cùm vnum neceſſario vnitur alteri, & eſt cum eo, etiam ſi ſeparatio

Continēdi modus vnius in altero triplex.

Tt non

non ſit impoſſibilis, quomodo accidẽs per accidens continetur in ſubiecto vnitiuè formaliter, quomodo etiam Scotiſtæ aſſerunt paſſiones contineri ſic formaliter in ſubiecto, quæ formalis ſit continentia, non quod ſit paſſio de formali ratione cõtinẽtis, ſed quod ſit quid inſeparabile, & annexum, ſiuè id accidat ex identitate ex ijſdem, ſiuè aliunde ex Thomiſtis. Quoad ſecundum, continere in virtute, eſt continere intra limites ſuæ facultatis, & productiuæ potẽtiæ, quod idem eſt, ac poſſe cauſare, & producere.

Eminenter continere quid.

6 Quoad tertium vero, diſcrepant Theologi circa explicationem continentiæ eminentialis; & Bannes quidẽ art. 2. in fin. ait continere eminentialiter, eſt nedum continere perfectiori modo, quod omnes concedunt, ſed etiam poſſe producere id, quod continens continet. hinc elicit male cenſere Theologos dicentes cõtinere eminenter eſſe continere ſolùm perfectionaliter, quia ſequeretur animam rationalem eſſe eminenter hinnibilem, mugibilem, habereq; cęteras brutorum perfectiones, quod eſt falſum. eandem ſententiam amplexatur Molin. diſp. 2. afferens ſimile abſurdum, quod Angelus rerum cæterarum perfectiones cõtineret, cùm ſit ipſe perfectior cęteris, vnde infert, eminenter continere, eſſe virtute continere: non diſcrepat Vaſq. diſp. 22. q. 4. in annot. nu. 29. dicens eſſe habere virtutem eminẽtem ad producendum. ſed meo iudicio hi confundunt eminentialem cõtinentiam cum virtuali, & abſq; ratione commiſcent, cùm ſint in ſuo genere diuerſæ, & diuerſa quoq; munia ſortiantur. vnde diſtinctius procedendo aſſerimus eminenter continere non eſſe continere virtualiter, ſed eſſe perfectiones inferiorum altiori ordine continere: hoc namq; denotat verbum *eminere*, ſcilicet excellere ſupra alios, nullo autem pacto verbum hoc de ſe primo, denotat virtutem producendi, ſed altiorem indicat gradum, & excellentius prædicatũ, ſeù perfectiorem eſſendi, vel agẽdi modum: ita demõſtrat Cicer. in Or. excellentiam Demoſthenis, dicens, *Demoſthenes vnus eminet inter omnes in omni genere dicendi.* idem 3. Tuſc. 3. *eminens effigies virtutis.* Cæſar. de bell. Ciu. 2. *trabes eminentiores, quã extremi parietum.* & Plin. lib. 26. c. 31. *quantum corpore eminet, tantum radice deſcendet;* & de Saule 1. Reg. 15. *ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populũ;* ac deniq; clarius D. Hieron. de excellentia Virginis, *verè nouum, & omniũ nouitatum ſupereminens nouitas virtutum:* igitur *eminere* indicat *excellere*, atq; præeſſe; quia quantum eſt de ſe, non fert ſecum virtutem ad producere. probatur etiam, quoniam aurum continet argentum eminenter in perfectione ſua, nullus tamen concederet aurum poſſe producere argentum. igitur virtualis continentia eſt ſolũ productiua, eminentialis autem eſt perfectionum inferiorum ſub altiori ordine contentiua.

Cõtinentia eminentialis eſt diſtincta à virtuali.

7 Verum eſt tamen, quod hæ duæ ſimul in Deo ſunt, & magis vna demõſtratur per conſortium alterius, magiſque innoteſcit, quàm ex ſe ſola, & apertior eſt loquutio, & demonſtratio clarior ſi dicamus eminenter Deus continet vniuerſa, quia poteſt ea producere in eſſe ſuo: verùm ratio hæc non eſt cauſalis, quaſi quod ideo eminenter contineat, quia poteſt producere, ſed eſt materialis, quia magis oſtenſiua à poſteriori eminẽtialis perfectionis Dei. non eſt valida conſequẽtia iſta, continet eminenter, & perfectiori modo, ergo poteſt illud producere, ſiquidem ratio intellectiui continetur eminentiori modo in Angelo, quàm in homine, & tamen Angelus nõ poteſt intellectum hominis producere. homo etiam perfectiori ordine continet ſenſitiuum, & vegetatiuum bruti, & plantæ, attamen non poteſt ea producere; etenim etſi homo hominem generando, producat etiam vegetatiuum, & ſenſitiuum, nihilominus non producit vegetatiuum plantæ, nec ſenſitiuum bruti, ſed hominis, & animalis rationalis; nec obſtat, quod Ariſtot. dicat hominem prius viuere vita plantæ, inde vita bruti, etenim non eſt ſenſus quod aliquo tempore fœtus, & Embrio ſit verè planta, & tẽpore ſuccedenti ſit verè brutum, ſed conceptũ ſuum explicat per accommodationem ad plantam, & ad brutum, demonſtrando

Ex continẽtia eminentiali in Deo vtrũ inferatur continẽtia virtualis.

Homo prius viuit vita plantæ vnde bruti &c.

do ordinem, quem obſeruat natura im perficiendo fœtum, vt prius in eo ſit virtus ſolùm vegetatiua, ſicut in planta eſt ſola vegetatiua; poſterius accedat ſola virtus ſẽſitiua, ſicut in bruto nulla perfectior eſt, quàm ſenſitiua; quouſque tandem perficiatur forma rationali, ac vltimata; ergo ſumpta accommodatione, atq; exemplari ad plãtam, & brutum, explicat in homine vim vegetandi, atque ſentiendi: linquo quod nullus auderet affirmare tunc temporis fœtum eſſe veram plantam, verum brutum, etenim hæ non ſunt vltimatæ formæ embrionis, & fœtus, ſed ordinãtur ad perfectiorem formam, ad animam intellectiuam; quod ſi vegetatiua eſſet vltima, & ſenſitiua vltima, & neutra ad perfectiorẽ ordinaretur ex curſu determinato naturæ, iam verè eſſet planta, & verè eſſet brutu. Dixi, ex curſu determinato naturæ, quia ſi caſu accideret, vt euenit in monſtris, quod embrio, & fœtus ex defectu virtutis, aut materiæ non excreſceret, ſed ſic ſiſteret in vtero Matris, non dicendus eſſet planta, nec brutum, quia ex ſe ordinatur ad perfectam naturam; caſu autem id accidit, vt non perueniat: planta vero per ſe ibi figitur, & terminatur in virtute creſcendi, & per ſe etiam terminatur brutum in vi, ac facultate ſentiendi. igitur non ex eo quod eminenter quid aliquod continet, poterit producere illud. huius etiam ſententiæ eſt Gabr. in 1.d.36.q. 1, & ante ipſum Scot. in prol. q.1. lit. N. cum ſuis diſcipulis, Barg. &c.

Continentia eminentialis in creatura nõ indicat continẽtiã omniũ perfectionum reſpectu alterius creaturæ.

8 Et ad rationes, ſeu inconueniẽtia allata, quod Angelus contineret eminenter res omnes creatas, quæ eſt argutio Molinæ, falſa quidem conſequẽtia, tum quia nulla creatura continet perfectiones omnium, & ſingularum rerum; hoc namq; ſoli Deo competit, vt in præced. artic. alias eſſet infinita; tum etiam, quia creatura ſuperior, & perfectior non eſt dicendum, quod cõtineat omnia quæ continentur in imperfectiori, continentia autem eminẽtialis vnius ſupra aliam cõſiſtit in hoc, vt ſuperior creatura, ſi ſibi competat perfectionem aliquam inferioris continere, cõtineat quidem illam, ſed perfectiori modo; fallũtur autem, qui exiſtimant creaturam perfectiorem continere quidquid continetur in creatura imperfectiori, etenim ſolum continet ea, quæ ſibi ſunt compoſſibilia, & conueniẽtia: exemplum, Angelus ſuperior eſt ad hominem, ideoq; continet perfectiones hominis, at non omnes, ſed eas ſolum, quæ ipſi Angelo competunt, quia vero continet eas eminẽter, ideo illas continet modo perfectiori: & in homine eſt perfectio ſenſitiua, perfectio vegetatiua, nutritiua, augmentatiua, expulſiua, digeſtiua, diſcurſiua, generatiua, & ſimiles: & nihilominus falſum eſt dicere Angelum, quatenus homine eminentiorẽ, cõtinere vegetatiuã, ſenſitiuam, generatiuam, & ſimilia, etenim Angelus nõ generat, nõ creſcit &c. quia ſunt paſſiones brutales, animales, & humanæ; & multo minus continebit ſecundum Thomiſtas diſcurſiuum, qui negant eum diſcurrere, continebit ergo perfectiones alias ſibi nõ rẽpugnantes, vt volitiuum, intellectiuũ, & ſi quid aliud, vt motiuum, & ſimilia, & in hiſce apparebit eius eminentialis cõtinentia, quia perfectiori gradu erit in Angelo volitiuum, & intellectiuum, atq; motiuum, quam in homine. igitur circa hæc eſt attendenda eminentialis cõtinentia in creatura, vt circa ea, quæ poteſt participare, & in quibus poteſt cum inferiori conuenire; & non circa impertinentia, ſeu diſconuenientia.

Contẽta in Deo eminẽter qualia: & quænã virtualiter

9 Dices, nec etiam ſic Deum continere omnia eminenter, quia non omnia quæ creaturis conueniunt, poſſunt competere Deo, vt moueri, diſcurrere, vegetare, ſenſitiuum, digeſtiuum, & ſimilia. Reſpond. circa ea, quæ ſibi poſſunt conuenire, admittitur continentia eminentialis, vt quia ſibi conuenit intelligere, & velle, ac viuere, ideo continet hæc; & nedum cõtinet formaliter, cum ſit formaliter intellectiuus, ſed in ordine ad creaturas continet modo eminentiori, vt dicemus; circa autem alia, minimè ſibi competentia, vt ſenſitiuum, motiuum, & ſimilia, datur etiam continentia, ſed continentia virtualis, quia poteſt ea producere, & communicare creaturis, ex quo reſtat, vt ipſe verè cõtineat omnia, & ſingula, alterutro modorum, non autem ſic creatura.

10 Et ad rationem Bannes, ita ſimi-

Reſpondetur ad Bānes. liter dicatur rationalem animam non continere hinnibilitatem, nec rudibilitatem, aut ſimilia, cum non poſſint ei competere, ſed eminere ſuper bruta circa rationem aliam, vt ſenſitiui, nobilioris corporis, nobiliorumq; operationum cum corpore exercendarum, & ſimilia, in his namq; ac ſimilib. reperitur perfectionū participatio, ideoq; in his debet excellere, & eminere, quia comparatio non eſt fienda inter diuerſa omnino, & impertinentia, iam. n. cōſtat non eſſe comparabilia, nec poſſe excedi, ſed fiēda eſt in ſpecie proxima iuxta id, *comparatiuum ſupponit poſitiuum:* quamuis non ſemper ſit verum, hominem excellere in omnibus bruta circa ea, circa quæ conueniūt, etenim Aquila excellit hominem in acutie viſus, alia, animatia in auditu, & curſu, & huiuſcemodi. at ſufficiat oſtendiſſe in quo debeat conſiſtere eminentia.

Perfectiones ſimpliciter vtrū ſe inuicem excedant. 11 Ad perfectionē vero ſimpliciter redeundo, addendum eſt, licet omnes perfectiones ſimpliciter dicant omnimodam perfectionem, & vltimatam, nihilominus poſſe reperiri inter eas exceſſū, vt vna ſit perfectior altera, ſicq; conſtabit actualitatem eſſe perfectiorem ſimplicitate, ambæ autē ſunt perfectio ſimpliciter: declaratur, quia actualitas dicit omnimodam complectionem, & vltimationem, ſeu perfectionem adæquatē, & vltimatē competentem ipſi rei, ita vt nil vltra deſiderari poſſit ad complementum, at ſimplicitas quandoq; caret tali actualitate ex natura rei, vt patet in materia prima, quæ ſimplex eſt, quia deficit ex ſe in ea actualitate, & perfectione, in qua non deficiunt cætera, eſt namq; propè nihil, eſtq; in potentia, & ex Thomiſtis caret actualitate, quia ex ſe non habet entitatiuum actum, igitur ſequitur vt actualitas perfectior ſit ſimplicitate, declaratur autem, vt id verum ſit ſpectando iſta duo ex genere ſuo, non autem quatenus in Deo ſunt, nec quatenus ſunt perfectiones ſimpliciter, ſiquidem quatenus ſunt in Deo ambo ſunt infinita, & vnum non eſt altero infinitius, ſicq; perfectiones ſimpliciter non ſe inuicem excedunt, at ſpectatæ quatenus ſunt perfectiones huius, & huius generis, vna eſt perfectior altera: ſic etiam conſtat in ipſo Deo ſubſtantiam diuinam quatenus Dei, et relationes diuinas quatenus ipſius Dei, non ſe excedere inuicem, nec vnā alteram eſſe perfectiorem, cum tum ſubſtantia, tum relationes diuinæ ſint idem, ac Deus, et ſint infinitæ, etc. ex genere proprio ſpectatæ, vna erit altera perfectior, quia genus ſubſtantię eſt perfectius genere accidentis, ſic in propoſito.

Perfectiones ſimpliciter ſunt in Deo formaliter, perfectiones ſecundūm quid eminēter, & virtualiter. 12 Hinc apparet quales perfectiones collocandæ erunt in Deo, et quonam modo: quapropter de ſimpliciter perfectionibus loquendo, dicimus eas eſſe in Deo formaliter, quia ipſe eſt formaliter viuens, formaliter ſummē ſapiens, bonus, infinitus, prudens, prouidens, et ſimilia, et ad hæc præcipuē tendunt Scripturæ, et Patres artic. præced. allati, ſunt namq; infinitæ formaliter, ergo et ſunt formaliter in Deo, et ſunt ipſe Deus, quia *quidquid in Deo, eſt ipſe Deus.* [de perfectionib. autem ſecundùm quid, aſſerendum non ſic formaliter in eo eſſe, ſed virtualiter, atq; etiam eminenter: non primo modo, quia vita noſtra, ſapientia noſtra, & omnis perfectio noſtra, mutabilis eſt, imperfecta eſt, obſcura eſt, varijſq; obnoxia viciſſitudinib. at hæc imperfectionis ſunt, igitur non ſunt in Deo ſub tali conſideratione imperfecta, finita, & limitata, & conſequenter non dicitur Deus viuere, ſapere, & intelligere, vita noſtra, ſapientia noſtra, intellectione noſtra: demonſtratur ſecūdum, quia poteſt in nobis cauſare eas, & producere, vt de facto producit, iuxta Apoſt. *in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*, & Rom. 11. *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, & hoc eſt virtualiter continere; de tertio etiam remanet probatum, quia perfectiones creatas continet, ſed modo perfectiori, ablata omni imperfectione, vt continet perfectionem noſtrę vitę, ſed ablata imperfectione vitę mutabilis, creatæ dependentis, & mortalis: continet ſapiētiam noſtram, ſed dempta imperfectione ſapientiæ, quæ eſt qualitas, accidens pendens à ſubiecto, & infinitis obnoxiæ erroribus, continet voluntatem noſtram, sed expellit mutationē, inordinatum amorem, atq; mutabilitatem;

tatem ; deniq; continet noſtram intellectionem, ablatis tamen imperfectionibus diſcurrendi, errandi, & ſimilib. ſic peroptimè expreſſit Anſel. monolag. 33. *Cùm ſummus ille ſpiritus dicit ſeipſum, ideſt, concipit eſſentiam ſuam, dicit omnia, quæ facta ſunt: nam & antequam fierent, & cum iam facta ſunt, & cum corrumpuntur, ſeu aliquo modo variantur, ſemper in ipſo ſunt, non quod ſunt in ſeipſis, ſed quod eſt idem ipſe; etenim in ſeipſis ſunt eſſentia mutabilis, in ipſo verò ſunt ipſa prima eſſentia.* hæc ipſe.

Vita, ſapientia vtrum vniuocà Deo, & creaturis.

13 Obſtabis probando perfectiones ſimpliciter non eſſe formaliter in Deo: quia ſequeretur eas vniuocè prędicari de creaturis, & Deo, id verò eſt falſum, prob. ſequ. quia ſecundùm eandē formalem rationem, ſecundùm quā eſſet in creatura, eſſet & in Deo, vt ſapientia, & vita, licet ſemoueantur imperfectiones: conſtat autem nil eſſe Deo, & creaturæ vniuocum. Ad hoc argumentum vnuſquiſque conſequenter ad ſuæ ſcholæ principia formaliter poterit reſpondere, & quidem Scotiſtæ concedant ſequelam, & argumentum non pugnabit contra eos, ſuſtinēt enim vniuocationem entis inter Deū, & creaturam: ſolùm addant, quod ex tali vniuocatione eſt amouenda imperfectio, v.g. vitæ, & ſapientiæ, & ſimilium ab ipſo Deo, vt diximus: & hinc fiet vt vniuocentur quidem in ratione vitæ, ſed non in ratione mortalis, ſimul & immortalis: vniuocetur in conceptu ſapientiæ, non autem ſapiētiæ finitæ, vel infinitæ, accidētis, & huiuſmodi, & ſic de ſingulis. Thomiſtæ autem vniuocationem negantes, vtantur analogia, & negando ſequelam, dicant inde ſequi analogiam, quę apprime præſens negotium explanat, quia dum vtuntur analogia ordine prioritatis, & perfectionis, iam oſtenditur perfectiones ipſas prius, & perfectius prædicari de Deo, quàm creatura, & conſequenter ſi de creatura dicuntur cum imperfectione, de Deo dicantur ſemotis imperfectionibus, quod eſt intentum.

QVÆSTIO II.

An creatura ratione alicuius perfectionis ſit ſimilis Deo.

Similitudinis multiplex genus

1 CVm ſuper multiplicem fundamētalem rationē fundari poſſit natura ſimilitudinis, neceſſario ea multiplex fundandi ratio erit, prius attendenda, vt faciliter inde deſumi poſſint aſſertiones, & reſponſiones ad quæſitum. Et quidem habemus ſimilitudinem fundatam ſuper vniuocatione, quæ ſimilitudo vocatur vniuocationis, ſeù conuenientiæ in natura proxima, & ſpecifica: ſimilitudinem etiam analogiæ fundatę ſuper perfectius, & imperfectius, prius, & poſterius: quæ etiam appellatur ſimilitudo proportionis, reddendo ſingula ſingulis, ſimilitudinem imitationis: ſimilitudinem imaginis: ſimilitudinem ſecundùm ſpeciem impreſſam, & repræſentantem Deum; & ſimilitudinē ſecundùm ſpeciem expreſſam, qua Deum Beati cognoſcunt. his ergo, ac conſimilibus modis contingere poteſt inter Deum, & Creaturam ſimilitudo. Addendum eſt, poſſe ſimilitudinem eſſe quandoq; mutuam, quam & æquiparantiæ appellamus, & quandoq;

doq;

doq; non mutuam; cùm ex vtroq; extremo non neceſſario conſurgat, nec ambæ ex ambobus extremis relationes conſurgentes ſint reales. ſed diſcurramus per capita ſingula.

Similitudo vniuocationis inter Deum, & creaturas, qualis ex Scotiſtis.

2 De primo capite ſimilitudinis loquendo conſiſtentis in vniuocatione, ex Scotiſtis apponenda eſt aſſertio creaturam eſſe Deo ſimilem hac ſimilitudine vniuocationis; etenim ſuſtinent vniuocari ens Deo, & creaturæ, ergo conſequenter admitterent hanc ſimilitudinem. conſiſtet verò non in vniuocatione proxima ſpeciei, aut generis, ſiquidem nec in ſpecie humanitatis, nec in genere animalis, aut corporis, aut vegetatiui vniuocãtur creatura, & Deus, cùm Deus his careat; ſtat autem in altiori gradu ſimilitudo; vtpote in conceptibus vniuerſalibus, nempè ſubſtantiæ, entis, vnius, veri, boni, & ſimilium. Qui autem negant vniuocationem, vt Thomiſtæ, & admittũt analogiam, aiunt ſimilitudinem fundari ſuper proportione analogica, & ita hi ex capite ſecundo deſumunt ſimilitudinem, quod erat analogia: ita communiter ipſi cum D.Tho.1.p.q.4.art.3. vocant autem eam, ſimilitudinem proportionis.

Analogia ex Thomiſtis.

Similitudo imitationis creaturæ ad Deũ

3 Ad tertium caput deſcendẽdo, facilius conſtat, quia cum creatura imitetur Deum, vt in virtutibus, gratia, & gloria, conſequenter inſurgit ſimilitudo imitationis: reddendo tamen ſingula ſingulis, quia ſicut creatura eſt ens imperfectum, & defectiuum, ita quoq; imitatio erit minus perfecta: tũ etiam quia menſuratum imitatur mẽſuram, & exemplatum imitatur exemplar, eſt autem creatura exemplata, & menſurata, & Deus eſt menſurans, & exemplans, in hac vero participatione ſtat imitatio, & ſimilitudo: & de hac loquutus eſt Saluator Matt.5. *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, & Luc.16. *rogo Pater, vt vnum ſint, ſicut ego, & tu, vnum ſumus*: hæc vero vnitas dicit ſimilitudinem imitationis. & 1.Io.3. *cum apparuerit, ſimiles ei erimus*; quia perfectius tunc imitabimur, quam in ſtatu viæ: & de hac eſt commune elogium, *ſimilitudo conſiſtit in gratuitis*.

4 Ad quartum ſpectat ſimilitudo imaginis, quoniam homo eſt creatus ad imaginẽ Dei: licet ſimilitudo propriè ſit in gratuitis, vnde axioma commune. *Imago in naturalib. ſimilitudo in gratuitis*.

5 Quo ad quintum, iuxta ſententiã admittentium dari ſpeciem impreſſam Diuinitatis, amplius innoteſcit ſimilitudo, quia talis ſpecies impreſſa erit Deo ſimilis in repræſentando: quomodo vnaquæque alterius creati obiecti ſpecies impreſſa obiectiuè ſimilis eſt repræſentato, ſeu ſimilis eſt obiecto repræſentatiuè, de qua ſuo loco.

6 De expreſſa etiam magis cõſtat in ſententia omnium, quia notitia eſt ſimilis obiecto, etenim eſt ſimilitudo expreſſa obiecti, ſeu à poſteriori eſt expreſſiua obiecti: dicitur quidem ſimilitudo expreſſa ab obiecto, quia ab obiecto paritur notitia, ergo paritur tanquam partus ſimilis obiecto, & cõſequenter repræſentatur in ipſa obiectum, dicitur quoq; expreſſiua obiecti, quatenus à poſteriori indicat intelligenti quidditatem obiecti, igitur habetur etiam per notitiam ſimilitudo Dei, tanquam noſtri obiecti.

Aſſimilatio per ſpeciẽ expreſſam.

7 Sed reſtat vlterior expreſſiuitas, & ſimilitudo maior, quæ eſt penes cognoſcentem ipſum, quia ex cognitione quam habemus, aſſimilamur obiecto cognito, *intellectus autem eſt*, ait Ariſt. *omnia fieri*, ergo transformamur per cognitionem in obiectum, & hinc aſſimilamur obiecto, & eo magis, quo id perfectius cognoſcimus, ſed in Patria *videbimus eum ſicuti eſt*, ergo erimus ei ſimiles: hanc conſequentiam infert Ioannes, *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. ep.1. c.3. At ſi hoc competit cognitioni, multo magis cõpetet amori, amor.n. virtutem habet transformatiuam Amantis in Amatũ, & conſequenter vim habet aſſimilatiuam, & vnitiuam, ideoq; D.Dionyſ.c.4. de diuin.nom. vocat illum, *virtutem commiſcentem*, & Auguſt.l.8. de Trin. c.10. dixit *amorem eſſe veluti iuncturã quandam, quæ amantem cum re amata copulat*. & apertius ad noſtrum intentũ Ariſtophanes apud Ariſt. 2.polit. c.2. *ex amantibus fieri quaſi vnum*. ex quo autem beatus, penes Paulum, *transformabitur in eandem imaginem*. 2. Co-

Similitudo trãsformationis.

Amor vim habet trãsformatiuã.

rinth.

rinth. 3. reſtat, vt magis per amorem conſtet ſimilitudo ad Deum, & modus hic excellit cæteros aſſimilandi modos .ſ. per amorem.

Similitudines inter Deum, & creaturam valde imperfectæ.

8 Cum his tamen iam recenſitis recolendum eſt, quod iam attigimus, omnia hæc, & ſimilitudines omnes eſſe admodum impares, atq; imperfectas, iuxta illud, *finiti ad infinitum nulla eſt proportio*. atq; etiam ex parte quidem Dei eſſe rationis, ex creatura autẽ eſſe reales relationes, cùm potius creatura ad Deum, quã Deus referatur ad creaturam: & hinc conſtat relationes mutuas non eſſe, quia non ambæ reales; non ambæ neceſſario ortæ, quæ requiruntur ad realem, quod etiã confirmat Dion. de diuin. nom. c. 9. *mutuam ſimilitudinem non recipi, niſi in ijs, quæ ſunt vnius ordinis, nõ autem in cauſa, & cauſato*. per cauſam autem hic intelligit cauſam æquiuocam, non quidem omnem, ſed ſolum primariam, vt eſt Deus; nam inter cauſas creatas ęquiuocas, & cauſatum iam intercedit realis relatio: ſed ſenſus eius eſt de ſimilitudine, non quidem inter cauſas, & cauſatum vniuocum, inter quę neceſſario intercedit in natura ſpecifica; ſed de ſimilitudine inter cauſam ęquiuocam, & cauſatum, inter quæ dũ negatur ſimilitudo, multo magis deneganda erit inter Deum, & creaturam, cum ſit ille primaria, & prima cauſa æquiuoca. Accedit, quod potius dicendum eſt creaturam eſſe ſimilem Deo, quã Deum creaturæ, quia ſemper id, cui fit aſſimilatio, (ſi ordinatè fiat aſſimilatio) ſemper inquam illud eſt, & cenſetur perfectius, quia illud ſtatuitur tanquam menſura perfectionalis, cui cætera adhæreſcãt, & appropinquare intẽdant per aſſimilationem, creaturæ autem id competit Deo accedere, & ipſum imitari, ergo ipſa potius aſſimilanda Deo, quam Deus ſibi, cum Deus creatura nõ egeat, nec egeat aſſimilari. & hoc intẽdebat Dionyſ. dicens *mutuam ſimilitudinem non eſſe in cauſa, & cauſato*. Deus vero nec à creatura quicquam expectat, cum creaturis nõ indigeat; nec conſequẽter à creaturis perfectionẽ aliquam recipiat, per quam tum perfectus euadat, tum creaturarum perfectionibus aſſimilari indigeat. dum tamen humanitatem noſtram aſſumpſit, & per humanitatem aſſumptã aſſimilatus eſt nobis, id non ob ſui indigentiam egit, vel ob quã fortaſsè indè expectaſſet fieri perfectiorẽ, ſed propter noſtram ſalutem, vnde & Apoſtolus ait *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo* Rom. 23. ob quod etiam Iſa. 43. de ſe Deus inquit, *in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum*.

Similitudo in vniuocis nõ ęquiuocis cauſis & cauſatis.

Similis Deus creaturæ nõ ex indigentia Dei, ſed creaturæ.

Inter creaturam, & Deum ſtat ſimilitudo, non æqualitas.

9 Denique inter Deum, & creaturam ſimilitudo quidem interuenit, non æqualitas; longè enim hæc differunt; quandoquidem illa reperitur inter eos, non iſta; æqualitas autem ſtat ſolũ ad intra inter diuinas perſonas. hinc Ambroſius aiebat, *creaturæ ad Deum relatio ſimilitudinis eſt, non æqualitatis*. Quod ſi arguendo inferas æqualitatẽ, vt ſimilis eſt Deo creatura, ergo & æqualis; negatur conſequens; ratio, primò, quia committitur fallacia commutando quale in quantum, etenim ſimilitudo ſpectat ad prædicamentũ qualitatis; ſuper quo fundatur: & æqualitas pertinet ad prædicamentum quantitatis, quod eſt eius fundamentum. Secũdò quoniam iam inter creaturas ipſas ſtat ſimilitudo ſine æqualitate, vt Pigmens erit quidem ſimilis Giganti in albedine, non tamen erit ei æqualis, ob molaris quantitatis exceſſum: eo minus erit creatura æqualis Deo, ob infinitum ſuper eam diuinę virtutis exceſſum, *finiti autem ad infinitum nulla eſt proportio*. & tertio, quia ſimilitudo nõ eſt ratio inferendi æqualitatem, quia pertinent ad prædicamenta diſtincta, vt qualitatis, & quantitatis; prædicamentum autem vnum non eſt ratio de ſe inferendi aliud, nec enim ſubſtantia de ſe infert quantitatem: nec abſolutũ de ſe reſpectiuum: nec conſequenter qualitas inferet quantitatem, ac propterea nec ſimilitudo, quæ eſt paſſio qualitatis, inferet quantitatis paſſionẽ æqualitatem, dixi *de ſe* quandoquidem aliundè poterunt prædicamenta ſe inuicem colligare, & inferre; etenim dũ ſubſtantia non ſtat abſque accidente: nec quantitas ſine qualitate, nec è cõuerſo qualitas abſque quantitate, vtique hinc poterunt ſe mutuo auocare, vnde aiunt logici, *prædicamenta ſunt impermixta*: cæterum de ſe, metaphy-

Similitudo cur non infert, æqualitatem.

ſicè

ſicè tenta non ſic ſe habent.

Similitudo in diuinis cur infert æqualitatẽ

10 Sed quæres cur autem in diuinis ſimilitudo infert æqualitatẽ? benè enim ſequitur, Pater eſt ſimilis Filio, ergo & æqualis Filio. Reſp. illationem, & conſequentiam ſequi gratia materiæ, non gratia formæ: nam quia perſonæ, ſunt eſſentialiter idem, habentque eaſdem perfectiones diuinas, eandemque infinitam virtutem, cùm vnitate eſſentię, hinc ex tali identitate infertur in eis ſimilitudo, & æqualitas, quæ illatio fieri dicitur gratia materię ex logicis: cæterum gratia formæ non currit, nam ſimilitudo de ſe non infert æqualitatem, cùm fundamentum illius ſit diſtinctum à fundamento iſtius, vt eſt dictum. de quo etiam tom. 2. diſput. *De ſimilitudin. diuin. perſon.*

QVÆSTIO III.

An Deus ſit ita perfectus, vt Creatura cum eo non faciat maius.

Sẽſus quæſtionis.

1 PRæſens quæſitum explicat amplius completionem perfectionũ Dei; cùm namq; conſtiterit de ſe ſolo eſſe ſummum, ac perfectum bonum; quæri poteſt, vtrum cũ additione creaturæ ſit quid maius. Quo in loco prius aduertendum non quæri vtrum ſit quid melius, & quid perfectius, conſtat namq; non eſſe ita, neque intenſiuè, neque extenſiuè; etenim omnis bonitas, & melioritas eſt ex ipſo ſolo Deo, ergo ex ſe ſolo continet ſummam perfectionem: tum etiã, quia omnis creaturę bonitas eſt communicata à Deo ipſo, & antecedenter reperitur in Deo prius, quàm in creatura: tùm vltra, quia perfectiſſimo modo in eo inſunt paſſiones omnes perfectionales, & attributales, & denique quia nullam Deus expetit bonitatem, ac perfectionem à creatura, quo ſit vt quæſtionis ſenſus eſſe non debeat, an cũ creatura ſit quid melius, aut perfectius; quia de eo cõſtat ſupra ſed vtrũ ſit quid maius: & conſequenter nec quærendum de maioritate intenſiuè, etenim idem eſt intenſiuè maius eſſe, & militant rationes prædictæ, ſed de maioritate quærimus extenſiua.

Diſp. 9. q. 1.

Negatiua ſentia aliquorum de mente D. Thomæ.

2 Qua in re, eſt aliquorum ſententia nullo pacto id concedendum fore, ideoq; nec maius facere extenſiuè. & videtur eſſe in ſententia hac D. Tho. qui 12. q. 34. art. 3. ad 2. ait, optimum ſimpliciter, per cuius participationem omnia ſunt bona, vt eſt Deus, nullius boni additione fieri melius. idem habet in 3. ſent. d. 6. q. 2. artic. 3. ad prim. vbi docet, quod licet in Chriſto bonũ increatum naturæ diuinæ, & bonum creatum naturæ humnæ ſint plura bona, quàm ſola natura diuina, coniunctũ tamen ex vtraque natura non eſſe maius bonum, neque melius ſola natura diuina. addit inde rationem, quia bonum creatum ad increatum ſe habet tanquam punctus ad lineam, ſicut autem punctus additus lineæ non facit maius, ita creatura non facit maius cũ Deo. Confirmari poteſt, ex quo omne bonum creatum continetur in Deo, quapropter appellatur omne bonum, igitur non facit maius. Confirmari etiam poteſt ex Auguſt. *Cùm creatura adhæreſcit Creatori, illa ſit maior quàm non erat, non ille.* 6. de Trin. c. 8.

3 Videtur non longe eſſe ab hac poſitione etiam Scotus, ipſe namque in quolib. q. 5. art. 2. expreſsè ait Deũ,

&

Negatiua Aliorum de mente Scoti.

& creaturam non eſſe maius bonum, quia non ſunt ambo æquè bona, tùm etiam, quia bonitas creaturæ continetur in Deo: vt vero fiat maius bonum requiritur primo, vt ambo illa, ex quibus deberet coaleſcere maius, eſſent æquè bona; & ſecũdo, vt bonum vnius non contineatur in altero bono: ſubditq; ſi darentur duo infinita formaliter, & ab inuicem diſtincta, & diuerſa, vt ſi vltra Deum, daretur aliud infinitum, vtiq; ex his duobus infinitis poſſet fieri aliquid maius, & melius, dat rationem, quia ambo eſſent perfecta, & nullum illorum cõtineretur in alio: nunc autem, quia creatura continetur in Deo, ideo ex vnione ipſius non fit quid maius, vt perfectius. hanc etiam de mente Scoti ſuſtinet Vulpes tr. 2. diſp. 11. art. vlt. ex Lycheto autem eius Interprete nil colligitur, niſi verbalis expoſitio. ſuſtinet quoq; eandem ſententiam Molina de mente Diui Thomæ p. 1. q. 6. diſp. 1.

Deus cum creatura nõ eſt quid melius extenſiue.

4 Quid vero nobis dicendum ſit in hac lite. ego expreſsè fateor duo, quorum primum, Deus cum creatura non eſt quid perfectius aut melius nec intenſiuè, nec extenſiuè. ſecundum eſt, Deus cũ creatura eſt quid maius extenſiuè. addatur tertium, non eſt quidquam perfectius intenſiuè. De primo, & tertio ſatis conſtat, & remanet probatũ ex ſuperiorib. ſolùm addẽda declaratio circa id, quod diximus de extenſione in primo capite, vt nec ſint quid melius, aut perfectius extenſiuè.

Probatur.

5 Hoc quidẽ probatur, quia omnis creaturæ perfectio extẽſiuè, & numeraliter ſumpta, omnis, inquam continetur in Deo perfectiori ordine, & nulla creatura continet perfectionem, quę nõ ſit in Deo, immo eadẽ prorſus numero perfectio creaturæ eſt in ipſo Deo eminenter, & virtualiter, ſecluſis tamen imperfectionibus, nõ quod hęc numero imperfecta, & ſingularis ſapientia Petri ſit in Deo formaliter, ſed quia quidquid perfectionis eſt in vnaquaq; ſingulari creatura, totum id, ſeiuncta imperfectione, eſt in Deo eminenter, & virtualiter: & vltra tot numero perfectiones Dei, non poteſt inueniri perfectio aliqua, participata à creatura, quæ non ſint in Deo, ac deinde quot numero perfectiones ſunt in creaturis, tot numero, & nihil minus, ſũt in Deo, immo multo maiores; igitur reſtat, vt Dei perfectio, atque creaturarum nõ efficiant quid melius, & perfectius, nec etiam extenſiuè. Cõprobatur exemplo, aureus continet perfectionẽ, ac valorem decem iuliorum, ſumatur autem vnus aureus ex vna parte, & ſumantur decem iulij ex alia, commiſceantur ſimul aureus, & iulij, non euadet ex ijs aliquid perfectius, & melius aureo ex ipſo ſolò sũpto, quia caroleni admixti non addũt aureo valorem vllũ, etenim totus eorum valor continetur in aureo, immo perfectiori modo ratione materiæ, ergo talis ſimul ſumptio non quid melius cenſetur, aut perfectius extenſiuè. ſi dixeris, addi ex tali ſimultanea ſumptione, ſeù mixtione perfectionem extenſiuam argenti, ex quibus conſtant iulij, vel etiam perfectionem extenſiuam ęris, ſi ſit pecunia excuſa per minutum. Reſpond. non ita eſſe, ſed aureum in ſe continere perfectionem æris, & argenti, eminenter, quæ formaliter eſt in argenteo, & in minuto, argumentũ autem ſolum concludit addi aliquid maius extenſiuè, non aliquid extenſiuè melius, aut perfectius. igitur reſtat, de quo non eſt dubitatio, Deum cum creaturis non eſſe quid melius, nec perfectius, nec intenſiuè quidem, nec extenſiuè, cùm cõtineat perfectionem omnem numeralem, & extenſiuã creaturę, aliàs concedere oportebit in creatura adeſſe perfectionem aliquã, quæ non eſſet in Deo: ſic namq; verè creatura perfectionem vnam haberet, quam non contineret Deus, verè tunc Deus, & creatura eſſet quid melius, & perfectius vtroque modo, & intenſiuè, & extenſiuè, quia per extenſionem ad creaturam reciperet ab ea perfectionem aliquam, quam non haberet, quãtitas enim palmaris ſit extenſiuè maior, & longior per additionem quantitatis bipalmaris, quia de ſe non continebat quantitatem hanc bipalmarem, pariformiter accideret, tunc fore extenſiuè perfectiorẽ, & meliorem Deũ, ſi ſubſumeretur cum creatura, habente perfectionem nouam, quam non contineret Deus. & hic eſt Patrum

ſenſus, atq; ſcripturarum, vt eo nil ſit perfectius, nil melius, propterea; dicit de ſeipſo, oſtendam ei omne bonũ: & ad hoc aſpexit Auguſt. ſupra cit. cũ aiebat, *cùm creatura adhæreſcit Creatori, illa fit melior, non ille.* de hac autem materia egimus ſup.

Ad intra plures perſonæ ſunt quid maius extenſiuè, quàm vna, non maius intenſiuè.

6 De ſecũdo capite loquendo, probabilius eſt, & rationi magis cõſentaneum aſſerere cum creatura eſſe quid maius extenſiuè, quàm id negare. id verò nedum in Deo comparato ad extra, verùm etiam in diuinis ad intra eſt aſſerendum. incipiamus ad intra. Deus Pater ex ſe ſolo inſpectus, eſt quid minus extenſiuè, quàm Verbum, & Spiritus ſanctus; Verbum tamen, & ſpiritur ſanctus ſunt quid maius extenſiuè, ergo ſtat noſtra aſſertio, quod in Deo reperitur maioritas extenſiuè. maior prob. quia extẽſiuè ſunt plus duo, quã vnus, ita ſe habent Spiritus cum Verbo ex vno capite, & Pater æternus ex ſe ſolo ex altero. itẽ duo numericè sũt maius extenſiuè, quàm vnus ſolummodo, & licet in Trinitate non reperiatur numerus prædicamentalis, adeſt tamen numerus traſcendentalis, qui eſt numerus Perſonarum; ſunt autem Verbum, & Spiritus ſanctus duo, Pater ſolus vnus, ergo illi maius extenſiuè iſto ſolo: ſi negaueris Verbum, & Spiritum eſſe maius extenſiuè, quia negaueris eſſe duos, vel duo, iam negabis Trinitatem, non enim ex ſe ſolo Pater cõſtituit Trinitatem, ſed ambo etiam extenſiuè, & numericè concurrunt ſuppoſita Verbi, & Spiritus. Dixeris, Verbum, & Spiritum non eſſe duo, ſed vnum, ratione eſſentiæ, gratia tia cuius ſunt idem, & vnum eſſentialiter: Hec nihil eſt, quia etſi ſtet vnitas ſubſtantialis, ratione eſſentiæ, & identitas eſſentialis ratione diuinæ naturę, tamen verè aliunde ſtat etiam diſtinctio ſuppoſitorum realis, & ſecundùm fidem ſtat numerus trium pérſonarũ, vnitas autem, & identitas ratione eſſentiæ non impedit diſtinctionem ſuppoſitorum, & numerum perſonarum, & in hoc excellit myſterium diuinæ Trinitatis, vt ſimul ſint Perſonæ vnũ, & tres, vnum ratione eſſentiæ, tres ratione perſonarum, igitur concluditur primum ſuppoſitum ſi ex ſe ſolo contemplemur, & ex parte altera capiamus Verbum, & Spiritũ, hæc duo ſuppoſita erunt extenſiuè maius, quàm illud vnum, aliàs negabis multiplicitatem perſonarum, atque deſtrues Trinitatem. Da oppoſitum, quòd duo nõ ſint maius ſic, quàm vnum, & cito concedes Verbum, & Spiritum non eſſe duo, quod eſt contra fidem, vel cogeris inferre eſſe vnum ſuppoſitum, & ſic vel negabis diſtinctionem ſuppoſitorum, vel deſtrues Trinitatem. ſed addendum, quod Verbum, Pater, & Spiritus non erunt propter hoc quid maius intenſiuè, nec quid perfectius, propter propter ipſorum æqualitatem, idẽtitatem eſſentialem, & infinitatem; non tamen obſtat vt ſint quid maius extẽſiuè, quia tria ſuppoſita ſunt plura numero, quàm duo, & duo plura, quàm vnum.

Obſtatur.

7 Dices non poſſe id fieri, quia totum, quod eſt in duobus eſt in vno, & nil minus, aut maius, ergo nulla maioritas. Occurritur, quia eſſentialis perſonarum identitas nõ deſtruit realem earundem diſtinctionem: & ratio, qua quod eſt in duobus ſit in vna, non eſt ratio hypoſtaſis, ſed eſſentiæ, quapropter, cùm maneat diſtinctio ſuppoſitorum, remanebit extenſiuè multiplicitas: inſuper ſuppoſitũ Patris, qua tale ſuppoſitũ eſt, ratione ſuę perſonalitatis non eſt ſuppoſitum Filij, nec ſuppoſitum Spiritus S. nam ſic diſtinguũtur, remanent igitur ſuppoſitales rationes ſub ratione diſtinguendi, nõ ſub ratione communicandi, etenim communicatio habetur per rationem eſſentiæ; ſic etiam modus eſſendi per circumincesſionem vnius in altera, nõ prouenit ratione ſolius perſonalitatis, sũt namq; incõmunicabilia ſuppoſita, ſed ratione naturæ, quapropter ſi ex parte huius conueniunt, & ſunt tres omnino vnum, tamen ratione ſuppoſitorum ſunt verè tres, aliàs deſtrueretur Trinitas, ſicq; duo ſunt extenſiuè plura, quàm ſuppoſitum vnum. Demũ paternitas non eſt filiatio: & vtraque non eſt paſſiua ſpiratio, ergo ſunt tria, & plura extenſiuè.

Occurritur.

8 Ex alio capite conuinci poſſent ſpecialiter Scotiſtæ ad hoc idem: admittunt namq; diſtinctionem formalem,

Probatur ex multiplicitate, et diſtinctione formalitatum ex Scotiſtis.

lem, quæ non eſt ex opere intellectus, ex quo ſequitur vt admittant tot, & tot formalitates, namq; formalitas eſſentiæ eſt vna, altera eſt formalitas vnitatis, alia bonitatis, veritatis alia, alia ſapientiæ, intellectus, voluntatis, & de ſingulis, itaq; admittunt has, & multo plures à parte rei formalitates in diuinis, inuicem formaliter diſtinctas: ex hoc arguitur, plures ſunt extēſiuè formalitas intellectus, voluntatis, ſapientiæ, bonitatis, veritatis, ac vnitatis, ſimul ſumptæ, quàm ſola perſonalitas eſſētię diuinæ, ergo datur in Deo maioritas extenſiua: antecedans patet de ſe, ſunt namq; illæ, tot, & tot, eſſentiæ autem eſt ſolùm vna, at plura excedūt ſaltem extenſiuè vnum. Non oportet recurrere euadendo argumentum, ad identitatem realem, eſſentialemq; qua ſi dicant, eſſe tamen tot formalitates vnū & idem, ratione eſſētię: quod quidem eſt fuga, etenim etſi re vera vnum ſunt realiter, & non realiter plura, tamen in ſententia eorum remanent diſtinctæ, & plures, alias negarent diſtinctionem formalem: inſuper quid eſt plura diſtinguere à parte rei, niſi illa multiplicare, & facere eſſe plura extēſiuè, eo modo, quo ſibi cōpetit multiplicari, & diſtingui, hæ autē diſtinguūtur formaliter, ergo multiplicātur formaliter. Nō autē caſu dixi multiplicari formaliter, quia ſi obieceris falſū eſſe ad diſtinctionē inferri multiplicationem, cùm diſtinguantur attributa diuina, ſed non multiplicentur, quia ſunt vnū rōne eſſentiæ; etenim cōuinceris ex modalitate tuæ diſtinctionis, quia conſequenter ad modum diſtinguendi ſequitur modus proportionaliter multiplicandi, diſtinguis autem attributa formaliter, ergo multiplicas formaliter, à contrario non diſtinguuntur realiter, ergo non multiplicantur realiter, ſed ſunt vnum realiter, ergo reddendo ſingula ſingulis ad diſtinctionem realem ſequitur multiplicatio realis, vt perſonæ diſtinguuntur realiter, ergo multiplicantur ſuppoſita realiter, non diſtinguuntur eſſentialiter, igitur non multiplicātur eſſētialiter, ſed ſunt vnū eſſentialiter, igitur à pari, attributa diſtinguntur formaliter, conſequens eſt multiplicentur formaliter, ex quo fit vt formalitates intellectus, voluntatis, & bonitatis ſint plures, quàm ſola formalitas vnitatis, non autem ſunt plures intenſiuè, cùm infinita ſint omnia, ergo plura extenſiuè, & conſeqnenter erunt quid maius extenſiuè. Contra Thomiſtas non valet diſcurſus iſte, cū negent diſtinctionem talem, valeret tamen primus de perſonis. Contra Scotiſtas verò valeret vterq; Maioritas autem hæc extenſiua dicta ſit abſque præiudicio Trinitatis, non enim derogat, cùm admittatur omnimoda æqualitas perfectiſſima, infinita, & intenſiua: quæ quidem maioritas fundatur ſuper diſtinctione, ac numero perſonali, ſtante identitate eſſentiali, cęterum ſi Trinitati in aliquo derogat, omnino de medio tollatur.

Ad diſtinctionem ſequitur multiplicatio proportionaliter.

9 Sed tranſeamus ad creaturas, circa quas facilior redditur argumentatio ad probandam maioritatem. arguitur autem, Deus, & creatura non ſunt vnum, & idem, ſed diſtincta valdè, ergo faciunt vnum maius extenſiuè. antecedens patet, & prob. conſequ. quia pluralitas adeſt, vbi adeſt diſtinctio, reddendo ſingula ſingulis, vt deduximus; Deus & creatura ſunt plura, quia ſunt diſtincta, ergo ſunt quid maius extenſiuè; Reſponderent negando conſequ. & ad probationem negarent ex diſtinctione pluralitatem, & inde dicerent, nec ſequi, quia totum, quod eſt in creatura eſt in *Deo*, vnde non eſſent quid maius. Sed ad vtrunq; arguimus, & primo ad id de multiplicatione deducenda ex diſtinctione, iam explicationem addidimus, & probationem, ac deniq; modificationem, ideo namq; addidi, reddendo ſingula ſingulis, vt proportionaliter inferatur maioritas extenſiuè, & plurificatio, non abſolutè, quo fit, vt ad diſtinctionem aliquorum eſſentialem, ſequatur multiplicatio, & numeratio eſſentialis; ad diſtinctionem realem ſubſequatur numeratio, & plurificatio realis; ad diſtinctionem rationis, ſequatur diſparitas, numeratio, & plurificatio ſecundarum intentionum, atq; plurium concipiendi rationum; & deniq; ad diſtinctionem ex natura rei, & formalem inferatur multiplicatio, & ennmeratio conceptuum, atq; formalitatum: itaq; remanet eſſe verū, quod

ad diſtinctionem proportionaliter ſequitur plurificatio, & enumeratio diſtinctorum: diſtinguuntur autē Deus & tota coordinatio creaturarū pluſquā ratione, pluſquam formaliter, pluſquā realiter, quia ſunt naturæ & eſſentiæ diuerſæ, ergo Deus & creaturæ ſunt quid plura, & extenſiuè quid maiora, quam ipſe ſolus. Confirmatur in ſententia vtriuſq; ſcholæ, ex Scotiſtis Deus, & creatura ſunt primo diuerſa, licet ſolum ſubiectiuè, ergo coguntur inſerre eſſe quid maius: ex Thomiſtis, ſunt primo diuerſa & ſubiectiuè, et obiectiuè; quia negant vniuocationem entis, ergo magis hi aſtruere coguntur multiplicationem, et maioritatem extenſiuè.

10 Quod autem inde dicebatur negari hanc multiplicationem, et maioritatē, quia tota creaturæ perfectio reperitur in Deo: attendamus quæſo qualis ſit iſta continentia, et identitas, vt poſſimus lucidius ad rem noſtram loqui: in creatura duo ad minus ſunt, prout ſpectat ad noſtrum intentum, aliqua ſunt, quæ perfectionem dicunt, et aliqua dicunt omnino imperfectionem: illa ſunt, eſſe, viuēs, intellectiuum, volitiuum, ſapiens, et ſimilia; hæc ſunt, dependens, creatum, finitum, terminatum, temporale, ſucceſſiuum, mortale, accidens, inhærens, informans, materians, et centum. loquendo de primis, concedamus perfectiones creaturarū, vt ſic, non facere quid maius nec intēſiuè, nec extenſiuè, quia eæ continētur in Deo, et nihil addūt ad Deum, prout initio diſcuſſimus: at de ſecundis loquendo, conſtat ea non habere Deum, niſi ſolū virtualiter, quatenus ea producit, et cōſeruat in creaturis, at Deus non eſt formaliter illa, quia non eſt formaliter dependens, non eſt formaliter creatura, non eſt formaliter accidens, non finitum, non terminatum, nō informans, non eſt materialis, non quantus mole; et ſic de ſingulis, quid ergo dicendum de his? Deus non eſt materia, forma, creatura, accidens, finitus, limitatus, et cætera, ergo *Deus* cū his omnibus eſt quid maius extenſiuè, prob. ſequ. quia tunc dicitur quid extenſiuè maius, cùm adiungitur illis, quę non erat formaliter, nunc *Deus* eſt cū creaturis, quæ formaliter non ſunt *Deus*, et *Deus* non eſt formaliter illa, ergo ſunt quid plura extenſiuè.

11 Inſuper ſi recurras ad identitatem, iam conſtat falſum forè recursū, cùm non ſit formaliter creatura, ergo creatura eſt aliud à *Deo*, et *Deus* aliud à creatura: dicis namq; non eſſe maius, quia ſunt vnum, quia continentur, hinc ipſe infero *Deum* eſſe formaliter creaturam, vt creatura; eſſe formaliter materiam, vt ſic; et eſſe formaliter entia illa imperfecta, quatenus imperfecta, quæ cōnumerauimus, hæc enim abſurda ſequuntur ex reſponſionē.

11 Inſuper ſi recurras ad identitatem; iam conſtat falſum fore recurſum, cùm non ſit formaliter creatura, ergò creatura eſt aliud à Deo; & Deus aliud à creatura: dicis namq; non eſſe maius, quia ſunt vnum, quia continentur, hinc ipſe infero Deum eſſe formalirer creatutam, vt creaturam; eſſe formaliter materiam, vt ſic; & eſſe formaliter entia illa imperfecta, quatenus imperfecta, quæ connumerauimus, hæenim abſurda ſequuntur ex reſponſione.

12 Præterea, eſto per impoſſibile, quòd creatura eſſet cum Deitate vnum, & idem, remaneret tamen aliquo modo diſtincta, vt ſapientia Petri ſit, v.g. cum Deo idem, vnumq; quatenus tamen creata eſt, & accidens, diſtinguitur vtiq; à Deo, & nō eſt Deus: ex hoc arguo, creaturæ diſtinguuntur à Deo, ergò ſaltim ex ea parte, qua diſtinguuntur erunt plurificandæ ſecundùm rationes diſtinctas, ſeu rationes diſtinguendi, ſed prout diſtinctæ ſunt, plures ſūt iuxta pluralitatē diſtinctionis, ergo ſunt extēſiuè maius. quo fit vt ſi creaturæ cum Deo eſſent ſm̄ omnes rationes vnum, & idem, non vtiq; eſsēt plura Deus, & creaturæ, nec eſſent maius quid extēſiuè, verùm quia probè diſtinguuntur, hinc non ſunt vnum, ergo ſunt formaliter plura, & conſequenter erunt extenſiuè maiora.

13 Hinc formatur ratio, Deus nō eſt formaliter creatura, ſecundùm rationea imperfecti competentea creaturæ, ergo Deus, & creatura ſunt quid plura; ſi neges ſequelam, ergo dabis Deum, & creaturam ſub ratione im-

per-

perfecti eſſe vnum, & idem, & ita dabis Deum eſſe creaturam, eſſe materiam, eſſe corpus, accidens, quantitatē, rem terminatam, & ſimilia; cùm tamē nulla inter Deum, & creaturam ſub his rationibus conceptam intercedat identitas, nec realis, nec formalis, & cet.

14 Fugiunt ad continentiam eminentialem, & aiunt Deum eſſe eminētialiter creaturam, quia perfectiori modo continet eam, ſemotis imperfectionibus, ſed hinc error; etenim ſumamus bonitatem creatā. in ea duo ſunt, alterum quod habet rationem perfecti, quod eſt ſapientia ipſa, & alterum ratio imperfecti, quod eſt eſſe creatū, accidens, & cęt. de primo quidem verum eſt contineri eminenter, & hoc modo eſt in Deo, & ſic eſt ſapientia in Deo eminenter; de ſecundo autem, quæro eſt ne in Deo eminenter? nequaquam, quia nulla imperfectio, vt ſic, eſt in Deo formaliter, aut eminenter, ſed virtualiter, nam ſapientia imperfecta; eatenus in Deo eſt eminenter quatenus eſt ſapientia, non quatenus eſt ſapiētia imperfecta, igitur per eminentiam ſuam Deus deſumit quidem ſapientiam, quod eſt perfectum, ſed linquit rationem accidentis, qualitatis, creati, & huiuſmodi, quod eſt imperfectum, & hoc eſt continere eminenter: imperfectum autem vt imperfectum, non continetur in Deo eminēter, quia eſt totum imperfectum, continendum verò eminēter ſolet ex parte eſſe perfectum, & ex parte imperfectum, quo fit vt à ſapientia imperfecta deſumatur id, quod eſt perfectum, & linquatur omnino imperfectum, igitur reſtat vt imperfectū quatenus ſic, non contineatur in Deo eminenter, ſufficit autem contineri virtualiter, quia dependet in fieri, & cōſeruari creatura à Deo. nec continetur inſuper identicè, aut formaliter, aliàs eſſet formaliter imperfectus, ergo multiplicantur entia, & erunt extenſiuè maius. Formatur autem ex his ratio, perfectum, & imperfectum non ſunt vnum, & idem, nec formaliter, nec eminēter, ergo ſunt plura. Deus eſt de ſe perfectus, creatura ſub rationibus recenſitis eſt imperfecta, ergo nō ſunt vnum, nec vnum continet aliud, ergo ſunt plura, ergo quid maius, & maius quidem extenſiuè.

Eminētialis continētia amplius explicatur.

15 Solùm ratione huius imperfecti remanet ex vno capite continentia, nempe continentia virtualis, quia poteſt ea producere, iuxta quod natura cuiuſq; poſtulat imperfecti, vt producit Deus accidens, materiam, corpus, motum, & ſimilia, quæ dicunt imperfectionem. nec dixeris, ex tali productione indicari Deum imperfectū, cùm producat imperfecta (etenim diximus primo) nō eſſe imperfecta, quatenus producuntur à Deo, nam *Dei perfecta ſunt opera*, ſed imperfecta eſſe ratione, & ordine rerum creatarum, varijs mutationū viciſſitudinibus ſubiectarum. ſecundo Deus producit res omnes iuxta genus ſuū, & iuxta ordinē, ſecūdùm quē vnaqueq; res producibilis eſt, quia Deus ordinatè agit, at *quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*, tertio res creatas mox approbabat, dicēte Moyſe vidit Deus quod erant, vel de bona, & benedixit eis &c. vnde entia iſta in genere ſuo non ſunt imperfecta, ſed perfecta, adeo ut nil eis deficiat de propriopria ſpecie, & nil vltra expoſtulare poſſint quoad naturam ſpecificam, propriamq; eſſentiā, quod iam à Deo non receperint; & quarto, quia Deus, teſte Auguſt. *res, quas condidit taliter adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat.* quòd ſi tamen ratione talis continentiæ virtualis inferre velis non eſſe quid maius, quia in ipſo ſunt omnia, minus vrget caput cōtinentiæ virtualis, quàm eminentialis; ſed mos dubitandi in lite hac, pendet aliunde, quia contrarij ideo negant eſſe maius, quia continet eminenter: ſed conſtat quid dicendum?

An Deus imperfectus, quia producit entia de ſe imperfecta.

16 Et ex his conuincitur Scotum, quem affert pro ſe Vulpes, eſſe ipſimet contrarium, ait namq; Scot. in 3. d. 1. q. 1. Verbum non continere humanitatem formaliter, ſed eminenter, & virtualiter, ac propterea poſſe Verbo fieri additionem humanitatis, quā non continebat formaliter; hinc conſtat, illud non continere formaliter hominem, eo modo, quo nos denominatione intrinſeca ſumus formaliter homines; cùm verò non fit intrinſecè ho-

Vulpes Scotum pro ſe afferendo, potius contrariū demonſtrat.

homo, vtiq; Deus, & homo formaliter erũt duo, & ſubſequenter erunt plura extenſiuè: Chriſtus quidẽ eſt formaliter Deus, & homo, ideo eſt Chriſtus vnus: at Deus, & homo non ſunt vnus, ſed duo: confundit verò Vulpes maius eſſe cum melius eſſe: dum namque initio quærit vtrum faciãt maius, inde quæſtionem decidit non per maius, ſed per melius, ſed de hoc non eſt quæſtio, de quo nos ſupra.

Vulpes perperam pro ſe Scotum adducit.

Scotus cõfirmat intẽtum: et negat de maioritate intenſiua, nõ extenſiua.

17 Vbi autem adducit pro ſe Scotum in quol. quæſt. 5. nullam mentionem Scotus agit an ſint maius extenſiuè Deus, & Orbis, ſed ait ſolùm non eſſe quid melius, quia non æquè bona; & vnum continetur eminenter in alio; loquitur autem Scotus potius de maioritate intenſiua, quàm extenſiua; de extenſiua namque nil agit, quapropter verior erit eius interpretatio, vt non faciant maius intenſiuè, quod clarius elicitur ex eius locutione, quàm oppoſitum, quia loquitur de bonitate, & inquit, quòd bonitas vnius continetur in altero, & indè ſubdit, *& ideo ipſum cum illo bono acceptum non auget, neque exceſſum facit illud bonum in ſe*, igitur loquitur de exceſſu intenſiuo, & de exceſſu quoad bonitatem, qui eſt exceſſus intenſiuus perfectionalis, de quo etiam nos negamus fieri maius, quæ eſſet maioritas intenſiua, quo fit vt mens eius non ſit negare exceſſum extenſiuum, & maioritatem extenſiuam.

Scotus negat eſſe quid melius, nõ quid maius.

18 Diuus etiam Thomas, qui pro oppoſita parte adducitur, expreſsè fauet ſententię noſtræ: ait namque, *licet in Chriſto bonum increatum naturæ diuinæ, & bonum creatum naturæ humanę ſint plura bona, quàm ſola natura diuina, coniunctum tamen ex vtraque non eſſe maius, neque melius*: ex quibus verbis apertè docet Deum cum creatura eſſe plura bona, & hoc eſt, quod nos aſtruimus, quodq; vocamus maioritatem extenſiuè: ex quo tamen ſubdit, *non eſſe maius*, loquitur de maioritate intẽſiua, & perfectionali, ideoque ſubdit, *neque melius*: prius tamen conceſſerat eſſe plura, quod eſt eſſe maius extenſiuè. conſtat etiam ex exẽplo, quod adducit de puncto: punctus namque, & linea ſunt quid maius extenſiuè, quia ſunt plura, quàm vnum ipſorum ex ſe ſolo: ſicut tamen punctus nihil entitatis, aut perfectionis poteſt addere lineæ, ita nec creatura aliquid perfectionis addere poteſt Deo. Diuus quoque Auguſt. non fuit lõge à dictis; etenim cùm aiebat, creaturam fieri maiorem, non Deum, clarè oſtendebat de maioritate intenſiua, & perfectionali, qua fit maior accedendo ad Deitatem, quæ ex Damaſc. *eſt pelagus perfectionum*, iuxta illud, *accedite ad eum, & illuminamini*, de hac inquã maioritate loqui; at hæc eſt in ſola creatura, non in Deo, qui nil perfectionis recipit propter acceſſum ad creaturam. hanc eandem ſequuntur, licet obiter Conimbric. lib. 1. de cœl. q. 1. art. 7. in princ. & Valent. t. 1. d. 1. q. 4. punct. 1. atq; ante eos Durand. in 1. d. 44. q. 3. Rada 1. q. 29. art. 1.

DIS-

DISPVTATIO XI.

De infinitate Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus ſit infinitus.

ARTIC. I.

Quid ſenſerit Ariſtoteles de infinitate Dei.

Auerrois, & Zimarę ſentētia de intentione Ariſtotelis

1 PErdifficile eſt inueſtigare quid Ariſtoteles ſenſerit circa Dei infinitatem; adeo namque obſcurè eſt loquutus, vt valde inſudauerint antiquiores Theologi, ac Philoſophi in eius ſententia inueſtiganda. & quidem in 8. phyſic. tex.com.78.& 79. & 12. met. t. c.41. docet Deum eſſe infinitæ potentiæ ex hoc quod mouet tēpore infinito. quocirca docere videtur, & oſtēdere Deū eſſe vigore infinitum. Verum non eſt vna loci huius interpretatio, variè nãque explicant Philoſophi: & in primis Auerroes explicat Ariſtotelem de Infinito in duratione, vt ſit ſenſus, Deus mouet ab æterno, ergo eſt æternus; mouet infinito tempore, ergo eſt duratione, & tempore infinitus. eadem eſt ſentētia Zimarę, qui defendit Auerroem, theorem.6.

Scoti explicatio de ſēſu, & ratione Ariſtotelis.

2 Ex altero capite Scot. in 1.d.2. q.2.§.*oſtenſis igitur*. & in quolib.quæſt. 7.§. *ad argumenta princi.* ſuſtinet Ariſtotelem loqui de infinito intenſiuè: addit tamen in primò rationem Ariſtotelis ſic abſolutè ſumptam non eſſe efficacem ad id demonſtrandum: ſed ad faciendam illam efficacem, oportere addere, *à ſe*, quaſi dicat, id, quod infinito tempore mouet *à ſe*, eſt infinitum intenſiuè: quę propoſitio veriſſima eſt: mouere namq; à ſe, independenter ab alio, eſt habere à ſe, virtutem, & à nullo participatã, quod, vt infra videbimus, eſt ratio concludendi infinitum in vigore.

Impugnatio Suarij, et Vaſq. de Scoto eluditur.

3 Diſplicet tamen modificatio iſta, licet ex parte ſolum aliquib. quoniam non requiritur tempus infinitum ad concludendam infinitatem in illo, qui mouet à ſe: etenim ſi moueret tempore finito, & moueret à ſe, adhuc concluderetur infinitas, quemadmodum noſter Deus non ab æterno, ſed ex tēporis initio cæpit mundum mouere, & tamen quia id agit à ſe, benè concluditur in eo infinitas intenſiua: hi ſunt Vaſqu.1.p.diſput.103.c.1.n.2.& Suar. in met.diſp.30.ſect.2.nu.4. Verum non eſt exiſtimandum loqui Scotum ſic de ſua mente de tempore infinito, etenim benè norat id non eſſe neceſſe, prout ex rationib. ſuis demonſtrat, quib. probat dari ens infinitum intenſiuè, vbi rationem è proprio marte formando, ait, *quod mouet à ſe, & independenter ab alio, & per propriam virtutem, id eſt, infinitum*; *Deus mouet à ſe, & cæt.* ergo Scotus nouerat poſſe in tempore finito argui infinitatem per motionem à ſe: ſed quia verſabatur circa rationem

Ariſt.

Ariſt. noluit curare de hoc, ſed verba Ariſtotelis referens, aiebat, ad illud dictum Ariſt. quod mouens tempore infinito & cæt. oportebat addere, à ſe: & Scotus attēdit ad id, quod erat magis neceſſarium ad fortificandam rationē Ariſt. id vero erat, modus mouendi à ſe; vel loquebatur iuxta principia Ariſtotelica, qui exiſtimauit Deum ab æterno mundum mouiſſe, iuxta poſitionem eiuſdem de æternitate mundi.

Aliorū inſtantia reſoluitur.

4 Sunt & alij, qui eidem Scoto tribuunt, voluiſſe aſſerere quod Ariſtoteles efficaciter probauerit Dei infinitatem intenſiuam, & quod ex rationib. Ariſtotelis intendat abſolutè, & apertè concludi Deum eſſe vigore infinitum: ſed hi non eum percipiunt; ſiquidem rationem iam allatam de motu in infinito tempore, oſtendit in primo non eſſe efficacem, & ideo, addendam dixit, *à ſe*: & inſuper eam corroborando, dixit *ſe colorare illam*, quaſi aſſerat, eam de ſe non eſſe efficacem. & in quolibeto 7. amplius id declarauit ſe non habere eam pro efficaci, immo nolle de re hac diſputare; quapropter inefficax quoq; fuit apud Scotum, ſicut re vera in ſe eſt inefficax iſta ratio. Alterum tamen addit idem Scot. in quol. quod ſiuè ſufficienter probauerit Ariſ. ſiuè non, elicitur tamen, ait, ipſum intellexiſſe de infinitate intenſiua: & ſubdit, quod Ariſt. intellexit de mouente à ſe, & ita ratio ſua concludat: quod ſi modum illum mouendi à ſe, Ariſt. non expreſſit, tamen cenſendum, tacitè incluſiſſe, quia loquebatur de motore primò, & mouente propria virtute.

Caetani impugnatio retūditur.

5 Impingit contra Scotum Caetan. & miratur de Scoto, vt exiſtimarit Ariſtotelem tacitè modum hunc incluſiſſe, etenim nunquam tale medium Ariſto. in ſua ratione expreſſit: ſed magis mirandum eſt de eod. Caetano, cur ipſe modum alium, immo conſimilem, & ferè eūdem, appoſuerit rationi Ariſtotelicæ, quem nec Ariſtotelem intendiſſe pariformiter poſſumus contra Caetanum diſcurrere: ait. n. ipſe opuſc. de infinit. Dei, rationem Ariſt. in hoc conſiſtere, quod Deus per ſe primò, & ex propria, atq; interna virtute cauſet motus infinitatem: ſicq; ipſe exiſtimat validari rationem: at quærimus, cur id apponit, dum non conſtat Ariſtotelem expreſſiſſe talem modum in ratione ſua: & nihilominùs modus iſte Caetani eſt idem, ac modificatio Scoti, ne dicā, deſumpſiſſe è Scoto, & inde (vt cenſeatur Auctor) eum impugnare: quidquid tamen ſit, modificatio eſt eadem: idem namq; eſt mouere à ſe, vt Scotus loquitur, ac mouere per propriam, & innatam virtutē, & per ſe primò, vt loquitur Caet.

Sententia D. Tho. de Ariſt.

6 Diuus etiam Thom. eandem infinitatem intenſiuam elicit de mente Ariſt & idem Caetan. & ante ipſos Albert. Simplic. & inde Durand. atq; etiā Ægid. & ex Scotiſtis vniuerſi Scoti diſcipuli, ex quib. latè proſequitur diſputationem iſtam Fauent. in natur. phil. theorem. 54 per tot.

Ariſt. admiſit infinitatem intenſiuam.

7 Quid verò nobis dicendum? ego quidem aſſero aliunde conſtare efficacius infinitatem hanc admiſiſſe Ariſtot. intenſiuam quidem, nedum extenſiuā: quod eſt contra Zimaram, Auerr. & alios infra citandos. & de ratione iam allata loquendo, ipſam eſſe omnino inefficacem, niſi modificetur, vt modificata iam fuit: & ideo mirum non eſt, ſi Auerroes negauerit inde colligi infinitatem intenſiuam, quia de ſe parum valet. quapropter aliorum probationes cæteras linquendo, vnam deſumo ex eod. Ariſt. qua credendum Ariſtotelem loquutum fuiſſe de infinitate intenſiua.

Ratio Ariſtot. non eſt efficax, niſi corroboretur ex modificatione Scoti.

8 Ea autem eſt. Deus eſt infinitæ potentiæ, ergo non eſt in magnitudine: probatur conſequ. quia aut eſt in magnitudine finita, aut infinita: non ſecundum, quia infinita magnitudo non datur: nec primum, quia infinita potētia non eſt in magnitudine finita, quoniam quacunq; potentia in magnitudine finita poſſet dari maior, & ſic Dei potentia poſſet excedi. Diſcurſus iſte concludit de potentia intenſiua, alias conſequentia Ariſt. eſſet nulla: probat namq; infinitam potentiam non eſſe in magnitudine, igitur loquitur de illa potentia, quæ ſtare nequit cùm magnitudine; ſed potentia ſola intenſiua nequit ſic eſſe cum magnitudine, ergo de hac concludit: probatur hæc minor, quia potentia infinita extenſiuè ſtare poteſt cùm magnitudine, immo ſecundùm

Si virtus infinita eſſet in magnitudine moueret in non tempore, declaratur.

dùm

dùm eundem Ariſt. ſtat cùm magnitudine: cælum namq; ex ipſo æternum eſt,habetq; ab æterno potentiam agẽdi, qua ſecundùm eundem ab æterno egit,ergo appoſuit Ariſt.infinitam potentiam extenſiuam in magnitudine: probat verò in ratione allata infinitam potentiam Dei ſtare non poſſe cùm magnitudine,igitur non concludit de potentia extenſiuè infinita,ſed intenſiuè, alias argumentum ſuum nihil concluderet,dicendo, potentia infinita nõ poteſt eſſe in magnitudine, Deus eſt infinitæ potentiæ, ergo eſſe nequit in magnitudine; ſi.n.reſponderetur loqui antecedens de infinita in duratione, & extenſione,iam conſtat eſſe falsũ, quia poteſt eſſe; et ſi in minori loqueretur etiam de eadem, patet eodem modo falſitas: igitur argumentum nihil concluderet: vt ergo concludat,eſt aſſerẽdum Ariſt.loqui de infinito in vigore, & intenſiuè.

9 Item ex conſequenti, quod ex maiori elicit Ariſt. probatur amplius intentum, ait enim virtus infinita non poteſt eſſe in magnitudine,quia moueret in non tempore:quæ conſequentia iſta? & quomodo deducitur? ſi namq; loquitur de infinito in duratione, non eſt bona deductio,ſiquidem ad mouẽdum velocius,ſicut ad mouendum in non tempore,per accidẽs ſe habet virtus paruo,vel multo tempore durans, non enim ratio durationis iu virtute erit ratio mouendi velocius, ergo nec conſequenter,eſſe duratione,& extenſione infinitum erit ratio mouendi in non tẽpore,ſed id potius proueniet ex intenſiua vi, & virtute perfectionali, vt quia virtus vna eſt altera perfectior, ideò inſumit minus tempus in mouẽdo. Confirmatur, quia dentur duę virtutes, quarum altera ſit diuturnior, & altera vigoroſior,ac intenſior, non illa mouebit citius,ſed iſta,quia non temporis diuturnitas, ſed virtus perfectior erit cauſa celeritatis motus: ergo ſi contentio ſit de infinitate Dei, ex qua debeat elici motus adeo velox, vt ſit in non tempore, non erit cauſa huius virtus Dei infinita in tempore, & duratione, ſed infinita intenſiuè, & in vigore. Adde, quòd virtus non ex eo, quod longius durat,exiſtimanda

Non duratio maior, ſed virtus perfectior eſt cauſa celeritatis motus.

eſt perfectior,ſed quia intẽſior, & plures habeat gradus actiuitatis:ait enim Scot.*albedo durans per annum non erit* (nempe eſſentialiter,& ſpecificè,& virtualiter virtute ſpeciei)*perfectior albedine durante per horam.* attenditur igitur non extenſio durationis,ſed actiuitas intenſionis.ergo dum Ariſtot.concludit,virtutem infinitatem non eſſe in magnitudine,aliàs moueret in non tẽpore, eſt apertè ex eius mente aſſerẽdum admiſiſſe infinitum in vigore.

Albedo durãs per annum nõ eſt perfectior albedine per horã. declaratur

10 Hæ duæ rationes apprime cõuincunt, & apertè oſtendunt qualis fuerit mens Ariſtot quapropter eas vel non benè ponderans, vel non animaduertens Gregor. Arim. in 1.d 42. q.3.art.1.negat talem infinitatem colligi poſſe,idem egit Piccolom.l.de motorib.cęlorũ c.34.Zimara, & nonnulli Alij:quas ſi perpendiſſet etiam vltimo Suarez,non negaſſet id colligi poſſe; etenim vbi negat rationem primario factam, & concludentem infinitatem ex motione per tempus infinitum eſſe minus validum, (quod etiam nos aſſeruimus.niſi modificatio adhibeatur,vt moueat à ſe)nihilominus rationes iſtas duas ſi contemplatus fuiſſet, id omnino conceſſiſſet:quas etiam nec negaſſet Zimara, Gregor. nec quiuis alter: Et quod addit Cano l.12.de loc.theol. c.5.Ariſtotelem erraſſe aſſerendo Angelos eſſe infinitos, quia mouent motu infinito, ſeù æterno: vtique errauit Ariſt. ſed motus infinitus indicat ſolã infinitatẽ in duratione Angelorum, vt ſolùm colligatur infinita eorum potẽtia ex tempore infinito, infinita ſolùm extenſiuè: & incidit cum eo,quod in modificatione primæ rationis attulimus,quòd,quia Angeli ab æterno mouentes non mouerunt *à ſe*,ideo nequit in ipſis intenſiua infinitas cõcludi, ſed in duratione: non enim Ariſtoteles fecit Angelos infinitos in virtute, & in vigore: at hoc non labefacit intentum Ariſt. penes Deum, circa quem ex rationibus ſaltem his duabus vltimis, appoſuit implicitè innatam, & independentem virtutem, & explicitè virtutem intenſiuè infinitã. & quod Caetanus ait, mirum eſſe vt Ariſt. hoc intenderit,quia iam expreſſiſſet verbis,ſi exiſtimaſſet primum Motorem moue-

Gregorij, & Piccol. reſponſio non obeſt.

Caetani reſponſio nõ obeſt.

re *à ſe*,hoc nihil eſt; non enim oportebat eum omnia explanare: iam enim probauerat Deum eſſe primam cauſam, primumq; Motorem, atq; omnino independentem:quæ ſingula oſtendunt,quòd totum,quod habet, habeat *à ſe*,hoc ſuppoſito, tanquam aliàs à ſe probato, inſurgit inde probare infinitatem intenſiuam primi Motoris, & reticuit illud *à ſe*,tanquam non neceſſario exprimendum, cùm recordabatur ſe aliàs id docuiſſe, & exiſtimabat loqui cum aliàs ſuæ doctrinæ memoribus,ac ſtudioſis, ſeù ſaltem cum Peritis, & ſapientibus, pro primario principio ſupponentibus cõmuniter, Deũ mouere à ſe.

Suarij modificatio nil prodeſt. 11 Et quod denique idem Suarez adiungit, infinitatem oſtendi ex eius diſcurſu,non abſolutè,ſed ſecundùm quid, ſcilicet infinitatem in mouendo, hoc parum valet,quia Ariſt. dum probauerit infinitatem intenſiuam, non eſt iudicandum voluiſſe ſolum facere Deum infinitum ex parte: cùm ritè nouerit, quòd infinitas intenſiua reddit ſubiectum abſolutè, ſimpliciter, & vndequaque infinitum,non enim poſſet ſuſtineri, etiã in pura philoſophia, Deum eſſe infinitum intenſiuè ſolùm quoad attributum ſapientiæ, vel bonitatis, & non quoad totam eius ſubſtãtiam, omneſq; ſui conceptus,ac perfectiones: *Infinitum in perfectione quid?* tùm quia *infinitum eſt illud,cui nihil deeſt perfectionis*, deeſſet autem ſibi multum,ac multum,ſi ex parte ſolùm eſſet infinitus: tum quia formaliter idem non poteſt eſſe finitum,& infinitum,eſſet enim ſimul perfectum, & imperfectum, nullus namq; id conceſſit, & ſi Scotus formaliter appoſuit infinitatem in Deo,& eandem negauit in diuinis relationibus,nil obſtat, etenim non dixit eas eſſe finitas, ſed nec infinitas, nec finitas, magis autem repugnat finitas, & infinitas, quàm infinitas admixta cum aliquo, quod non ſit nec finitum, nec infinitũ; item quia vbi negauit eam formaliter in relationibus eſſe, admiſit tamen identicè, & realiter,vt qua ratione ſunt idem cum eſſentia, dicantur eadem identitate in doctrina ſua eſſe infinitæ cum eſſentia. tùm deniq; (quoad infinitum ex parte) quia omnis infinitas promanat ab eſſentia,& ſubſtantia, tanquam à radice, quæ poſteriori ordine communicatur potentijs, & attributis: igitur ſi potentia mouendi ſolummodo concluditur infinita, & ideo Deus infinitus ſecundùm quid, non id admiſiſſet Ariſtor. ſiquidẽ apprime nouit perfectionem potentiæ pendere à perfectione eſſentiæ, & hanc eſſe prius perfectiorẽ illa; ergo interpretatio eius ruit: vel namque concedere deberet Ariſtoteli infinitatem totalem, vel nullam, & neq; partialem, vel ſaltim ſolam infinitatem in duratione, at ipſe concedit intenſiuam, ſed partialem.

12 Arguit autem Piccolom.negãdo infinitatem de mente Ariſt. Deus mouet immediatè, ergo non eſt intenſiuè infinitus.antecedens ſupponit verum de mente eiuſd. Ariſt.& probat conſequ.inter motorem,& mobile debet reperiri proportio,at inter motorem infinitum, & mobile finitum nulla eſt proportio, ergo non eſt infinitus: prob.ſequ.quia qualis eſt virtus, & ratio mouendi, talis debet eſſe proportio mobilis:at motus hic erit velocitate infinitus, ergo nequibit recipi in mobili finito.Cõfirmatur ex eod.Ariſt. ſup. *ſi virtus infinita eſſet in magnitudine,moueret in non tempore*, quia ſi moueret in tempore,poſſet in eodem mouere virtus aliqua finita,ſieq; eadem menſura moueret finita,& infinita. ſecundò confirmatur, quia aut poteſt virtus hæc infinita velocius mouere, aut non poteſt: ſi ſecundum,ergo non eſt infinita,immo dari poſſet alia virtus potens mouere velocius: ſi primum, cùm in diuinis non differat eſſe à poſſe,ergo mouet, & mouebit infinitè in non tempore.Confirmatur tertiò,quia motori infinito debet correſpondere mobile infinitum,quod impleat:prob. ſeq.:quia poſuit Ariſt. Deum agere ad extra velut ens naturale, ſeu agens neceſſarium.quartò, quia idem et docuit repugnare infinitum in actu. ergo neq. aſſeruit ſeipſum eſſe infinitum. *Arguit contra Piccolom.*

13 Gregor.addit arguendo, ſequi mouere in inſtanti, quia neceſſariò, & immediatè agit. item ſequeretur poſſe mouere quodcunq; mobile magnum, hoc namq; competit infinito, at conſequens probat eſſe falſum, quia Ariſt. *Arguit Gregor.*

2.cœl.

2.cæl.70. docet quod ſi adderetur ſtella aliqua cælo, moueretur cùm fatigatione, idem concludit Auerr. de eius mente, quod vel tardius moueretur, vel nunquam.

Arguit Zimara.

14 Et deniq; Zimara arguit, infinitas expetẽda eſſet, aut ex parte materiæ, aut formæ, nullo ex capite competit Deo. & primò infinitas competit quidem materiæ, & formæ conuenit finitas, quod probatur ex Ariſt. 3.phiſ. 60.65.dicente, *finitas eſt à forma, ſicut illimitatio, & infinitas eſt à materia.* Cõfirmat, quia *ſpecies, ſeu formæ ſunt ſicut numeri* 8.met.10. numerus autem quilibet eſt finitus, & omni formæ competit finire, ac limitare. Vltimò arguũt, media, quibus diuinam infinitatem nouimus ſunt creatio, reuelatio, ſigna, ſeu miracula: hæc verò incognita fuere Ariſtoteli, ergo ipſe non potuit admittere infinitum in vigore.

Ex Ariſt. Deus non agit immediatè.

15 Ad iſta autem, & ſimilia facilè reſpondetur: & ad primum, negandum eſt, etiam ex Ariſt. Deum mouere, & producere immediatè, immo mouet mediatè, mediantib. cælis hæc inferiora, & cælos mediantib. Intelligentijs: hac.n. ratione concluditur in doctrina ſua Deum non producere ſemper idẽ, vel ſimile, quia diuerſitas effectuum promanat ex diuerſitate cauſarũ, quibus mediantib. ipſe agit: hæ namq; cõtemperant virtutem ſuam, ſiuè ſpecificant, & quaſi accommodant ad diuerſos effectus producendos.

Proportio qualiſnam inter mobile, & Motorem.

16 Ad id de proportione dicendum quod inter motorem, & mobile non eſt reperienda proportio entitatiua, hoc namq; modo nuſquam Deus infinitus poſſet agere in creaturam, cũ ſit finita: ſufficit autem proportio in attingendo effectum, & recipiendo influxum, quæ eſt proportio in operãdo: vt ſicut Deus poteſt agere, ita creatura poſſit recipere actionem, ſeu terminare: ad propoſitum vero ſufficit ea proportio, qua Deus poſſit mouere, & qua creatura poſſit motum terminare, ſeu moueri: & hanc cõcedit Ariſ. & primam negat, cùm dixerit finiti ad infinitum nulla eſt proportio, ſupple, entitatiua: vel nulla eſt proportio entitatis, eſt autem proportio attingibilitatis per operationem, & motum.

Virtus infinita ſi eſſet in magnitudine an poſſet mouere in inſtanti, & in non tempore.

17 Ad confirmationes de velocitate infinita, & quod moueret in non tempore: Dicendum ex parte quidem Dei poſſe velocius, & velocius ſemper, & ſemper produci effectum, quia virtutem habet illimitatam, & indepẽdentem à tempore, at ex parte effectus repugnat ita velocius mouere, vt moueat in non tempore, etenim cum motus ſit eſſentialiter ſucceſſiuus, nõ poteſt fieri in non tempore, ſicut ſiſtendo intra limites motus, vt motus, non poteſt fieri in inſtanti, alias eſſet inſtantanea mutatio, non verè motus. Ad id, quod virtus infinita in magnitudine moueret in inſtanti, relictis ijs, quæ artic. ſequ. dicemus, pro nunc dicimus ſpectanda eſſe duo in tali caſu, immo tria: primum erit, virtus infinita, ſecundum erit corpus, ſeu magnitudo, & tertium foret ipſe motus fiendus. loquendo de primo, dicimus concedi quod poteſt agere in non tempore, ſiquidẽ infinita virtus non eſt alligata tempori, ſed poſſet agere in tẽpore, velocius magis, & minus (licet non iuxta Ariſt. cùm poſuerit eum agere naturaliter, & neceſſariò, & conſequenter totam virtutem ſuam expenderet ſecundùm ſe totam ad inſtar agentis naturalis) poſſetq; conſequenter agere in inſtanti. loquendo de ſecundò, id omninò negatur, quia corpori & magnitudini, nõ competit in inſtanti mouere, vel ratione reſiſtentiæ corporis ad corpus, vel ratione diſtantiæ corporis à termino: nec obſtaret quod haberet vim infinitam, quia ex parte infinitatis non repugnaret, diſconueniret vero ex parte corporis, propter rationes cõmunes, quibus creatura, & magnitudo corporea neceſſario inſumit tempus ad motum: & multo minus ſic in non tempore, vel in inſtanti mouere competeret ratione tertij, quod eſt motus, cùm repugnet fieri in non tempore. affert D. Tho. rationem ſuam, ſed eam examinabimus ſubſequ. artic.

Motui ex parte cuiuſnam repugnat fieri in inſtanti, & in non tempore.

Inter Motorem, & mobile proportio attingibilitatis, non ſemper entitatis.

18 Ad illud de mobili infinito, dicimus inter infinitũ motorem, & mobile non eſſe neceſſariò dandam proportionem entitatis, ſed ſufficit proportio attingibilitatis, quæ in eo conſiſtit, vt ſicut infinita poteſt agere, ſic paſſum, & mobile, qualecunq; ſit, poſ-

 ſit

ſit recipere: & hæc proportio ſufficit in cauſis, & cauſatis, licet in ipſo Deo vtraq; ſit neceſſaria in ordine ad ſeipſum; vt inter eſſentiam diuinam ſub ratione obiecti intelligibilis, et amabilis ab intellectu ſuo, ac voluntate ſua infinita, quæ omnia inuicem proportionãtur tum in attingibilitate, quia amat, et intelligit eſſentiam infinitam infinitè, vt attingibilis eſt adæquatè, tùm etiam in ipſamet entitate quia intellectus, voluntas, et eſſentia ſunt infinita,

Ariſt. expoſitio de motu cum fatigatione ex additione ſtellæ, nō de Deo, ſed de intelligẽtia.

19 Ad Gregorium. ad primum eſt iam reſponſum. & ad ſecundum, exiſtimauit Auerr. Ariſtotelẽ loqui de Deo: at veritas eſt, quod loquatur de prima ſphæra: dubitat namq; Ariſt. cur in ſuprema ſphæra ſint tot ſtellæ, in planetarum tamen circulis non ſic, reſpondet inter cætera, quod ſi adderetur inferioribus cœlis ſtella alia, ſuperior ſphæra, eiuſq; motor Angelicus moueret cum fatigatione, & labore: etenim cùm debeat motor proportionari mobili, ſi augeretur mobilis pondus, maior requireretur virtus in motore; non autem loquitur de Deo, nec enim talẽ defatigationem, & laborẽ aſſeruit de Deo, ſed vel de creatura, & intelligẽtia mouente, vel de eodem ſupremo cęlo mouente ſphæras inferiores: quapropter Deus infinitus poſſet mouere quodcunq; mobile, quantumcũque magnum, etiam infinitum, ſi daretur.

Deus appellatur à Boet. forma, nō abſolutè, ſed forma ſimplex.

20 Et ad Zimaram dicendum ex nullo iſtorum capitum diuinam infinitatem prouenire: nec namq; Deus eſt forma, nec materia, nec conſtãs ex his, vt in quæſt. de ſimplicitate Dei diximus: ſolùm vocatur à Boetio forma, *ſed forma ſimplex*, non eſt ergo abſolutè forma, quia nec eſt pars compoſiti, nec eſt informans materiam, ſed dicitur forma ſimplex: quod idem eſt ac purus actus; formæ enim competunt duo inter cætera, informare, & dare eſſe ſimpliciter, ſeu habere eſſe perfectius, quàm materia: primum eſt imperfectionis, nec propterea competit Deo: ſecundum, & tertium eſt perfectionis, & hæc inſunt Deo: qui eſt in ſe perfectiſſimus actus, ſeù perfectiſſimũ ens actuale, & dat eſſe cæteris, quia cuncta ſunt ens per participationem ab ipſo: finitum autem, & limitatum quod competit formæ, cõuenit formæ creatæ, ſiuè ſpirituali, ſiuè corporali, nõ autem Deo, qui eſt forma ſimplex, & aliunde conſequenter habet infinitudinem ſuam.

Formę muniã ſũt plura.

Materia qualiter appellãda infinita.

21 Ad illud de materia, ſi infinita ſit appellanda, dicendum primò, idem eſſe hoc in loco infinitum, ac indeterminatum; quia materia de ſe eſt indifferens, & indeterminata ad infinitas formas, ſecundò appellanda venit infinita *priuatiuè*, quia caret perfectionibus infinitarum formarum, ad quas inclinatur, vſquequo deueniat ad perfectiſſimam, quæ euacuet infinitatem imperfectionis ſuæ: actus autem entitatiuus, quẽ habet, magis eius imperfectionẽ oſtendit, ex quo eſt valde exiguus, itaut cenſeatur ab Auguſt. prope nihil: Deus autem hac infinitate non eget, cùm infinitas ſua non ſit priuatiua, cum nulla imperfectione careat, ſed erit infinitas perfectionalis, & poſitiua, aliunde prouenìens, de qua ſeq. art. Et ad vltimum, & ſi media hæc prout Ariſtoteli incognita, non fuerint penes ipſum oſtenſiua infinitatis; quia ſunt Chriſtiana, & Theologica, alia tamen adhibuit naturalia media, quibus idipſum conuinceret, prout ſup.

Ariſtotelẽ fortaſſe cõuerſatũ cũ Hebræis, plura didiciſſe ab eis de noſtra fidei articulis ex Clearcho.

22 De medijs quidem reuelationis, & miraculorum, iam conſtat penes ipſum non inualuiſſe, cùm non crediderit, niſi tamen fortaſſe ex Scriptura ſacra, hæbreiſq; notitiam aliqualem perceperit conuerſando, & conferendo cum eis, prout de eo quidam ſui diſcipulus teſtabatur nomine Clearchus, ex Euſeb. præp. l. 9. c. 3. quod conuerſatus aliquando Ariſtoteles cum quodam Iudæo plurima de occultis noſtræ Fidei ab eo didicerit, atq; tanquã vera firmiter tenuerit, ex quibus fortaſſe poſtmodũ ſcribẽdo, multa ſuis in libris inſeruerit: ſed quidquid de hoc ſit: tamen magis controuerſum eſt de creatione apud eundem; qui licet mũdum poſuerit ab æterno, & non per creationem de nihilo, tamẽ circa productionem intellectus, & animæ, de qua inquit quod venit de foris, dubitãter, & plures exiſtimant eum admiſiſſe creationem; ſed hæc non faciunt ad præſens negotium. Circa verò totius

tius

eius Orbis creationem dixere plures Ariſtotelem eam nouiſſe, & eam admiſiſſe, licet non nouam, ideſt ab initio temporis factam, iuxta fidem: ſunt autem D. Tho. tùm 1. lib. de cęl. c. 4. tùm etiam in 8. phyſ. 4. 4. Albert. de quat. coęu. q. 1. atq; Heruæus tra. de æternit. mund. q. 4. vide etiam Scot. in 4. d. 1. q. 1. in examine opin. Auicen.

ARTIC. II.

Oſtenditur Dei infinitas ex Theologis.

Varia capita demonſtrationum infinitatis ex Theologis.

1 CONſtito iam quid ſenſerit Ariſtot. de Dei infinitate, accedimus ad eandem demonſtrandam ex Theologis: ſunt verò variæ viæ ad faciendum demonſtrationes Theologales: ita vt nitatur vnuſquiſq; ſuam prodere demonſtrationem, eamq; cogitet efficaciorem cæteris, ſicq; ſuam prodendo, cæterorum elidat, atq; illudat ratiocinationes: nos autem aliquas afferemus, & amplexabimur quæ apparebunt validiores.

D. Thom. probatio.

2 In primis ergo D. Tho. 1. p. q. 7. art. 1. probat Deum infinitum ex eo, quod ipſius eſſe non eſt receptum in aliquo: cuius è contrariò forma eſt finita, quia recipitur in materia, ideoq; coarctatur, & terminatur in ipſa, & materia finitur per formam, eo quia eius potentialis infinitas ad tot formas, coarctatur ad hãc formam: Deus autem eſt in ſe ſubſiſtens, & in nullo receptus, igitur ex hoc pendet eius infinitas.

Scotus impugnat.

3 Scotus impugnat modum aſſignatum à D. Thom. & in 1. d. 2. q. 1. ſic arguit. omne ens prius eſt in ſe in tali, ac tot gradibus entitatis, & perfectionis, quam reperiatur in alio, ergo forma prius in ſeipſa habebit talem, tantamq; perfectionem, antequam recipiatur in materia: & ſimiliter materia prius in ſe talem habeat perfectionis, ſeu entitatis gradum, licet imperfectũ, antequam terminetur per formam: ergo finitudo, & limitatio non attenditur ex receptione in alio; igitur nec à contrario Deus dicendus infinitus ex negatione receptionis in alio, quia oppoſitorum eſt idem iudicium. maior patet, quia vnumquodque ſicut prius concipitur habere eſſe in ſe, & inde in alio, prioritate naturæ, ita eius virtus, & perfectio prius dicatur in ſe eſſe tãta, & tanta, antequam ſit in alio. impugnat ſecundo, ſequeretur enim Angelos eſſe infinitæ eſſentiæ, quia eorum eſſe non recipitur in alio, carent enim materia: igitur non ex tali ordine pendet limitatio. quod ſi obſtes, eorum eſſentiam, vel naturam finiri per exiſtentiam, contra arguit, quia eſſe, vel exiſtẽtia eſt quid poſterius ad eſſentiã Angeli, ſeu eſt accidens ad eius naturam, nihil autem finitur per ſuum poſterius, & per id, quod poteſt recedere, eſt verò Angeli natura prius finita de ſe, quàm finiatur per ſui exiſtẽtiam; igitur per negationem receptionis in alio non poteſt concludi Dei infinitas, ſicut nec concluditur finitas per receptionem.

4 Vaſquez diſp. 25. c. 1. ſoluit has rationes Scoti, & primo ait, exiſtentiã non eſſe accidens in ſent. D. Thom. vt Scotus ei tribuit: & quod ſeparari poſſit, non per hoc eſt accidens, quia forma ſeparari poteſt ſubſtantialis à materia, & tamen non eſt accidens. Verũ in hoc fruſtra laborat, non enim percepit ſẽſum Scoti, & nec videtur vim, & efficaciam perpendiſſe vocis illius, *accidens*; etenim non intendebat Scot. dicere exiſtentiam eſſe accidens per accidens, diſtinctum genere à ſubſtantia, vt definitur à Porphyrio, prout eſt vnum ex quinque prædicabilibus, nec id voluit Diuo Thomæ impingere, quis enim ignorat eſſe ſubſtãtiam: ſed accidens vocauit, quia exiſtentia tanquam poſterior, non eſt de intrinſeca ratione eſſentię tanquam prioris, ſaltem in creatis: omne autem, quod aduenit poſt formalem rationẽm alicuius poteſt lato vocabulo vocari accidens: deſumitur quoq; accidens pro omni eo, quod deſtrui, & ſeparari poteſt à priori: experimur verò exiſtentias rerum ſeparari, ac deſtrui: ſicq; locutus eſt Scot. vnde immeritò id ſibi impingit, meliuſq; eius mentem aſſequu-

Vaſquez occurrit Scoto.

Vaſquez refellitur non capiẽs mẽte Scoti.

Vaſqu. occurrit: ſed ſefellitur non capiēs mētem D. Thomæ.

quutus eſt Caetan. qui fideliter, & ſcite eius ſententiam retulit. Reſpondet ſecundò idem Vaſq. D. Thomam non dixiſſe eſſentiam terminari per exiſtētiam, ſed è conuerſo, eſſe, ſeù exiſtentiā per eſſentiam. Verùm hoc quoque falſum, etenim de materia, ait, terminatur per formam: materia autem apud D. Tho. non eſt ex ſe, neq; ens, neq; exiſtens, & tamen terminari ait per formam, forma verò eſt quid exiſtens, & quid verè eſſe, ergo per eum, exiſtentia & eſſe, terminat eſſentiam. tùm etiā quia enti in actu competit terminare, non enti in potentia, eſſentia ſe habet vt potentiale, eſſe, & exiſtentia vt quid actuale, ergo hoc terminat illud: & deniq; quia forma, & eſſe, & exiſtentia vocantur verè actus, & verè termini, ergò verè terminant. Reſpondet tertiò D. Thomam non loqui de quanto quantitate molis; huic.n. extrinſecum eſt, vt ab alio terminetur; at loquendo de eſſe ſubſtantiali, ait eo finitum eſſe, quo terminatur. Verùm nec hoc concludit: quæro .n. cur quantitas molaris potius eſt terminata ex ſe, & non eſſe ſubſtantiale: eadem namq; ratio militat in ambobus, & ambo ſunt entia finita, & limitata: & proportionaliter quod de vno dicitur, dicendum de altero, quantitas .n. illa eſt molis, & iſtius quantitas eſt virtutis, & ambæ quantitates ſunt finitæ, cur igitur in quanto molari reperitur naturalis terminus ab intrinſeco, & non admittendus ſit etiam in quantitate virtutis: nulla quidem eſt ratio, quæ cogat, cū ſint de ſui natura ambo entia finita, creata, & limitata, ergo diſcrimē, quod Vaſq. infert, eſt nullum. linquo, quod gratis id dicit ad mentem D. Dhomæ, etenim diſtinctionem hanc nec facit D. Tho. nec Caetan. aut alter ad eius mentem, ſed loquitur indiſcriminatim.

Caetan. reſponſio ad Scotum.

5 Propterea Caetan. reſpondet ad rationes Scoti; & primò negat formā finiri per materiam ſimpliciter, aitq; D. Thomam ſentire, formam quidem finiri per materiam, ſed non loqui de finitate ſimpliciter, ſed tali. ſ. penes terminos materiales: atque fatetur quòd D. Tho. noluerit aſſerere formam finiri abſolutè per materiam, quia de ſe eſt finita, ſed finiri quaſi extrinſecè, & materialiter. & ad id de Angelo, ait cōcludi ſolùm quòd Angelus eſſet infinitus ſecundùm quid, ex eo quod in alio non recipitur, eſſe autem de ſe abſolutè finitum: ſed ſi quæras, quomodo ergo D. Tho. ex negatione receptionis infert abſolutè, & ſimpliciter Dei infinitatem, dum ex negatione receptionis Angeli, non admittitur, niſi infinitas ſecundùm quid? reſpondet, quòd D. Thom. argutiuè ex infinitate formæ ſecundùm quid, manuductus fuit ad concedendam Dei infinitatem ſimpliciter. & addit, quod concedit, quòd eſſe prius natura eſt in ſeipſo tātæ perfectionis, finitæ, vel infinitæ, quā ſit receptibile, vel irreceptibile, tamen erit infinitum, ſi receptibile, finitum.

6 Miror quomodo Caetan. lapſus ſit ita facile in ſententiam Scoti: non tamen mirum, quia rationes vrgebant: at ſi ita eſt, & concedit prius rem quācunq; de ſe eſſe finitam, vel infinitam, cur D. Tho. & ipſe cum eo, concedit deſumi finitatem, & infinitatem ex ordine receptionis? vel .n. primum debebat negare, vel hoc. Et ad id, quod ait Caet. quod D. Tho. arguitiuè ex infinitate ſecudùm quid, formæ, manuduxit nos ad infinitatem Dei ſimpliciter, id conſtat non eſſe verum, etenim non arguit infinitatem Dei ex infinitate formæ, ſed eā arguit ex oppoſito, quod accidit ad materiam, & formam: id autem eſt receptio formæ in materia, & materiæ in forma, ergo ex negatione receptionis arguit infinitatem: diſcurſus patens eſt, & apertus in D. Tho. Et licet tangatur communitas formæ, potentialitas materiæ ad plures formas, tamen pro medio D. Thomas nō vtitur communitate formę, aut potentialitate materiæ ad plures formas; ſed ſumit pro medio receptionem vnius in altero, & ideo de materia concludit, *materia antequam recipiat formam eſt in potentia ad multas, ſed cùm recipit vnam, terminatur per illam: forma verò per hoc, quod recipitur in materia, fit forma determinatè huius rei.* & applicando ad Deum, non applicat communitatem, ſeù infinitatem ſecundùm quid formæ, ſed applicat receptionem, dicendo, *Cùm igitur eſſe diuinum non ſit*

eſſe

eſſe receptum in aliquo, manifeſtum eſt, quod ſit infinitus,& perfectus. hæc ille. ergo gratis deſumit ex mente D.Tho. aliud mediũ,quia cõſtat apertè tali me dio vti,& talis eſt etiam cęterorũ ſenſus exponetium, tribuentium D.Thomæ pro medio receptionem, vel negationem receptionis: vt Caprol.in 1. d.43.q.1. art.1. Ferrar. 1. contra gen. c.43. Ægid.Richar. 1. d.43.q.1. art.1. & Alij. Commendandus autem Caetanus in eo, quod melius cæteris Thomiſtis in re hac ſenſum veritatis fuiſſet aſſequutus,concedendo finitatem,infinitatemq; prouenire ſolùm *extrinſecè* à receptino, eſſe tamen prius rem vnamquamq; de ſe finitam,vel infinitã: quod tamen cæteri nimium Zelantes rationem allatam de infinitate procedente ex negatione receptionis, malè negant;vel.n.zelo nimio præpediti veritatem non norunt,vel D.Thomæ,inaduertenter impingunt quid alienum, quod omnibus conſtare debebat,ſicut etiam conſtitit Caetano. Cęterũ Caetanus incidit inaduertenter in ſententiam Scoti, confitens vnamquamque rem eſſe de ſui natura finitam, vel infinitam intrinſecè, inde ſecundario, ſecundùm quid,& extrinſecè.

7 Quia verò allata *D.*Thomæ defenſio longè eſt ab eius expreſſa ſentẽtia, vt patuit cõfutando expoſitionem Caetani, hinc opere pretium eſt aliter eum interpretari,ſicq;conſtabit nec ſibi vndequaq; contrariari Scotum. eſſe autem poteſt D.Thomæ ſenſus:finitudinem rationem eſſe recipiendi, ſeu è contra receptiuitatem in alio cauſam eſſe argnentem finitudinem, & ex oppoſito receptionis negationem rationem eſſe in Deo infinitatis: vt loqui debeamus de vniuerſo genere recipiendi in alio:itaque dicimus receptiuitatem in alio, eſſe rationem demonſtrandi,& arguendi finitudinem, ſed non præcisè receptionem tanquam in materia, aut qualis eſt receptiuitas formæ, vel materiæ: hæc namq; non ſufficit,ſed expedit diſcurrere per alia genera recipiendi, quibus omnib. à Deo excluſis patebit eiuſdem infinitas ex negatione receptiuitatis.& primò contingit aliquid in alio recipi tãquam pars in toto,eget.n.pars reperiri in toto, tum vt conſeruetur,melius namq; conſeruatur in toto, quam ſeiunctà à toto: tum etiam,vt perfectiores operationes participet, ſiquidem operationes totius cõiuncti ſunt perfectiores;tum deniq; vt omnino experiatur operationes aliquas namq; experiri non poſſet vllo modo ſeiuncta à toto: exemplum vtriuſq; cùm anima ſeparata, quæ eſt pars hominis,intelligit quidem,ſed perfectior eius erit intellectio ſi ſit in corpore, quia erit intellectio totius,& entis completi, ſeu cõpleti entis operatio, quomodo poſt iudicij diem perfectior erit fruitio beati procedens ex corpore,& anima, quam modo procedens ex ſola anima: licet comparata intellectio quoad ſtatum præſentis vitæ,perfectius, & facilius ſpeculatur, & intelligit anima ſeparata,quam coniuncta, corpus nãq; pondere ſuo impedit, & phantaſmata præpediunt,vnde dicitur; *corpus,quod corrumpitur,agrauat animam*, at circa ſtatum vię ipſamet anima experiri nequit operationes videndi,audiendi, & ſimiles, niſi in corpore, igitur in corpore dicitur eſſe tanquam pars in toto, vel gratia abſolutè operandi, vel operandi completius:quandoq; etiam appetit pars eſſe in toto, vt conſeruetur omnino, alias deſtrueretur, vt patet de formis corporeis,quæ ſeparatæ deſtruuntur. Contingit è conuerſo totum recipi in partib. qui eſt ſpecialis eſſendi modus ſic vocatus: receptio antem non eſt per modum formæ, ſed recipi dicitur,inquantum eſſe ſuum eſt tanquam effectus in cauſis, à quib.dependet in fieri, & conſeruari, quod ſi ſeparetur,deſtruetur omnino, cùm eſſentialiter,dependeat ex partibus:Recipitur inſuper, ſed conſimiliter, ſpecies in genere, & e conuerſo genus in ſpecie,vel genus in differentia, & hæc in genere,vel ſub ratione determinantis,& contrahentis, quomodo differẽtia determinat,& contrahit genus; vel ſub ratione conſtituentis, quomodo conſtituit cùm genere ſpeciem; vel tãquam determinans in determinabili; contrahens in contrahili; conſtituens in conſtituibili,& è contra,conſtitutũ, determinatum,contractum, in contrahente, determinante, conſtituente: ad quem

Aliquid recipi in aliquo contingit multipliciter.

quem modum ſpectat etiã modus phyſicus, quo forma eſt in materia, & hæc in forma, ſub ratione determinantis, actuantis, perficientis, & è conuerſo ſub ordine perfectibilis, ac determinabilis, vel etiam ſub ratione inhęrentis, ſi accidentalis erit, vel ſaltẽ informantis, ſi ſubſtantialis. Accedit modus alter, quo recipi quid dicitur tanquam ordinabile, in eo, ad quod ordinatur: & licet non ſub ratione inhærentis, vel informantis, tamen ſub ratione depẽdentis ad independens, à quo recipere debeat eſſe, & perfectiones ſingulas, ad quas ordinetur: quomodo aliunde dicitur recipi tanquam menſurabile in menſura, ſicq; vnumquodq; metaphoricè dicitur recipi in ſuo perfectiori, & eminentiori, vel tanquam finibile in fine, aut terminabile in proprio termino: vel vt cætera omittam, tanquam locatum in loco, temporaneum in tẽpore, & conſimiliter diſcurrendo de ſingulis. hi quidem recipiendi modi imperfectionem connotant in receptibili, cùm careat eo, ad quod ordinatur, & è conuerſo, in recipiente, cùm egere videatur eo, quod recipit: quapropter indicant in alterutro, vel ambobus ſimul non reperiri ex ſe, & à ſe ea, ad quæ diriguntur, & propter hæc concluditur de ipſis, quod ſint finita, limitata, terminata.

Modificatur ratio D. Thomæ

8 His ſuppoſitis arguitur pro D. Tho. Deus nullo modo ex iſtis, aut conſimilib. dicitur recipi in alio, igitur hinc conſtat non eſſe finitum: & hæc eſt optima demonſtrandi methodus ſuæ infinitatis, per remotionem receptionis, & receptibilitatis iuxta modos recenſitos. quod ſi ita eſt; poterit ſic quidem D. Thomæ ratio colorari, & concludet per optimè. & argumenta Scoti pugnantia, & probantia vnumquodq; prius eſſe de ſe finitum, quam recipiatur in alio, ergo non pendet finitas ex receptione: facilè ex his ſoluũtur, concedendo anteced. & negando conſequ. quia in eo, quod res eſt de ſui natura finita, in eo, quidem, comperitur ipſam recipi, nec finita in ſe eſſet, niſi poſſet aliquo modo ex dictis recipi, ſpectando aliquem ex modis allatis; recipitur namq; tanquam finibile in ſuo fine, tanquam via in termino, tanquam effectus in cauſa, tanquam dependens in independente, & tanquã menſurabile in ſua menſura, ſeu altero ex modis prætactis: ſicq; ſtatim atq; creatur remanet hoc modo finita, quia hoc modo recepta. Dices cur ergo inuehitur contra D. Thomam? Reſpond. quia videtur D. Thomas aſſignaſſe pro ratione finitudinis, ſolam receptionẽ in materia, vel forma; at hæc ratio inſufficiens apparet, & hinc impugnatur à Scoto: prius.n. forma de ſui natura eſt finita, quam hoc modo recipiatur: tum etiam quia finitio pendens ex receptione eſt finitio extrinſeca, ergo aliunde ſupponitur terminatio intrinſeca: ſi autem recurramus ad cæteros receptionis modos, cõſtabit ex aliquo eorum magis, & minus pendere ſiuè intrinſecè, ſiue extrinſecè finitatem: quia autem Deo nullus talis modus competit, inde eſt vt ex negatione omnis receptionis remaneat infinitus.

Obſtatur.

Occurritur

9 Secundò alij probant infinitatẽ, quia non capitur loco: licet namq; Deus omnia repleat, iuxta illud, *cælũ, & terram, ego impleo*, tamen nõ poteſt adæquatus ei locus aſſignari, qui ſit, vel poſſit eſſe infinitus. probant etiam aliundè, quia careat principio, & fine, ſiquidem nec incæpit eſſe, nec finiet: eſt autem infinitum negatio vtriuſq; termini. Verum hi, inter quos eſt Albert. 1. 43. art. 1. non attingunt præciſã rationem infinitatis, ſed eam confundunt, & commiſcent cùm cæteris ſpectantib. ad Deum, hoc autem non eſt reſpondere ad quæſitũ iuxta proprios terminos; quod patet, quia replere omnia, & non habere locum adæquatum non ſpectat abſolutè ad infinitatem, quæ dicitur perfectionalis, ſed ad immenſitatem: & hæc habet ordinem ad loca, non illa, immediatè: dixi immediatè, quia iam conſtat immenſitatem pendere ab infinitate, nec illam eſſe ſine hac, tamen ratio proxima ordinata ad loca, non eſt abſolutè infinitas, ſed immenſitas. illud etiam de carentia principij, & finis nec explicat præciſè infinitatem, ſed æternitatem; quia ordo durationis eſt ordo tẽporis, Aeui, vel Æternitatis: valent autem probationes iſtæ ad oſtendendam vtcumq; infinitatem: at oſtendere neque-

Probant Alij infinitatem, ex quo Deus nõ capitur vllo loco.

hac nõ eſt præciſa cauſa.

queunt infinitatem præciſè diuinam, quia immenſitatem communicari poſſe creaturæ oſtendimus ſup. quæſt. de imměſitate, & æternitatem quoq; poſſe participari, vt pote quia potuerit ab æterno mundus produci oſtendemus ſuo loco de æternitate: quapropter ratio æternæ durationis, & ratio immenſitatis non amplius concludunt infinitatem Dei, quam creaturæ.

Probant Alij, ex quo Deus non eſt in genere: ſed ratio hæc non valet apud omnes.

10 Probant alij ex eo, quod non eſt in genere, Deus non eſt in genere, ergo non eſt finitus. conſequentia ſequitur, quia in genere, & prædicaměto reponuntur ſola entia finita, & limitata. Ratio hæc conuincit concedentes Deum non eſſe in genere: quo conceſſo optima eſt, & efficax, vt nos etiam conceſſimus ſup. agendo de ſimplicitate Dei: quare optimè infertur, Deus non eſt in genere, ergo infinitus; cùm infinitũ non capiatur genere, nec prædicamento; quo etiam argumento vtitur Albert. ibid. Capreol. & Ægid. art. 1. q. 1. ac D. Thom. 1. contrag. c. 43. cũ Ferrár. ibid. Penes vero aſſerentes eſſe in genere nullum faceſſit negotium, & negando antecedens, ruit intentum.

Aliorũ deliria.

11 Dixere alij Deum ſub ratione quidem eſſentiæ eſſe finitum, ſub ratione autem potentiæ infinitum; nam eſſentia nominat Deum in ſe, & ſic eſt finitus, tùm quia comprehenditur à finito, quod eſt intellectus beati, tùm etiam propter ſimplicitatem eiuſdem eſſentiæ, quæ cùm ſit ſimplex, dixerunt totam videri. Potentia autem dicit ordinem ad effectus, & quia non datur ſtatus in effectibus, ſed ſemper contingit denuo producere, hinc appoſuerunt infinitatem ſolùm potentiæ. Alij verò, ex oppoſito aiebant vtrumq; eſſe de ſe finitum, quia improportionabiliter excedit nos, vt noſtrum captum, noſtram intelligentiam, itaut neq; loco circumſcribatur, nec comprehendatur tempore. verùm hi nimis tollũt diuinæ naturæ & hoc non eſt explicare, nec comprobare, aut munire diuinam infinitatem, ſed eam deſtruere: quo acto non eſſet opus rationes inquirere ad eam demonſtrandam: ſed hic eſt error, & hæreſis. vid. Bonau. 43. art. 1. q. 2.

12 Accedendo autem ad immediata quãtum poſſumus, nitemur probare infinitatem quo poterimus Communior verò, atq; efficacior eſt via deſumpta ex cõſideratione alicuius primi, independentis à ſe, & omnino per ſe exiſtentis, cuiuſmodi eſt Deus. formetur verò ratio, vnumquodq; quod eſt, aut eſt à ſe, aut ab alio, aut à nullo: non hoc, cum id, quod nihil eſt, nil producat: non à ſe, cùm nihil ſeipſum gignat ex Auguſt. 1. de Trin. c. 1. ergo ab Alio: de hoc quærimus, aut eſt à ſe, aut ab Alio, ſi hoc, quæro iterum vt prius, & ſic dabitur proceſſus in infinitum; ſi à ſe, igitur dabitur aliquod omnino primum, independens, & carens imperfectionibus, & nullo indigens, per ſe exiſtens, quia per ſe, & à ſe habens eſſe, hoc autem erit perfectum omnino, & infinitum. Dixeris non negari proceſſum in infinitum, & ita non deueniendo ad primum, non aſſignabitur quid omnino perfectum: Verum licet Auicennas, & Ariſt. dederint infinitũ inaccidentaliter ſubordinatis, attamen negarunt illud ineſſentialiter ordinatis, aliàs daretur infinitum in actu, quia cauſæ tales deberent ſimul eſſe, & concurrere ad effectum, vt patet etiam 2. met. 6. igitur tandem deuenietur ad vnam cauſam primam, & eminentiſſimam.

Probatur ex parte primi, independentis, à ſe etc.

Ex parte vltimi finis.

13 Ex parte etiam alterius extremi demonſtratur, nempè finis, datur vnum primarium efficiens, ergo datur vnus vltimus finis. conſequens probatur, quia primum, & vltimum opponuntur correlatiuè: datur autem primum, ergò vltimum. Cõfirmatur, quia non daretur vltimum ſi non daretur primum, quod contingit in duob. primo in non entibus, in quibus ſi purè ſunt non entia, nec datur primum, nec vltimum: dixi, ſi purè ſunt non entia, quia ſi ſint priuationes, dabitur ordo inter eas, vt ſupponendo dari ordinem inter paſſiones hominis, ſeu alterius animalis, dato per impoſſibile, quod ſubiectum priuaretur talibus paſſionibus, etiam in actu primo, dabitur ordo inter priuationes, quia eo ordine, quo paſſiiones conuenire deberẽt ſubiecto, & inhærere, eo etiam conueniunt priuationes, & ita ſicut daretur prima, & vltima paſſio, ita daretur

Qualis ordo in paſſionibus talis in priuationibus, non autem in negationibus.

prima, vel vltima priuatio: non ſic in negationib. cũ careãt potentialitate, ſeu aptitudine ad oppoſitum in ſubiecto. contingit etiam in æternis, carentia .n. adeſt principij, & carentia finis, ergo bona eſt argumentatio; datur primum efficiens, ergo vltimus finis. Corroboratur, aliàs etiam in finibus daremus proceſſum in infinitum: negatur verò in efficiẽtibus, ergo & in finibus. at hic dum vltimus erit, conſequenter non erit finis propter finem, nec ordinabilis ad vlteriorem finem, cùm verò finis contineat rationem perfecti, iuxta axioma, *finis habet rationem optimi*, ſequitur ipſum eſſe infinitè perfectum: finis namq; vnuſquiſque vt finis eſt, eſt terminus complementi, & perfecti in genere ſuo, etiam ſi ſit ordinabilis, & non vltimus, ergo finis vltimus, & non ordinabilis habebit rationem optimi, & omnino infiniti, quia terminabit cæteros quoſcunque fines. Confirmatur amplius, efficiens prius, ſeu immediatius, vel vicinius agit propter finẽ viciniorem, ergo efficiens remotius, & magis diſtans aget propter finem remotiorem; ergo denique efficiens remotiſſimum aget propter finem remotiſſimum. At Deus non diſtat ab effectibus, quos producit, & iuxta Paul. act. 17. *non longe eſt ab vnoquoq; noſtrũ*: ergo ipſe omnium finis eſt. Confirmatur prouerb. 16. *vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt Altiſſimus*, ergo primo efficienti correſpondet vltimus finis.

Ex parte perfectionũ contentarum in Deo.

14 Ex parte quoq; perfectionum creaturarum poteſt argui. quidquid perfectionis eſt in vna ſpecie, eminentius continetur in ſua cauſa primaria, & æquiuoca, vt eſt Deus: at non datur in ſpeciebus proceſſus in infinitum, ergo deueniendum ad vnam primam entis ſpeciem continentis perfectiones cæterorum: ſed ratio hæc eſt friuola, quia rerum ſpecies ſunt finitæ, & numero, & gradu perfectionis, ex finitis autem non arguitur demonſtratiuè infinitum, ſed topicè. ideo eſt colorãda ſic. perfectio primi entis non eſt coarctata, & limitata ad continendum ſola genera perfectionum creaturarũ, ſed multo amplius excellit: item perfectiones, quas habet non ſunt in gradu limitato, & finito, ſed eatenus tùm genera, tùm gradus perfectionum dicitur continere, quatenus ſecundùm totam latitudinem entis poſſibile eſt perfectiones reperiri in primo ente: ſic igitur, ſumendo ex creaturis actualitatem, & ſuperaddendo poſſibilitatem, reperiemus primum perfectiſſimum, & infinitum: actuales namque creaturarum perfectiones de ſe non ſufficiunt infinitatem arguere, cùm in in gradu, & ſpecie, & numero ſint finitæ, additio verò poſſibilitatis, vt ei tribuantur omnes, quæ poſſibiles ſunt ei tribui, ſtatuet vtiq; infinitatem, quia quidquid Deo tribuitur eſt infinitum: quidquid autem poſſibile eſt Deo tribui ad intra, id de facto habet cum in eo *poſſe non differat ab eſſe*, ergo ſi poteſt habere infinitas perfectiones, de facto habet. Verùm hæc ratio ſupponit attributa diuina eſſe numero infinita, quod negabitur in 2. tom. de Attributis, ſunt namq; infinita ſolùm formaliter, non numericè. item ſupponit perfectiones creaturarum poſſibiles eſſe numero infinitas ſpecie, quod tamen negat Scotus, aſſerens ſpecificas perfectiones non poſſe multiplicari in in infinitum, de quo infra diſput. 16. q. 10. & hic artic. ſeq. n. 1.

Attributa, & perfectiones ſpecificæ creaturarũ non numero infinita.

Ex eo, quod eſt ens per eſſentiam.

15 Accedit. Deus eſt ens per eſſentiam, & non per participationem, ergo perfectiones, quas habet, non habet partialiter, & limitatè, ſed iuxta totam latitudinem perfectionis. prob. conſeq. creatura quia eſt ens per participationem, hinc entitatem, perfectiones, quas continet, poſſidet ſolùm limitatè, iuxta gradnum aſſignationũ; ac genera perfectionum: Deus verò à nullo recipit talem limitationem, cùm à nullo perfectiones illas recipiat. quòd ſi nullus eſt, qui ei conferat eſſe, nullus etiam erit, qui ei tribuat tale, vel tantum eſſe, ſic quoq; nullus ſibi aſſignabit tot, vel tot gradus perfectionũ, cùm nullus ei ſit meta, methodus, vel lex: ergo cùm habeat à ſe eſſe, & perfectiones, habebit iuxta modum ſibi competentem, ac compoſſibilem, poſſibile autem eſt ei ineſſe iuxta totam latitudinem perfectionum, ergo ita aduenit. & hæc ratio eſt efficax, quæ eſt etiam frequenter D. Thomæ, & Scoti, illius quidem, dum vocat eum

ſub-

ſubſiſtens, & ens per eſſentiam, iſtius etiam, dum facit ipſum incauſatum, improductum, à ſe, & independentem. Poſſet autem dici concedendo hoc totum habere à ſe, & non ab alio, ſed negaretur perfectiones, quas haberet à ſe, eſſe infinitas, quia finitæ forent, vt cæterarum creaturarum. At hoc non poteſt dici: etenim hoc eſt habere eſſe per participationem, quòd recipere perfectiones, & eſſe, non totaliter ſecundùm omnem gradum, ſed ſecũdùm partem: Deus autem non eſt ſic per participationem ens, non ergo habet ea ex parte. item perfectiones iſtæ poſſibiles infinitæ in aliquo ſuppoſito erunt, aſſigna autem illud, non damus proceſſum in infinitum, igitur aſſignãdũ eſt vnũ, in quo ſint, hoc erit Deus. Inſuper aut poſſibiles sũt infinitæ perfectiones, aut minime: non ſecundum, quia negatis ipſis infinitis, negaretur ipſum & infinitum, & ita negaretur prima cauſa, vltimus finis, negaretur Deus, & conſequenter negaretur mũdus, & nihil eſſet, pendent.n. hæc omnia ab ente infinito, quo deſtructo deperit mundus: patet prima ſequela, quia negando infinitas perfectiones à Deo, deſtruis Deum, & ſequuntur inde ſequelæ allatæ de mundo: ergo dãdum primum: quòd ſi poſſibiles ſunt, quia infinitum eſt neceſſe eſſe, & æternum, at in his eſſe non ſeparatur à poſſe, nec poſſe ab eſſe, ergo ſunt actu perfectiones infinitæ, ſicq; aſsignabitur ſuppoſitum aliquod infinitum.

16 Ex parte etiam creationis cõuincitur, quia ex communi ſententia ad creandum requiritur potentia infinita, hinc igitur liquido conſtat dari infinitum: ſiquidem de nihilo agere, nulloq; præſuppoſito ſubiecto, aut materia, ſolius eſt infinitę virtutis. id etiã, quod addit Henricus quol. 4. q. vlt. quod inter ens, & non ens eſt diſtantia infinita, & propterea in creatione exquiritur infinita potentia, parum valet, quia menſura diſtantiæ terminorũ eſt deſumenda ex termino poſitiuo, & perfectiori, terminus autem poſitiuus, & perfectior, qui eſt ens, eſt finitus, ergo diſtantia finita. Dices inter contradictoria eſt diſtantia infinita, ergo ſic in terminis creationis inter nihil, ſeu non ens, & ens: Reſpond. eſſe infinitã, ideſt indeterminatam: ex parte quidẽ extremi poſitiui eſt determinata, quia tanta eſt, quanta eſt extremum reale, ſed dicitur infinita, quia eſt incompoſſibilitas vnionis contradictoriorum; fieri.n. nequit vt homo ſit, & non ſit ſimul: dicitur etiam indeterminata, quoniam ad formandam contradictionem ſufficit omnis qualiſcunq; extremorũ diſtantia inter ſe, in quocunque gradu ſit, vel affirmatio, vel negatio. vide Scot. 4. d. 1. q. 1. non enim requiritur, vt ſit in tanto, vel tanto gradu determinato, &c.

Ex parte creationis.

Inter ens, & non ens an diſtãtia infinita.

Inter contradictoria eſt diſtãtia indeterminata declaratur.

17 Inſuper deducitur ex numero producibilium, quodcunq; agens potens producere quantum eſt ex ſe infinita, ſi à ſe habeat virtutem producẽdi, erit infinitum: talis eſt Deus, ergo. dixi quantum eſt ex ſe, quia etſi à parte rei repugnaret, hoc non tolleret infinitatem in agente, nihil.n. obſtat ex parte ſui, cum ſufficiens ſit ea præſtare; Argumentum autem hoc ſi de infinitate indiuiduorum loquitur, nõ cogit, quoniam eadem infinitas prouenire poterit ab agente finito, ſed durante tempore infinito, quemadmodum põſita æternitate mundi, cælum, & aſtra produxiſſent numero infinita ſingularia; & tamen virtute ſunt finita. ſi autẽ probet de infinitate ſpecierum, cogit, etenim, *ſpecies ſe habent ſicut numeri*, ita vt vna ſit altera perfectior, & perfectior altera excedens alteram, & ſic de ſingulis, ſicq; dabitur exceſſus in infinitum in eis, & multo magis infinitas eminebit in agente producente hæc infinita. Verum nec ratio iſta admodũ cogit propter duo; primo, quia multi negant infinitum proceſſum in ſpeciebus; ſecundo, quia etiam ſi concedatur, non tamen poterit deueniri ad vnum primum infinitũ, quãdoquidem vbi admittitur proceſſus infinitus non datur terminus, nec primum, nec conſequenter Deus erit aſſignabilis tanquam primum in ordine talium ſpecierũ in infinitum; oporteret nãq; ſpecies ſtatuere finitas, quamuis ſe excedentes, finitas quidem numero, ſed minus ex hoc concluditur Dei infinitas, cum finitas ſit minus apta ad ſuadendam infinitatem. Poterit verò ra-

Ex capite producibilium in infinitum.

tio corroborari, ſi contemplemur eã, prout facta fuit; ideoq; dicatur ſic, quod poteſt quantum eſt de ſe producere infinita, id eſt in ſe infinitũ, Deus virtute ſua poteſt de ſe infinita producere, ergo infinitus; vbi duo tangũtur, alterum ex parte Dei, & alterum ex parte creaturæ; illud eſt modus producendi, nempè à ſe, ex quo datur cognoſci virtutem infiniti productiuam non eſſe virtutem producendi infinita ſola duratione infinita, quia ſi á ſe producit, ergo virtutem non habet ab alio, & ſi infinita poteſt producere, ergo propria virtute id faceret, & antecedenter formaliter, & intenſiuè eſſet ſic infinitus; è cuius contrario patet ſecundum de creatura, quia cælum ſi fuiſſet æternum produxiſſet infinita, attamen argueretur in ipſo ſola infinitas durationis, non intenſiua, & formalis, quia ab alio, & nõ à ſe, haberet talem producendi virtutem, dependẽter, limitatè, atq; participatè, quod tamen additur ex parte eiuſdem creaturæ eſt, quod licet ex parte ſui implicet infinitum produci, tamen ex parte cauſæ nil impedit, nec implicatio in creatura auferre poteſt Dei ſummam perfectionem, & infinitam.

Plura congerunt Doctores, vid. D.Thom. 1. contrag. c. 43. & Scot. 1. d. 2. q. 2. Alenſ. 1. p. q. 6. m. 1. D. Bonau. Albert. Gregor. cæteroſq; ſententiarios in 1. d. 43.

ARTIC. III.

Afferuntur capita infinitatis diuinæ:

Perfectiones diuinæ non ſunt numero infinitæ.

1 HIs actis aſsignemus paucis vnde dicatur Deus infinitus. Alij dixere id prouenire, quia infinitas habet numero perfectiones: è cuius oppoſito creaturæ finitæ ſunt, quia finitæ ſunt numero perfectiones earũ, probant, quia diuina natura eſt fundamentum, & radix, è qua pullulare poſſunt numero perfectiones infinitæ. ſecundo, quia eo negato ſequeretur Deum eſſe terminatum; vt quia tot perfectiones haberet, & non plures. Verùm ſententia hæc falſa eſt, & fundamenta habet falſa: & in primis nullus ex probatis Theologis admiſit perfectiones infinitas numero, ita videre eſt apud vtramque ſcholam Thomiſticam, & Scotiſticam: ſed infinitatem perfectionũ diuinarum explicant aliũde, non autem ex numero, & in infinitum multiplicatione. inſuper fundamentum eſt falſum, quoniam ex eo deberet etiam admitti infinitas numeralis perſonarum diuinarum, at tres ſunt & non plures, ergo non eſt opus ad explanandam infinitatem recurrere ad infinitum numerum: præcipuè tenẽdo perſonalitates dicere perfectiones, ergo cogerentur multiplicare vel infinitos Patres, infinitos Filios, ac Spiritus ſanctos, vel vltra tres perſonas neceſſum fore addere aliàs vſque in infinitum, ſicq; deſtrueretur Trinitas.

Si perfectiones diuinæ ſunt numero finitæ quomodo non eſſet finitus Deus, & terminatus.

2 Quod etiam, ipſimet addunt, Deũ eſſe terminatum, quia tot, & non plures haberet. Reſpõd. terminationẽ reperiri intenſiuam, quæ eſt terminatio in gradu perfectionali; ſeù limitatio ad tot gradus perfectionis, & non plures: hæc quidem ſoli cõpetit creaturæ, non autem Deo, qui intenſiuè eſt interminatus, perfectus omnino, & infinitus, vt dicitur, *cuius magnitudinis nõ eſt finis, cuius ſapientiæ non eſt numerus* Pſalm. 144. & hæc eſt magnitudo virtutis, vt vocat Auguſt. terminatio quoque ſumitur extenſiuè, & hæc cõpetit quãtitati molari, quæ tanta eſt, & non maior. eſt terminatio denique numeralis, & hæc abſtrahendo ab imperfectione competit Deo: ſiquidem idẽ eſt ſic terminari, ac eſſe tot numero attributa in Deo, & non plures, numerus namque traſcendentalis, dempto prædicamentali, tribuitur Deo, & ſic erit numericè terminatus, quia ſunt ibi tres perſonæ, & non plures, ſunt tot numero attributa, & non plura, totq; perfectiones formaliter infinitæ, nec plures: & ſpectando ipsã Deitatẽ, eſt ibi vna numero Deitas, & non plures, conſequenter vnus Deus numero, & non plures: aliàs ſi foret opus infinitas admittere numero perfectiones, infinitos quoque deberemus admit-

mittere Deos; at contentatur Deus vnica Deitate, contentus eſt ſolùm tribus perſonis, ergo contentus quoq; erit tot numero perfectionib. & non pluribus, & ſicut non eſt imperfectionis vnicum ſolummodo admittere Deũ, tres ſolùm perſonis, ita nec erit imperfectionis tot numero aſſignare perfectiones, & non plures: ratio, quia tot, & nõ plures, poſtulat natura Deitatis, ſicut tot, & non plures poſtulat diuinas perſonas. Verùm vnaquaque perfectionum erit intenſiuè, & formaliter infinita. Sed amplius in 2. tom. de Attributis.

Ex multiplicib. alijs capitibus.

3 Alij explicant per negationem eſſendi ab alio, vt quia quidquid habet, à ſe habet; vel per illimitationem virtutis; vt quia omnia perfectionum contineat genera: vel quod in gradu non contineat determinato; vel quia non habeat ſuperius ſe; vel nec æquale, quod ei valeat comparari, propter quod excedat omnia, excellat ſupra cuncta: vel quod eius ſit conſummata perfectio, qua maior excogitari non poſſit iuxta Anſelm. proſol. 3. *Deus eſt, quo maius cogitari non poteſt*: Verum hi modi explicandi non declarant diſtinctè infinitatem; ſiquidem multa eo ſub nomine confundunt, quæ tamen oporteret diſtinguere, vt amplius pateret ratio infinitatis.

4 Dicendum ergo ſupponendo, ſingulis, quæ ſunt in Deo competere propriam, ac formalem infinitatem, (quidquid ſit de diſtinctione) & quidẽ eſſentia eſt infinita, ſapientia ſuam infinitatem habet, prouidentia ſuam, ſuam quoque potentia, relationes diuinæ ſimiliter, & ſic de cæteris. quo ſuppoſito facilè explicatur horum omnium infinitas.

5 Et quidem loquendo de infinitate eſſentiæ vnum aliud ſupponimus, ipſi multimode competere eſſe infinitam, eſt namq; infinita primo radicaliter, & fundamentaliter, cùm ſit primaria radix, & fundamentum infinitatis ſuæ, & cæterorum, quæ ſunt in Deo. ſecundo infinita realiter, quia eſt res infinita: & tertio eſt infinita formaliter, vt patet. de attributis verò; & modis intrinſecis, duobus ſolis modis prædicatur infinitas, realiter quidem, cùm

Infinita sũt omnia ad intra, ſed non eodem modo infinitatis ex Scot.

ſint res infinita; & formaliter etiam, vt de ſe eſt euidens: non tamen radicaliter, cùm eam habeant ab eſſentia, quæ ſola eſt prima radix infinitatis, & fundamentum. ijdem quoque duo modi competunt relationib. diuinis in ſententia D. Thom. quia apud eum ſunt realiter, & formaliter infinitæ: in ſenſu autem Scoti eſſent ſolùm vno modo infinitæ, nempe realiter, propter identitatem realem cum eſſentia, non infinitè formaliter, cum apud eum abſtrahant, & ſint entia non quanta, de quo ſuo loco. patet ergo multiplex modus diuinam participandi infinitatem: nec tamen per hoc multiplicarentur entia infinita, etenim omnes attributorum, & perſonarum infinitates ſunt vna infinitas realis, quatenus ſunt omnia cũ Deo vnum, & idem realiter: ſolum Scotus multiplicaret has infinitates formaliter, quia cum attributa penes eum diſtinguantur formaliter, & ſint formaliter infinita, ergo multiplicatis attributis, multiplicantur quoq; formalitates, ſeu infinitates ipſæ formales, non reales, vna quidem remanente reali, atque radicali; penes Thomiſtas verò multiplicarentur ſola ratione, quia ſola diſtinguũtur ratione, de quo in fine. ſupponendo deniq; nomen infinitatis importare duo, poſitiuum, & negatiuum, primum de materiali, & hoc de formali.

Vtrũ multiplicentur infinitates formales.

6 Hinc dicimus, quòd loquendo de infinitate eſſentiæ, infinitus dicitur Deus, quia ſecũdum eam eſt à ſe, eãq; non habet ab alio, nec eſt ens per partem, aut participationem, eſt independens, omnino primum: ſecundo ita dicitur, quia ipſa eſt *pelagus omnium perfectionum*, ex Damaſc. non eſt autem opus hic adnectere perfectiones ſibi ſecũdario cõpetentes, etenim confunderemus illas, agimus autem nunc de ſolo eſſe Dei, igitur hoc dicimus de infinitate ſpectante ad præciſam rationem eſſendi; ea autem ex recenſitis capitibus, ac ſimilibus optime conuincitur, prout etiam adducta argumenta declarant ſupra.

Infinitus Deus ex parte eſſentiæ.

7 Tranſeamus ad alia: & accedamus ad ſapientiam, ſeu intellectum, & dicimus infinitũ eſſe, quia infinita intelligit, vel ſi actu non ſunt, tamen poteſt

Infinitas ex parte infinitæ ſapientiæ.

teſt infinita intelligere ſimul, & ſi infinitas actu repugnaret, & ſimultanee ex parte rerum, nihilominus ſimultas ſe teneret ex parte intelligentiæ, qua cõprehenderet ſimul, poſſibilia in infinitum: vel ſi repugnaret reperiri creaturas, ex quo non poſſet infinitas talis explicari in ordine ad infinitas creaturas intelligibiles, aliundè tamen, & intentius, conciperetur infinitas, vt quia intelligendo comprehendit Deum ipſum, qui eſt de ſe intenſiſſimè infinitus. igitur infinitas cognitionis explicatur, quia non præfigitur terminus in intelligendo; adde, nec in modo intelligendi; non primum, quia omnia capit, tùm creata tùm ens increatum: nec ſecundum, quia comprehendit vndeqnaq; & eo modo, quo intelligibilia ſunt, intelligit; obiectum autem diuinum eſt intelligibile infinitè ab ipſo, & ita intelligit modo infinito: dato autem quod nullæ creaturæ ſint, nec fuerint, nec forent, immo nec ſit poſſibile creaturas forè, & implicaret etiam intelligere eas, non deſumeretur inde obiectiuè ſapientiæ, & cognitionis diuinæ infinitas; ſed nec deficeret alia via, quia remaneret obiectum diuinum, quod cum ſit de ſe infinitum, diuina ſapiẽtia hinc erit infinita, quia ad infinitum ſe extẽderet obiectum comprehendendum.

Infinitus ex parte infiniti amoris, & infinitæ bonitatis.

8 Pariformiter elucet voluntatis infinitas, tùm quia infinita velle poteſt poſſibilia obiecta: & quantum eſt ex parte ſui eſſet parata ad omnia efficaciter amandum, volendum, & ponendum in eſſe, ſi Deus vellet; & niſi ex parte rei repugnaret: tùm etiam quia, ablata v.g. infinitate, ſeu finitate obiectorum creatorum volibilium, & amabiliũ, ſufficeret terminatio ad vnicum numero obiectum; quod de ſe eſt infinitum, & quod vocatur; *omne bonum, atq; pelagus infinitum bonitatis*, volibilitatis, atq; infiniti amoris, & hoc eſt diuina eſſentia cũ tota Trinitate; ſicq; conſtat infinitas bonitatis.

Infinitus ex parte potẽtia infinita tum ad intra, tum ad extra.

9 Tranſeamus ad magnitudinem, hæc cum in ſpiritib. ſit magnitudo virtutis ex Auguſt. conſtat magnitudinem hanc dupliciter forè conſiderandam, vel in ordine ad extra, & ſic vocabitur Dei potentia, quæ diuiditur in creatiuam, conſeruatiuam, gubernatiuam, cùm cæteris ſpectantib. ad eam in ordine ad creaturas: diuiſio autem ſe tenet extrinſecè, & terminatiuè. vel in ordine ad intra, veluti in Patre potentia productiua Verbi, & in vtroq; vis productiua Spiritus ſancti: loquendo de prima in ordine ad res creatas, infinita eſt, quia de nihilo creat, & ad nihilum reducere poteſt entia per verã annihilationem, ad vtrumq; autẽ præſtandum requiritur potentia infinita: tùm etiam apparet infinita, quia quantum eſt de ſe poteſt ponere infinitum in actu. de altera etiam in ordine ad intra, conſtat eſſe infinitam, quia habet pro termino quid verè infinitum, habet namq; pro termino formali, ſeu partiali diuinã eſſentiam, tùm in Verbo, tùm in Spiritu ſancto, quæ eſt omni genere infinita, habet etiam totalem terminum tanquam infinitum, diuina namq; ſuppoſita vel realiter, & identicè ratione eſſentiæ, vel etiam formaliter, ſunt infinita.

Ex capite æternitatis à ſe, & ex alijs capitib.

10 Accedamus ad durationem, eius durationis infinitas explicatur per æternitatem, & hoc eſt ita infinitũ eſſe, ac à ſe æternum eſſe, & deniq; redeũdo ad infinitatem perfectionalem ipſius Dei, hoc de ea ſufficiat, vt eatenus cẽſeatur ſic infinitè perfectus, quatenus nulla perfectio ſibi deficit ex potentib. ſibi competere: item quatenus perfectiones participat in ſummo, atq; gradu eminentiſſimo, & infinito: & deniq; quatenus eius infinita perfectio dicitur perfectio conſummata, ideſt poſita in ſummo, ita quod nulli inferior ſit, nihilq; ſit ſibi coæquabile, immo excedat ipſe cũcta; & vniuerſa, & ex Anſel. ſit, *id; quo maius cogitari non poſſit*.

11 Hic diſtinguendi modus validior eſt, & clarius rem explicat; non.n. ſunt confundendæ iſtæ infinitates, & velle omnia hæc infinita, ſiuè attributalia, ſiuè modalia, ſiuè eſſentialia, explicare per vnam, atq; communem colloqutionem infinitatis, eſſet confundere infinitum, ac reddere ipſum prorſus ignotum: diſcurrendo tamen per ſingula, diſtinctius explicatur rei cuiuſq; infinitas, prout explicuimus: quib. facilè eſt ſimilia addere, diſcurrendo ſingularius per omnia prædica-

ta de Deo; quæ ſi explicentur iuxta propriam naturam, diſtinctè quoq; explicabitur vniuſcuiuſq; infinitas.

Infinitates formales vtrū multiplicentur in diuinis.

12 Quod ſi ſcrupulus oriatur, quod hinc multiplicabuntur infinitates in Deo, & conſequenter erūt plura infinita. ſcrupulum auferet vnuſquiſq; iuxta propriam ſcholā; vt Thomiſtæ id negent, etenim non admittūt niſi diſtinctionem rationis, & conſequenter non eſſet alia formaliter infinitas ſapientiæ, & alia infinitas potētiæ, ſicq; penes ipſos non multiplicarētur infinitates, niſi ſola ratione. Scotiſtæ vero id non dubitant concedere; cumq; admittant diſtinctionem formalem, aiunt tot eſſe formalitates, quod attributa; cumq; vnumquodq; propriā habeat, formalemq; infinitatem, concludunt dari plures formaliter infinitates, etiam formaliter diſtinctas, licet radicalis, & fundamentalis ſit vna: inter cæteros eſt Lychet. in 1. d. 8. q. 3. & iterum hic num. 5.

Ex Patribus, & Scripturis

13 Atque hucuſque ex rationibus Theologicis: Confirmant autem infinitatem Scripturæ, pſal. 144. *magnitudinis eius non eſt finis.* Baruch. 3. *magnus eſt, & finem nō habet.* atq; Auguſt. l. 8. de Trinit. c. 3. *bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & illud, & vide ipſum bonum ſi potes, ita ipſum Deum videbis, non alio bono bonum. ſed bonum omnis boni.* Nyſſen. orat. 1. in gen. *nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur.* Damaſc. l. 1. c. 4. *infinitus eſt Deus, atq; hoc vnum ex eo comprehendi poteſt, quod nimirum ipſe ſit infinitus.* & Dionyſ. de nom. c. 9. *magnus ſuper omnem magnitudinem, omnem tranſiliens infinitatem.*

ARTIC. IV.

Soluuntur argumenta obſtantia contra infinitatem.

1 SVnt verò argumenta, quæ obſtant, & pugnant contra infinitatem. primū eſt, quia ſequeretur quod in mundo nullum eſſet malum: prob. ſi vnum contrarium actu infinitum eſſet in Orbe, nil ſibi contrarium reperiretur in rerum natura; ergo ſi aliquod infinitè bonum eſſet in mundo, nullum adeſſet malum. prob. quoniā deſtrueret illud, veluti ſibi aduerſum, & contrarium. Reſpondet Varro in 1. d. 2. q. 1. verum eſſe de contrarijs formaliter, non autem virtualiter: in illis ſiquidē infinitum formaliter cōtrarium, excluderet omne contrarium formaliter, vbi verò opponuntur virtualiter non ſic contingit, atq; ita Deus infinitus non deſtruit contraria mala, quia non adeſt contrarietas formalis. ſed vrgetur cōtra, quia ſiue ſit contrarium formaliter, ſiue virtualiter, nunquam compatitur ſibi contrarium, ſi primum contrarium eſt infinitum, & probatur, quia contrarium virtuale habet infinitam virtutem, infinita autem virtus deſtruit omne contrarium ſui effectus. Confirmatur exemplo Solis, qui ſi eſſet virtualiter infinitè calidus, omnem deſtrueret frigiditatem contrariam; ergo etiam contrario virtuali infinito id competit, nedum contrario formaliter. Reſpondet D. Tho. ad materiam argumenti, & ait *Deum iuxta ſummam bonitatem ſuam multa mala permittere,* iuxta Auguſt. in Enchirid. c. 11. Verum non reſpondet ad formam: nec ad maiorem, & ſequelam quidquam dicit.

Varronis reſponſio impugnatur.

Infinitum bonum ſi ageret ad extra neceſſario, deſtrueret omne malum.

2 Reſpondendum igitur conſequentiam vtique tenere, ſi ageret naturaliter, & neceſſario ad extra; tunc namq; excluderet malum omne; verū quia eſt agens liberum, poteſt mala relinquere, permittendo ea fieri, vt iā fiunt. reſponſio hæc fuit primario producta à Scoto: quam tamen Caetanus 1. p q. 2. art. 3. impugnat, quia non poteſt creaturæ communicari tota infinita Dei virtus excluſiua mali, ergo etiam ſi naturaliter Deus ageret, non excluderet omne malum; vt namque omne malum deſtruatur, inquit, oportet infinitam bonitatem, ſeù Dei virtutem infinitam reperiri in creatura, tanquam in ſubiecto, à quo debeat excludi tale malum: oppoſita namque habēt fieri circa idem ſubiectum. Verum impugnatio hæc retunditur, & inualida demonſtratur: Supponitur nā-que

Scoti reſpōſio.

Caetani inſtantia eluditur.

que creaturæ debere totam Dei virtutem communiori; etenim ſatis eſt vnicuiq; ſubiecto tribuere tantam bonitatem, quanta ſufficit ad deſtruendā oppoſitam malitiam: at hæc malitia eſt tanta, & tanta formaliter, ergo tanta virtus oppoſita requiritur, & non maior: dixi formaliter, quia licet malitia obiectiuè ſit infinita, vtpote priuans bono obiecto infinito, tamen de ſe habet formaliter ſuos gradus finitos, qui ſufficienter deſtruuntur per oppoſitam virtutem conſtantem ex finitis gradibus: ſicq; vnicuiq; ſubiecto, in quo eſt malitia tribuēdo oppoſitam bonitatem, deſtructur malitia omnis abſq; communicatione infinitæ virtutis Dei infinitæ: tùm etiam vltra, quia gradus malitiarum, etiam omniū generum malitiarum non ſunt formaliter, entitatiuè, nec etiam numericè infiniti, aliàs daretur infinitum in actu: ergo nec requiritur communicatio virtutis infinitæ: & ſi ſtat in malitia infinitas ex parte obiecti, quo priuat, etiam bonitas oppoſita erit obiectiuè infinita, ita quod formaliter finita, poteſt reddere ſubiectum ordinabile ad obiectum infinitum, & ita reddendo ſingula ſingulis, ſufficiet bonitas ad deſtruendam malitiam, etiam ſi non ſit infinita.

Malitia, et bonitas creata, finita quidē formaliter, infinita obiectiuè.

Modificatio traditæ reſpōſionis

3 Addendum eſt tamen ad reſpōſionem Scoti, veram eſſe, præcisè cùm Deus ageret immediatè; etenim ſi mediatè operaretur, & ageret inſtar naturalis agentis, non excluderentur tamen imperfectoines ab Orbe: patet ſtantia, quam etiam ipſe mouit: namq; Philoſophi admiſerunt Deum agere naturaliter, & tamen ijdem admiſerūt mala fieri in Vniuerſo: ad quod dicendum ideo hoc eſſe, quia ſtatuerunt Deum agere mediatè, cum cauſis ſecundis, & propterea malitia, & imperfectio oppoſita bonitati prouenirent quidem, & fierent in Vniuerſo, at non mirum, quia eorū cauſa eſſet creatura agente mediatè Deo, quod tamen non eueniret ſi ipſe ageret immediatè: Dicunt Alij, in hoc Ariſtotelem ſtatuiſſe contradictoria, & præcipuè admittendo contingentiam in rebus, cùm tamē ipſe ageret naturaliter; ſed eadem ratione ceſſat, quoniam contingentia proueniret ex parte ſecundarum cauſarum, ex quibus etiam proueniunt mala, quæ tamen ſingula, & contingētia, & mala tollerentur, ſi Deus ipſe ageret immediatè, & tanquam agens purè naturale. ideoq; nunc, ſtante eodem principio, malitia proueniet ab hoc ordine, videlicet cauſarum, qui ordo, & quæ cauſalitas maior eſt, & prædominium habet ſuper alium cauſarum ordinem, directum ad producēdam oppoſitam bonitatem, quo fit, vt vincente illo, adſit malitia, & remiſſo iſto, adſit bonitas. hoc ad mentē] Ariſt.

Philoſoph. admittens Deum agere neceſſario, & fieri mala, & contingentia vtrum admiſerit cōtradictoria.

Si virtus infinita eſſet in magnitudine moueret in non tempore: declaratur.

4 Arguitur ſecundo ex eodem Ariſtot. 8. phyſ. *ſi virtus infinita eſſet in magnitudine, ageret, & moueret in nō tempore*; ſed nulla virtus mouet in non tempore, ergo non datur infinitum. Commentat. 12. met. 41. ait cum primo mouente debere coniungi cauſam ſecundam: vndè ex primo mouente proueniet infinitus motus, quia agit naturaliter, & ex cauſa ſecunda procedet ſucceſſio eiuſdem motus. ad propoſitum autem reſpondemus duo adnectere ſententiam Ariſt. & virtutem infinitam, & ſecundo, magnitudinem in qua eſſet, quia dicit, ſi virtus infinita eſſet in magnitudine, moueret &c. itaq; agere in non tempore, & in inſtāti competit virtuti infinitæ, Deus nāq; poteſt & in tempore agere, & in inſtanti, vt libet; mouere autem, & propriè exercere motum competeret tali virtuti prout exiſtenti in magnitudine extenſa: & hoc ex triplici capite, primò ratione diſtantiæ, vna. n. pars magnitudinis eſt magis vicina paſſo, quā altera, & hinc eſt vna ratio ſucceſſiuitatis motus: ſecundò ratione reſiſtentiæ, quia licet infinitæ virtuti nihil obſiſtat, tamen obſiſtit aliquid magnitudini finitæ, & hinc altera ratio ſucceſſiuitatis: & tertiò ex parte ipſius motus, qui nequit fieri in inſtanti, hinc igitur habetur ſucceſſiuitas, ita vt reddendo ſingula ſingulis, negatio temporis, ſeu *in non tempore*, tribuatur ex Ariſt. virtuti infinitæ; & ſucceſſiuitas, ſeu mouere, detur magnitudini: alias cōtradictio admittitur in verbis eius: quæ eſt, mouere, & in non tempore: quod eſt, mouere in inſtanti, cùm implicet motum fieri in inſtanti.

Argui-

Hic, & hoc variè ſumuntur, gramaticaliter, & theologicè.

5 Arguitur tertio. id, quod ita eſt hic, quod non alibi, eſt finitum ſecundũ locum, ergo quod ita eſt hoc ens, quod non aliud, eſt finitum ſecundum entitatem, & perfectionem: Deus eſt ita hoc ens, vt nõ ſit aliud, ergo &c. Reſp. debere probari illud *hic* eſſe quid finitum, poteſt namq; eſſe infinitum, licet ſit *hoc aliquid*: vnde ſi daretur locus infinitus, & corpus infinitum, ſimiliter etiam tempus infinitum, ſi inde argueretur, quod ita eſt in hoc loco, & hoc tempore, quod non alibi, nec alio in tempore, eſt finitum ſecundum locum, & tempus: Dicendum eſſet, quòd ly, *hic* & *in hoc* non oſtendunt quid finitũ, ſed infinitũ, ideoq; non obſtante quod ſit *hic*, vel in *hoc*, poterit eſſe infinitum: ita etiam Deus, qui taliter eſt hoc ens, vt ſit etiã omne ens eminenter, & virtualiter, licet non ſit neceſſe, vt ſit omne ens formaliter: Reſpond. ſecundò, quod ly *hic, hoc*, vel ſumuntur gramaticaliter, vel Theologicè: primò modo, ſe tenent limitatè, & finitè: ſecundò modo poteſt ſupponere pro infinito, vt *hic Deus*, hæc *æternitas*, *&c.*

Infinito quomodo competat cęterorum, vel proprias perfectiones cõtinere.

6 Dices, infinito in entitate formali competit habere, & continere formaliter omne ens: Deus non eſt ſic formaliter, eſſet.n. formaliter lapis, leo, &c. Reſp. negando maiorem, quia infinito competit habere, & continere eo modo, quo ſibi conuenit: continere autem formaliter entia alia non competit infinito, quia eſſet formaliter finitum, eſſet namq; formaliter lapis, formaliter leo, quæ contineret formaliter: at id falſum, ergo non competit ei ſic continere: Continere autem ipſi competit aliorum perfectiones eminẽter, & aliorum entia, atq; perfectiones producibiles, virtualiter, cùm producat in cęteris, & eſſe, & perfectiones earũ: perfectiones tamẽ ſuas, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter, vna cũ omnibus, quæ ſunt ad intra, ea, in quã, omnia cõtinet formaliter vnde dicendũ, quod infinitũ eſt id, cui nihil entitatis deeſt, eo ſ. modo, quo ſibi poteſt conuenire.

Infinitũ in perfectione ad hoc, ſit tale, nõ eſt neceſſe habere perfectiones numero infinitas.

7 Dices: infinito competit cõtinere infinitas numero perfectiones: ſuę autẽ perfectiones nõ ſunt ita infinitę. Reſp. perfectiones ſimpliciter non ſunt infinitæ in numero, ſed tot, quin plures: eſt autem vnaquæq; formaliter infinita: ideoq; ad conſtituendum infinitè perfectum ſimpliciter, non eſt neceſſe habeat infinitas numero perfectiones ſimpliciter, ſed ſufficit eas eſſe infinitas formaliter, quia perfectiones ſimpliciter ſunt. Cęterorum autem entiũ creatorum perfectiones omnes, ſiuè finitæ ſint numero, ſiuè aliter, continet eas eminenter, & virtute.

Si daretur corpus infinitũ verũ expelleret omne aliud corpus.

8 Arguitur quartò. ſi daretur corpus aliquod infinitum, non compateretur ſecũ aliud corpus, ergo ſi datur Deus infinitus, nullum aliud ens ſecũ compatitur: prob. prima ſequ. quia dimenſio repugnat dimenſioni: tùm etiã, quia fieret additio infinito corpori, & ſic infinitum excederetur: pariter etiã de Deo, fieret.n. quid maius, ex additione creaturæ. Reſp. non eſſe parem rationem de infinito quãtitatis, & entitatis: in illo namq; quantitas repugnat virtualiter quantitati, ratione dimenſionum, quæ impediunt penetrationem: talis verò repugnantia non eſt inter alia entia, ſicq; vnum in altero continetur, vt infinitũ in entitate contineat cætera: non.n. vna entitas taliter replet totam naturam entitatis, vt altera entitas non poſſit eſſe cùm ea, ſicut quantitas taliter locum replet, vt cum ea nõn ſit alia quantitas: At nihilominus ſicut cùm quantitate poteſt ſtare aliud corpus non replens locum, ita cum vna entitate poteſt alia ſtare entitas.

Infinito an poſſit fieri additio.

9 Ad illud de additione dicẽdum, quod infinito ſimul, & fieret additio, quia adderetur ea quantitas, quam nõ haberet in genere molis, & ſic poſſet infinitum excedi per additionem; atq; etiam non fieret talis additio aliunde, quia infinitũ eſt id, *cui nihil deeſt*, itaq; in tali caſu admitteretur cõtradictio; quod tale infinitum eſſet maius ſimul, & non maius. De Deo autem, additio quæ fieret, nõ eſſet intenſiua, cùm omnia ſint *in ipſo, per ipſum, & cum ipſo*, eo modo, quo conuenit, & ſingula cõtineantur in ipſo: ſed ſi quæ fieret, ea eſſet additio extenſiua: vt namq; probauimus in quæſt. de perfectione Dei, ipſe Deus cùm creaturis eſt aliquid maius extenſiuè: at hoc non obſtat infinitati: obſtat namq; maioritas intenſiua:

Infinito perfectionali obſtat maioritas intenſiua: & infinito in quantitate molari maioritas extẽſiua.

ſiua: & reddendo ſingula ſingulis, infinitati Dei obſtat maioritas intenſiua, & infinitati quantitatis molaris maioritas extenſiua.

Infinitas perfectionalis nequit creatura communicari.

10 Hinc deniq; conſtat, vt rem totam abſoluamus, adeo Dei eſſe propriam infinitatem, vt nulli alteri naturæ poſſit eam cõmunicare: Dixi nulli alteri naturæ, quoniam iam communicatur infinitas diuinis perſonis, cõmunicata namq; eis diuinitate infinita, communicatur perfectio omnis, atq; infinitas, vt infinita attributa, &c. ſunt autem perſonæ in eadem natura ipſius Dei: Alteri vero diſtinctæ naturæ cõmunicari nequit, vnde eſt, vt creari nequeat alterum infinitum in perfectione, alias eſſet natura hæc creata, infinita, independens, neceſſe eſſe, æternalis neceſſario, indefectibilis omnino, eſſetq; creatura alter Deus.

DISPVTATIO XII.

De Æternitate Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus ſit æternus.

Aeternitas nota quoq; Philoſophis.

1 Cognita tũ à Theologis, tùm verò Philoſophis fuit æternitas diuina: immo Philoſophi aliquanto vltra progredientes, nedum Deum, verum, & mundi machinã conſtitiſſe docent ab æterno: hoc autẽ relicto, ſufficiat ipſis conceſſiſſe ſolius diuini eſſe æternitatem: quoad creaturas verò potuiſſent cum Theologis mundum æternum eſſe concedere ſolum quoad eſſe idæale, potentiale, cognitum: ſic namq; & Deus, mundusq; fuerint ab æterno: ille quidem iuxta eſſe reale, hoc iuxta idæale, reddendo ſingula ſingulis: & hoc de facto: quid namq; de poſſibili, dicetur infra. Conſtat autem Deum ſolum habere æternitatẽ ex Theologis, ipſumq; eſſe æternum. ſic Concilium docet Rhemenſe ſub Eugen. 3. contra Gilbertum, contra Pictauienſem Antiſtitem: ſic ſcripturæ fatentur Iſa. 40. *Deus ſempiternus Dominus.* pſalm. 89. *à ſæculo, & vſq; in ſæculum tu es Deus.* & 101. *in generat. anni tui* Eccleſ. 18. *qui viuit in æternũ creauit &c.* prouerb. 8. *ab æterno ordinata ſum*: Roman. 6. *ſecundum præceptum Dei*: Bernard. ſerm. 80. in cantic. Gregor. l. 16. mor. cap. 21. Dion. c. 10. de diu. nom. eſtq; de fide: definita in c. firmiter de ſumm. Trin. & fid. cath.

Aeternitatē Dei probat D. Th.

2 Ratione probatur à D Tho. 1. p. q. 10. art. 2. Deus eſt immutabilis, ergo æternus: antecedens patet, & prob. conſeq. quia ad immutabilitatem ſequitur æternitas, ſicut tempus ad motũ: ſed quomodo infertur ſequela iſta; namq; vel aſſerendum hinc eſt æternitatem eſſe diſtinctam ab immutabilitate, vel dicendum non fieri bonam illationem: de primo quidem eſt ſententia omnium, præcisè Thomiſtarum, æternitatem non diſtingui ab immutabilitate, ergo æternitas non poterit eſſe effectus illationis: quod ſi nõ diſtinguuntur, iam ſequitur ſecundum, quia fieret nugatio, probãdo idem per idẽ.

Obſtatur.

Reſ.

Bannes reſpõdet, ſed gratis. Reſpõdet Bann. immutabilitatem eſſe ęternitatis cauſam eminentiſſimo modo, & hoc ſatis eſſe indicat ad diſtinctionem vnius, atq; illationẽ alterius: & ſatis eſt, vt procedat demonſtratio per rationem formalem, licet non cauſalem: itaq; admittit diſtinctionem inter vtramq; verum eam non explicat, quare gratis reſpondet, nec probat diſtinctionem, quæ tamen apud eos nulla reperitur.

3 Duo circa D. Tho. rationem quæruntur, alterum eſt, an immutabilitas inferat æternitatem? & alterum, an inferat immediatè, & præcisè tanquam effectum formalem: de primo controuerſia facilè ſoluitur, etenim vnũ infert aliud, quia non ſunt omnino idem, vt falſo plures exiſtimant, diſtinguuntur autem aliquo pacto, vt in diſcurſu dicetur: de ſecundo verò eſt dubium, & quæritur vtrum conſequentia formali, an materiali ex immutabilitate inferatur ęternitas, ideoq; attingenda erit radix vtriuſq; immutabilitatis, & æternitatis.

Radices immutabilitatis ſunt ſimplicitas infinitas, et neceſſe eſſe 4 Dicimus ergo immutabilitatem ad duo terminari poſſe, vel ad ſolam formam receptibilem accidentalem, quæ verè ſit ens reale, & perficiens receptiuum: vel nedum ad accidentalem, ſed etiam ad eſsẽtialem: itaut duo excludat, & mutationem ad nouam perfectionem, & mutationem ſimpliciter ad non eſſe: Deus quidem vtraq; hac immutabilitate dicitur immutabilis, at non ſub eadem ratione: & loquẽdo de prima, dicitur ſic ex duplici capite, alterum eſt ſimplicitas eius ſumma, & alterum eſt infinitas: ratione primi excludit omnem aduentitiã formam, quia non eſt compoſitus, nec cõponibilis, ergo ratio huius immutabilitatis eſt ſumma ſimplicitas. & hæc dicitur ratio proxima talis immutabilitatis: infinitas verò eſt altera ratio huius, quia namq; eſt infinitus Deus, omnemq; habens perfectionem, inde eſt, vt ad formã perfectibilem vlteriorem nõ ſit ordinabilis: & hæc eſt ratio fundamẽtalis immutabilitatis ſic ſumptę. Accedamus ad aliud: ratio, qua immutabilis eſt ad non eſſe, prouenit ex neceſſitate ſui eſſe, quia namque eſt ens neceſſarium, ideo eſt immutabilis ab eſſe ad non eſſe: habemus ergo rationes, & fundamenta immutabilitatis.

5 Diſcutiamus modo de æternitate, & videamus cuiuſnam ſit effectus formalis; vtiq; reperiemus alterum ex recenſitis capitibus eſſe, vel infinitatẽ, vel neceſſe eſſe: Non erit infinitas: erit autem neceſſitas: non infinitas intenſiua, quia poteſt concipi aliquid infinitè intenſiuè perfectum, quod tamen duret per inſtans, licet conceptio eſſet mẽdax: ſi namq; per impoſsibile Deus duraſſet ſolummodo per inſtans, & inde ruiſſet, fuiſſet intenſiuè perfectus, ac infinitus, attamen non æternus: ergo infinitas nõ eſt ratio formalis æternitatis: remanet igitur, vt ſit neceſsitas, quoniam, ex quo Deus eſt ens neceſſarium, ex eo eſt æternus: & probatur, quia quod eſt neceſſarium, non eſt defectibile: ſed quod non eſt defectibile eſt ęternum, ergo neceſsitas erit ratio æternitatis: item neceſsitas excludit contingentiam, & hæc ſecum compatitur tempus; contingentia autem, & tẽporis ſucceſsio reluctantur ęternitati: inſuper creatura non eſt æterna, quia non eſt ens neceſſarium: quod ſi ens fuiſſet neceſſarium cõtitiſſet ab æterno: & hac ratione ſtatuunt pleriq; Theologi mundum nec potuiſſe fieri ab æterno, ergo concludimus neceſsitatem eſſe rationem formalem æternitatis. *Radix æternitatis eſt neceſſe eſſe*

6 Quod ſi inſpiciamus immutabilitatem, apparet quidem ſenſui à poſteriori eam cauſam eſſe ęterni eſſe: quod namq; non mutaur, id perenne eſt; quod non ſubeſt interitui, id eſt æternum: ſunt quidem rationes iſtæ valde ſenſui apparentes, vnde facillimè inclinamur ad aſſentiendum æternitati per immutabilitatem; ſed nihilominus ab intrinſeco rem ſpectantes, comperiemus eam non eſſe rationem formalem, ſed ſolùm materialem. & peob. quia ipſamet immutabilitas eſt effectus formalis neceſsitatis, quia namq; Deus eſt ens neceſſarium, ideo non mutatur, eſt optima conſequentia: eſt etiam formalis effectus infinitatis; vt quia eſt infinitus, ideo ad nullã formam, & ad perfectionem nullam ordinabilis, ſeu mutabilis eſt: en pater, quomodo neceſsitas, & infinitas pro- *Immutabilitas à poſteriori indicát æternitatem.*

ducunt immutationem in Deo: ex iiſdem capitibus etiam conſequẽter habetur eius æternitas, tanquam ex radice formali: quod namq; perpetuo quid duret, prouenit ex duplici capite, vel quia nihil perfectionis ſibi deſit, atque omnem excludat imperfectionem, quę ſit ratio deſtructionis, & alterationis: vel quia ſit ens neceſſarium, ex quo ſequitur, vt nunquam debeat deſiſtere à ſuo eſſe: conſtat verò radices horum effectuũ eſſe neceſſitatem, & infinitatem: ergo hæ ſunt rationes fundamẽtales, ac radices formales æterni eſſe.

Quod aliquid perpetuo duret prouenit ex multiplici capite.

Neceſſitas eſſendi eſt principalior ratio æternitatis, quã infinitas.

7 Quod ſi dixeris, ſi per impoſsibile eſſe æternum non eſſet perfectione infinitum, vt liceat ſic aliquid imaginari, habebitur æternitas abſq; infinitate: ergo deficeret aliud caput. Reſpond. primò nos loqui de facto, de eo, quod eſt realiter æternum, cuius æternitas ex his duob. habetur originaliter: de poſsibili autem impoſsibili, iam remaneret ratio altera æternitatis, quæ eſſet neceſsitas: & hæc ſufficeret ad faciendum æternum, immò ſi quæras, quænam illarum duarum ſit eſſentialius requiſita ad æternitatem, neceſsitas, an infinitas, dicẽdum quod neceſsitas, quia ſi lapis fuiſſet ab æterno, æternitate independenti, & à ſe: & fuiſſet verè lapis, talis naturæ lapideę, & inſenſatæ, iam fuiſſet ens neceſſariũ, non tamen perfectione infinitum, quia fuiſſet ſolùm lapis, nil vltro continens cæterarum perfectionum. Dices, implicare habere ęternitatem à ſe, & imparticipatam, & tamen carere infinitate perfectionali, quia quod eſt à ſe, independens, eſt ens infinitum, vt ſup. demonſtratum. Concedimus hoc & nos quod eſſet infinitus: attamen loquimur facta hypotheſi, *ex impoſſibili namque ſequitur quodlibet*, nempe impoſſibile: & ita ratiocinamur, vt inueſtigemus rationem formalem æterni, *abſtrahentium namq; non eſt mendaciũ*: Dices, ſi creatura producta à Deo fuiſſet ab ęterno, vt multi aſſerunt potuiſſe producere, iam fuiſſet æterna, ſed nõ neceſſaria, nec infinita. Confirmatur, quia Philoſophi mundum ſtatuerunt ab æterno, attamen admiſerunt contingentiam in rebus, ergo æternitatis non eſt cauſa neceſsitas, nec infinitas. ſed facilè ſoluitur, quia quæ diximus procedunt de ente æterno, à ſe habente æternitatẽ, independenter ab Alio, & imparticipatẽ, & tale antecedenter erit ens neceſſarium, ſupremum, & infinitum, vt Deus, creatura autem iam conſtat æternitatem ſuam ſi haberet, eam quidem dependenter haberet à Deo, & conſequenter fore non infinitam, nec ens neceſſarium, ſed contingens de ſe.

Immutabilitas nõ eſt radix æternitatis.

8 Ad immutabilitatem igitur applicando: dicimus eam non eſſe radicem formalem æternitatis, pendet nãque ipſamet immutabilitas, & ab infinitate, & à neceſſitate diuini eſſe, vt eſt dictum: à quibus etiam capitibus deriuatur æternitas primario, & radicaliter: & ex conſequentijs iſtis, eſt immutabilis, ergo æternus: eſt neceſſarium ens, ergo æternum: eſt infinitum, nulla perfectione carens, & ad nihil ordinabile vt perficiatur, ergo æternum: ex conſequentijs inquam iſtis, validiores ſunt ſecunda, & tertia, quàm prima; licet hæc ſit ſenſui magis apparens, quia mutatio eſt proxima ſenſui, qui cùm ſit mutationi obnoxius, facilius apprehendit mutationes, & alterationes: illæ autem ſunt remotiores à ſenſu, attamen captu difficiliores, quæ tamen ſunt rationi propinquiores quo fit, vt conſequentia deducta ex mutabilitate non ſit radicalis, & formalis, nec fundamentalis, ſed eſt conſequentia realis, quia verè, & realiter quod eſt immutabile omnino, eſt æternum: ſeu cõſequentia materialis, nõ quod aliquod æternum reperiatur, ſeu reperiri poſſit, quod tamen ſit mutabile, huiuſmodi enim ſolet eſſe penes logicos conſequentia materialis, vt argumentum non valeat in omnibus, non inquam eſt ſic materialis, quia quod eſt æternum æternitate explicata independẽter, & à ſe habens æternitatem, nunquam reperiri poterit mutationi obnoxium, etenim creatura æternalis ex ſuppoſitione, non foret immutabilis; ſed conſequentia dicitur materialis, prout contradiſtinguitur à formali, atque originaria, & radicali.

Aeternitatis diſcrimen, & immutabilitatis.

9 Atque hoc pacto diſcrimen ex his patet immutabilitatis, & æternitatis: primò quia immutabilitas proue-

ue-

uenit ex infinitate perfectionali, quia enim Deus infinitus eſt, & habet ſimul quidquid perfectionis poteſt habere, ideo non indiget vt mutetur ad aliquid recipiendum nouiter, cùm nulla perfectione careat: quia tamen eſt ens neceſſarium, ideo ſemper fuit, eſt, & erit, quod eſt eſſe æternum: eadem quoque neceſsitas cauſat immutabilitatem, quia enim non eſt ens contingens, ideo neceſſarium, & quia non eſt contingens, ideo non mutatur, quod eſt ideo non mutari, quia neceſſario ei competit id, quod habet: differũt etiã, quia immutabilitas abſtrahit à ratione menſuræ, duratio autem, ſeu æternitas induit rationem menſurę: immutabilitas concernit ſubſtantiã, & operationes Dei in ordine ad entitatem ſolummodo, at æternitas ea inſpicit in ordine ad quantitatem durationis; ac denique immutabilitas reſpicit eſſe, æternitas verò addit perſeuerantiam, & permanentiam in tali eſſe. hæc ſunt diſcrimina inter vtrumque, & pauciora alia, ſi quæ ſuperſunt.

Aeternitas & immutabilitas ſolent à Patribus pro eodẽ accipi

10 Solent autem Patres ambo hęc confundere, & vnum capere pro alio, & commiſcere, præcipuè D. Auguſt. lib. de natura boni c.39. dum ait, *illa eſt vera æternitas, quæ vera immortalitas, hoc eſt, ſumma incommutabilitas, quam ſolus Deus habet*, & 1. de Trin. c. 1. *vera immortalitas immutabilitas eſt*: & Dion. c. 10. de diuin. nom. æternitatem appellat, quæ non interit, ſed ſemper eodem modo ſe habet: quo fit, vt extenſo vocabulo vnũ ſumatur pro alio: iuxta tamen recenſitas differentias, Thomiſtæ apponunt diſtinctionem rationis: Scotiſtæ autem formalem: quæ qualis eſſe debeat negatiua, an affirmatiua; dicetur infra.

Aeternitati non ſufficit negatio inceptionis, & finis.

11 Addit æternitas, vltra permanentiam, & perennitatem diuini eſſe, negationem inceptionis, & finis; eſt namq; æternus, quia non incæpit, & non finietur in eſſe, & habet verè eſſe: hoc vltimum eſt neceſſario addẽdum, quia non ſequitur æternitas abſolutè ex negatione incęptionis, & finis, atq; ſucceſſiuitatis, niſi addatur, id habere verè eſſe; chimera namq; & negatio, & figmentum nec incęptionem habuerunt, nec finem habebunt, cùm nõ ſint, quæ tamen non ſunt æterna, cùm verè non habeant eſſe.

12 Sed hoc fuit occaſionaliter dictum explicando æternitatem, quia æternitas Dei, nõ explicatur adæquatè per negationem incæptionis, & finis alias chimera eſſet ſic æterna, cùm nõ habeat principium, nec finem: ſed addenda poſitiuitas diuini eſſe, quo eſſe poſitiuo caret chimera, & ob id non erit æterna.

QVÆSTIO II.

Qualis æternitatis acceptio, & definitio.

Aeternitas competit Deo; vtrũ autem & creaturis.

1 SOlet vero æternitas variè accipi, & ad varia trahi ſignificanda: ex quo fit, vt non ſit ſolius Dei nomen conſignificatiuum; iuxta nãq; ſignificata varia, tribuitur quoq; creaturis, per ſimilitudinem, ac participationem: ſic ſæpè ſæpius penes Scripturas, & Patres reperimus; præcipuè Auguſt. in Geneſ. q.31.47. in Exod. & cõtra Priſcillian. c.6. Dionyſ. de nom. 10. ac Greg. 16. moral. 21. At vero cõſtabit, non eadem ſub ratione æternas fore, quà æternus eſt Deus; hic namq; verè æternus, illæ per ſimilitudinem; Deus à ſe, hę ab illo, & ſi creaturæ ab æter-

æterno fuiſſent, iam etiam conſtaret diuerſitas æternitatis, vt Deus neceſſario fuerit ab æterno, cùm ſit ens neceſſe eſſe; creaturæ liberè ſolum ex beneplacito diuinæ voluntatis; Deus à ſe eam habet, & creaturæ ab eo; quod diſcrimen adnotauit idem Dionyſ. inquiens, *non omnino eiuſdem æternitatis eſſe creaturas, cuius Deus*; vltra quod de facto mundus non fuit ab æterno, licet eius eſſe idæale in mente diuina fuerit ab æterno.

Æternitatis ſignificata varia

2 Significare igitur ſolet menſurā, & durationem nō planè notā, & adeo diuturnam, vt eius vel ad longum protrahatur, vel prorſus ignoretur finis; ita illud Exod. 17. *dabo tibi terrā Chanaan in poſſeſſionem æternam*, explicat D. Aguſt. ſup. allatus vel pro ſæculo, & longiſſimo tempore, vt 3 reg. 1. *Rex in æternum viue, viuat Rex in æternum*, & Ioſ. 4. *poſiti ſunt iſti lapides in monumētum filijs Iſrael vſq; in æternum.* vel ad oſtendendam perpetuitatem, & hoc tā gloriæ vitæ æternæ, quā gehennæ Inferni, vt Ioan. 17. *hæc eſt vita æterna, vt videant, &c.* & Matt. 25 *ite in ignem æternum* vel connotat ſtabilitatem, & hoc in vnoquoq; ſtatu, vt circumciſio Abrahæ æterna, & ſtabilis ante legem Chriſti, gen. 17. *in fœdus ſempiternum*, vel ſumitur pro lege, atq; re immutabili prorſus, quo pacto illud Exo. 12. *celebrabitis diem hanc cultu ſempiterno*, vt explicat Aguſt. vel accommodatur cuiuſcunq; rei ſtabilitati, atq; immutabilitati, vt illud Eccl. 1. *terra in æternum ſtat*, quomodo etiam dicitur de cælis; pſal. 75. *illuminans tu mirabiliter à montib. æternis.* vel pro antiquiſſimo, Deuter. 33. *à fructib. collium æternorū*; vel *pro tota ſerie ac ſucceſſione ſæculi, & temporis* Rom. 16. *ſecundum reuelationem myſterij abſconditi à temporib. æternis.* hi, & conſimiles modi competunt creaturis: proprijſſimè autem accepta æternitas, prout ex Boetio deſumitur ſoli competit Deo; & de ipſo Eccl. 19. dicitur, *qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*; de quo etiam Fulgent. de fide ad Petr. c. 6. *firmiſſimè tene ſolum Deum verum æternum, & incommutabilem eſſe*, hæc de æternitate participata: tranſeamus autem ad imparticipatam, & explicemus eius definitionem,

Æternitatis definitiones.

3 Duæ traduntur de diuina æternitate definitiones; Altera eſt Richardi Victorini 2. de Trin. c. 9. dicentis *carere initio, & fine, & omni mutabilitate, dare æternum eſſe.* Et altera Boetij 5. de conſolat. proſ. 6. definientis, *quod eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; cui ſimilem tradit Anſelmus Monol. 27. Vtra vero iſtarum ſit aptior definitio: Equidem apparet eſſe completior definitio Boetij; ſiquidem illa Richardi eſt totaliter negatiua, in ſola negatione conſiſtens, dum negat mutationem, excludit finē, tollitq; principium, & initium; at etiam taliter definiri poterunt negationes ipſæ extra genus; hæ namq; præcipuè carent fine, & initio, & immutabiles ſunt; ſicut nec mutabiles, quia nihil ſunt: licet prout ad genus determinantur, & applicantur ſubiecto, ipſę quoq; dicantur incipere, & deſinere: vt qui hucuſq; ſcripſerim, cùm ſcribere deſinam, dicar non ſcribere, negatio hæc habebit initium, quod erit poſt ſcriptionē: habebit quoq; finem quando ad ſcripturam redibo, ceſſabit enim tunc negatio Scripturę: & ſic etiam dicetur variari, dum de initio tendit ad finem, & è contra: quæ tamen omnia conſtat eſſe negatiua, negationis namq; ſicut eſſe eſt negatiuum, ita incipere, & deſinere ſiſtit in negatione: & talis poteſt eſſe ſenſus definitionis Richardi, vt non loquatur de negatione in ſe, prout abſtrahit à genere ſubiecti, ſed quatenus recluditur intra genus ſubiecti, de quo dicatur: ſicq; cùm applicetur generi ſpecialis ſubiecti, vt eſt Deus, optimè exprimet naturam æternitatis, ſic namq; ſicut Deus nec incępit, nec mutatur, nec deſinet eſſe, ita æternitas eius tales negationes importabit, incæptionis, mutationis, atq; deſitionis ſui eſſe.

Definitio Richardi.

Negationes quoq; incipiunt, et deſinūt.

Definitio Boetij.

4 Ad alteram Boetij deſcendendo: conſtat eam non vrgeri his ſcopulis quib. definitio Richardi: ſiquidem non eſt ſecundum ſe totam negatiua, cùm includat vitam, dicitq; eſt *interminabilis vita*: additur etiam poſitiuitas alia, ex parte poſſeſſionis, *tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*: includit quoq; negationes recenſitas in deſcriptione Richardi; quæ ſunt, *interminabilitas*: hæc

autem

autem duplex eſt, à parte initij; & ex parte finis, vt careat vtroq; & deniq; amplectitur immutabilitatem, dum dicitur, *tota ſimul*, ex quo excluditur ſucceſſio: & vt oſtendat nihil ei deficere, ſubditur, *perfecta poſſeſſio*. habetur igitur completiſſima deſcriptio æternitatis, vel ex hac ſola Boetij, vel ex vtriuſq; etiam Richardi, definitione.

5 Plato etiam per pulchrè eandē deſcribit in Timæo, dicens, *æterna ſubſtantia, cum ſemper eadem, & immobilis perſeueret, neq; ſenior ſeipſa fit. neq; iunior*. cætera infra: in quo cùm cæteris conuenit, vt neget mutabilitatem, & alterationem: quod eſt idem cum eo, quod ait Boet. *perfecta poſſeſſio*, ita vt nec iuuentus deſit, nec accedat ſenectus. ſubdit inſuper Plato, *neq; fuit hactenus, neq; erit in poſterum*: hoc vero non eſt negare, vel extitiſſe Deum, vel forè extiturum, ſed negat rationē ſucceſſiui, quæ reperitur in entib. præcipuè temporaneis, ratione præteriti, ac futuri. Et ſubdit deinceps, *At, qui erat, & erit, quæ nati temporis ſpecies ſunt, non rectè æternæ ſubſtantiæ aſſignamus. dicimus n. de illa, eſt, erat, & erit: ſed re vera ſolum eſſe competit*. hæc ille. nil vero aptius deſumi poteſt ad explicādum ſimultaneitatem, & indiuiſibilitatem eius, vt potè omni temporis differentia carentis, cui proprius competat verbum indicatiuum eſt, quam præteritum, & futurum.

Æternitas coexiſtit omni differentiæ temporis.

6. Cum hac tamen ſimultaneitate, & indiuiſione nil obſtat, vt communiter docent Theol. ei addere coexiſtētiam ad varias differentias temporis, hac namq; ratione dicitur in ſcripturis Deum æternum fuiſſe, eſſe, & fore, vt pſal. 109. *ex vtero ante Luciferum genui te*. Exo. 3. *qui eſt, miſit me ad vos*. Apoc. 1. *qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*. hebr. 13 *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe, & in ſæcula*. Ioan. 1. *in principio erat Verbum*. itaq; quam eſſentialiter, & intrinſecè negat, eam circumplectitur extrinſecè, imò nequimus ita explicitè rationē indiuiſibilis menſuræ explicare, niſi recurramus ad diuiſibile tempus. vt Nazianzenus docuit orat. 35. inquiens, *etiam ſi id, quod ſupra tempus eſt, nempè æternitas, declarare cupientes, temporalem ſpeciem, ac ſignificationē fugere nequeamus, &c.* expreſſius autem Beda Ioann. 16. *quāuis natura illa immutabilis nō recipiat, fecit & erit, ſed tantum eſt; tamen propter mutabilitatem temporum, in quib. verſatur noſtra mortalitas, & noſtra mutabilitas, non mendaciter dicimus, fuit, eſt, & erit*. hæc ille. ergo præſens erit æternitas, per coexiſtentiam, toti variationi temporum. hoc quidem termino vtitur D. Thom. docens omnia coexiſtere æternitati, & ratione præſentialitatis dici ſuſcipere denominationem coexiſtendi: variat tamen Scotus, cùm negando præſentiam ſecundùm coexiſtentiam, admittat ſolummodo præſentiam obiectiualem. at de his modo non curandum, vterq; namq; modus ſaluat indiuiſibilitatem, & ſucceſſionem extrinſecam coexiſtentem.

In inſtanti æternitatis vtrum verificētur in creaturis cōtradictoria.

7 Dices, æternitas indiuiſibilis eſt, ergo de ea verificantur ſimul contradictoria. prob. conſequ. veræ ſunt hæ propoſitiones pro æternitate, ego ſcribo, & non ſcribo. ergo in inſtanti vnico æterno verificantur contradictiones. Reſpondet Bann. inſtans æternitatis eſſe altioris, & eminentioris ordinis, quam inſtans alterius menſuræ, vt temporis, & propterea poſſe in illa verificari contradictiones. Verum reſponſio continet vnum gratis conceſſum de inſtanti, immo quod repugnat bonæ philoſophiæ: & ſi namq; ſit inſtans perfectius quocunq; altero, quia eſt menſura Dei, nec eſt quid creatū, nec dependens, immo eadem cum ipſo Deo, nihilominus remanet etiam veriſſimum eam eſſe inſtans de ſe vnum, & eſſentialiter indiuiſibile: ratio autē docet contradictoria non poſſe eſſe vera pro vnico indiuiſibili inſtanti ſimul; ita vero ſe habet æternitas, igitur non concedendum in ſe abſolutè menſuram eſſe poſſe contradictionis.

Reſpondet Bann.

Reſpondetur aliter.

8 Reſpondemus ergo inſtās æternitatis cōſiderari vel intenſiuè, vel extenſiuè quatenus coexiſtit cuicunque temporis differentiæ: primo modo impoſſibile eſt de ea verificari contradictoria, ſicq; in tali inſtanti de ſe inſpecto repugnat dicere ſimul veram eſſe enunciationem, ſcribo, & non ſcribo, cùm vnicū, & indiuiſibile ſit: ſecundo autem, verificari concedendum con-

tra;

tradictiones: non autẽ erunt pro eod. indiuiſibili inſtanti, ſed pro ſucceſsione varia temporis. cui coexiſtit extẽſiuè æternitas.

Obſtatur. 9 Dices, deſtruat nunc Deus omne tempus, omnemq; menſuram aliã, & relinquatur ſola æternitas, atq; conſeruetur Mundus in ſuis operationib, in quibus nunc exercetur, vera enim ſimul eſſet pro æternitatis inſtãti propoſitio, ſcribo, & nõ ſcribo. *Reſp. 1.* Reſpond. primo ex Philoſopho, quod dato caſu, nulla eſſet ſcriptura, quia docuit Ariſt. quod ceſſante motu cœli, cum quo etiam ceſſaret tempus cœli primi mobilis, omnis ceſſaret motus in hiſce inferioribus, & ita nulla eſſet ſcriptura, & conſequenter ceſſaret contradictio. Verùm quia in hoc Ariſtoteles non tenetur, pugnat.n.eũ ratione, atq; Theologia, ideo *Reſp. 2.* reſpondendum ſecũdo: nec ſequi contradictionem, quia ceſſante tempore actuali, remaneret tempus potẽtiale, in quo propter ſucceſſiuitatem potentialem cõtradictoria non eſſent ſimul in eod. inſtanti; & in æternitate non eſt contradictio, ratione coexiſtentiæ potentialis ad tempus potentiale. *Reſp. 3.* Reſpondemus tertio, quòd deſtructa menſura extrinſeca tẽporis extrinſeci primi mobilis, remaneret duratio intrinſeca cuiuſcunque rei; & hæc cum in ſucceſſiuis ſit ſucceſſiua, & æternitas coexiſtat etiam tali durationi ſucceſſiuæ, meritò contradictoria vera erunt ſucceſſiuè, & nõ ſimul in inſtanti æternitatis, ſtante ſucceſſiuitate ex parte rei ſucceſſiuæ, non eſt ex parte æternitatis, niſi per coexiſtentiam ad talem ſucceſſiuitatem, optima quidem reſponſio; ſed quid de permanentibus dicendum? in eorum namq; intrinſeca duratione non reperitur ſucceſſiuitas, ergo in permanentib. deſtructo extrinſeco tempore vera erunt ſimul contradictoria. Reſpõderet D. Bonauen. ſi argumentum fieret de permanentia Angeli, quòd ſua duratio eſt ſucceſsiua; docet.n. Aeuum eſſe menſuram ſucceſſiuam, & ita contradictiones de Angelo non verificarentur ſimul, quia æternitas coexiſteret pluribus inſtantibus ipſius æui, & pro vno Angelus operaretur hoc v.g. & non pro alio. Reſponderent etiam Thomiſtæ recurrendo ad tempus diſcretum, in quo cùm collocent diuerſa inſtantia, negabunt contradictionem, quoniam ſimiliter æternitas coexiſtet diuerſis inſtantibus diſcretis. ſed quid dicerent de permanentibus corporalibus? hæc.n. aiunt menſurari tempore noſtro vt D.Th. art. 4. ad 3. & Caet. art. 5. q. 10. itaque remanent in eadem difficultate. Quid etiam dicerent Scotiſtæ de Angelo, de quo verificarentur contradictoria, ſimul in æternitate, vt intelligere, & non intelligere, deſtructo tempore, quod nec eſt menſura eorum, nec recurrere poſſunt ad Æuũ, quia non admittunt eſſe ſucceſſiuum, ſed vnum indiuiſibile, iuxta quod magis ad hoc propendet Scotus in 3. d. 2. quæſt. 1.

10 Ad omnia igitur hæc, vltra reſponſiones datas, addere poſſumus *Reſpondetur aliter.* aliam. ſ. quòd ablata omni menſura tẽporis, & Aeui, non ſimul verificarẽtur contradictoria in inſtanti æternitatis, quia inſtans infinitum eſt: in inſtanti autem noſtro, vel Aeui, implicat ſimul verificari, quia eſt inſtãs finitum, adeo vt contradictoria eſſe ſimul in inſtanti, idem ſit, ac eſſe ſimul, & coniunctim; in inſtãti autem æternitatis, omni alia ablata menſura, non eſſent ſimul contradictoria vera; ratio quia eſt inſtans illimitatum, & conſequenter ratione illimitationis non dicentur contradictoria fieri ſimul, ſed diſtinctim, ac ſeorſim: vnde quia eſt inſtans illimitatũ, poteſt coexiſtere omnibus partibus contradictionis. quæ tamen partes nõ ſimul erunt ea ratione, qua ſunt ſimul in æternitate, quia ſi inſtans æternitatis eſſet limitatum, tũc in eodem æternitatis inſtanti, & pro eodem inſtanti ſimul eſſent, quemadmodum ſi ſimul eſſent in inſtanti noſtri temporis, quod eſt limitatum: cùm ergo contradictoria comparantur ad æternitatis inſtãs, non ſimul ſunt, quia eſt inſtans illimitatum: exemplum de Anima vidente per oculum corporeum, de qua poſſet obijci quòd verificarentur ſimul contradictoria, quoniam eadem Anima videt, & non videt; videt per oculum apertum ad videndum, & non videt cùm clauditur: at Anima eſt indiuiſibilis, & vna, & eadem perſeuerans ad viden-

videndum,& non videndum, ergo cõtradictoria ſimul de Anima:reſpondetur non ſequi, quia ſe habet vt illimitatè ad vtrumq; nec ſufficit negare verificari contradictoria,quatenus Anima pro vno inſtanti videt, & non pro alio,quia vna, eademq; Anima perſeuerat eadem numero tùm in viſione, tùm in negatione viſionis, ergo contradictio ſimul penes eandem animã, quia ſe habet quodammodo illimitatè:iam ergo reſponſio remanet negari cõtradictionem ob ſui illimitationem penes illa duo:nam inſtans æternitatis quatenus eſt illimitatum, poteſt coexiſtere ambabus partib. contradictionis, nec erunt veræ ſimul: ergo reſtat, vt dempta omni menſura,tum temporis,tùm æui,remanente menſura indiuiſibili æternitatis, extrinſecè menſurantis cætera, non erit verum ſimul Angelum intelligere, & non intelligere; & Petrum ſcribere, & non ſcribere:ſed erunt vera ſimul in inſtanti æternitatis, prout æternitatis, quia illimitatę:& ſi inferas,ſunt ſimul vera in inſtanti æternitatis, ergo ſimul vera in eodem inſtanti; committitur fallacia à ſecundùm quid ad ſimpliciter: exemplum ſtipitis in flumine aptiſſimum eſt, circa quod verum eſt dicere præſens eſſe huic aquæ tranſeunti, & præſens ſuæ abſentię,cùm ſit iam decurſa; ſicq; idem ſtips erit aquæ præſensẽs, & non præſens; nec tamen mirũ, cùm illimitatè ſe habeat. ſic æternitatis inſtans præſens eſt omni exiſtentiæ,atq; decurſui rerum.

Aeternitas cũ tempore qn maior ſeipſa ſola.

11 Arguitur etiam,pars æternitatis, quæ erit tempore Antichriſti adhuc non eſt, & pars æternitatis, quæ fuit tempore Adæ nunc non eſt, ergo non tota ſimul. Item æternitas vna cũ tempore, quod ab initio creationis hucuſq; defluxit, maior eſt æternitate ſe ſola ſumpta, eademq; maior erit cũ toto tempore ad diem vſq; futuri iudicij, quàm ſit quæ hucuſque durauerit. Reſpond.ad primum ęternitatem non diuidi in partem, & partem, nec in prius, & poſterius, ideoq; nulla ſui pars præterijt, & nulla ſignata pars ęrit,quæ poſſit ſignari,ſed tùm ante tũ nunc, tùm poſt, ſemper dicendum ſic erit, nempe tota æternitas ſuit, tota eſt,totaq; erit,licet non totaliter,quoniam ſi tota ſuit, non tamen eo modo fuit, vt poſtea nõ ſit futura, ideoq; addendũ,tota fuit,ſed non totaliter,ſiuè tota eſt, ſed non totaliter, & ſic etiam de futuro,quòd ſi dicatur inde de ea, quod ſuerit,& non ſit,vel quòd erit ſecundùm partem, id referendum eſt ad partes noſtri tẽporis,vt dicatur, æternitas quatenus coextitit in ſenſu reduplicatiuo,tempori Adæ, nunc non eſt, & quatenus foret vt coexiſtat tempori Antichriſti, nunc non eſt; amiſit enim prima relationem illam coexiſtentiæ illi parti temporis, & hæc relationem talis coexiſtentiæ non acquiſiuit, ergo ſub his reſpectibus dicitur tranſijſſe, vel fore: in ſenſu autem ſpecificatiuo eadem,& vna ſemper eſt. Ad ſecundũ, æternitas maior eſt extenſiuè, non intenſiuè, quia coexiſtendo tempori ſũe aliqua duo; at in ſe nihil intenſiuæ virtutis recipit, aut entitatis, quomodo Deus cum creaturis eſt maior extenſiuè, vt diximus ſupra de perfectione Dei. vel eſt maior tempore æternitas abſolutè, quoniam eadem, & vna, & tota ſimul poteſt omni tempori præſens eſſe, & coexiſtere, quomodo rationalis anima eſt eatenus maior brachio,pede,& tibijs,cæteriſq; membris quatenus poteſt cum omnibus ſimul coexiſtere, & informare, & dare eſſe viuens.

QVÆSTIO III.

An æternitas addat aliquid poſitiuum ex natura rei, an pendens ab intellectu.

Sententia D. Thom. æternitatē conſiſtere in apprehē ſione vniformitatis.

1 Contēplabimur in præſenti artic. æternitatē quoad eius rationē formalem, & quæremus an addat ſupra Deū quid poſitiuum, quod à parte rei conſtituat eū æternum: & an illud additū ſit aliquid rationis per intellectum, an reale. Qua in re D. Thom. 1. p. q. 10. art. 1. docet, æternitatem conſiſtere in apprehenſione vniformitatis: Verum ſi ſenſus eſt, vt ſiſtat in apprehenſione fienda per intellectum, iam conſtabit nil poſitiuum addere reale, ſed ſolum rationis. Interpretes autem, ac Diſcipuli eius non ſunt concordes in exponendo: vnde Ferrarienſ. 1. contrag. c. 15. docet ad æternitatem pertinere, & aliquid reale, & aliquid rationis: primū erit, carere initio, & fine: & ſecundum, erit ratio menſurandi, quæ vtique in apprehenſione conſiſtit: & quidem in tempore, quod eſt menſura motus interuenit aliquod reale, quod eſt res exiſtens temporanea; & aduenit aliquid rationis, quod eſt numerus numerans, qui eſt idem numerans intellectus: hæc eadem videtur ſententia D. Tho. vtitur namq; hoc eodem exemplo temporis.

Ferrarienſis aliquid reale, aliquid rationis.

Bannes fūdamentaliter reale, completiuè rationis

2 Bannes autem art. 1. ait æternitatem fundamentaliter eſſe quid reale .ſ. menſuram realem, completiuè autē habere eſſe ab opere intellectus. & aduertit, quod aliud eſt dicere, æternitas, & aliud, menſura diuinæ durationis: ſicut aliud eſt dicere ſapientia, & aliud, attributum ſapientiæ: menſura namq; importat modum prædicandi in recto, æternitas verò in obliquo: ſicut id, quod dicit ſapiētia in obliquo, id importat formaliter, & in recto attributum ſapientiæ. concludit igitur immiſceri aliquid rationis in æternitate: conſequenter etiam loquens ad D. Thom. de apprehenſione vniformitatis.

Caetan. pēdere à ratione obiectiuè.

3 Caetan. ad loc. cit. D. Thomæ omnino negat pendere à ratione: & D. Thomam exponens, ait, apprehenſionem, quam admittit, intelligi obiectiuè, non formaliter; pro operatione rationis. conſiſtit namq; in apprehenſione, inquit D. Tho. in apprehenſione inquit Caetanus obiectiua. quapropter totaliter, ait, reperiri à parte rei; independenter à ratione. Ex recenſioribus, Vaſq. 1. p. diſp. 31. c. 6. ait completiuè conſiſtere in aliquo rationis, ſaltim negatiuo, vt ſicut tempori, & menſuræ competit eſſe numerum, numerus autem pendet à ratione; & in æternitate non ſit talis numerus prioris, & poſterioris, ideo pēdet ex ratiōne, ſeu intellectu, negante id reperiri.

Statuitur æternitatē eſſe quid reale omni ſecluſo opere intellectus.

4 Ex his omnibus recenſitis nulla apparet verior, quam quę cenſet æternitatem, nullatenus ratione compleri, ſed de ſe, talem eſſe à parte rei, omni ſecluſo opere intellectus. itaq; aſſerimus æternitatem à parte rei conſtare, nec depēdere ab intellectu. probatur, nullo intellectu cogitante, Deus eſt ęternus, ergo non pendet complementum eius ab intellectu. antecedens eſt notum. ante. n. productionem Angelorum, hominum, & Intelligentiarum, æternus erat Deus, vt nunc; ergo eius

æter-

æternitas non eſt à ratione. Hinc ceſ-
Aduerſus Bannes. ſat aſſertum Bannes, exiſtimantis cō-
plementum pendere à ratione. ſine.n. noſtra cōſideratione eſt cōpletè æternus Deus. Inſuper quæro propter quid deſideratur tale complementum, aut ad complendam æternitatem in Deo, aut ad habendam nos completā intelligentiam æternitatis. non primū, quia diximus eſſe completè æternum independenter ab intellectu. ſi des ſecundum, hoc quidem erit accidens, & extraneum æternitati, & conſequenter non ſpectabit eſſentialiter ad complementum eius. quod namq; creatus intellectus, ſiuè etiam increatus, æternitatem intelligat, extraneū eſt illi quia non dat eſſe illi, ergo completio pendens ab intellectu eſt illi extranea. quod ſi dixeris tale complementum deſiderari propter nos, vt completiorem habeamus notitiam de æternitate, hoc quidem currit, at non ſequitur, vt inde inferatur ad æternitatem ſimpliciter, aut quod eius eſſentiale complementum pendeat à ratione. hoc namq; nil confert ad æternitatem, ſed extraneum eſt omnino, nullum dans eſſe, ſeu complementum; niſi accidentale.

Pendere à ratione ſpectat per accidens ad æternitatē.

5 Eodē diſcurſu impugnatur Fer-
Aduerſus Vaſquez. rarienſis, & additur alter, quod ſupponit ipſe æternitatem habere rationem veræ menſuræ. in menſura autem reperitur numerus numerans, qui eſt intellectus. quæ eſt etiam aſſertio Vaſquez, at id negandum, conſtabit namq; infra non eſſe verè menſuram, nec verè conſequenter indigere numero numerante ſecundum prius, & poſterius, ſeu ſecundum negationem prioris, & poſterioris, ergo non pendebit à ratione, nedum ſub ratione menſuræ cū Bannes, ſed neq; ſub ratione negationis talis entis rationis, quod eſt numerus, ſeu negatio numeri. item negatio hæc eſt verè à parte rei, ergo non à ratione. prob. anteced. à parte rei in Deo non reperitur prius, & poſterius, ergo negatio hæc non eſt à intellectu. item à parte rei negatio ſucceſſionis, vel poſterioris, & prioris verè eſt in æternitate, omni.n. intellectu ſemoto, ipſa non habet prius, & poſterius, ergo eius negatio non eſt à ratione, vt Vaſqu. Qui exiſtimabat ſaluum fieri, dum complementum rationis non ſtatuit ſub conditione menſuræ, vt Ferrar. ſed ſub negatione menſuræ. at cōſtat talem negationem non pendere eſſentialiter à ratione, ſed eſſe à parte rei nulla cogitante ratione. ergo nullo modo complementum dat ratio.

6 Secundò aſſerimus æternitatem ſumptā pro duratione intrinſeca Dei, eſſe completiuè à parte rei, nullo cogitante intellectu. ſumptam vero ſub ratione mēſuræ eſſe ab intellectu. prima pars reſtat probata. & ſuadetur ſecunda, quia menſura vt menſura, eſt numerus, quo numeramus, & metimur: numeratio autem fit per intellectum. probatur aſſumptum ex 4. phyſ. *tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius*; ergo, vt ſic, pendet à ratione. non eſt autem talis numerus in æternitate. item æternitatem coexiſtere huic, & alteri parti temporis, vel tanto, & tanto tempori pendet ab intellectu quoad certificationem, & numerationem actiuam, ergo pendet à ratione. Dixi quoad numerationem actiuam, quia quoad paſſiuam reperitur à parte rei. Dixi quoad certificationem, quia in hoc præcipuè pendet à ratione; etenim iam conſtat à parte rei rem numeratam, ſeu numerum materialiter ſumptum, eſſe præter opus intellectus, ſicq; tempus à parte rei habere rationem realem menſuræ materialiter contemplatæ, verè enim tempus ſic abſque vllo intellectu eſt duratio motus, & menſura eius, ſaltem aptitudinalis: & à parte rei æternitas eſt menſura, & duratio realis, abſq; intellectu vllo cogitante, & vt ſic nulla mēſura pendet à ratione: at formaliter ſumpta menſura, & ſecundo intentionaliter, prout amplexatur rationem certificandi intellectum de re ignota per quid notius, hoc eſt enim menſurare, pendebit vtiq; ſic à ratione: itaq; menſura ſecundùm prius, & poſterius, non eſt eſſentialiter pendens à ratione; quoniam prius, & poſterius reperitur in motu abſq; intellectu, à natura namq; habet vnitas, vt præcedat dualitatem, & hæc trinitatem, & ſimilia: & natura eſt, quæ cordi prius tribuit vitam, quàm membris cæteris, quod

Aeternitas ſub ratione menſura pendet ab intellectu in ratione certificationis, & numerationis actiua, non paſſiua.

non pendet ab intellectu; magiſq; patet vbi interuenit prioritas, & poſterioritas veri temporis: ſola namque prioritas rationis eſt à ratione: igitur nec æternitati competit à ratione pẽdere ſub ratione menſuræ ſimpliciter ſecundùm prius, & poſtea, nec prout negationem connotat in æternitate prioris, & poſterioris vt Vaſq. cui etiã adnectitur Molina q. 10. diſp. 3. aſſerẽs pendere à ratione in ratione menſurantis. ſecundùm prius, & poſterius: ſed à ratione pendet menſura ſub ratione certificationis: certificare namque eſt eſſentiale menſuræ, quia menſurare eſt rem ignotam per notam demonſtrare: hoc verò fieri nequit abſq; ratione, & diſcurſu; ſicq; ex iſta ratiocinatione in æternitate reperitur aliquid rationis.

Confirmatur idem. 7 Confirmatur, quia in menſuratione certificationis oportet vti quandoque reduplicatione menſuræ, vt ſi per vlnam, & palmum menſuremus quantitatem maiorem, oportet namq; reduplicare menſuram: at ad fiendum hoc requiritur aduertentia, & applicatio intellectus. item ſicut ſe habet principium ad concluſionem, ita menſura notificationis ad menſuratum; at ex principio non poſſumus deducere conſequutiones, niſi notificetur, & cognoſcatur, eſt autem principium quatenus cognitum, menſura concluſionis; ſic etiam vt noſcamus quale, ac quantum ſit menſurabile, in hoc quidẽ menſura opus requirit intellectus; & demonſtrat hoc ipſamet ethimologia menſuræ, ſeù deſcriptio, cuius natura conſiſtit in notificatione. itaque non ſub ratione menſuræ ſimpliciter, nec ſub ordiue negationis prioris, & poſterioris pendebit ab intellectu, ſed in ratione menſuræ certificatiuæ intellectus, quatenus certificatiuæ, & in ratione numerationis actiuæ non ſimpliciter, ſed in ordine ad eandem certificationem pendebit ab Anima: non quidem in ratione numerationis actiuæ ſimpliciter, quia numeratio vtraq; paſſiua, & actiua ſimpliciter non neceſſario pẽdet ab intellectu, quia nullo intellectu contemplante tempus, & hora, & minuta numerant, & metiuntur motum, vt patet: ſed numeratio ſumitur in ordine ad certificationem, & vt ſic, numeratio pendet à ratione, & hoc modo loquebatur Ariſt. de tẽpore, ſeù quauis menſura, quod *ſit numerus*: ſicq; etiam loquuntur Philoſophantes cùm aiunt numerum ſpectare ad intellectum, cùm ſit numerus numerans; hoc, inquam, in ordine ad certificandum intellectum. Dices, igitur ſufficiet dixiſſe æternitatem in ordine ad numerum paſſiuè, non pendere à ratione, & in ordine ad numerationẽ actiuam pendere ab intellectu, ſeù in negatione potius paſſiui, & actiui, illius à parte rei, huius ab intellectu. Reſp. verum eſt, reddendo ſingula ſingulis, vt diximus.

8 Tertiò aſſerimus interuenire aliquid pendens ab Anima, & intellectu, vltra hæc, quæ diximus: illud autẽ erit relatio rationis duplex in æternitate in ordine ad creaturas, quibus coexiſtit, declaratur: iam conſtat ex ſuperioribus æternitatem coexiſtere cæteris menſuris, ac rebus ipſis creatis: vt ſic ergo concepta dicet relationem rationis ad menſuras cæteras, tẽporis, & Aeui; ſiue cæterarum creaturarum; & ea duplex, actualis quidem propter actualem coexiſtentiam ad illas: & aptitudinalem, quæ fuit ab æterno ante mundum, vt potuerit mundo coexiſtere, & rationis dicere relationem: quæ tũc aptitudinalis erat ſolum; nunc verò actualis. inſuper æternitas præſens ad præſens tempus, cæteraq; creata dicit actualem relationem, ad futuras verò creaturas aptitudinalem. hæc itidem relatio eſt rationis ſolius, vt conſtat; etenim menſuræ ad menſuratum eſt ſola relatio rationis in omnibus; ideoque inter menſuratum, & menſuram non eſt relatio mutua realis, cum ex parte ſolius menſurati ſit realis, ex parte menſuræ, rationis; quapropter relatio, quam dicit, extrinſeca erit; nec tamen per hanc relationem completur ratio æternitatis, cùm ſit prorſus extrinſeca ad illam, & aduentitia. *Aeternitas relationem rationis di cit coexiſtentia ad creaturas.*

9 Contra ſecundum aſſertum arguitur: æternitas nobis deſeruire nequit ad certitudinem habendam de creaturis, ergo vt ſic nõ concludit ordinem ad intellectũ. prob. antec. quia men- *Obſtatur.* *Reſpondetur.*

Menſuram non eſt neceſſe notiorē eſſe cuicunq; intellectui.

menſura debet eſſe notior menſurato, at æternitas eſt minus nota creaturis: immo creaturæ vtpote nobis propinquiores, notiores ſunt, quàm æternitas. ſed reſpondetur ſufficere ad menſuram, vt ſecundùm ſe notior eſſe poſſit intellectui valenti habere cognitionem de ea, non eſt autem opus vt cuicunque intellectui nota ſit: qui ergo intellectus adeo excellens eſt, vt de ea poſſit cognitionem habere, ad talē dicit relationem certificationis, & notionis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum æternitas addat aliquid poſitiuum, an conſiſtat in ſola negatione.

Sententia quid poſitiuum.

1 SVpra egimus de addito ad æternitatē ex parte intellectus, modo agēdum de addito à parte rei, & quærimus an de ſui formali ratione importet, & addat ſupra Deum aliquam entitatem abſolutam, veram, & poſitiuam realem, an verò conſiſtat in ſola negatione. Qua in re eſt aliquorum ſententia addere aliquid affirmatiuum, & poſitiuum, quo conſtituatur Deus: in hanc inferri poſſunt citati præced. artic. quatenus docent ſolum complementum eius pendere à ratione. Conſentiunt etiam omnes illi, qui exiſtimant æternitatem habere rationem veræ menſuræ erga Deum: quapropter aiunt conſiſtere in aliquo poſitiuo. & denique ex Recentioribus Molina diſp. 4. idipſum expreſsè fatetur, addere aliquid verè poſitiuè, quo conſtituatur. & probat, quia ſapientia Dei eſt infinita nedum intenſiuè, ſed extenſiuè, quatenus infinita entia poteſt cognoſcere: at talis extenſio non eſt quid negatiuum, ſed poſitiuum, ergo æternitas, qua Deus infinita duratione exiſtit, erit quid poſitiuum: & concludit habere talem æternitatem coexiſtentiam ad infinita tempora ante negationes adiunctas ipſi æternitati: ſicq; independenter, ſeù antecedenter eſſe quid poſitiuum, quo Deus durat æternè.

Molina probat.

Comprobatur ex alijs.

2 Poteſt etiam rationibus alijs à nobis confirmari ſententia hæc. æternitas eſt perfectio ſimpliciter, ergo eſt quid poſitiuū. patet anteced. & prob. conſequ. quia nulla pura negatio eſt perfectio ſimpliciter. itē diximus ſimplicitatem, & vnitatem addere enti poſitiuam perfectionem, & non conſiſtere in negatione pura: & eo magis eſſe quid poſitiuum, quo magis attribuebatur Deo: ergo pariformiter æternitas. inſuper de infinitate id conceditur, & multo amplius concedi oportet de æternitate; quoniam magis infinitas videtur in negatione conſtitui; quàm æternitas; etenim infinitatis nomen negatione componitur, vt patet: at hæc nihilominus dicit entitatem poſitiuam, vt etiā in ſua materia oſtendimus, ergo multo magis æternitas. Adde, quòd ſicut infinitas completur ex vtroq; tùm poſitiuo, tùm etiam negatiuo, & hoc æquè benè, ita quoque æquè benè complebitur æternitas addendo vtrumq; & poſitiuum, atq; negatiuum.

3 Placet nihilominus oppoſita ſententia, nihil poſitiuum addere, ſed conſiſtere in negatione *formaliter*: De *eo annotato* quidem, ſiue de *materiali* dicit

dicit ens poſitiuum, & reale, qualis eſt Deus, at de formali conſiſtit in negatione. probatur ex definitionibus ſupra traditis, & præcipuè ex definitione Richardi de S. Vict. qui, vt vidimus, aiebat *æternum eſſe conſiſtere in carere initio, fine, atq; mutabilitate*: vbi nil poſitiuum addit putatq; per ſolas negationes expleri, inceptionis, & finis. patet amplius ex definitione Boetij, qui ſtatuens abſolutum, & poſitiuum pro connotato, reliquum in negatione collocauit, ait namq; *interminabilis vitæ*, &c. per *vitam* verò concipit materiale, ſeu ſubiectum æternitatis, per interminabilem autem cõtemplatur rationem eius formalem.

Pro materiali, & cõnotato dicit quid poſitiuũ pro formali negatiuum.

4 Hinc triplicem negationem in ea ſtatuimus: prima eſt inceptionis, altera ſucceſſionis, & tertia deſitionis; quòd ſi æquè benè ſaluatur per hæc, quid opus eſt poſitiuam vlteriorem rationem admittere? non. n. multiplicanda ſunt entia abſq; neceſſitate, nõ apparet autem neceſſaria talis additio probatur, pro poſitiuo, cui inhæreat negatio, ſufficiat admittere ipſum connotatũ poſitiuum, quod eſt vita, ergo. item, & eſt argumentum ad hominem, concedunt aduerſarij ſimplicitatem diuinã nil addere, ſed in ſola negatione ſiſtere compoſitionis, & hoc per ipſos ſufficientiſſimum eſt ad aſtruendam perfectionem ſimpliciter ipſius Dei, ergo ſufficiet quoq; ipſis æternitatem ſtatuere per negationem. idem aſſerũt de vnitate, in ſola negatione conſiſtente; at non apparet maior ratio de his, quam de æternitate.

In æternitate triplex negatur.

5 Hinc etiam infertur, quod Angelus, ſi cras annihilaretur, & duraret, ſolummodo per hodie, vtiquè eundem durationis modum (intenſiuè, licet nõ extenſiuè) deperderet, quem haberet, ſi in perpetuum foret conſeruandus; cùm namq; nil addat perpetuitas, niſi negationem deficiendi, (quod conſiſtit, in negatione) Angelus quidem de proximo annihilabilis hãc ſolum perdet negationem perpetuo eſſendi: & ſi confirmaretur in eſſe ſuo, nil vltra acquireret, præterquam negationem deficiendi. Confirmatur ex noſtra duratione, quæ pro præſenti eſt non deficientia ab eſſe.

6 Addit Caetan. & D. Tho. conſiſtere in vniformitate: vniformitas autẽ nil aliud eſt, quam carentia varietatis, & diuerſitatis. & Scotus q. 6. quolib. ait nil addere ex natura poſitiuum, præterquam negationem: & ſubdit æternitatem vltra infinitatem intenſiuam nil addere, quaſi expectetur infinitas duratiua: ex quo infert, quod ſi Deus per impoſſibile raptim tranſiret, adhuc eſſentia ſua eſſet infinita, haberetq; infinitatẽ pro intrinſeco modo, attamen non haberet æternitatem infinitam, ſeu infinitam durationem extenſiuam. verum eſt tamen Scotum eſſe problematicum, at verius eſt etiã quod magis inclinat ad opinionem noſtram; ſuſtinendo nil addere poſitiuum, vnde argumentum ex D. Dion. deductum ſoluit ex c. 5. de diuin. nom.

D. Th. ait conſiſtere in vniformitate.

Quid de mẽte Scoti

7 Quæ autem ſit proxima ratio æternæ durationis, dici poteſt eſſe infinitam perfectionem, quaſi extenſiuã, qua redditur potens Deus ad infinito tempori coexiſtendum: Verum iſta quaſi extenſio infinitæ perfectionis nõ congruè explicat; cùm nulla extenſio, nec quaſi extenſio competat infinito intenſiuè, cùm ſit indiuiſibile: vt plurimum autem explicabit à poſteriori: igitur aptius dicetur prouenire ab infinita perfectione intenſiua, quæ taliter aptat ipſum infinitum, vt det ei ſtabilitatem, propter quod non deficiat, conferat illi eſſe à ſe, independenter, ratione cuius non incipiat, & tribuat deniq; omnem rationem, & conditionem perfectiſſimè eſſendi, & habendi, cuius gratia non mutetur, nec moueatur: ſicq; intenſiua infinitas dabit hæc omnia: ad iſta verò ſubſequitur ſempiternè durare, & ita æternum eſſe, quod namq; eſt, & non habuit ortum, nec variatur, nec deſinet, æternè durat.

Proxima ratio æternæ durationis quænam.

8 Inſuper non ceſſat æternitas eſſe quid verum, perfectum, & reale, ex hoc quod ſecundò intentionaliter cõſiſtit in negatione: ſiquidem quatenus circumloquitur virtutem infinitã proximè dictam, eſt quid perfectum ſimpliciter: & quatenus tribuitur verè Deo eſt ens realiter prædicatum de eo: atque quatenus materialiter tenta, eſt idem cum Deo, eſt verum ens, licet diſtincta modaliter, ratione inſuper,

Eſt verè ens à parte rei, ſiue ſpectando eius poſitiuum, ſiue negatiuũ.

qua

qua eſt ens,connotat Deum exiſtentē, & ratione qua eſt quid negatiuum, denotat negationes:item verè à parte rei prædicatur de Deo, ergo verè eſt; nullo.n.intellectu cogitante,Deus caret initio, & fine; ergò ratione infinitatis intenſiuę dicit perfectionem ſimpliciter connotatiuè; & ratione, qua verè prædicatur à parte rei, verè eſt modus intrinſecus. Præterea eſſe à ſe competit Deo: quod tamen pro formali, negatio eſt, & nihilominus verè de ipſo dicitur, & connotat verū ens, itaq; vere eſt negatio à parte rei,eſſendi ab alio.ita quoq, ſimplicitas,& vnitas verè prædicantur, & verè ſunt,quę tamen penes alios ſunt puræ negationes.

Aeternitas an modus intrinſecus de mente Scotiſtarū, & quid de mente Scoti.

9 Sed quid dicerēt Scotiſtæ, dum Scotus negat eam eſſe modum intrinſecum: docent autem Scotiſtæ cōmuniter æternitatem eſſe modum intrinſecum, præcipuè Formaliſtæ Sirect. Tromb. Vallon. attamen q.6.quol.eorum Doctor id negat. Dicerent autem id aſſerere, quia vtramque partem ſuſtinet; ſed contra, quia Scotiſtæ non ſunt problematici circa hoc, ſed ſinguli abſolutè defendunt eſſe modum: immo de mente Scoti docēt eſſe modum,aſſeruntq; Scotum diſertè, & abſolutè docere eſſe modum, nullus tamen ex Antiquioribus recenſitis ait Scotum fuiſſe problematicum. item vrgetur contra eoſdem ex eod. Scoto in 2.d.2.q.2.poſt arg.princ.vbi ait eſſe quaſi paſſionem ipſam durationem. Reſpondendum verò apertè mentem Scoti eſſe, ſtatuere eam eſſe modum intrinſecum: at vtrum ſit modus poſitiuus,an negatiuus,hanc controuerſiā mouet in quodlibetis, & de hoc eſt problematicus, inclinat tamen magis ad hoc,ꝙ ſit modus intrinſecus negatiuus:de mēte ergo Scoti certum eſt, quod ſit modus intrinſecus;at dubitat ſolummodo vtrum ſit poſitiuum, an negatiuum: & ita ceſſat inſtantia contra Formalitas. ad illud autem ſecundi,dicendum ideo vocare durationem quaſi paſſionem,quia oſtendere intendit durationem non diſtingui realiter ab exiſtentia durante: apud ipſum autem in 2.d.16.paſſiones identificantur realiter cum ſubiecto,ideoq; vt oſtenderet identitatem realem, vocat quaſi paſſionem. item non abſolutè appellat eam, paſſionem, ſed quaſi paſſionem, ideſt impropriè paſſionem, modi autē intrinſeci, extendendo nomen paſſionis, poſſunt vocari ſic quaſi paſſiones. hæc de Scotiſtis.

10 Sed redeamus ad noſtra,adduci ſolet D.Dion. c.5. de diuin nomin. contra ſententiam ſtatutam, vbi ait de Deo, *Deus non eſt quodammodo exiſtēs, ſed ſimpliciter,& incircūſcriptiuè totum eſſe accipit in ſeipſo,& praaccipit;propter quod dicitur Rex ſæculorum: & ipſe eſt eſſe exiſtentibus,exiſtens ante ſęcula, ipſe enim eſt Aeuum Aeuorum, qui eſt ante ſæcula.* per Aeuum autem Æuorū intelligit æternitatem. At mens eius eſt docere ipſum habere eſſe independenter, imparticipatè, incircumſcriptiuè, & nulla vera menſura (alia ab æternitate) menſurari, ac nunquam incæpiſſe habere eſſe, & nunquam fore defecturum,quæ omnia, & ſimilia non militant contra aſſertum: quod tamen per Aeuum Aeuorum intelligere dicatur æternitatem Dei, concedimus, quod verò eam de ſe formaliter ſtatuerit eſſe ſolum quid poſituum, id negāmus, non .n. hæc fuit eius mens: nec Aeuum ſic ſtatuit, ſicut ſtatuebat Auguſtinus diuina attributa ſolūmodo in eſſe poſitiuo, vt magnum, bonū, ſapientem &c. ſed alio ſtatuiſſe credendum modo, qui magis conſonans eſt, & aptior æternitati, vt in negatione circumſcribendi paſſiuè,menſurandi,deficiendi,& ſimilium,reddendo ſingula ſingulis. *Obſtatur. Occurritur ex Dionyſ.*

11 Hinc argumentum à paritate ſapientiæ deductum facilè ſoluitur,negando paritatem, ſapientia namq; eſt attributum poſitiuum,æternitas negatiuum. immo retunditur contra Auctorem exiſtimantem vnitatem dicere puram negationem: à ſimili enim deberet aſſerere dicere poſitiuum, dum attribuit æternitati poſitiuum. Ad illud de perfectione ſimpliciter iam diximus æternitatem connotare perfectionem ſimpliciter, quia connotat infinitatem intenſiuam. Ad illud de negatione non eſſe perfectionem ſimpliciter, iam diximus in materia de ſimplicitate Dei, negationem abſtrahere *Argumēta oppoſita ſoluuntur. Ad illud de ſapientia. Ad illud de perfectione ſimpliciter.*

here à perfectione, & imperfectione de ſe; connotatiuè autem dicere imperfectionem, vel perfectionem ratione ſubiecti, de quo prædicatur, & ratione prædicati quod negat: hic autem negat maximam imperfectionem deficiendi, mutandi, & dependendi. Ad id de ſimplicitate iam nuſquam docuimus addere quid poſitiuum, ſed ſolum diximus connotare poſitiuum, quod erat ſumma, & pura actualitas, cui hæret, ſeu de qua dicitur: & quamuis id ſuſtineretur, facilè ſoluitur, ſicut etiam illud de vnitate, quòd vnitas cùm ſit paſſio realis entis realis, debet eſſe quid reale poſitiuum à parte rei, vt in materia de Dei vnitate mõſtrauimus: ita etiam de ſimplicitate poſſet dici ab eo, qui eã ſuſtineret (cũ ſit realis Dei perfectio) erit formaliter quid reale: at duratio de ſe non poteſt eſſe reale formaliter, ſed ſolũ materialiter; reale inquam, quod ſit entitas affirmatiua, ſeu poſitiua: nam durare eſt non deficere formaliter, ergo in hoc ſtat ſua ratio; ita æternum eſſe pro formali eſt non eſſe defecturum. Ad id de infinito dicimus pro formali negationem importare imperfectionis, & finitatis, & nil vltra addere; ſed ſolùm connotare perfectionem intenſam in ſummo gradu, ſicq; habetur materialiter ratio infiniti ex cumulo perfectionum omnium eminentiſſimè, vt diximus ſupra de infinitate Dei; at formaliter de ſe nullam docuimus addere entitatem; ita neque quidquam poſitiuum addet æternitas, ſed connotabitur ſolummodo ſubiectum æternum.

Ad illud de ſimplicitate, & vnitate.

Ad illud de infinito.

Obſtabit etiam. duratio eſt affectio realis rei exiſtentis, ergo addit aliquid poſitiuum. Dicendum, durationẽ eſſe affectionem realiter negatiuam, quia eſt verè perſeuerantia in eſſe, at hæc perſeuerantia connotatiuè dicit exiſtentiam poſitiuam, & formaliter dicit negationem deficiendi. Dices, duratio eſt modus intrinſecus, ergo poſitiuus. concedo antecedens, ſed erit modus intrinſecus negatiuus; ideoq; concedendo antecedens, quod ſit modus, negatur tamen conſequens, quod ſit poſitiuus, cùm ſit modus intrinſecus negatiuus. Dices, exiſtentia dicit eſſe extra cauſas ſuas, & duratio dicit perſeuerantiam in alio inſtanti ſuccedenti ad eſſe, quia nihil durat per inſtans. Reſp. etiam in primo inſtanti eſt duratio, licet cõmuniter loquendo ſit in ſequenti, & vltra. quidquid tamẽ ſit talis, tũc duratio pro materiali erit poſitiua, & pro formali negatiua.

Duratio eſt modus intrinſecus, pro formali negatiuus.

Duratio conuenit rei etiam in primo inſtanti, at proprius in ſequentib inſtantibus.

DIS-

DISPVTATIO XIII.

De immutabiltate Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deus ſit immutabilis.

ARTIC. I.

Quid ſenſerit Ariſtoteles de immutabilitate Dei.

Probatio Ariſtotelis Deum eſſe immutabilem.

1 DE æternitate tranſeuntes ad immutabilitatem videamus primo, qua ratione Ariſtotel. probauerit Deum eſſe immutabilem: & vtrum ex Phyſicis deducta argumēta efficacia ſint ad id oſtēdendum. Primo igitur Ariſt. 1. phyſ. oſtendit eius immutabilitatem hoc medio phyſico: quod mouetur, ab alio mouetur, cœlū mouetur, ergo ab alio: quæro de illo, aut mouetur, igitur ab alio mouetur, & de iſto inſuper quæro aut mouetur, ergo ab alio mouetur; verum quia daremus proceſſum in infinitum in mouentibus, igitur deueniendum eſt ad vnum primum cætera mouens, tamen ab alio immotum, hoc autē eſt Deus, ergo immutabilis Deus. hæc eſt prima Ariſt. ratio, ex medio phyſico deſumpta.

Vtrū eius probatio conuincat.

2 Videamus autem vtrum cōuincat, & ſit efficax. & in primis dicendū non conuincere: demonſtratur, quoniā poterit dari primum ens, quod tamen ſit in cōtinuo motu, quem tamen motum à nullo alio recipiat; ergo ſua ratio non conuincit; probatur aſſumptū, quia ad hoc vt quidquam moueatur, non requiritur vt moueatur à ſuppoſito à ſe diſtincto, patet in viuentib. corporeis, in quibus anima eſt motrix: patet in Angelis, qui à virtute vitali mouentur intrinſeca: ergo ſi idem mouet ſeipſum, rationi iam deſumptæ ex phyſico medio reſpondebitur, ſufficere vt quod mouetur, moueatur à propria virtute, ſicq; primus motor non eſſet immobilis, & dato vno primo mouente, non negaretur ex ratione, & inſtantia adducta eſſe mutabilem, ſed concederetur moueri.

3 Argueret cōtra hoc Ariſt. quod primus motor primi cæli mouendo cælum moueat ſeipſum, hoc erit per accidens: at repugnat etiam ſic moueri: ergo non moueretur: probatur antec. quoniam ſiſtendo in cælo, quod mouet, ad motum cæli mouet etiam ſeipſum, & conſequenter ſeipſum moueret per accidēs: probatur min. quia virtus infinito, & æterno motu mouens, tandem defatigatur, ergo deſatigaretur Deus ab æterno mouendo, ſicque deſiſteret, & deficeret à motu. *Obſtatur.*

4 Sed ratio iſta eſt inefficacior prima; etenim, linquo id quod dicit de motu per accidens, quoniam controuerſia eſt inter Theologos an virtus ſpiritualis exiſtens in corpore dicatur moueri ſaltim per accidens ad motū eius: quod tractari ſolet in materia de *Occurritur*

Angelis, vtrum Angelus ad motum aſſumpti corporis moueatur per accidens, dato quod corpus moueatur ab alio, quam ab Angelo: & in materia de Euchariſtia, an Chriſtus Dominus moueatur per accidens, vel à Sacerdote, vel à ſeipſo, vel à Deo ad motum hoſtiæ, alij namq; id abſolutè concedunt, & negant alij; quoniam ad hunc motũ exquiritur vt mobile ſit ibi vel tanquã forma, vel tanquam pars, quomodo nõ ſe habet Angelus, neq; Chriſtus, linquimus hæc pro ſuo loco: & dicimus ad illud de fatigatione id procedere de virtute corporea, non ſpirituali, illa namq; alteratur eſſentialiter, deficit in virtute, diſſipantur vitales ſpiritus, effluit ſanguis, euaneſcit vigor, ac tãdem viribus deſtituta cedit: quæ diſpiritib. dici nequeunt, vtpotè infatigabilib. tãto magis, quanto ex eodem Ariſt. ab æterno motus fuit Orbis, æternuſq; extitit cælorum motus, at hic prouenit ab Intelligentia motrice, quarum tamen hucuſq; nulla defatigata fuit, nec conuincitur aliquam deceſſiſſe vſq; nunc à motu propter defatigationem: ſtatuere etiam philoſophi animatos cælos, & nihilominus vel hinc admitterent cælorum animas corruptibiles, vel ratio non valet, quia hucuſque nuſquam quaſi defatigatæ ceſſauerunt à motu.

Alia Ariſtoletis probatio.

5 Aliud mediũ deſumitur ex eod. 12. met. c. 7. vbi docet Deum mouere propter ſe, ex quo cõcludit eſſe prorſus immobilem; arguitur autem: aut Deus mouet propter ſe, aut propter aliud: ſi propter aliud, quæro de eo, aut propter aliud mouet, aut propter ſe: ſi primum, dabimus proceſſum infinitũ, vt prius: ergo mouebit propter ſe: quod ſi ita eſt, igitur à nullo alio mouebitur, & erit conſequenter immutabilis. Sed nec ratio iſta concludit: & ſi .n à propter alium moueretur, poſſet tamen moueri propter ſeipſum: quod euenire poterit tùm obiectiuè, tùm efficienter, quod eſt moueri tum metaphoricè tanquam ab obiecto, tùm effectiuè per facultatem mouendi, ſeu voluntatem, ſeu quodcunq; aliud ſit: obiectiuè quidem, quoniam ipſe moueret ſe propter ſemetipſum, tanquam finem amatum, ac deſideratum: efficienter etiã, ratione principij motiui exiſtentis in ſeipſo: poterit vero vtrumq; accidere vel eundo ex vna cæli parte ad aliam, ſi non eſſet immenſus, qui etiam motus eſſet ſibi neceſſarius, vt terminum acquireret, quo careret; vel ad libitum ſpatiando per cæli cardines: & vtrumq, referretur ad ſuũ commodum, ſuumq; oblectamentum.

Vtrũ conuincat.

Probat aliter Ariſt.

6 Aliud deſumitur ex 8. phyſ. c. 1. vbi oſtendens æternitatem motus ſic arguit: ſi primum mouens aliquando non mouebat, ergo ab aliquo impediebatur: ergo ab æterno mouit, ſemperq; mouit, ne à quopiam impediretur: impediri autem ab actione, quam intendit agẽs, eſt mutari: Item ex eod. ab æterno mouit, alias de non mouente fit mouens, ergo quia æternaliter mouit, ideò immutabilis extitit: Inſuper à parte poſt, nuſquam à motu ceſſabit, nec. n. cælorum motus deficiet, nec ſublunaria ceſſabunt à generatione, & corruptione, totiuſq; machina Orbis perpetuo in futurũ cietur motu, igitur immutabilis, alias ceſſando mutaretur. Sed nec quidquam iſtorum obeſt. ſi namq; ab æterno non mouiſſet, vt de facto fides docet, id nec ex impediente proueniſſet, cùm nil valeat diuinæ, infinitæq; reſiſtere omnipotẽtiæ; nec etiam diceretur mutari, cùm nullam entitatem realem nouam, aut perfectionem acquirat ex nouo motu, nullamq; ex ceſſatione motus deperdat, vt in ſequ. artic. & ſi ab æterno non mouit, voluntate ſua liberè, & ſapientiſſimè ſic decretante non mouit, & ſi in tempore mouit, & in fine deſiſtet à motu, influxuq; ſuper cæleſti in ſublunaria, id nulla mutatione ſui adueniet, cùm nihil ipſe deperdat: quapropter nec hæc ratio cogit. Ruit quoq; fundamẽtum alterum eiuſdem, deſumptum ex neceſſitate primi motoris in operando; quia namq; docuit neceſſariò operari ad extra, ideo (diceret) nulla mutabilitas, nuſquam. n. ceſſabit à motu, & ſemper æternaliter mouit: at hæc inania ſunt, & probari nequeunt, agit namq; liberè, & pro libito cæpit mouere initio temporis, & deſinet mouere in fine mundi.

Vtrum cõcludat.

Probatio altera.

7 Rurſus ibid. c. 3. oſtendit ſubſtãtias æternas eſſe immobiles, quia ſunt

abſq;

abſq; materia:igitur cùm Deus materia careat poterit hinc naturaliter aſtrui immutabilitas : loquitur autem de mobilitate ſubſtantiali,quæ ſit trãſmutabilitas eſſentialias, cuius origo eſt materia: de mobilitate namque locali non faceſſit negotium, cùm conſtet de Intelligentijs, cęliſq; quæ omnia admiſit eſſe ſempiterna, & nihilominus ſic mobilia: vtrumque verò excludit à primo mouente, vtpotè carẽte materia, & carente conſequenter omni mobilitate. Nec etiam hoc concludit ſi namq; loquamur de prima mobilitate,quæ eſt ſubſtantialis tranſformatio,iam cõſtat Angelos hac materia carere, item accidentia ſpiritualia,& ſimilia,quæ tamen ſingula mutationi corruptiuæ,ſeu annihilatiuę ſubiecta ſunt. ſi etiã de ſecũda fiat ſermo, amplius cõſtat Cęlos,& Angelos,Animaſq; & Spiritus motui ſubiectari, & lationi: inſuper rõ materię nõ eſt cauſa corruptibilitatis in omni ſententia; etenim D. Tho. materiam cœlo applicans, eximit tamen illud à motu corruptionis, quia diuerſæ rationis à materia ſublunari, & hæc ſola motũ corruptiuum producit,igitur etiam ſi materia ab ipſo motore nõ longe abeſſet, attamen conſtaret hinc probationem Ariſt. non eſſe firmam,quoniam non eſſet de ſe cauſatiua corruptionis:eſſet enim fortaſſe alterius rationis:in ſenſu etiam Scoti idipſum conuincitur,licet namq; eiuſdem rationis eſſet, non tamen motum talem machinaretur,cùm peregrinas non foret ſuſceptura impreſſiones,nec alterationes, quia nullum foret agens, potens contrariam qualitatem imprimere, ſicq; vna cum materia, ipſumet cœlum eſt,ex vtroq; capite immutabile corruptionis motu, quod multo melius inferretur de ſupremo ente, in quẽ nullum inferius agens quidquam noxij imprimere poteſt, quiue omnis eſt expers alterationis, qualitatis, nouæq; formæ impreſſionis. & maxime ſi addatur ad eandẽ cœli materiam ratio formæ perfectiſſimæ,quę cum ſit adeo perfecta,vt materia in ea quietetur, & nullam vlteriorem exquirat, hinc quoque adeſſet altera impugnationis ratio,vt materia nõ obſtaret motui corruptionis, præcipuè cùm vltima Dei actualitas, ac formalis ratio eſſendi, adeo ſit completa in eo, vt perfectiſſima exiſtens, nullam vlteriorem exquirendo, incapax prorſus reddatur motus corruptionis. linquo quod carere materia non eſt ratio adęquata excludens, ſaltem motum, & mutationem accidentalem vt dixi, quia Anima, & Angelus tales ſunt, vt ſint entia immaterialia, qui tamen & loco mouentur, & accidentarijs ſubſunt tranſmutationibus, de intellectione ad intellectionem, de operatione ad operationem.& deniq; carẽtia materiæ non eſt præciſa ratio, qua negari debeat tranſmutatio ſubſtantialis,etenim Angeli, & rationalis Anima, ſicut & ſpiritualia accidentia, carent phyſica materia, quæ tamen & de nihilo ſunt producta, & ex non eſſe mutata ſunt ad eſſe,ac pariformiter ex eſſe mutari à Deo poſſunt ad non eſſe ſimpliciter: quapropter nec hæc concludit.

An cõcludat.

ARTIC. II.

Oſtenditur Dei immutabilitas ex Theologis.

1 CVm ergo conſtet citata media inefficacia eſſe ad immutabilitatem demonſtrandam,recurrendum merito eſt ad media Theologica. ad tria autem capita reducam media,quibus conuinci id poſſit: primum eſt caput immenſitatis, ſecundum infinitatis,& tertium neceſſitatis eſſendi: tria namq; ſunt capita præcipua, quæ nos docent in creaturis aduenire mutationem, vel namq; mouentur ad locum, vel ab imperfecto ad perfectum; vel deniq; à non eſſe ad eſſe, ſeù ab eſſe ad non eſſe:hæc verò capita retunduntur per capita illa tria recenſita, ergo per illa demonſtrabimus Dei immutabilitatem.

Mutabilitas creaturarum ex tribus pendet præcipuè capitibus.

2 Et quoad primum.iam conſtat ſuperius Deum eſſe immenſum,vt ſuo loco demonſtrauimus, ergo ſequitur non moueri, aut mutari localiter: ſeque-

Immutabilitas Dei probatur ex capite immenſitatis.

quela tenet, quoniam mutatió localis eſt frequenter acquiſitiua loci, quo mutabile caret, Deus ratione immenſitatis replet omnem locum, ergo non mutatur,

Obſtatur. 3 Dices rationem cóuincere motum rectum, at non probat de circulari, mouetur namq; corpus locum replens, circulariter; quo fit, vt nec locũ deſerat, nec locum acquirat, ergo ſtat mutatio ſine acquiſitione loci: patet aſſumptum de aqua in phiala rotunda, quæ replens vndequaque fialam, non mouebitur indirectum, cùm ſit ſphærica, nec occupabit locum nouum intra eandem phialam, ſtante repletione, igitur dabitur mutatio abſque acquiſitione. *Occurritur.* Verùm hæc inſtãtia eſt nulla, ſiquidem licet aqua ſecũdùm ſe totam non acquirat, nec deperdat locũ, acquirit tamen, & deperdit ſpectatã ſecundùm partem; etenim pars hæc aquæ correſpondens huic parti phialę non eſt in alia phialæ parte, ſic de illa, & illa: igitur per motum in girum habetur acquiſitio noui loci ſecundùm partes aquæ: ita etiam pars hæc aquæ mota ad partem aliquam phialæ, acquirendò iſtam perdit illam, ergo in hoc motu habemus acquiſitionem, & deperditionem: quæ tamen merito vocatur partialis; quoniã non eſt totalis, quia tota aqua eſt in toto loco phialæ, & tota phiala occupatur ſemper à tota aqua, vnde non deperditur totus locus phialæ, cùm nec acquiratur nouus locus totalis, non .ñ. effluit aqua, ſed remanet; fit tamen acquiſitio partialis, ac ſingularis etiam deperditio: quod idẽ eſt, ac fieri mutationẽ, totalẽ, vel partialẽ, iuxta variã acceptionẽ ipſius totius, vel cathegorematici, vel ſincathegorematici. *Deus nec recto nec circulariter mobilis* At Deus non ſic, etenim cũ partib. careat, ſitq; ratione immenſitatis totus in toto, & totus in omnibus partibus loci, nec vtiq; poſſet circularis intentari motus, nec vlla fieri mutatio, cùm ſiuè conſideretur ſecundùm totum locum, ſiuè ſecundũ partem, & partem, ſemper ſecundùm ſe totum eſt omnibi, eſtq; ita in toto, ſicut in partib. loci: & ſi vellet ad partem aliam moueri, nõ opus eſſet, quoniam iam ibi eſt: non tamen mirum, vt pars aquæ in rotundum moueatur, & partem phialæ acquirat, quia ibi non erat, exiſtens ſolùm in tota phiala, & in omnib. phialæ partibus, ſolùm inquam ſecundum totam, at non quęlibet pars ſignata, in omnibus partib. phialæ: Deus verò quouis modo ſecundum ſui entitatem cócipiatur, in omnibus, ac ſingulis eſt ſphæræ partib. quo fit, vt neq; ſic circulariter mutetur. exemplo Euchariſtiæ confirmatur. Cur namq; Chriſtus in hoſtia moueri non poteſt intra limites eiuſdem hoſtiæ, nec recto motu, nec circulari, nec ab extremo circumferentiæ inferioris partis hoſtię, ad extremum ſuperioris, ſi aſſignetur ſuperius, & inferius in circumferentia: linquo rationes Theologicas, quod ibi non adeſt modo naturali, ideoq; non experitur paſſiones has naturales corporis phyſici, & ſimilia: iam adeſt ratio altera, quia idem ſecũdum ſe totum eſt & in tota hoſtia, & in qualibet parte hoſtiæ, ideo nec indirectum mouetur per hoſtiam, nec in girum, nulla.n. ſibi deficit pars, in qua non ſit: multo magis Deus, qui eſt omnino ſpiritus, eſtq; ſecundùm ſe totum in omni parte, ergo ad nullam mutatur. & hanc rationem edocuit pro immutabilitate Concil. Lateran. 2. in c. firmiter de ſum. Trin. & fid. catth. dum dicebat, *vnus ſolus eſt Deus, immenſus, & incommutabilis*: en quomodo ex capite immenſitatis infert immutabilitatem.

4 Secundùm caput eſt infinitas. *Probatur ex capite infinitatis.* infinitus perfectione eſt Deus, ergo immutabilis ab imperfecto ad perfectum, vel à perfecto ad perfectius. antecedens probatum remanet in quęſt. de perfectione Dei, atq; infinitate: & ſequitur conſequens, quia infinito nil deeſt, iuxta genus infinitatis ſuæ, vt infinito extenſiuè nulla deeſt extenſio, infinito intẽſiuè nulla deeſt perfectio: *Obſtatur.* Dices Deo aliquid deeſt, non.n. eſt formaliter creatura. ſi dixeris, id implicare, quoniã creatura eſſet ens imperfectum, ſicque negatio, & carentia creaturæ in eo eſt carentia imperfectionis: contra arguitur, quia non cõtinet formaliter creaturam; & ſi namq; implicet eſſe formaliter creaturam, tamen non implicabit continere eam formaliter, quia perfectior eſt conti-

nentia iſta, quam quæuis alia, at non continet ſic, igitur ratio infinitatis nõ excludit mutabilitatem. *Occurritur.* Reſpond. enti infinito in perfectione competere quidem cætera continere, ſed modo conuenienti ſuæ naturæ, *Modus cõtinẽdi creaturas.* modus vero continendi creaturas ſibi non repugnans eſt modus continendi eas virtualiter, & eminentialiter, formaliter verò cõtinere repugnat, non. n. lapis eſt formaliter in Deo, ſed idæa lapidis, nec formaliter corporea hæc moles eſt in Deo, ſed idæa eius: talis ergo continẽdi modus implicat, vt etiam ibidem diſcuſſimus: & ne ſit formaliter lapis, formaliter corpus, formaliter Angelus, ſufficit alter continendi modus, eſſet. n. formaliter creatura, eſſet formaliter lapis: ſuas verò perfectiones ſimpliciter, ac ſpectantia ad entitatem ipſius continet benè formaliter. & hęc eſt ratio, qua Dionyſius vtitur c. 9. de diuinis nomin. *magnus eſt Deus, tum ex ſua magnitudine, quà ſe, & cum omnibus quæ magna ſunt, communicat, & per omnem magnitudinem diffundit, atq; extendit: locum omnem continet, omnem numerum ſuperat, omnem infinitatem tranſilit: tum ex ſumma vi, actioniſq; magnitudine, ac munerib. quæ ab ipſo quaſi fonte manant.*

Ex capite neceſse eſſe 5 Tertium eſt neceſſitas eſſendi: & quidem ex hoc capite facillimè etiã deducitur immutabilitas: vel enim loquimur de mutatione de non eſſe ſimpliciter ad eſſe, & hęc dari nequit, quia Deus eſt, & fuit ens omnino neceſſarium, ergo ſemper fuit; talis namq; mutatio conuenit contingenti enti, quod qua ratione non fuit neceſſe vt ſemper fuerit, aliquando non fuit, & in tempore, recipiendo eſſe fuit mutatum de non eſſe ad eſſe: vel loquimur de mutatione ab eſſe ad non eſſe: & eadem ratione conuincitur, quia quod neceſſe eſt ſimpliciter vt ſit, nuſquam non erit, alias eſſet contingens, & non neceſſe eſſe: quod ſi deniq; ſit loquutio de mutatione à perfectione in perfectionẽ, ac de mutatione accidentali, neq; hæc dabitur, quia quod eſt in Deo ſemper erit, & fuit, id namq; competit enti neceſſario, quidquid vero eſt in Deo eſt neceſſe eſſe, ergo nuſquam amiſit, nec amittet: quidquid etiam potuit aliquãdo eſſe in eo, ſtatim fuit, quoniam in diuinis eſſe non differt à poſſe: & deniq; omnis perfectio in eo poſſibilis, reperitur in gradu eminteſſimo, ſupremo, atq; infinito, quo fit, vt nec acquirere quidquam poſſit, nec deperdere, nec augeri, nec minui, nec alterari prorſus, aut mutari ſimpliciter, nec per accidens: hæc namq; creaturæ conueniunt, cùm non ſit neceſſe eſſe. & hoc innuit D. Iacob. 1. *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Numer. 32. *nõ eſt Deus vt homo, vt mentiatur, neq; vt filius hominis, vt mutetur*: & Pſal. 101. *ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient: velut amictum mutabis eos, & mutabuntur*, atq; Apoſt. 1. Timot. 6. *ſolus habet immortalitatem*.

6 Addi poſſunt capita ex parte æternitatis, quia namq; ab æterno fuit, ideo ſemper fuit, ſemperq; habuit id quod habet: *Ex capite æternitatis* ſed caput hoc non eſt valdè efficax, quoniam ſi creatura producta fuiſſet ab æterno, eſſet nihilominus mutabilis, & eſſentialiter ab eſſe ad nõ eſſe, & accidentaliter recipiendo, vel admittendo perfectiones. erit vero efficax addendo *à ſe*, nam quia Deus eſt æternus *à ſe*, ideo immutabilis: *Ex capitibus alijs.* creaturas vero ex hypotheſi æterna, eſſet quoque mutabilis, quia æternitatem haberet ab alio. Ex parte etiam ſummæ ſimplicitatis, quia namq; eſt ſimplex, ideo nil poteſt deperdere, quia deperderetur ſecundùm ſe totum, & nihil poteſt recipere, quia fieret compoſitio; ſed neq; hoc eſt adeo efficax, quoniam ſimplex eſt materia, nulla compoſitione compacta, attamen & formam acquirit, quæ perficiat, ac cõpleat eſſe, eamq; amittit: ſimplex etiam eſt conceptus entis, immo à priori eſt ſimpliciter ſimplex, cum ex nullis anteriorib. conceptibus coaleſcat, attamen accedunt ad ipſum, & recedunt varij contractionis modi, ac differẽtiæ ob quos compoſitioni ſubditur, atq; mutationi: niſi addatur quod Deus eſt adeo ſimplex, vt nec ſit compoſitus, nec componibilis, vt diſp. de ſimplicit. Dei, & ſic valet ratio de ſimplicitate. Ex parte denique entis per eſſentiam ar-

arguitur, vt quia eſt ens per eſſentiam, non per participationem, eritq; ens indepēdens à ſe, & à nullo, ideoq; immutabilis, quia à nullo mobilis: ſed nec etiam caput iſtud eſt efficax vt priora, quoniam antecedenti art. Ariſtoteles id probauit ex hoc capite, quod tamen minus concludere aſſeruimus: vt à nullo foret mobilis, cùm à nullo pēdeat, tamen foret mobilis, à ſeipſo, vt deduximus: quo fit, vt caput immenſitatis ſit magis efficax. quidquid tamen ſit, tùm ex recenſitis capitibus, tùm aliunde id conuincitur: & ita remaneat ex philoſophicis, & theologicis capitibus Deum eſſe immutabilem. quæ omnia paſſim confirmant Patres, & præſertim Auguſt. lib. 5. de Trin. c. 2. inquiens, *quod mutatur non ſeruat ipſum eſſe: & quod mutari poteſt, etiam ſi non mutaretur, poteſt quod fuerat, non eſſe: ac per hoc id ſolum, quod nō tantùm non mutatur, verùm etiam mutari non poteſt, ſine ſcrupulo occurrit; quod veriſſimè dicatur eſſe.* Irenæus l. 2. c. 64. *ſolus Deus eſt: & eodem modo ſemper ſe habēs.* Athanaſ. orat. contra idol. *creatarum rerum natura fluxa & imbecillis eſt.* Ambroſ. l. 3. de fide c. 4. Cirill. l. 8. theſaur. c. 2.

Ex Patribus,

Motus metaphoricus Deo, et moralis.

7 Cum hac tamen phyſica immutabililate ſtat, vt metaphoricè loquendo attribuatur Deo motus, impropriè tamen dictus, & metaphoricus, omnini prorſus dēpta imperfectione: quomodo de diuina ſapiētia dicitur, quòd *eſt mobilior cunctis mobilibus*, Sap. 7. quod vel intelligitur ratione notitiæ, quam præſto habet de cunctis, ita vt dicatur metaphoricè moueri, & adeſſe cunctis, quæ fiunt, & intelligat omnia, & quòd non tàm cito quid cogitamus agere, quod non magis præſto ſeſe faciat præſentem diuina Sapientia, perſcrutans omnia: vel quia ſeſe ipſam diffundat citiſſimè in creaturas, illuminando, docendo, ad quod non requirat temporis intercapedinem: vel denique quod de Incarnata Sapientia intelligendo, in vltimo conſenſus à Virgine Beatiſſima præbiti, inſtanti, citiſſimè aduenit ad eam diuinū Verbum, humanam aſſumendo naturam in eius vtero; *& Verbum caro factum eſt.* quale etiam eſt illud Iac. 4. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis:* quæ appropinquatio non eſt motus localis nec ex parte noſtri ad ipſum, cū iuxta Paul. *in ipſo viuamus, moueamur, & ſimus:* nec ex parte ſui in ordine ad nos, cùm ex eodem non *longe ſit ab vnoquoque noſtrum*: ergo motus erit moralis, vel per influxum gratiæ ex parte ſui: & conuerſionis acceſſum ex parte noſtri: quo etiam motu dicitur ad nos aduenire, ad *eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* per gratiā, & dona. Quo deniq; modo loquitur Auguſt. 8. in Geneſ c. 20. *Spiritus creator mouet ſe, nec per tempus, nec per locum.* loquitur autem de operationibus, quibus tribuitur extenſiuè nomen motus, vt oſtenderet ipſum intelligere, ac velle, quę ſunt metaphoricè motus, non tamen vt nos agimus, tempori alligati, & loco: loquebatur etiam more Platonico, Plato namque aiebat, *Deum mouere ſeipſum*: quod in ſēſum theologicum tractum, idem eſt, ac operari à ſe, & non moueri ab alio.

8 Arguitur contra dicta: Deus nūc creat, & producit, non autem ab æterno, ergo mutatur in tempore. prob. cōſeq. quod enim aliter ſe habet nunc; quàm prius, mutatur, Deus ab æterno, & prius non creauit, nunc producit, & creat, ergo. ſecundo, ab æterno non erat Deus homo, factus autem fuit in tempore: ergo mutatur. Confirmatur, quia intrinſecè in tempore eſt homo, quod non fuit ſic ab æterno, ergo aliquid reale, & verum aliquod eſſe acquiſiuit, quod non habebat. tertio nūc non decretat producere Petrum, decretauit ab æterno eius productionē: ergo à decretatione ceſſat: item vult hoc, non vult illud; vult potius hoc, quàm illud, ergo additio aliqua aduenit, & alteratio in voluntate. Argumēta hæc, & ſimilia proponi poſſunt, quæ tamen non ſunt propria huius loci, ſed ſingula peculiarem habent materiam: vt primum ſpectat ad tractatum de creatione: ſecundum ad materiam de Incarnatione: & tertium ad ſcientiam, præſcientiam, & decretationem volūtatis diuinæ: quæ ibidem fuſius examinabuntur. ſufficiat autem nunc pertrāſeenam, ad ſingula verbum vnum afferre.

Arguitur aduerſus dicta.

9 Ad

Mutatio nulla in Deo, quæ ratione creat de nouo

9 Ad id de creatione, nihil noui realis Deo accidit per creationem, vel deſitionem creationis, & productionis, ſed ſolùm ei aduenit relatio aliqua, non realis, non à parte rei, ſed tantummodo rationis, quo fit, vt mutatio omnis ſit ex parte creaturæ: & ſi quæ in Deo mutatio, erit ſolùm rationis, propter reſpectum rationis, at hæc non eſt dicenda mutatio vera, cùm nō ſit reſpectus realis, nec Deus quid reale acquirat, aut deperdat. item denominatio, qua de nouo vocatur Creator, Dominus, & ſimilia, eſt ſolùm extrinſeca quia relatio Creatoris, & Domini eſt temporanea, & ad extra, & eſt relatio rationis; ideoque non eſt de intrinſeca ratione Dei.

10 Ad illud de decreto decretum & actus voluntatis, quo nunc creat, nō eſt nouum, nec de nouo formatum, ſed antiquum, & æternum: vnde eadem voluntate antiqua, & æterna, qua ab æterno decretauit creare, eadem, inquam decretatione, eademq; numero volitione perſeuerante vſq; nunc, ponit creaturam in ſuo eſſe, quia voluntate æterna voluit ab æterno hanc creaturam, licet non pro æterno, quia in tēpore: ſi autem decretatio interrupta fuiſſet, & ſi ab antiqua volitione ceſſaſſet, vel oppoſitum volendo, vel volendo illud idem, ſed diſtinctis actib. tùm quidem mutatio in eo: quòd tamen non contingit in propoſito. Ac ita ex parte diſſoluit D. Auguſt. l. 5. de Trin. c. 15. & 16.

Mutatio non cadit in Verbum ex aſſumptione humana natura.

11 Ad ſecundum dicendum nec mutari, quoniam Verbum non acquiſiuit aliquid, ratione cuius eſſet ſubiectum informabile, vel materia perfectibilis; non enim humana natura eſt in Verbo, tanquam forma ſubſtantialis informans; aut in eo tanquam in materia, vel tanquam forma accidentalis in Verbo, veluti in ſubiecto per eam actuabile. eſt autem in eo, tanquā in ſuppoſito ſubſtentificāte: duplicem modum habet Verbum in ordine ad eam, habet quidem ſe ſub modo ſuppoſitantis, & ſub modo terminantis: ratione primi eſt natura in eo, tanquā in ſuppoſito; ratione ſecundi eſt in eodem tanquam dependens ad ſuum terminum, quoniam natura pendet ad ſuppoſitum, & Verbum independens terminauit eam: ergò ablata inhærentia ratione ſubiecti, & ablata informatione ratione materiæ; ceſſat innouatio, & compoſitio; inſuper relatio, quā Verbum dicit ad eam eſt ſolius rationis, non realis, eſt enim relatio ſubſtētificantis, & terminantis, ergo nil reale, & nouū inhæret ei à parte rei: & ad illud de intrinſeca denominatione, ſi loquamur de Chriſto, dicimus verā eſſe, & intrinſecam denominationem eius, atq; eſſentialē, quia Chriſtus cùm ſit quid eſſentialiter conſtitutum ex duabus naturis, eſſentiali etiam, & intrinſeca denominatione erit homo, eſtq; formalis iſta prædicatio, *Chriſtus eſt homo*, ſicut & iſta *Chriſtus eſt Deus*, non enim nomen Chriſti magis vnam continet eſſentialiter naturam, quàm aliam; & ſic ſumpto Chriſto argumentum non militat in propoſito, quia Chriſtus aliquando non fuit, vt ante Incarnationem, licet fuerit Verbum; non. n. fuit humanæ naturæ ab æterno vnitum Verbum: ſed in tempore, & carnatio facta fuit in tempore: ſed abſtrahendo à Chriſto, vt Chriſtus, & loquendo de Verbo vt Verbum, acquiſiuit de nouo relationem ſubſtentificantis ad naturam ſubſtentificatam: hæc verò relatio eſt extrinſeca Verbo vt Verbo, eſtq; reſpectus rationis.

Chriſtus denominatio intrinſeca eſt Deus, & homo.

Mutatio nulla in Dei voluntate nec moralis, nec phyſica: voluit cuncta ab æterno, ſed non pro æterno.

12 Et denique ad vltimum dicendum, liberum eſſe, vt hoc potius velit, quàm illud: & in hoc potius tempore, quàm illo, nec mutari, cum vna, eademq; perſeuerante numero volitione, id, quod pro tempore iſto voluit; voluit etiam ab æterno, licet non pro æterno: & nunc volendo in tempore nil noui ei accidit, quia voluntati non accidit noua volitio, quoniam non accidit nouus modus, nec nouus actus volendi, etenim idem numero actus continuatus fuit ab æterno vſq; nunc, & non alio modo voluit in tempore, quàm ab æterno: mutaretur autem ſi voluntas interrupta fuiſſet, vel moraliter, vtpote volendo aliud, vel alio modo: vel phyſicè, ſi alio nouo actu voluiſſet, & hæc duo capita explicant in nobis mutabilitatem: quod ſi ab æterno, id, quod voluit non poſuit in eſſe, ſed in tempore, nec tamen inde mu-

mutatio, nec quid nouum, quoniam ab æterno ſtatuit effectum ponere in hoc tempore, & non pro æterno, nec v.g. pro alio tempore: ſi autem ſtatuiſſet ponere in eſſe prius, quàm nunc, & nõ poſuiſſet, ſed in alio tempore, iam mutaretur, quod tamen non euenit. denique non incipit nunc velle, ſed voluit ab æterno, continuata eadem numero actione volendi: linquo ſententiam D. Greg. Deum voluiſſe, & nunc velle, & voliturum: quod idem indicat, ac noſtram ſententiam. ſed cætera circa prætacta dubia examinabuntur ſuis locis.

Mutaretur Verbũ ad motum humanitatis, ſi eſſet in eo veluti forma, inhærens, &c.

13 Aliud addimus argumentum, ſpectans magis ad hãc materiam: quia mota humanitate Verbi, mouebatur ipſum Verbum: ſtat namq; Verbum cum aſſumpta humanitate, ergo humanitas mota, vel caro mota, ratio erat, qua mouebatur Verbum: vel eſt Deus in planta, frondib. atq; floribus, ergo mota planta à vento, & decidente flore, decidit, & mouetur Deus. Hoc etiam facilè ſoluitur: ſiquidem immẽſitas ſua, ratio eſt, qua negatur in eo motus: ſi namq; Verbum eſſet præcisè in humanitate, tanquam in loco diffinitiuè, vel circumſcriptiuè, vel eſſet materia, vel forma, vel pars, vel accidens inhærens humanitati, itaut eſſet quid finitum, ac terminatum, vtiq; ad motionem humanitatis, moueretur ipſum, & acquireret, deperderetq; loca, quæ acquirebat, ac deperdebat humanitas: verùm quia eſt immenſum, nec quidquam illorum, nullus eſt locus, in quo non ſit, nullum igitur poteſt acquirere ex ijs, quæ exiſtunt: ſimiliter dicendum de planta.

Mutatur ne Deus, quia expectat tẽpus?

14 Rurſus arguitur, quod ſaltem expectabit tempus vt ponat in eſſe id, quod decreuit ab æterno, ita enim arguit Auerr. 8. phyſ. com. 8. quæ expectatio dilationem indicat, & potentiã carentem actu, atq; in tẽpore progredientem ad actum. Reſp. primo, quod Deus tẽpus expectet, nulla mutatio, vel imperfectio in eo, quoniam voluntariè expectat tempus, poſſet .n. tempus illud non expectare, & producere ante illud tempus: creatura autem imperfecta eſt, quia expectat tempus, & neceſſario illud expectat. ſecundo, duplex eſt agens, & producens, ſeu operans per voluntatem: aut namque eſt agens efficax, aut inefficax: ſr ſecundum, neceſſario expectat tempus, & ſic mutatur iuxta dilationẽ, & aduẽtũ tẽporis: ſi primũ, ſubdiſtinguẽdũ, aut .n. vult ſtatim operari, aut pro libito, & arbitratu ſuo expectat tẽpus, vtrumq; quidẽ poteſt agere: & ꝙ tẽpus expectet, nulla neceſſitas eũ cogit, ſed ipſe eſt ſibi lex, ipſeq; determinat pro tali tempore agere, & non prius: quo ſtante, remanet vt voluntate antiqua, & cõtinuata velit hoc pro tempore iſto, ad quod ſe diſtulit, ſeù trãſtulit. A primo autem ad vltimum, illud Agens eſt imperfectum, quod neceſſario expectat tempus; Deus autem non neceſſario, ſed liberè vtitur tempore. Dices, ergo poſſet comproducere motum abſq; tempore, & ita in inſtanti. Reſp. negatur ſequela, quia repugnat à parte rei, Deus autem non eſt deſtructor, ſed conſeruator rei.

Expectatiõ tempus an dicat imperfectionem.

Quod eſt indeterminatũ debet ab Alio determinari, declaratur.

15 Item obijcitur ex eod. ibid. quod eſt indeterminatum, & contingens ad vtrumlibet, oportet vt ab alio determinetur ad hoc, vt exeat in actũ: talis eſt Deus, qui liberè ſe habet ad extra. Reſpond. verum eſſe de indeterminato indeterminatione paſſiua ſolummodo, materia namq; eſt ſic paſſiuè indeterminata ad hanc, & illam formam, ideo oportet vt ab Agente extraneo determinetur ad hanc potius, quàm illam, non .n. in ſe habet potentiam actiuam, qua actiuè poſſit ſemetipſam determinare ad hanc, vel illam: Deus non ſic, ſed habet diuinam ſuam voluntatem, qua cuncta determinet: & eadem voluntas determinat actiuè ſeipſam ad hoc volendum potius, quàm illud: itaq; in voluntate, & ſi reperiatur quantum eſt de ſe, indeterminatio paſſiua, cùm voluntas vt voluntas ſit indifferens, & libera; tamen in eadem voluntate intrinſecè reperitur potentia actiua determinatiua ſui ipſius, & aliorum pendentium ex ea,

QVÆSTIO II.

Vtrum aliqua creatura ſit prorſus immutabilis.

Solus Deus immutabilis creatura omnis mutabilis.

1 ABſolutè ſecũdùm Theologos ſolus Deus eſt omni mutatione immu tabilis, creatura autem quantum eſt de ſe, omni eſt mutationi ſubiecta: prima pars patet ex art. præced. & ſecunda declaratur, quoniam aut loquimur de mutatione à non eſſe, ad eſſe, quæ tamen dicitur impropriè ſumpta mutatio, cùm nullum præcedat ſubiectum: aut de mutatione ab eſſe ad non eſſe ſimpliciter per annihilationem, & hæc etiam dicenda improptia mutatio, quoniam nullum remanet ſubiectum: (mutatio enim à non eſſe totali ad eſſe, eſt creatio, ideoq; nil eius præcedit veluti ſubiectum; & mutatio ab eſſe ad non eſſe totale, nullum cõnotat remanens ſubiectum, cum ſit vera annihilatio) ſiue etiam de mutatione loquamur ab eſſe ad non eſſe per corruptionem phyſicam, ſiue à non eſſe ad eſſe per phyſicã generationem: ſiue de mutatione ad locum, ſiuè de motu ad terminum, ſiuè deniq; de quacunq; inſuper mutatione accidentali, procedente vel à perfecto ad perfectius, vel ab imperfecto ad perfectum, vel è conuerſo: ſiuè quocũque modo accidat; dicendum creaturam omnem ſiuè corpoream cęleſtem, ſiuè deniq; omnimode ſpiritualem, omnem, inquam, eſſe & extrinſecè per potentiam Agentis, & intrinſecè per propriam naturam, ſic mutabilem: ita tamen vt reddendo ſingula ſingulis, corpora phyſica habeant & potentiã logicam, & potẽtiam phyſicam intrinſecam, qua ordinentur ad mutationẽ: cęleſtia, reddendo ſingula ſingulis ſententijs, ex D. Tho. non mutantur, quia principium materiale habent alterius rationis ab hoc noſtro: & ex Scoto, quia nõ recipiunt peregrinas impreſſiones: ex ambobus tamen, intrinſecè ſunt etiam mutabilia, quia de ſe non ſunt entia neceſſaria, ſed dependentia, habentia ſaltem potentiam logicam admutari, quia omnis creatura de ſe defectibilis eſt: ſpiritualia etiam, vbi materia carent, tamen qua ratione ſũt entia contingentia intrinſecè, & dependentia, atq; intrinſecè non neceſſaria, ideo nõ implicat etiam ipſa mutari: & vbi principio carent phyſico, retinent logicum, quod eſt non repugnantia ex ſe intrinſecè, vt amplius nõ ſint, & annihilentur: multò magis omnia hæc ſimul, mutabilia erunt extrinſecè per ordinationem Agentis potentis ſuper ea: & multo etiam plus mutabilia erunt accidentaliter: quod, vltra alterationes, quas reperimus in corporibus inferioribus vna cum motione locali, experimur tamen in cęleſtibus ſolummodo alterationes locales, ſeu mobilitatis; non enim alterantur ad calorem, frigus, albedinem, rubedinem, & ſimilia, vt inferiora, ſed ſiquæ conuenit eis alteratio, ea erit in ordine ad motum, & quietem, nunc continuo mouentur, & poſt iudicium quieſcent: eueniet etiã alteratio lumiluminis pro eod. tempore, iuxta illud Iſa: 30. *erit lux Lunæ ſicut lumen Solis, & lux Lunę ſeptemplicior*: vltra inquã alterationes ſpirituales in Angelicis ſpiritibus, vt amoris, odij, variarumq; viciſſim ſuccedentium operationum intelligendi, volendi, atq; etiam localiter mouendi, corpora aſſumendi, miniſtrandi, & his ſimilia, circa quæ om-

Probatur.

nia contingit variatio, & mutatio ſaltum accidentalis.

Ex Ariſt.

2 Hæc ita explanata probantur reddendo ſingula ſingulis. Ariſt. 10. met. t. 26. ait *corruptibile, & incorruptibile ſunt eſſentiales differentiæ rerum*; igitur res aliqua eſſentialiter erit corruptibilis, & eſſentialiter incorruptibilis: ſed nulla res eſt omnino indefectibilis, loquendo de creaturis, ergo reddendo ſingula ſingulis, omnes ſunt mutabiles: minor remanet explicata, quoniam aliter corpora inferiora, aliter cæleſtia, & aliter ipſi Angeli ſunt defectibiles: quo fit, vt ſi aliquod iſtorum apparet indefectibile, nõ quidem omni ex capite erit indefectibile; & ſi alicui tribuitur defectibilitas, ea ſi ex vno capite competet, non quidem ipſi proueniet ex altero, vt de ſingulis diſcuſſimus: quapropter, entia etiam ſpiritualia ſunt corruptibilia, (verius tamen dicendum, defectibilia, quia corruptio indicat materiam) entia inquã ſpiritualia creata, defectibilia ſunt intrinſecè, ratione dependentiæ, & contingentiæ in eſſendo, & ratione potentiæ logicæ, ſeu non implicantiæ; indefectibilia tamen phyſicè, vtpotè carentia materia: ſic proportionaliter de corporibus: de Angelis autem tom. 3, diſputat. 1.

Angelus, & Anima ab intrinſeco immortales.

3 Sic etiã Concil. Later. ſub Leon. 10. ſeſſ. 8. definit rationalem animã eſſe incorruptibilem: quod de phyſica corruptione intelligitur, cũ careat materia: defectibilem tamen aliundè etiam intrinſecè, eam eſſe reperimus in Concilio alio decretatum, vt in 6. Synod. gener. Conſtantinop. ſeſſ. 11. in epiſtola Sophronij approbata in Concil. act. 13. qua dicitur, *Angelus, & anima rationalis non per naturam propriam, ſed per* Dei *gratiam habẽt immortalitatem*; in hoc autem expenditur id, quod diximus; intrinſecè nãq; quatenus creata entia ſunt, ſunt contingentia, & non neceſſaria, quatenus tamen gratis, & liberè manutenentur à Deo conſeruatore, perſeuerant in eſſe: quòd ſi conſeruare deſiſteret, iam ruerent, iuxta illud: *auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur*, ideſt in nihilum: ergo cui negatur caput vnũ defectionis, tribuitur alterũ.

Caetani obiectiones ſoluuntur.

4 Hinc fruſtra laborat Caetanus ad probandum Cæli, Angeli, & animæ immortalitatem, ſufficiebat namq; diſtinctione tradita contentum eſſe: arguit vero: nulla res habet inclinationem, & potentiam ad non eſſe, ſeu ad aliud eſſe, niſi habeat inclinationem, & potentiam ad aliud eſſe, cùm quò non compatitur hoc eſſe, quod modo habet: ſed Angelus, Anima, & Cæli non habent inclinationem ad aliud eſſe; ergo non habent inclinationem ad nõ eſſe: maior prob. quia nulla eſt potentia, aut inclinatio ad malum, ſed non eſſe eſt malum; ergo nulla eſt potentia ad illud: Concludit autem hæc ratio non eſſe in Angelo, & Anima principium materiale machinans corruptionem: & de cælis concludit materiam tanquam alterius rationis non appetere formam aliam, ob quod tranſmutatione phyſica, & naturali cæli debeant corrumpi, cæterum id non conceditur, cùm eorum materia ſit eiuſdem rationis.

Inclinatio, & potentia an ſint idem.

5 In modo etiam probandi commiſcet inclinationem cùm potentia, quæ commixtio non eſt bona; quod namq; de vno conceditur, non eſt aſſerendum de alio: quòd namq; in Angelo, anima, cæliſq; non ſit inclinatio ad corruptionem, adeo verum eſt, vt oppoſitum ſit falſum, quandoquidem vnumquodq; appetit naturaliter conſeruari in ſuo eſſe, & nulla res ex ſui natura inclinationem habet ad deſtructionem, quapropter nullum reperitur taliter inclinatum ad malum corruptionis: de potentia autem id aſſerendũ, cùm ea ratione, qua hoc eſt ens creatum, contingens quoq; erit, & non neceſſarium, & conſequenter potentiam habebit naturalem, ſiuè phyſicam, ſiuè logicam, ad non eſſendum: ergo potẽtia eſt admittenda in ordine ad deficiendum, non autem inclinatio: ſi tamen pro inclinatione, idem intelligas, ac propenſionem ſubiecti affecti materiali, ac phyſico principio tendente ad corruptionem, ſeu ſi intelligas eſſe vnum, idemq; cùm potentia, iam argumentum non procedet ex his, tãquam ex duob. diſtinctis, ſed tanquam vno, eritq; repetitio eiuſdem medij: nõ eſſe autem in vnoquoq; naturalem incli-

nationem ad corruptionem, ſed è contrario inclinationem ad perpetuo eſſendum, clarè docuit Ariſt. l. 2. de gen. & Corr. t. 59. & l. 2. de anima c. 4. t. 34. quod tamen eadem interitui ſubiacentem habeant potentiam, oſtendit l. 2. de gen. c. 10. & Galen. l. artis med. atq; Auicen. Fen. c. primi doctr. 3. c. 3.

Linquo quod idem Ariſtot. & Auicen. appoſuerint Intelligentias eſſe entia neceſſaria, vtpotè ab ente primario, tanquam neceſſario agẽte producta: quod namq; neceſſariò producitur, id neceſſarium eſſe aiebant, & quod immediatè pendet ab agente operante naturaliter, ſimiliter eſt ens neceſſarium, huiuſmodi ſe habent Intelligentiæ penes Ariſt. licet diſcrepet Auic. non admittens omnia immediatè à Deo, ſed Intelligentiam produci ab Intelligentia &c. hæc, & ſimilia linquimus, iam enim conſtat Deum agere liberè, & omnia, quæ extra ipſum ſunt, eſſe contingentia, & conſequenter defectibilia: qualis verò fuerit Ariſtotelis intentio in prædictæ neceſſitatis eſſendi explicatione penes Intelligẽtias, multis examinat Henric. quodlib. 8. q. 9. & ad longum diſcutit Scot. in 1. d. 8. q. 5.

6 Dices, initio humanæ productionis, homines erãt naturæ immortales; quod namq; corruptioni obnoxij euaſerint, id præſtitũ fuit à culpa, vt Gen. 1. *quacunque hora comederitis, morte moriemini.* item ſecundo: in omni differentia entis neceſſitas eſt ſimpliciter perfectior, quàm contingentia, apponendum verò eſt, quod eſt maioris perfectionis in ſubiecto, ergo dabitur creatura ſic neceſſaria, vt omnino minimè deficere poſſit.

Mors homini vnde?

7 Reſpondendum ad primum, homines initio immortales fuiſſe non natura, ſed gratia: ratione namq; intrinſeca humidi radicalis, & caloris naturalis tendiſſent ab intrinſeco ad corruptionem: Deus autem id impediſſet, ſiuè per reſtaurationem ex ligno vitæ, ſiuè ratione originalis iuſtitiæ, de qua re Theologi cum Magiſtro, præſertim D. Bonau. & Scot. in 2. d. 19. ac D. Th. 1. p. q. 97. art. 1. Quod autem additur, mortem adueniſſe à culpa; id quidem verum, ſed non præcisè à culpa, ſiquidem ex natura, & ab intrinſecò erant mortales. à culpa autẽ prouenit mors occaſionaliter, & demeritoriè, atque culpa fuit cauſa moralis, nempe punitiua, *omnis enim culpa eſt ordinatiua pœnæ*, ex Auguſt. at cauſa naturalis habebatur ab intrinſeco ex conditione naturæ, quatenus naturæ materialis, contingentis, & ſimilium: vnde ſi quis nunc, nec præſeruaretur à morte per gratiam, nec culpam contraheret, ſenio confectus moreretur, atque mors eſſet in eo, veluti conditio, & effectus naturæ, igitur homo eſt ab intrinſeco naturæ mortalis.

Neceſſitas vtrum ſit abſolutè perfectior.

8 Ad aliud, neceſſitas eſt perfectio ſolùm in ratione eſſendi, non autem in modo operandi; nam Deus eſt neceſſe eſſe, & ex hac parte eſt perfectio in eo: at agere ad extra neceſſario non conuenit ei; ideoq; ſic non eſt perfectio in eo: & in Agente creato libero modus operandi neceſſario pugnat cũ ſua libertate: in creaturis etiã modus neceſſario eſſendi non eſt perfectio, quia eis ſic eſſe non competit, aliàs eſſent Deus: ſicut eſſe infinitum melius eſt, quàm finitũ, quod tamen repugnat enti creato, aliàs deſtrueretur, quia fieret Infinitum: licet igitur perfectio ſit in Deo neceſſitas eſſendi, tamen implicat ſic eſſe in creatura, quia non eſt neceſſe eſſe, ſed contingens.

Ex Scripturis, & Patrib.

9 Concludimus igitur ſolum Deũ eſſe natura, & vndequaq; immutabilem: vnde D. Paul. Timoth. 1. cap. 6. *Solus Deus habet immortalitatem.* pſal. 101. *opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Pſalm. 89. *à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus.* Athanaſ. orat. contra idol. *creatarum rerum natura fluxina, & imbecillis eſt*: Auguſt. lib. de natura boni c. 10. Theophilac. lib. 2. contra Iulian. Iren. l. 2. c. 64. idem Auguſt. 7. de Trin. cap. 6. *omnis creatura mutabilis, ſolus Deus immutabilis*: & 1. de Trin. 1. *vera immortalitas, immutabilitas eſt*: & denique Malach. 3. *ego Deus, & non mutor.*

Obſtatur.

10 Vrgeri poteſt ex Philoſopho contra ſingula, quæ diximus: quoniam docuit Deum ad extra agere neceſſitate naturæ, ex hoc autem ſequitur fal-

ſem cœlos, & Intelligentias eſſe entia neceſſaria, quoniam quod ab ente eſt neceſſario actione neceſſaria, neceſſe eſt, atq; immutabile, probatur hoc vltimum, quia pugnat mutabilitas cum neceſſitate. Reſpondetur aſſumptum eius fuiſſe falsũ, negatur enim à Theologis, & cùm agat liberè, omnia, quæ producit, erunt contingentia, & mutabilia: & conſequenter etiam ad Theologos dicendum in Deo reperiri neceſſitatem eſſendi, quia ipſe de ſe eſt ens neceſſarium, attamen habitudo talis neceſſitatis ad producendum creaturas nõ eſt neceſſaria, quo fit vt eius operatio tranſiens ad extra nullatenus ſit neceſſaria, ita nec terminus producibilis erit ens neceſſarium. Dicimus ſecundo, quòd cõtradictionem admiſit Ariſt. docendo Deum cauſare ad extra, & neceſſario: cõtradictio patet ex parte effectus, quoniam omnis effectus, qui habet eſſe per veram cauſalitatem eſt contingens, & de ſe non eſt neceſſarius, vt patet in creaturis: patet etiam in Deo ad intra, perſonæ namq; diuinæ neceſſariæ ſunt, & licet ſecunda ſit à prima, & tertia ab vtraq; tamen non deſinunt eſſe neceſſariæ, quoniam producendi modus non eſt per cauſalitatẽ, ſed per productionẽ; ſi autem verè cauſatæ eſſent, iam non eſſent neceſſariæ, ſed vt reliquæ creaturæ: igitur cõtradictio habetur quod ſit quid neceſſarium, & quod ſit verè cauſatum; denotat namq; veram dependentiam, veram diſtinctionem naturæ (vt in creaturis inſpicitur dependentibus à Deo) & veram finitatem, & conſequenter omnem vertibilitatem: linquo quòd cõtradictiones alias admiſit, vtpote cauſare neceſſario, & tamen reperiri contingentiam, & corruptionem in rebus, & ſimilia.

Occurritur.

Ariſtot. an docuertit cõtradictoria ponẽdo Deũ agere neceſſario.

11 Dices Ariſtotelem expreſsè habere quòd entia neceſſaria, vt Intelligentiæ, & alia, fuerint verè cauſata: vt 2. meta. t. c. 4. ait, *ſempiternorum principia veriſſima eſſe neceſſe eſt, quia alijs ſunt cauſa veritatis.* item 5. meta. c. de neceſſario ait, *nil prohibet quorundam neceſſariorum eſſe cauſas,* & 12. met. c. 52. cõcludit vnitatem Vniuerſi ex vnitate finis: cauſa autem finalis eſt verè cauſans: & vbi eſt finalis cauſa, habetur etiam vera cauſa efficiens, ergo nõ contradicit: quod etiam probat Scotus in 1. d. 8. q. 5. cont. Henr.

Obſtatur.

12 Ad inſtantiam reſpondeo, non eſſe noſtram controuerſiam, an in hoc ſibi contradicat. ſ. an poſuerit neceſſario aliquod habere eſſe, & habere illud per cauſalitatem, hæc namque controuerſia militat inter Scotum, & Henricum: ſed dicimus id contradicere veritati fidei, ac noſtræ Theologiæ; implicat namq; in Theologia eſſe ſuppoſitum productum per modum veræ cauſalitatis, ac dependentiæ, & illud eſſe ens neceſſarium: ſicut implicat aliquam naturam eſſe de ſe neceſſariam, & communicari per modum veræ cauſationis, vt patet in diuinis, à quibus remouetur cauſatio.

Occurritur.

13 Dices dantur cauſæ cauſantes per veram cauſationem, vt ignis calorem, quæ tamen neceſſitatem dant effectui, quia neceſſario cauſant. Reſp. has quoq; cauſas, & cauſationem non eſſe ſimpliciter neceſſarias; ſiquidem ſimpliciter neceſſarium in eſſendo, & cauſando eſt id, quod impediri nequit ab eſſe, & operari, & à quo immutabiliter, & ineuitabiliter prouenit operatio, cuiuſmodi eſt Pater, neceſſario generans in diuinis, itaut impediri nequeat, & implicet ineuitabili neceſſitate, vt non ſint diuinæ perſonæ productæ: at ignis, & quodcunq; naturale agẽs poteſt impediri, & ſuſpendi à potentiori Agente, poteſtq; modificari, vt magis, minuſq; intensè agat, vt de Babilonis fornace: vnde vocãtur quidem agentia neceſſaria, ſed non omni latitudine neceſsitatis: dicimus ſecundo non eſſe neceſſarium in eſſendo, ſed ſolùm in cauſando, ita etiam effectus producibilis non eſt ens neceſſarium in eſſendo, ſed in emanando à ſua cauſa, quia vt cauſa libertate caret, ita neceſsitate producit. dicendum tertio, potius vocari agentia naturalia ſimpliciter, & effectus naturales ſimpliciter, quàm neceſſarios: quia non competit eis neceſsitas ſimpliciter, ſed benè competit ipſis modus cauſandi naturaliter ſimpliciter, ex impetu, atque ductu, & inſtinctu naturæ: dicẽdum quarto vocari neceſſaria, quia non libera; non autem neceſſaria ſimpli-

Cauſa naturales, & effectus naturales an appellanda neceſſaria, & quo modo.

plicitèr quia ſunt entia contingentia: eorúq; neceſsitas ſumitur prout opponitur libertati, ſeu libero modo agendi, non verò prout opponitur cõtingentiæ, cum & in entitate, & producendi modo impedibilia ſint: & ſi tum cauſa inſpiciatur, tum effectus, ambo ſunt entitate contingentia: denique effectus vocatur neceſſarius ſolùm in modo, quo producitur, & cauſa dicitur neceſſaria in modo, quo producit, cæterum ea ratione, qua creaturę sũt, tum cauſa naturalis, tum effectus naturalis, ſunt entia contingentia, non autem neceſſaria.

DISPVTATIO XIV.

De omnipotentia Dei.

QVÆSTIO I.

An ex Ariſt. naturali demonſtratione oſtendi poſſit immediata Dei omnipotentia.

1 VT ordinatè materiam hanc expẽdamus conueniẽs erit inquirere, primũ, quid Ariſtot. ſenſerit de Dei omnipotentia; ex hoc namq; plurima inde deducemus, ex quibus rem theologicam leuiori curſu poterimus expedire: igitur quærimus de Ariſtot. intentione, vtrum de eius mente Deus ad extra agat neceſſario, vtrum diuina omnipotentia (ex eius doctrina) ſe extendat ad operandum ſolùm mediatè cũ ſecundis cauſis, an verò agere etiam poſsit immediatè, cauſarum ſecundarum ordinem deſtruendo.

Videtur de mente Ariſtot. probari poſſe im mediata Dei operatio ad extra,

2 Et quidem videtur deducendum admiſiſſe, poſſe immediatè agere, nullo cauſarum ordine, ſeu concurſu admiſſo: quòd probari poteſt: primo, quia l.8.phiſ.78. & 79. probat Deum eſſe potentiæ infinitæ, ergo admittit ipſum eſſe omnipotentem, atq; potentem cauſare etiam immediatè; Confirmatur, infinita potentia non poteſt excedi, alias non eſſet infinita, vel daretur alia maior potentia, quæ poſſit immediatè agere: eſt verò notum Ariſtoteli ipſum eſſe potentiæ infinitæ, ergo notum quoq; poſſe agere abſq; cauſis ſecundis. Accedit ſecunda ratio, quidquid poteſt cauſa inferior poteſt etiã ſuperior, & multò perfectius, ratione virtualis, & eminentialis continentiæ, tùm cauſæ ſecundæ, tùm effectus cauſæ ſecundæ, quod eſt etiam principium theologorum, *quod quidquid poteſt cauſa ſecunda cum prima, poteſt prima ex ſe ipſa ſola*: hoc autem iam nouit Ariſt. cùm admiſerit inferiora perfectiori modo reporiri in ſuperioribus, tertiò habemus clariſſimè, & apertè mentem eius circa Intelligentias motrices orbium cæleſtium, ipſæ namq; non ſunt à ſe, ſunt autem ab ipſo Deo immediatè: quod ſi conſtat effectus hos pendere immediatè ab ipſo, conſtabit quoq; admiſiſſe talem omnipotentiam, qua immediatè produceret: antecedens & ratione probatur, & auctoritate: ratio

eſt,

eſt, nè detur proceſſus in infinitum in Intelligentijs, ſi namq; hanc Intelligẽtiam non produxit immediatè, ergò mediante alia Intelligentia, quæro de illa, aut eſt immediatè producta, aut mediatè, ſi ſecundum, quæro vt prius, & procedemus in infinitum: ſi primũ, habemus intentũ, & ita conſtabit egiſſe ad extra immediatè: quod ſi tunc accidit, ergo conſimiliter poſtea accidere potuit, ſi namq; non implicat immediatè producere vnum, nec implicabit ſic producere aliud, præcipuè cũ potentia eſt infinita, & indefectibilis, & à nullo impedibilis: quapropter ita cenſendum exiſtimaſſe de ſingulis: tùm etiam quia effectus vlteriores producibiles non eſſent maioris ponderis, quam Intelligentiæ immediatè productæ, hæ namq; erunt perfectiſſimæ naturæ inter creatas, ergo vel erunt effectus alij tanti ponderis, quanti Intelligentiæ, vel inferioris: ſi primum, igitur ſicut Intelligentias immediatè producit, ita potuit hos effectus. ſi ſecũdũ, multo magis. Nec valet dicere cùm Auicenn. Intelligentias alias eſſe immediatè productas ab Intelligentia præcedente, non à Deo. etenim licet in hoc diſcrepet ab Ariſt. qui omnes exiſtimauit immediatè procedere à Deo, nihilominus ipſemet Auicen. fatetur primam Intelligentiam productam procedere immediatè à Deo. ergo ſtat vt non implicet effectum aliquem ab eius omnipotentia prouenire immediatè. quod ſi ita eſt, ergo non implicabit de multis. Auctoritas etiã eius eſt in 12. met. 52. & expreſſius in eod. lib. t. 38. vbi ait, *à tali ergo principio, tum cælum, tum natura dependet*, & 1. de cælo, t. 100. dicit. *alijs communicatum eſt, his quidem exactius, his autem obſcurius eſſe, & viuere*: ex his patet vniuerſa pendere à primo, aliquod autem forè neceſſarium pendere immediatè, ſaltem Intelligentiæ, & ſempiterna.

Probatur etiam. 3 Quartò à minori ad maius, cõcedit Ariſt. cauſam limitatam, & inferiorẽ producere poſſe immediatè effectus aliquos, vt conſtat, ergo multo magis de Deo ipſo id affirmaret, ne ſuperiori cauſæ perfectionem deneget inferioris. anteced. patet de intellectione, volitione, cæteriſq; immediatè pendentibus à ſuis cauſis, vel potentijs, vel obiectis, vel ſimul vtriſq. Deniq; accedit ratio creationis, quæ potiſſima eſt, qua admiſſa, admittendum quoq; erit intentum. docuit Ariſt. dari creationem. at per hanc immediatè agens primarium producit, ergo. anteced. prob. ſiquidem materiam admiſit creari immediatè à Deo. alias materia per materiã produceretur, ſicq; quærimus de illa alia, an ſit immediatè creata, quod ſi negetur, dabit infinitas antecedentium materiarum, & infinitus proceſſus, ergo ſtandum in aliqua prima creata, & talis eſt Ariſtot. diſcurſus 1. phyſ. 82. & 12. met. 12. cùm probat primam materiam eſſe ingenerabilem. hoc idem cõuincitur apertius de Intelligentijs atq; cælis, nec enim iſta ex alijs, neq; ex principijs materialibus producta fuere; tùm etiã, quia hæc omnia fuere æterna, vt materia, Cælum, & Intelligentiæ ex Ariſt. Accedit vltimò; quia ex Philoſopho Deus eſt cauſa ad extra libera, & voluntaria, non igitur neceſſariò exquirit cæterarum concurſum cauſarum, poteſt ergo ſe ſolo cauſare, quod erit immediatè per omnipotentiã agere: antecedens probatur ex lib. de mund. ad Alex. vbi probat Deũ, prout vult agere, & ſuo arbitratu, ac voluntate regere vniuerſa, quod etiam infra de hac re magis conſtabit, ſunt igitur, qui rationibus his adducti concedunt ex Ariſt. mente dari immediatam eius operationem ad extra, ex quo concludunt naturali ratione poſſe demonſtrari diuinam omnipotentiam; hi ſunt ex antiquiorib. pauciores, ex recenſiorib. vero plures, tum in 1. d. 42. tum etiam 1. p. q. 25. Accedit Richardi Victorini authoritas, *quod in ijs, quæ fide tenemur non ſolum habemus rationes naturales, ſed neceſſarias* l. 1. de Trin. c. 3. de fide autem conſtat Deum omnipotentem. Accedit quod ex Philoſ. Deus immediatè cælum mouet, immediateq; ab ipſo tùm cælum, tùm materia habetur per creationẽ, ſi dixeris admiſiſſe creationem nõ tamen temporaneam, nihil obeſt, quoniam ſufficit in priori ſigno naturæ concedere aliquid ab eo immediatè dependens, de Intelligentijs

etiam

etiam conſtat immediata canſalitas, ex quibus arguitur quòd ſi hæc, quæ ſuperiora ſunt, & perfectiora immediatè condidit, multò magis condere exiſtimandus eſt ea, quæ minorem requirunt actiuitatem, & perfectionem, vt producantur, vt eſt materia, vt ſunt imperfectiora.

Lis pendet ex inueſtigation, vtrũ Ariſtot. admiſerit creationem.

4 Ex duobus pendet huius litis compoſitio, alterum eſt Ariſtotelis mentem inueſtigare circa modũ agendi in Deo ad extra, alterum, vtrum admiſerit creationem, ex quibus facillimè deciditur lis conſequenter loquendo ad eius mentem. Quocirca, qui negant Ariſtotelem docuiſſe Deum ad extra agere neceſſariò, hi aſſerunt naturali ratione, atq; ex Philoſopho probari poſſe omnipotentiam immediatè agentem; etenim cùm liberè agat, inquiunt, non neceſſariò expoſtulat ſecundarum cauſarum concurſum, & conſequenter abſq; illis immediatè producet immediatione etiam cauſæ: Qui etiam admittunt ab ipſo creationem, idipſum quoq; ſtatuunt, vt immediatè agat, nullis concurrentib. ſecundis cauſis, hoc namq; eſt creare, de nihilo producere, abſq; concurſu concauſæ: hi ergo ſic conſequenter loquũtur, & ſunt omnes, qui recenſitis argumentis coacti, concedunt naturali lumine eſſe notam omnipotentiam: Ex aduerſo autem, qui ſtatuunt Ariſtotelem docuiſſe liberè Deum non agere, ſed neceſſariò, inde inferunt, neceſſariò adhibere concurſum ſecundarum cauſarum, quo fit, vt cenſeant abſq; ſecundis cauſis agere nihil, ne vel fruſtraneus eſſet cauſarum ordo, vel ne cauſę ſecundæ ſuis priuarentur naturalib. functionibus; itaq; tota lis pendet ex declaratione mentis Ariſt.

Sententia negatiua de mente Ariſt.

5 Hinc fit vt antiquiores Scot. in 1.d.42.q.1. Gabr. ibid. idemq; Scot. q. 7. quol. cùm ſuis diſcipulis, nec non Soncin. 12. met. q. 18. ſuppoſito principio hoc, Deum agere neceſſariò, ſuſtineant de eius mente concedi non poſſe demonſtrari naturaliter immediatam omnipotẽtiam, nedum à priori ſed neq; à poſteriori: prob. quia admiſit ipſe, cùm philoſophis cæteris Deũ abſq; ſecundis cauſis nil poſſe agere, quapropter nec ipſe immediatè: probatur etiam, quoniam eſſentialis ordo cauſarum ſuperiorum, & inferiorum adeo eſt neceſſariò obſeruandus, vt eo deſtructo, non prodeat effectus; hunc ordinem admiſit Ariſt. propterea q; docuit oportere mundum inferiorem contiguari cùm ſuperiori, quaſi inferiores effectus haberi nequeãt immediatè à Superiori. item, quamuis ſuperior cauſa eminentius effectum contineat, ac perfectiori modo concurrat cùm ſecundis, non tamen poterit ſe ſola totum effectũ producere, & ſic immediatè; patet de Sole, qui quamuis effectus ſublunares eminentius contineret, quàm aliquæ cauſæ proximè inferiores, non tamen ſe ſolo producere poteſt effectum talem, vt concurrens Sol cum Leone ad producẽdum Leonem, non propterea quod eminentiorem cauſalitatem habet, poſſet ſe ſolo producere Leonem: ſic Deus, qui cæteris eſt præſtantior, non propterea ſe ſolo poterit ex philoſophicis principijs producere totum, ad quod neceſſario requiruntur concauſæ ſecundæ. Inſuper non potuerunt demonſtrare Deum contingenter cauſare, multo minus demonſtrabitur ex eis, fieri poſſe vt deficiat aliqua ex ſecundis cauſis, aliàs contingenter cauſaret cum tali ordine cauſarum, ſiquidem poſſet cauſam aliquam ſuſpendere, ne coagat. Admiſerunt vltra, ex nihilo nihil fieri poſſe, ſed requiri materiam, tãquam neceſſariam, & ſimpliciter concauſam, ex qua dempta, nil in mundo adeſſet: & hoc quidem maxime vrget pro ipſis. Vlterius, ſi conſtaret ex ipſis omnipotentia, poſſent negare omnem aliam concauſalitatem: tum quia cùm cauſa ſuperior, & prima agat in primo inſtanti, iam nil remaneret producendum à cauſa ſecunda: nec valet fugere, quod ageret in primo inſtanti à *quo*, non in *quo*: etenim in eandem ſententiam incideres, quia agerent in in *quo*, & ita ſimul agerent, & vnum non abſque alio. Confirmatur, cùm agat neceſſario, in quocunque inſtanti, in quo poteſt agere, agit; hęc namq; eſt conditio Agentis neceſſario: antecedenter autem prior eſt cauſa prima, poteſtq; per te agere ſine ſecunda, ergo ſic ſubito agit: ergo ſic ſemper agit,

&

& ita nuſquam admittet coucurſum, ſaltem cauſarum aliarum extrinſecarum: dixi extrinſecarum, qua iam conſtat ſupplere nequiſſe cauſarum curſū internarum, vt conſtat. prob. conſeq. non enim eſt maior ratio de effectu vno, quàm de pluribus, at poteſt ex ſe agere hanc, & producere hoc vnnm, ergo omnia: ratio namq; impeditiua eſſet concurſus ſecūdarum cauſarum, at poteſt ſine eis vnnm producere, ergo omnes: tum etiam, quoniam potētia ſua adeo ſufficiens eſt pro vno, quā pro mille producendis, nec maior potentia requiritur in vno, quàm in alio, quæ reperiri non poſſit in Deo ipſo, cùm ſit infinita: tùm inſuper, quia ſi in eo primo inſtanti hoc poteſt, ſemper poterit: non enim decurſu temporis impedietur, nec virtus eius dafatigata relaxabitur; tnm deniq; quia neceſſario ageret, ergo neceſſitas in cauſa erit vt omnia, & ſingula ſic immediatè producat. Confirmatur, quia ex neceſſitate Agenti non poteſt limitari neo modus actionis, nec numerus effectuū producibilium, præcipuè quādo illud eſt agens infinitæ virtutis: quo ſit vt multa hinc deducantur, primo quòd ſubito producet, eſt enim neceſſariū, & non impeditnm: ſecundo quod omnia ſic immediatè producet, etenim non requirit concauſam, eſtq; infinitæ potentiæ, & neceſſario agit; ergo non eſt maior ratio de vno, quàm de altero: tertiò, quod iam effectus omnes ſuere ſimul ab initio producti, patet; non obſtat cauſa ſecunda, nec conditio temporis, nec ſimilium concurrentium, cùm non eis indigeat, ergo ſimul omnia: & quartò, quòd nec eſſet tempus, nec motus, nec vllum ens ſucceſſiuum, ſiquidem cùm omnia ſic produxerit, ſimul neceſſario produxit, ſucceſſiua autem habent eſſe, & conſeruari ſucceſſiuè: hæc, inqnam, & ſimilia abſurda ſubſequūtur ex poſitione omnipotentiæ immediatæ, vna cum modo cauſandi neceſſario. Vltimum eſt; quod fruſtra admiſiſſet idem Ariſtot. tot genera cauſarum, ſaltem extrinſecarum, efficientium, & proximorum finium, etenim impediri poterunt, & fruſtrata remanerent in actionibus; cū ipſe immediatè poſſet agere. Dices, etiam nunc ſequi inconueniens iſtud, ſiquidem Deus liberè agendo, per miraculum ſuſpēdit cauſas ſecundas, vel earum modum agendi alterat, quod aliquando fieri non eſt inconueniens, nec per hoc redduntur fruſtratoriæ cauſæ ſecundæ, cum ſublato miraculo poſſint actiones ſuas continuare, vt de facto continuant. Concedimus, & nos non implicare vt aliquando id fiat, nec ſic fruſtrarentur ſecundæ cauſæ: at ex tali poſitione ſequeretur nō ſemel, ſed ſemper remāſuras fruſtratas, quod patet, quia poteſt immediatè agere, & tali modo neceſſario agit, omni dempta libertate, ergo ſemper ſic immediatè agit, agere namq; neceſſario veluti naturale agens, libertate carondo, idem eſt, ac ſemper, & æternè ſic agere, cùm non polleat libera facultate ad agendū aliter, ergo ſic ſemper agēdo immediatè, omnis ſecunda cauſa erit tollenda, ipſe autē conſtituit quatuor genera cauſantium, atq; docuit neceſſario fore admittenda, cum naturalibus rerum naturalium principijs tribus, ergo non arbitrandum fui immemorem fuiſſe, ſicq; tollenda eſſet cauſalitas omnis præter primam, ideo tollendum Cęlum, tollendum Mundi inferioris cōtiguationem ad ſuperiorem, ac tollenda cætera, quæ cauſæ, & concauſæ ſibi nomen vendicant, & actionem.

6 Dices, hæc eadem inconueniētia ſequuntur ſolùm admittēdo docuiſſe agere immediatè; ergo etiam negare debemus agere neceſſario ex Ariſt. ſi ex ipſo negamus agere immediatè. Reſp. minimè eadē ſequuntur; etenim ex admiſſione ſola quod agat neceſſario, nō deſtruitur ordo cauſarum ſubordinatarum: non ſequitur inconueniens quod omnia forent ſimul, quia ſucceſſiuitas, & continnatio, vel ſerotina, & tarda productio neceſſaria erit propter ſecūdarum cauſarum accommodationem, quæ non ſubito, & ſemper diſpoſitæ erunt ad agendum: proueniet inde diuerſitas effectuum, procedent monſtra, habebuntur effectus quandoq; deficientes, quandoq; ſuperfluentes in materia, iuxta diſpoſitionem cauſarum habebitur aſſimilatio, quæ fieri ſolet in cauſa proxima ſecunda

da, poterit quandoq; non ſequi effectus ob impedimentum ſecundæ cauſæ;& ſimilia : & licet non habeatur ex tali poſitione ita perfecta totius Orbis conſtitutio, & moderatio, nihilominus minus haberetur ponendo negaſſe ſecundarum cauſarum concursū: quapropter minora inconnenientia ſequuntur ex neceſſitate ſola, quam ſimul ex neceſſitate,& modo prodncendi immediatè.

7 Dicimus ergo probabilius eſſe naturalı diſcurſui Ariſtotelico innitēdo, monſtrari non poſſe efficaciter, quā demonſtrari, vt patet ex dictis:& confirmatur amplius, quoniam ſequeretur naturali via conuinci poſſe productionem Verbi in generatione diuina; & conſimiliter myſteria pleraq, noſtræ ſalutis, traſcendentia alioqui captum noſtri intellectus, ſoloq; fidei lumine nota : eadem namq; infinita virtus expenditur ad Verbi productionem, cæteraq;ſupernaturalia producenda, quę expēditur ad ſublunares effectus, licet effectus atq;termini productionis omnipotentiæ, ex parte ſua non poſtulēt talem virtutem infinitam in eodē gradu; etenim dum differunt in entitate, ac perfectione, perfectior effectus perfectiorem poſtulat cauſam, & infinitus infinitam, ſed de facto eadem infinita virtus expenditur pro omnib. tam ſupernaturalib. quam naturalib. qnia eadem Dei infinita omnipotentia operatur hæc omnia, igitur ſi nota eſt omnipotētia pro naturalibns, nota quoq; foret pro ſupernaturalibus.

Creationē an admiſerit Ariſt.

8 Duo antem ſnnt, quæ aliquos, præcipnè Recentiores trahunt in oppoſitum, alterum eſt negare Ariſtotelem docuiſſe Denm agere neceſſario, quod quam ſit falſum patebit ſubſeq. artic. ideoq; Suar. in met. diſp. 30. ſect. 17. conceſſit naturali ratione poſſe demonſtrari; alterum eſt de creatione, quam pleriq; admittunt de mēte Ariſt. ideoq; Molina in eandem abijt ſententiam, vtpotè exiſtimans Ariſtotelē admiſiſſe creationem: vtriq; autem minus iuſto ſenſum Ariſtotelis percepernnt, vt infra patebit & de primo quidem iam conſtat ſuppoſita neceſſitate agendi, fore vt impoſſibile ſit immediatè producere, ob neceſſarium ordinem, ex ipſo Ariſtot. ſecnndarū cauſarum: De ſecundo etiam, aduertere oporteret Intelligentias, cęlum, & materiam, quæ Ariſt admiſit ab æterno, non habere eſſe per creationem veram ex mente eiuſdem Ariſt. negauit nāq; Ariſt. dari creationē ex vulgato principio, *ex nihilo nihil fit*:& licet conceſſerit hæc immediatè eſſe à Deo, non tamen concedebat ex hoc creationē: ſciendum namq; hæc non pendere à Deo ex Ariſtotele, ſub ratione veræ efficientiæ, verę q; cauſalitatis, nec nāq; admiſit ea eſſe verè cauſata, tùm quia implicat aliquid eſſe formaliter æternum, ac infinitum, & eſſe verè cauſatū, vt dicebat Henricus: tùm etiam, quia etſi aſſeruerit Scotus Ariſtotelem admiſiſſe etiam eſſe cauſatum, cauſatio tamen iſta non eſt apud eum vera cauſatio ad inſtar effectuum ſublunarium, nec eſt cauſatio procedens à non eſſe ad eſſe, à priuatione ad eſſe, atq; productio cùm mutatione: in æternis nāq; non reperitur talis anterior mutatio, nec priuatio ſui eſſe, ſed ſemper eſſe, ideoq; quod ſic procedit non dicitur verè creari. vnde eſt, vt recentiores iſti non aduerterint, non erint verum in ſententia Ariſt. illud verè creari, quod immediatè habet eſſe à canſa prima: hoc quidem negat Ariſt. licet concedat Theologus; quapropter Theologo id ſufficeret, quod non ſufficiet Ariſtoteli requirit. n. Ariſt. vltra immediationem, veram effectionem, veramq; cauſalitatem, ſicut etiam exquirit Theologus: at dum hæc admiſit ab æterno, & docuit eſſe entia neceſſaria, cùm etiam non dixerit ea habere eſſe à ſe, dixit tamen non eſſe verè cauſata, id quod requiritur ad creationem:& ſi in ſempiternis reperitur nomen cauſationis, vt 2. met. 4. *ſempiternorum principia veriſſima eſſe neceſſe eſſe, quia alijs ſunt cauſa veritatis*; tamen cauſalitas hæc impropriè ſumitur, vel. n. importat cauſalitatem per modum emanationis ſecundùm Scot. vel per modum depēdentiæ alicuius iuxta Henric; vel in ratione cauſæ finalis tantum ſecūdùm Bacchon. vel in ratione conſeruationis ſolius, iuxta alios: itaq; expreſsè habetur immediationem iſtam nō eſſe apud eum rationem inferrendi creatio-

An vera creatio ex Ariſt.

tionem: Confirmatur, quoniam ex definitione creationis, ipſa *eſt de nihilo*, ly autem *de* non eſt neceſſe vt ſolùm deneget *cauſam materialem praexiſtētem*, ſed requiritur etiam vt deneget ordinem à *non eſſe ad eſſe*: at hæc fuere æterna ex Ariſt. itē & ſi de facto Deus ab æterno mundum produxiſſet, adhuc diceretur creatus mundus ex Theologis, quoniam habuiſſet eſſe per veram cauſationem liberè à Deo, vereq; eſſet ens contingens: at de his Ariſt ait non eſſe verè cauſata, immo eſſe entia neceſſaria, & indefectibilia, Deo neceſſario agente: quapropter ex eo non licet inferre creationem, tanquam ex immediata operatione, quòd ſi Molina aduertiſſet 1.p.q.25.& q.2. non admiſiſſet de eius mente elici omnipotentiam.

Demōſtratur immediata omnipotentia ex principijs fidei.

9 Dicendum vltimò, quòd extra Ariſtotelis principia loquendo, poſſūt quidem rationes per plures formari ad omnipotentiam ſuadendam, nedum lumini fidei innitendo, verum etiam & ipſimet naturali indagini: inter quæ plura ex capitib. recenſitis pro oppoſita parte ingrediuntur: tùm ex ratione primi effectiui, cui incumbit virtus factiua omniū: tùm ex negatione proceſſus in infinitum in cauſis, & cauſatis, vt detur vna prima cauſa, & vnum primò immediatè cauſatum: tùm ratione conditionis naturalis ipſius effectus, qui habere eſſe non poſſit, niſi per immediatam actionem creatiuam, vt eſt rationalis Anima, gratia, dona ſpiritualia, atq; Intelligentiæ; tùm ex deſtructione principij illius, *ex nihilo nihil fit*, tum deniq; ex communi axiomate, *quidquid poteſt cauſa prima cum ſecunda, poteſt ſeipſa ſola*: Quod confirmatur etiam Scripturis pſal. 88. *potentia tua Deus vſq; in altiſſimis*. 142. *omnia quæcunque voluit fecit in Cælo, & in Terra*. 148. *ipſe dixit, & facta ſunt, mādauit, & creata ſunt*. epheſ. 1. *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Exo. 15. *omnipotens nomen eius*; Eccleſ. 1. *vnus eſt Altiſſimus Creator omnium omnipotens*. Gen. 18. *numquid Deo eſt quidquam difficile?* Luc. 1. *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, atque in ſymbolo, *Patrem omnipotentem*.

Ariſt. nouit Deum eſſe infinita potētia, at non cognouit poſſe producere plura immediatè

10 Hinc ad rationes in contrarium, ad primam dicimus, & ſi notum ſit naturaliter Deum eſſe potentiæ infinitæ, tamē nō eſt ei ſic notū eſſe immediatè omnipotētem: Ariſt. primum nouit, negauit ſecundum: differentia autem vtriuſq; conſiſtit, quod eſſe potētiç infinitæ eſt poſſe producere omnia in infinitum, attamen cum cauſis ſecundis, eſſe verò omnipotentem eſt potentiā habere immediatè attingentem effectum abſque ſecunda cauſa: primum noſcitur, & admittitur, ſed ignoratur ab Ariſtotele ſecundum. Ad confirmationem, conſtat iam infinitam potentiam non poſſe excedi intenſiuè, quia nulla maior, nec infinito fieri poteſt intenſiua additio: excedi autem poterit, & fieri maior extenſiuè, vt in quæſt. de perfectione probauimus. Dices, aliàs poſſe dari potentiam magis infinitam, quæ poſſit ſic, & ſemper immediatè producere. Reſp. negando aſſumptum, quod namq; non eſt factibile ab infinita potentia, non eſt factibile à maiori, quia maior non datur: obſtabis, ergo imperfecta erit, & non infinita, vtpote carens tali actiuitate, & indigens concurſu ſecundarum cauſarum: dicendum eſſe perfectiſsimam, nec concurſum requiri ad ſupplendam virtutem eius, ſed ratione effectuum: ſi namq; primum agens eſſet virtutis finitæ, iam cōcauſæ admitterentur ad augendam virtutem ſuam, verùm quia infinitum eſt, ideo admittuntur ex parte effectus, vt multiplicationem, atq; diuerſitatem, ſeu ſpecificationem tribuant effectibus, aliàs idem, eodemq; modo ſemper produceretur effectus, ergo deſumenda erit potius talis neceſſitas ex imperfectione effectus.

Quidquid poteſt cauſa prima cum ſecūda, eſt axioma Theologicum, non Ariſtotelicum.

11 Ad ſecundum, maior illa nota non eſt Ariſtoteli; nec ex eius principijs deducitur, quamuis ſit nota Theologo: eſt namque ab Ariſtotele conceſſum cauſam primam poſſe in omnem effectum, in quem poteſt cauſa ſecunda, at obſeruato ordine cauſarum, ſic enim intelligit, negaret namq; poſſe de ſeipſa ſola: cum quo ſaluatur continentia eminentialis, ac virtualis, attamen cum ordine exequendi ad opus medijs cauſis ſecundis: axioma autem

quid-

quidquid poteſt cauſa prima cum ſecunda, poteſt ex ſe ſola, eſt ſolùm Theologicum, non deducibile ex ſententia Ariſtot.

Probatur Intelligentiarum, cœli, & materiæ, vtrum fuerit creatio ex Ariſtot.

12 Ad tertium reſponſio patet ex dictis, quomodo Ariſtoteles conceſſerit immediatam productionem Intelligentiarum, materiæ, & cœli: non enim illa fuit creatio, non vera productio, non vera cauſatio, nec rigoroſa effectio, ſed vel ſimplex emanatio, vel aliquod ex capitibus recenſitis: omnipotentiæ autem immediatæ opus eſt aliquid verè effectibile, verè cauſabile, quodq; ſit entitate ſua contingens, & defectibile, illa autem tria admiſit Ariſtot. eſſe formaliter neceſſaria, quapropter, cùm non ſint verè cauſata, vt ſup. non dicuntur terminus omnipotentiæ, ſicq; omnipotentia ſic in rigore ſumpta nõ ſe habebit ad illa immediatè, ſed nec etiam mediatè. idem ad auctoritates.

Specificatio, & aſſimilatio effectus prouenit à cauſa inferiori, & proxima.

13 Ad quartum dicendum concedi inferiori cauſæ quandoq; negari autem ſuperiori, nõ quidem ob eius imperfectionem, ſed propter ſtatutum, & eſſentialem ordinem, propter etiam indigentiam effectus: ſiquidem ſpecificationem vltimam, atque materiales conditiones recipere opus eſt à cauſis ſecundis proximis. Dices, cur cauſa creata valet hoc complementum effectui tribuere, & nõ cauſa ſuperior immediatè? Reſpond. quia ſpecificatio eſt à cauſa proxima, cui aſſimilatur effectus, & cui debet aſsimilari, hæc tamẽ recipere nequit immediatè à ſuperiori, cùm nec ei valeat aſsimilari, tum etiam quia vt dictum eſt, ſuperior cauſa ex neceſsitate agens, vel eodem modo cuncta produceret, vel ſemper idem produceret, vt ergo habeatur & diſtinctio, & multiplicatio, & diuerſitas, atq; ſpecificatio effectuum, ideo admittitur concurſus neceſſario cauſarum. vbi autem in effectu nõ exquiritur aſsimilatio, ratione æquiuocationis, recurratur ad rationes alias, diuerſificationis, multiplicationis, & ſpecificationis.

Materia, & Cœli an creati ex Ariſt.

14 Ad illud de materia, Angeliſq; & cœlis, iam diximus, & ſi immediatè ab eo ſint, non tamen ex Ariſtotele eſſe creata. dicendum ſecundo, quòd ſi Angelos, cœloſq; admittimus immediatè eſſe ab eo, non tamen admittendum erit de cæteris inferiorib. de eius mente; quia expedit, vt effectus nobiliores ſint proximè, & vicinius à cauſa ſuperiori, vt ſunt Angeli, ergo ratione perfectionis ſic euenit, vt ſint immediatè: cætera verò inferiora, quia imperfecta ſunt, ideo gratia ſuæ imperfectionis exquirunt concurſum cauſarum ſecundarum; indignum namq; eſt, vt effectus imperfecti pendeant immediatè à cauſa perfecta: & hæc eſt ratio diſparitatis. Dices, nil imperfectius, quàm materia prima, at hæc etiam eſt immediatè à Deo ex Ariſt. quia æterna, ergo ſi de ea id conceditur, magis concedetur de multis inferioribus effectibus perfectioribus ea: Reſpond. ideo eſſe ab eo immediatè, quia non eſt cauſata, cùm ſit neceſſaria, & æterna, at alia, & ſi perfectiora, quia debẽt habere eſſe per veram cauſationem, ideo exquirunt cauſas ſub ordinatas, quæ ſunt plures, nec valebunt produci ab vna prima ſola, & immediata: itẽ admiſit materiam primam incauſatam vt euitaret & creationem, & proceſsũ in infinitum in materijs: creationem quidem, quia quod eſt verè cauſatum nullo præſuppoſito ſubiecto, id eſt verè creatum, ergo ideo materiam admiſit incauſatam: proceſſum etiam infinitum, quoniam ſi cauſata eſſet prima materia, ergo ex alia, ne detur creatio, & de illa quæritur ſi ſit cauſata, aut non: ſi primum, quæritur vt ſupra in infinitum: ſi ſecundum, habetur intentum.

Effectus, quo perfectiores eo immediatius pẽdẽt à Deo.

15 Ad illud de Ariſt. quod admiſerit agere liberè ex arbitratu, dicetur inf. art. ſeq. Ad Richard. dicendum, quòd & ſi pro creditis habemus rationes, & demõſtrationes neceſſarias, eæ tamen nõ omnes ſunt notæ ex proprijs terminis naturaliter, nec notæ omnibus abſq; lumine ſuperiori: Ariſtoteli vel notæ non fuere, vel ex eius principijs non habetur naturaliter notitia eorum.

16 Ad illud de mouere immediatè, iam conſtat ex Theologorum ſententia moueri immediatè ab Angelo: an verò in doctrina Ariſtotelis id verum ſit de primo mobili: aſſerũt Alex,

& Simplic.8. phyſ. Soncin.12. met.q. 39.Gregor.2.d.1.q.1. in 2. artic.2. D. Tho. 12. met. t.36. de mente Ariſtot. Deum immediatè illud mouere cauſando motum: ab oppoſito autem immediatā motionem phyſicam tribuūt Intelligentiæ motrici de eius mente Auicen. 9.met.4. Aureol. apud Greg. cit.loc. Heruæ. de æternit.mund. q.4. D.Bonau.2.14.q.1. Ferrarienſ.3.contra gen.68. atque Scot. quol.7. & 12. met. t. 44. quòd ſi motionem reperiatur prouenire à Deo immediatè, ea erit metaphorica, quatenus Intelligētia mota à Deo ſub ratione cauſæ finalis, mouet ipſum cęlum: quod multo magis aſſereret Baccon. aſſerens æternas Intelligentias eſſe à Deo non ſub ratione cauſæ efficientis, ſed finis, iuxta Ariſt. atq; ſic vt finem mouere Deū Intelligentiam, vt moueat, conſtat ex eod. Ariſtot.12. met.t.38. cùm aſſerit Deum mouere Orbem, vt quia amatur. Ad id de creatione eſt dictum negare creationem, & æterna non eſſe verè cauſata, ideoq; nec immediatè producta: & ad illud de priori ſigno naturæ, ibi præcedit prioritas ſigni naturæ negatiuè ſumpti, non poſitiuè: ſi namq; ſe teneret poſitiuè prioritas; benè curreret, vt in materia penes formam, ſubiectum penes accidens, quod valet in verè cauſatis. Et ad vltimum, iam diximus, perfectiora ſunt, ideo poſtulant vicinitatem, acceſſum, & immediationem ad primā cauſam, inferiora verò, quia imperfectiora, ideo poſtulant acceſſum ad creaturas, velut cauſas imperfectas, & receſſum à cauſa perfecta: ſed de hoc infr.

Primū Mobile an moueatur, immediatè à Deo ex Ariſt.

Prioritas naturę poſitiuè, negatiuè.

QVÆSTIO II.

Vtrum ex Ariſtotele Deus per omnipotentiam ſuam operetur neceſſario.

ARTIC. I.

Diſputatur hinc inde, & ſtatuitur pars affirmatiua.

Probatur pars affirmatiua Ariſtotelem admiſiſſe Deū agere neceſſario ad extra.

1 QValem verò in operādo expēdat modū, nūc demōſtrādum, an neceſſariū ex Ariſt. an liberū ex Theologis, an etiam contingentē ex iiſdem Theologis. & primò quoad Ariſtot. attinet, varia pro vtraq; parte reperiuntur loca, quibus inconſtans ſibi videtur in determinanda hac re: modo enim pugnat pro neceſſitate, modo pro electione. quoad primum autem eſt locus in 8.phyſ.15.& 2.met. 4. vbi ait, *æternorum cauſam eſſe neceſſariam*: ipſe autem eſt talis cauſa. ex eod. 8. *Cœli motus eſt æternus*: ex quo deducitur velle quod Deus neceſſario moueat, aliàs foret poſſibile, vt quodlibet iſtorum inferiorum quieſceret, quia primo motore quieſcente ceſſat in alijs motus. Poſſet quoq; non eundem obſeruare modum ſemper in mouendo; cui namque competit libertas eſſentialis, competit & modus agendi variabilis pro libito, tale .n. eſt agens liberum vt moueat, & deſiſtat, agatq; vt libet, pro modo magis ſibi placito, ſicq; poſſet Deus efficere motum non regularem, quod contra Ariſt. pugnat 2.cęli 35.item 9.met.17. docet non eſſe dubitandum quod quieſcat cœlū; quod

quod non contingeret, niſi ex neceſſitate mouendi. quod magis confirmatur ex 12.met.30.vbi ait Deum,& Intelligentias nō eſſe in potentia admouendum,ſed ſemper actu mouere, nec etiam è contrario habere potentiam ad non mouendum. Arguitur etiam ex motu generationis, & corruptionis,generatio namque eſt ſecundùm naturam neceſſaria, ergo neceſſarius cęli motus;patet conſeq. ex eod. quia *quieſcente motu cęli ceſſaret in inferioribus omnis motus generationis, & corruptionis*: & anteced.habetur ex 1. de gen.16.17. & 2.de gen.55. Ipſe quoq; admiſit Deum eſſe immutabilem,quia motus eius inuariabilis eſt, quia æternus, quia ſemper mouit, & nuſquam deſiſtet à motu,aliàs ſi ex tempore cępiſſet,& ſi deſiſtere vellet,aut variare, mutaretur,ex 2.cęl.35. & 8.Phyſ.53. & 2.cęl.21. exiſtimauit etiam fore neceſſe ſeipſum iuxta bonitatem ſuā cæteris communicare, ex quo concluditur neceſſaria Mundi huius emanatio, neceſſaria gubernatio, ac neceſſaria eiuſdem perpetuatio: quapropter cōcludit,quòd & ſi nullo egeat,ipſeq; ſibi ſufficiat,nihilominus neceſſe fore vt ſeipſum cæteris communicet: conſtat ex l.2.magn.mor.15.vnde intulit opus fore amicitia,etiam ſi nil ſibi deſit:niſus principio, quod bonum de ſui natura eſt ſui alteri diffuſiuum, ad inſtar fluuij, qui iam tumens, & exuberans, neceſſe eſt effluat, vt aquas pratis impartiatur,vt ea fæcundet,qui tamē nec aquis eget, nec pratis ipſis enutritur. ex his, & conſimilibus locis conſtare videtur de eius mente, neceſſitas in agendo: & in hunc ſenſum trahunt fere omnes,Okam,& Gabr.1.d.43.Soncin.12.met.q.30. Heru.quolib.2. q.4. Arimin.1.42. Ferrar.1.contra gen.23. Scot. 1. d.8. q.5. & prolixius in quol. q.7.cum ſequacibus. & d.4.2.1. Henric.quol.8.q.9.Sot.5.phyſ.1.& ex Antiquioribus Auicen.9.met.4.Auerr.8. phyſ.6.atq; Smplic.7.phyſ.t.15.

Ex capitibus alijs probatur de mente Ariſtotelis agere liberè.

2 Ex oppoſito autem videtur id negaſſe, atq; expreſsè tribuiſſe ei electionem,ea ratione,qua poterit praua agere:nam 4. topic.5. ait, *poteſt Deus praua agere*.non eſt autem ſenſus eius, vt poſſit à rectitudine ſua deficere; cū ſupra oſtenderit,eſſe immutabilem; at oſtendere intendit eſſe in eo electionem, & libertatē, vt liberè poſſit agere.'expreſſius loquitur ad Alex. in lib. de Mundo, cùm ait, *id poſſe Deum in Mundo quod Gubernator in naui, Auriga in curru, Imperator in exercitu, præter quam quod hi cum labore, ipſe verò abſq; animi laxitudine id exequatur*: & ſubdit, *omnia, quæ vult mouet*. in lib. quoque magn.mor.2.c.8 *tribuit ei pro meritis bona, & mala impertiri*: dirigit quoque vniuerſa ad vltimum finem:2. phyſ.29.*amicitiam admiſit bonorum, ac ſapientium ad ipſum Deum*.l. 10. Ethic. c.8.& ad Alex. lib.de Fato ex Ariſtot. ſententia docet Alex. *à Deo petenda eſſe beneficia*,vtpote potente ea elargiri, & negare. idemq; Alex.6.phyſ.15. negat docuiſſe Ariſt. Deum mouere neceſsitate,quamuis enim ſemper eadem faciat, poteſtatem tamen habet contraria faciēdi.& deniq; ex eiſdem morte refertur veniam petiiſſe ab ipſo Deo, dicens, *cauſa cauſarum miſerere mei*. prius tamen dixerat, *fœde iu huuc Mundum intraui,anxius vixi perturbatus egredior, quo vadam neſcio. cauſa cauſarum miſerere mi*, ex Laertio:id autem non poſtulaſſet,ſi Inflexibilem, & inuoluntarium, atq; naturali neceſsitate operātē exiſtimaſſet Deū. hæc ſunt, quæ contrarios trahunt ad exiſtimandum negaſſe Ariſtot. Deum agere neceſsitate naturæ.

Ariſt.verba in eius morte ex Laertio.

3 Verum quidem eſt,Ariſtotelem valde fuiſſe dubium,vt pugnantia loca oſtendunt: nihilominus negari nequit fortiora eſſe, & validiora argumenta, quæ pugnant pro neceſsitate, quibus etiam communis ſchola conuincitur ad id amplexandum: vnde dicendum primo ad oppoſita, quod licet ita ſit, tamen magis cōſtat de contrario, quā de libertate: inſuper quia dubius fuit, ideo dubiè loquebatur, nunc pro hac, nunc pro altera ſententia, attamen magis declinat ad primum ſenſum: ad quem etiam inclinat ſuus Interpres, & Comentator. Alij aiunt non docuiſſe agere naturæ neceſsitate ad modum cauſarum naturalium,quæ agunt quantum poſſunt,ſed agere neceſſario, pro quanto exiſtimabat neceſſario debere producere id, quod eſt: melius autem

Ariſtoteles magis inclinat ad partem affirmatiuā, quod agat neceſſario.

Aliquando dubius. Aliorum ſenſus de eo.

autem eſſe exiſtimauit mundum producere, quàm non producere; & eum producere magis ab æterno, quàm in tempore, meliuſq; cenſuit Cœlos perpetuare in motu, quàm ceſſare ab eo: Hoc quidem poſſet rationem veri apparentis habere ſi vniuerſa eſſent verè ab ipſo cauſata, & id ipſe concederet: at id negat, quoniam negat Intelligentias, Cæloſq; eſſe verè effectos per talem efficientiam ex præced. att. exiſtimare autem melius eſſe ſic iſta habere eſſe, quàm per veram efficientiam, non eſt attribuendum Philoſopho: qui optimè nouit entia alia à Deo, melius eſſe vt dependeant, cōſeruentur, & producantur in eſſe per veram efficientiā, quàm per non efficientiam, præcipuè cùm ipſe ſtatuerit ordinem in cauſis, & cauſatis, docuerit deueniendum eſſe ad vnam primam cauſam incauſatam, & cauſantem: & nihilominus admiſit Intelligentias, cœloſq; eſſe entia neceſſaria, ideoq; æterna: at melius eſt admittere ea eſſe contingentia, vt etiā ipſum noſſe negandum non eſt, attamē ex alio capite negauit, igitur ex ſimplici neceſſitate operandi exiſtimandū eſt ea ſic admiſiſſe: inſuper melior eſt modus operandi liberè, quàm neceſſario, libertas .n. eſt perfectio ſimpliciter, at nouit Ariſt. meliorem eſſe modum ſic liberè operari, & nihilominus non tribuit Deo hunc modum: melius eſt vt ſolus Deus ſit ens neceſſarium, cætera creata contingentia, at ipſe docuit etiam Intelligentias eſſe neceſſaria entia: ita de ſimilib. multis argui poteſt contra interpretationem Soncinatis, igitur non hac neceſſitate exiſtimauit neceſſario agere, ſed alia: præcipuè cū ei tribuatur modus agēdi neceſſitate naturæ: qui modus cùm non ſit per electionem, nō inſpicit id, quod melius, ſed pro termino habet id, ad quod impellit natura. Commentator inſuper l.deſtruct. diſp.3. ait admiſiſſe modum alium eminentiorem cæteris in operando: qualis autem ſit modus iſte, ignoratur, & ſubdit ſibi ſoli operanti notum eſſe. At verò modus operandi duplex eſt, vt ex eodem Ariſt. patet 2.phyſ.29. alter ex neceſſitate naturæ, alter ex electione: nec hucuſq; cognitus modus tertius, quia nōn datur ſubiectum tertium mediās, quod operari debeat altero ab his modis diſtincto: ergo vel ex naturæ ductu operabitur, vel ex libertate: Theologi etiā in Deo alterum ex his modis collocarūt: nec diſcrepat Deus ab altero iſtorum modorum in operando, cum alteri inuitatur, ſcilicet modo agendi liberè, & per electionem, ergo nec fingere potuit Ariſt. nouum modum diſtinctum ab his duobus, cōfingere autem vtroq; modo ſe habere, id erit deſtruere naturam, cùm naturalis neceſsitas in ſuo vigore ſpectata deſtruat libertatem, & hæc neceſsitatem. Nec valet dicere, Theologos aſſerere Deū ratione intellectus ſe habere per modum naturæ, cùm ſit potentia naturalis, & neceſſaria in intelligendo, & ratione voluntatis ſe habere liberè; ſi .n. ita loqueretur Ariſt. iam ceſſaret controuerſia: verum docuit cœlos, & Intelligentias eſſe neceſſeneceſſaria, at hæc non habent eſſe ſolummodo à diuino intellectu, ſed à voluntate, quæ eſt principium productiuum ad extra, ergo neceſsitas quam admiſit, attenditur penes voluntatem.

Expoſitio Commentatoris de intentione Ariſt.

4 Accedit, quòd agere neceſſariò duob. modis poteſt intelligi, alter eſt vt agat inſtar agentis omnino naturalis, carentis voluntate, & intellectu: & alter, vt agat quidem per voluntatem, ſed ea neceſſitetur ad agendum: ſi demus primum, igitur vel ſimilem eum reddemus brutis carentib. libertate, & ratione, vel etiam lapidibus, & ſenſu carentib. Ariſtoteles autem nuſquam docuit ſic agere, ſiquidem ſtatuit eum eſſe præditum voluntate, & intellectu, atq; intelligendo, & volendo operari, & ſuum intelligere eſſe ſuum eſſe ex 7. ethic.4. & 2.phyſ.8.9. ac 12.met.9. quo ſtante, nulla erit operatio in creaturis procedens ab intellectu, & voluntate; negatis namq; his in primo ente magis negarentur in creaturis, cùm non haberent cauſam ſibi hæc largienrem, nemo.n.dat, quod non habet. Dices, non obſtante quod prima cauſa hæc non haberet, habere poſſe entia cætera in eius ſententia, quia cùm ſint entia neceſſaria, etiam neceſſitate naturę ſic erunt intellectiua, & volitiua, licet voluntatem non habeat prima cauſa, *Obſtatur.*

ea

ea producendi: ſi namq; verè producerentur à cauſa prima curreret id *Occurritur.* quod Theologi docent, nō habito hoc à cauſa prima, non poteſt aliunde haberi: at cùm Intelligentiæ non producantur, ſed neceſſitate naturæ ſint, ipſa quoq, natura dederit ipſis intellectiuū, & volitiuum eſſe, abſq; quod recepiſſent à Deo. Sed nec hoc diceret Ariſt. tùm quia quidquid perfectionis eſt in inferiorib. tribuendum eſt multo amplius ſuperiori, eſſe autē intellectiuū, & volitiuum eſt perfectio ſimpliciter, ergo multo magis erit ſic Deus: tùm etiam, quia & ſi dixerit Intelligentias non eſſe verè cauſatas permutationē, & motum, quia nec creatas, attamen non negauit omnino dependentiam earum à cauſa prima, vnde & ordinē habent ad primam, & dependentiam ad illam, etiam ex mente eius: & licet ſint ex ſe neceſſariæ formaliter, & intrinſecè, tamen emanatiuè, & effectiuè ſunt à prima, quod ipſe concedit: quo ſtante non poterit alia via haberi in ipſis volitiuum, & intellectiuum, niſi conſequutiuè à Deo; & per conſequēs ipſe prius in ſe habebit hæc omnia, ne dare intendat, quod non habet. cōſtat ergo eſſe intellectiuum, & volitiuum, quapropter modus per modum naturæ operandi non poteſt ſic ex Ariſt. competere. Inſuper natura eſt determinata ad vnum, & ſemper producit, eiuſdem rationis, & ſpeciei effectum, conſtat autem docuiſſe, & admiſiſſe diuerſitatem ſpecificam, atq; genericam productorum, nedum ſingularium, & numericè diſtinctorum. item natura operatur ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, nec ex ſe remittit ſeipſam, aut moderatur in agendo, ſed agit quantū poteſt agere, potentia autem Dei eſt infinita, ergo infinito modo ageret, ergo infinito motu moueret, quod eſſet etiam mouere in inſtanti, at effectus taliter procedentes non experiebatur Ariſt.

Cauſa ſecūda virtū attēperet virtutem cauſæ primæ ex Ariſtot. & ex Theologis. 5. Dices, id ſequi ſi ex ſe ageret immediatè, cauſæ tamen ſecundæ medijs quibus agit, moderantur, & modificāt infinitatem vigoris: At de hoc quæro qua, & quanta virtute ſic moderantur cauſam infinitam cauſæ finitæ, aut virtute infinita, aut finita: non primum, cùm eam non habeant, ſunt namq; limitatæ: ſi ſecundùm, igitur cauſa finita valet infinitam moderari, & finita virtus potens eſt limitare, reſtringere, & coarctare infinitam: quod ex vi naturę id nequit euenire: theologi.n. ex pacto, & ſuppoſitione libera diuina admittunt conſimiles conſequutiones, vt quia liberè ſic ſe determinat ad cooperandum, vel non operandum, operantib. vel non cooperantib. cauſis ſecundis: id tamen in ſenſu Ariſt. nō admittitur, cùm nullam tamen hypoteſim, & pactum nouerit inter cauſam primam, & ſecundam. Dices, iam ipſe creaturas, & ſecundas cauſas admiſit ad contemperandam cauſæ primæ virtutem, & vt ne ſemper idem produceretur, & ne eiuſdē rationis forent effectus: Dicendum quod in hoc admiſit latentem contradictionē ſicut in multis alijs ex eodē principio neceſſario agendi procedentib. vt conſtabit: contradictio eſt autem, quòd virtus infinita modificetur, contemperetur, & limitetur per finitam neceſſariò: Dixi neceſſariò, quoniam de Deo quòd Theologi dicant ipſum expectare, ipſum ſe accōmodare, atq; condeſcēdere ad diſpoſitiones, operationeſq; ſecundarum cauſarum, vt his agentib. ipſe agat, illis deficientib. deficiat ipſe, non mirum eſt, quia non neceſſariò ſic facit, ſed quia vult, nec dicitur inde finita virtus limitare, & moderari infinitam, ſed potius Deus dicitur ſemetipſum accommodare cauſis ſecundis, vt ipſarum & libertatem foueat, & naturas conſeruet iuxta Aguſt. *res, quas condidit taliter adminiſtrat, vt ſuos motus agere ſinat*: at ſtante quòd neceſſario agat ex Ariſtot. iam ſequitur contradictio, vt finita, & creata virtus modificet, limitetq; infinitam: vel vt euitet contradictionem, neceſſe eſt concedat liberè agere, atq; ſeipſum liberè accommodare cauſis ſecundis, prout Theologi docent, at negat id, & concedit hoc. Item ſic agentem naturæ ductu abſq; libertate conſtat alteram admittere contradictionem, quoniam neceſſitas naturę tollit indifferentiam, amouet cōtingentiam, & nihilominus admiſit vtrumq; & agere neceſſario, & dari contingentiam, quæ contradictio eſt

Ariſtotelis latentes cōtradictiones.

eſt: Dices contingentiam prodire ex cauſis ſecundis, neceſſitatem vero ex prima: Reſpond. licet effectus ad ſolā cauſam proximam comparati, ſic forent, tamen forent neceſſarij ſpectati dependenter à cauſa prima, quoniam quòd neceſſariò producitur non eſt contingens, cuncta autem ipſe neceſſariò producit ex Ariſt. concurrit namque cum cauſis omnibus ad ſuos effectus, ipſeq; dicitur ab eodem, eſſe prima, & principalis cauſa, ergo cùm ipſe neceſſariò producat, ſeu cōproducat, erunt effectus neceſſarij, at conſtat eſſe perplures contingentes: en ergo altera contradictio. Dices has contradictiones ſequi exiſtimando ipſum carere intellectu, & voluntate, & operari inſtar agentis naturalis, quæ tamen nō ſequerentur, apponendo in eo intellectum, & voluntatem.

Aliæ contradictiones ex Ariſtot.

6 De hoc autē quæro (quòd erat ſecūdum caput ſuperius propoſitum) an verè liberè egerit, an neceſſitate: iā primùm eſt negatum: ſi des ſecūdùm, quænam erit iſta neceſſitas, aut naturalis, aut ex pacto, & ſuppoſitione, aut ineuitabilitatis, aut deniq; immutabilitatis: ſi prima, ergo ſequuntur dicta hucuſq; ageret namq, per modum naturæ: ſi ſecunda, oſtende vbi nam hoc fædus pepigit Deus cùm creatura in ſcriptis Ariſt. in ſcripturis namq; ſanctis id ſæpè reperies, promittēdo peccatoribus, quòd ſi pænitētiam egerint, veniam præſtabit, & parcet: ſed non in libris Ariſtotelis: ſi tertium, igitur taliter agit vt ineuitabiliter nō ſic agat, at talis neceſſitas pugnat cùm imperfectione termini creati, licet non pugnet in ipſo primo producente, circa productionem namq; Spiritus ſancti Theologi aiunt interuenire neceſſitatem ineuitabilitatis, quia adeo neceſſe eſt vt producatur, quòd nec eueniet, nec poterit ineuitabiliter oppoſitum euenire; & id quidem ea ratione, qua neceſſe eſt abſolutè Spiritum ſanctum eſſe, Trinitatem eſſe, & c. hæc tamen neceſſitas Deo ad extra nō tribuitur, quia creaturas, quas condit, poteſt nō producere, nōn ſunt.n. entia neceſſaria. Dices, hac neceſſitate admiſit Ariſtot. Intelligentias, eſſe, cælum, & materiam; quia hæc exiſtimauit entia neceſſaria, at quæro cur non reliqua ſic exiſtimauit forè neceſſaria? nōn ratione perfectionis, quia militaret ſolùm in Intelligentijs, perfectiorib. cæteris ſublunarib. at cælis, & materia prima multa inferiora ſunt perfectiora, vt cōſtat ex eod. Ariſt. quodlibet viuens eſſe nobilius cælo non viuente, ipſe autem facilius docuiſſe cenſendus eſt Intelligentiam non eſſe animam cæli, quam animā, ipſaq; materia eſt imperfectior cunctis, ergo ſimili, vel maiori ratione debuerat neceſſitatem impertiri alijs multis perfectioribus, ſaltē hiſce duob. id verò egit, vt ſubiectum præpararet futuris formationib. compoſitorum, quòd eſt materia, vt non cogeretur de nihilo producere, cùm neget creationem, cæloſq; admiſit ita, vt influxum præberent, atq; neceſſitatem contemperarent, & modum agentis infiniti, ac deniq; Intelligentias, vt mouerent cælos, quo motu produceretur effectuum varietas, & diuerſiuitas, qua ſtāte neceſſitate ineuitabilitatis erga iſta, conſtat amplior contradictio, vt ſit ens dependens, & neceſſarium, non :n. negauit hæc tria dependere ab eo; licet contulerit neceſſitatem eſſendi, ſequitur quoq, aliud à Deo, diſtinctum eſſentialiter, eſſe neceſſe eſſe: ſequitur, quod velit, nolit Deus ipſe, ex Ariſtotele, intelligentiæ Cęlum, & materia, hæc tria ſemper erunt, ſemperq; fuere: ſequitur, vt cætera reticeam, quod aliquid ſit cauſatum, & ſit ens omnino neceſſarium: quæ ſingula cōtradictionem implicant, quam cōtradictionem admiſit Ariſt. latenter, vel ſi animaduertit, aliter tamen ſaluare eas ignorauit. ſi demum recurramus ad caput neceſsitatis immutabilitatis, longe eſt, id aſſerere ex mente Philoſophi: quod namq; ſic eſt neceſſe, poteſt non eſſe, & poteſt nō produci, quia liberè producitur, vt immutabiliter Deus prædeſtinauit, & ſaluauit Petrum, ipſeq; Petrus neceſsitate immutabilitatis fuit ſaluatus, quæ ſtabat cum potentia ad oppoſitum: Ariſtoteles autem de Intelligentijs, cęliſq; ac materia non ſic loquitur, nec talem ipſis tribuit ſolam neceſſitatem immutabilitatis, ſed etiā ineuitabilitatis; quoniam docuit ea eſſe entia neceſſaria, aſſeruitq; ſic

Mun-

Mundum ab æterno fuiſſe,& ita ipſum operari ad extra,proptereaq; ab æterno, & ſtatim ab initio æternitatis ita egiſſe,& acturū æternaliter fore. Nec addenda erit vlterior neceſſitas coactionis,& violentiæ, hæc namq; etiam ipſo exiſtimauit Deo eſſe indignæ: igitur,vel dicendum aſſeruiſſe omnino liberè agere, vel ſecundo, intellectu, & voluntate carere, quæ duo nec ſomniauit, licet de primo aliqua loca eius attulerimus: vel tertio inutilem in eo fore,& otioſam ſuam volūtatem, dum ex neceſſitate naturæ agit,nullo imperio adhibito, ſeū exercitio voluntatis. Dices, & ſi voluntas non ſit principiū productiuum eius, quod veluti ex natura agit, tamen concurrit etiam, nec eſt otioſa, quia ſaltem confirmat id, quod alio principio,& alia via agit, & quaſi complacet in eo,quod iam egit: quemadmodū voluntas diuina non eſt Verbi productiuum principium, licet concurrat ſaltem complacendo ſibi in Verbi productione. At nihilominus verè appareret fruſtra,& otioſa ad extra,ſiquidē priuaretur principali exercitio, quæ ſuæ perfectioni, & libertati maximè debetur, vt ſit verū principiū ſub vera ratione pductiui,& cauſatiui, elicitiui, diſpoſitiui, & imperatiui,cōplacere nāq; non eſt actus præcipuus, & principalis voluntatis, quo oſtenditur eius innata facultas imperandi, cauſandi, & diſponendi pro libito; & licet ad intra non eſſet otioſa, quoniā amaret Deum, nihilominus ad ipſam quoq, ſpectat voluntatem vt exteriora gubernet, moderetur, diſponat, ideoq;Theologi nedum ei exercitium tribuere ad intra, verùm & ad extra, tanquam radix, & prima cauſa ad extra,rerum omnium, meritoq; ei tribuunt nomen omnipotentiæ. ex his omnibus conſtat quam difficile ſit ſaluare modum Ariſtotelis,& quam magna ſint inconuenientia,quæ ex modo ſic agendi conſequuntur,moduſq; cōfictus à Comentat. habet minus apparentiæ,cum nec Theologi, qui maiori lumine ſunt illuſtrati, modum iſtum tertium in Deo repererint: conſtat namque Ariſtotelem appoſuiſſe ei neceſſitatem operandi, at quomodo declinare poſſit inconuenientia inde ſequentia non apparet.

ARTIC. II.

Soluuntur argumenta in oppoſitum Ariſtot.

7 SEd aliqua ſuperſunt explicanda, quæ fauere videntur oppoſitæ ſententiæ, quod admiſerit Deum non agere neceſſario. Primum eſt,quia ipſe Ariſtot.admiſit dari contingentiam in entibus, ſiquidem admiſit rerū corruptiones, & principia contingenter producentia:quod tamen pugnat cum neceſſitate,ergo nō exiſtimauit ſic neceſſario producere.ſecundum eſt,quia 1.Perihierm. docuit, *in futuris contingentibus non eſſe determinatam veritatem*,& rationem reddit, *quia alias non oporteret conſiliari*: qui locus magis explicat ſuam mentem, dum determinationem negando in cauſis ſuperiorib, negat neceſſario agere.ſed contingenter iuxta conſultationes hominum. tertium,ſi neceſſario admiſit agere,cur etiam nō docuit omnia immediatè ab eo procedere,ratio eſt,quia agens naturale potens infinita producere, habens infinitam virtutem,ſi hoc,& hoc producit immediatè, producet etiam immediatè & ſingula,non enim in poteſtate naturæ vt naturæ, eſt ſic vel ſic pro libito producere,cùm agat neceſſario: vel namq; Deus ſic agens non potuit cætera ſic producere, vel noluit, vel implicabat à parte producti: non primum, quia iam conceſsit eſſe potētiæ infinitæ:non ſecundum,quoniam non agit liberè: neq; tertium, quia nulla ſtat implicantia vt omnes homines, omneſq; lapides, & plantæ ſic producantur immediatè.Deus nāque hoc facere poteſt, ſicut multa fecit, licet ad particulares quoſdam effectus cauſa proxima quandoq; requiratur: nihilominus verum eſt, potuiſſe plura quàm illa tria à Deo immediatè manare; ergo ſi ſolùm illa pauca immediatè prodiere, ſignum quod alia noluit ſic producere, & ſic erit agens liberum.& quartum eſt, cùm ſit agens vt natura,ergo effectus omnes producti ab eo immediatè erunt eiuſdem ra-

Proponuntur argumenta in oppoſitum

rationis,eiuſdemq; ſpeciei,quod tamẽ conſtat falſum,ſiquidem Intelligentia, Cęlum,& materia ſunt alterius rationis;ſequela patet, quoniam naturale agens producit ſemper de ſe effectus eiuſdem ſpeciei, vt ignis ignem: ergo diuerſitas iſta indicat in eo voluntatem ſic,ſicq; producendi diuerſimodè:non.n.recurri poterit ad cauſas ſecundas, vt dent his diuerſitatem, cùm doceat ea eſſe immediatè à Deo. Vltimum eſt,cur non potius ea,quæ perfectiora erant, produxerit immediatè; produxit namq; materiam,cęlumq; at conſtat hominem, perfectiorem eſſe vtroq; multaq;alia perfectiora eſſe ipſa materia: igitur cum intelligentija debuerat producere id, quod vicinius ſe habet ad perfectiones earum: hinc ergo ſignũ eſt,voluntate id egiſſe,operando vt potius hæc tria, quàm cætera immediatè prodierint.

8 Circa primum quæſitum eſt aduertendum controuerſum eſſe vtrum ex operatione Dei neceſſaria tollatur contingentia in entibus: qua in re iam plurimi ſuſtinent non tolli, etenim ea procederet à voluntate creata,quę eſt eſſentialiter libera,ideoq; ex parte ſui ſeruari cõtingentiam, ſicut ex cæteris alijs: at quæro quid reſponderent ad quæſitum allatum, quomodo namque conciliabunt neceſsitatem, & contingentiam ex Ariſt. dicerent neceſsitatem referri ad Deum, & contingentiam creaturis, reddendo ſingula ſingulis.

Cauſa prima neceſſario agente, vtrum tollatur cõtingentia, & libertas in cauſis ſecundis.

9 At contra iſtos vrgeo, quo fieri poteſt vt contingens, & liber operandi modus reperiatur in creatura, cùm non reperiatur in Deo ex Ariſtotele? eſt namq; libertas perfectio ſimpliciter,at hæc Deo negatur,ergo creaturæ magis negabitur: tùm quia perfectio inferioris, dicens perfectionem in ſe ſimpliciter, non eſt deneganda ſuperiori; tùm etiam quia à quonam creatura perfectionem hanc habebit? non à ſe, vt conſtat, non ab alio, quia non à Deo, non enim reperitur agens aliud, à quo poſsit recipere, nemo autem dat, quod non habet, vt diſcuſsimus; at libertas, & volũtas in Deo eſt principium operandi, & producendi contingentia, ergo negato tali principio in cauſa ſuperiori, negabitur in cauſa creata, ſicq; carentibus vtriſq; libertate haberemus aſſumptum,quod neceſsitas ſtaret cum contingentia:ſed de hoc quæſtionem propriam texemus.

Aliorum reſponſio.

10 Ideo Alij huic fundamento innixi,reſpondent Ariſtotelem admittẽtem neceſsitatem, non poſſe ſimul ſaluare contingentiam, cauſa enim prima neceſſario mouente, & vſu libertatis in operando carẽte,careret quoque cauſa ſecunda,ne foret perfectior; ideoq;mota à cauſa prima moueretur neceſſario ad inſtar naturæ, ſicq; neceſſario cooperaretur, vtpote carens principio agendi contingenter: haberet ſe namq, inſtar lapidis moti: cum hoc tamen admiſit Ariſt.contingentes effectus, ergo dicendum admiſiſſe contradictoria. Hoc dictum ſit conſequẽter ad principium Ariſtot.etenim Alij aliter docent,quòd dato illo Ariſtotelis principio, Deum mouere neceſſario,non ſequitur noſtram voluntatem per modum naturæ neceſſario moueri, libertas enim eſt de eſſentia eius,& ſic loquuntur Authòres primæ ſententię: at de hoc infra in propria quæſt. quidquid tamen ſit de eius mente, reſpondetur ad primum, quod admittendo Ariſtoteles cauſam primam neceſſario agere ad extra, & ſimul reperiri cõtingentiam, admiſerit contradictoria, vt ſuperius diximus.

Contradictoria ex Ariſt.

De futuris contingentibus non eſt determinata veritas, explicatur Ariſtot.

11 Circa ſecundum dicimus non negaſſe Ariſtotelem determinationem propoſitionis cõtingentis à cauſa ſuperiori, ſeu quòd determinata ſit in ſuperiori cauſa per modum eius producẽdi neceſſario, ſed docuit duo, alterum eſt quod contingens propoſitio formaliter,& de ſe ſpectata non eſt neceſſaria,nec ab intrinſeco determinata, aliàs non eſſet contingens; alterum eſt, quod loquebatur vna cum hominibus, penes quos de facto non apparet certitudo, ac determinatio contingentis, ſed in re penes ipſos dubia verſatur: vnde colligit, quod cùm contingens penes negotiantes adhuc definitum nõ ſit per latam in foro ſententiam à Iudicibus; cumq; contingẽs de ſe formaliter ſit indifferẽs ad vtrũlibet, inutiliter fortaſſe agerent ſi deſi-

ſterent à negatione, & peius errarent ſi exiſtimarent eſſe tale contingens de de ſe intrinſecè determinatum, alias, inquit, *non oportet conſiliari, & negotiari:* igitur loquebatur de modo procedēdi circa expeditionem cauſarum, & litium contingentium, oſtendens eſſe ad vtrumlibet indifferentes, ideoq; negotiandum; nihilominus cum hoc admittit iam ipſe earum determinationem prouenientem à cauſa prima, non tamē determinationem liberam, ſed neceſſariam per modum naturæ: ergo reddendo ſingula ſingulis, determinationem refert ad primam cauſā, at ſolùm per modum naturæ, non voluntatis, & contingētiam refert intrinſecè ad propoſitionem in ſe formaliter, & extrinſecè ad homines, Iudiceſque, penes quos adhuc determinatio facta non eſt: ſicuti etiam Theologi id ipſū dicunt, mutato ſolo, quod determinatio à Deo proueniens eſt per modum liberè voluntatis: qui magis contingentiam explicant, quoniam tum intrinſecè oſtendunt propoſitionem eſſe contingentem ex ſe, tùm ex parte hominum contingenter ſe habentium in operando, tùm denique extrinſecè ex parte Dei liberè determinantis: ſed de re hac ſuo loco, queſt. ſequenti.

Cur Ariſt. poſuit ſolummodo Intelligētias, Cęlū, & materiam primam eſſe immediatè à Deo.

12 Circa tertium dicendum primo ideo ſolùm iſta tria immediatè poſuit emanare, quia exiſtimauit præter Deum ſola iſta tria eſſe entia æterna, cætera verò temporalia: ideoq; cætera admiſit in tempore producibilia: ſecundo, quia exiſtimauit ſolùm illa eſſe entia de ſe neceſſaria, cætera autem contingentia, ideoq; illa admiſit habuiſſe eſſe ſemper cum ipſo Deo, cętera verò ſucceſsiuè iuxta ordinem: tertio, quia ſolùm iſta tria docuit eſſe incauſata, vt ſupra declarauimus præced. artic. cætera autem verè cauſari, ideoq; illa veluti incauſata, non eſſe proximè à cauſis ſecūdis, ſic enim exiſtimaret fore eſſe mediatè ſolùm ab ipſo Deo, mediantibus cauſis ſecundis, at negando eſſe cauſata, tribuit illis habere eſſe ſolū immediatè à Deo, & ab illo ſolo immediatè per quādam ſimplicem emanationem produci, vt diximus ibi. quarto, quia docuit, iſta tria eſſe cauſas vniuerſales rerum, & cætera pendere ab iſtis, & ipſa non pendere, niſi immediatè à Deo: Cęli namq; producunt hæc inferiora, & influunt per motum, ergo admiſit primo loco cęlos, veluti cauſas ſuperiores, & vniuerſaliores: verùm quia eorum cauſatio, & influxus eſt per motum, ideo primo admiſit Intelligentias, quę darent cęlo motum, vt influeret, & denīq; quia omne, quod fit debet fieri ex præiacente materia, ideo admiſit primo materiam, qua fierent, & prodirent cuncta, ex *nihilo* .n. aiebat, *nihil fit:* ergo hæ ſunt rationes vt illa ſolùm immediatè effluxerint, & non alia: non quia non potuit, cùm ſit infinitus: non quia non voluerit, cùm agat neceſſario: nec quia implicabat vniuerſaliter, licet implicaret de aliquibus: verùm ipſe diceret de cunctis alijs implicare, ſolùm autem non implicare de illis tribus.

Si agit aliqua neceſſario, & immediatè Deus ex Ariſt. cur ea non ſint eiuſdem rationis.

13 Circa quartum poſſet dici, ab eodem agente habente diuerſas rationes, & principia operandi prouenire poſſe plura, & alterius rationis, huiuſmodi eſt Deus, operās per intellectū, & voluntatem: at licet reſponſio ſit vera theologicè, non tamen eſt ad mentem Ariſt. negantis agere liberè. dicerent Alij id prouenire quando in Agēte non præeſſent idæę variorum effectuum producēdorum, in Deo autem ſunt idæę diuerſæ, quibus præ conceptis diuerſa agit: hoc etiam locum habet apud Theologos, at penes Ariſt. parum valet, etenim, ſequeretur potuiſſe vniuerſa, & ſingula immediatè producere, & ex nihilo, qui tamen de ſolis illis tribus conceſſit: negari tamē non poteſt eſſe recurrendum ad duo, vel ad potentiam eius infinitam, quæ nedum vnum, ſed plura, & infinita, nedum vnius, immo alterius rationis, producere poſſit de theſauro ſuæ infinitatis, etiam ex Ariſt. vel ad varias recurrendum rationes formandi, vt vnūquoque ex Ariſt. formetur iuxta naturam ſuam, diſtinctæ rationis ab altero, & conſequenter ad propriam idæā: & ad illud de immediatione negatur, ratio autem eſt adducta quare id Ariſtot. negauerit: ſi igitur negat operari liberè per voluntatem, non tamen negat

gat operari per intellectum, & ita diſtribuet per intelligentiam ſuam vnicuiq; id quod ſibi propriũ eſt, quodq; propria poſtulat idæa: nõ ergo diuerſitas promanabit à voluntate, vel modo operandi liberè, ſed aliunde.

Ariſt. docuit Intelligentias, Cęlum, & materiam primã eſſe immediatè à Deo.

14 Circa vltimum, aduertimus Ariſtotelem docuiſſe perfectiora debere dependere immediatè à cauſa ſuprema, & ita admiſit intelligentias immediatè eſſe à Deo; eadem etiam ratione admiſit cęlos eſſe immediatè ab ipſo, quoniam in ratione cauſandi, & influendi ſunt præſtantiores, quia cæterorum ſunt cauſæ, licet in alio cedãt in perfectione multis alijs; imperfectiora autem docuit pendere immediatè à cauſis imperfectis, quia ipſorũ imperfectioni, ac paruitati virtutis ſufficit tantitas perfectionis, & cauſationis repertæ in cauſis ſecundis: & ideo quo ens eſt perfectius, eo, inquiebat, immediatius pendere à cauſa prima, quo autem imperfectius, eo immediatius procedere à cauſa imperfecta, quia talis cauſa ſibi ſufficiebat: Intelligentiæ autem, & cęli excellunt prę cũctis, illæ quidem in natura, vt conſtat, & hi in cauſalitate, & influxu, igitur hæc debuerant immediatè eſſe à cauſa prima, quod non eſt dicendum de inferiorib. longe his imperfectioribus, & licet cęlum in aliquo ab inferiorib. excedatur, vt etiam à Muſca ratione vitæ ex eod. Ariſtot. tamen ipſum excellit aliunde, ob ſui vniuerſalitatem, & ſuperioritatem in cauſando.

Ratio redditur de Intelligẽtijs, & Cęlo.

15 Sed ſolùm ſupereſt de materia prima, quàm conſtat eſſe cunctis imperfectiorẽ, & nihilominus ea immediatè poſita eſt à Deo, vna cùm Intelligentijs, & cælo: igitur multò magis id tribuere debuerat cæteris perfectiorib. ea: ſed ſciendum, quòd licet in entitate talis ſit, vt cedat cunctis in perfectione; nihilominus inſpicienda eſt aliũdè, quatenus eſt vniuerſale ſubiectum, & primarium principium rerũ omnium materia conſtantium, & hac ratione ſuam habet excellentiam, vnde ſub ratione hac Ariſt. eam prętulit cũctis, quia ea indigent: tum etiam, quia exiſtimabat de nihilo nihil fieri, ideo ab æterno appoſuit vnum, quod veluti Chaos contineret omnia, de cuius potentia cuncta educerentur: & quia æternum ſtatuit mundum, ideo eã ſtatuit ab æterno, vt ab æterno producẽs Deus, haberet sẽper, & habuiſſet principium ſubiectiuum, & materiale, de quo extraheret formas: igitur ſub hac ratione materia præceſſit cuncta, vt cuncta haberent præiacentem, & præparatam materiam, de cuius potentia educerẽtur in lucem: licet aliundè ratione ſuæ minimæ entitatis, & imperfectionis indigna ſit vt admittatur æterna, atq; cunctis in emanatione præcellat: non eſt ergo ſua imperfectio ratio, vt prior ſit cæteris, atq; immediatè à Deo, & ab æterno, cùm in hoc ſit minor cæteris, ſed cauſa eſt, quoniam cùm de nihilo nihil faciat Deus ex Ariſt. præparauit ſibi materiã, de qua cætera faceret, velut Artifex præparat ſibi lignum, de quo educat formam ſtatuæ: & quia ab æterno produxit, ideo æternam ſibi quoq; & ab æterno fecit, & præparauit materiam; & quia demum, materia non eſt ex præiacente materia, ne detur in infinitum proceſſus, ideò immediatè poſuit illã habere eſſe à cauſa prima. Et ex his omnib. concludebat ſingula hæc tria eſſe entia ſimpliciter neceſſaria.

Ratio redditur de materia.

17 Superſunt alia duo argumenta quibus demonſtratur veriſimilem eſſe ſententiam Ariſt. adſcribentis modum Deo neceſſariò agendi. primum ſit, in omni differentia entis neceſſitas eſt perfectior contingentia, ergo modus cauſandi neceſſariò, erit perfectior modo cauſandi contingenter; at perfectius debemus tribuere Deo: ſecundò, omnia diuidentia perfectiora comitãtur, & copulantur inuicem, & ſimul in ſubiecto, cui inſunt, at Deo competit infinitas, actualitas, ſimplicitas, & ſimilia, ergo cùm iſtis, veluti dicentib. perfectionem comitari debet neceſſitas operandi. Addimus tertium, modus in Deo agendi liberè non impedit neceſſitatem effectus, ergò & ſi agat voluntariè, nihilominus non tollet effectui neceſſitatem eſſendi, quam haberet ſi cauſaretur naturaliter.

18 Reſpond. ad primum, veram eſſe vbicunq; talis neceſſitas eſt compoſſibilis, in creatura autem non eſt compoſſibilis modus eſſendi, ſeu haben-

bendi eſſe neceſſariò per eſſentiam, competit autem ſoli Deo, creaturæ verò conuenit per eſſentiam modus eſſendi contingenter, quia de ſe eſt defectibilis, & de nihilo, & tendens in nihilum. ſecundò diſtinguendum de differentijs entis, diuiditur namq; differentia, vel in eſſendo, vel in cauſando: ſi fiat diuiſio primò modo, concedimus quòd differentia entis neceſſarij eſt perfectior differentia entis contingentis, & hoc in ſubiecto capaci; loquendo de ſecunda, nec eſt dicendum, quod cauſare liberè ſit differẽtia perfectior abſolutè, quia intellectui non competit liberè intelligere, nec memoriæ fæcundæ Patris liberè, veluti principio formali, conuenit gignere Verbum, ergo modus liberè agendi de ſe non eſt abſolutè perfectior: nec eſt perfectior differentia altera, nempè agendi neceſſariò de ſe, quia ſic non competit voluntati diuinæ ad extra, ergo cùm de ſe iſtæ differentiæ abſtrahant, aſſerendum eſt differentiarum iſtarum perfectiones eſſe attendendas iuxta naturam ſubiecti in quo inſunt, & iuxta ordinem termini, ad quem diriguntur: vt voluntati libertas, & intellectui competat naturalitas, ſicque reddendo ſingula ſingulis, voluntati ad extra competat differentia cauſandi modo libero. Item diximus, quod differentia entis neceſſarij in eſſendo, dicat quidem perfectionem, ſed in ſubiecto capaci, cuiuſmodi non eſt creatura, ſed Deus: ſicut differentia contingentis non Deo competit, ſed ipſi creaturæ.

Differẽtia neceſſarij an perfectior differẽtia liberi, & contingentis.

Neceſſitas dicit perfectionem in ſubiecto capaci.

19 Ad ſecundum, verum eſt quando illa diuidentia dicũt perfectionem ſimpliciter, at modus neceſſariò cauſandi ad extra non dicit perfectionem in Deo, immo imperfectionem, quia neceſſitatur ex Ariſtotele: habere nãq; neceſſariò reſpectum ad extra non eſt in Deo perfectionis: alias vel mundus eſſet neceſſarius, vel relationes reales eſſent in Deo ad extra, quia neceſſariò à parte rei conſurgerent ex natura extremorum, ac neceſſariò Deus diceret habitudinem ad extra: itaq; non dicit perfectionem: ſecundò, verum eſt quãdo diuidentia ſunt ad ſe, vt infinitas, ſimplicitas, neceſſitas ad intra, qua ipſe Deus eſt ens neceſſarium, at quando dicit ordinem nõ ad ſe, ſed ad aliud, non eſt neceſſariò in Deo, huiuſmodi eſt cauſalitas, quę connotat reſpectum ad extra, quæ tamen ſicut abſolutè neceſſaria non eſt, ita modus neceſſariò cauſandi perfectus non eſt, quia non liber, ſed coactus eſt.

Modus neceſſarius cauſãdi ad extra perfectus non eſt, quia nõ liber, ſed coactus eſt.

20 Ad tertium dicimus id quidẽ ſequi ſi neceſſitas eſſet compoſſibilis effectui, at quia nõ eſt ſic, ideo modus vt cauſetur liberè dat ei perfectionẽ, quæ ſibi competit, inconuenit autem perfectio neceſſe eſſendi, ergo datur perfectio contingenter eſſendi, id nãq; exquirit ſua idæa, & ſua formalis ratio, & natura eſſendi. Item abſolutè negandum, quòd cum modo agendi liberè ad extra, ipſius Dei, ſtet neceſſitas effectus, dum namque liberè, & contingenter à Deo producitur, habet quoque eſſe non neceſſariò, ſed contingenter, non neceſſarium, ſed contingens.

Neceſſitas in effectu non poteſt ſtare cum modo agẽdi liberè, & contingenter in cauſa.

QVAE-

QVÆSTIO III.

Vtrum ex Theologis concedenda ſit loquutio Deum operari *contingenter*, an ſolùm *liberè* ad extra.

1 DEum per voluntatẽ operari ad extrà tũ ex Ariſtotelicæ opinionis irrationabilitate, de qua ſupra, tum ex dicendis in quæſt. de diuina voluntate patebit: modo verò ſumptà occaſione ex loquutione precedenti Ariſtotelica, quod operetur naturaliter, diſcutiemus qualem ex modis oppoſitis neceſſariæ operationi ſequi debeamus: operationi autem neceſſariæ, & naturali opponitur duplex operandi modus, liberè, & cõtingenter, vter autem iſtorum ſit theologicus, an vterq; in bono ſenſu ſit admittendus.

Liberè, & contingenter agere Deum affirmat Scotus.

2 Scotus quidem vtrumq; admittit, aitq; Deum ad extra operari *liberè*, & *contingenter*, ſic ſæpè ſæpius, præſertim in 1.d.38.& 39. quem Scotiſtæ antiqui omnes ſequuntur, & ex Recentioribus eum modum loquendi defendit Rad. 1.p. q.30. art.3. & ex Antiquiorib. externis Gabr. Capreol. quos etiam nouiſſimè amplexantur quamplures, ita ut abſque hæſitatione aſſerant agere liberè, & contingenter. à contrario primus ſolummodò loquendi modus placet pleriſq; vt dicatur ſolum agere liberè, non contingẽter, iſti ſunt Caetan. 1.p.q.19.ar.8. Ferrarienſ. 1. contra gen.c.67.& ex Recẽtioribus plurimi ad 1.p.D.Tho. q.18. ar.8. probant verò quoniam contingẽtia explicat defectibilitatem in cauſa operante, ita quòd idem ſit dicere agere contingenter, ac eſſe cauſam de ſe defectibilem: hic autem defectus poteſt eſſe duplex, vel in eſſendo, vel in operando: primus eſt, quo oſtenditur non eſſe ens neceſſarium, ſed contingens id, quod agit, cuiuſmodi eſt creatura agens: ſecundus, quod impediri poſſit à potentiori cauſa ſua operatio: quæ duo cùm imperfectionem indicent, remouentur à Deo, ideoq; non dicendum putant agere contingenter: liberè verò agere indicat perfectionẽ in Agente, nec neceſſario immiſcet imperfectionem defectibilitatis & impedibilitatis, quo fit, vt concedant ſolùm agere liberè; non autem contingenter.

Liberè, nõ contingenter Aly. & probant.

Vtriq; tribuere intẽdunt Deo id, quod melius eſt.

3 Nos duo hic aſſerimus: primum eſt, controuerſiam reperiri ſolùm in modo intelligendi, & explicandi terminos, vnuſquiſq; enim conatur Deo tribuere id, quod melius eſt, ac proptereà vnuſquiſque eorum intendit in loquutionibus iſtis omnem à Deo remouere imperfectionem, & ſummam addere perfectionem. Qui namque liberum agendi modum tribuunt, optimè dicunt, vt remoueant Ariſtotelicũ agendi modum *neceſſario*: & qui tùm liberè, tùm contingenter operari aſſerunt, etiam benè dicunt, immo in hoc exiſtimant explicari magis diuinam in agendo perfectionem, vt mox dicam.

Deus agit contingenter: explicatur.

4 Nec per contingenter operãdi modum indicant Deum vel in ſe eſſe ens contingens, vel impediri poſſe à creatura vlla, ſed contingentiam referunt ad ipſum effectum productum, & libertatem referũt ad ipſum Deum, vt ſit ſenſus, Deus agit contingenter: contingentia ſe tenente ex parte effectus; vt oſtendatur eum non eſſe ens

ne-

neceſſarium: contingentia etiam ſe habente ex parte creationis ad extra, quatenus Deus non neceſſario, ſed liberè operatur ad extra. non quidem quòd vel in ſe Deus ſit ens contingẽs, vel poſſit ab aliquo extra ſe impediri. & hic eſt ſenſus primorum Authorũ, qui vt ſic intendentes non contradicunt ſecundis, nec ſecundi primis.

Per modũ agendi liberè, et cõtingenter oſtenditur Dei libertas contra Ariſtot. & contingentia creaturæ.

5 Secundùm eſt, quòd vterq; ſimul iunctus loquendi modus magis explicat diuinam omnipotentiam, libertatẽ diuinam, atq; creaturæ productæ defectibilitatem, & contingentiam, quàm ſi ſolus adhibeatur modus loquendi, *liberè*: Probatur: cum Deus voluntariè agit ad extra, duo indicare intedimus quoad præſens quæſitum per talem loquutionem: primum eſt, vt oſtendamus contra Ariſt. Deum non agere neceſſariò, & naturaliter: ſecundùm, vt demonſtremus creaturam nõ eſſe ens neceſſarium: Primum quidem oſtenditur cùm dicimus eum agere *liberè*: & ſecundùm dicendo agere *contingenter*, at per loquutionem, & expreſſionem ſolius modi agendi *liberè* non demonſtratur contingentia creaturæ, ergo vterq; modus ſimul iunctus apprimè id explicat, & non ſolus primus. Prob. min. non valet hæc conſequentia, liberè hoc producitur à voluntate, ergo eſt contingens; ſiquidem Spiritus ſanctus per voluntatem procedit, & liberè, (quamuis etiam neceſſariò) producitur, attamen non eſt effectus cõtingens; ergo de ſe ſolus modus iſte non adæquatè explicat contingentiam. itẽ liberè ſemetipſum Deus amat, (licet etiam neceſſariò) quia eſt amor volũtatis, at non ſequitur amorem ſuum eſſe contingentem: conſtat vero tum Spiritum ſanctũm, tum amorem diuinum de ſeipſo eſſe quid neceſſarium, & indefectibile; ſi dixeris conſequentiam valere ad extra, non ad intra, vt liberè producitur effectus ad extra, ergo eſt cõtingens, quod benè ſequitur, & ita declarant poſitionem hanc Auctores ſecundi: Verum hi nõ contemplantur res ab intrinſeco, & à priori, & ex propria natura, vt ſapientem decet; etenim propoſitio iſta de ſui natura, & in ſe ſpectata non eſt vera, v.g. operatio iſta, ſeu hoc eſt liberè productum, ergo eſt ens contingens, falſa eſt de ſe, vt conſtat de Spiritu ſancto, & amore, inſuper ſi diſputaremus cùm puro philoſopho, negante productiones ad intra, vel ignorante illas, vel nõ concedente, fruſtra laborares diſtinguendo de producto liberè ad intra, & ad extra: immo ipſemet concederet Deum amare ſemetipſum, taléq; amorem eſſe voluntarium, ac liberum, vtpotè à voluntate promanantem, & nihilominus etiam aſſereret amorem talem eſſe neceſſarium, quia naturaliter nouit Philoſophus ſummum bonum eſſe amandum, & à ſummè bona voluntate eſſe ſummè amandum. igitur nõ adæquatè explicat modus iſtorum.

Differẽtia modi producendi liberè, & producẽdi contingenter.

6 Secundùm, quod eſt creaturæ entitas non neceſſaria, oſtenditur per agere *contingenter*: probatur, non oſtẽditur per agere liberè præcisè, vt oſtẽdimus, quia libertas ſtat cùm neceſſitate Spiritus ſancti, & amoris; ergo oſtenditur completiuè per agere contingenter. item in productione Spiritus ſancti non dicitur voluntas producere contingenter, cùm terminus ſit neceſſariũ, ergo in productione creaturæ apponendus eſt terminus, & modus agendi *contingenter*, cùm creatura non ſit neceſſaria: item contrariorum idem eſt iudicium, de tertia perſona per voluntatem fœcundam producta non dicitur voluntatem eſſe principiũ producendi cõtingenter, ergo de creatura per voluntatem producta, debet dici oppoſitum, quod producatur cõtingenter. inſuper modus producendi liberè nõ magis reſpicit de ſe Deum, ſeu diuinam aliquam perſonam, quam reſpiciat creaturam: ſed de ſe non dicit modum producendi contingenter, ergo vt explicetur defectibilitas creaturæ, neceſſe eſt addi modũ producendi contingenter: anteced. patet: quia principium eſt ad intra Spiritus ſancti, & ad extra creaturæ: prob. min. quia ſi de ſe modus liberè producendi indicaret modum eſſendi productum contingenter, ergo Spiritus ſanctus liberè productus, eſſet ens contingẽs: igitur de ſe abſtrahit ab imperfectione, & remanet in ſola ratione liberè producendi; igitur vt explicetur contingentia, & defectibilitas producti opor-

oportet addere *contingenter*, & dicere Deus agit liberè, & contingenter, & ſic puto adæquatè, & completiuè explicari tum libertatem ad extra, tum contingentiam rei productæ in ipſo extra.

Spiritus S. productio neceſſaria, & libera, non tamen contingens

7 Scio effugium præparari circa inconueniens adductum de Spiritu ſācto, & de amore Dei erga ſemetipſum: circa primum ſiquidem aiunt nō produci liberè, licet procedat à voluntate, à qua non procedit vt potentia libera, ſed vt natura eſt, ideoq; naturaliter, & neceſſario: quod eliciunt ex D. Tho. 1. p. q. 41. art. 2. & circa ſecūdum aiunt neque liberè, ſiue quoad exercitium, ſiue quoad ſpecificationem amare ſe, ſed neceſſario quoad vtrumq, ex quo eliditur id, quod adduximus de libera productione, & emanatione abſq; contingentia. Verum hæc non obſtant, & quoad primum ſuo loco probabimus vna cum neceſſitate Spiritus ſancti producti, ſtare libertatem voluntatis eſſentialem, quæ non poteſt auferri à voluntate vt voluntas eſt: quod modo ſuppono: id quod etiam idem D. Tho. expreſſit in q. 10. de potentia art. 2. ad quintum, dum dixit, Spiritus ſancti productionem eſſe liberam, ideſt, voluntariam: linquo Scotum in 1. d. 2. q. 7. & d. 10. q. 1. & quol. 16. expreſsè ita docentem, vna cum *D.* Bonau. Richar. Okam, Gabriel: cæteriſq; de quib. ſuo loco.

1. p. q. 19. ar. 3.

Deus amat ſeipſum liberè, & neceſſario, nō tamen cōtingenter.

8 Quoad ſecundum, licet alij nullam libertatem ibi relinquant, nihilominus Caetanus ibi ait remanere libertatem quoad exercitium, ita vt liberè ſe amet quoad exercitium, & neceſſario quoad ſpecificationem: quod prius docuit Scotus in quol. 16. & locis ſup. cit. immo idem *D.* Tho. clariſſimè inſinuauit citata quæſt. de potētia, dicens Deū liberè ſua voluntate amare ſeipſum, licet amet etiam de neceſſitate: Et pro vtroq; tum de Spiritu ſancto, tum de amore Dei referā formalia verba Doctoris angelici, vt amplius pateat veritas argutionis iam factæ: ipſe quidem vtrumq; breuib. diſſoluit citato loco de potent. dicens, *voluntas liberè appetit fœlicitatem, licet neceſſariò appetat illam, ſic autem Deus ſua voluntate liberè amat ſeipſum*, *licet de neceſſitate amet ſeipſum*. hæc D. Th. Itaq; remanet libertas, & libera actio, ſeu productio, attamen non neceſſariò inde infertur terminum eſſe contingētem, cum terminus, & voluntatis productiuæ, & voluntatis amantis ſit Spiritus ſanctus, ſitq; ipſe Deus. Hinc Caetanus, qui 1. p. q. 19. art. 3. explicat qualis ſit neceſſitas, quam D. Tho. tribuit voluntati diuinæ, cum dicit Doctor ſanctus, diuina voluntas neceſſario amat Deum, quia neceſſariam habet habitudinem ad bonitatem ſuam, tanquam ad obiectum, ait Caetan. non eſſe neceſſitatem quoad exercitium, ſed ſolùm quoad ſpecificationem: igitur dum ipſe libertatem admittit ergà ens abſolutè neceſſarium, non ſequitur vt vbi interuenit ratio libertatis, inde elicere debeamus contingentiam effectus, niſi eam per aliquid aliud explicemus: quapropter ex eo quod *Deus* agit liberè ad extra, non ſequitur vt effectus ex modo liberè agendi ſit cōtingens, quoniam (vt diximus, & ipſe fatetur) ſtat amor liberè promanans à voluntate erga bonitatem *Dei*, qui tamen *Deus* eſt ens neceſſarium, oportet igitur aliquid vltra addere, per quod demonſtretur effectum non eſſe neceſſarium, id verò completè mōſtratur addendo agere etiam contingēter. Completus igitur modus explicandi eſt dicere, *Deum* agere liberè, & contingenter, vt libertas *Deo*, & contingētia tribuatur creaturæ: libertas quidem *Deo* formaliter, contingentia verò creaturæ terminatiuè.

Libertas Dei in agēdo ad extra, & cōtingentia creaturæ explicatur adæquatè per agere liberè, & contingenter.

QVAE-

QVÆSTIO IV.

In quo conſiſtat formalis ratio diuinæ omnipotentiæ, an in eſſentia, an intellectu, an voluntate.

Alij aiunt eſſentiā eſſe totalem rationem omnipotētiæ.

1 EXplicemus oportet in quo formaliter ratio omnipotentiæ ad extra ſita ſit: de hoc verò eſt multiplex modus dicendi. Quidam dicunt diuinam eſſentiam, quatenus infinita, eſſe rationem formalem, qua omnia poſſit Deus, nullo alio addito, nec ſub ratione ſcientis, nec volentis: ad poſſe namque operari requiritur virtus quæ ſufficiat, & infinitas diuina ſufficientiſſima eſt: tum etiam quoniam cùm infinita ſit, nihil ei deerit, quo minus vniuerſa exequi poterit, aliàs non eſſet infinita: ſi namque quid vltra expeteret, iam non eſſet infinita: quod verò creaturis opus ſit aliquo alio vltra virtutem, mirum non eſt, cùm virtus finita ſit: hinc ſubſtantia non agit ſine accidente, materia non ſit ſub forma ſine diſpoſitione, & potentia non operatur abſq; ſubiecti præparatione: quorum tamen nullum exquireretur, ſi ſubſtantiæ, materię, atque potentiæ virtus eſſet infinita: talis eſt diuina ſubſtantia, ſeu eſſentia, ergo de ſe, vt infinita, conſtituitur in ratione completa omnipotentiæ.

Alij tribuūt imperio diuini intellectus practici, quatenus infinito.

2 Dicunt Alij, imperium intellectus diuini eſſe rationem talem: docēt namq; intellectui tribui imperium rerum formandarum ad extra: cùm verò ipſe intellectus efficaciſſimus ſit, nullo vlteriori indiget, ſed in ipſo erit ratio omnipotentiæ: quòd ſi efficacia deſit, iam non erit ipſe omnipotens: explicant ab oppoſito in nobis: voluntas ſiquidem eligit ex duobus ab intellectu propoſitis, vt currere, & non currere, facta autem electione, imperium accedit intellectus ad faciendum curſum: verùm quia de ſe ſolo intellectus præſtare hoc nequit, cùm ſit finitus, merito vlteriori auxilio indiget alterius potentiæ, exequentis imperium: diuinus autem infinitus eſt, ideoq; nullo alio addito, de ſe imperando efficit, vt res prodeant ad eſſe. Ex quo tamen intellectus creatus indiget executricibus potentijs, ſeu cæteris exteriorib. ſenſibus, vt exequatur imperium, veluti viſiua potentia ad exequendum imperium videndi, operatrice manu ad formandum opus, & ſtatuam, quam imperat; tamen diuinus his non eget, nec namq; potentijs imperat vt exequantur, aut res producant in lucē, ſed imperat immediatè rebus ipſis, vt in lucē exeant, & ſic egiſſe videtur, ex ſacro pſal. *dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt* 148. nec mirū ſi id agat; etenim tunc non conſiſtit in puro, ſimpliciq; actu ſpeculandi, ſed practicandi, talis autem practicus actus potens eſt hæc agere, quod ſpeculatiuo negatur, atque loquens reb. quæ non ſunt, imperat illis, vt ſint.

Alij recurrunt ad ideas.

3 Alijs nō placet præcitatus modus, eo quod intellectus purus de ſe ſolo impotens ſit ad agenda hæc omnia, ideoq; exiſtimant fore aliquid addendum: quod verò illud ſit, inquiunt, eſſe exemplaria rerum, ſiuè idæas: quibus mediantib. intellectus potens eſt ad idæata formanda: intellectus ſiquidem abſq; idæis nil prorſus agere ſciret, cùm rationes agendi non haberet, ergo formatis iam idæis, aptus reddi-

tur ad agendum: nec etiam hoc potius, quàm illud ageret, ſi vtrinſq; ideā non haberet, immo nullum iſtorum: quin potius modum omnem agendi ignoraret, & falli poſſet, ſi namq; ideā non haberet, iuxta quam deberet formare hominem, formando ipſum vel erraret, vel non ſecundùm eſſentiale exemplar produceret: taliter namque ſe habet creatus Artifex in operando, vt ad exemplar aſpiciat; eſt verò inter vtrumq; differentia, quod intellectus Artificis licet exemplari imbutus ſit, quo habeat operari, tamen de ſe ad operandum non ſufficit, indigetq; auxilio potentiarum externarum, præparatione etiam ipſius materiæ, circa quam operetur, quod tamen neceſſe non eſt intellectui Dei, vtpotè infinito, proptereaq; efficaciſſimo, atq; omnipotentiſſimo ad operamdum.

Sententia D.Thomæ

4 Sunt & alij, qui vltro gradientes collocant eam in actu intellectus quidem diuini, ſed non abſolutè, quia addunt actum quoq; voluntatis diuinæ: ſed neque hic ſiſtuntur, ſed addunt aliquid ab his diſtinctum, ſaltem ratione, & hoc vltimum, inquiunt, habere rationem formalem omnipotentiæ: ergo, aiunt, omnipotentia non eſt ſciētia, non voluntas, ſed quid ratione ab his diſtinctum. hæc eſt D.Tho. 1.p. q. 25. art. 1. ad argum. inquiens, potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à ſcientia, & à voluntate ſecundū rem, ſed ſolùm ſecundùm rationem, inquantum ſ. potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit. & paulò poſt; ait, conſideratio ſcientiæ, & volūtatis præcedit in Deo conſiderationem potentiæ, ſicut cauſa præcedit operationem, & effectū. hæc D.Tho. nititur verò ſententia hæc eo quod alterum iſtorum non eſt ſufficiēs ad omnipotentiam, ſed ex ſeipſis vnitis oportet vt reſultet aliquod tertiū: probatur aſſumptum, ſcientia ſiquidē de ſe impotēs eſt ad res producēdas, nil namque intellectus per eam agit, præterquam, inquit, D. Tho. dirigere diuinam voluntatem, & ex ſeipſa ſola cōcipit ſolum ſiuè antecedat, ſiuè ſubſequatur volūtatem, & proprium munus eius eſt oſtendere, atque materiam potius præbere voluntati, vt circa eam agat, & denique vt in nobis intellectus ſola notitia non producit, ergo nec in Deo ratione ſolius ſcientiæ poterit collocari ratio omnipotētiæ. nec etiam voluntas ſufficit de ſe ſola, quia de ſe cæca eſt, & indiget lumine intellectus, eiuſq; directione: indiget oſtenſione materiæ, circa quam eligat, & diſponat: nec infinitas eiuſdē Dei erit ſic de ſe potens, eget namque ſcientia, & intellectu, vt ſit ordinatum, agens, ac ritè, & ſcienter agat: eget quoq; voluntate exequente, qua deficiente nil fieret; inſuper hæc omnia ſingulariter ſumpta, inſufficientia ſunt, oportet autem vt vniantur, ex quib. inde vnitis reſultet quid ſaltem ratione diſtinctum, quod vocatur potentia: quod etiā quatenus procedēs ab illis; vocatur à D.Th. operatio, & effectus. hi ſunt modi dicendi, & aſſignandi rationem formalem omnipotentiæ.

Infinitas de ſe ſola nō eſt prīcipiū adæquatè productiuum, ſine potentia, &c.

5 Verum nonnulli ex his minimè placent, quoniam non explicare vidētur adæquatè omnipotētiam. Et quo ad primum: infinitas non poteſt conſtituere adæquatè Deum omnipotentem; prob. ad operationem habendam non ſufficit virtus, quaſi in actu primo, & inadæquato, requiritur autem principium proximum, & potentia ſuam virtutem expendens ad operandum, vt patet in omnib. infinitas autem connotat virtutem diuinam, qua omnia poſſit hæc in actu primo, ergo hinc exquiritur proxima facultas qua talis virtus prodeat de potentia in actum. Item nec infinitas abſolutè importat principium agendi de formali; etenim ad plurimum importabit principium radicale ſic operandi perfectè. *Rurſus* nec etiam vera eſt loquutio in ſenſu formali, & reduplicatiuo, Deus operatur; quia infinitus: tum quia etiam ens finitum, & virtutis finitæ operatur ergo ratio operandi non eſt infinitas præciſè, tum etiam quoniam creatura propter virtutē, quam habet, non conſtituitur adæquatè potens operari, niſi aliud adiungatur virtuti: tum quoque, quia non operatur quatenus infinitus, etenim ablata, v.g. omni facultate operatrice à Deo, vt voluntate, & intellectu, eſſet quoq; infinitè conceptibilis,

ſeu

ſeu ſub ratione infiniti; attamen nequiret operari: inſuper infinitas ſuæ virtutis expedit vt communicetur, cómunicari autem nequit ex ſe ipſa ſola: probatur, quoniam iam Dei Verbum ibi adeſſet ex ſola diuinæ memoriæ, ſeu diuinæ eſſentiæ infinitate, abſq; eo, quod Patris intellectus actum productiuum experiretur: ita quoq; infinita bonitas, & amor ſic Spiritui ſancto effunderetur, abſq; tamen voluntate ſpirante, & communicante eſſe Spiritui ſancto: ſic deniq; contingeret ad extra, vt Deus ſeipſum elargiretur creaturis abſq; intellectu, & voluntate: conſtat vero operari ad extra intelligendo, & volendo, & ad menſuram, ac libitum voluntatis ſuę, dona ſua elargiri creaturis: quod fieri nequit per ſolam infinitatem. Confirmatur, quia iam ceſſaret tum ad intra, tum ad extra, tum diſtinctio perſonarum, tum varietas effectuum producibilium; probatur, ſi namq; diuina infinitas abſq; intellectu producente Verbum, & voluntate ſpirante Spiritum, operaretur, iam Verbum principiatiuè, & originatiuè non haberet, quo diſtingueretur à Spiritu ſancto; ſiquidem idem eſſet vtriuſq; productiuum principium, atq; ſub ratione eadem, quia præcisè produceretur per infinitatem: conſtat vero nedũ ſuis formalib. rationibus diſtingui, ſed etiam originatiuè, quia illud ab vno, & hic procedit à duob. nec etiam adeſſet in creaturis, vel tanta diuerſitas, vel multiplicitas; etenim idem ſemper idẽ, eodemq; modo ſe habens, ſemper natum eſt facere idem, infinitas autem in ſe vna eſt, eodẽq; modo ſe habet quantum eſt de ſe, ergo ab ipſa, veluti ab adæquato principio vel omnes creaturæ promanantes, omnes eſſent eiuſdem rationis, vel non adeſſet tanta rerum multiplicitas, & diuerſitas: ignis namq; ſemper idẽ producit, ſemperq; ignem; & planta plantam iuxta naturã ſuæ ſpeciei, abſq; diuerſitate ſpecifica: quod vero homo, & Angelus multa producere queat, inde eſt, quia agentia ſunt per intellectum, & iuxta varias rerũ ſpecies intelligibiles, ac iuxta multiplicia exemplaria, varios; diuerſoſq; ſpecie, numero, & genere producunt effectus, quod non agerent ſi intellectu carerent: & ratione voluntatis, pro libito ipſi operantur, nunc intensè, nunc remiſſè, potius hodie, quam craſtina, ſic, & ſic, vt libet; quod non contingeret ſi intellectu, & voluntate carerent, *natura* namq; *eſt determinata ad vnum*, ideſt, *ad vnum modum agendi*: ſic eſſet Deus, videmus autem tam multipliciter eſſe diſtinctam iſtã molem, vt innumeris propemodũ varietur rerum ſpeciebus, ac plurimis, vltra productas, poſſit ornari, ac decorari: igitur ex diuerſitate exemplarium, in diuino intellectu relucentium, & ex diuina voluntate, pro libito ea omnia diſtinguente, & variante id prouenit, non à ſola infinitate: infinitas namq; verè quidem cõtinet virtutem ad hęc, & infinita agenda, at non ſufficit.

6 Deniq; mundus iſte ab æterno fuiſſet neceſſariò fuiſſetq; neceſſarium ens cũ Ariſt: quoniam infinitas prout à voluntate præſcindit, ſe habet inſtar agentis, & principij naturalis, ex impetu naturæ neceſſariò agentis; ſicq; prout à voluntate præſcindens, neceſſario orbem produxiſſet, neceſſario nunc ageret ad extra, & cum ab æterno fuiſſet talis infinitas, ab æterno etiã principiaſſet neceſſariò mundum, quia agens naturale quando eſt, & non eſt impeditum, ſtatim agit, & neceſſariò agit; nullum vero impedimentum obeſſe poteſt infinitati: itaq; modus iſte inadæquatus eſt, & inſufficiens.

Cõprobatur idem ex inconuenientibus.

7 Et quod dicitur de ſubſtantiæ, & materia, quod ſi infinitæ eſſent, non exquirerẽt diſpoſitionem, & ordinem alterius comprincipij. Reſp. ſi omne aliud cooperans principium velit excludere ratione infinitatis, id falſum eſt, quia talis eſt in agendo ordo: quod ſi excludat hoc, aut illud diſpoſitionis genus, immo omne, poteſt etiam fieri per potentiam Dei: ſi autem excludere intendat omnem aliam formalem rationem agendi, id eſt falſum: poteſt namq; Deus infinitate potentiæ ſuæ introducere ignem abſq; præuia diſpoſitione; immo poteſt ipſum conſeruare in aqua cum oppoſita diſpoſitione, at non poteſt ſuſpendi concurſus cauſarum formalium intrinſecarum, quia cauſa prima poteſt quidem ſupplere concurſum cauſarum extrinſe-

Quidquid poteſt cauſa prima cum ſecũda, poteſt de ſe ſola, declaratur.

carum, nõ autem intrinſecarum, & ita intelligitur axioma, quidquid poteſt, cauſa prima cum ſecunda, poteſt ſeipſa ſola, verum quidem de cauſis extrinſecis, non intrinſecis, ad formandum vero compoſitum requiritur eſſentialiter copulatio duorum, materiæ & formæ: dato autem materiam eſſe infinitæ virtutis, non poterit ex ſe ſola formare compoſitum, ſed ſemper faciet vnum ſimplex, ſicut ipſa eſt ſimplex; alterum namq; comprincipium eſſentialiter requiritur, & vt det eſſe, & operari: immo ablata forma, materia non poſſet producere effectus formæ, quorũ forma erat principium, etiam ſi materia foret infinita; requiritur namq; principium proximum formale. Nec obſtat quod eſſet infinita, quoniam infinitas eius haberet ſolummodo virtutem radicalem, & fundamẽtalem, & quaſi remotam producendi, nõ autem formalem, & proximam, illa autem virtus nõ poteſt in hunc actum exire ſine iſta: ita infinitas Dei eſſet quidem principiũ, atq; virtus producendi omnia, ſed tantummodo radicaliter, non proximè, quoniam ad operãdum exigitur principium formale.

Intellectui non competit imperare, ſed dirigere, & illuminare

8 Secundus modus eſt etiam improbabilis: maximè in eo, quòd intellectui tribuit munus imperandi, hoc autem ei nõ competit; imperare nãq; conuenit voluntati, quæ eſt ſola Regina in toto regno animæ: intellectui vero competit oſtendere, illuminare, atq; dirigere: ſeu materiam proponere, ex qua, & circa quam operetur voluntas: eſtq; ſuum munus diſquirere an hoc decens ſit, vt fiat, an implicet contradictionẽ an repugnet à parte rei, quo acto voluntati porrigit, illuminat, oſtẽdit, docetq; hoc fieri poſſe, & illud non poſſe: cui voluntati poſtmodum imperare incumbit, ac ordinare vt fiat: & hoc verum eſt in omnibus, tum creaturis, tum Deo, reddendo ſingula ſingulis. quod etiam addunt, id pertinere ad intellectum practicum: nec eſt verum, practicus namq; quidem ſit per extenſionem ad praxim, dirigendo, illuminando, attamen fines proprios nõ egreditur, cum imperare non ſit ſui muneris.

9 Nec in nobis, ideo ad intellectũ exquiruntur exequutiuæ potẽtiæ aliorum ſenſuum, quia intellectus eſt finitus, non. n. eſt iſta præciſa cauſa & aſſignatur cauſa inadæquata, tamquam adæquata, ſed quoniã cæterorum ſenſuum opera non poſſunt præſtari ab intellectu, cùm non contineat ea, niſi ſaltem eminenter, nequit. n. intellectus de ſui natura exercere viſionem ſenſualem, quæ à ſenſu producitur corporei oculi, licet in ſeipſo eminenter cõtineat talem viſionẽ, vt in Angelo patet, & Deo, quib. ea, quæ nobis nota ſunt mediantib. oculis, nota fiunt mediante oculo intellectuali, qui eſt intellectus, vnde conſimiles loquutiones de ipſis haberi ſolent in ſcripturis, vt Gen. 1. *vidit Deus, quod eſſet bonum.* Ierem. 15. *vide Domine, & cõſidera*: idem quoq; de cæterorum ſenſuum operationibus, vt de auditu, gen. 18. *clamor ſodomorum venit ad me*: & ſimilia: quæ tamen, vt ſenſibiles operationes ſunt determinatorum ſenſuum, non poſſunt à Deo haberi; eſt enim ſpiritus, nec habens corpus, oculos, organa &c. licet aliunde perfectiori modo ea habeat, quia eas cõtinet eminenter, & virtualiter: in nobis igitur conſimili modo intellectus noſter finitus conſimiles habet operationes, audiendi, & videndi, vnde ſeparata anima taliter ſcit, & percipit intelligendo, vt ſine ſenſibili oculo, & abſq; corporeis auribus dicatur eminenter videre, atq; audire, immo pęnas luere &c. ſic etiam non qua ratione eſt infinitus, vel finitus, ſed aliunde poſtulatur proximũ principium: vltra quod inconueniẽtiſſimũ eſt id exequi abſq; ſaltem voluntate in ipſo Deo: quod namq; voluntatem admittunt ſolummodo in eligendo, id eſt omnino inſufficiens, niſi etiam tribuatur ei facultas agendi: nec. n. poſſi ego ſcribere per ſolum intellectus imperium, niſi quoq; voluntas imperet manui, vt calamum admoueat ad ſcribendum: & facta quoque electione, quod eligam ſcribere, nec etiam ſcribã per ſolum nutũ intellectus, niſi ad electionem ſcribendi addatur ſcribendi quoque voluntatis imperium: quæ duo hic confunduntur, & apparent eſſe vnum, idemq; attamen ſunt formaliter duo; electio, & imperium; etenim ſeparantur

Intellectus de ſe ſolo inſufficiens, niſi cętera adiungantur potentia.

tur inuicem, & vnum conſiſtit abſque altero, primum abſq; ſecundo: vt eligo nunc ſcribere potius, quàm non ſcribere, attamen non impero manui vt ſcribat: & de duob. circa quæ ſter libertas, eligendo vnum, non neceſſario ſtatim exequimur, vel quia voluntas pro tempore alio præſtabit imperium exequendi, & imperabit exequutionē pro alio tempore; vel quia aderit impedimentum, vt modo eligere liberum ſit, exequi autem non ſit liberum, propter impedimentum: coniungitur verò quandoq; vtrumque ſimul; ex quo videntur eſſe idem, & vnum, vt cum impedimento amoto, voluntas efficax, & domina ſui, quæue volens ſit, & ad opus accincta, eligat, ſimulq; operetur, qua ſubitanea exequutione ſuccedente videbitur imperium non diſtingui ab electione, ſed hic error, quoniam formaliter vnum non eſt aliud: vnde electio ſi efficax ſit, iam habendo efficaciam, habet imperium; ſi inefficax, vel aderit impedimentum aliunde, vel non aderit imperium: vtcumq; autem ſit, iam conſtat volūtatis eſſe imperiū, non intellectus.

Verbū dicere quid importet ſcripturis.

10 Quod de imperio additur, quo mediante intellectiua loquutione exprimitur operatiua potentiâ intellectus, vt ſint iuxta illud, *dixit, & facta ſunt*, minus cæteris eſt probabile: tum primo, quoniam *dicere*, importat voluntatis imperium; tùm etiam, quia loquutio hæc intellectiua neceſſario ſupponere deberet rē, cui ſiat loquutio, ſic namq; colloquimur cum perſona exiſtente, aliàs loqui diceremur cum mortuis: at res hucuſq; non exiſtit, quæ futura eſt, ergo non poteſt ad illam terminari ſermo vt audiat: quomodo namq; audiret quis carens auribus, & quonam modo aures habebit, niſi habeat eſſe, cùm ergo futurus homo nec adhuc ſit in rerum natura, nec etiam aures habebit, quibus diuini intellectus percipiat loquutionem: multo magis id dicendum de inſenſatis, vt quæ & auribus, & ratione, atque verò eſſe carentes, minime percipere quibunt diuina colloquia, minuſq; aurib. & ore carentib. reſpondere poterunt vocati.

11 Dices, contrarium conſtare, ſiquidem de Deo dicitur Roman. 4. *vocat ea, quæ non ſunt, ſicut ea, quæ ſunt.* & Ioan. 11. de Lazaro mortuo dicitur eum vocaſſe Chriſtum Dominum, *Lazare veni foras, & venit*: de mortuis etiam iudicij tempore Matt. 12. *audiēt vocem Filij hominis*, & deniq; prouerb. 8. *legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos*, ſimiliter de ſingulis quoque inſenſatis dicitur, *audire vocem Domini.* igitur fieri poterit loquutio, & ſi non extent. Verum dicendum, loquutionem talem eſſe prorſus metaphoricam, non realem, cùm nec eſſe habeāt, quæ adhuc non ſunt; nec inſenſata aures habeant, quibus voces percipiant: per audire autem, quod talibus tribuitur, intelligenda eſt exequutio diuinæ omnipotentiæ, & quatenus cūcta exequuntur imperium Dei, eatenus dicūtur audire, videre, ſentire, cognoſcere, & intelligere ipſum Deum: quod pulchrè, & eruditè explicat D. Greg. homil. 10. in Euang. dicens, *omnia quippè elementa Authorem ſuum veniſſe teſtata ſunt: vt.n. de eis vſu humano loquar, Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia ſtellam protinus miſerunt: mare cognouit, quia ſub plantis eius calcabile ſe præbuit: terra cognouit, quia eo moriente contremuit: Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit: ſaxa, & parietes agnouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt: infernus agnouit, quia hos, quos tenebat mortuos reddidit.* hæc ille. qui etiam D. Gregorius prætactæ reſpondens difficultati, quam præſentiebat, initio inquit, *vt de eius vſu humano loquar*, quo oſtendit metaphoricam eſſe talem auditionem, talemq; notionem: quæ tamen ſicut vero ſenſu percipere nequeunt vocem clamantis, ita vera, ac phyſica auditione, & ſenſatione nequeunt reſpondere.

Inſēſibilia & mortua an dicātur videre, audire, et quo modo.

12 Tertius quoq; modus improbabilitate non caret: licet enim quoad exemplaria, verum dicat, attamen in præcedentem ſententiam incidit circa intellectum: ideoq; diſcrimen, quod inter creatum intellectum, & diuinum circa hoc admittit, inſufficiens eſt, nec infinitas diuini intellectus ad id ſufficit, ſine vlteriori principio, incidit.n. in primum modum improbatū: quod exemplaria apponat, & ideas, verum

Tertius dicendi modus de exēplarib. improbatur.

eſt

eſt ita eſſe apponenda, at quòd nulla vlterior ſit addenda facultas, id non concludit, cùm radicalis infinitas abſque vlteriori principio proximo ſit inſufficiens, vt demonſtrauimus. De vltimo autem modo quid dicendum, oſtendam ordinatè.

Intellectus diuinus nō præcedit diuinā voluntatem in ratione directiui.

13. Duo præcipuè in vltimo modo includuntur: alterum eſt, ſcientiam ſpectare eſſentialiter ad omnipotentiam; & alterum, quod intellectus diuinus mediante ſua ſcientia dirigit voluntatem diuinam in operando: & ex his vna cum voluntate conſtituant integraliter omnipotentiam perfectam. Nobis nullum iſtorū probatur, ideoq; primo aſſerimus intellectum diuinum nullatenus regulare voluntatem diuinam: ſecundo rationem formalem omnipotentiæ non eſſe conſtituendam in ſcientia.

Primum probatur: illud indiget directione, quod poteſt errare, diuina voluntas errare nequit, ergo ab intellectu diuino non expectat directionē: maior de ſe patet, ad errores namque vitandos vtimur regula, & directione. prob. min: quoniam diuina voluntas eſt ſummè recta, immò de ſe eſt intrinsecè ſummè, & infinitè bona; ergo de ſe nequit errare, fruſtranea igitur erit intellectiua directio. Item quod eſt regula tùm ſui, tùm cæterorum, nō indiget regulante, & dirigente, diuina autē voluntas eſt prima regula tum ſui, tum etiam creaturarum, ergo non indiget directione. Inſuper, quod eſt neceſſario bonum, & bonum per eſſentiam, non poteſt obliquari, nec deficere à rectitudine, talis eſt diuina voluntas, per eſſentiam bona, & neceſſario, atq; infinitè perfecta. Præterea arguitur ad hominem contra Recentiores aliquos & præcipuè Vaſq. ad 1. p. d. 78. art. 3. & Suar. lib. 1. de Trinit. l. 3. c. 6. quibus annuit Bān. & plures Alij, præter Caetan. exiſtimantes diuinam voluntatem omni neceſſitate ferri in diuinæ eſſentiæ amorem, tùm quoad ſpecificationem, tùm quoq; quoad exercitium, quibus fauere videtur D. Tho. 1. p. q. 19. art. 3. qui ex ſententia horum vtrāque admittit neceſſitatem in voluntate, licet Caetanus ex mente eius relinquat illi libertatem quoad exercitiū, vt diximus: quòd ſi hi omni neceſſitate, aiunt, diuina voluntas tendit in amorem Dei, nullatenus fieri poteſt, vt ab amore declinet, nec poterit euenire vt erret, magis creatum obiectum amando, quàm diuinum; quod ſi errare circa hoc nequit de ſe, cùm ſit eſſentialiter bona, & neceſſitate naturæ, inquiunt, in amorem feratur, neceſſe non erit, vt ei tribuatur directio, & regula ab intellectu. ex oppoſito de creata voluntate magis probatur, ideo n. ſingulis indigemus, ideoq; nitimur dictamini, & directioni, quia ſumus obliquabiles, & deficimus: & exinde pueris Pedagogū ſubminiſtramus, & Ducem, tum vt quæ recta ſunt doceat, tum etiam, vt quæ amplexu ſunt digna exequantur, & ament, ad quæ etiam verberibus, nedum verbis, vt opus fuerit, compelluntur: hæc verò indigna ſunt, vt dicantur de voluntate Dei. accedit, quia infinita eſt, & infinitè perfecta, immo neceſſario perfecta, & impoſſibile vt poſſit non amare toto conatu Deum, ergo fruſtra admittunt hi cum ſequacibus directionem, ſufficit verò admittere oſtenſionem. hanc defendit Scot. 4. d. prol. de qua agemus infra in q. de iuſtit. & iterum de ſcientia Dei.

Diuina voluntas eſt neceſſario, & eſſētialiter recta.

Intellectus diuinus præcedit voluntatē diuinā ſub ratione oſtenſiui, nō directiui.

14. Dico igitur intellectum præcedere ad voluntatem, non quidem ſub ratione directiui, vel regulatiui, ſed ſub ratione oſtenſiui: etenim cùm voluntas noſtra ſit cæca, indiget oſtenſione, & lumine: & cùm voluntas de ſe, in communi ſumpta, non videat, oportet vt intellectus ſibi porrigat obiectum, circa quod debeat operari: quapropter ſi voluntas de ſe ſit eſſentialiter recta, non opus habet directione, & regula, ſed ſolùm habet opus oſtenſione obiecti: talis eſt Dei voluntas, quæ à ſuo intellectu nil vltra exquirit, quàm vt ſibi præſentetur obiectum, circa quod verſetur: quo acto, ipſa de ſe operabitur rectè, & benè, quoniam de ſe eſt infinitè bona, nec ad infinitè benè operandum eget directiuitate, nullum namq; adeſt periculum, vt ab amore Dei deficiat, vel minus intensè amet, quoniam à rectitudine ſua non poteſt deficere. Confirmatur, aut voluntas liberè tendit in Dei amorem, aut naturaliter: ſi naturaliter, ergo nō

in-

indiget directione, quia ex impulſu naturæ ſuæ eo deducitur, veluti lapis deſcendendo non eget directione Agentis extrinſeci, qui dirigat illum ad cẽtrum per ſuum intellectum, ſufficit nãque amouere obſtacula, & aperire viã ad centrum: ſi liberè, non quidem libertate contradictionis, & indifferentiæ, quoniam apud omnes, non eſt de ſe indifferens ad amandum, & non amandum Deum, cum ſit neceſſario, & per eſſentiam recta, proptereaq; determinata ad amandum: ergo quocũq; modo, ſuperuacanea eſt directio: aiunt verò naturaliter in illum tendere, igitur non eget directiuo. ſufficit igitur præcedat intellectus ſub ratione oſtẽſiui, atque præparatiui obiecti. hanc quoq; amplectitur Scot. in prol. q. 4.

Omnipotẽtia non ſiſtit in ſciẽtia.

15 Secundum, quod citata ſentẽtia aſſerit, omnipotentiam ſiſtere etiã in ſcientia, improbatur propter duo: primo, quia in contradictionem incidunt: vnde cùm dixerit Scot. de quo inf. quod intellectus diuinus eſt qui dat eſſe rebus, quod ipſe appellat eſſe cognitum, quod eſt primum eſſe obiectiuale ſecundùm Scot. quod res accipiant in diuina mente: vnde è Scoto intellectus diuinus tribuit aliquod eſſe creaturis, vt habet in 1. d. 35. 36. & in 2. d. 1. q. 1. & quol. 14. & in 4. d. 1. q. 1. & alibi ſæpè: hoc quidem impugnatur ab his, quod nequeat tale eſſe haberi ab intellectu. Hi tamen in eundẽ ſcopulum impingunt, dum intellectui, & ſcientiæ tribuũt rationem omnipotentiæ: quid namq; facturus eſt ſic intellectus diuinus, & quomodo operabitur, equidem mediãte notitia, ac ſua ſcientia operabitur, eiuſq; operatio ex ipſis erit verè productiua, aliàs nõ haberet rationẽ omnipotentiæ, ergo vel conſimiliter cum Scoto ſentiunt intellectum dare aliquod eſſe rebus, & ſibi contradicunt, vel negare deberent intellectui omnipotẽtiam. ſecundò improbo, intellectui competit omniſcientia, non omnipotentiã, ergo perperam illi aſcribitur: antecedens eſt verum, intellectus namq; eſt ſedes ſapientiæ, & intelligentiæ, eſt ſubiectum cognitionis, atq; notitiæ, quo fit, vt munus eius ſit intelligere, & noſcere, nam operationes cæteræ extra hoc genus ſunt ei extraneæ: ad omnipotentiam ſpectat producere, & dare eſſe, nedum intelligere, & noſcere.

Cõtra Aduerſarios arguitur ad hominẽ

Idem probatur.

16 Item Verbo non appropriatur omnipotentia, appropriatur autem omniſcientia cùm procedat per modum intellectus: ſi autem eadem eſſet ratio vtriuſq; & ſi ex vtroq; coaleſceret, iam non eſſet intelligibilis ratio vnius abſque altero, at cõcipimus eas rationes veluti formaliter diſtinctas. Præterea, quando intellectus incipit exercere munus omnipotentiæ, aut id agit antecedenter ad voluntatem, aut concomitanter, aut poſt: non primum, quia res ad extra naturali neceſſitate producerentur, cùm intellectus ſit potentia naturalis, & nil contingenter produceretur, eſſetq; ab æterno mundus, & neceſſario, quia agens neceſſarium quando habet eſſe, ſi ſit potens, & non impediatur, ſubito producit in eſſe, ab æterno autem fuit intelligens Deus, ergo ab æterno, & neceſſario creauit: non ſecũdum, quoniam intellectus non operatur ſimul cum voluntate, ſed vel præcedit oſtendendo, & dictando, vel ſubſequitur videndo determinationem eius: prima eſt ſimplex intelligentia, & ſecunda eſt viſio: nec dicas, poſt decretum intellectum comitari voluntatem, & ſimul operari, ſiquidem iam voluntas per decretum exercuit munus omnipotentię ſuæ decretando, poſtea vero intellectus ſubſequitur, & ſecundario ſe habet videndo iam decretatum, & ordinatum. nec tertium ob eandem rationem. Dices, volũtatem modificare intellectum diuinum, ne antecedenter producat: hoc non valet, nam par in parem non habet imperium, intellectus eſt ita infinitus, ſicut eſt infinita voluntas, quapropter non poterit modificare ne producat antecedenter: tum etiã quia intellectus Dei non dependet à volũtate diuina; eſt.n.ex ſe infinitus, & nil deeſt: igitur quod antecedat ad voluntatem ſub ratione productiui, & exequutiui omnipotentiæ falſum eſt. & deniq; non eſt intellectus potentia de ſe indifferens, quaſi determinari expectans à voluntate ad hoc, vel illud, quia ex ſui natura neceſſariò tendit in obiecta.

17 Quo-

Aliorum ſententia.

17 Quod alij addunt, omnipotentiæ, tum proximum, tum radicale principium eſſe eſſentiam infinitã, id quoq; improbatur, & quidem impugnatur quoad id, quod ait eſſe proximũ principium: & amplius ſententiam explicantes aiunt concurrere etiam intellectum, & voluntatem, ſed ſolum ſub ratione dirigentis, penes intellectum, & ſub ratione applicantis penes voluntatem: non autem hæc duo ſe habere ſub ratione principij, ſed actionem ad extra immediatius comparari ad infinitam eſſentiam, ſub ratione principij elicientis: vnde concludunt non oportere fingere potentiam tanquam quid ratione diſtinctũ ab eſſentia, ſeu non eſt concipienda in Deo omnipotētia veluti aliquid ab ea, ratione diſtinctum. probant verò, quoniam idem calor dat eſſe, & operari, vt calefieri, ergo in eo non diſtinguitur principium eſſendi à principio operandi: ita eadem Dei eſſentia dat eſſe Deo, & in eodem eſt principium operandi ad extra. idem quoq; dicunt de forma ſubſtantiali ignis, qui ſeipſum immediatè poſſet communicare, atq; ignem producere, ſi non eſſet limitatus, & imperfectus, Dei autē eſſentia eſt infinita, ergo de ſeipſa immediatè operari poteſt ſub ratione principij. item Deus eſt omnipotens non ratione ſcientiæ, nec ratione voluntatis. probant, quia non ideo omnipotens quia ſciat omnia, quæ poteſt, nec ideo potens, quia volens, ſed prius potens omnia, inde eſt ſciens, & volēs, ergo nec ſcientia, nec voluntas, nec quid diſtinctum eſt omnipotentia. Denique eſſentia ſua eminenter, & virtualiter continet omnia antecedenter ad ſcientiam, atque ad voluntatem, vt patet, quia de ſe eſt infinita antecedēter ad iſta duo, ergo abſtrahit ab his: & ſi hæc duo concurrunt ad omnipotentiam, non concurrunt niſi intellectus ſub ratione dirigentis, & voluntas ſub ratione applicantis. modus hic eſt Suarij in met. diſp. 30. ſec. 17. n. 47.

Improbatur.

18 Eſt autem cæteris improbabilior. & primo mirum eſt, vt eſſentiam, licet infinitam, reddat potentem ſub ratione omnis principij, tùm radicalis, tùm proximi: quod namque ipſa principium ſit fundamentale, & quaſi remotum, id abſque dubio eſt concedendum, & concedunt omnes; quod verò eadem habeat rationem etiam proximi principij, id nulla ſchola amplectitur, nec Diui Thomæ, nec Scoti: & in primis imaginatio fundatur in infinitate, quæ continendo omnia, eſt principium ſingulorum: infinita autē eſt diuina eſſentia: in hoc fallitur, vt confundat modos cōtinentiales; aliud namq; eſt cōtinere eminenter, & aliud continere virtualiter: primum conuenit eſſentiæ, non ſecundum de ſe ſola præciſè: declaratur, continere eminēter non eſt poſſe producere, loquendo de rationibus formalibus iſtorum: ſed eminenter continere eſt habere cōtentum in ſeipſo modo perfectiori, & in hoc dicitur continens *eminere*: itaq; nil aliud importat, quàm perfectiori modo habere rem contentam; ſeù habere rem contentam in perfectiori gradu: continere autem virtualiter, eſt formaliter poſſe producere: & hoc indicat virtus, ſeu virtualis continentia, ſcilicet potentiam producendi: liquet autem vnum iſtorum formaliter non eſſe aliud ſecundum ſuas rationes formales in ſēſu reduplicatiuo ſpectatas, licet materialiter poſſint conuenire vni eidemq; vt Deo, vt ſup. diſpu. de Perfectione Dei: immo adeo non ſunt idem, vt poſſit vnum in ſubiecto reperiri abſq; altero, patet in homine, qui animam vegetatiuam plãtæ eminenter continet, & tamen non poteſt producere eam: animam quoq; ſenſitiuam bruti continet eminenter, quia vtraſque habet perfectiori modo in ſua anima rationali, & tamen nec ſenſitiuam producere poterit, nec vegetatiuam plantæ. Dixeris, producere quid æquiualens, quia generando fætũ Pater dicitur fætum gignere viuentem anima plantæ, inde anima bruti, iuxta illud Ariſt. *homo prius viuit vita plantæ, inde viuit vita bruti*; ergo eminenter continēdo etiam producit, ex quo continet virtualiter. Dicendum primo licet producat quid ſimile quoad effectum vegetandi, & ſentiendi, attamen formaliter hæ animæ ſunt ſpeciei diſtinctæ à vita plantæ, & bruti, quia ordinabiles ad formam rationalem, &

Eſſētia de ſe ſola præciſè nō cōtinet adæquatè virtualiter, ſed eminēter.

Eminētialis, & virtualis continētia an ſiut idem.

quia

quia ſunt anima vegetatiua, & ſenſitiua, non plantæ, nec bruti, ſed ſolius hominis; Ariſtoteles autẽ loquitur exẽplificatiuè, & qnatenus cõſimiles operationes experimur hic, & ibi, ideo nominamus eas eſſe plantæ, & bruti, cæterum diſtinguuntur: quo fit, vt remaneat verum, hominem continere animas plantæ, & bruti eminenter, ſed non virtualiter. diceretur ſecũdo animam illam ſenſitiuam produci à cęlis, ex ſentẽtia aſſerentium ſenſitiuas formas produci non à Generante, ſed à cęlis: & dicerent Alij produci ab ipſo Deo. quidquid tamen ſit de ſecunda, & tertia reſponſione, iuxta placita aliorum; illud quidem verum eſt hominem generantem non producere formaliter animã, quæ ſit formaliter anima plantæ, aut formaliter anima bruti. magis verò patet ex continentia eminentiali non debere inferri virtualem in ipſo Angelo, de quo certum eſt eminenter continere multas hominis connaturales perfectiones, cùm namque ſit natura nobilior, eminentior erit ſuus intellectus, ſuaq; voluntas, ſua entitas, ſuę potentię, quam ſint hominis, qui tamen nihil horum poteſt producere, nuſquam enim produxit hominem, & nuſquam dedit homini alicui intellectum, voluntatem, & ſimilia: quapropter rationes formales harum continentiarum non ſe neceſſario inferunt, immo non ſunt idem, vt conſtat. at de hoc fuſius ſupra diſput. de perfectione diuini eſſe.

Continentia eminentialis infert virtualem materialiter, non formaliter.

19 Hinc fit, applicando ad eſſentiam, quod duplex hæc Dei continentia competit ratione diuerſorum: eſſentiæ quidem eminentia, & virtus producendi vni alteri: eſſentię quidem ſub ratione entis perfectiſſimi, & infiniti, & alteri ſub ratione principij proximi productiui. oſtenditur, quoniam ex quo aliquod perfectius eſt, ex eo cõtinet eminenter perfectiones imperfectioris: eſſentia Dei eſt perfectiſſima in infinito gradu, ergo ei competit eminẽter continere: ex quo etiã voluntas eſt principium proximum agendi in ipſo Deo, ideo dicitur virtualis continentia deberi voluntati, tãquam principio: ſicq; reddendo ſingula ſingulis, eſſentiæ ratione infinitatis competit eminentia, & voluntati ratione principij conuenit virtus, confundere autẽ iſta duo, eſt minus diſtinctè aſſignare rationem omnipotentię; igitur non valet inferre, continet eminenter, ergo principium eſt producẽdi, hæc conſeqnentia non eſt formalis, quia ratione eminentiæ nõ inferri debet virtus, cùm ſint rationes diſtinctę, ſed eſt materialis in Deo, qui Deus & eſt infinitus omnia eminenter continens, & eſt cæterorum principium, & cauſa producens, ideoq; vtroq; modo cætera continens virtualiter, & eminenter: & ſic reſpondetur ad vltimam rationem eius.

20 Quod etiam dicit, non ideò eſſe omnipotentem, quia ſciens, & volens, ſed prius omnipotentem, quàm ſcientem, & volentem: id in æquinoco ſiſtit; explicando .n. illam cauſalem habebitur falſitas eius ſentẽtiæ: ſi nãque ly *quia*, denotet principium formale, & proximum agendi, falſum eſt non ideo omnipotentem, quia volnntate operantem, etenim eſſentia præcisè non poteſt eſſe tale operandi formale principium; quòd ſi rationem habeat operatiui principij, illud cenſebitur radicale, & fundamentale, ipſa namq; ſolùm habet de ſe rationem radicis, & fundamenti, ideoq, in genere omnipotentiæ productiuæ ſe habet quaſi remotè: ideoq; illa cauſalis põt quidẽ referri ad eſſentiã, ſed materialiter, & fundamentaliter, vt quia ſcientia eſt infinita, ideo Deus omnia poteſt: dicendum ideo omnia poſſe, ideo, inquam materialiter, realiter, radicaliter, non formaliter, non proximè, cùm requiratur formale principium: & ita eſt ſatisfactum ad rationem ſecundam. Aliàs ſi eſſentia de ſe ſola eſſet præcisè adæquatè, & formale principium ad extra, Deus vtique ageret naturaliter, & neceſſario ad extra.

Ignis ſi infinita eſſet virtutis nõ ſe communicaret ſimilare pranio calore.

21 Quod inſuper ait de forma ignis, quæ niſi finita eſſet, ageret immediatè communicando ſeipſam: & probat exemplo caloris: patet etiam in oppoſitum in ſubiecta materia mi litare: & ſi diſcurramus de diuina eſſẽtia ad intra, vtiq; infinita eſt, attamen Verbo, & Spiritui ſancto nõ ſe immediatè cõmunicat, immo poſtulat prin-

cipium proximum fæcundæ memoriç, ac voluntatis fæcundæ, quæ talem agât communicationem, quibus principijs negatis, non communicaretur eſſentia, & nihilominus eſt infinita, ergo falsũ eſt, ignem immediatè ſe communicare poſſe ſi eſſet infinitus. poſtulat enim calorem diſponentem ſubiectum: vnde autem eſt, vt vltra infinitatem eſſentia requirat principia proxima, formalia, nonniſi quia de ſe formaliter præcisè; non eſt in ratione formalis principij, & hoc à priori; à poſteriori enim prouenit aliunde, vt ratione diſtinctarum productionum, quæ penes ſolam eſſentiam non poſſunt diſtingui, ideoq; principia requirunt diſtincta, & ſimilia: à ſimili, cur eſſentia Animæ non intelligit immediatè, nec immediatè vult, quia de ſe non eſt formale principium iſtorum, & vnumquodque contentatur eo, quod ſuâ exquirit natura: quod igitur eſſentia non immediatè producat, hoc non derogat ſuæ infinitati, ſed quia ſuæ rationi formali hoc non conuenit, contentatur namq; eſſentia eo, quod ſibi competit; & ſufficit ſibi vt aliunde hæc ſibi competât, ſcilicet fundamentaliter, & radicaliter, vnde ita euenit, quia *hoc eſt hoc*, & *illud eſt illud*, & vnumquodque in ſuo genere habet quod ſibi conuenit: ergo quod ignis non immediatè producat, non prouenit, quia eſt finitus præcisè, ſed quia requirit diſponentem calorẽ, & ita reſpondetur ad primum.

In ſubſtantialib. principium eſſendi non eſt principium operandi immediatè, in accidentalibus ſic.

22 Et ad illud de calore, non eſt mirum, quia principiũ eſſendi in ſubſtantialibus nõ eſt principium immediatè agendi, at principium eſſendi in accidentalib. eſt quidem principium immediatè operandi, non autem hoc prouenit ex maiori perfectione, cùm ſubſtantia ſit perfectior accidente, ſed quia ſubſtantia indiget principio proximo; & formali, accidens autem eſt proximum ſic principiũ nedum alijs, verum etiam ſibi, vnde ipſum non exquirit vlterius principium formalius, & proximius, ne daremus proceſſum in infinitum; quapropter ſi ſubſtantiç eſt principium; in ordine tamen ad ſe nõ requirit aliud, quia ſibi ſufficit proximè; ergò hinc magis conſtat infinitatem non eſſe rationem proximam, & præciſam operandi, quia aliunde accidens creatum imperfectiſſimũ proximè operatur, ſicq; argumentum retunditur contra Auctorem. Quod deniq; dicit de intellectu dirigente, eſt improbatum ſuperius: & quod ait de voluntate applicante, aut applicando ſe habet tanquam inſtrumentum eſſẽtiæ, aut tanquam principium operans: non primum, quia eſſentiam non eſſe principium probauimus, nec eſſe intellectum, vt etiam concluſimus, ergo à ſufficienti enumeratione remanet vt voluntas habeat rationem principij; quòd ſi principij, ergo non inſtrumẽti.

In quonā conſiſtat proxima, & formalis ratio omnipotẽtiæ.

23 Igitur ex his omnibus concludendo duo dicimus. primum eſt, quod ſi loquamur de omnipotentia, tanquã de principio adæquato, completo, amplectente omnia, quæ ad principium ſic operandi requiruntur, vtiq; omnipotentia exquirit plura, ex quib. omnibus integretur: & in primis exquirit eſſentiam infinitam, & perfectam, continentem eminenter ea, quæ producere poteſt: ſecundo requiritur intellectus, vt ſingula noſcat iuxtà ſuas rationes formales, ſecundùm quas ſunt producibilia: inde accedunt exemplaria, & ideæ: poſtmodum accedit volũtas volens, & potens ea producere, præeunte ſibi intellectu ſub ratione oſtenſiui proponẽdo obiecta &c. hæc, & ſingula, & multa alia excogitari poterunt ad complendam rationem omnipotentiæ ſic vndequaq; integraliter compactæ. Accedit quoque tota Trinitas, quia opera eius ſunt indiuiſa, & ſimilia: ſiquidem ſic expetenda ſit omnipotentia, iam omnes conueniunt in aſſignanda ea, nullumq; inſurget inter Doctores diſſidium, quoniam aſtipulantur omnes hæ ſingula, & ſiquæ alia, interuenire ad omnipotentiam; quo in loco verùm etiam erit dicere omnipotentiam ex his reſultantem eſſe quid ratione diſtinctũ, prout docet D. Tho. Attamen hæc omnipotentiæ acceptio eſt tantummodo materialis, & realis: nec quæſitum reſoluitur, ſic loquẽdo, ad mentem quærentium eius rationẽ proximam, & formalem, quo fit, vt reſoluendum ſit non in ſenſu materiali, ſed formali, quærimus. n. quod ſit formale principiũ in Deo per potentiã,

ſed

ſeu omnipotentiam operandi: igitur ex confutatione Aliorum concludimus formale, ac proximum principiũ ad extra eſſe diuinam voluntatem: non eſſe intellectũm, & ſcientiam; quia per illam Deus non dicitur omnipotens, ſed dicitur omniſciens; non eſſe ſolùm ideæas; non intellectum ſolum, vt dirigentem, non infinitam eſſentiam; quia eſt radicale, & remotum: non intellectus imperium, quæ ſingula huçuſque improbauimus; quapropter concludatur eſſe voluntatem, & iſta eſt formalis principij explicatio, & traditio: & hanc docent Patres, Leo 1. ſerm. 2. de natiuit. *Deus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia.* Auguſtin. medit 29. *Deus, cuius voluntas opus, cuius velle eſt poſſe.* Scripturæ quoque 1. ad Epheſ. *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Pſalm. 148. *ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* & 141. *omnia quæcunque voluit Dominus fecit.*

24 Confirmando denique tota hæc ſententia auctoritate Ariſtot qui 3. de an. c. 10. ait, *intellectus, & appetitus mouendi principia ſunt:* & poſtea hæc omnia recolligens in vnum dicit, *vnum igitur eſt id, quod mouet, ipſum .ſ. appetitiuum.* in quo ponderandum eſt dupliciter aſſignaſſe agendi principium, primu ex intellectu, & voluntate coaleſcens, & ſecundo ex appetitu ſolo reſultans: nec remanſit in prima aſſignatione, ſed tranſijt ad ſecũdam, quoniam ei conſtitit formalius explicari, & intimius per ſolum appetitiuum, quàm per intellectum, & appetitum: ſic etiam dicimus nos, vniuerſaliter, atq; generatim loquendo de principio agendi ad extra, complectitur quidem omnia & ſingula, quæ ſiuè proximè ſiuè remotè ad id concurrunt, vt eſſentia, ideæ, ſcientia tota Trinitas, voluntas, & ſi quæ alia: at aſſignando, vt decet, non radicale, nec qualecunq; principium, ſed proximum, ac formale, eſſe appetitum rationis, quod eſt voluntas.

QVÆSTIO V.

Vtrum admittenda ſit in Deo potentia executiua.

1 MVlto facilius præcedens quæſitũ reſolueretur, ſi cõſtaret reperiri in Deo potentiam tertiam, à volũtate diſtinctã, & intellectu, quam vocant exequutiuam: ſiquidem in hac dicerent ſiſti rationem formalem omnipotentiæ Dei, ac eam eſſe proximũ, formaleq; principium operandi: verum quia res dubia eſt, nec ab omnibus admittitur, ideo difficile fuit inueſtigare, in quo conſiſteret, vidimus.

Sententia dari potentiã executiuam in Deo.

2 Dandam verò eſſe talem tertiam potentiam probari poteſt: & quidem non dicit imperfectionem, immo perfectionem adauget agenti, quo enim potentiæ magis augentur, eo vigoroſius eſt, & perfectius in agendo, quapropter nec imperfectionem addent ipſi Deo, ergo nec ab ipſo neganda. item conceduntur in nobis exequentes potentiæ, vltra namq. intellectum, & voluntatem habemus organa, & mẽbra exequentia voluntatis imperia. Rurſus in Angelis quoque ſtatuitur talis facultas, vt vltra voluntatem, & intellectum exequutiuam quoque potentiam habent, quapropter videtur perfectionem dicere, ideoq; apponenda in Deo. inſuper res non dicitur abſolutè poni in eſſe ſuo per ſolum intellectum, & voluntatem; quoniam hæ potentiæ

Confirmatur ex Ariſtot.

nullum eſſe tribuunt rebus, niſi quoddam eſſe extrinſecum, & dant extrinſecam denominationem, vt ab intellectu recipiunt eſſe intellectum, & cognitum & à voluntate eſſe amatum, & volitum; ſicut paries ab oculo corporeo recipit eſſe viſum; & ſonus ab auditu eſſe auditum, quæ tamen potentia nõ dant ſimpliciter eſſe hiſce obiectis, cùm nec paries producatur in eſſe ſuo ab oculo vidente, nec ſonus recipiat eſſe ab aure tinniente; ergo nec diuinus intellectus, aut voluntas dabunt rebus eſſe, niſi extrinſecum. Denique voluntas, & intellectus ſunt indifferentes, determinantur autem per exequutricem potentiam. & Confirmatur, intellectus, & voluntas ſunt immanentes, eorumque operationes ſunt immanentes, nec tranſeuntes: ad producendum autem extra requiritur actio tranſiens, ergo cùm tranſeuntem actionem adminiſtrare non poſſit voluntas, & intellectus, dabitur exequutiua potentia operans per actionem tranſeuntem. Hanc ſententiam hanc tuetur Durand. in 1. d. 88. q. 1. quam etiam ex recentioribus amplexantur plerique.

Non dari in Deo potentiã executiuã probabilius.

3 Eſſe autem oppoſitam ſententiã probabiliorem magis conſtat, vt ſufficiat voluntas ipſa, ſiue quidquid aliud cum ipſa concurrens de quo ſup. dummodo negemus talem potentiam exequutricem. Et probatur id, quod enti imperfecto, & inferiori, eſt medium, nõ eſt neceſſe, vt ſit medium enti perfecto & ſuperiori, organa autem ſunt inſtrumenta media agentis imperfecti, quale eſt animal, ſiquidem anima de ſe ſola exercere nequit opera ſenſuum corporeorum, ad quæ ordinatur animal, ergo non mirum ſi hic adhibeamus organa exequutiua. Deo autem prout infinitæ virtutis non eſt opus talib. organis ſiquidem voluntas eius infinita eſt, ideoq; immediatè attingere poteſt, id, quod anima attingit mediatè; ergò quod animæ, tanquam naturæ imperfectæ, eſt neceſſario medium, non erit neceſſario medium ipſi Deo.

Quod eſt mediũ inferiori nõ eſt neceſſario medium ſuperiori.

Obſtatur.

4 Sed dices, etiam debere eſſe medium Deo, quia Deus ſi velit ſenſationem viſionis corporei producere, opus habet organo viſus, & ſi Angelus ſenſationem velit auditionis; non poterit eam obtinere, niſi medio ſenſili auditus, ergo erit medium vtrobique; Nec valet dicere, Deum producere poſſe immediatè viſionem, & auditionem, abſque aure, & viſu, cùm poſſit de ſe ſolo tanquam prima cauſa, quidquid ipſe poteſt cum ſecunda cauſa: non inquiã, poteſt, ſiquidem viſio, & auditio ſunt actus vitales, ac propterea exquirunt potentiam organicam viuentem: tum etiam quoniam in his ſenſationib. duo inſunt, alterum eſt productio actiua, eaium vtpote promanans ab obiecto, & potentia, & alterum eſt ſenſatio paſſiua, qua formaliter dicitur potentia ſentire non. n. ſentit potentia quatenus producit, ſed quatenus recipit, eatenus ſentit, & hinc Ariſt. in 2. l. de anim. ſub hac ratione negat ſenſum agentem, ibiq; ait *intelligere eſſe quoddam pati:* ſenſus namq; agens admittitur quidem ibi, at facilius ibidem aſtruitur ſenſus paſſibilis, propterea quod ſenſatio ſit in recipiendo, & patiendo: & de ſenſatione, viſione, atq; auditione ſic ſumpta eſt ſermo, quod ipſe, & Angelus non poteſt videre, nec audire abſque oculo, & auditu, ergò etiam ipſi Deo eſt medium. Confirmatur, quia intellectus nõ dicitur videre, niſi intellectualiter, atq; non dicitur opera cæterorum noſtrorum ſenſuum exercere niſi intentionaliter, ergo Deus per ſuum intellectum non poteſt hæc exercere. Dices intellectum ſuum habere operationes æquiualentes viſioni, & auditioni, immo multo excellentiores, & hæ illi ſufficiunt licet hoc verum ſit, tamen remanet quod formaliter non poteſt formalem ſenſationem corporeæ viſionis, & auditionis experiri ſine oculo, & auditu; ergo ſi potentiæ hæ exequutiuæ ſunt media nobis, erunt quoq; media ipſi Deo.

5 Reſpond. quod ex vno impoſſibili ſequitur quodlibet, ſuppoſito autem, quod Deus debeat ſenſationem paſſiuam habere videndi, & audiendi, neceſſe eſt vt habeat oculum, & auditum, quo formaliter audiat, & videat, quia hi actus vitales requirunt formales potentias formaliter ſenſitiuas iuxta naturam, & conditionem ſenſationis: at quia Deo hæc non competit, ideo opus non habet hac potentia me-

Deus habet potentias eminentiores, & æquiualentes potentias videndi, audiendi &c.

dia

dia organica, & exequente: ſufficit autem & habere potentias eminentiores, perfectiores, & altioris ordinis, cuiuſmodi eſt intellectus, quo conſimiles ſenſationes intentionales experiatur, immo magis perfectas, atque excellentiores, ſi.n. corporeo oculo competit videre, & auri audire, id æquiualenter, & nobilius ſuo competit intellectui, ita vt, quod in nobis eſt videre, & audire, ſit in ipſo intentionaliter intueri; & vbi nos videmus oculo, ipſe nouerit intellectu, ac vbi noſtra operatio eſt ſenſualis, ſua ſit intentionalis, & viſioni noſtræ corporeæ correſpondet in ipſo viſio intellectualis: ſimiliter de cæteris ſenſationib. alias ſi hoc æquiualens nõ poneretur in Deo, iam imperfectior remaneret creaturis; vnde Dauid peroptimè hoc expreſſit pſal. 93. dicendo: *qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?* quaſi dicat, quomodo fieri poteſt, vt Deus, qui cæteris oculos format ad videndum, aureſq; ad audiendum, ipſe cæcus erit, & ſurdus? ſimile eſt huic illud Iſa. 66. *qui cæteris generationem tribuo, ſterilis ero?* immo ipſe quoq; generaui filium ab æterno: ac tandem ipſe principium habet in ſeipſo producendi æquiualenter, immo perfectius, ea quæ nos in nobis producimus, ſemotis imperfectionibus, vt concludit Dioniſ. 5. de diuin. nom. *non quidem hoc eſt, & hoc non eſt, ſed omnia eſt, tanquam omnium cauſa*; ſiue ergo loquendo de operationib. iſtis in 1. co actiuè, ſiue quaſi paſſiuè, nulla indiget potentia exequutiua.

In creaturis eſt neceſſarius ordo potentiarum ad potentiam executiuã, qui non eſt neceſſarius in Deo.

6 Corrobatur etiam principale intentum. quod in hominibus ſenſu, & intellectu pollentibus, reperiantur exequutiuæ potentiæ mirum nõ eſt, ſiquidem eorum actiones tranſeuntes ordinatè fiunt, atque ordine quodam exequutiuis demandantur: ordo autem is eſt, vt intelligat primò ratio, ac præmeditetur quid agendum, inde ſubſequatur voluntatis electio, hoc potius agendum, quàm illud, poſtmodum adnectatur membris imperium, vt nutum exequantur voluntatis, quibus actis, iã erit completus ordo, & proceſſus, ergo ratio vrget vt hic admittamus tertiam iſtam potentiam. Inſuper homo non eſt abſolutè ſpiritus, eſt tamen ex vtroq; coaleſcens, ſpiritu, & corpore: quod ſi ſolus foret ſpiritus, vt Deus, tali non indigeret ordine ad corpus, nec operaretur medijs organis exequutiuis. item natura confuſionem reſpuens, & omnia, ac vniuerſa ordinatè diſponens, taliter hominem diſpoſuit, vt rationi, ac menti directionem tribuerit penes ſe, & penes cætera: voluntati imperium, quo cuncta ſtatueret, & deniquè corpori ipſi cum membris, illis ſubijci in dirigendo, imperando, in directione atque executione. Diſtinctio etiam inferioris portionis, & ſuperioris hoc confirmat, quo fit neceſſe eſſe, vt inferior ſuperiori, ſenſus rationi obtemperet, & corpus animæ: quapropter cum iſta omnia ordinatè fiant, indigent potentia exequente. Accedit, quòd membra, & organa non ſunt fruſtra in homine, igitur operari debent: operantur autem ſubſequenter ad motum iraſcibilis, vel concupiſcibilis, ad motum rationis, & imperij voluntatis exequendo vtrarumque potentiarum appetitum, & motum, igitur optima ratione conuincitur dari in nobis exequutiuam potentiam: Deus autem caret corpore, non eſt præditus organis, tantamq; quam in nobis, non experitur ſubordinationem, præterquam ſolius intellectus, & voluntatis: ſuaque voluntas ſufficiẽs & efficax eſt ad præſtãdã ea, quę (ablatis imperfectionibus) nos præſtamus per organa: ergo non datur: alias ſuperflua eſſet; natura inſuper ſtudet cõpendio, & paucitati, vbi æquè benè fieri res poſſunt per pauciora, fruſtra igitur fierent per plura, addendo exequutiuam potentiã: quod verò æquè benè Deus ea faciat per intellectum, & voluntatem ac ſi ageret cum exequutiua potentia, conſtat quia voluntas eius infinita eſt, efficaciſſima eſt, & per eam dicitur cuncta facere pſal. 148. *omnia quæcunque voluit Dominus fecit*: Epheſ. 1. *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Pſal. 148. *ipſe dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt*: & Auguſt. in ſpec. 6. *voluntas tua opus eſt, velle eſt poſſe, qui omnia ex nihilo creaſti, quæ ſola voluntate feciſti*. Igitur à primo ad vltimum, quod eſt medium inferiori, non eſt neceſſario medium ſuperiori.

Ex Ariſt.

7 Conuincitur etiam ex Ariſt. qui loquens de anima, quatenus abſtracta eſſentialiter à materia, nullam aliam potentiam in ea collocat præter appetitum motiuum: inquit n. 3. de anim. cap. 10. *intellectus, & appetitus mouendi principia ſunt*: quæ duo poſtmodum in vnum copulans, ait, *vnum igitur eſt id, quod mouet*, ipſum, inquam, appetitiuũ, hæc quidem ex parte animæ, circa quã nil vltra collocat, præter voluntatem, & intellectum. quod tamen ab oppoſito amplius patet in eo, quod ſubiungit de corpore, in quo potentiam collocat exequutricem, ait n. *id verò quod mouet, atque mouetur, eſt ipſum principium appetendi: id autem, quod mouetur eſt animal ipſum, at quo mouet appetitus, vt inſtrumento, id iam corpori tribuitur*, hæc Ariſt. itaq; diſcrimen patet vtriuſq; vt illa careat in ſeipſa, non autem careat quatenus ordinatur ad exercendas corporis vires, vitamq; corpori tribuendam.

Potentia executiua non admittitur ad intra, ergo nec ad extra.

8 Præterea opus foret etiam ad intra eam admittere, ſicque diuinus intellectus non eſſet ſufficiens Verbi productiuum principium abſq; potentia exequutiua: diuinaque voluntas exquireret potentiam exequentem ad producendum Spiritum ſanctum; quod eſt inauditum: ſeq. ela probatur, quoniam non eſt de alijs maior ratio, quam de perſonis diuinis; ad creandum nãq; potentia requiritur infinita terminabilis ad creaturas, ad producendũ quoq; ad intra exigitur infinita potentia; immo ſi ad extra ſolummodo admittis exequentem potentiam, & non ad intra, ergo ſignum das maiorem facultatem requiri ad creaturas quam ad Verbum, & Spiritum; quare n. quæſo requiritur ad extra? aut quia non ſufficiat diuina voluntas, aut quia talis eſt naturæ diuinæ ordo, vt habeat ex ſe potentiam exequutiuam intrinſecè, qua mediante operetur; non primum, ſiquidem ſufficit ad intra intellectus, ſeu memoria fœcunda, & voluntas fœcunda abſque tali potentia, ergo magis ſufficit ad extra, cùm creaturæ non infinitiores ſint Verbo, & Spiritu ſancto; immo finitæ: nec ſecundum, quia hucuſque nullus auſus eſt eam ibi figere ad intra: pari namque ratione deſeruiret ad intra, ſicut ad extra: at ad intra ſufficiunt memoria, & voluntas quatenus infinitæ ſunt, ergo eadem infinitas ſufficiet ad extra.

Omnis numerus debet reduci ad vnitatẽ, vel ad tantam paucitatem, ad quantã reduci poteſt.

9 Item videmus naturam appetere vnitatem quo poſſibilius eſt, vnde quæ diſperſa ſunt in tot corporis organis, ea vnita reperiuntur in ſuperiori vnico ſenſu communi, in quo ſenſationes omnium ſenſuum viget per ſpecies: quæ etiam inferior intellectus plurificatis actibus intelligendi percipit, ea vnico intuitu, & ſingulariſſimo cõprehendit Deus: & quæ nos diſcurſu medio concipimus, ea ſingula ſimplici intellectione Deus intelligit, vel Angelus, iuxta mentem Thomiſtarum nõ; quæ denique temporis intercapedine, atque dierum decliuio occurrunt ſucceſſiuè, ea ſimul fuere obiectiuè in diuina mente, vel etiam in æternitate iuxta ſic ſentientes: *omnis namque multitudo, requiſitur ad vnitatem*; & omnis numerus ad paucitatem maiorem, ad quam reduci poſſit: & virtus omnis ad virtutem vnam intenſam, ac perfectiſſimam; quo fit vt fruſtra multiplicentur potentiæ, & addatur exequutiua: Deus autem vnus eſt, ergo quanto fieri poteſt, accedamus ad vnitatem, quia magis, magiſque oſtenditur ſua perfectio: hæc eadem eſt communis Doctorum ſententia, & colligitur ex Scoto in 1. q. 4. prol. & d. 37. q. 1. & d. 38. q. 1. ad arg. & licet in 1 d. 43 q. 1 videatur dubitatiuè loqui, propter quod Mayron. exiſtimat eum fuiſſe dubium, tamen magis negatiuam amplectitur, præcipuè in 37. cùm docet, *Deum non exiſtentem alicubi poſſe ibi operari ſola voluntate*: potentia autem exequutiua neceſſe eſt vt coniungatur paſſo, eamq; multo amplius ſequuntur qui exequutiuam negant in Angelo, vt Soncin. 12. met q. 31. Capr. 2 d 7 q 2. Argent. d. 8. q. 1. Baſſol. d. 14. & ibid Heru loquentes de Angelo, conſentit Ferrar. 2. contrag. cap. 16 & D. Tho. 1. p. q. 25. art. 1 dum ait, *nil aliud eſſe potentiam, præter intellectum, & voluntatem.*

Potentia executiua non eſt perfectio ſimpliciter, ſed perfectio ſupplens imperfectionem.

10 Ad rationes autem, ad primam dicitur in nobis eſſe perfectionem, ideoq; admittendam, quæ tamen de ſe non dicit perfectionem ſimpliciter, & propterea non admittenda in Deo: in-

no

nobis vero eſt perfectio ſupplens imperfectionem voluntatis, quæ de ſe nō eſt ſufficiens exercere opera hæc ſine ſenſib. in Deo autem ſua voluntas eſt perfectiſſima potens hæc omnia.

11 Ad illud, quod intellectus, & voluntas non dant immediatè rebus eſſe, niſi extrinſeca denominatione, id verum de intellectu creato, & voluntate finita, quæ inualida ſunt dare rebus eſſentiale eſſe: non ſic Dei voluntas, quæ volendo producit, & ad intra Spiritum ſanctum, & creaturas ad extra. Ad id de indeterminatione dicendum volūtatem determinare ſeipſam, itemq; intellectum ex ſui natura neceſſario agentem, ferri determinatè in obiectum diuinum primarium, at neutrius determinatio pendet ab exequutiua potentia.

Et ad id de actione tranſeunte dicendum prouenire ab eadem volūtate immediatè, licet namq; ad intra operatio intelligendi, & volendi eſſentialiter, ſit immanens, tamen quæ exit ad extra eſt trānſiens.

QVÆSTIO VI.

Vtrum prima ratio poſſibilitatis, ſeu impoſsibilitatis originetur à parte rei, vel ex parte Dei.

1 DIfficile ſanè quæſitum: vnde .ſ. deſumenda ſit originalis ratio poſſibilitatis, ſeù impoſſibilitatis cuiuſq; rei: ſi namque dixeris deſumi ex ſe, ex potentia logica, ex ſui repugnantia, vel non repugnantia, cōtinuò clamabit Scotus inde admitti aliquod ens alioqui poſſibile finitum, eſſe independens à Deo: ſi cōceſſeris id prouenire ab ipſo Deo, ſtatim Thomiſtæ vrgent, cur potius hoc, quàm illud, & cur ſic potius, quàm ſic res agat Deus, atq; dicent id prouenire, quia res hæc talis naturæ eſt, & ex ſe primo poſtulat, vt ſic fiat, & non ſic: quare vnuſquiſq; conſequenter ad ſua principia infert, ideo hoc eſſe, vel poſſe eſſe, quia Deus poteſt ei dare eſſe, ſeù quia Deus illud intelligit, & intelligendo dat eſſe: vel ideo Deum poſſe, vel intelligere, quia res de ſe poteſt eſſe, vel poſſibile eſt intelligatur: igitur vndequaq; contenditur, & difficile eſt veritatem adinuenire: afferemus autem ordinatè ſententias, & decidemus.

2 Primo igitur loco ſententia eſt penes Thomiſtas apud D.Thō. 1.p.q. 25.art.3.vnà cum Recenſiorib. Vaſq. 1.p.diſp.104.c.4.5. Molin.art.3.Suar. met. diſp.30. ſect.17. ideo Deum hoc facere, quia illud pōtentiam habet, vt fiat: potentiam, inquam, primo: nam vtriq; concedunt ideo hoc fieri, quia poſſibile eſt fieri: ſed diſcrepant in ſēſu formali, & in ratione primaria fiendi, vtrum ſit primo à Deo, an à creatura poſſibili: eſſe autem primo ex creatura poteſt ſic oſtendi: ſicut hoc ideo contradictionem inuoluit, quia non eſt poſſibile, & è cōuerſo, ita hoc ideo contradictionem negat, quia eſt de ſe poſſibile, & è contra: ſed quod eſt impoſſibile, & inuoluens contradictionē eſt de ſui ratione intrinſeca formali impoſſibile omnino, & ex ſe omnimode inuoluens contradictionem, ergo prima ratio poſſibilitatis, & impoſſibilitatis eſt ex natura rei. Præterea iſta cauſalis eſt vera, & formalis, ideo Deus non facit hominem irrationalē, quia primo repugnat ex parte rei: ergo iſta etiā vera, ideo facit rationalem, quia ita exigitur à parte rei: ergo prima ratio eſt à parte rei. ambę proba- *Sententia affirmans primā rationem poſſibilitatis eſſe ex parte Dei, & probatur.*

bationes nituntur id oſtendere ſuppoſito axiomate Ariſtot. quòd *ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio negationis* ex 1. poſt. 30. item tertio. ſi per impoſſibile nulla adeſſet potentia, nec quidem in Deo, productiua, & effectiua, adhuc res poſſibiles eſſent poſſibiles, & impoſſibiles eſſent impoſſibiles; ergo diuina potentia, ſeù aliquid ipſius Dei non eſt primaria ratio: ita quoque ſi Deus non eſſet intelligens, adhuc res poſſibiles eſſent, ſaltem ex ſe ſolis in actu primo intelligibiles: ergo intellectus nec dabit aliquod eſſe cognitum, cum facta ſuppoſitione nullus eſſet intellectus, nec etiam eſſe intelligibile, quoniam res id habent ex ſe primo. Inſuper ſi non hoc, ergo nugatio committitur in definitione potentiæ Dei, cùm dicitur, Deus poteſt facere quidquid eſt poſſibile; eſſet namq; ſenſus, Deus poteſt facere id, quod poteſt facere: at fit inutilis repetitio eiuſdem, nec res euadit manifeſtior, cùm idem explicetur per idem inutiliter; igitur vt notior fit definitio admitti debet quid extraneum ab omnipotentia; quod concernat naturam ipſius rei factibilis, itaut dicatur, diuinam omnipotentiam eam eſſe, ſecundùm quam fieri poteſt id, quod ex natura ſua eſt poſſibile: ſicq; habebitur prima ratio factibilitatis ex rei natura. Rurſus ſi impoſſibilitas refunditur in Deum, vt in cauſam præciſam, ſequitur vel Deū eſſe omnipotentem facere impoſſibilia, vel ipſum eſſe prorſus impotentē. probatur primum, quia ipſe de ſe eſt omnipotens, ergo nihil erit impoſſibile, & ita facere poterit hominem irrationalem, ſiquidem, dum tota ratio impoſſibilitatis eſt ex parte ſua, & nō ex parte rei, ipſe de ſe potens erit, ergo facere poterit impoſſibilia, quia impedimentum, & repugnantia non ſtaret à parte rei, ſed ſolùm ex parte ſui. probatur ſecundum, quoniam impedimentum nō eſſet ex parte rei, ſolùm verò ex parte Dei, ergo impotēs Deus; euitantur autem incommoda hæc tribuendo rebus primam rationē eſſendi. Vlterius, intellectus diuinus non eſt ſpeculatiuus, ergo nulli dat eſſe; antecedens ſupponitur à Contrarijs, quorum caput Scotus, negās praxim in Deo 4. q. prol. & in 1. d. 38. & cōſequens probatur, quoniam facere, & dare eſſe eſt munus intellectus practici, ſeù potentiæ practicantis. probatur denique ſicut res non dicuntur futuræ, quia à Deo cognoſcuntur, ſed è contra, ideo futuræ cognoſcuntur, ſeù ideo cognoſcuntur, quia ſunt futuræ, ſeù quia habebunt eſſe; ita res non dicuntur poſſibiles, quia à Deo cognitæ, ſed ideo cognitæ, quia poſſibiles. Confirmari poteſt, quia malum nō ideo malum, quia cognitum, ſed ideo cognitum, quia malum; igitur primaria ratio noſcendi, & poſſibilitatis, ſeù impoſſibilitatis non eſt à Deo, ſed ex rei natura. ſententiam hanc prius ſequutus fuit Gabr. 1. 43. q. 2. Henric. quol. 6. & 8. q. 3. quoad rationem impoſſibilitatis.

3 Eſt ſecundo loco ſententia Scoti, & diſcipulorum in 1. d. 43, & d. 36. & 2. d. 1. q. 1. docentis rationem primariā eſſe deſumendam ex parte Dei, non autem ex parte rei: addit verò diſcrimen inter rationem poſsibilis, & impoſſibilis, vt illius cenſeatur primaria radix ipſe Deus, iſtius verò ratio primaria ſit ex parte rei, licet quaſi ſecūdario ſit ab ipſo Deo; & demùm addit intellectum diuinum intelligendo dare eſſe quoddam cognitum rebus, quo mediante eſſe cognito res incipiunt habere eſſe poſsibile: & hūc ordinem ſtatuit, vt doceat vniuerſa pendere à Deo, etiam in eſſe poſſibili. *Sententia Scoti primā rationem poſſibilitatis eſſe ex parte Dei, impoſſibilitatis ex parte rei.*

4 Quid verò nobis ſentiendum ſit ordinatè indicabimus. & primò dicimus propoſitiones iſtas eſſe omnes veras in ſenſu materiali, *quia res poſſibilis, vel impoſſibilis eſt, ideo fieri, vel non fieri poteſt: quia Deus poteſt, vel nō poteſt hoc agere, ideo res poteſt, vel non poteſt fieri*: omnes quidē ſunt veræ materialiter. ſecundo cauſales iſtæ non ſunt præciſè: *quia res poſſibilis eſt, ideo habet eſſe, vel poteſt fieri; & quia ab intrinſeco poſſibilis, vel impoſſibilis eſt, ideo poteſt, vel non poteſt produci: & è conuerſo; quia poteſt hoc Deus, vel non poteſt, ideo res poſſibilis eſt, vel impoſſibilis*: nulla quidem iſtarum eſt cauſalis præciſa, quia conſtat poſſibilitatem ad eſſendum non ſufficere, vt res habeat *Proportiones cauſales ex parte potentiæ Dei, & ex parte rei, an ſint præciſæ.*

eſſe,

eſſe,niſi in ſolo Deo, quoad eſſe abſolutum ad intra, creaturæ autem, vltra poſſibilitatem requirunt potentiam actiuam educentem illas de potentia ad actum;& confirmatur,quia *vnicuiq; potentiæ paſſiuæ correſpondet ſua potentia actiua*: Dixi,niſi in ſolo Deo quoad eſſe abſolutum ad intra; quoniam regula fallit in Deo; in quo à potentia licet inferre actum, & potentia non ſtat abſq; actu ad intra, & hoc eſt vulgare axioma, *in diuinis eſſe non differt à poſſe*:in ipſo namque Deo quoad eſſe abſolutum, ſecundum rationem indiuidualem ſuæ Deitatis, ad potētiam ad eſſendum non correſpondet potētia aliqua actiua,quę producat Deum in eſſe ſuo,cum ſit Deus independens, improductus, incauſatus, & à ſe: ſpectato tamen relatiuè ibidem ad intra, ſeu perſonaliter,benè currit quod potentiæ logicæ ad eſſendum perſonaliter,& ſuppoſitaliter,correſpondet potentia productiua, vt generationi paſſiuæ, ac paſſiuæ ſpirationi correſpondet actiua generatio, & ſpiratio actiua. quod ſi hic habet locum, quanto magis in creaturis.igitur verum remanet illas cauſales non eſſe præciſas,cū vltra potentiam paſſiuam, requirant actiuam: nec etiam cauſalis actiua eſt præciſa, quia non propter hoc, quod infinitam potentiam habet Deus, non ob hoc,inquam, poteſt facere impoſſibilia, igitur talis cauſalitas,ſic intellecta non eſt præciſa.

Quid de impoſſibili

5 Solum dubitari poterit de impoſſibilitate, vtrum ea ſit præciſa ratio, qua non ponatur in eſſe: videtur quod ſic, cum negata impoſſibilitate, & poſita poſſibilitate, nō ſufficiat eius poſſibilitas, ſed requiratur actiua potentia: ergo poſita impoſſibilitate, nil vltra exigi apparet circa eā; quia quod non poteſt eſſe, non requirit actiuam potentiam vt ſit:ſed dicimus quod nec ea eſt præciſa cauſa,quoniam concurrit etiam ſaltem materialiter potentia actiua,non quidem poſitiuè dando eſſe impoſſibilitati,ſed producendo, ſeu potēs producere terminos poſitiuos, inter quos inde inſurgit repugnantia, vt Deus producit poſitiuè albedinem, & nigredinem,inter quæ tamen ex ſuis rationib. formalibus inſurgit impoſſibilitas,ſeu incompoſſibilitas; itaq; & ſi potentia actiua non det formaliter, & intrinſecè incompoſſibilitatem, & repugnātiam, dat tamen materialiter, producendo terminos, quibus poſitis cōſurgit ex ſe ipſis incompoſſibilitas; ergo neq; hic reperitur præciſa cauſalitas. Item concurrit Deus, ſaltem negatiuè, non dando eſſe tali impoſſibili: ergo pendet ex duplici capite tū ex parte rei impoſſibilis,tum ex parte Dei non dantis eſſe rei impoſſibili.

6 Tertiò dicimus, in rebus creabilibus, ſeu poſſibilibus habere eſſe, prima poſſibilitatis ratio non eſt ex parte creaturæ, ſed ex parte Dei. probatur, quia decens eſt creaturam ſubordinare Deo,& facere eam depēdētem à prima cauſa: at ponendo primam rationem eſſendi ex parte creaturæ,iam redditur independens in illo priori, ſeu ſit independens quoad illud eſſe primarium,creatura autem in omni genere eſſendi, & in omni momento ſui eſſe,atque in omni conſideratione cuiuſcunq; inſtantis ſuæ poſſibilitatis dependet à Deo; ergo eius primaria ratio, qua primo eſt poſſibilis, dependet à Deo: ſed dependens in ordine dependentiæ, conſideratur vt verè poſterius, ergo in ſe non eſt omnino primum, ſed primum erit ipſe Deus independens, quatenus rei ipſi tribuit eſſe dependenter.& hęc eſt potiſſima ratio huius ſententiæ:& profectò ita ratio poſtulat, ita natura exigit, ita ordo vniuerſi requirit, vt Deus ipſe cognoſcatur veluti naturæ Author,Princeps,& Inſtitutor. Cōfirmatur,quia qualis eſt ordo in eſſendo extra cauſas ſuas, talis eſt ordo in eſſendo intra cauſas: at ordo eſſendi extra cauſas talis eſt,vt effectus nō ſit prior, ſed ſit prior cauſa, ergo in ordine poſſibilitatis ſiſtendo intra cauſas, ipſe poſſibilis effectus non erit prior, ſed prima cauſa Deus.

Prima ratio poſſibilitatis eſt ex parte Dei.

7 Dices procedere extra cauſas; quia ibi adeſt vera productio, & conſequenter vera dependentia,ac poſterioritas;intra ordinem verò poſsibilitatis nulla adeſt productio,nec cauſalitas,ideoq; nec poſteritas:ſed hoc nō obſtat, ſiquidem licet verum ſit non eſſe adhuc productas naturas illas.

Obſtatur.

nec extra cauſas eductas, nec terminos ſimplices à voluntate Dei copulatos, nec vllam hucuſq; actam determinationem de copulatione, tamen ſimplices terminos inſpiciendo, de ipſis quæro, aut ſunt entia poſſibilia dependentia in genere entis poſſibilis; aut independentia in tali genere: ſi primum, ergo datur quid prius ipſis, tanquam à quo dependeant poſſibiliter; ſi ſecundum, ergo ens aliquod poſſibile, quod non eſt Deus, erit à ſe, & independes. inſuper reddendo ſingula ſingulis, vnicuiq; quod non eſt, nec eſſe poteſt Deus, reddenda eſt ſua depēdentia in genere ſuo: itaut enti actuali detur actualis pendentia, & enti poſſibili detur dependentia accommoda ſibi in genere ſuo poſſibilis; non enim in hoc eſt maior ratio de vno, quàm de altero.

Occurritur.

8 Hoc eodem modo ratiocinatur Magiſter ſent. in 1. d. 44. cùm quærit vtrum mūdus poſſit fieri melior: & reſpondet, poſſe vtiq; ſi tamen ſibi à Deo daretur maior, & perfectior capacitas ad talem meliorationem recipiendam: ecce quomodo Magiſt. capacitatem, atq; rei ipſius poſsibilitatem ad melioramentum refundit primario, & dependenter in Deum, à quo primo ſit talis capacitas, atque compoſſibilitas. Hæc eadem eſt ſententia D. Anſel. qui in lib. de caſu Diaboli c. 3. ait, *quia Deus dedit perſeuerantiam bono Angelo, ideo bonus Angelus eam habuit*, ex eo autem quod factum eſt, licet arguere ad id, quod ante fieri poterat, vt quia Deus poterat dare perſeuerātiam, ideo Angelus poterat recipere; & cauſalitas, ſeù potentia dandi ex parte Dei ſit cauſalitas prima, potentia verò recipiendi ſit ſecūda. Nec valet id verum ſolummodo in ijs, quę ſunt ordinis ſupernaturalis, atque ordinis gratiæ, vt eſt perſeuerantia in bono, cùm hæc ex pura natura habere nequeamus, ſed primo expectemus à Deo; hoc non obeſt, quia etiam ſiſtendo intra ordinem purę naturæ, Dei potētia ad dandum eſſe debet eſſe prima, & potentia rei poſſibilis ſecunda, vt conſtat ex doctrina allata Magiſtri de capacitate mundi, eſt namque capacitas talis, ordinis purę naturæ: & ſtat etiam in aliquo paritas, quia creatura habere nequit eſſe à ſe primo, ergo nec ex ſe primo omni primitate habebit potentiam ad eſſendum; aliàs gloriari poſſet creatura habere eſſe à ſe, ſicut per oppoſitam ſententiam gloriaretur habere poſſibilitatem primo à ſe: vnde infinita ſequuntur abſurda, vt quod ſit ens neceſſarium, independens, primum, à ſe, æternum; quod namque primo eſt, vel quod poteſt eſſe primo à ſe, iam ſemper fuit, æternèq; extitit, & neceſſario, quia hæ ſunt conditiones entis à ſe: increpatus tamen, & redargutus alioqui quādoq; fuit Pharao, quod ſimile quid de ſeipſo ſentiret, quaſi ſeipſum feciſſet Authorem ſui, quod quidem coincidit cū horum ſententia, attribuentiū primam radicē poſſibilitatis ipſi creaturæ: textus autem habetur Ezech. 29. *ecce ego ad te Pharao Rex Aegypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum*. & in expeditione Moyſis exod. 3. non alio nomine appellari Deus voluit, quàm nomine *Qui eſt, Ego ſum*, vt indicaret, eſſe, ac poſſe eſſe, primo competere ſoli Deo; eſſe autem, & poſſe eſſe creaturarum primo pendeat ab ipſo Deo.

Confirmatur ex Magiſtr.

Ab inconuenientib.

9 Eſt & ratio altera: capiamus duo entia, quorum alterum ad alterum ex ſui natura determinetur, & ordinetur ab intrinſeco, vt exempli gratia, accidens ad ſubiectum, & forma ad materiam: iam conſtat ex intrinſeco vnum ordinari ad alterum, quia talis eſt natura formæ, & materiæ ad inuicem, vt mutuo ſe appetant, & accidens ſubiectum, cui inhæreat: quæro vnde prouenit talis mutuitas, & concernentia, dixeris, ex ſuis naturis, atq; è ſuis entitatibus: & de entitatibus quæro vnde, & à quo eſſe habeant, dixeris, à prima cauſa: igitur pariter inferam, etiam à prima cauſa principiatiuè haberi poſſibilitatem, capacitatem, & ordinabilitatem vnius ad alterum, quia quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati: Deus autem cauſa primaria eſt entitatis extremorum, ergo erit prima etiam cauſe ordinabilitatis, & poſſibilitatis amborum, qua vnum poſſibile eſt vt vniatur cum altero.

Ex capite altero.

10 Hoc

10 Hoc quoq; mirabiliter docet diuina Sapientia prouerb. 8. vbi dicitur, *apponebat fundamenta terræ: legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos: librabat fontes aquarum* : & ſimilia: quæ omnia vtiq; acta ſunt dependenter à prima cauſa, diſtribuente ſingulis prout oportebat: vna cum cæteris, quæ ibi enarrantur. elegantius verò enarratur in Iobi 28. *vbi eras*, inquit Deus, *quãdo ponebam fundamenta terræ: quis poſuit menſuras eius, vel quis tetendit ſuper eam lineam: quis dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui: quis eſt pluuiæ Pater, vel quis genuit ſtillas roris: de cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cęlo quis genuit: numquid coniungere valebis micantes ſtellas pleiadas, aut girum arturi poteris diſſipare: numquid producis Luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper filios terrę conſurgere facis: quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam: quis enarrabit cęlorum rationes, & concentũ cęli quis dormire facit*: & cætera multa, quæ ibi Deus proſequitur: ex quo patet Deo tribuendam primam radicem horum: etenim interrogatio Dei ad ipſum Iobum protenſa hoc indicat, vt doceat quidquid in rebus eſt, vel eſſe poteſt, ab ipſo primitus fore expectãdum: vbi præſertim notãdum eſt illud, *quis poſuit menſuras eius*, vbi de pondere agitur terræ, & tamen Deus ſibi id primo tribuit, tanquam primæ cauſæ; & tamen ab intrinſeco terra tendit deorſum ad centrum: illud quoq; *nunquid coniungere valebis micantes ſtellas*. ſiquidem ſtellæ ex coniunctione, oppoſitione, vel aſpectu diuerſo vires acquirunt diuerſas influendi: qui influxus vtique ipſis competit ex ſuis naturis, quia tales ſunt, vt taliter influant, & non aliter, & nihilominus hæc ſibi Deus attribuit tamquam primæ radici, & primæ cauſæ.

Ex ſcripturis.

Ex aliis incõuenientibus.

10 Ad rationes redeundo: ſi creaturæ primario, & antecedẽter ad Deũ haberent eſſe aliquod poſſibile, aut illud eſſet ens reale, aut rationis, nullũ horum dicendum: non primum, quia conſtat falſum, cùm à Deo ſint cuncta: nec ab æterno ſit mundus: non ſecundum, quia id eſt pendens à ratione, & intellectu, at hoc nihil eſt, niſi ens fictũ: ſi dixeris eſſe pẽdens ab intellectu diuino, non autem creato, quia intellectus creatus intelligendo non dat verum poſſibile eſſe, dat autem intellectus diuinus, vtique concordabis nobiſcum deducendo ad Deum tale eſſe poſſibile. Inſuper poſſibilitas debet fundari ſuper re poſſibili, iam conſtat ex denominatione intrinſeca, nam poſſibilitas eſt alicuius poſſibilitas, ergo prædicatur de re poſſibili, eſtq; in re poſſibili, taquam in fundamento: de hoc autem quæro, à quo habet vt ſit fundamentum talis poſſibilitatis, ſeù vt ſit ens poſſibile, aut à ſe, aut ab alio: ſi primum, ergo eſt Deus, ſi ſecũdum, ergo primitus eſt à Deo. Dices, poſſibilitatem phyſicam præſupponere fundamentum, in quo fundatur, non autem logicam. ſed hoc falſum eſt, & contradictio eſt in adiecto dicere poſſibilitatem abſque fundamento: quoniam aut poſſibilitas dicitur de impoſſibili, aut de poſſibili, aut denique de nec poſſibili, nec impoſſibili: non primum, quia poſſibilitas implicat cum fundamento impoſſibili: non vltimum, quoniã quod de ſe abſtrahit ab vtroq; nullum eſt eorum; ergo ſtat ſecũdum, & ita poſſibilitas logica etiam habebit ſuum fundamentum: adde quod denominatio, & prædicatio fieri nequit ſine ſubiecto, & denominato; prædicatum enim de ſubiecto prædicatur, & vbi ſtat denominatio neceſſe eſt quoq; adſit ſibi denominabile.

Gabrielis reſponſio.

11 Gabriel præfatis argumentis occurrit, dicens, tunc quidem creaturam id quod habet, dependenter habere à cauſa prima, quando id habet per modum entis realis, quando autẽ ſic nõ habet, ſed habet per ſolam prædicationẽ, non eſt neceſſe vt id habeat ab alio principiatiuè, niſi quando prędicationes fiunt in actu. Hoc quidem minus habet veritatis: ſiquidem ſequitur veritates æternas de creaturis non eſſe veras, quia iam multæ ex ipſis huc uſq; in actu non fuerunt: ex quo ſequitur Antichriſtum fore non eſſe veritatem pendentem à Deo: iam.n.non eſt actu, eſt ens poſſibile, eius vero poſſibilitas pendet à diuino decreto, atq; voluntate, quæ iam ſtatuit ipſum

fore, ita de futuro iudicio poſſibili, quod hucuſq; non eſt: & iam vniuerſa poſſibilia futura non ſunt actu, quæ tamen iam cauſam habent, & originem in voluntate diuina ſingula determinante: item ſequitur Deum vel ignarũ eſſe futuræ rei poſſibilis, quam tamen de fide eſt præſciuiſſe, & prædeterminaſſe ab æterno: vel entia futura poſſibilia nõ fuiſſe ab æterno à prima cauſa determinata, & ordinata, cùm earũ veritas, inquit, ſolum quando in actu ſunt pendeat à prima cauſa: vel fieri aliqua à caſu, quia non præceſſit ab æterno cauſa prima ea ponẽs ab æterno in eſſe actuali: vel deniq; entia poſſibilia, vt ſic, eſſe entia neceſſaria, independentia, & omnino à ſe ipſis præcisè, & totaliter, habere poſſibilitatem: quæ ſingula abſurda ſunt: præcipuè vltimum: quod namq; poſſibilitas rei ſit ab intrinſeca natura rei, iam conſtat eſſe verum, at talis cauſa non eſt præciſa, & adæquata, requirit.n. primariã cauſam, quæ eſt Deus determinans. itẽ requirit efficientem cauſam, & finalẽ: non ſolum namq; cauſæ omnes requiruntur ad effectum quando ponitur in actu, verum etiam quando incipit eſſe poſſibile: vt poſſibilitas Dominicæ Incarnationis iam cauſas popoſcit omnes, ne fruſtra, vel caſu, & fortuna factam fuiſſe quiſque exiſtimauerit, vt poſſibilis primo fuit antequam fieret: poſſibilis, inquam, ex parte efficientis, quod fuit tota Trinitas effectiuè ſe habens ad id myſterium: poſſibilis ex parte finis, qui erat diuinæ bonitatis oſtenſio, ſupernæ miſericordiæ commendatio, atq; humani generis ſalus, & redemptio: cauſæ hæ, cùm cæteris eſſentialib. etiam antequam myſteriũ poneretur in actu, erant cauſæ eiuſdẽ Incarnationis quatenus habebat ſolũ eſſe poſſibile: ergo nedum ens, & propoſitio in actu, ſed etiam quatenus intra cauſas exiſtens, & conſiderata in ſua poſſibilitate, cauſam primam habet. & non eſt maior ratio de hoc, quã de omni alio, alias veritates poſſibiles creaturarum vel non eſſent determinatæ, vel eſſent independentes à *Deo*.

Refellitur.

13 Idem Gabriel ead. q. 2. docet correlatiua ſecundi generis ita ſe habere, vt nullum eorum ſit cauſa, propterquã vnũ magis referatur ad aliud, quam è conuerſo; rationem aſſignat, quia mutuo ſe reſpiciunt, & ſunt ſimul natura: vnde infert, non plus filius eſt, quam Pater ſit: ideoq; non plus filius eſt, quia Pater eſt, nec plus pater eſt, quia filius eſt: ſicut non plus filius habet Patrem, quia Pater habet filium, nec plus Pater habet filium, quia filius habet Patrem; quia altera, inquit, harum propoſitionum nõ eſt magis cauſa alterius, quam è conuerſo; & ratio eſt, quia ſunt ſimul natura.

Effugium Gabrielis.

14 Diſcurſus tamen hic Gabrielis minimè placet, immo eſt parum conſonus philoſophiæ: & quidem meminiſſe oportet, quod licet correlatiua ſint ſimul natura, ſunt tamen prius, & poſterius origine, quo fit vt Pater ſit prius origine filio, & filius origine poſterior Patre: item cauſa, & cauſatũ, Creator, & creatura quatenus correlatiua, ſunt quidem natura ſimul, at cauſa, & creator ſunt prius origine creatura, & cauſato: quid autem, quæſo; importat originis huius prioritas, & poſterioritas, vtiq, importat principium originatiuum ex parte cauſæ, & creatoris, & effectum originatum, ac cauſatum ex parte creaturæ, & cauſati: quod ſi ita eſt, vt ita docet Ariſt. in prædicam. de relatione, remanet vt filius tanquam poſterior origine Patre ſit productus à Patre, & creatura veluti ſic poſterior Creatore ſit producta ab ipſo Creatore; igitur falſum omnino eſt quod dicebat, quod alterũ illorum non eſt magis cauſa alterius, quam è conuerſo. patet magis in diuinis ad intra: vbi filius verè originatur à Patre æterno, qui tamen Pater non originatur à filio, immo à nullo, cum ſit improductus, & tamen ſunt natura ſimul; quia vero eſt præcedentia originis, inde eſt vt vnum ſit alterius principium productiuum, Creator etiam eſt vera cauſa creaturæ: ſimul ſunt natura vt correlatiua, attamẽ Creator eſt creaturæ cauſa, non Creatoris creatura, ergo conſtat etiam in correlatiuis dari vt vnũ ſit magis cauſa alterius, quam è contra.

Eluditur.

15 Ex quo ſingularius patet propoſitiones cauſales adductas, & negatas à Gabriele, non eſſe rationabiliter ne-

Propoſitiones cauſales de correlatiuis.

negatas,ſiquidem hæc, filius eſt, quia Pater eſt,eſt pluribus veritatis gradib. verior,quam iſta, Pater eſt, quia filius eſt; ſiquidem iſta filius eſt quia Pater eſt, vera eſt ex duplici capite, altero quidem generaliter competente omnib. relatiuis, & altero ſibi proprio, atq; ſpetiali:primum,quia omnia correlatiua ſunt ſimul, ideo illa cauſalis eſt reſpectiua, & nota ſimultaneitatis in omnib.ſecundum, quia procedit à Patre,tanquam à principio, vnde dum filius eſt,quia pater eſt,ly,*quia*, eſt nota ſimultatis ratione correlationis, & eſt nota cauſalitatis,quoniam eſt à Patre productiuè:à contrario autem,Pater eſt,quia filius eſt, ly *quia*, eſt nota ſolummodo ſimultatis, ſeu correlationis pronenientis inter producentē, & productum,non autem eſt nota cauſalitatis,cùm Pater non habeat ſuum eſſe à filio:ſimiliter de Creatore,creatura eſt quia creator eſt; ly *quia* eſt nota ſimultatis, & cauſalitatis, cùm eā cauſet,& creet; at Creator eſt,quia creatura eſt,connotat correlationem prouenientem ex creatione, attamen negat paſſiuam cauſalitatem in creatore, cùm non habeat eſſe à creatura: quo fit,vt vna ſit magis cauſalis,quam alia, quia vna eſt productiua, & effectiua alterius, & non è contra: & ita remanet vt id ipſum verum ſit tum in entib. in actu, tum etiam in propoſitionib.de poſſibili quo ad prædicationē.

Poſſibilitas intrinſeca rei eſt prima in genere cauſæ formalis, non autem in omni genere.

16 Quartò dicimus poſſibilitatem intrinſecam rei eſſe quidem primam, ſed ſolum in genere cauſæ formalis, non autem in omni genere cauſalitatis. prob. ratio formalis vniuſcuiuſq; rei intrinſeca debet eſſe prima, propterquam primo competat tali rei hoc vel illud,& in rationib.formalib.oportet deuenire ad vnam primam, quæ ſit magis intima,magiſq; eſſentialis: exēpli gratia,poſſibile eſt hominem mori, quia eſt res temporanea,quia afficitur loco deſtructiuo, quia ſeneſcit, quia deficit calor, quia peccauit, quia conſtat corpore,& materia, & ſimilia, hæ quidem ſunt rationes oſtendētes eius mortalitatem; attamen omnes eludi poſſunt, cùm non ſint primæ, intimior autem ratio eſſet, quia eſt ens contingens,non neceſſarium,non à ſe,ſed dependens,quo ſit, vt ablata Dei manutenentia,deficiat: quæ ratio vniuerſalior eſt, etiam cunctis, quia competit quoq; ſpiritibus carentibus corpore, paſſionibus loci, influxibus cęlorum, materia, & peccato, vt boni Angeli: ſic quoq; danda eſt ratio vna, tāquam intimior, atq; prima, quæ ſit prima ratio formalis, qua res hæc poſſibilis ſit, & tunc ratio illa poſſibilitatis erit primaria, prima quidem non abſolutè in omni genere cauſæ,ſed ſolùm in genere cauſæ formalis,ſeu rationis, & conceptus formalis; qua tamen comparata ad cætera cauſarum genera, vtiq; ratio efficientis, & finis erit prior, quia illa ab iſtis dependet, propter quod melius,& magis ordinatè ſaluatur ſubordinatio creaturæ ipſius,& effectus poſſibilis, ad ſuam cauſam, atq; ad Creatorem.

Quid de impoſſibilibus?

17 Solum dubium remanet quid ſit dicendum à contrario de impoſſibilibus: vtrum ſicut de poſſibilibus diximus primam radicem eſſe Deum, ita quoq; aſſerere debeamus de impoſſibilibus. qua in re Scotus negat, docetq; primam rationem refundendam in ipſam naturam rei impoſſibilis:Gabriel verò,& Henric.aiunt, Deū quoque originem eſſe talis poſſibilitatis, non quod prius in re ipſa ſit ratio repugnantiæ formalis, & impoſſibilitatis, ſed quia nulla in eo ſit potentia, qua fieri poſſit. Nos autem breuibus, & clarè ſic veritatē elicere conamur, ſupponendo vnum: quòd Deus eſt rei poſſibilis, quæ poſſit eſſe verū ens poſitiuum, verè Auctor: rei verò,ſeu entis negatiui non dicitur effector, neq; factor: quod patet, quoniam cùm negatiuum cōſiſtat in deficientia, ſiuè entitatis, ſiuè moralitatis, ac bonitatis, non eius eſt effector Deus, potius nāque habent Deum pro cauſa deficiente, quàm efficiente, & ideo circa mala dicitur ſe habere permiſſiuè, in qua re nulli dubium reperiri voluntatem non impediendi; permiſſio enim in negatione conſiſtit;igitur nō entis, ſeu negationis, vel deficientiæ Deus non eſt verè effector: quo etiam tendit illud Ioannis 1. *ſine ipſo factum eſt nihil*, quod Auguſt.exponit, *de malo culpæ*:à contrario autem poſitiui entis eſt ipſe pri-

prima cauſa, quia nullum ens eſt à ſe, ſed procedēs à cauſis, quoniam prius, & principalius pendet à prima cauſa.

Prima radix impoſſibiiitatis eſt à parte rei.

18 Hoc ſuppoſito, de duobus loquimur in præſentiarum: de poſſibili, atque impoſſibili: primum horum eſt poſitiuum, & ſecundum eſt merè negatiuũ: hinc fit, vt primi dicatur Deus poſitiua cauſa, & vera cauſa, immo primaria cauſa, quia veram habet pendentiam ad Deum; ſecundi non ſit vera cauſa, cùm ſit nihil: quod ſi non eſt ſic cauſa, nec ipſe prima erit huius cauſa. Inſuper aduertimus, Deũ ita operari, vt operando, non intendat res ipſas deſtruere, ſed conſeruare: neq; finis eius ſit nil agere, immo bonitatem ſuã cunctis communicare: opuſq; eius tale eſt, vt cunctis elargiatur dona gratię ſuæ, quantum eſt de ſe: ſuppoſito igitur finem, & opus eius hoc eſſe, ſequitur, vt ipſe nequeat prima radix eſſe negationis atq; impoſſibilitatis; & hoc pendet ex principio altero, quod non eſt inſtar agentis creati, quod nõ ſemper ſe habet conſtruendo, immo ſæpè potius deſtruendo, quoniam ſicut in ſe defectibile eſt, ita opus eius tùm circa ſe, tùm circa alia, tendit in defectionem: Deus autem ſe habet quantum eſt de ſe, ſemper in conſtruendo, quoniam quantum de ſe eſt, vellet cũctis, eſſe, poſſe, atq; perfectiones plures elargiri; quod igitur potentia hęc repugnet, & implicet reperiri in tali eſſe, hoc creaturæ ipſi tribuendum eſt primo, non Deo ipſi, qui vellet cuncta fore, operari, & perfici, ſi ex natura rei prius non implicaret: quod clarè elicitur ex ſcripturis, vt Oſæ. 13. *perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*: quo in loco, depoſitiuo loquendo, ait ipſum Deum eſſe primariam cauſam ſuæ ſalutis; denegatiuo autem, quod eſt perditio, primam rationem, inquit, reperiri in Iſrael, ſeu in ipſa creatura, quia ex ſe eſt peccabilis: eadem verò fienda applicatio ad Deum ipſum, veluti Auctorem, & Gubernatorem naturæ; vt namque in genere gratię ipſe eſt prima cauſa, & ideo creatura eã habet, ſeu habere poteſt, quia Deus poteſt primo conferre, & actu confert; & in genere negationis gratiæ, ideo creatura eam non habet, quia de ſe primo indigna eſt, vt eam habeat, impotens enim eſt ad naturaliter eam adipiſcendam, atq; impedimenta culpa apponit ne recipiat; ita quoque in genere puræ naturæ, ideo Mundus eſt, & poſſibilitatem habuit ad eſſendum, quia eam primo contulit ſibi Deus; & ideo chimera non erit, neque poſſibilis vnquam fuit ad eſſendum, quia de ſe primo repugnantiam habet, vt ponatur in eſſe.

Confirmatur ex Anſel.

19 Et confirmatur amplius ex Anſelm. lib. de caſu diabol. c. 3. *ideo Angelus bonus habuit gratiam, quia Deus ei dedit: ideo verò malus Angelus eam non habuit, non quia Deus nõ dedit, ſed quia ipſe eam non accepit.* hæc Anſel. quod quidem ſatis optimè declarat propoſitum noſtrum, vt poſitiuam cauſalem refundat primo in Deum, negatiuam tamen primo refundat in ipſam creaturam. & ita decens eſt etiam in pura natura, quoniam Deus non vult rerũ deſtructionem, non affectat, quantum eſt de ſe, vt non ſit hoc, vel illud, & vt hoc, & illud non habeat poſſibilitatem ad eſſe, neq; cuiquam tribuere intendit (vt plurimũ) de ſe ſolo tale impedimentũ vt non ſit, atq; vt non operetur, cùm de ſe cũcta vellet, vt eſſent, & vt poſſibilia forēt, ad hoc, vt amplius, & per pluribus cõmunicari poſſet ſua infinita perfectio, ſuaque bonitas, ſed obicem primo apponit creatura.

Impoſſibilitatis cauſa quomodo refundatur etiã in Deum.

20 Cum hoc tamen, etiam Deo ipſi aliqualis prima ratio eſt tribuenda talis impoſſibilitatis: aliqualis, inquam, non abſolutè, vt de poſſibilitate ante loquebamur: explico, quod hoc ſit poſſibile, id primo habet à Deo ſecundum eſſe poſſibilitatis, licet non totaliter, quia non eſt cauſa præciſa, vt eſt dictum: itaq; eſt cauſa prima ſecundum eſſe rei poſſibilis: de eſſe verò impoſſibili rei impoſſibilis non eſt ipſe dicendus tota cauſa, ſed diuidenda eſt impoſſibilitas inter rem, & Deum: & acta partitione, alterum horum ſit cauſa directa, altera indirecta, altera ſit verum principium, alterum ſit quaſi principium. oſtendo ſingula. Deus eſt qui directè producit albedinem, & nigredinem, ergo eſt prima cauſa directè poſſibilitatis poſitiuæ albedinis, & nigredinis, quia entia ſunt poſſibilia

poſitiuè:hoc acto,ſequitur,& conſurgit inter albedinem,& nigredinem incompoſſibilitas, quia non poſſunt eſſe ſimul : at vnde hæc duo? vtique ambo procedũt à Deo,ſed diuerſimodè,quoniam poſitiuitas albedinis, & nigredinis eſt directè à Deo, vt à prima cauſa directa entis poſitiui,repugnantia verò,ſeu incompoſſibilitas etiam proueniet à Deo ipſo, ſed ſecundario, & indirectè, cum repugnantia inter ipſas proueniat primo,& directè ex naturis earum:& quidem dando Deus eſſe albedini, & nigredini primo, dicitur inde ſubſequenter dare illis talem repugnantiam; & dando eſſe poſitiuum directè, concipitur conferre eſſe repugnantiæ indirectè, quia quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, & ita remanet talem eſſe modum dandi eſſe à Deo. Confirmatur, quia repugnantia,& negatio non habet poſitiuum principiũ effectiuum,igitur ſequitur,quod non primo Deus dat repugnantiam, ſed primo dat entitatem poſitiuam albedinis, ſuper qua fundatur inde repugnantia, ideoq; dum ad productionem albedinis verè à Deo productæ ſub ratione veri principij, fundatur repugnantia, dicitur quoq; Deus cauſa repugnantiæ,ſed in tantum repugnantiæ cauſalitas refunditur in ipſum, in quãtum ipſe eſt primo vera cauſa albedinis,& quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati,& qui dat antecedens,dat etiã omne neceſſario conſequens ad illud: ideo vocandus etiam cauſa: verũ quia non eodem modo & fundamentum, & repugnantia habent eſſe,ideo vnius dicitur poſitiuum principium,& directa cauſa,atq; primaria origo;alterius, conſequenter, dum ad fundamenta ſequitur ex natura rei repugnantia. Inſuper dum prima radix repugnãtiæ eſt ipſius naturę rei fundamentum, vtique ex intrinſeco illa eſt : & defectus omnis primo refunditur in creaturam, ita quoq; impoſſibilitas,quæ eſt poſſibilitas defectus, primo redit ad ipſam naturam rei. Hoc de monſtris conſpicuum eſt,alijſq; defectibus; Deus nãq; eſt vera poſitiua cauſa, & primaria perfecti, & completi compoſiti: monſtri verò quoad defectum non ipſe prima cauſa eſt,ſed aliunde eſt:ex defectu vel materiæ, vel alterius concurrentis neceſſario requiſiti. & nihilominus etiam defectus illius dicitur Deus aliquomodo cauſa,nõ quidẽ poſitiua,cũ defectus non habeat cauſam poſitiuã, ſed defectiuam:tùm etiam quia Dei finis non eſt imperfectio monſtri, ſed perfectio fœtus: Dei enim, ait Apoſt. *perfecta ſunt opera:* dicetur autem etiã cauſa,quia eſt cauſa ſolùm permiſſiua: ſic quoque de peccato pro formali, cuius non eſt cauſa effectiua ,ſed permiſſiua. ergo ſic ad propoſitũ.

Argumẽta ſoluuntur.

21 Ex his ſoluuntur rationes in oppoſitum. & ad primam,qua dicitur, ſicut hoc impoſſibile eſt primo ex ſe, ita hoc eſt primo ex ſe poſſibile:negatur paritas ob rationes adductas. eodem modo dicendum ad ſecundum. Et ad Ariſt.dicendum illud axioma tenere in cauſis præciſis, & eodem ordine, et modo cauſalitatis ſe habentibus : nunc vero non eodem ordine ſe tenẽt cauſalitates poſſibilitatis, et impoſſibilitatis à parte rei,et ipſius *Dei*:circa .n.cauſalitatem poſſibilitatis Deus eſt primus,et ordine cauſalitatis impoſſibilitatis,ipſa natura eſt prima. inſuper poſſibilitatis ,et impoſſibilitatis cauſa præciſa , et adæquata nec eſt Deus ſolus,nec natura ſola,ſed ambæ ſimul,et coniunctim,vt diximus. Ad tertium dato impoſſibili illo , ſequitur nec creaturam vllam eſſe poſſibilem:negato.n.Deo , et dato per impoſſibile , vt impoſſibilis ſit Deus , nihil extra Deũ eſſet poſſibile,et nihil omnino prorſus eſſet intelligibilo , quia impoſſibile ſecundum ſe totum , non eſt intelligibile : Cum vero Deus mediante intellectu,et voluntate det rebus eſſe;negato eſſe intelligentem , et volentem , nulla res habebit eſſe , et nulla erit poſſibilis. Ad illud de iuutili repetitione, ſeu nugatione negandum eam committi , quoniam omnipotẽtia relatiuè inſpecta deſcribitur relatè ad ipſam rem poſſibilem,et nõ ex ſeipſa ſola; ſi nãq; ex ſe ſola deſcriberetur, vtiq; haberetur nugatio , quod poteſt facere id , quod poteſt facere:at quia deſcribitur in ordine ad rem factibilem, ideo nulla nugatio , dicitur.n.eſſe , qua poteſt facere id,quod poteſt fieri: eſſet etiam nugatio quando omnipotentia eſſet

Sicut affirmatio eſt cauſa affirmationis , ita negatio negationis , declaratur.

Si Deus nõ eſſet poſſibilis, nil vltra eſſet poſſibile.

tota-

totalis præciſa, et adęquata cauſa productionis, idem namq; deſcriberetur per ſeipſum, at vero admittitur quid extraneum, quod eſt ipſa poſſibilitas rei: ex hoc tamen non ſequitur rem ipſam eſſe primam cauſam poſsibilitatis, ſed Deum. Ad illud de potente, et impotente facere poſſibilia, et impoſſibilia, dicendum id ſequi ſi Deus eſſet cauſa præciſa, et adæquata, et totalis poſſibilitatis, et impoſſibilitatis, tunc.n.ſi non poſſet aliquid fieri, proueniret ex quo Deus eſſet impotens, quia non daretur alia cauſa; at diximus non eſſe præciſam: cùm hoc tamē ſtat, vt ſit prima, vt dictum. Ad id de intellectu, quidquid modo ſit, de quo ſup. in quæſt. de praxi, id verum eſt, quod etiam intellectui competit dare eſſe ſimpliciter, patet de intellectu Patris, qui medio intellectu ſecundò dat eſſe ſimpliciter Verbo. quod ſi hoc cōpetit intellectui comparato ad intra, multo magis præſtare id poterit in ordine ad extra. vnde etiam certū eſt aliquam intellectus Dei ſcientiam dare rebus eſſe, illam ſ. quæ per modum artis deſeruit primo Artifici, ad formanda ſingula iuxta naturas cuiuſq; prout dilucidè diuina de ſe ſapientia teſtatur prouerb. 8. *quando præparabat cælos aderam, quando certa lege, & giro vallabat abyſſos, quādo & æthera firmabat ſurſum, & legem ponebat aquis, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram*, inquit ſapientia, *cuncta componēs*. an vero aliquo vlteriori modo intellectui competat dare eſſe rebus cognitum, vel quid aliud, dicetur ſuo loco.

Scientia ſe habens per modū Artis eſt cauſa rerū

Ad id de rebus futuris, dicendum res non eſſe futuras quia ſunt cognitæ ſcientia viſionis, niſi extrinſecè, & à poſteriori; hæc.n. nil influit ad decretū omnipotentiæ productiuæ, cùm ſubſequatur decretum, non ergo futurę ſunt quia ſic cognitæ; futuræ tamen ſunt quia antecedenter cognitæ cognitione, & ſcientia habente rationem artis, qua Deus noſcit, intelligit, atq; ſcit quidnam vnicuique rei competat, & ſcit prouidere de tempore, loco, cæteriſq, concurrentibus ad rem fiendam, vna tamen cùm diuinæ voluntatis decreto, proponēte intellectu terminos, & voluntate copulante ac decretante, ideoq; de hac loquendo, dicēdum, ideo res eſſe, quia cognoſcuntur à Deo: ita quoq; diſcurrendum de poſſibili, ideo hoc primo eſt poſſibile, quia hac ſciētia ſcitur à Deo. Ad Confirmationem dicendum, non ideo malum, & peccatum quia cognitum, nec.n. Deus volēdo, nec cognoſcendo producit malū, & peccatum, ſed ſolum permittit: hoc autem ſtat pro nobis, quia habetur quod prima ratio negationis, & malitiæ, atq; peccati non ſit à Deo, ſed à creatura: id quod concedimus, & eſt idem cùm alio capite de impoſſibilitate, quod eius prima ratio ſit ex creatura.

Sciētia viſionis non eſt cauſa rerum, quia non antecedit, ſed ſubſequitur ad decretum.

Malum, et peccatum nō ideo malum, quia cognitum, aut volitū

22 Alterum eſt argumentum ex Magiſtro in 1.d.44. dicente hinc poſſe probari mundum poſſe produci perfectiorem; quia ſi nō poſſet produci perfectior, aut id eſſet, quia nullum donū ſibi deficeret, nullaq, deeſſet perfectio, & ſequeretur eſſe quid ſummè perfectum, infinitum, immo Deum ipſum: aut proueniret, quia non haberet capacitatem ad maiorem perfectionem recipiendam, & hinc arguit ipſe, quod melior fieri poſſet, ſi maior à Deo ſibi tribueretur capacitas: ita à pari ſi aliquid fieri nequit, vtiq; fieri poſſet, ſi à Deo tribueretur ei factibilitas; ergo modo ideo factibile non eſt, quia non datur capacitas à Deo, & ita impoſſibilitas refunditur in ipſum Deum.

Arguitur ex Magiſtro.

Reſpondemus vtiq; mundum ſicut, & rem omnem factibilem expectare capacitatem à Deo, quo non tribuente, non haberetur capacitas: at Deus nō eſt prima ratio, nec prima radix negationis talis capacitatis, ſed quaſi ſecūdaria: licet namq; concurrant duæ rationes, & cauſæ impoſſibilitatis, atq; incapacitatis, quarū altera eſt ex parte rei, & altera ex parte *Dei*, tamen datur ordo inter eas, vt prima ſit ex parte rei, & inde ex parte Dei: & cùm infers, ergo Deo non dante capacitatem, ſeu poſſibilitatem, res non eſt factibilis, diſtinguendum, ergo non eſt factibilis ſecundario, & concedo; non eſt factibilis primario ex parte Dei, & nego: inſuper Deus eſt cauſa impoſſibilitatis; at inadæquata, & incōpleta, adæquatur autē, & completur ex cōcurſu ipſius naturæ rei infactibilis, & im-

Reſpondetur.

impoſſibilis: cùm igitur ratio incapacitatis reſunditur in Deum, conceditur tanquam in cauſam inadæquatam. item Deus erit eius impoſſibilitatis cauſa ſolùm extrinſeca, quia ſub ratione efficientis, ſeu potius ſub ratione cauſæ efficientis negatiuè: at à parte rei ab intrinſeco tanquam ab interna radice pendet ratio impoſſibilitatis: igitur varijs modis Deus erit impoſſibilitatis, & incapacitatis cauſa, extrinſeca quidem, nõ intrinſeca: inadæquata, non adæquata: veluti ſecundaria, non primaria.

Deus est cauſa effectiua primaria entis realis: defectiua ſecundaria entis impoſſibilis.

23 Dices, derogatur immenſę cauſalitati Dei, dũ tollitur cauſalitas primaria ab eo, & tribuitur creaturæ, vnde creatura redditur independens in illo priori, & à ſe. Reſpond. id ſequi vbi requiritur cauſalitas vera poſitiua, qualis eſt entium poſſibilium, de quibus iam diximus primam poſſibilitatis rationem eſſe à Deo, veluti à cauſa prima: at vbi nõ interuenit cauſalitas, ſed negatio cauſalitatis, creaturæ impoſſibilitas prima eſt; nec inde dicitur habere eſſe independens, quia non eſt, nec poteſt eſſe, cùm ſit res impoſſibilis: & ſicut Deus dicitur cauſa poſitiua ſolius entis, ita dicitur cauſa defectiua, & negatiua non entis: hæc autem non eſt propriè cauſalitas, cùm actio realis habeat pro termino aliquid reale, non nihil: huiuſmodi eſt peccatum pro formali, cuius Deus nõ eſt cauſa efficiens, ſed deficiens, quia deficit à cõferenda rectitudine, & per conſequẽs habetur formalitas peccati, ſed hæc nihil eſt: huiuſmodi etiam ſe habent tenebræ, & priuationes: ergo cùm in creatura cõſideremus duo, poſſibilitatem, & impoſſibilitatem, quorum alterum eſt poſitiuum, & alterum negatiuum, tunc creatura eſſet independens, ſi ei tribueremus primario primam rationem poſſibilitatis, eſſet enim in illo priori à ſe, in quem abſurdum incidunt Aduerſarij: cùm verò tribuimus rei impoſſibili primario impoſſibilitatem, non facimus eam independentem, quia tribuimus ei negationem, & purum nihil.

QVÆSTIO VII.

Quid poſſit, vel non poſsit cadere ſub omnipotentia Dei.

PEculiares rationes, quibus ſingulariter poſſit, vel nequeat fieri à Deo, inueſtigare non eſt opus; etenim ex multæ ſunt, & plures ignotæ: quæ tamen tradi ſolent ſigillatim in ſingulis tractatibus, atq; materijs; igitur hic, dũ de omnipotentia in ſe agitur, ſufficit in vniuerſali expendere cuiuſq; rationem factibilis, vel infactibilis: exinde namque facilè accommodatur quæſitum ad ſingula capita, quæ ſingularius exagitari ſolent de factibili, & infactibili.

Sententia Dominici Soti.

2 Fuit iam à *Dominico* Soto excogitata ſententia 3. phyſ. q. 4. ea quidem cadere non poſſe ſub omni potẽtia, quæ naturali lumini rationis, & intellectus apparent impoſſibilia: à contrario autem liceret inferre, ea omnia, quæ tali lumini non apparent pugnantia, poſſe eſſe obiectum omnipotentiæ Dei. vnde eſt, vt naturali lumine non implicet Patrem, plures poſſe habere filios: implicat verò, & naturaliter id

conſtat, primam veritatem mentiri: & in vniuerſum de ſingulis diſcurrendo, id cadere poteſt; quod abſq; mentis vlla contradictione poteſt concipi, id vero non poteſt, quod cùm contradictione à mẽte poteſt cognoſci, & probat, quia *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, ex loquutione Angeli Luc. 1. verbum autem eſt intellectio mentis; ergo quod mente poteſt intelligi, fieri poterit, quod vero reſpuit noſci; id nequit cadere ſub obiecto, & termino diuinæ omnipotentiæ.

Improbatur.

3 Hæc ſententia non recipitur, quia valdè derogat diuinæ omnipotẽtiæ: Et in primis aſſerere id poſſe, quod mente noſtra põt abſq; contradictione concipi, conſtat eſſe falſum: licet. n. multa poſſint eſſe ex ijs, quæ noſtra mente concipimus, tamen nõ omnia, quæ ſic concipimus fieri poſſunt: & quidem concipimus ex exemplo allato, Patrem in humanis plures habere poſſe filios, ſicut verè plures habet, inferre autem ex hoc, non implicare Patrem æternum habere poſſe plures genitos, iam error in fide, cùm habeat terminum adæquatum potentiæ generatiuæ: item cõcipit intellectus noſter vnicuiq; ſuppoſito creato ſingularem correſpõdere naturam, aliam & diſtinctam ab alterius natura ſuppoſiti, & id ratio naturalis dictat, vt euitetur confuſio: at ratio vtiq; noſtra non cogit, vt ſic adueniat in diuinis, vbi vna, eadẽq; natura numero eſt in tribus. ratio etiã naturalis poſtulat vt accidens non ſtet abſq; ſuo ſubiecto, & contrarium ratio concipit, vt impoſſibile; & nihilominus in hoc diuina omnipotentia rationis naturalis limitib. non arctatur, quæ facit, vt accidens de facto exiſtat abſq; ſui ſubiecto in Euchariſtia: deniq; penetrationem forè poſſibilem non concipit ratio corporum duorum: nec admittit corpus verè quãtum eſſe in loco abſq; extenſione, & poſitione, ita vt pars parti loci correſpondeat, & totum toti, at Theologia ſtatuit penetrationẽ dari per diuinã potentiã, atq; Chriſti corpus Sãctiſſimũ in Euchariſtiæ Sacramento non ſe habere extẽsè ad locum, nec partẽ eius parti hoſtiæ coarctari, ſed totum eſſe in parte; & totum in toto: igitur ex eo, quod nos concipimus, vel non concipimus, fieri, vel nõ fieri poſſe, nullatenus elici adæquatè, & infallibiliter poſſe, id quod ad diuinam pertineat omnipotẽtiam. relinquo plurima exempla, vt quod Virgo conciperat, quod idem ſimul ſit in pluribus locis, & ſimilia, quæ quidem ratione naturali non concipimus vt poſſibilia, at tamen poſſibilia ſunt omnipotentiæ Dei: ſic etiam & myſteria alia fidei &c.

Multa ratio naturalis concipit vt impoſſibilia, quæ tamen poſſibilia ſunt Dei potentiæ.

Id poteſt ſub omnipotentiam cadere, quod non implicat contradictionem: & è conuerſo.

4 Igitur eſt altera tenenda via, id quidem cadere poſſe ſub omnipotentia Dei, quod de ſui natura non implicat contradictionem, ideo verò non poſſe cadere quod de ſe importat contradictionem. ſtatuitur ex communi omnium ſententia ſcholæ vtriuſq. vt D. Tho. 1. p. q. 25. art. 3. & ſequacium: atq; Scoti in 1. d. 43. 44. & Aſſeclarũ.

Obſtatur.

5 Dices, quomodo ſciri poterit hoc implicare contradictionem, vel non implicare: vtiq; ſcietur per hoc, ſi exempli gratia conformitatem habeat ad rationem, ſeu mentem, vel intelligentiam, vel non habeat; contra, quia ſequitur veram eſſe ipſius Soti ſententiam id poſſibile eſſe, vel impoſſibile quod concipi, vel non concipi poteſt à ratione. Reſpondeo vtiq; rationem, & mentem certificari ex re ipſa, quam intuetur, ſi poſſibilis ſit, an impoſſibilis: immo oportet quidem vt mens ipſa, & ratio antecedat, & videat ſi hoc poſſibile ſit vt fiat, ad hoc ne procuretur fieri aliquid impoſſibile: quem ordinem obſeruat omne Agens ordinatum, prius videns ſi res in ſe ſit factibilis, & poſtea operãs, qua etiam ratione Artifex vtitur idæis: licet, inquam, hoc concedamus, ob quod potentia operans, ſeù exequens nõ operatur, niſi ſequendo ductum rationis; tamen id non eſt aſſerendum de omni in vniuerſum ratione, ſeu intellectu, creatus namq; intellectus labilis eſt, & fallibilis, ideoq; per plura iudicat factibilia, quæ impoſſibilia ſunt, & è conuerſo: ſed ſtandum eſt intellectui infallibili, cuiuſmodi eſt intellectus Dei: qui eſt recta veritatis regula, optimèq; cognoſcit quid cuiq; rei expediens ſit, atq; proficuum, & quid vnicuiq; ſit tribuendum, quidue negandum. Soto autem de creato loquitur intel-

Occurritur.

intellectu,à quo quidem,vt conſtat,nō pōt firma ratio deſumi poſſibilitatis, ſeu impoſſibilitatis fiendæ rei. Vel ſecundo dicimus,quòd loquendo de intellectu creato, diſtinctè concipiente terminos rerum,vtiq; exinde habetur ratio factibilis rei, vel infactibilis: at quia ſumus in ſtatu viæ,ſæpè fallimur, rem cognoſcendo aliter, quam ſit, vel eſſe poſſit,quia *corpus,quod corrumpitur,aggrauat Animam,& terrena inhabitatio opprimit ſenſum multa cogitantem.* prouer.16.

Omnipotētia vtrum verſetur circa non ens.

6 Quæri ſolet vtrum verſetur omnipotētia circa nō ens. ad quod Caet. art.3.reſpondet verſari quidem, at diuerſo modo ab eo,ſecundùm quē verſatur circa ens: ſiquidem circa ens verſatur producendo, & circa nō ens, nō producendo.

Sententia Caiet.refellitur.

Hoc autē non placet: quoniā circa non ens cōtingit ſolummodo omnipotentiā abſtinere à productione; ſiquidem etiā quod eſt modo non ens, producetur in tempore. inſuper ſequeretur inter chimeram, & Antichriſtum modo nullam eſſe differentiam penes omnipotentiam Dei; ſiquidem nullum iſtorum nunc producit, & ambo ſunt non entia,at conſtat aliter chimeram, aliter Antichriſtum reſpici ab ipſo Deo: illa ſub ratione impoſſibilis, iſte poſſibilis; illa ſub ratione nec exiſtentis, nec futuræ, hic ſub ratione quidem non exiſtentis, ſed futuri, ergo abſolutè circa non ens non ſe habet præcisè non producendo; quia licet Antichriſtum non producat nunc, poteſt tamen producere, chimerā verò nec producit, nec vnquam poterit producere.

Reſpondetur.

Quapropter non ens,dupliciter capi ſolet:vel pro eo, quod nec eſt, nec eſſe poteſt, quia repugnat: ſecundo pro eo, quod actu quidem non eſt, ſed poteſt eſſe: primo modo cadit non ens ſub omnipotentia negatiuè tùm actualis, tùm potētialis productionis,quia nec producitur,nec poterit produci, ſecundo autem ſub potentia cadit negatiuè actuali,negando ſolū actualē productionē,cadit autē ſub omnipotentia poſitiua aptitudinali, quatenus potens eſt pro ſuo tēpore producere: igitur reſpectu non entis quocunque modo ſe habeat, verſatur omnipotentia negatiuè: item verſatur negatiuè omnimodè circa non ens primi generis, quia negat actum,& potentiam:circa ſecūdi verò generis non ens, negatiuè ſe habet ſolùm actualiter,& poſitiuè aptitudinaliter: & ſi de præteritis poſitiuis loquamur,quæ tamen non ſunt,dicendum quòd poſitiuè ſe habuit dum produxit,negatiuè nunc ſe habet,quia non ſunt. & denique ſe habet aptitudinaliter, quia potentiam habet, vt ea reſtauret, prout potentiam ſic poſitiuam habet pro reſtaurandis, & ſuſcitandis mortuis in tēpore iudicij.Rurſus alio modo reſpicit non ens diuina potentia,& id quidem obliquè,vel indirectè,ſeù reflexè: vt directè poſitiuū habitū reſpicit, indirectè priuationē; directè viſionem,indirectè cæcitatem; directè lucem, & obliquè ipſas tenebras; & ſicut poſitiuum cadit poſitiuè ſub omnipotentia poſitiuè producente, ita negatio negatiuè ſub poſitiua cadit omnipotentia, quatenus producendo poſitiuum contrarium,deſtruitur priuatiuum oppoſitum, quæ negatiua reſpicientia eſt eiuſdem negationis deſtructiua per poſitiuum habitum.

Deus an ſit terminus omnipotentiæ

7 Vtrum verò ipſemet Deus ſit ipſius omnipotentiæ terminus, & obiectum: iam conſtat potentiam vel ſumi pro potentia phyſica ſubiectiua, quæ habet rationem materiæ, ſeu generis, in ordine ad formam, & differentiam cōtrahentem:vel ſumitur pro potentia logica: de prima loquendo nulla eſt in Deo,quia nec adeſt ibi potentia paſſiua,receptiua,informabilis, dum nec adeſt materia, nec quaſi materia & diuina eſſentia abſtrahit ab his imperfectionibus, de ſecunda autem, verè ibi eſt,quia aliàs impoſſibile eſſet id, quod ibi eſt. Inſuper non eſt contra rationem quod ibi eſt, nec repugnat eſſe, immo neceſſe eſt eſſe, ergo adeſt potentia logica, quæ nihil aliud eſt ab his: ſub alijs etiam terminis circumfertur, pro potentia .ſ.productiua,& potentia effectiua, ſeu cauſatiua: prima eſt ad intra, qua Pater Filiū,& Spiritū S.producit,& producere poteſt:& ex parte eius eſt actiua, quia vocatur generatio actiua, & ſpiratio actiua; ex parte verò Filij, &

Spiritus ſancti eſt paſſiua, cùm ſit ſpiratio paſſiua, & gignitio paſſiua: hæc ergo productiua adeſt. Cauſatiua verò eſt ſolũ ad extra, nec adeſt ibi propter dependentiam, & diſtinctionem naturarum, quã importat cauſatiua: ideoq; Athanaſ. in ſymb. ibi eã collocat, *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus*: ne tamen ipſe Deus, qui eſt omnipotens ad extra, cenſeatur impotens ad intra, ideo dicendum quòd reddendo ſingula ſingulis vtrobiq; reperitur omnipotentia, & productiua ad intra, & cauſatiua ad extra. Sed ex profeſſo agetur de hoc infra in diſputat. de Productione Verbi.

Obſtatur aduerſus principale intentum.

8 Ex deciſione verò acta, ipſum poſſe ſolùm ea, quæ non repugnant, nec poſſe quæ repugnant, videtur impotens ipſe, quia ſupplere nequit impedimenta pugnatia: in quo namq; relucere debet ſua infinitas, niſi in remouendo obſtaculo, vt cuncta fiant: vnde arguitur vel namq; non vult, vel non poteſt: ſi primum, ergo priuat Orbem perfectionibus, quas ei dare poſſet: ſi ſecundum, ergo impotens. item non poteſt peccare, nequit decipere, non poteſt falli, euenire nequit vt mẽtiatur, etiã de toto vigore omnipotentiæ ſuæ; hæc autem indicare videntur aliqualẽ impotẽtiam: pręterea indicaret maiorem libertatem in eo ſi peccaret, ſi falleret, quia vteretur electione, & principio operante indifferenter ad vtrumlibet, quod eſt voluntas. Rurſus ſi poſſet id, quod nõ repugnat, iam poſſet infinitum producere: iam poſſet perfectiſſimam vltimatè creaturam efficere, quæ foret vltimatus terminus ſuæ poſſibilitatis; ex quo ſequeretur deniq; poſſe totam omnipotentiam ſuam euacuare. prob. quia dum poteſt quidquid non implicat, iã poteſt in infinitum producere, ergo dabitur aliquando productum totum id, quod poteſt producere, ſicq; euacuabitur ſua omnipotentia, & nil vltra remanebit ſibi vlterius faciendum: & tunc vel torperet otio, vel prorſus remaneret impotens ad vltra operandum.

9 Non obſtant. & ad primum, quando aliquid implicat contradictionem, Deus non vult id producere, quia non vult impoſſibilia: ſicut *nec etiam*, teſte Tridentino Concil. *impoſſibilia iubet*: & iuxta Iacob. *nõ patitur nos tẽtari vltra id, quod poſſumus*: nec quoq; dicitur poſſe id, quod implicat: quòd verò Orbis perfectione aliqua priuaretur, id nõ Deo adſcribendũ, *cuius* ex Paulo, *perfecta ſunt opera*, ſed ipſi rei, quę maioris perfectionis eſſẽtialis nõ eſt capax, & ideo eã non recipit: hinc Ambroſ. l. 6. ep. 37. ait, *quid impoſſibile Deo? non virtuti arduum, ſed quod naturæ contrarium*: vbi docet, quod aliquid ſit impoſſibile, non ideo hoc eſſe, quaſi difficile ſit Deo, qui eſt virtutis immenſæ; quia autem naturæ rei eſt contrarium, vel impoſſibile, ideo eſt ſic impoſſibile.

Quod implicat contradictionẽ Deus non vult producere.

10 Secudum ſoluitur, hanc non eſſe impotentiam, ſed ſummam omnipotentiam, quod namq; vir robuſtus, & fortis cadere nequeat, nec declinare corpore, magnæ potentiæ, & virtutis ſignum eſt, atq; magni roboris, cũ ex aduerſo tenelli pueri frequentes caſus impotentiam indicent, & imbecilles vires, ſicut mox dicemus ex Patribus: ſic qui ignorare eſt impotens, indicat perfectionem maximam ſcientiæ: quemadmodum, & qui nequeat falli, cùm demonſtret verſutiam, prudentiam, ſagacitatem in operando: ac denique perfectio ſumma eſt non poſſe mente cadere, nec ratione, ſeu à recto tramite deuiare, ſignum namq; eſt magnæ intenſionis gratiæ, & ſanctitatis: nec minus eſt liber qui nullo tempore peccauit, quam qui aliquando peccauit, immo Anſelm. aiebat, quod *poſſe peccare non eſt libertas, nec pars libertatis*, ideſt, nõ eſt de eſſentia libertatis poſſe peccare; aliàs Deus peccaret, ait Scot. quin potius, *libertas*, ex eod. Anſelm. *eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem*, lib. de lib. arbitr. c. 3. 5. Scot. 2. 7. q. 1. d. 23. & 44. itaq; impotentiæ iſtæ indicat validiorem potentiam: quomodo deniq; non poſſe mori, impotentia non eſt, quia mori eſt impotentia, & prouenit mors ex defectu viriũ, & potentiarũ, vt amplius diximus in quæſt. de perfectione Dei: ſic quoq; non poſſe mentiri prouenit ex ſumma rectitudine, qua nec ipſe falli poſſit, nec

Poſſe mentiri, mori & peccare non eſt potentia, ſed impotẽtia.

nec cæteros fallere: & ita maiori cum perfectione dicendum de Deo. vnde Auguſt.l.15.de Ciuit.Dei c.15.ait, *magna potentia eſt, non poſſe mentiri.*

Qualis eſt affirmatio talis ex aduerſo negatio: ſi affirmatio bona, negatio mala, & è conuerſo.

11 Dices, negatio non eſt perfectionis, ergo ſaltem negat perfectionē iſta Dei impotentia ad peccare, mentiri, falli, & ſimilia. Dicendum, quod qualis eſt affirmatio, talis proportionaliter eſt negatio: ſi namq; affirmatio bona eſt, negatio erit praua, & ſi negatio eſt bona, affirmatio erit mala, & vice verſa, ſi affirmatio eſt mala, negatio erit bona: affirmatio autem prædicabilis, vt hic peccat, mentitur, ignorat, cadit, moritur, fallit, eſt mala, ergo oppoſita negatio eſt bona, quia negat malitiam, & deſtruit prauitatem affirmationis, ergo in Deo erit bona, & ſupponet perfectionem.

De infinito an producibile.

12 Ad illud de infinito dicendum, nequire facere, quia nequit fieri in actu, in ſenſu negantium talem infinitatem: quo fit vt impotentia ſit ex re infactibili.

13 Ad illud de perfectiori in infinitum, primò dicendum nunquam attingi poſſe terminum vltimum infiniti, quoniam proceditur in infinitum, & infinitum non habet terminum, aliàs finiretur. Secundò Scotus diceret iam dari terminum in perfectione ſpecifica, quoniam produxit Deus ſpeciem perfectiſſimam, vltra quam non poſſit perfectiorem producere: & ad euacuationem diceret, non eſſe euacuatam, quia remanent infinita indiuidua producibilia, ita quod daret quidem terminum in perfectione ſpecifica, licet non in numero indiuiduorum, ex quo non ocio vacaret, cùm verſaretur circa productionem eorum: reſponderet etiam, quod data terminatione ex parte, tùm ſpeciei, tùm indiuiduorum, nec tamen ocioſus eſſet, cùm intenderet intellectioni, atq; amori ſuimetipſius, & totius Trinitatis, ſicut agebat ante creationem mundi, vel diceretur, quod licet daretur terminus in perfectione ſpeciei, non tamen in numero ſpecierum, iuxta ſententiam dantium infinitum in ſpeciebus etiam. vel deniq; non torperet otio, quandoquidem potentia generatiua Patris iam terminum adæquatum habet ſui Verbum, & ſpiratiua Spiritum ſanctum, & licet iuxta loquutionem aliquorum Theologorū, vt Henrici, & aliorum, potentia illa ſit euacuata, ſeu exhauſta, nihilominus ipſemet Deus ſemper operatur, vel intelligendo, & amādo, vel iuxta D.Gregor. producendo, & ſpirando, ſpirauit .n. & ſpirat, ac ſpirabit, ita genuit, gignit, ac generabit, iuxta eundem, cùm actus illi diuini non ſint tranſeuntes in præteritum, ſed ſemper maneant ex 29.moral. c.1. in Iobi c.38. verum de ſpectantib. ad hanc vltimam rationem diſcutiemus infra vtrum poſſit quid perfectius fieri in infinitum, an vero iā factum ſit, ita vt non liceat tranſgredi vltra. & de doctrina Gregorij amplius in productione Verbi ex Scot. in 1.q. diſt.10. q.1.

Confirmatur ex Patribus.

14 Demonſtrant verò clariſſimè Patres totum iam dictum, implicantia nempè à parte rei eſſe rationem qua facere non poſſit Deus, vt Anſel. proſol.7. *hæc poſſe, quæ repugnant, non eſt potentia*: immo addit, *ſed impotentia*, quaſi dicat, nulla reperitur potentia ad impoſsibilia, & ſi quis gloriatur habere illam, non erit verè potens, ſed nullipotens. vnde Ambroſ. l.6. epiſt. 37. expendens, non poſſe ex parte Dei vllam indicare impotentiam, ait, *quid impoſſibile Deo? non quod virtuti arduum, ſed quod naturæ contrarium*: & ſubdit, *impoſſibile, non infirmitatis eſt, ſed virtutis, & maieſtatis*. Et infra, *ex quo colligitur impoſſibile Dei eſſe potētiſſimum: quid enim potentius, quam neſcire quidquid infirmitatis eſt?* Et Richard. de Sanct. Victor. 1. de Tri. c.21. *omnia poteſt Deus quæcunq; poſſe potētia eſt, nam multa dicuntur poſſe, quæ multo melius eſſet non potuiſſe, quam poſſe: poſſe decreſcere, poſſe deficere, magis ſunt infirmitatis indicia, quam Maieſtatis inſignia.* & hoc quoq, Auguſt. confirmat 15.de Ciu. Dei c.15. *magna potentia eſt non poſſe mentiri*. expreſsius etiam idem Augu. confirmat l.26. contra Fauſt. c.5. dicens, *quiſquis ita dicit, ſi Deus omnipotens faciat, vt quæ facta ſunt, infecta non fuerint, non videt ſe dicere, ſi* Deus *eſt omnipotens, faciat vt ea, quæ vera ſunt, eo ipſo, quod vera ſunt, falſa ſint, non poteſt facere, vt quæ vera*

Poſſe deficere nō eſt potentia.

ſunt falſa ſint. & in eod. ſenſu addit Hieron: epiſt. 22. ad Euſtoch. *firmiter credo virginem poſt ruinam à Deo reparari nõ poße*; implicat enim. Ex quibus omnib. dum conſtat non poſſe, quia eſt repugnantia, merito impotentia retunditur in ipſam creaturã infactibilem, non in Deum: vnde cautius loquuntur qui dicunt, rem non poſſe fieri, quàm Deum non poſſe facere: nihilominus, quia iam res bono ſenſu percipitur, etiam vſus inoleuit, vt dicatur Deus non poſſe facere, impotẽtia relata ad fundamentum creaturæ, & ita vſurpant Patres, & Scholaſtici, nec minus ob hoc erit omnipotens, immo ſubdit Auguſt. lib. 1. de ſymbol. c. 1. *quam multa non poteſt Deus, & omnipotens eſt, & ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt*.

Non erit impoſſibile omne verbum. *explicatur*

15 Ad illud autem Archangeli, adductum pro Soto, *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*: dicendum, ſi per verbum intelligamus conceptum intellectus, vt ſit ſenſus, non erit impoſſibile fieri omne quod concipi poteſt abſq; contradictione, concedatur loquendo de intellectu non potente decipi, apud quem nullus error, & qui optimè naturas rerum perſcrutetur, cuiuſmodi eſt intellectus diuinus: at intellectus creatus plura concipit, vt poſſibilia, & repugnantia, quæ tamen impoſſibilia ſunt, & prorſus implicantia. Secundò per *verbũ* intelligi poteſt diuina promiſſio, vt pſal. *& in verbum tuum ſuper ſperaui*: vel pro diuino imperio, & omni eo, quod præcepit Dominus 1. Eſdr. 9. *timebant verbum Dei*: vel pro lege diuina Iſa. 9. *hæc verba dat Deus in ore prædicantium*. pſal. 16. *verbum tuum permanet in cælo*, & exod. 34. de præceptis Decalogi, quæ dicuntur *verba labiorum Dei*. vel deniq; pro diuina promiſſione, atq; decreto, vt 1. Eſdr. 1. *vt impleretur verbum Domini*: qua loquutione iam plenæ ſunt ſacræ paginæ, *vt impleretur quod dictum eſt per Prophetas*, & cap. hic ergo altero iſtorum modorum ſumitur, & præcipuè vltimo, quia decreuerat Pater Verbum ſuum mittere in terram, naſcendo ex Maria Virgine: iuxta illud, *& Verbum caro factum eſt* Io. 1.

Caluini blaſphemia negãtis omnipotentiam Dei.

16 Quamuis vero ex antiquioribus Ethnicis, quicunque Deum confeſſi fuerint, ipſi quoque eum omnipotentem eſſe exiſtimauerint; vt notat Auguſt. ſerm. 39. de temp. & Damian. epiſt. 45. nihilominus ex recentiorib. hęreticis Petrus Martyr, & Beza, Duce Caluino, negant Deum eſſe omnipotentem, referente Lindano c. 3. qui quidem Caluinus lib. 2. Inſtit. c. 5. ait nõ poſſe à Deo fieri plura ex iis, quæ fecit: & in Iſa. 23. ſubdit, *Commentum de abſoluta Dei potentia execrandam blaſphemiam eſſe*. Sed de hoc infra quæſt. 8. Verum hoc derogat omnipotentiæ Potẽtiſſimi Monarchæ Dei, de quo Eccleſia in Symbolo, Credo in Deum Patrem omnipotentem: & Auguſtinus lib. 83. q. 82. *Deum*, inquit, *omnipotẽtem eſſe pernicioſiſſimæ iniquitatis eſt dubitare*. de quo plura ſupra.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum facere poſsit per omnipotentiam Deus quòd præterita nuſquam fuerint.

Afferũtur argumẽta pro parte affirmatiua.

1 SOlent pro affirmante huius quęſiti ſẽtentiæ citari Doctores aliquot, vt Greg. Arimin. in 1. d. 42. q. 1. Alenſ. 1. p. q. 21. mem. 5. art. 4. Altiſiodor. lib. 1. c. 6. de pęnit. & Gilbert. in Boet. lib. 1. de Trin. c. 9. qui affirmare videntur poſſe Deum præteritum facere vt non fuerit. quiſquis tamen ſit huius ſentẽtiæ Author, poteſt nihilominus ſic perſuaderi. Potuit Deus pręteritum non producere; ergo poteſt id facere infectum. anteced. conſtat, & conſeq. prob. præteritum fuiſſe eſt contingens, quia contingenter fuit in actu poſitũ, ergo poteſt fieri vt non fuerit, quia quod eſt contingens, non neceſſario eſt, nec fuit neceſſe. item poteſt Deus mortuum ſuſcitare, ergo magis poterit deſtruere præteritionem, quid enim amplius eſt in mortuo, quàm in præteritione? eadem namq; & tanta inſuper potentia requiritur pro vtroq; ergo per eandẽ infinitã potẽtiam, qua pôt mortuũ ſuſcitare, per eandem poterit & præteritum infactum facere. denique magis impoſſibile eſt reducere ſubiectũ de potentiæ priuatione ad actum, ſeu de priuatione ad habitum, quam facere vt præteritum non fuerit. prob. quoniam comparando alterum iſtorum impoſſibilium ad alterum, conſtabit vnum eſſe impoſſibilius altero: ſi nãq; impoſſibile eſt cęcum illuminari, & impoſſibile eſt Petrum non ſcripſiſſe, vtique primum eſt impoſſibilius iſto, quia de potentiæ priuatione, vna cum priuatione cuiuſcunq; neceſſario requiſiti, ſeu de priuatione ad habitũ nõ poteſt dari regreſſus, & natura neceſſario obſeruat hoc, itaut repugnet dari naturale Agens reducens potentiam de habente priuationem ad non habentem, ſeu de priuatione ad habitum: circa tamen Petrum ſcribentem, iam conſtat eum accidentaliter ſcripſiſſe, non neceſſario, ergo ipſius deſtructio, ſeu negatio præteritionis non erit quid impoſſibile, vel nõ adeo impoſſibile, vt primum, poteſt autem primum fieri per diuinam potentiam, ergo & poterit ſecundum. Cõfirmat D. Hieron. ep. 22. vt infra.

Sententia negatiua verior, & communis

2 Veriſſimũ tamen eſt, quod omnes docent, Deum non poſſe facere præterita ne fuerint præterita. ſolet autem explicari reſponſio ſub ſenſu compoſito, & diuiſo: vt ſenſu diuiſo poſſit, compoſito nõ poſſit: ſenſus primi eſt, Deum potuiſſe producere præteritum, quod veriſſimum eſt; ſenſus ſecundi, Deum poſtquam aliquid egit, impoſſibile eſt, eo quod egit, id non egiſſe: & ſic loquuntur Doctores, eoq; ſenſu conueniũt omnes, itaut Authores primæ ſententiæ conueniant cum auctoribus cęteris, quia & hi conueniunt cum illis, loquuntur. n. ambo in ſenſu diuiſo poſſe fieri; ſicq; reconciliantur. quam ſententiam tradunt Scotiſtæ cum Scoto in 4. d. 1. q. 6. & cum D. Tho. Thomiſtæ 1. p. q. 25. art. 4. Poteſt autem probari quoad ſenſum cõpoſitum, nam quoad diuiſum, res eſt clara. non poteſt fieri non ens de non ente, ſed præteritum vt præteritum non eſt ens, quia de tempore non habe-

bemus niſi nunc præſens, & ipſum nõ præterijſſe eſt aliud non ens, ergo non poteſt fieri præteritum non fuiſſe. Cõfirmatur, quia extendendo nomen factionis, vel ea eſt entis de non ente, vt creatio, vel eſt non entis de ente, vt annihilatio, vel propriè loquendo de ea, erit deniq; entis de ente: at non præterijſſe non eſt ens, quia non præterijſſe eſt falſitas, & falſitas eſt non ens, & nihil, & præteritum non eſt ens, ergo nequit fieri præteritum non præteritum. probatur etiam, contradictoria nequeunt ſimul eſſe vera, Franciſcum fuiſſe, & non fuiſſe, contradictorium eſt, ergo non ſimul verum: eſſet autem verum ſimul, ſi Deus faceret eum non fuiſſe, quia verè diceretur ſimul fuiſſe, & non fuiſſe. remanet ergo fieri nequire.

Ex Patribus.

3 Comprobatur quoq; authoritate Hieronymi epiſt. 22. ad Euſtach: *firmiter credo*, ait, *virginem poſt ruinam à Deo reparari non poſſe*. qui vtiq; loquitur in ſenſu compoſito. Dices poteſt reparare eius clauſtra: item poterit ei dare aureolam, ergo reparare poterit. Reſpond. poſſe quidem clauſtra redintegrare, & reparare, attamen agere vt iam non fuerit corrupta agere nequit: præſeruare namq; poterat à corruptione, & poſt caſum eam ſubleuare, & agere vt non ceciderit, poſt caſum non poteſt. & quoad aureolam dicendum eam conſiderari, vel vt palma, & gaudium debitum virgini, quatenus victoriam reportauit de fragilitate; aut vt donum gratuitum, præſcindens à ratione palmæ, & coronæ: primo modo dari nequit corruptæ, quia aureola in ſenſu compoſito vt aureola eſt, habet rationem coronæ, & hæc dicit ordinem ad victoriam, & virginitatem: ſecundo modo poteſt, at non erit aureola virginum, ſed donũ aliud gratioſè collatum. Probatur etiam ex Auguſt. lib. 26. contra Fauſt. cap. 5. *quiſquis*, inquit, *ita dicit, ſi Deus omnipotens, faciat vt quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt ſe dicere, ſi Deus omnipotens, faciat vt ea, quæ vera ſunt, falſa ſint*: & denique firmatur Agathonis ſententia relata ex Ariſt. 6. Ethic. c. 2. inquientis, *hoc ſolo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta ſunt*, vnde diſticõ:

Virginem corruptam vtrũ poſſit reparare Deus.

Hoc etiã ipſe Deus ſoloq; carere videtur,
Infectum faciat quod factum eſt, atque peractum.

4 Ad rationes autem, ad primam concedimus præteritum contingẽter fuiſſe, quia fuit ens contingens, at dato quod fuerit, neceſſe eſt ipſum fuiſſe, & ita non eſt contingẽs, ſed neceſſarium ipſum fuiſſe dato quod fuerit, in ſenſu compoſito.

5 Ad ſecundum concedimus facere poſſe, vt de fide conſtat, vt mortuus reſurgat, & nos omnes reſurgemus, at facere vt mortuus, dato quod mortuus fuerit, non fuerit mortuus, fieri nequit: nec per eandem infinitam potentiam, quæ ſufficit pro ſuſcitando mortuo, fieri poterit in ſenſu compoſito, vt præteritum non fuerit, immo nulla potentia ſufficit ad id, quod eſt impoſſibile.

Magis impoſſibile præteritũ non fuiſſe, quã ſuſcitare mortuum.

6. Ad tertium dicendum, quod eſt magis poſſibile reducere potentiam de priuatione ad habitum, quàm facere vt præteritum ſic non fuerit: quia ad primum reperitur implicantia ex parte vnius ſolius Agentis, quod eſt naturale, agens n. naturale nec poteſt ſuſcitare, nec illuminare cæcum, quod tñ non eſt impoſſibile Deo: at præteritũ facere non præterijſſe impoſſibile eſt vnicuiq; Agenti; quapropter licet in ſenſu diuiſo Petrum non ſcripſiſſe ſit poſſibile, nihilominus in ſenſu compoſito Petrum non ſcripſiſſe eſt magis impoſſibile, quàm reſuſcitare mortuũ: Petrum quidem non ſcripſiſſe poſſibile fuit, quia accidentaliter ſcripſit; datum autem ſcripſiſſe, implicat per omnem potentiam non ſcripſiſſe, & eſt impoſſibile magis impoſſibile, quàm ſuſcitare mortuum; poteſt enim Deus ſuſcitare, ſicut de facto aliquos ſuſcitauit, & in die Iudicij omnes reſuſcitabit mortuos.

Magis poſſibile reducere potẽtiã de priuatione ad habitum, quàm præteritum nõ fuiſſe.

7 Dices id oſtendere impotentẽ Deum, dum ſuper hæc non poſſit. Reſponſio patet ex dictis quæſt. anteced. num. 10. & 14. Reſpondetur quoque impotentiam non refundi in Deum, ſed in rem ipſam infactibilem; propterea q; facere ea non poteſt Deus, quia implicat contradictionem. Reſpondet inſuper Anſelmus in Proſolog. c. 7. inquiens: *Poſſe, vt factum non ſit factum,*

Vtrũ ideo impotens Deus, quia non poteſt facere.

non

non ſit factum,non eſt potentia,ſed impotentia. Reſpondet deniq; Hugo Ether. lib.1.aduerſ.Græc.c.15.dicens, *Deum non poſſe facere,vt quod eſt factum,non ſit factum, quia verax Deus eſt; factum autem facere non factum, mendacium eſt.*

Arguitur ex Anſelmo.

8 Quod ſi Anſelmus l.2. cur Deus homo c. 2. inquit, *nihil eſt impoſſibile, aut neceſſarium, niſi quia ipſe ita vult.* Reſponſio deducitur ex quæſt. antecedenti, vbi expenſa fuit cauſa impoſſibilitatis. Adde, quòd Dei voluntas non fertur ad impoſſibile; vnde dum aliquid eſt abſolutè,formaliter,& omnino impoſſibile, erit id ex duplici capite impoſſibile, tùm à parte rei, quia repugnet fieri ab intrinſeco, & ratione formali, vt hominem eſſe irrationalem;tùm ex parte Dei,qui non vult id,quod eſt impoſſibile. Rurſus dicendum, quod ſi à parte rei non implicet fieri,vt ſortem currere, tamen nolente Deo concurſum præſtare ſorti ad currendum, vtiq; tunc ex vno capite res erit impoſſibilis, vtpotè à voluntate Dei negante concurſum: & ſic Anſelmus loquitur.

QVÆSTIO IX.

Vtrum ea, quæ fecit Deus potuerit facere meliora.

Senſus quęſtionis.

1 VNiuerſa,quę Deus agit ad extra, ad duplicis entitatis genus pertinent; alia namq; ſunt ordinis gratiæ, & alia ordinis naturæ: de vtroq; ordine eſt diſcurrendum,vtrum producta in talibus ordinib. ita fecerit, vt facere nequiuiſſet meliora. Verùm ſenſus iſte non ſpectat ad præſens quæſitum, nō enim petimus vtrum producere queat entia meliora,& perfectiora ijs,quę produxit, meliora quidem reſpectu alterius ſpeciei,& generis,itaut meliora ſpecificè,& genericè, producere poſſit in infinitum:ſed ſolùm circa producta inueſtigandum, an res productas taliter perfectè in ſeipſis produxerit, vt illas eaſdem nequiuerit facere meliores: de primo erit ſermo in ſequenti artic.& de ſecundo in præſenti.

Quę ſt. deciſio.

2 Quocirca tria attendere debemus circa hoc; & potentiam facientis: & naturam ipſius rei factibilis: & hæc dupliciter, vel ſecundum eſſe ſubſtantiale,ſeu eſſentiale; vel iuxta eſſe accidentale qualitatiuum, quantitatiuum, locale,temporaneum,& ſimile.

Ex parte Dei an potuerit mũdus fieri melior.

3 De primo loquendo, iam conſtat vt aduertit Magiſt.d.44. poſſe nequaquam meliorem modum expendere,quam iam expendit: probatur,quia meliori ſapientia non callet Deus,ea, qua mundum condidit; & infinitiori potentia non pollet ea, qua mundum produxit: eſt autem vtraq; infinita. Confirmat.nec ex parte alterius agentis dari poteſt maior, nec in Deo ipſo augeri poteſt,aut minui, cùm ſit in ſũmo, ergo ex hac parte non datur melioritas: & hoc nedum reſpectu factorum,& eorum quæ fiunt, verum reſpectu quorumcunq; fiendorum, ac in infinitum factibilium. & nedum in ordine ad extra,verum etiam ad intra; ſiquidem meliori modo non potuit Pater æternus producere filium, ac perfectiori amore, & bonitate nequiuit vterq; producere Sanctum ſpiritum: immo Deus ipſe quidquid ad intra ha-

bet; perfectiori modo nequit habere: eſt namq; infinitus modus habendi, eſtq; eo contentus: ſic D. Bonau. in loco Magiſt. D. Tho. art. 6. Alenſ. 1. p. 21. Scot. in 1. report. d. 44. q. 2.

Spectato ordine eſſentiali, ac ſpecifico rerum implicat fieri meliorem.

4 Ad ſecundum, oportet vt tria inſpectemus: primo ordinem ſpecificum. & eſſentialem rerum. Secundò accidentalem; tertio deniq; ordinem ipſius mundi: de primo iam conſtat abſq; lite fieri nequijſſe meliorē: quod probatur, Deus vtitur idæis in producendo mundum, igitur producit vnumquodq; iuxta eſſentialem perfectionē propriæ naturæ: ſunt autem diſtinctæ admodum rerum ideæ, & iuxta vnamquamq; ipſarum res eſt creabilis: quo fit vt non fiat exceſſus, dum conformiter ſe habet ad entitatem ideæ: item datò ſic velle agere, vt eſſentialiter immutet res ipſas perficiendo; tunc vel deſtrueretur ex parte, & ex toto Vniuerſum, fieretq; alterius rationis ab hoc, qui modo eſt, vel daretur confuſio: ſi namq; formicæ adderetur gradus ſpecificus Auis, deſtrueretur formica: & ſi aui adderetur gradus quadrupedis diſſiparetur auis: & ſi quadrupedi fieret additio gradus rationalis, deſtrueretur brutum: ſi denique vegetatiuis additio fieret gradus ſenſitiui, diſſiparetur vegetans, & planta: & ita alter, & alterius rationis reſultaret Orbis, quia mutatis ſpeciebus mutaretur eſſentialiter Orbis: vel confuſio adeſſet, dum omnia eſſent vnum, & incideremus in Anaxagoram, atq; parſuna orbis in ſe haberet atomos, & eſſentiā, naturamq; alterius. Ratio etiam pro omnibus vrget, *ſpecies rerum ſunt ſicut numeri* ex Ariſt. quæ proportio in eo eſt, vt ſicut numeri mutantur ſpecie ex additione vnitatis, ita deſtruatur ſpecies inferior mundi huius addito eſſentiali gradu alterius: quomodo autē fieri poterit, vt quaternarius maneat quaternarius, addita vnitate? ſic fieri nequit eſſentialis additio vnius ad alterum. Hinc eſt, vt vnaquæq; ſpecies, etiam infima, ſeipſa, ſuaq; naturali, eſſentialiq; perfectione contenta ſit, nec alteram appetat, alias appeteret deſtructionem ſui; quis.n. non videt, hominem appetēdo naturam angelicam tanquam gradum eſſentialem, deſtructionem appetere ſuimet?

Homini an melius eſſe Angelum.

5 Dices, melius eſſet ei fieri Angelum, ideò appetere id poſſe. Dicendum in ſenſu compoſito eſſe falſum, homini namq; vt homini, melius eſt eſſe hominem, quam Angelum, quia angelicus gradus humanæ ſpeciei repugnat: & ſi poſſet ad gradum angelicum eleuari per naturam, oporteret ipſam hominis diſſipare naturā: in ſenſu autem diuiſo vtiq; melius eſt eſſe Angelum, & eſt ſenſus, dato quod Deus vellit ens aliquod producere, quò perfectiori ſpecifico gradu ipſum honeſtabit, eo perfectius erit: gradus autem angelicus eſt perfectior: igitur dū v.g. Deus creare intendit creaturam aliquam intellectualem, melius erit eam fieri Angelum, quam hominem, ſicut melius hominem, quam brutum. Hinc autem fit, vt vnumquodq; ſuis naturalib. eſſentialibuſq; perfectionib. contētum ſit; immo vnumquodq; perfectum ſit, atq; perfectiſſimum in genere ſuo: quia illud eſt ſic perfectiſſimum in genere, cui in ſuo ordine nil deeſt, ſpectans ad illum ordinem, formicæ autē in ſuo genere nil deeſt eſſentialiter, ita vermi, ita bruto, quo fit, vt cùm nihil ſibi deſit ex eſſentialib. perfecta quidem ſint, quia *Dei perfecta ſunt opera*, immo in ſenſu compoſito nequeant ipſa fieri perfectiora.

6 Quoad ſecundum, facilius eſt demonſtratu: & affirmādum poſſe fieri: de vniuerſis namq; de ſublunarib. deq; ſuper cæleſtib. loquendo, conſtat addi poſſe accidentarias perfectiones, ſiuè qualitatiuas, ſiuè quantitatiuas, ſiuè locales, ſiuè temporaneas, ſiuè quouis modo ſe habeant perfectiones accidentariæ: dummodo proportionatis addantur ſubiectis, ſequendo naturam vniuſcuiuſq; vt conſtat: & de cæleſtib. quidē conſtat fiendam ſuperadditionē maioris luminis, vt Iſa. 30. *erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptēpliciter ſicut lux ſeptē dierū.* & ſic de ſingulis. additio quietis, & ceſſatio à motu.

Facta additione accidentali vtrū perſeueret Orbis in ſua concinnitate.

7 Vnum circa hoc controuertitur, vtrum facta tali additione accidētaria perſeueraret mundus in ſua concinnitate: ſuppoſito. ſ. aliquib. tantummodo partib. fieri additionem accidētariam, non omnibus, vt cælis maiorē lu-

lucem, plantis vim maiorem, vberioremq; producendi, cæteris relictis in ordine primariæ perfectionis. negat D. Tho. quoniam hic mundus muſico comparatur inſtrumento, cuius chordæ taliter ſunt diſpoſitæ, vt ſi vna plus iuſto intendatur, vel frangi oporteat, vel deſtruatur harmonia. ita habet ad 3. Cæterùm probabilius eſt ſeruari nihilominus concinnitatem, & modulū, etiam ſi fiat accidentaria in aliquib. additio, quod probatur, quoniam antiquitus creationis initio ſpecies humana plurimis naturæ accidentarijs donis excellebat: aderat tamen idem mundus, ijdemq; cæli; quibus cælis immutanter remanentib. homo tamen valdè alteratus, & deterioratus reperitur accidentaliter: ergo nūc res quædam vt cæli, & ſaltem ignis, ex elemētis, immutanter perſeuerāt, mutatis tamen quamplurimis, nec tamen inde neceſſe eſt aſſerere deſtrui concentum rerum: quod ſi pro concentu capias concurſum vniformem perfectionalē rerum, abſq; mutatione vlla, & alteratione, vtiq; concedi poſſet cūm D. Th. at videamus verū id neceſſe ſit ad perfectum, & completum concentum efformandum; videtur minimè requiri, ſiquidem ad perfectiorem concentum exquiritur fortis pulſatio chordarum, & fidium, vt ſonus fiat maior, & audiatur amplius, & magis à longè: at conſtat, quod ſi quis fides tangat lento, & remiſſo plectro, nihilominus erit perfecta, & cōcinna harmonia, immo ſuauior, & dulcior, quia vehemens pulſatio deſtruit auditum, & inelegans eſt; ſicut ſubuocula modulatio, & faucialis, ſeu gurgitalis cantus dulcior quidem eſt, nec minus concinnus, quam pectoralis, ſeu ille, qui quondam producitur hiante ore, ac relaxatis fibris: & hæ quidem accidentariæ ſunt perfectiones, & accidentariæ diminutiones, ſeu accretiones in ſono, & nihilominus etiam conſeruant modulum, & concētum. hoc idem ſequitur Aureol. apud Capr. 1.43.1. Argent. 44.1. & Dur. q. 3. Ad illud vero de chordis inſtrumenti, verum eſt id, quod in argumēto aſtruitur, variari modulum; at talis variatio non eſt, qualis eſſet variatio in mundo hoc; quoniam hæc eſt accidentalis vt dixi, illa autem chordarum eſt eſſentialis, quoniam vno tantum tono, vel ſemitono variata fides, & alterata chordula, diſſipat eſſentialiter concentum, & deſtruit ſubſtantialiter modulum, vt experiēti patet muſico in dies.

8 Poteſt inſuper Deus meliora omnino producere vltra hucuſq; producta, tùm in eſſentialib. tùm accidentalib. poteſt namq; perfectiorem alium mundum creare, diſtinctum ab hoc, qui ſit alterius rationis, & perfectiorem efficere, imperfectioremue, vt placet. hoc non concederet Durandus, negās poſſe ſpecies plures produci, vltra productas; minus aſſentiret Philoſophus, ex duplici capite: tùm ex parte efficientis, tùm ex parte materiæ: ex parte efficientis, quia ſtatuit Deum agere neceſſariò, & ſecundum vltimū ſuæ potentiæ; ex quo infertur produxiſſe iam ſpecies omnes producibiles: & ex parte materiæ, dum docet In lib. de cæl. quod id, quod conſtat ex tota materia eſt implurificabile, mundus autē eſt huiuſmodi, ergo negaret poſſe multiplicari. huius etiam ſententiæ ſūt aliqui quæſt. anteced. citati, & Viclefus, negans plura poſſe produci vltra producta, dum in eodem fuit errore Deum agere neceſſario: At concedunt reliqui Theologi, vt S. Bonau. D. Th. Capreol. Maior. quod amplius demōſtrabimus artic. ſequ. An vero mundi alterius producibilitas poſſit multiplicari in infinitum: id pendet ex alia quæſtione, an productio ſpecierum dari poſſit in infinitum, de qua infra.

Producere pōt Deus meliora tū eſſentialiter, tū accidentaliter hucuſque productis.

9 Obſtat contra principalem concluſionem argumentum deducibile à ſimili arguendi modo quodam, quo D. Auguſt. vtitur contra Maxentium, ad probandam æqualitatem Verbi cum Patre: ait, n. l. 1. contra Maximin. c. 7. aut Deus potuit producere Verbum ſibi æquale, aut non potuit; non ſecundum, quia impotens: ſi primum, aut voluit, aut noluit, ſi primum, ergo iam produxit, ſi ſecundum, ergo inuidus, non communicando ei omne bonum, pendens ex æqualitate cum Patre. ita ſimiliter, aut Deus potuit initio res iuxta perfectiones vltimas poſſibiles producere ſecundùm totam latitudinē perfectionum, aut non potuit; non ſe-

Obſtatur.

Soluitur.

cundum, ne videatur impotens: ſi primum, aut voluit, & iam fecit, ergo addere nequit perfectiones maiores: ſi noluit, ergo inuidus. Reſpondetur autẽ facillimè, & potuiſſe initio ſic producere, & noluiſſe tunc ſic efficere: ſed diſtuliſſe ad tempus additionem perfectionum accidẽtalium: ex quib. rebi aliquas ita completè produxit, vt ſtatuerit non fore addendas perfectiones nouas: alias vero ita remiſsè, vt pro tẽpore determinarit additurum perfectiones, vt de cælorum lumine augendo in fine mundi. dicendum ſecundò, quòd & ſi nec initio, nec pro tempore futuro ſtatuerit perfectiones adaugere, non tamen diceretur inuidus; ob duo, tùm quia nulli eſt debitor: tùm etiam, quia inuidus caret bono Inuiſi, vel timet proprium ſibi auferendum bonum: nil horum ad Deum: non primum, cùm *ſit diues in omnes, & bonorũ noſtrorum non indiget*: nec ſecundum; cùm nullus ſibi obſiſtat, *non. n. accedet ad te malum, nec flagellum appropinquabit tabernaculo tuo*, ait pſal. 109. hæc loquendo de accidentalib. nam de additione gradus eſſentialis repugnat ex parte rei.

Deus quare non inuidus.

10 Obſtatur ſecundò ex Aguſt. de lib. arb. l. 3. c. 5. dicenre, *quidquid tibi recta ratione melius occurrerit, ſcias Deũ feciſſe tanquam bonorum omnium conditorem*. igitur ab initio produxit res omnes ſecũdùm vltimum poſſibilium perfectionum gradum. Reſpond. non loqui Augu. de eo, quod eſt melius abſolutè, & ſimpliciter, ſed de eo, quod melius eſt comparatiuè, & in ordine ad diſpoſitionem ſuæ ſummæ ſapiẽtiæ, qua dat cunctis id quod magis, & melius expedire videtur pro loco, & tẽpore: & quod hoc ſit verum, confirmatur ex eod. Auguſt. ibidem, qui ait, *melius quidem fuiſſe facere hominem, qui nuſquam peccaſſet, & vniuerſum ob hoc perfectius fuiſſet*; attamen melius eſſe idem Deus exiſtimauit relinquere *hominem in manu conſilij ſui, apponendo ante eum bonum, & malum*, vt pro libito, ad quod maluerit, ſe verterit, vel peccando, vel meritoriè agendo: quo loco comprobatur illud aliud, quod idem docuit, dicendo, *melius iudicauit Deus mala permittere, vt de malis bonũ eliciat, quam nullum malum eſſe in mũdo*. igitur, & ſi abſolutè melius ſit nullum malum eſſe, tamen magis conuenit diſpoſitioni voluntatis diuinæ ea permittere, quàm nõ permittere, dum etiam ex peccatis, & malis ſcit bonum elicere, atq; merendi, & decertandi occaſionem militib. ſuis præbere, quo gloriam adipiſcantur: haber. n. rationẽ coronæ, teſte Paulo, *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*: at, *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*. ergo de melioritate hoc modo ſupra loquitur Aug. (& ſic de cæteris, quæ à moralitate meriti præſcindunt,) melius, comparatiuè pro loco, & tempore, iudicauit ſic diſponere, quàm aliter ordinare: & de cælorum innouatione per lumen, melius diſpoſitioni vniuerſi congruit, vt mundi in exitu id fiat, & innouabuntur, & beati ipſi clariores euadent per noui luminis, ratione corporis glorioſi, acquiſitionem, per claritatis dotem; ſicut & ſyderum quies, & ceſſatio à motu melius in diem illũ differtur, etenim nunc inferiora motui ſuperiorum corporum ordinata, ſeu ſubordinata, melius eſt vt motum ſuperiorum expetant, quam non expetant; diſpoſuit namq; Deus inferiorẽ mundũ ſupernis rationib. ſubordinari.

Obſtatur ex Aug. et declaratur

11 Conſequenter ad hæc decidi poteſt quæſtio, verum de facto produxerit Deus res aliquas ita perfectas, vt facere nequeat perfectiores. in qua re Scot. affirmat id iam factum eſſe: vnde docet iam produxiſſe Deum ſupremam intelligentiam poſſibilem: & cõfirmat ex Auguſtini recitata ſententia. multo magis id docet Durãd. & Ariſt. at differentia eſt inter Scot. & ipſos, quod Scot. non concedit de omnib. affirmat namq; poſſe Deum producere ſpecies vlteriores, & plures, ac perfectiores, quas hucuſq; non produxit, de quo in ſequ. at de ſpecialibus aliquib. effectib. loquendo ait iam dari perfectiſſimam, quæ nequeat meliorari. negat D. Tho. docens poſſe procedi in infinitum in meliorationib & cõſequenter non dari perfectiſſimam, vltra quam nequeat dari melior. lis iſta pender ex quæſt. recenſita, de qua poſtea: nunc autem liceat hoc vnum pro comperto habere.

An de facto detur creatura perfectiſſima, quę fieri potuiſſet perfectior.

12 Re-

Tria, quibus nequeunt fieri meliora.

12 Reperiri aliquos, & ſi paucos c[illegible]atus, in quib. res adeo perfecta comparet, vt nequeat fieri melior: ea autē tria ſunt, primum eſt obiectiua beatitudo: ſecundum, diuina incarnatio: & tertium Maternitas beatiſſimę Virginis. de primo conſtat, quod obiectum beatificum eſt infinitum, perfectum omnino, ergo obiectiua beatitudo nequit meliorari: licet. n. adaugeri poſſit beatitudo formalis, non tamen obiectiua. de ſecundo res clara eſt, quia maior Chriſtus dari nequit: qui tùm ratione diuinitatis eſt infinitus, tùm ratione humanitatis eſt plenus gratia ſuper omnes, de *cuius plenitudine omnes accepimus*: tùm ratione ipſius totius, qui eſt filius Dei: tum ratione *capitis*, gratiam influentis, & virtutem in Eccleſiam; tum ratione *Redemptionis*, cuius merita acceptata fuere à Patre, pro reconciliandis hominib. tum denique; quia eſt in ratione *Doni* diuina incarnatio gratuitum donum excellēs ſuper omnia iuxta Aguſt. l. 13. de Trin. c. 19. De tertio deniq; ſat clarum eſt, quia poſt filium, maiorem matrem nequiuit facere Deus, quàm Matrē Dei. vnde D. Bonau. In ſpec. Virg. ait, *maius cælum poteſt facere Deus, maiorem mūdum poteſt Deus creare, at maiorem matrem, quam Dei matrem non poteſt condere Deus*. quod etiam confirmat D. Tho. art. 6. ad vlt. & multo magis ipſe Scot. qui de Chriſto loquens, ait *ſe malle excellere in perfectionib. Chriſti enucleandis, quam deficere, vbi veritas ſibi per dubietatem, & obſcuritatem non conſtaret*, in 3. d. 14. q. 2. & de Virgine ipſa iam conſtat quantum ipſe eam extollat, vt præſeruatam docuerit extitiſſe à culpa originali.

Scoti elogium de Chriſto.

Quid Scotus ſenſerit.

13 Verum, de cæteris effectibus in vniuerſum vtrū vltra hos tres enumeratos detur de facto ſummus effectus in perfectione, qui nequeat meliorari, res eſt incerta, & à Theologis recenſentur hi ſolum tres: fortaſsè reperiūtur alij, quos ignoramus; & Scotus ipſe dubius etiam extat circa hanc ſententiam; ſiquidem dum ait dari de facto ſupremam Intelligentiam poſſibilem, vel perfectiſſimum effectum poſſibilem, loquitur dubitatiuè per fortaſſe, vt in 1. d. 2. q. 1. §. iuxta iſtam: hinc falli conſtat Valentiam aſſerentē nunquam facere Deum id, quod ſimpliciter melius eſt; nec ita perfectè facere, vt melius facere non poſſit, ſi finis vltimus, qui eſt Deus ipſe ſpectetur, conſtat namq. tria hæc adeo perfecta eſſe, vt abſolutè nequeant fieri meliora: item quod ait de fine vltimo, conſtat ea, quæ Deus operatur ad ſemetipſum dirigere veluti ad vltimum finem: at conſtat etiam quam plures effectus, & ſi non omnes, ad finem vltimum de facto iam protenſos, vt vocatio Pauli, iuſtificatio Magdalenæ, conuerſio latronis, futura corporum reſurrectio ordinata ad finalem beatitudinem, ſic de alijs: quòd ſi de modo contendas operandi, an adhibeat abſolutè meliorem, vtiq; non deeſt via altera id exequendi, cum *Dei virtus nō ſit alligata Sacramentis*; & ſibi non deſint infinitæ aliæ viæ ad deducendos homines ad finem: at non loquitur ipſe de modo, & ordine, ſed de operatione ipſa, & effectu. t. 1. diſp. 1. pun. 3. §: ſequitur quinto. Conuincitur magis, formatio Virginis in genere matris Dei; & Chriſti Domini conſtitutio ordinantur ad vltimum finem ſub ſpecialiſſima ratione ſalutis humani generis: at maiorem Chriſtum, & maiorem matrem nec formauit. nec formare poterit ipſe Deus, ſicut nec perfectiorem viſionem beatificam obiectiuè: da oppoſitum, & ſequitur dari poſſe filium perfectiorem Chriſto. at perfectior filius, quam filius Dei non poteſt dari. idem vero eſt Patris æterni, & Matris Virginis Filius; & conſequenter daretur mater maior Matre Dei. beatifica itidem viſio cum habeat pro obiecto Deum, nec dari poteſt perfectior, *eſt enim Deus, quo maius cogitari non poteſt* ex Anſel. & de eodem Chriſto filio inquit dilectiſſima mater, *dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*. Cant. 5.

QVÆSTIO X.

Vtrum producere poſſit ſpecies in infinitum perfectiores.

Sẽſus quęſtionis.

1 NOn quærimus de infinitate indiuiduali, de qua in materia de infinitate actum eſt, ſed ſpecifica: nec ſolũ quæſtio mouetur vtrum poſſibile ſit cathegorematicè, & ſimul, ſed diuiſim, & ſeorſim. igitur dubium eſt, vtrum detur ſtatus etiam de poſſibili, ſicut de facto datur, in ſpecieb. itaut nõ poſſint perfectiores, & vlteriores produci diuerſæ rationis. qua in re, tres reperio ſententias. Prima eſt Philoſophi, quem ſequitur Durand. negatiua, negans dari poſſe nedum perfectiores, ſed nec vlteriores: ratio mouens Philoſophum eſt; quia Mundus eſt vndequaq; completus, & nil ſibi deficit quoad perfectiones eſſentiales, at perfectiones ſpecificæ ſunt eſſentiales, ergo nõ poteſt additio fieri: item agit Deus ad extra ex neceſſitate naturæ, ergo ſecundum vltimum ſuę potentiæ, ergo egit quantũ agere poterat circa numerum ſpecierum, ſicq; conſtat produxiſſe omnes poſſibiles. Adde, quod aliter ſe habuit circa productionẽ ſpecierum, & aliter indiuiduorum, quia circa illas ſe habuit immediatè, circa hæc mediantib. concauſis: ergo circa illas non potuit præpediri, cùm de ſe ſolo egit, & conſequenter egerit ſecundum, quod vltimo poterat, & ita produxit omnes, quas potuit,

Sententia Philoſophi

Durandi opinio.

2 Durandus alia via progreditur, docet.n. in 1.d.44. q.1. debere omniũ poſſibilium fiendorum debere eſſe in Deo ideas: non quidem quod hoc ipſe docere intendat, ſed ad hoc adducit inconueniens, ſic arguendo, omnium fiendorum debent præcedere ideæ, ſed infinitarum ſpecierum producibilium non ſunt ideæ, ergo dari non poſſunt. Vtitur alia via, dum diſtinguit de ſubſtantijs, & accidentib. ſpecificis: & de primis conuenit cùm cæteris non poſſe eſſentialiter variari: de ſecundis autem ait poſſe variari, & multiplicari eſſentialiter, quoties remitti, vel intendi cõtigerit: & hinc licet per eum colligere multiplicationem ſpecierum ſecundùm perfectius, & perfectius: an verò concederet id poſſe fieri in infinitum, iam abſolutè negat, vt diximus: ſi tamen terminationem non admitteret in intentione, vt admittit Scot. deberet etiam multiplicationem, & variationem admittere in infinitum.

Sententia Aureoli Capr. Scoti.

3 Secunda ſententia eſt Aureoli penes Capr. in 1.d.43.q.1.art.2. coincidens cum Durando, non poſſe dari talem multiplicationem: in quam deſcendit etiam Scot. in 3.d.13.q.1. cùm diſcipulis. At differunt admodum inter ſe Autores hi. ſiquidem Durandus adeo negat poſſe multiplicari in infinitum, vt neget etiam poſſe quoquo modo amplius multiplicari; ſiquidem cum Philoſopho ſtatuit iam productas de facto eſſe omnes ſpecies poſſibiles, ita vt nec quidem vna poſſit vltro de nouo produci, at Scotus negat infinitatem, non autem abſolutam multiplicationem; & iam aſſerit poſſe plures, & perfectiores produci vltra eas, quæ productæ ſunt, negat tamen proceſſũ in infinitum, quia admittit ſtatum.

4 Tertia eſt D.Thomæ art.6. in-

fin.

Sententia D.Thomæ ſin. ex quo tamen non neceſſariò deducitur velle negare non poſſe procedi in infinitū: ait namq; abſolutè qualibet re facta poſſe Deum facere meliorem: qui loquendi modus non decidit noſtram quæſtionem, in qua quærimus, an facere id poſſit in infinitum: loquitur namq; de facto, ſeu de ſpeciebus iam productis: de quib. controuerſia non eſt inter eum, & Scotum, concedentem etiam vltra productas ſpecies poſſe produci perfectiores: cū vero quæſtio ſit de poſſibili, ſeu de poſſibilib. producibilib. ſpeciebus, an quacunq; poſſibili in infinitum poſſit dari perfectior, D.Tho. mentionem de hoc non egit: quare ex eius litera non deducitur pars affirmatiua quæſiti: eſt vero inuentum expoſitorum, vt Caet. & ſequacium, qui inde anſam ſumpſere ad aſſerendum ex tex. D.Tho. dari poſſe in infinitum productiones ſpecierum. & in reſponſ. ad 3. ait, poſſe Deum alias res facere, vel aliās addere factis: non tamen de infinitate facit mentionem: ſicut nec in fine reſponſionis ad quæſitum. quidquid tamen ſit de eius mēte, eſt ſaltem communis ſententia Thomiſtarum poſſe multiplicari in infinitum.

Arguitur pro prima, & ſecūda via. 5 Pro prima autem, & ſecunda ſententia ſic argui poteſt: ſi procedi poſſet in infinitum, ſequeretur tandem dari aliquam naturam continentem perfectiones cæterarum, hoc autem eſt impoſſibile. prob. quia talis natura creata, vel creabilis eſſet infinita, & infinitæ perfectionis, quod obſtat creaturæ. Reſpondet Caetan. talem naturam fore infinitam non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, nimirum in latitudine entis finiti, creati, & limitati. ſed obſtatur, quia ſequeretur eſſe abſolutè infinitā: continens namq; abſq; termino perfectiones poſſibiles infinitas, eſt abſolutè, & ſimpliciter infinitum: vbi enim adeſt ratio limitans, & terminās numerum perfectionum, id abſolutè eſt finitum, ergo continens eas abſq; termino, ſub omni ratione poſſibiliū, & imaginabilium, erit abſolutè infinitum. inſuper actualis complexio infinitarum perfectionum ſimul vnitarū in aliquo continente ſignificat, & demonſtrat abſolutam infinitatem in cōtinente: infinitum namq; eſt, quòd perfectiones omnes, & infinitas continet actu, ſi eſt infinitum in actu: & infinitū in potentia eſt, quod actu ipſis omnib. caret, habetq; ſolùm cōtentiuè in potentia: differt verò infinitum hoc ab illo, eo quod ratione actualis continētiæ illud abſolutè perfectum eſt, hoc ſecundùm quid, nempè potentialiter; at ſuprema ſpecies ſi daretur, actu cōtineret perfectiones infinitas; ergo abſolutè infinita. Quod addit Vaſqu. eſt eſt minus verum: inquiens, non ſequi infinitatem in ſpecie, ſed quod haberet gradum diſtinctum, & perfectiorē cæteria infinitis ſimul, ad quem aliæ attingere non poſſent: ſed verius eſt, nedum diſtinctum gradum habere, & nedum diſtinctum gradum habere, & nedum non poſſe cæteras ad eum attingere, ſed ex quo gradus ille perfectior eſt gradibus infinitis ſimul, neceſſario ſequitur habere in ſe abſolutè, & eſſentialiter infinitatem. Accedit, quòd gradus ille eſt interminatus, carens limitè, cui nihil deeſt: infinitum autem eſt, cui deeſt perfectionis nihil, talis eſt ſuprema ſpecies. deniq; contradictio eſt, nec intelligibile redditur continere actu perfectiones infinitas, & non eſſe actu, & abſolutè infinitum.

6 Reſpondet ſecundò idem Vaſq. 1.p.diſp.106.c.4. & Valent. t.1.diſp.1. punct.3.q.25. in tali proceſſu non dari ſupremam ſpeciem, ſicut nec infimam: quoniam in numeris in ordine ad infinitam numerationem non datur terminus: & in ipſomet infinito nō datur primum, nec vltimum, vt conſtat. Addit Valent. ſi daretur ſuprema ſpecies, non oporteret eam continere perfectiones omnes cæterarum, ex quo non eſſet conſequenter infinita; ſed ſolum eſſet perfectior cæteris, quatenus haberet perfectionem altioris cuiuſdam ordinis: vt homo eſt quidem formica perfectior, non tamen eminenter habet ſpecificam differentiam formicæ. Contra primam autem reſponſionem eſt aduertendum Auctores ſecundæ ſententiæ non inēdere admittere primum, & infimum in infinito; ſciebant .n. infinitum carere principio, & fine: & hoc loquendo de infinitate numerali, ex parte vtriuſq; extremi, tum à par-

parte ante, tum poſt: ſicut in infinitate continui, à parte ante, & à parte poſt, quæ reſpuit ex parte vtraq; terminationem, & de hoc non oportet laborare, quia conueniunt cùm cæteris: ſed loquuntur de infinitate perfectionali, quæ benè conuenire poteſt cùm finitate numerali: & habens quidem formaliter & eſſentialiter infinitatem, habeat nihilominus numeraliter finitatem, & terminum: quod nuſquam implicat: patet in diuinis, vbi Deus eſt formaliter infinitus, attamen numericè eſt terminatus, & finitus, quia vnus eſt Deus, & perſonæ non ſunt numero infinitæ, ſed tres, atq; attributa, & perfectiones cæteræ ſunt quoq; numericè tot, & non plures; igitur dari poteſt, ſicut datur, eſſentialis infinitas cùm termino numerationis. Ad propoſitũ dabitur in tali numeratione ſpecifica ſpecies vna excedens in infinitum in perfectione cæteras alias. & confirmatur ex quo Ariſt. docuit non dari proceſſum numeralem infinitum in ſpeciebus, itaq; abſq; eo, quod procederetur in infinitum in enumerando, daretur perfectiſſima omnium, quæ foret metrum, & menſura infinita perfectionum infinitarum. Contra additum à Valent. obſtatur, quia ex eo Deus vocatur perfectione infinitus, ex quo infinitas continet perfectiones: da oppoſitum quod finitas cõtineat; & erit finitus; ergo ex quo ſuprema ſpecies infinitas contineret, eſſet infinita: da oppoſitum ipſam non continere infinitas, & non dabimus proceſſum in in infinitum: vel igitur concedatur ex tali proceſſu infinitas ſpeciei ſupremę ex infinita continentia, vel ſi eam negarint; negent quoq; oportet proceſſum in infinitum. nec obeſt id quod ait, hominem non continere eminẽter differentiam ſpecificam formicæ, hoc namq; non tollit infinitatem quantum eſt de ſe; quia nec Deus continet eminenter eandem, cum ſic continere eſt habere in ſe talẽ formam, ſed ſub gradu perfectiori, & eminentiori, Deus autem non eſt formica, ſufficit vero contineat virtualiter, vt oſtendimus in quæſt. de perfectione Dei art. 2. at negatio talis eminentialis continentiæ non tollit à Deo infinitatem, quæ tamen in eo pullulat aliunde, reddendo ſingula ſingulis; igitur ex negatione eminentis continentiæ in ſpecie illa non tolletur ab ea infinitas.

7 Arguitur ſecundò. tota vniuerſitas entium, & perfectionum actualiũ, & poſſibilium eſt prorſus finita; ergo dari nequit proceſſus infinitus. antecedens prob. quia tota entium præter Deum, vniuerſitas eſt cauſata, dependens, & terminata, ergo finita. Sed argumentum hoc minus concludit, licet .n. entium, & perfectionum vniuerſitas ſit finita formaliter, & entitatiuè, poſſet tamen infinitari numericè. Verum reſponſio incidit in eoſdem ſcopulos, de quib. hactenus, quoniam vnaquæq; numeralis entitas dicit vnam perfectionem de ſe, ergo augendo entia, augentur perfectiones numericæ, ergo ex infinitate numerali entium ſequitur augmentum in infinitum perfectionũ. & Confirmatur, progreſſus iſte nedum eſſet numeralis indiuidualis, ſed numeralis ſpecificus, alterius ac maioris exceſſus in perfectione, ſpecies namq; ſunt ſemper in exceſſu maiori: quod ſi ex numerali infinitudine indiuidualiũ entium ſequitur perfectio infinita, maiori ratione id ſequitur ex infinita enumeratione excedentium ſpecierũ.

8 Tertiò, aut Deus videt creaturam aliquam, ſeu ſpeciem, quæ contineat infinitas cæterarum perfectiones, aut ignorat: ſi primum, ergo poteſt illã producere: ſi ſecundum, vel erit ignorans, vel ſi eam non videt, non videbit eſſe poſſibilem: ex primo ſequitur produci poſſe per cauſalitatem, & dependentiam ſpeciem formaliter infinitã: & ex ſecundò non eſſe imaginabilem abſq; contradictione hanc ſpeciem, cũ non videat eſſe poſſibilem.

9 Præterea vnaquæq; ſpecies eſt quædam participatio perfectionis diuinæ, ſed nulla creatura poteſt diuinas participare perfectiones ſecundum infinitum gradum diuinæ infinitatis. Item ex parte ſubiecti receptiui ſpeciei accidentalis, quanta eſt capacitas ſubiecti, tanta debet eſſe forma receptibilis, ſed ſubiectum, v.g. anima eſt capacitatis finitæ, ergo gratia recipienda debet eſſe finita; ſed ſubiectum non excreſcit in infinitum, ergo nec capacitas

citas augetur in infinitum, ergò conſequenter forma non poterit intendi, vel ſpecificè augeri in infinitum.

10 Deniq; quod procedit de nihilo non abit in infinitum, ſubiectum, vt anima de nihilo eſt per creationem, ergo non tendit in infinitam ſpecificã perfectionem. Confirmatur, inter infinitum, & nihil, eſt diſtantia infinita, ergo attingi non poteſt talis infinitas. Dices, attingi poterit per Dei potentiam, & ſi non attingatur virtute naturæ: ſed contra, Deus non impertit ſubiecto formam excedentem capacitatẽ ſubiecti, & ſi quandoq; eleuat ſubiecti capacitaem, non tamen adeo eleuat, vt ipſam violentet, violentia namq; inferretur ſi eleuaretur ad aliquod prorſus incõpoſſibile, ſeu potius oporteret eam deſtruere, vt ſi voluerit naturam formicæ eleuare ad naturam Angeli, deſtruat neceſſe eſt gradũ formicæ: igitur eleuatio debet eſſe conſona naturæ eleuabili, & ita agit Deus, non.n. deſtruat naturam eleuando, ſed perficit: at creatura finita, & limitata nequit eleuari formaliter ad gradum infinitatis, rueret.n. ratio finiti, ergo repugnat hoc ex parte naturæ: nec obſtat potentia obedientialis, quia eã cõcernit illa, quæ ſunt conſona capacitati naturæ. item Deus non producit infinitum: quod etiam actu dari implicat: & multo magis implicabit in ordine ſpecifico, quam indiuiduali.

Deus eleuando naturam non deſtruit, ſed perficit.

11 Accedit, quod in ordine infiniti, Ariſtoteles proceſſum in infinitum admiſit quidem in cauſis accidentaliter ordinatis, negauit vero in ordinatis eſſentialiter: talis eſt ordo ſpecierum. & ſi ab eo petatur vtrum ſaltem de poſſibili admiſſurus fuiſſet talem proceſſum in ſpeciebus; reſponderet negatiuè: quoniam in eſſentialiter ſubordinatis eſt neceſſe deuenire ad vnũ primum, & vltimum, & quod de facto docuit neceſſe eſſe, idem adſtruit de poſſibili. & hoc eſt inconueniens vltimum ad quod ducuntur Aduerſarij, petitum ex Ariſt. & naturali ratione: quapropter authores ſecundæ ſententiæ habent pro ſe Philoſophum: dixerim etiam, Diuum Thomam, quoniã; vt vidimus, nullam agit mentionem de proceſſu in infinitum, cum abſolutè aſſerat, quacunq; ſpecie data poſſe dari meliorem: qui & fortaſsè loquitur de quacunq; ſpecie data de facto: qui ſiuè etiam loquatur de ſpecie dabili de poſſibili, indicat quidem vlteriorẽ poſſibilem additionem, at non in infinitum. Scotum quoq; pro ſe habent, cum Aſſeclis, id præcipuè defendentẽ, de gratia Chriſti. Qui tamen Scotus aliquando indefinitè loquutus fuit de re hac, & indeciſè, vt in 1.d.2. q.1.l.Z. at mens eius clarior extat in 3, loc. cit.

In eſſẽtialiter ſubordinatis Ariſtot. negauit proceſſum in infinitum, ſecus in accidẽtaliter

12 Obſtatur contra, quia ſequeretur Deum vel non eſſe omnipotentem, vel non eſſe potẽtiæ infinitæ. probatur, quoniam infinita potentia habet pro termino infinitũ: & quod omnia producere nequit, non eſt omnipotens: quapropter magis dignificatur infinita Dei potentia ab Aduerſarijs, quàm à nobis. Reſpond. facerè Deum omnipotentem non conſiſtit, vt velimus ipsũ poſſe omnia facere, ſed ideo omnipotentem eſſe, quia poteſt producere omne fieri poſſibile: aliàs quia non poteſt facere hominem brutum, eſſet impotens, at impoſſibile eſt hoc, ideo nil tollimus ſuæ omnipotentiæ negando id. itẽ dicitur infinitus Deus, non quod infinitum producat, aut poſſit producere, quia negãtes poſſe producere infinitum, non faciunt eum finitæ potentiæ: ſed aliundè infinitus, vel infinitatę perfectionum: vel ſi ad potentiam reſpiciamus, erit potentiæ infinitæ tùm quia producit de nihilo, ad quod exigitur potentia infinita, tùm verò quia ad intra exercet memoriam fæcundam, & voluntatem fæcundam, quæ eſt infinita, & habent pro terminis adæquatis Perſonas infinitas.

Arguitur contra.

Reſp. ideo Deus omnipotens, quia poteſt omnia, nẽpe poſſibilia.

13 Arguitur. datur proceſſus infinitus in numeris, ergo & in ſpecieb. nec enim maior ratio de illis, quàm de his: ſed in numeratione infinita non deuenitur actu ad numerum infinitũ, ergo nec in numeratione, & productione ſpecierum. Reſpondet Aueroes eſſe diſparẽ rationem, quia cùm progredimur ad numerationem, procedimus ad materiam, & fit diuiſio continui, & in numeris fit augmẽtum ſecũdùm diuiſionẽ continui, & in tali proceſſu ad materiam per diuiſionem non implicat numerum excreſcere in

Arguitur.

Proceſſus in infinitũ in numeris an detur: ſententia Auer.

infinitum: in proceſſu autem continui ipſum continuum excreſcit, & augetur eundo ad formam, & in proceſſu ad formam neceſſe eſt dari ſtatum: & ideo in quantitate continua eſt ſtatus in maius, non autem in multitudine numerorum, ſicut nec in diuiſione cõtinui in minus. Obſtat contra eũ Scot. quia quilibet numerus eſt per ſe vnus, ergo quilibet numerus habet propriã formam; ergo procedendo ad quemlibet numerum maiorem eſt proceſſus ad formam propriam includẽtem virtualiter formas præcedentes; ergo nõ erit proceſſus in in infinitum etiam in numeris. Hinc reſpondet ipſe gloſando propoſitionem Ariſt. 3. Phyſ. c. de infinito, dicentis, *quantum contingit eſſe in potentia, tantum contingit eſſe in actu*: & Ait Ariſtotelem loqui de quãtitate molis, de qua quantum contingit eſſe in potentia, tantum contingit eſſe in actu, immo tantum eſt in actu; quia ſecundùm Ariſt. nullum quantum poteſt maiorari niſi per additionem partium alterius quanti præexiſtentis: ſi namque contingeret quantum molis poſſe eſſe infinitum in potentia, tãtum eſſe contingeret in actu, & ita eſſet quantum infinitum in actu: hoc eſt impoſſibile; ergo & illud ſecundùm Ariſt. licet ſecundùm Theol. poſſet eſſe maius in potentia, quàm in actu ſit, quoniam Deus maiorare poteſt, & nõ indiget aliunde partes addendas auferre, qui poſſet eas addere creando de nihilo.

Impugnatur à Scot.

Quantum contingit eſſe in potentia, tantum cõtingit eſſe in actu: declaratur.

14 Poſſet amplius reſponderi, Ariſtotelem non ſtatuiſſe ſtatum, & terminum in numeris, quia in accidẽtaliter ſubordinatis non oportet illum ſtatuere, cum concedatur proceſſus in infinitum: ſtatuiſſe verò in ſpeciebus, in quib. tamen implicat infinitas, quia in ſubordinatis eſſentialiter datur ſtatus ex eod. vel poteſt vltimo dici negando in enumeratione ſpecifica numerica dari proceſſum infinitum, immo finitum: ratio eſt, quia ſpecies numerorum ſunt finitæ: & ſi numeramus in infinitum, non conſtituimus nouum numerum, ſed antiquas numerorum ſpecies multiplicamus: patet namque numerum creſcere ſolùm vſq; ad denarium: & ſi vltra proceſſeris non cõſtituens nouam ſpeciem, ſed eandem repetes multiplicando, vt vndenariũ, ſeù duodenarium non ſunt ſpecies nouonæ, ſed ſunt denarius cum repetitione. & duplicatione vnitatis, & dualitatis: ſic viginti, triginta, centum, mille, & ſimilia, ſunt multiplicationes denarij, qui bis ductus facit viginti, ter ductus triginta, decies ductus mille; & ſimiliter de millenario decies ducto reddit ſuum numerũ, & ſic de ſingulis, iuxta partitionem, ac differentiam numerorum. ergo conſtat multo clarius non dari infinitum proceſſum in ſpeciebus, nec quidem numericis; quod eſt validius argumentum contra Aduerſarios: infinitas ſiquidem conceditur in numeris, at conſtat non dari in ſpeciebus numerorum, ergo ſi vbi videtur admittenda infinitatis ratio non admittitur, minus admittenda erit in ſpecieb. cæteris.

In numeris Ariſtoteles non ſtatuit terminum.

In enumeratione ſpecifica datur ſtatus; & terminus.

15 Arguitur vltimo, quelibet creatura eſt imitatio quędam, ac participatio diuini eſſe; ſed nulla excogitari poſſet quæ perfectiſſimo, & infinito modo imitaretur Deũ, qua perfectior dari non poſſet, ergo implicat proceſſus. Reſpon. argumentum procedere de facto, & de proceſſu finito; nulla namq; de facto ſic perfectiſſimè imitatur: & ſi vltra has productas producerentur aliæ per proceſſum finitũ, nulla etiam ſic imitaretur: at dato caſu quòd in infinitum procederetur ſẽper meliorando eſſentialiter, vtiq; daretur perfectiſſima, & infinita perfectiſſimo modo Deum imitans. Dices, implicat id, quod eſſet creata, & depẽdens. Reſp. licet implicet ex hoc capite vt ſit ſic perfectiſſima, tamen non implicaret ex ratione proceſſus in infinitum.

Obſtatur.

Reſpond.

QVÆSTIO XI.

An præter ea, quæ fecit poſſit plura facere, & mundum alium creare.

Ariſtot. negat dari poſſe nouas rerum ſpecies in Vniuerſo.

1 VTrum verò vltra ea, quæ hucuſque produxit, & quæ in futurum productus erit per decretum ſuæ voluntatis, poſſit plura producere. ſi de indiuiduis agitur, reſponderet Ariſt. poſſe quidē vltra iam producta, producere vlteriora: ſi de ſpeciebus loquimur, negabit omnino; quia vt vidimus, negat proceſſum vlteriorem in ſpeciebus: tùm etiam, quoniam hoc Vniuerſum adeo eſſe ait, perfectū, vt nulla ſpecifica perfectio deſit, nec defutura ſit, aliàs & imperfectum eſſet, & rueret. tùm deniq; ex alio capite, dum exiſtimauit agere Deum neceſſitate naturæ, quapropter produxit, & neceſſario produxit omnia ea, quæ producturus erat, & id ab initio, quia id congruit agenti naturali, & non impedito, vt ſtatim, atq; eſt, agat, & producat ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ: Deus autem prępeditur à nullo: tùm quoq; quoniam ad ſpecies ipſas producibiles ſe habuit immediatè, igitur nullū fuit obſtaculū, vt ſimul omnes produxiſſet, de indiuiduis autē, cū interueniant cauſæ ſecūdę, produxerit ea iuxta accōmodationē, & tempus cauſarum ſecūdarum: quod ſi ad illa quoq; immediatè abſq; concurſu earum ſe haberet, aſſereret etiā cōſequēter omnia producta fuiſſe ab initio: nec.n. quidquā obſtitiſſet infinitæ potentiæ ſuæ. In eandem ferri videtur ſententiam Durand. ſed non ex eiſdem capitibus, aſſeruit namq; ſolū iam produxiſſe ſpecies omnes poſſibiles, nec vllam remanere vltro producibilem: nec poſſe produci perfectiorem ſpeciem aliquam eminentiorem productis: at de hoc in præced: Eiuſdem deniq; fuit ſenſus ViKleffus apud Valdenſ.l.1. doctr.fid.cap.10. & Petrus Abailard. ex D.Bern. ep.190. atq; Calu.l.1.inſt.c.16. qui diſtinctionem Theologorum de potentia abſoluta, & ordinata irridet. in quem errorem incidere etiam quidem antiquiores Philoſophi, aſſerentes Deum nihil de nouo producere, & ſi per infinita ſæcula operatus ſit, ſed producit iterando iam producta: de quibus ſcribit Auguſt.l.12. de Ciu.Dei c.18. Cæterum error hic contra Abailardum damnatus fuit in Concil.Senonenſi: & confutatur à D.Auguſt. lib.de ſpir. & lit.c.1. & 13. de Trin. c.18. & l.9. de gen.ad litt.c.29. atq; Greg.l.20. mor. c.25. dum demonſtrant Deum poſſe alia facere, vt carnem ſumere ex alio genere, quàm Abrahæ, & potuiſſe aliter mūdum redimere, quàm per mortem filij: & ex ſcripturis apertè conuincitur, Marci 14. *Abba Pater omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem,* at conſtat non tranſtuliſſe, ergo quod nō egit, poterat agere. Matt. 26. *an non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquā duodecim legiones Angelorum;* & tamen nec rogauit, nec Pater exhibuit, ſed poterat exhibere, & ille rogare.

Durandi ſententia.

Petri Abailardi Vuikleffi, & Caluini de distinctione potentię ordinariæ, & abſolutæ.

2 Argumentum conuincens VuiKleffum hoc erat, Deus non poteſt facere, niſi quæ præſciuit, & prædeterminauit facere: at ea, quæ facturus nō eſt, non prædeterminauit facere, ergo facere nequit. Reſp. potentiam ſumi, *Arguit Vikleff.*

vel proximè,& relatiuè ad determinationem iam factam,vel remotè: primò modo vera eſt maior, quoniam ea ſola aget,quæ determinauit acturum; ſecũdo modo falſum eſt, cùm remaneat remotè ſaltem potentia ad aliter faciendum. vel ſecundò recurramus ad ſenſum compoſitũ,& diuiſum; maior vera eſt in ſenſu compoſito, & reduplicatiuo,determinata namq; vt determinata ſunt,ea fient,non verò non determinata,in ſenſu reduplicatiuo : at in ſenſu diuiſo, & ſpecifico multa alia poſſibilia ſunt. recurrendum tertio ad potẽtiam ordinatam, & abſolutam : vt de potẽtia ordinaria illa ſolum agat, quæ ordinauit, & non poteſt aliter facere de potentia ordinata:de abſoluta vero agere poterit, quæ abſoluta potentia ordinauit. quod ſi vrgeas de mutatione,quæ caderet in Deo aliter ordinãdo,id ſpectat ad materiam de præſciẽtia, & nonnulla attigimus ſup. de immutabilitate Dei art. 2. in quæſt. vtrũ Deus ſit immutabilis.

Vtrum poſſit Mundũ alterũ producere.

Sententia Durandi.

Sententia Vaſquij.

3 Solùm diſcutiendũ breuiter proponimus, vtrum poſſit mundum alterum producere diſtinctum ab hoc. Ad quod Durand.reſpondet poſſe produci alterum,at ſolo numero diſtinctum, non ſpecie; loquitur autem conſequẽter ad ſua principia dum ſubſtinet non fore poſſibiles ſpecies plures vltra productas; hinc non poterit produci mundus alter diſtinctus ſpecie : ex recentiorib. Vaſq.1.p.d.107.c.2, de mixtis concedit, negat de ſimplicib. corporib.vt elementis,& cælis, quapropter ait creari poſſe alterum alterius rationis ſpecificę quoad corpora mixta ; de cælis vero,& elementis non ſibi conſtare an in mundo altero forent creandi cæli, & elementa alterius rationis ab his ; & de mixtis etiam ſubdit, quod ſumpto vniuerſo prout illi pręeſt,& dominatur corporea creatura rationalis homo, non fore concedendum creabilem fore mundum alterum, quia deberet ei pręeſſe creatura altera corporea rationalis perfectior homine, exiſtimat vero id minus eſſe poſſibile, & eſſe probabilius non poſſe dari creaturam talem corporeã perfectiorem ſpecie homine.

4 Argui autem poteſt oſtendendo abſolutè non eſſe poſſibilem multiplicationem alterius mundi. mundus.n. alter aut eſſet intra, aut extra mũdum iſtum:non primum quia eſſet pars mũ-
di huius, & conſtitueret cum iſto mũ- 1
dum vnum,& ſi maiorem, non ſecundum, cum extra hunc mundum nihil 2
ſit.item aut eſſet ſupra,aut infra mundum iſtum; aut ſupra aut intra cælos. inſuper neceſſe foret multiplicare primum mobile,aſtra, & cælos alios,qui
influerent in mundum alium.Prǽterea 3
foret neceſſarium nouas Intelligentias creare ad mouendos mundi noui nouos cælos, ſiquidem Intelligentiæ iſtæ non ſufficerent, prob. quia Ariſt.enumerauit Intelligentias ad numerum cælorum, & circulorum mobilium, & tot ait, Intelligentias reperiri,& non plures, ergo pro recẽter creandis cælis creare eſſet opus Intelligẽtias nouas: vtrumq; vero exiſtimat Ariſt.impoſſibile,ſiquidem cæli, & Intelligentiæ non eſſent entia neceſſaria, quia nec eſſent æterna;quod namq; in tempore producitur æternum non eſt: & quod æternum non eſt, abſolutè neceſſarium non eſt ; ipſe autem admiſit Intelligentias, & aſtra eſſe entia ne-
ceſſaria,& æterna. Inſuper oporteret 4
creare nouam materiam ex qua educeretur nouus mundus, cùm tamen idem inſurgat inconueniens de mate-
ria, quam ſtatuit eſſe æternam. Acce- 5
dit eius auctoritas ex lib. de cæl. cùm ait, id quod conſtat ex tota materia, eſt impluriſicabile,ſed mundus totam
hauſit materiam: Deniq; ex Platone 6
mũdus hic formatus fuit iuxta archetipum mundi intelligibilis diuinæ mẽtis,& diuini Architecti, qui eſt Deus, at hic vnus eſt,ergo & ille : cuius ſententiam approbat Aguſt. l. 1. retract. cap. 3.

Arguitur pro parte negatiua.

Philoſophorum antiquorũ ſententia affirmatiua.

5 Ex capite altero aſtruitur poſſibilitas authoritate Philoſophantium antiquorum : qui nedum poſſibile id docuerunt, verum de facto ita eueniſſe ſtatuerũt: hinc Democritus,& Epicurus infinitos mundos admiſerunt : Manichæi plures mundos ſtatuere,ſed non infinitos, Democritus innumerabiles,& hos inter ſe valdè diuerſos, vt in quibuſdam neq; ſol reperiretur,neque luna ; in aliquib.aſtra ſplendeſcerent

rent

rent lucidiora: in alijs animalia, & plãtas deeſſe: alios his, atq; rebus plurimis abundare: Diogenes quoq; Ariſtarchus, Anaximander, & Metrodus addidere infinitos: quod etiam docẽte Anaxarco, lacrymatus eſt Alexander, triſtis effectus, propterea quod ex mũdis innumeris, & infinitis, nec vnũ, eumq; integrum occupaſſet.

Duo extrema vitanda.

6 In hac re duo extrema fugienda ſunt: alterum ex ſententia Ariſt. nõ poſſe multiplicari mundos: & aliud ex nuper recenſitis Philoſophis tot de facto, & plures, atq; innumeros mundos reperiri: vtrumq; enim eſt falſum: atq; ſtatuendum eſt tertio loco, vnicũ reperiri de facto, plures tamen de poſſibili produci poſſe: de primo adeo conſtat eſſe verum, vt aliquando inter hæreſes dãnata ſit ſententia de actuali mundi pluralitate, teſte D. Iſid. lib. 8. Ethim. c. 5. & Albertus hęreticam eam vocat 2. p. ſum. de hom. quod ex act. 17. colligi poteſt, dum docet Paulus, *omne humanum genus Deum feciſſe ex vno:* & Rom. 5. numero ſingulari vtitur loquens de mundo, *per vnum hominem peccatum introiuit in mundum:* quod expreſſius attigit Ioann. 1. *in mundo erat, & mundus eum non cognouit,* & ratio cogit, quoniam ſi alter eſſet, aut ibi eſſent homines, aut nullus incoleret; ſi ſic, aut venit Chriſtus Dominus ad eos ſaluandos, aut non: non ſecundum, cùm neminem velit perire, ſi primum, iam expreſſiſſet Apoſtolus, qui alioqui de hoc ſolo mundo dixit, veniſſe ad ſaluandas Gentes. ſi gentes, ad quid mundus ille, cui non præſit creatura aliqua rationis capax, vt homo, vel ſi poſſibilis eſt creatura corporea perfectior rationalis: & ſi hæc adeſt, remanet vt prius, quod ad eam ſaluãdam deſcendiſſet Chriſtus Dominus. Accedit, quòd ex decurſu vitæ Chriſti non habetur exiſſe extra mundum iſtũ ad myſterium illud operãdum ad Gẽtes, & Incolis alterius mũdi: & ſi id eſſet, fortaſſe reuelatio, & notitia aliqua haberetur; ꝙ & ſi abſolutè neceſſum non ſit reuelari, nihilominus, cùm reuelata ſint, nobis abditiſſima, & reconditiſſima cęlorum, & inferorum, & alterius poſt hanc vitam ſtatus myſteria, probabile remanet, vt id quoq; de mundo altero quandoq; Prophetis, & Sanctis innotuerit. De ſecundo, quòd poſſibiles ſint plures, nullus eſt apponẽdus terminus infinitæ potẽtiæ Dei: at mundus iſte non exhauſit, neq; conſumpſit totam Dei virtutem, ergo nõ terminanda hic ſua potentia neceſſario. Adde potuiſſe ab initio mundum hunc efficere minorem quàm nũc eſt, &, ſumpta medietate, ſeu per medietatem diuiſum, nõ vnum, ſed duos efformare: hoc dicitur, vt obſtetur dicentibus fortè potẽtiam eius terminari neceſſario ad vnum: potuiſſet namq; ex vno facere duos, vel plures. Dices, de-ſtructum iri ordinem, & nexum ex partitione in duos. occurritur, quòd alium ſibi dediſſet ordinem, & nexum alium, ſi ita ſtatuiſſe formare ex vno duos, & vnuſquiſq; remaneret perfectus in ſuo ordine. hæc eſt D. Bonaũ. 1. diſp. 44. D. Thom. Gabr. Maior. Capr. ibid.

Mũdus de facto vnicus eſt, nõ plures.

Mũdi plures de poſſibili.

Obſtatur.

Occurritur

7 Ad rationes reſpondendo, ad primam dicimus mundum alium non fore intra mundum hunc, quoniam nõ eſſet pars iſtius Vniuerſi; igitur eſſet extra, extra autem ſumpto negatiuè ex parte mundi prioris, quia extra eum nihil eſt poſitiuè: ex parte autem autem mundi noui extra ſumatur poſitiuè, quoniam mundi noui eſſent in vero loco reali creabili, licet totus mundus quoad vltimam circumferentiam nõ eſſet extra primũ poſitiuè, cũ extra noſtrã vltimam ſphæram non ſit locus realis, nec conſequentèr reperiatur modus exiſtendi extra poſitiuè ob ſpacia imaginaria. Adde mundũ nouum vel fore cocentricum, vel excentricum, cùm vnus non includeretur in altero, ſiue foret alterius pars, ſeu omnino diſtinctus, alienus, & ſegregatus. Ad aliud dicitur, vel fore ſupra, vel infra mũdũ hunc, ſed nõ intra; hęc namq; cõpetunt exiſtenti tanquã pars intra mũdum hunc: conſequenter nec eſſet infra cęlos iſtos influentes in mũdum iſtum, cùm non eſſet huius mundi pars, ſed haberet proprios cęlos, & propria aſtra tali mundo nouiter aptata, vnde concedendum multiplicanda fore prima mobilia, & aſtra alia, niſi tamen alio ordine diſponeret mũdum illum Deus; eſſent quoque aſtris illis

Reſpondetur ad primum.

Ad ſecundum.

illis additę Intelligentiæ motrices, quę vel deſumerentur ex numero Angelorum de facto extantium, vel crearentur de nouo: at hoc non foret neceſſe, quia Angelorum numerus eſt millia millium, & decies centena millia, & pene innumerabilis, vt vidit Ioannes, vnde ſufficerent illi ad cęlos alios mouendos: & ad Ariſt. negandum eſt ſuſi inuentum, exceđunt namque Angeli numeros cęlorum; & multo amplius falſum conſtat in fide Angelos, aſtra, & materiam eſſe entia neceſſaria, cũ ſint de nihilo, & annihilabilia: ita quoque nec erunt entia æterna, cùm ſint producta in tempore. Ad illud de materia nouiter creanda dicendum Deo non deeſſe potentiam, vt plures alios mũdos educat de potentia materiæ, vel iſtius, vel alterius creabilis: quod ſi admittamus Deum velle nouo mundo dare eſſe per veram creationem de nihilo, iam non vtetur hac huius mundi materia, aliàs non foret creatio, ſed aliam nouiter crearet ſimul efformando mundum, prout iam egit initio de hoc mũdo. Ad id de materia totaliter exhauſta, & conſumpta ab hoc mũdo, quidquid ſit de hoc, tñ Deus põt aliã creare. & cùm dicit Ariſt. eſſe impluriſicabile id, quod conſtat ex tota materia: dicendum loqui de materia totius, ſeu de ratione indiuiduali, indiuiduum namq; ſuppoſitale eſt impluriſicabile, quia incõmunicabile: non autẽ de ma teria partis: & licet hæc eſſet tota exhauſta, tamen poteſt aliã Deus creare.

Ad tertiũ. (margin, beside "uendos")

Ad quartum. (margin)

Ad quintũ (margin)

Ad ſextũ. Ad Platonem dicendum, Deum habere plures in mente ſua idæas plurium formandarum rerum: quod ſi alicuius, quod facturus non eſt, idæam non haberet, habere quidem poſſet, & multo magis ſi id vellet producere: quòd ſi idæa ſumpta formaliter pro ratione proxima ſecundum quam ſtante decreto aliquid eſt fiendum, in Deo alicuius non ſit, vt probabile eſt idæam formaliter acceptam non eſſe in Deo pro mũdo altero, tamen remãnet idæa ſumpta fundamentaliter, qualis eſt diuina eſſentia, in qua fundantur infinitę propemodum rerum imitabilitates. quod ſi deniq; ex vnitate Architecti eligat vnitatem mundi, conſequentia eſt inepta, quia cauſa quo vniuerſalior, & perfectior, eo ſe ad plura extendit, & extendere poteſt, vt eſt Deus.

8. Obſtabis, terra aut inclinaretur ad centrum iſtius, aut ad centrum alterius mundi ſi foret productus, non eſt maior ratio, vt ad huius centrum inclinaretur, quam ad alterius, quia centrum vtriuſq; eſt ſitus terræ, & ita vel eſſet intra vtrumq; mundum, vel in nullo, vel ſi in vno ſolo, violenter quieſceret, quoniam eſſet extra centrum, cùm eſſet extra centrum alterius, & ita eſſet intra centrum, & extra centrum. Reſp. terrã nõ potius ad centrũ vnius, quam ad centrum alterius tunc inclinari; quia ambo penes eã haberẽt rationem finis; ergo inclinaretur ex ſe ad centrum vniuerſi abſolutè, præſcindẽdo ab hoc, vel illo: & cùm in centro vnius eſſet, quieſceret; & cũ eſſet in cẽtro alterius, etiã quieſceret, quia ambo centra ſunt eſſentialiter finis eius: & exiſtẽs in vno nõ poſtularet ire ad alterum, & è conuerſo, quia in vtroq; reperiretur eadẽ ſpecifica ratio finis. Dices, terra huius vniuerſi ordinatur ad centrum huius vniuerſi, ergo non ordinaretur ad aliud, nec quieſceret in illo. Reſp. terra huius ordinaretur ad centrum huius tanquam ad centrum partiale, at inclinaretur ad centrũ cõmune vtriq; mundo tanquam ad centrum totale: vel ordinatur ad centrum huius tanquam ad centrum particulare, ſed ordinaretur ad centrum cõmune tanquam ad centrum naturale: vel ordinaretur ad centrũ huius tanquam partis huius vniuerſi, cuius vniuerſi eſſet etiã pars iſta terra, & eſſet cõnexio partium inter ſe, & ad totum, ergo cẽtrũ huius eſſet pars huius vniuerſi, & terra huius vniuerſi eſſet pars eiuſdẽ vniuerſi, & ita ordinaretur hæc terra ad hoc centrũ, ad quod haberet cõnexionem, & ordinaretur tanquã pars ad partem in ordine ad totum hoc vniuerſum, ſed in ſe non magis ordinabilis eſt ad centrum huius, quam illius. Hæc vera ſunt, ſi alter mundus eſſet eiuſdem rationis ſpecificæ cùm hoc mundo; quod ſi eſſet ſpecie diuerſus, vtiq; terra hæc ordinaretur ſolummodo ad centrum huius mundi, & non ad alterius, & è contra, quoniam centrum vnius eſſet ſpecificè diuerſum à cen-

tro

ſtro alterius, ita quoq; inclinatio vnius eſſet ad proprium centrum huius mũdi, & non ad alterius; quia variata ſpecifica ratione rerum, variatur ordo, & connexio vniuerſorum.

Vaſq. confutatur de cælis, & creatura intellectuali.

An autẽ conſtare poſſit id, quòd dicebat Vaſqu. in primis falſum videtur quod aiebat ſolùm de mixtis eſſe verum, poſſe alterum nouiter creari mundum, non de cælis, & elementis: immo de vtriſq; eſt verius: cur namq; non poſſit Deus cælos ab his diſtinctos, atq; rationis alterius creare, non eſt ratio conuincens: ſicut poſſet etiã elementa alia producere ab his diuerſa: nulla.n. ratio implicat, vt de infinitę ſapientiæ, & omnipotentiæ theſauris noua elementa, & nouos cælos efformet. minuſq; probabilitatis continet; quòd aiebat de creatura rationali corporea: quin potius verius ſit cenſendum poſſe alterius, & perfectioris ſpeciei creare rationalem creaturam corpoream, eminentiorem homine intra genus corporeæ creaturæ rationis capacis. fortaſsè obſtabit, quòd gradus intellectualis eſt ſupremus, itaq; non dabitur ſuperior: ſed nihil valet, quoniam in Angelis quoq; qui omnes comprehenduntur ſub genere creaturæ ſpiritualis intellectualis non datur ſtatus ad vnam ſpeciem, & vnus altero perfectior eſt nedum indiuidualiter, ſed ſpecificè: & adeo excreſcunt, & multiplicantur ſpecies, vt vnuſquiſq; eorum, ex ſent. D. Tho. conſtituat ſpeciẽ: quòd ſi in genere ſpiritualis creaturæ intellectualis datur exceſſus ſpecificus, poterit facilius Deus multiplicare creaturas corporeas intellectuales; & eas facere diſtingui ſpecie: quapropter ſi daretur perfectior mundus ſpecificè, dari quoq; poſſet nobilior corporea intellectualis creatura, quæ præſit, & ſit eminentior homine præſide iſtius vniuerſi. immo ſibi conſtans non eſt, ſubſtinet namq; poſſe ſpecies rerum multiplicari in infinitũ, ideo debuerat conſequenter loqui, & admittere multiplicationem corporũ ſimplicium, elementorum, cælorum, atq; rationalis creaturæ corporeæ ſpecificam, diuerſæq; rationis fore poſſibilem.

Vaſquez ſibi inconſtans.

QVÆSTIO XII.

Expenditur duplex genus potentiæ, ordinatæ, & abſolutæ.

Vtrum ſit appellanda potẽtia ordinaria, an ordinata.

1 Complementum totius materiæ de omnipotentia exigit, vt explanemus vtriuſq: potentiæ diſcrimen, ordinatæ, & abſolutæ. in primis autem recenſendum an ordinata cenſeri debeat potentia altera, an ordinaria: diſplicet aliquib. eam vocare ordinatam, quoniam ſemper in operando Deus eſt ordinatus, & ſiuè per ordinariam potentiam agat, ſiuè per abſolutam, ſemper ordinato modo agit, & ordinatè: ſemper namq; iuxta rationis limites operatur, atq; vniuerſa dirigit iuxta ordinatiſſimæ ſapientiæ ſuę infinitę diſpoſitionem: quapropter non videtur appellanda ordinata: inſuper abſoluta quoq; potentia ordinatiſſima eſt, nec.n. quia per abſolutam potentiam agit, ideo agit inordinatè, ipſe namq; eſt prima, & infallibilis regula operationum omnium ordinatarum: ac deniq; de vtraq; potentia verificatur illud Sap: 8. *attingit à fine*

à fine vſq; ad finem fortiter ſuauiterq; omnia diſponens; ſtat ergo ordinata operatio in vtraq, alias non ſuauiter ageret, vbi namq, deeſt ordo, & ordinatus operandi modus, deeſt concinnitas, ſimmetria, ac ſuauitas illa, quæ ex ordinata diſpoſitione rei oritur. igitur cenſenda, & appellanda erit ordinaria, non ordinata. Confirmatur, quia membra diuidentia debent eſſe oppoſita, cum ergo diuidatur per ordinatã, & abſolutam, iam nõ eſſent oppoſitæ, quia ambæ ordinatum agendi modum ſeruant, & per ambas non agit Deus inordinatè, cũ verò in ordinata actione conueniunt, non debet membrum in quo conueniunt ſumi pro medio diſconuenientiæ, ſed conuenientia reperitur in ordinata actione, ergo debent diſtinctis quoq; nominib. veluti oppoſitæ explicari, ſicq; vocanda videretur vna abſoluta, & altera ordinaria, non autem ordinata.

Potentia abſoluta, et ordinaria, vtraque eſt ordinata.

2 Quidquid tamen ſit, diſcrimen eſt de ſolo nomine, & in ſẽtẽtia vniuſcuiuſq; poſſumus varijs vocib. vti ad libitum. Et quidem aduertẽdum, quod adiectiuum hoc, *ordinata*, duo denotat, vel namq; contradiſtinguitur ab inordinato; vel denotat ordinationem, decretationem, legem, & imperium. primo modo loquendo non eſt membrũ diſtinctum à potentia abſoluta, quia vt eſt oſtenſum vtraq; potentia eſt ordinata, & nulla inordinata: at ſecundo modo oportebit eam ſic neceſſario appellare, quoniam ordinata potentia nititur ſuper ordinatione diuina, qua ſtatuit ſic vniuerſaliter agere, ergo ab imponendi origine, & occaſione deſumitur eius nomen, vt appelletur ordinata: patet autem ab oppoſito, quia abſoluta dicitur, quatenus abſoluitur ab ordinatione, & lege communi, & quatenus cõtra, vel præter ordinationem agit, & legem. Verùm quia per potentiam abſolutam agit Deus conformiter ad rectum ordinem legis particularis, ideo etiam abſoluta vocabitur ordinata, hæc ergo eſt potiſſima ratio appoſitionis horum nominum, & ita debet vtraquæque cenſeri, cùm nulla ſit inordinata. Quod ſi nomen alterum ei adaptemus, nempè, *ordinaria* id non erit incongruum: probatur, quoniam aliud vtriuſque potentiæ caput eſt, quia abſoluta non ordinariè occurrit, nec vtitur ea Deus vt in plurib. ſed vt in paucioribus. at ordinata vtitur frequenter, vt in plurib. & communiter, atq; ordinariè, quo fit, vt cum ordinariè occurrat, merito vocanda ſit ordinaria. Siue ergo ordinata appelletur, ſiuè ordinaria, conſtabit ritè appellari, iuxta intelligentiam, & ſenſum iam explicitum. hæc de nomine.

Diſcrimen abſolutæ, et ordinaria explicatio. ex D. Th.

3 Accedamus autem ad rem ipſam, & explanemus quæ ſit ratio, & natura vtriuſq; D. Tho. 1. p. q. 25. ar. 5. ad prim. potentiam ordinatam explicat in ordine ad imperium voluntatis, abſolutam vero, quatènus à tali imperio præſcindit: itaq; quæcumq; agit ſubſequenter ad decretum ea agit ordinatè, quæ vero præſcindenter ab ipſo decreto fierẽt, ageret abſolutè. Hic autẽ modus poteſt habere plures ſenſus: vel quòd Deus aliquando agat nõ ſubſequenter ad decretum; vel ſi ſubſequenter agit per abſolutam potentiam, iam non præſcindit à decreto, prout tamen docet eam præſcindere. primum infertur ex abſolutæ potentiæ poſitione; eſt namq; per quam agit potentia prout præſcindit, & prout ſecundum ſe conſideratur, ordinata vero, prout exequitur imperium voluntatis: ergo ordinata exequitur, & ſequitur decretum, abſoluta non ſequiquitur: hinc vero arguitur, ad extra agit Deus ſiuè abſolutè, ſiuè ordinatè; operando, quæ præfinita ſunt, & decretata, ergo etiam per abſolutam potentiam agendo exequitur decretum. da oppoſitum, quod abſoluta nõ ſubſequatur, & tunc operaretur ad extra abſq; decreto: cùm tamen ea, quæ operatur, vel operabitur, ſiuè per abſolutam, ſiuè per ordinariam potentiam, ſint præfinita ab æterno. ſequeretur amplius ſe habere ad extra inſtar agẽtis naturalis: vnde naturaliter, & neceſſario operaretur: non operaretur liberè: eſſetque effectus aliquis à decreto voluntatis diuinæ independens, & eſſet independens ſimpliciter: immo eſſet ens neceſſarium, & non contingenter, aut liberè formatum: quæ omnia, & ſingula inconuenientia ſequunda,

da,

tur ex declaratione potentiæ abſolutæ. Vnum affetti poſſet pro ea ſaluanda, vt exiſtimemus D. Thomā negaſſe ſequi decretum ſpectans ad potentiam ordinatam, ſeu decretum commune, non tamen abſtuliſſe decretum ſpeciale: vt ſtante communi decreto, quod moriens impœnitens damnabitur, ſi Deus hunc ſic morientem ſaluaret, nō ſequeretur abſoluta hæc potentia decretum illud commune, ſed aliud ſpeciale, quo decretaret ſpecialiter in caſu ſpeciali hũc ſic mortuum excipi à communi lege; ergo reddendo ſingula ſingulis, etiam abſoluta potētia ſequeretur decretum, & ſic poſſet ſaluari dictum D. Thomæ. at iſta explicatione data, incideret in ſententiam Scoti, ſicq; nullum inter eos eſſet diſcrimen. & de hoc infra.

4. Alij explicant, vt per ordinatam operetur in tempore Deus quidquid ab æterno decreuit operari: per abſolutam vero operetur ea, quorum ab æterno nulla præceſſerit præfinitio, & determinatio. improbabilis vero extat omnino hic modus: daretur. n. ignorantia in Deo ab æterno rerum aliquarum fiēdarum: quod ſequitur, quoniam ſcientia ſequitur decretum, at de obiecto potentiæ abſolutæ non præceſſit ab æterno decretum, cùm fingāt illud in tempore, ergo tunc ignorans, acquireret etiam denuo, & in tempore notitiam alicuius neſciti: id vero quomodo fieri poſſet ſine ſui mutatione; nec eſſet ſapientia ſua omnino infinita. Alij ſub ordinaria potentia comprehendunt effectus ex communi lege prouenientes, ſiue naturales ſint, ſiue ſupernaturales, vt iuſtificatio poſſibilis aliquorum, (quæ tamen non erit,) ſit effectus ordinatæ potentiæ: quoniā decreuit Deus hac potentia iuſtificare multos: itaut tum ij, qui iuſtificari poſſunt, tum vero qui iuſtificantur actu cadunt ſub omnipotentia ordinata, ſeu ordinaria.

5 Verum ſententia iſta ſi non amplius explicetur, ſapit errorem Pelagij, contra quem definitum fuit non poſſe hominem ex naturæ virib. iuſtificari, ſed requiri ſpecialem Dei gratiā, prout etiam conſtitit in Concil. Arauſic. atq. nouiter ex Trident. negante hominem poſſe ex ſe credere, diligere & ſperare ſicut oportet, vt iuſtificetur, abſq; diuinæ gratiæ ſpeciali influxu: quo ſit, vt concilia negent communem Dei influentiam, atq; ordinarium concurſum ſufficere ad iuſtificationē: ergo in hunc errorem incidunt ſic explicantes ordinatam potētiam, vt per eā fiat, vel fieri poſſit iuſtificatio peccatorum. indiget ergo maiori explicatione, ad ſenſum namq; catholicum redacta currere poteſt: vt per ordinariā potentiam non intelligatur ea, quam præſtat Deus effectib. ordinariè ſpectantib. ad genus effectuum ordinis naturalis, ſic namq; Deus nō eſt principium iuſtificationis, ſed per eam vocatur naturæ ipſius diſpoſitor, rector, atq; gubernator, præfiniendo, & dirigendo ea, quæ ad ordinem ſpectant naturalem, ſed intelligatur ea, quam exhibet communiter ſuæ Eccleſiæ: influxus autem Eccleſiæ eſt influxus ad ſalutem, cum fideles, qui ipſam conſtituunt, præordinentur, & dirigantur ad ſaluationem: verum quia influxum iſtū ſpecialis gratiæ toti promiſit Eccleſiæ ſeu vniuerſis ſaluandis, dicens, *Ego ſto ad oſtiū, et pulſo*: Apoc. 3. *Conuertimini ad me*, Ioel. 2. merito influxus talis cēſeri pōt cōmunis; & potentia Dei, quę talē cōmunē influxū pręſtat, vocari ſic benè poterit ordinata, vel ordinaria: nec etiam eſt influxus, quo ordinariè, & communiter influit cùm creaturis omnib. indiſcriminatè ad quodcunq; genus operationis, vt concurrendo cū brutis, plātis, lapidib. hominibuſq; intra ordinē naturæ, inſufficiens nāq; eſt talis ordinarius modus, & communis influxus, ſed intelligitur ille, quo communi, & ordinario modo intra genus auxilij, & diuinæ gratiæ, in ordine ad gloriam, cùm tota concurrit Eccleſia: meritoq; ſic ordinarius, & communis vocabitur, quia quantum eſt ex ſe illū dat omnib. ſeu toti Eccleſiæ, *Deus. n. vult omnes homines ſaluos fieri*. qua explicatione ſuppoſita currere poterit aliqualiter propoſita explicatio de potentia; & ad hūc ſenſum eſt ducendus Scotus, prout ſic verè ipſe intēdebat, cùm aiebat *poſſe peccatorem cum communi influentia ipſius Dei conuerti*, in 4. d. 14. q. 2. *vel diſponi ad gratiam*,

Communis influentia Dei, alia ē ordinis natura, alia ordinis gratia.

vſque quo iuſtificetur: ſicq; liberabitur ab impoſtura Caetani, & Soti, de quo infra diſput. de prouidentia q. vlt.

Scotus ſaluatur ab impoſtura Caetani, et Soti, Vaſq. aliorumq;

7 Abſolutior tamen, & vſitatior modus vtriuſq; potentiæ is erit, vt per ordinariã dicatur Deus operari, quotieſcunq; decretum ſequitur, legem, ſeu ſtatutam ordinationem de agibilibus, & operabilibus: per abſolutam vero, quoties operando non ſequitur legem ſtatutam, ſeu commune decretum: hinc autem vtraq; potentia aliquod habet in quo cõueniãt, & aliud, in quo differant omninò: primum eſt, quòd vtraq; ſubſequitur ad proprium decretum: agit.n. ſemper ad extra poſt imperium voluntatis, quia eſt agens liberum, immo ipſamet potentia eſt voluntas, vt dixi; ergo nulla iſtarum poterit præſcindere à ſuo decreto: quo fit vt potentia ordinata ſubſequatur decretum ordinatum, ſeu ordinarium, & commune: potentia abſoluta ſuccedat ad decretum abſolutum, & ſpeciale: nulla tamen cenſebitur adeo abſoluta, vt omnino ſit ab omni prorſus decreto ſemota: ſed abſoluta dicitur, non quòd in ſe abſoluatur ab omni ordinatione, ſed quia abſoluitur ab ordinatione communi, ideoq; contradiſtinguitur ab ordinaria, non autem erit abſoluta à ſuo ſpeciali decreto. Confirmatur, quia negato antecedenti decreto nil ageret, ergo non abſoluitur ab omni decreto. item ſecundum ſe abſolutè ſpectata voluntas, nõ operatur, niſi ſeipſam applicet ad determinandum, & decretandum de creaturis. deniq; potentia non operatur niſi concurrant abſolutè requiſita ad actum, at omnino neceſſe eſt, vt præcedat decretum ad quamuis Dei operationem, ergo non præſcindit. inſuper quandocunq; potentia eſt de ſe illimitata ad agendum neceſſe eſt vt determinetur, ſiuè ab intrinſeco, ſi tale principium intra ſe habeat; ſiue ab extrinſeco, ſi deſit illi principium intrinſecũ. Sed voluntas quæcunq; etiam diuina, prout voluntas eſt, illimitata eſt, & indeterminata ex natura voluntatis, vt ſimpliciter voluntas eſt, ergo neceſſe eſt vt determinetur ad alteram partẽ contradictionis: determinatio autem habetur ab eadem voluntate penes ſemetipſam, cùm ſit determinatiua ſui, & præcipuè diuina, quæ eſt tùm ſui, tum regula aliorum, ergo vt quocũq; modo operetur, habet opus determinatione, ea autem fit per decretum, igitur per abſolutam potentiam operando non præſcindit ab omni decreto. in hoc igitur ſimul conueniunt. differunt autẽ in eo, ꝙ ordinata ſequitur ordinationẽ, & legem cõmunẽ, ideoq; vocatur ordinata; at abſoluta non ſequitur eam legem, & ordinem, ideoq; eſt abſoluta à tali ordinatione, & conſequenter non vocabitur ordinata: tũ etiam, quia ordinata vocatur etiam *ordinaria*, quia per eam Deus ordinariè ſic agit, ſequendo legem ordinariam, & commune ſtatutum, & propterea oppoſita non vocabitur *ordinaria*, *ſed extraordinaria*, quòd eſt proprium abſolutæ: vtraq; tamen ordinata appellanda, quatenus nulla eſt inordinata, Deus.n. eſt ordinatum agens, & ſiuè ſic, ſiuè ſic operetur, nuſquam indebitè agit, aut inordinatè, ſed ordinatè.

Diſcrimen veriſimilius potentiæ ordinatæ, et abſolutæ.

potentia tũ abſoluta, tũ ordinaria eſt ordinata, quia nulla eſt inordinata.

8 Vnde autem hoc vltimum prouenire poterit. Creatura quidem quotieſcunq; contra legem, vel præter legem agit, agit inordinatè, cùm non obſeruet ordinem, & conſequenter peccat, & malè agit: inordinatè namq; agere eſt declinare à lege, & id erit non benè agere, iuxta illud, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum. cur verò Deus non conſequenter agendo ad ordinẽ, non dicatur inordinatè agere, nec malè: nec.n. id prouenire poterit ex irrationabilitate legis, & ordinis, cùm ordo ille ſit ab ipſo Deo; & quodcunq; ſtatuit, & ordinat, ordinatè ſtatuit, vt ait Paul. *quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*, & quæcunq; ordinat, iuxta infallibilis ſapientiæ tramites diſponit, ac regulat, vt Eccleſ. 12. *quando præparabat cœlos aderam, quando legem ponebat aquis, cum eo eram cuncta componens*; igitur non ex hoc capite proueniet, vt inordinatè non agat, non agendo conformiter ad legem. nec proueniet fortaſsè ex limitatione legis pro ſtatuto, & determinato tempore, vt vltra id nõ obliget; hæc.n. lex ſemper ſtat, *finaliter decedens impœnitens damnabitur*; igitur aliundè id procedet: & hoc eſt inueſtigandum.

Rom. 13.

Di-

Quādo in poteſtate alicuius nec eſt lex, nec rectitudo legis, malè agit non ſeruādo legem.

9 Dico ergo, quòd quandocunq; in poteſtate agentis non eſt lex, nec rectitudo legis, tunc agens illud agendo contra, vel præter legem malè agit; ratio, quoniam tale agens eſt ſubiectum legi, & tenetur obedire legi, vnde eſt, vt ſi non obtemperet legi, malè quidem agat, non adimplendo, ad quā tenebatur, legem. Cùm vero in poteſtate agentis, & eſt lex, & ipſa rectitudo legis, agendo contra legem, non dicitur inordinatè agere, nec eſt reus legis; ratio quoniam tale agens non tenetur legi, ergo agendo contra legem non violat legem, nec præiudicat legi, nec malè aget ſic faciendo contra ipſam legem, talis eſt Deus, qui nulli legi tenetur. Declaratur, quoniam Deus eſt, qui condit legem, & Deus dat rectitudinem legi: in tantum n. lex eſt recta, inquantum à Deo eſt, & ordinata ad Deum; & menſura rectitudinis inferiorum legum habetur per ordinem ad ſupremam rectitudinē ipſius Dei; ipſe ergo eſt originaria ratio rectificādi legem: quo fit, vt omnis lex, & pendeat ab ipſo Deo, & omnium rectitudo legum ex rectitudine habeatur, quā confert illis Deus. ipſe etiam Deus eſt primarius rationabilium legū Inſpirator, atq; in eius poteſtate ſitum eſt cōdere, & deſtruere legem; ergo à primo ad vltimū in poteſtate Dei, & eſt lex, & ipſa rectitudo omnis legis: tale autē in cuius facultate integra eſt lex, & legis rectitudo, poteſt & legem abrogare, & poteſt non ſubijci imperio ipſius legis, & conſequenter agendo contra legem non erit reus ipſius legis: nec dicetur agere inordinatè agendo præter legem. Confirmatur primo, quoniam Princeps legibus à ſe conditis eſt ſolutus, vt habetur in l. Princeps ff. de leg. Deus autē eſt Princeps ſupremus. Poteſt quoq; idem Princeps alios eximere à tributo, & obſeruatione legis: ergo eandem facultatem exercere poteſt circa ſemetipsū; nō. n. ſuperior debet eſſe deterioris conditionis ſubdito: deniq; exemptio, quam habet ſubditus à lege, competit ei per gratiam, atq; gratuitam conceſſionem habitam ab ipſo Principe: quòd vero ſubdito competit per gratiam, ſuperiori conuenit per naturam, quatenus ſuperior eſt: vt ſic ergo eſt ſolutus à lege: igitur Deus præter, vel contra leges agendo per abſolutam potentiam, nec malè agit, nec inordinatè operatur: vnde vtriuſq; potentiæ conſtat ordinatus modus agendi, & ordinata operatio, cùm vtraq; habeat ſemper ad nexam ſecum rectitudinem. Confirmatur totus diſcurſus, quoniam poteſt Deus ipſe, ſicut & abſolutus Princeps, leges à ſe conditas reuocarē, abolere, atq; nouas ſtatuere: vnde amplius conſtat in eius facultate eſſe ſitam legem; & conſequenter obligandi vim, & rationem ab ipſo pendere: cuius voluntas ſicut recta eſt in promulgando legem, ita rectitudinem non amittit, legem iā ſtatutam reuocando, nec etiam rectitudinem perdet, eam non obſeruando; vnuſquiſq; namq; habet ius ſupra id, quod pendet ab omnimoda poteſtate ſua: & ſicut lex quoad eſſentiam eſt in eius facultate, ita quoad modum: & ſicut ab abſoluta eſſentia legis, ſeu ab obligatione legis quoad eſſentiam eſt abſolutus, ita quoq; quoad modum eius obſeruationis ſolutus erit, & per cōſequens vndequaq; rectus, lege Scotum in 1. d. 44. q. 1. & quæ infra dicemus in tota quæſt. de iuſtit.

Princeps eſt ſolutus legibus à ſe conditis.

Princeps abſolutus poteſt leges à ſe conditas reuocare.

Vnuſquiſque habet ius ſupra id, quod pēdet ab omnimoda poteſtate ſua.

10 Diſtinctionem traditam de ordinaria, & abſoluta Principis poteſtate, negare videtur, & abolēdā fore docet Andreas Knichen Comment. de Sax. non prou. iur. cap. 4. num. 25. & vltra; inquiens abſolutam poteſtatem abſque peccato, & tyrannidis ſpecie exerceri non poſſe: & ſi quid de abſoluta Princeps faciat poteſtate, id non ad Iuriſconſultos, ſed ad belli Duces ſpectabit: vnde non plenitudo poteſtatis, ſed potius plenitudo tempeſtatis appellanda erit: & nihil aliud ſit, quàm violentia: nec diſpenſatio, ſed diſſipatio vocanda ſit ea, quæ per abſolutam Principis habetur poteſtatē. allegatq; plures in ſui ſententiam.

Diſtinctionem potentiæ ordinariæ, & abſolutæ negat Knichen.

11 Sed vtrum id verum ſit, in primis negare abſolutam in Principe poteſtatem, id contra iura eſt: ſecundo contra communem ſententiam Doctorum: tertio contra experientiam: & quarto in præiudicium vergit Principum, cæterorumq; ſuperiorum.

Impugnatur.

12 Contra iura quidem, etenim

Sententia Knichen è contra leges.

in l. *Princeps* ff. de legib. & in l. *Digna vox* habetur *Auguſtam legibus eſſe ſubiectam, attamen fauore, ac beneficio Imperatoris, legibus eſſe ſolutam.* hoc caſu expeditur non ordinaria, ſed abſoluta poteſtas Imperatoris: non ordinaria, cùm ſit de lege ordinaria legi ſubiecta; igitur abſoluta. Adſunt inſuper penes vtrumq; ius Ciuile, & Canonicum, Canones plures, tituli, decreta, deciſiones, abrogationes, in quib. agitur de diſpenſationibus: at diſpenſatio non ſubeſt poteſtati ordinariæ, ſed abſolutæ. eſt ergò contra vtrumque ius hanc poteſtatem negare, niſi quis veris & diſpenſatiuam poteſtatem à Pontifice, ab Imperatore, & cæteris Principibus tollere: at hoc eſt Pontificiæ poteſtati aliorumq; detrahere.

Eſt contra ſententiam communẽ.

13 Contra communem quoq; ſententiam loquitur: communiter namq; Doctores, atq; Interpretes vtriuſque iuris apertè docent poſſe Pontificem, & Principem ex iuſta cauſa in lege diſpenſare: Hoſtienſ. in ſumm. tit. de fil. Præſbit. in fin. verbo *non omitto*. Panormit. in cap. quæ in Eccleſiarum de conſtit. & in cap. *extirpandæ* §. *qui verò* de Præbend. atq; in cap. *Per Venerabilem*, qui fil. ſint legit. Turrecrem. cap. *conſequens* d. 11. Rebuff. in Concord. tit. forma mand. Nauar. cap. *ſi quando* de Reſcript. except. 8. alijq; penes Sãch. l. 8. de matrim. d. 18. ac Suar. de legib. lib. 6. cap. 18. omneſq; vnanimiter: quod ſi ex communi ſenſu poteſt fieri in lege diſpẽſatio: dabitur neceſſario poteſtas abſoluta; non. n. diſpenſatio per poteſtatẽ fit ordinariam, ſed per abſolutã.

Contra experiẽtiam.

14 Contra experientiam inſuper ſcribit; adſunt namque in dies diſpenſationes è foro Pontificio emanantes, ſiuè pro contrahendis matrimonijs; ſiuè pro ſuſcipiendis ſacris ordinibus: ſiuè pro conſimilibus caſibus occurrentibus: tum etiam id experimur in Religionibus; reſidet namq; penes ſuperiores poteſtas inſuper diſpenſandi ſuper Conſtitutiones, Sanctiones, Iura, & huiuſmodi.

Derogat auctoritati Principum

15 Ac deniq; id negare, quàm maximè ſuperiorum præiudicat poteſtati: & admodum limitat, coarctat, reſtringit amplitudinem poteſtatis; vnde cùm in lege diſpenſant, dicere quandoq; ſolent, *De amplitudine poteſtatis.* quapropter ab iiſdem Iuriſtis dicitur, *ad inſtar ſacrilegij eſſe de Principis diſputare poteſtate.* Reſpondet id verum eſſe *de ijs, quæ in manu Principis ſunt, & de quibus liberè diſponere poteſt,* ex Menoch. conſil. 250. num. 102. hoc nõ officit ad abſolutam poteſtatem; ſiquidem abſolutam poteſtatem admittimus cum rationabili cauſa; etenim, vt dicemus, poteſtate abſoluta vti nequit Princeps ſine cauſa.

Princeps non tenetur legibus vi coactiua.

16 Et hinc iure ſequitur quod in lege *Princeps* ſancitur, *Principem ſubiectum legi non eſſe.*

17 Aperta verò eſt, & concors ſententia DD. Principem ſubiectũ nõ eſſe legi quoad vim coactiuam: quod tùm citata lex docet, tùm D. Tho. 1. 2. q. 96. art. 5. vna cùm Expoſitoribus ad eum locum: & ratio id poſtulat, à quo namq; ſupremus Princeps, vtpote legis violator, puniendus eſſet? à ſeipſo, ab inferiori, ab æquali, an à ſuperiori? nullum iſtorum: non à ſeipſo, etenim coactio, & violentia inferri poſtulat ab Agente extrinſeco, eò magis, *quo nemo eſt dominus membrorum ſuorum*: non ab inferiori, cùm inferior poteſtatem non habeat in Superiorem: non ab æquali, cum æqualis in æqualem nõ habeat imperium: nec deniq; à Superiori, cùm ſupponamus Principem eſſe ſupremum, & abſolutum: ergo à primo ad vltimum nõ tenetur legibus vi coactiua.

Tenetur legib. vi directiua.

18 Cæterum teneri legibus vi directiua eſt etiam communis ſententia Theologorum. hinc Ambroſius ad Valentinianum Imperatorem ſcribẽs, ita loquitur, *quod præſcripſiſti alijs, præſcripſiſti etiã & tibi; leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat,* lib. 2. epiſt. 13. ita quoq; Doctores in l. Princeps & Nauar. cap. ſi quando de Reſcript. Abulenſ. in c. 23. Matt. q. 24. Sot. de Iuſt. & Iu. q. 6. art. 7. Antonin. 2. p. tit. 17. Couarru. in c. Alma mater 1. p. §. 1. nu. 5. Canoniſtæ in c. cum omnes de Conſtitut.

Limitatur præcedens concluſio.

19 Verùm nec ad hoc vniuerſaliter, & vndequaq; tenetur, caſus enim contingunt, in quibus Princeps nec vi directiua legibus tenetur, vtputa ſi legem ferat, nequis arma noctu deferat,

rat, ad legem vtique hanc nec coactiua, nec directiua vi obligatur quoniam neceſſe eſt Principis perſonam, tum alienis obſequentium Satellitum, tum proprijs armis conſtipari, & de Imperatoria Maieſtate in princip. Inſtitut. dicitur, *Imperatoriam Maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed & legibus oportet eſſe armatam; vt vtroque tempore, & bellorum, & pacis rectè poſſit gubernari*. Nec inſuper tenetur legibus pro infimis de Plebe latis, cùm nec ad eas teneantur nobiliores, dato, quod ſtatum ſolummodo concernant Ignobiliorum. cæterum vel his, vel cõſimilibus caſibus demptis, ad legem tenetur.

Diſpẽſare poteſt in lege.

20 Verùm, etſi onus hoc ſubeat, poterit tamen in lege diſpenſare, abſoluta vtendo ſua poteſtate. ita communiter Doctores citati.

Diſpenſatio fiat cũ cauſa.

21 Cum hoc tamen, vt rationabiliter id fiat, & cum cauſa: ita ijdem; nõ enim abuti Princeps debet hac poteſtate: nec enim poteſtas ſibi traditur in deſtructionem, ſed in ædificationem. quòd ſi abſque rationabili cauſa id faceret, vtique incommoda ſequerentur ab Kriichen adducta.

Qualiter peccet diſpenſando ſine cauſa.

22 Quale vero peccatum incurreret ſi abſque cauſa id ageret. Dicẽdum id iuxta conditionem materiæ, ſcãdali, vel præiudicij Tertij eſſe iudicandum: ſi namque materia ſit leuis, venialiter: ſi grauis, grauiter peccabit: ſi ſcandalum adeſt, peccat mortaliter: ſi demũ præiudicium infertur Tertio, iuxta quantitatem, & qualitatem præiudicij perſonæ illati erit cenſendum: Doctores variè loquuntur de hoc, at ad diſtinctiones iſtas facilè reuocãtur: vt Caet. v. diſpenſatio. Sot. 4. d. 39. ar. 2. & de iuſt. q. vlt. art. vlt. idem Caet. 1. 2. q. 96. art. 5. Nauar. in Man. prælud. 9. nu. 14. Suar. de leg. lib. 6. c. 18. nu. 19.

Ex diſpenſatione bona multa veniunt, & damna plura euitantur.

23 Ex omnibus autem concluditur adeſſe in Superiori poteſtatem vtramque ordinariam. ſ. & abſolutam. & hoc negare, temerarium eſt, & erroneum: temerarium, quoniam opponitur communi ſententiæ Doctorum: Erroneum, quia error eſt, & contra rationem; ratio namque dictat, vt vrgente neceſſitate, & rationabili cauſa fiat diſpenſatio in lege à Superiori, alias vel damna plura euenirent, vel bona multa impedirentur, prout experientia docet ob damna plurima, quæ euitari ſolent: & ob bona multa, quæ in dies euenire poterunt ob rationabilem, atque legitimam diſpenſationem.

Potẽtia ordinata, & abſoluta, etiam in creaturis rationalib. non tamen in Brutis.

24 Hanc duplicẽ abſolutæ, & ordinatæ diſtinctionẽ libet quoq; reperire in cæteris creaturis; nec mirum; cùm ſint natura liberæ, & in earum facultate ſitum ſit agere, vel non agere. ſic vel ſic agere, loquendo de rationalibus, & ex exemplo allato de Principe condente legem patet, vt de abſoluta potentia hunc eximat à pæna legis, & alium damnet, quem conſtat contra legem egiſſe; & de potentia ordinaria fore puniendum. Hinc Iuriſtæ aiunt, *quod quis agit de facto, id de potentia abſoluta agit, quod verò quis agit de iure, id ſecundùm iura agit, hoc eſt de potentia ordinata*, quæ ordinariè exequitur ipſa iura.

Axioma Iuriſtarũ.

Nec tamen reperienda eſt in brutis, eſt namq; diſtinctio iſta competens ſoli creaturæ rationali, & ipſi Deo; in quibus quoniam reperitur facultas libera, operari poterunt, vt placet. & quoniam voluntas eſt potentia illimitata, vt Dei, ſecũdum quid illimitata in creaturis, in Deo autem ſimpliciter, ideo modum habet agendi illimitatum; & contrariè, & contradictoriè, & ad oppoſita diſparata, & magis, minuſuè intensè, in hoc, vel alio tempore, iuxta cõditiones has occurrentes, vel alias, reddendo ſingula ſingulis: bruta verò vtpote carentiã ratione, & libertate, determinata ſunt ad agendum, vel non agendum, atq; determinata ad ſic, vel ſic operandum, agũt. n. naturaliter, nec poſſunt, pro libito contra niti, ſed iuxta affectionem potentiæ, & ordinem ad obiectum, ſeu motionem obiecti operantur naturaliter, atq; neceſſario, vnde *ducuntur potius, quam ſe ducant*, vt ait Damaſc. ergo omnis ipſorum à natura modus operãdi vocabitur ordinarius, ſeu ordinatus à natura ipſa ſic illa dirigente, & ordinante: ordinatus quoq; quoniã conformiter ſe habendo ad obiecta proportionalia naturalia, erit eorum operatio naturaliter recta, ſicut naturaliter à natura directa, & ordinata.

Bruta determinata ſunt, & ad agendum, & ad modum agendi à Natura.

DIS-

DISPVTATIO XV.

Vtrum Deo competat viuere.

QVÆSTIO I.

Oſtenditur Deum eſſe ſubſtantiam viuentem.

Ethnici negãtes Deũ viuere.

1 DEum viuere negarēt ſolùm Ethnici, qui lapides, ligna, & ſimulacra exiſtimant eſſe Deos: vt enim illa nō viuũt, ſic nec viuerēt tales eorum Dij, quã uis tamen iudicarent ligna quoque, illa, aut lapides viuere, quatenus Numen aliquod abſconditum, & viuens in ipſis habitare confingerent; nihilominus hoc argumento retunduntur etiam à Propheta, ad oſtendendum eos adorare Deos mortuos, ſeù Numina non viuentia eſſe eorum Deos, vtpote motu, ſenſu, & ratione carentia, ait enim Pſal. 115. *os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures, & non audient, manus, & non palpabunt, pedes, & non ambulabunt:* quòd ſi vitalibus operationibus carent, inde tanquam à poſteriori elicitur carere vita. Cæterum quia ex operationibus his elicitur vita, & virtus ſentiendi, & conſimilia; hinc primo deducitur Deũ verè viuere; exercet namq; opera vitę, ergo viuit, tenet ſequela, ab effectu formali ad cauſam formalem. Exercitium etiam operum ipſius vitæ eſt exercitium operum intrinſecè vitalium; non enim ab aſſiſtēte aliquo ſuppoſito extrinſeco producuntur in Deo opera vitæ, ſed verè à Deo ipſo: Angelus namque in aſsũpto corpore nec verè loquitur, nec comedit verè, nec ſimilia agit vitalia, opera, cùm nō ſint à corporis Anima, ſed à motore extrinſeco, ſic, & ſic dirigente organa, & corpus: at operatio Dei eſt verè vitalis, & à principio intrinſeco verę vitæ in ſeipſo.

Deũ verè viuere elici ex operationibus vitalibus, quas exercet.

Aſſertio catholica. Deum viuere.

2 Hoc verò probemus. viuunt verè, & veras vitales operationes exercent aliquæ ex creaturis, ergò verè, immo verius viuit ipſe Deus. antecedens patet: & prob. ſequ. quod eſt perfectionis in creatura, & de ſe eſt perfectio ſimpliciter, non eſt denegandum Creatori; quia quod eſt perfectionis in inferiori non eſt negandum enti ſuperiori: ergo ſi viuere conuenit creaturæ, magis conuenit ipſi Deo.

3 Dices, ſufficere perfectionem in inferiori contentam reperiri ſolummodo virtualiter, vel eminenter in ſuperiori, non autem eſſe opus reperiri formaliter, & ſubiectiuè, ſicut cęli ſũt cauſæ ſuperiores, in quibus tamen mixta inferiora viuentia non reperiũtur formaliter, cùm ſufficiat habere ea in virtute, & vi productiua: nec enim ſunt formaliter animati, & nihilominus producunt animas ſaltem ſenſitiuas. Ad hoc dicendum, quod non ſufficit virtualiter ſic Deum vitam in ſe continere: & conuincitur ex corroboratione, & ampliori explanatione maioris allatæ: id quod de ſe eſt perfectio ſimpliciter, & reperitur in inferiori, licet in gradu imperfecto iuxta exigentiam naturæ, non eſt formaliter denegandum ſuperiori: ſed viuere de

ſe dicit perfectionem, ergo formaliter eſt in Deo: Confirmatur ab oppoſito, quod nõ dicit de ſe perfectionem ſimpliciter, ſi reperiatur in inferiori, reperitur quidẽ in ſuperiori, ac in Deo, ſed ſolùm cauſaliter, virtualiter, non autem formaliter, cùm quidquid eſt formaliter in Deo, totum formaliter dicat perfectionem ſimpliciter, quia totum id eſt infinitum: viuere autem eſt perfectio ſimpliciter: da oppoſitũ, & auferam omnes perfectiones ſimpliciter: probatur vita eſt fundamentum omnium perfectionum ſimpliciter: intellectus namque, ſapientia, prudentia: voluntas, charitas, amor, infinitas, illimitatio, immenſitas, & huius generis, ſunt perfectiones ſimpliciter de ſe, ergo multo rationabilius competet vitæ in ſe eſſe perfectam ſimpliciter: eſt namq; fundamentum omniũ perfectionum ſimpliciter. Cõfirmatur ex creaturis: in quib. nec intellectus, nec ſapientia, nec voluntas, nec amor, nec ſimilia ſunt perfectiones ſimpliciter, quoniam poſſident hæc omnia in gradu finito, & imperfecto; ergo ex his infertur ipſarum vitam, nec eſſe perfectionem ſimpliciter: qũale namq; eſt fundamẽtũ talis virtutis, & perfectionis, talia erũt ſuper eo fundata. Cùm igitur in Deo illa omnia ſint perfectio ſimpliciter, vita quoque Dei erit perfectio ſimpliciter: ſolum autem non ens eſt, quod eum nec ſit, nec viuat, perfectionem nullam poſſidet, nec aſpirat ad eam: & creatura cùm non cõprehendat gradus omnes perfectionũ, remanet imperfectè perfecta; Deus poſſidet totam latitudinem perfectionũ, ideoq; eſt perfectus ſimpliciter: cũ autem perfectio ſimpliciter ſit, *quod eſt melius ipſum eſſe, quàm non ipſum in quocunq;* ex Anſel. monol 15. Sequitur, quidquid eſt in eo, eſſe perfectum ſimpliciter, & quidquid eſt perfectum ſimpliciter eſſe in eo formaliter, at vita eſt perfectio ſimpliciter, ergò erit formaliter in Deo, quo fit vt non ſufficiat virtualiter.

Vita eſt fũdamentum omniũ inde ſubſequentium.

Cæli an producant animas imperfectorũ.

4 Ad illud de Cęlis reſponderent facillimè qui dicerent ipſos nõ influerẽ immediatè in animas, ſed ſolummodo immittere diſpoſitiones in corpus, & in materiam, diſponẽdo ad animas, quarum productio fit à ſolo ipſo Deo. Sed qui exiſtimãt ipſos eſſe animatos, multo amplius aſſererent & animas producere, & continere in ſe nedum virtualiter vitam, ſed formaliter: quidquid tamen ſit, vtiq; id ſolum aſſererẽt de animabus infimis, & imperfectis, vtpotè ſenſitiuis: cum tamen ex alijs capitib. conſtet non eſſe cęlos animatos; aliunde eſt reſpondendũ, negando producere animas perfectorum, nemo .n. dat quod non habet; cùm ergo ipſimet vita careant, non poterunt vitam alijs tribuere: qui verò aiunt animas imperfectorũ producere, non inde inferre cogũtur eos viuere, quia nõ eſſet talium animarum cauſa totalis, nec principalis ſed ſecũdaria, minus principalis, & partialis, quæ cauſatio eſt minus perfecta: at Deus eſt animarum cauſa principalis, & totalis, ideoq; vita eſt formaliter in eo: quod ſi in ſententia iſtorum vna cum Deo concurrerent & cęli effectiuè ad animas, nihilominus etiam ſine cęlis potens eſt Deus de ſe ſolo producere animas tales, & ob id eſt cauſa totalis.

5 Confirmatur diſcurſus auctoritate Auguſtini, qui hinc probat Deum perfectiſſimè viuere, ex vita iam reperta in creaturis: ait namque in l. 15. de Trin. cap. 4. vel 5. *nobis mentem, rationemq; naturalem dedit, qua viuentia, nõ viuentibus: prædita ſenſibus, non ſentientibus: intelligentia non intelligentibus: beata miſeris pręferenda ſunt: ac per hoc quoniam rebus creatis Creatorem naturaliter ſine dubitatione pręponimus, oportet eum & ſummè viuere, & cuncta ſentire, atque intelligere.* Arguit ergo Auguſtin. ex ijs, quæ meliora eſſe iudicamus, debere nos id, quod eſt melius, tribuere ipſi Deo: eſt verò melius viuere, quàm vita carere: ſicut melius eſt ſenſibile, quàm inſenſibile; intellectiuũ, quã intellectione carere, ideoq; ſicut quæ perfectiora ſunt, ei tribuimus, ita amplius debemus vitam tribuere cum ipſa & melior ſit non vita, immo perfectionum omnium fontalis origo. Nec vero ſufficit ei vitam communem tribuere, veluti creatis omnibus, niſi perfectiorem viuendi gradum etiam conferamus; quapropter idem Aug. ibid. cap. 5. vel 6. ita ait, *Vita, qua*

Ex Aug.

dici-

dicitur de Deo, non talis eſt, qualis ineſt arbori, nec qualis ineſt pecori, quod habet ſenſum, ſed nullum habet intellectum: at illa vita, quæ Deus eſt, ſentit, atque intelligit omnia, & ſentit mente, non corpore, quia ſpiritus Deus eſt. hæc Aug.

Sentire dicitur Deus videre, & huiuſmodi, metaphoricè, figuratiuè, et tranſlatitiè.

6 Nihilominus, quia paſſim in ſcripturis habemus Deum præſtare operationes nedum ſentiendi, intelligendiuè, verùm more hominum videri ſeſum habere, ideo id erit amplius explicandum. ſciendum autem vitas inferiores inferiorum animarum eminenter contineri in ſuperioribus, atq; virtualiter, vt vegetatiuum in ſenſitiuo; ſenſitiuum, & vegetatiuum in intellectiuo: nec namq; in Rationali viuente tres animæ diuerſæ ſunt, ſed perfectior imperfectiorem continens, ſufficiens eſt ad exercenda opera vitæ inferioris animæ, quo fit, vt media intellectiua anima homo nedum intelligat, verum vegetet, & ſentiat, & ita perfectè, ſicut vnumquodq; ſentit, & vegetat ſuppoſitum in proprio genere; immo perfectius propter eminentialem continentiam inferioris: Multo autem excellentius id competit ipſi Deo, à quo non eſt neganda inferiorum continentia, reperta in intellectiua inferiori reſpectu vegetatiui, atq; ſenſitiui inferioris. hinc eſt, vt ipſe quoque Deus dicatur ſentire, audire, videre, cæteraſq; ſenſitiuæ potentiæ operationes ipſas exercere. Dices id metaphoricè de ipſo dici, cùm careat ſenſitiua vita, ſicq; omnino ſua vita de genere intellectiui. Dicendum quod licet metaphorica ſit locutio habito reſpectu ad ipſum ſenſum præcisè, cùm careat ipſo: ob quod etiam metaphoricè, figuratiuè, & tranſlatitiè dicitur, *ouis, agnus, leo, petra angularis,* & ſimilia, vt docet idem Aug. tract. 80. in Ioan. nihilominus habito reſpectu ad operationes ipſas, quatenus perfectiori modo contentas in intellectiua, dicendum eſt perfectiſſimè ſuo modo eas exercere, & operari; minus enim perfectus eſſet quàm creatura, ſi id non præſtaret, vt iam de facto eminentiori gradu præſtat, & exercet: hoc namque infert pro inconuenienti pſalmus 129. *qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?* & Iſa. 66. *numquid ego, qui cæteris generationem tribuo, ſterilis ero?* quod paſſim in ſcripturis inculcatur, Gen. 8. *odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis,* pſalm. 29. *audiuit Dominus, & miſertus eſt mei.* Tren. 1. *vide Domine, & conſidera:* & huius generis: Iam namq; fuere, qui negarunt Deum opera hæc exercere, & inſtar muti, ac ſurdi Numinis, in ligno, & lapide inſculpti, de inferiorib. his nil cogitare, vt pſalmus refert 129. *& dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* ſubdit verò, *intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite, qui plantauit aurem nō audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?* quaſi diceret, in hoc, quod ipſum vitæ operationes exercere negatis, ſtulti facti eſtis: abijcite ergo ſtultitiam, & hac ratione conuincamini, quomodo Deus ille, qui oculos ad videndum præbuit, ad audiendum aures cōtulit creaturis, atq; ad cæteras functiones exercendas, præſtitit potentias, quomodo, inquam, eſſe poterit, vt ipſe non audiat, non videat, non ſentiat, nec namq; virtutem talem creaturis præſtare poſſet, ſi eam in ſeipſo non haberet, *nemo. n. dat quod nō habet.* & hoc eſt efficax argumentū ad vitam illi tribuendam; dicitur tamē audire, & vidēre, metaphoricè, vt diximus Accedunt apertiora loca, pſal. 83. *cor meum, & caro mea exultauerunt in Deū viuum.* pſal. 17. *viuit Dominus, & benedictus Deus meus.* atq; 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali:* quòd ſi immortalis eſt, ergo viuens; mori namq; non competit niſi viuenti; circa idem autē ſubiectum fiunt oppoſita. & apertius explicuit Ioann. ep. 1. c. 1. *quod fuit ab initio, quod vidimus oculis noſtris, quod audiuimus, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, et vita manifeſtata eſt nobis.* & in Apo. 6. *adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.*

7 Ex alio capite poteſt deſumi eius vita, vt ex eo, quòd intrinſecum habet principium, quo ſe moueat ad operandum; Hinc namq; ſumi ſolet regula ad probandam vitam in viuentib. vt quod ſe mouet ab intrinſeca virtute, id viuēs eſt, Deus autem habet in ſe tale principium: antecedens aſſumit D. Tho. 1. p. q. 18. art. 1. de quo tamen infra.

8 Sed

Obſtatur. 8 Sed cito occurrit difficultas, quomodo verum ſit Deo competere tale motiuum principium erga ſemetipſum; nec namq; competere ei poterit motus localis, cùm vbiq; ſit, et immenſus: nec motus ad operationem aliquam intra ſe habendam, quia *motus eſt actus imperfecti*, cùm ſit *actus entis in potentia*, et conſequenter careat antecedenter ſubiectum perfectione tali, eamq; de nouo accipiat, et accidat ei quid noui, verè reale, verè à parte rei. Verum Reſpond. quod motus ſumitur, et phyſicè, et metaphoricè: de primo non dubium eſt inferre imperfectionem in mobili, et carentiam aliquando acquirendæ per motum perfectionis, et acceſſionem alicuius verè noui, quo aliquando caruit, vt patet ex definitione motus. de ſecundo autem nō ſit neceſſe vt implicet imperfectionem, nec neceſſario connotat ſucceſſiuitatem, aut carentiam, nec additionē noui alicuius, cuius participatione, et poſſeſſione aliquando caruerit ipſum mobile. & ſi hæc aliquando inſunt, id eſt per accidens, ratione ſubiecti, atq; mobilis imperfecti. Motus namq; hic indicat ordinem potentiæ ad actum, & ordinem actus primi ad ſecundum: ordo autem vel erit ſolius naturæ inter potentiam, & actum; vel ſucceſſionis, & temporis, atq; durationis; ſecundo hoc modo vtiq; indicat imperfectionē, & carentiam aliquando illius poſitiuæ perfectionis, cùm additione alicuius verè de nouo: quod maximè competit creaturis, quæ veluti contingentia, & non vt neceſſaria entia, non habent ſimul perfectiones omnes (non loquimur de eſſentialib.) ſuo ſtatui poſſibiles, procedunt.n. de potentia ad actum ſicut de imperfecto ad perfectum; primo autē modo ceſſant imperfectiones allatæ: ſicq; diuinus intellectus, diuinaq; voluntas exeuntes de potentia intelligendi, & volendi ad intellectionis actum, & volitionis, non inſumunt temporis ordinem, licet adſit ſolus ordo naturæ, quia principium, & actus, ſicut cauſa, & effectus, obſeruant ordinem naturæ inter ſe ipſa: quo fit, vt cùm ſimul ſint, non dicatur intellectus per acceſſum alicuius qualitatis de nouo perfectionari, quo antecedenter caruerit: ſicut nec diuina voluntas in ordine ad actum ſuum: nā habuerunt ab æterno perfectiones iſtas: & veluti ſecum connatæ, nuſquam ſub carentia fuere. & proinde ceſſat ab intellectu ad intellectionem ratio veri motus; nuſquam.n. potentia ad talem actum fuit priuata actu: & remanente ſubſequenter ratione motus impropriè, & metaphoricè dicti, dicatur ſic habere Deus principium intra ſeipſum, quo moueat ſe de potentia ad ſuum actū: non potentia ſumpta pro *carentia*, & *priuatione*, ſed de potentia ſumpta pro *principio* talis actus. & hoc in omni ente perfectionis eſt; tùm ne potentię iſtæ ſuperuacaneæ ſint; tum vero, quia vnumquodq; perfectum eſt, cùm habet potentiam coniunctam ſuo actui. hinc Platonici aſſerebant Deum eſſe in perpetuo motu: loquebātur namq; de hoc motu metaphorico: vel de operationib. exercitis circa creaturas, vt cō ſeruando, creando. Hinc etiam Theologi amplius comperiunt operationes penes perſonas diuinas; cum Pater Filium, & vterq; producat Spiritum ſanctum: vltra quod continua cogitatione intelligit ſeipſum Deus, & perpetua dilectione beatificatur in ſemetipſo: productiones autem illæ ſunt verè actus vitales; nam generatio eſt à *principio viuenti coniuncto*: eſtq; actus intellectus, cuius operationes ſunt vitales: ita de Spiritu ſancto: & perſonę omnes ſunt verè viuentes; atq; eſſentia eadem, quæ eſt in omnibus, eſt in ipſis fons, & origo verè vitæ. & Ariſt. 2. cæl. t. 17. cùm dixiſſet *in Deo eſſe vitam ſempiternam*: inde ſubdidit, *neceſſe eſt motum ſempiternum Deo in eſſe*: loquitur autem de motu iam dicto, deptis imperfectionibus.

Motus phyſicè ſūptus eſt actus entis imperfecti.

Motus metaphoricus indigēs ordine durationis eſt imperfectus, contētus ordine naturæ, nequaquam.

Solüitur.

Potētia eſt in Deo non pro carētia & priuatione, ſed pro principio productiuo.

9 Idem D. Thom. viuere probat, eo quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis; quod namq; eſt ſpiritualis ſubſtantia, id viuit, Deus autem eſt huiuſmodi, cùm ſit prima ſubſtantia, & purus ſpiritus. ita habet 1. p. q. 14. art. 1. Verum ratio eſt inefficax; poteſt.n. creari ſubſtantia ſpiritualis, & immaterialis, quæ nō viuat: ex inde tamen non ſequeretur cōſequentia, quidquid eſt ſpiritualis ſubſtantia, viuit. nec tamen implicat eam creari; nullus.n. præfixit omnipotentię

Probatio altera ex D. Tho.

Obſtatur.

Solüitur.

Dei talem terminum: immo nullum inconueniens ſequeretur; ſicut namq; datur ſubſtantia corporalis viuens, vt animal: & non viuens, vt lapis: ſic dari poſſet duplex alterum ſpiritualis ſubſtãtiæ genus, viuentis, vt Angeli, Deus, & animæ, & non viuentis, vt ſubſtantia ſpiritualis non viuens, poſſibilis. Saluari tamen poteſt D. Tho. vt loquatur de facto: vt ex eo, quòd de facto euenit, concludat Deum viuere: de facto namq; omnis ſpiritualis ſubſtantia viuit, vt conſtat; ergo Deus viuit: quòd tamen de poſſibili non ſequitur.

Probatio altera.

10 Probat inſuper idem Doctor Deum viuere ex principio motus; docet. n. 1. p. q. 18. art. 1. vitam tantummodo conuenire habentib. principiũ intrinſecum motus, quocunq; modo ſumatur motus, ſiuè verè, ſiuè metaphoricè: carentib. vero tali principio denegari vitam. poterit hinc applicari ipſi Deo, vt cùm principium innatum habeat ſecum ſuarum operationum vitalium, dicatur viuere. Sed continuo inſurgit Scotus, & alij, qui in 2. d. 2. q. 10. docet grauia, & leuia habere intra ſe initium motus, & tamen non omnia ea viuere; quapropter non videtur omnibus principium illud, & ratio illa ſufficiens.

Refellitur à Scoto.

Probatio ex Scotiſtis ex capite operationis immanentis.

11 Alter modus excogitatur à Scotiſtis, ſequentib. ſuum Doctorem in 4. d. 49. q. 8. vbi docent illa tantum viuere, quæ habent potentiam operatiuam: qua mediante poſſint cùm ſuo fine coniungi per operationem immanentem. quæ vero habent ſolam potẽtiam productiuam, non viuere, quia ea ſolùm mediante non poſſunt in proprio fine delectari, ſeu proprio, ac finali obiecto coniungi; hinc deducunt hominem eſſe naturam beatificabilẽ, quoniam vim habet operatiuam, qua exequitur operationes immanentes, quib. vltimo fini coniungitur: eæ ſunt intellectio, & volitio, quib. veluti immanentib. operationib. beatificamur: accidit quoq; idem in ſenſitiuis, ſeu ſenſib. qui coniuncti cùm ſuo obiecto adæquato, quieſcunt in eo per attingentiã; talis verò attingẽtia fit mediãte cõiunctione: coniũctio autẽ talis fie per immanentem operationem eiuſdẽ ſenſus, vt viſionis, auditionis, ſenſationis, & ſimilium. Quòd ſi obieceris, lapis appoſitus ſuo centro quietatur in centro, & tamen non eſt viuens. at quietatio illa fieri nequit abſque operatione immanente: vel ergo falſum operationem immanentem competere ſoli viuẽti, vel falſum lapidem quieſcere, & terminari in centro. Reſpondeo, lapidem verè quieſcere in cẽtro, ſed quietem illam non eſſe vitalẽ, quoniam cùm beatificatio fiat per operationem immanentem, & vitalem, lapis circa centrum nõ exercet vllam operationem vitalem immanentem: non .n. cauſat circa centrum aliquam formam abſolutam, ſeu qualitatem, cuiuſmodi eſt beatitudo formalis: nil autem circa ipſum cauſat niſi aliquod vbi naturale, ſeu reſpectum aliquem vbicationis, & locationis; ergo carens immanente operatione non quietatur quiete vitali.

Obiectio.

Soluitur.

Obiectio inſuper.

12 Rurſus obijcies, plantæ omnes verè viuunt proprio genere vegetatiuæ vitæ, attamen earum vita non ſiſtit in operatione immanente: patet. quoniã operationes vegetandi, & nutriendi tranſeunt in rem extra, & ſunt potiùs productiuæ, quam operatiuæ: probatur, nutritio, & digeſtio terminatur ad alimentum, quod alteratur, & tranſmutatur: alteratio namq; in comeſtione fit circa cibum, tanquam circa materiam, non circa ipſum ſuppoſitum viuens, ergo non eſt immanens. Inſuper generatio terminatur extra, & *nihil gignit ſeipſum* ex Aguſt. 1. de Trin. ergo neq; erit operatio immanens: & nihilominus potentiæ, & ſuppoſita, quibus nutritio, augmentatio, & generatio competunt, ſunt viuentia.

Generatio, an operatio immanens.

13 Reſpõderi poſſet, quod loquẽdo de generatione actiua, ea non eſt operatio immanens, cùm tranſeat extra, & nil generet ſeipſum: quòd ſi hinc inferas, ergo generans nõ eſt viuens, quoniã generatio non eſt operatio immanẽs, reſpõdendũ quòd ſũpta generatione, vt productio eſt nõ ſẽper habetur vita, cũ multa producant, ſed non generent, at haberetur vita ex capitib. vlterioribus. vt quia generans eſt ſenſitiuum, ideo eſt viuens, ſenſatio autem eſt operatio immanens: quòd vero ex capite ſolùm generationis, vt produ-

ctio

ctio eſt, non habeatur vita, patet in igne, qui generat ignem; & tamen non eſt viuens: deficit.n.ratio ſenſitiui, & animalis; ergo licet deficiat immanens operatio penes hoc, non tamen deeſt aliunde. Item generatio, vel ſumitur vt productio, vel vt generatio, primo modo non infert neceſſario vitam, vt in exemplo de igne: & cæli producũt, at non viuunt: ſecundò modo eſt opus vitæ, conſtat ex definitione, quia generatio *eſt productio viuentis à principio viuenti coniuncto, &c.*

Nutritio, & digeſtio an operatio immanens.

14 Ad illud de nutritione, & digeſtione diſtingui oportet; vel namq; cõtẽplamur munia hæc quatenus diſpoſitiua alimenti, in ordine ad nutritionem, & ſic patet eam operationem nõ eſſe immanentem, ſed eſſe veram, ac propriam productionem extra, ſiuè actionem tranſeuntem, vt põtè terminatam ad alimentũm: ſi tamen inſpiciamus eam, vt eſt formaliter nutritio, tunc erit immanens, ſit namq; intrinſecè in ipſo viuente noua partis ſubſtantialis additio, & aggeneratio. & deniq; de vegetatiua eſt idem dicendũ, vt ſumpta pro formali augmentatione ſeu vegetatione ſit immanens: diſpoſitiuè tamen ſit tranſiens, dum ex præuia diſpoſitione, opus eſt vt actio terminetur ad diſtinctum ſuppoſitum, tãquam ad materiam nutrimenti, digeſtionis, atq; augmentationis.

QVÆSTIO II.

Vtrum vita intellectualis ſit de quidditate Dei.

Sẽſus quæſtionis.

1 DEum eſſe intelligentem, & volentem iam conſtat: an vero intellectiuitas ſit cẽſenda de eius quidditate, hoc diſcutitur. De hoc autem plura poſſunt excogitari diſcriminis capita: vel nãq; quæritur vtrum intelligendi principiũ ſit de quidditate: hoc vero ſubdiſtingui poteſt in proximum, & remotum illud eſt intellectus, ſeu potentia; hoc vero ipſa natura radicalis. vel diſcutitur de ipſamet intellectione: & eſt de vtroq; quærere vtrum, vel in actu primo, vel ſecundo ſit de Dei quidditate: & de vtroq; diſquiritur.

Sententia affirmantiũ de actu ſecũdo intellectionis; & de actu primo & de vtroque.

2 Qua in re loquendo de actu ſecundo non deſunt qui id concedant: & præcipuè ex Thomiſtis, ij qui ſuſtinent attributa eſſe de eſſentia, & intrinſeca ratione ipſius Dei: multo magis id concederent de intellectione; quia hæc debet eſſe intimior naturæ viuenti, quam cæteræ perfectiones: per intellectualem vero gradum Deus eſt viuens, ergo intellectio in actu ſecundo eſt de eius quidditate. Magis vero id infertur de ipſo principio intellectiuo ſiuè intellectu in actu primo: cõſtat.n. potentiam eſſe proximiorem naturæ ipſo actu: ſed actus ſecundus eſt de intrinſeca ratione, ergo magis actus primus, ſeu intellectus. Adde quod per ipſum intellectum conſtituitur Deus in entitate, & gradu intellectiuo, cùm ſit principium, & fons intellectionis. Vrgetur autem pro vtroq; quoniam habere actum primum abſq; ſecundo, ſi vtrumq; dicat perfectionẽ, eſt carere aliqua perfectione: perfectiſſimus autem gradus viuendi eſt viuere intellectualiter, ergo vtrumq; eſt de eſſentia Dei: Confirmatur, quoniam ad nil deſeruiret Deo ipſa ſola facultas in actu primo intelligendi, abſtracta à ſecundo; eſſet namq; fruſtranea talis potentia carens actu. Nec valet dicere non eſſe fruſtra, quoniam in creaturis admittitur, quæ ſub actu pri-

mo exiſtentes intelligendi, licet careāt aliquando actu ſecundo, poſſunt tamē per facultatem actus primi exire poſtea in actum, vt quando impedimentū deeſſet, vel voluntas adeſſet intelligēdi: hoc tamen fallit in Deo; ſiquidem ſi intelligeretur aliquādo carere actu ſecundo, iam verè eſſet aliquando priuatus tali exercitio vitæ, quod in ipſo conſiſtit in intelligendo: eſſet inſuper pro tunc ignorans fiendorum, vel quę fierent; eſſet ſubiectum mutabile de priuatione ad actum: eſſetq; noui alicuius accidentis realis receptiuus, à quo informaretur, & perficeretur: ergo vt hæc vitentur, adeo erit in eo eſſentialis, & intrinſecus actus ſecundus, ſicut primus.

Vita deſcriptio ex Ariſtot.

3 Verum enim vero diſtinctione eſt opus in hoc negotio: atq; diſcurrēdum quoq; nobis erit per recenſita capita. Et in primis vitam diſtinguere oportet, vel in actu primo; vel ſecundo: dè primo loquitur Ariſt. l. 2. de an. t. 37. *viuere, in viuentibus eſt eſſe.* & de ſecundo, in Prohæm. Metaph. cùm inquit, *animalia quædam imaginationib. quædam vero memorijs viuere.* & 9. eth. c. 9. *viuere eſſe ſentire, vel intelligere:*

Vita intellectualis in actu primo eſt de quidditate Dei.

4 His ſuppoſitis dicimus vitam intellectualem in actu primo eſſe de quidditate, & eſſentia Dei. hæc eſt D. Auguſt. l. 15. de Trin. c. 5. vel 7. vbi ait, *quæ vita dicitur de Deo; ipſa eſt eſſentia eius: hæc autem vita non eſt talis, qualis ineſt arbori, nec qualis ineſt pecori, quod habet ſenſum, ſed nullum habet intellectum; at illa vita, quæ Deus eſt, ſentit, atq; intelligit omnia; & ſentit mente, nō corpore, quia Deus ſpiritus eſt:* hæc ille. vult ergo dicere, quod illa vita, quæ eſt diuina eſſentia, qua Deus viuit, eſt per ſe, & primo intellectualis. expreſſius vero in 6. de Trin. cap. vlt. vbi de Deo loquens ſic ait, *vbi eſt prima, & ſumma vita, cui non eſt aliud viuere, & aliud eſſe, ſed idem eſſe, ac viuere, quia intellectuale.* & ſubdit; *primus, & ſummus intellectus, cui non eſt aliud viuere, aliud intelligere.* conſtat igitur intelligere eſſe Dei vitam, eiuſq; vitam eſſe eſſentialiter intellectiuam: ſi namq; aliud in eo eſſet viuere, & aliud intelligere: iam non eſſet per ſe intellectualis, & primo.

Vita intellectualis in actu ſecundo non eſt de quidditate Dei.

5 Loquitur tamen idem Sanctus Doctor de intelligere in actu primo: & hinc ſecundo dicimus vitam intellectualem in actu ſecundo non eſſe de eſſentia (quod non eſt niſi actualis cognitio, & exercitium intellectus) & quidditate Dei: quòd vero hæc ſit mēs Auguſt. probatur ex eo, quod apertè negat eſſe de eius eſſentia attributa: & operationes omnes ipſius Dei: ſic namq; loquitur l. 15. de Trin. c. 5. vel 9. *ſi dicas æternus, immortalis, iuſtus, bonus, beatus, ſpiritus: horum omnium nouiſſimum, quod poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera vero huius ſubſtantiæ qualitates.* hæc ipſe: quo ſit, vt operationes omnes, atq; perfectiones alias, minimè aſſerat eſſe de natura, ſed extra naturam eſſe, ſeu non de naturæ eſſentia. quòd, amplius demonſtrando eius mētem, declaratur: ait namq; beatitudinem, non eſſe de eius ſubſtantia. quæro autem quibus actib. habetur beatitudo, vtique intellectus, & voluntatis. negat vero beatitudinem eſſe de eſſentia. ergo negat de eſſentia eſſe intellectionem in actu ſecundo. inſuper idipſum negat de bonitate, cùm inquit bonitatem nòn ſignificare ſubſtantiā, ſed qualitatem. at bonitas eſt affectio; ſeu paſſio voluntatis, ſeu eius obiectum, & vocatur ab Aug. *qualitas*, ita proportionaliter dicendum de intellectione, vt non ſit de eius ſubſtantia. Confirmatur expreſſius ex Damaſc, c. 3. *ſi bonum, inquit, ſi iuſtum, ſi ſapiens, ſi quodcunq; aliud dicas, non naturam dicis Dei, ſed quæ circa naturam.* loquitur autem clarius, quam Aug. quoniam nominat ſapientiam, quæ ſecundùm ſubiectam materiam, eſt operatio diuini intellectus. at hæc ex Damaſc. nō ſignificat eſſentialiter naturam; ergo reſtat noſtrum aſſertum vitam intellectualem in actu primo eſſe de quidditate Dei: vnde deducitur ſecundùm, quòd ſumpta in actu ſecundo non ſit de quidditate.

6 Sed probatur vtrumque ratione. vita rationalis eſt de quidditate hominis, ergo vita intellectualis de quidditate Dei: ſed de quidditate hominis eſt vita rationalis ſolùm in actu primo, ergo ſit vita intellectualis in Deo. maior probatur, eſſe rationale

eſt

eſt quidditas, & de quidditate hominis: homo. n. definitur, *animal rationale*; ergo rationalitas eſt de eius quidditate: ſed omne rationale eſt viuens, ergo vita rationalis eſt de quidditate hominis. Confirmatur de brutis, eſſe ſenſitiuum eſt de quidditate bruti, cõſtat namq; ex anima ſenſitiua: ſed eſſe ſenſitiuum eſt eſſe viuens, ergo vita ſenſitiua eſt de eſſentia bruti. ita ſimiliter de plantis, in quib. de earũ quidditate eſt gradus vitæ vegetatiuæ; anima, inſuper eſt de quidditate viuentis, ergo anima vegetans plantæ eſt de quidditate eius. ſic pariformiter arguatur de Angelis, & quocunq; altero, iuxta naturã, & gradum propriæ vitæ, ac conditionis. ſic iam remanet probata maior. Ad minorem: ſed rationalitas in actu ſecundo non eſt de quidditate hominis; iam patet, rationalitas in actu ſecundo, eſt hominis intellectio, & diſcurſus; atqui hæc poſteriora ſunt ad ipſum hominem: & nullũ prius eſt dependens quidditatiuè, & eſſentialiter à poſteriori, nec poſterius eſt de quidditate prioris, ergo vita rationalis in actu ſecundo non eſt de quidditate. Adde quod quidditas remanet eadem ſemper, inuariata, & immobilis in gradu eſſentiali, quandiu conſeruatur in ſuo eſſe, *ſpecies. n.* & quidditates *ſunt ſicut numeri*: at operationes intellectionis, & diſcurſus, non perſeuerant eædem; etenim vna erit altera intenſior, vna altera remiſſior: vna accedit, recedit altera: modo homo haberet eſſe; modo non haberet: & modo reuerteretur ad ſuum eſſe ſimpliciter, modo pro libito recederet, & regrederetur: pro libito namq; intelligimus, & pro libito ab intellectione deſiſtimus, & pro libito ad eam, redeundo, reuocamur. conſtat ergo hæc non eſſe de eius quidditate. igitur ſimiliter vita Dei intellectualis in actu ſecundo non eſt de eius eſſentia, & licet pro hoc, quod ad Deum ſpectat, probando, non inſurgant recenſita, quæ de intellectione creata, non. n. diuina eſt remouibilis, mutabilis, intenſibilis, remiſſibilis, acquiſibilis de nouo, & ſimilia, quæ dicunt imperfectionem; tamen, illa eſt optima pro omnib. ratio, vt nihil poſterius, etiam identificatum realiter, ſit de quidditate prioris: at intellectualitas in actu ſecundo eſt poſterior eſſentia, ergo nec identitas obſtat, vt fiat de quidditate, & ad hoc præcipuè reſpexerunt Auguſt. & Damaſc. allati, quos expendit etiam Scot. in quolib. q. 1. & idem docet in 1. d. 26. q. 1. ſub dupl. d. d.

7 Vita autem hæc reperitur in Deo in ſupremo, atq; altiori gradu, qui excogitari poſſit, vt puta, quod in intelligendo non fallatur. non diſcurrat. non multiplicet intellectionum actus, cùm vnico actu permeet omnia. intelligat ſingula per ſeipſum, vnde vocatur intelligens per eſſentiam. cui propria eſſentia deſeruiat ad intellectionem cæterorum, eùm non moueatur à creatis obiectis. ſit comprehenſiua, infinita infinitorum poſſibiliũ, præteritorum, præſentium, ac futurorum, cùm ſingulis omnibus ad ſupremum intellectiuitatis gradum ſpectãtibus, Ipſe quoq; nedum prioritate perfectionis poſſidet primum intellectionis gradum, ſiuè intellectiuitatis, vel vitæ intellectualis; ſed etiam prioritate ordinis; ſiquidem viuens primo diuidendum eſt in viuens intellectuale, & non intellectuale. primum ſubdiuiditur in viuens corporeum, & ſpirituale. hoc ſecundum ſubdiuiditur in vitam intellectualem diſcurrentem, & carentem diſcurſu. primum erit Angelus ex Scotiſtis, & ſecundum Deus in ſententia omnium. Alij autem renuentes diſcurſum ab Angelis, diuidere habent in intellectualem vnico, & infinito intuitu, atq; à ſe comprehendentem omnia. et in intellectualem intelligentem multiplicatis intellectionib. et cum intercapidine, ac mora, nec ſimul omnia, nec perfectiſſimo modo poſſibili. ſeu comprehenſiuo, et ſimilib. primus eſt *Deus*, ſecundus Angeli. Intellectuale corporeum eſt homo. viuens non intellectuale diuidendum eſt rurſus in duo illa genera, vegetatiui, atque ſenſitiui. Deus tamen remanet in ſupremo gradu viuentium. ergo ſicut perfectione eſt primus, ita & ordine.

Vita intellectualis in Deo in ſupremo gradu.

Viuentiũ diuiſio.

8 Quod ſi obſtes, vitam intellectualem ſupponere ſenſitiuam, & hãc ſubſequi ad vegetatiuam: Deus autem

Obſtatur.

caret

Soluitur.

caret ſenſitiua, & vegatiua; ergo & intellectiua. Dicendum intellectiui corporei eſſe neceſſarium ordinẽ, & præſuppoſitionem vitæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ: homo enim prius viuit vita plãtæ, inde Bruti, inde Rationalĩ, & intellectiua; cum hoc ergo quod homo ſit viuens corporeum, & intellectum habeat corpori alligatum, neceſſario euenit, vt fiat inter has vitas in homine ſubordinatio: abſtrahas verò animam, & ceſſabit connexio, cum intellectualis anima, carens corpore, nec egeat incremẽto, vt vegetet, nec egeat ſenſu vt doleat; *dolor enim ex offenſio animæ ex carne*: de ſe enim abſtracta à ſenſu ſufficiens eſt ad ſolam tribuliam. dicendum item, quod comparando duas extremas vitas, nullus eſt neceſſarius ordo inter illas: ſic patet vitam intellectualem de ſe non indigere vegetatiua, nec enim creſcit: nec vegetatiuam egere intellectuali, cùm non intelligat: quod ſi aliquis eſt inter vitas ordo, is reperitur ſolum in vita media, qualis eſt vita ſenſitiua, vel vita intellectiua corporea: ſenſitiuum enim expoſtulat vegetatiuũ: & corporeum intellectiuum expoſcit neceſſario vtrũque: nec etiam vegetatiua abſolutè poſcit ſenſitiuam, cùm ſit prior ea, & perfecta in genere vegetandi; ratio autem talis expoſtulantiæ in vita intermedia prouenit ex corpore: quod cùm ſit viuens, eſt conſequenter ſenſitiuum, & vegetatiuum, ideoq; neceſſario expoſtulat horum vtrumq; at intellectuale abſolutum, remanens præcisè intra limites intellectualitatis, præſcindens à corpore, nullum ordinem habet ad ambas vitas; ratio, quia ſpiritus non pendet in eſſentia, & natura ſua à corpore, ergo nec à ſenſu, nec à paſſionibus corporis. hinc reſtat Deum eſſe intellectiuum formaliter, abſq; tamen ſenſili, aut vegetali vita. ita quoque de Angelis.

Vtrum vita intellectualis dicat ordinẽ ad vitam ſenſibilem, & vegetalem.

9 Dices ſaltem debere habere animam, qua viuat: & dùm vita eius eſt per eſſentiam intellectiua, debere habere animam intellectiuam. Dicendũ non eſſe id neceſſe. primo, quia anima eſt forma corporis, Deus caret corpore, ergo & anima. inſuper vbi anima, ibi compoſitum, conſtans ex corpore, & anima, Deus eſt ſimplex. item qualis deberet eſſe ipſius anima? non quidem vegetatiua, quia Deus non vegetat, nec augetur: eſt ſemper omnino idem, & infinitus, *ſtabiliſq; manens dat cuncta moueri.* non ſenſitiua, doleret enim pateretur, & moreretur, cùm bruta pereant, doleant: eſſetq; diuiſibilis, inſtar animarum imperfectorum animalium, quibus inciſis, inciduntur animæ. nec intellectiua, quia ſupponeret corpus informabile; eſt enim actus corporis phyſici. Secundo, quoniam eſſet quoque neceſſe animæ tribuere animam. prob. anima viuit, quæro per quam animam viuit, aut per ſeipſam, aut per aliam animam: ſi primum, ergo pariformiter Deus per ſeipſum viuit, & non per additam animam: ſi ſecundum, quæro de illa altera, aut viuit per ſeipſam, aut per aliam: ſi primum, reſtat intentum, ſi ſecundum, dabis proceſſum in infinitum. ergo non oportet dare Deo animam, qua viuat, ſicut ipſi animæ non eſt danda altera anima, qua viuat: viuit enim anima de ſe, cùm ſit talis naturæ, ità quoq; Deus viuit vita intellectuali, & dicitur de ſe ſic viuere; ideoq; dicitur viuere per eſſentiam; eſt enim fons, & origo omnis vitæ. linquo errorem dicentium Deum eſſe Animam Mundi.

Deus vt viuat non indiget anima,

10 Dicimus vltro, intellectus nõn eſt de quidditate Dei, ſicut nec voluntas eſt de eius quidditate. Probatur, potentia operatiua non eſt de quidditate naturæ, intellectus eſt potentia. inſuper principia, & potentiæ habent naturam, tanquam fontem, è quo pullulant, ergo inde recipiunt eſſe, non autem dant illi eſſe: & currunt rationes allatæ pro intellectuali vita in actu ſecundo: quia intellectus eſt poſterior ad eſſentiam: prius autem Deo competit gradus eſſendi ſimpliciter, quàm gradus intellectus, voluntatis, modorum intrinſecorũm, attributorũ, ſiuè cæterorũ notionalium: & natura dẽptis imperfectionibus eũdẽ videtur ſeruare gradum, ac in nobis, in quibus prius concipitur animæ eſſentia, indè potentiæ: conſimiſe eſt ei, quod prior eſt radix, prius fundamentum, & ſuccedunt inde germina, quæ pullulent: & ſicut in nobis, aut Angelis non eſt intel-

Intellectus & voluntas non eſt de quidditate Dei.

tellectus de quidditate hominis, ita nec Dei.

Obſtatur.

11 Sed ſtatim vrget difficultas: quomodo fieri poterit vt intellectus non ſit de Dei quidditate, cùm tamen

Soluitur.

docuimus vitam intellectualem eſſe de quidditate Dei: non.n.datur vita intellectualis abſq; intellectu,& intellectus eſt de eſſentia vitæ intellectualis. inſuper falſum id quoq; dicitur de homine; eſt namq; de ſui natura eſſentialiter rationalis, at rationalę non eſt ſine intellectu, ſi igitur rationalitas eſt de quidditate,ergo & intellectus. Sed ad hæc reſpondendum non eſſe eãdé loquutionem, nec eundem ſenſum exprimi per intellectum,ac per vitam intellectualem: ſicut non idem importare vitam rationalem,ac potentiam ratiocinatiuam, ſeu rationis ſubiectum. quod vero diſtincta ſint, probatur; ſiquidem aliud eſt habere vitam ſimpliciter, & aliud eſt habere talem vitam. inſuper principium aliquod in aliquo genere poteſt habere rationem prioris, quod tamen non implicabit in genere alio induere rationem poſterioris.

Non idem ſenſus exprimitur per intellectum, ac vitã intellectualem.

explicatur primum. homini competit duplex vita, vltra prædictas, ſeu ex duplici capite trahit ſuam vitam: prima eſt, quam trahit ex eo capite, quod eſt animal, & ſecundam ex eo quod eſt rationalis: primam habet ex animali; omne namq; animal de ſe eſt viuens, etiam antequam intelligatur deſcendere ad proprias ſpecies:immo ſpecies ex tali genere capiũt originariè vitã,iſta.n.cauſalis eſt à priori vera rationale eſt viuẽs,quia eſt animal: & contraria eſt à poſteriori,vt animal eſt viuens,quia rationale: animal ergo eſt initium vitæ in viuentib.corporeis:ſecundã tamen habet homo ex eo, quod eſt intellectiuus,& rationis capax: igitur ideo erit homo viuens rationale, quia præditus ratione,& intellectu: & hic gradus complet in eo adæquatè rationem viuentis; at hæc eſt cauſalis ſecunda, prima namq; deſumitur ex animali, vt ideo eſt primo,& ſimpliciter viuens homo,quia eſt animal; ideo tamen eſt ſic,& ſic rationaliter viuens, quia habet rationem, & intellectum, at hæc eſt ſecundaria,& in eſſe tali, nõ in eſſe abſolutè: hoc de viuente corporeo.

Vita ex duplici capite competit homini.

12 Sed vrges, rationalitas trahitur ab intellectu, at hic eſt poſterior, ergo non conſtituit eum eſſentialiter in eſſe intellectiuo,& rationali:

Obſtatur.

reſpõdetur in genere vno ſubſequi intellectum ad eſſentiam, & in genere altero præcedere: iuxta ſententiam Ariſt.2. phyſ. *cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ*, vt materia in eo genere, quo forma educitur de potentia eius, præcedit formam,& tanquam ſubiectum in quo,& tanquam ſubiectum de quo: tum quia in ea recipitur, tum quia de ipſa educitur: at in eo genere,quo recipit eſſe formatum,& perfectionatum,atq; circumſtantionatum, & vndequaq; completum à formis,ſiue ſubſtantialib.ſiue accidentalib. ſubſequitur eam: ſicq; hoc modo erit materia effectus formæ,& poſterior ea,priori tamen ordine erit prior,& cauſa eius.

Soluitur.

Materia prior, & poſterior forma in vario genere.

Ad propoſitum non implicabit intellectum, vt potentia eſt, ſubſequi ad naturam in ſe.præcipuè quoniam pullulat ab ipſa, & videtur quaſi effectus illius,ſiue metaphyſicus,ſiue quocunq, nomine cẽſeatur, abſtrahendo tamen imperfectiones à diuino intellectu. quatenus vero tribuit tale eſſe ipſi naturæ, vt reddat eam intellectualem, ac rationalem, ſic poterit habere rationem prioris, & talis vita comparabitur ad intellectum,vt effectus ad cauſam,ſiue principium, ſiue formaliter ſit conſtitutiuum, ſeu eſſentialiter denominatiuum.talis autem denominatio eſt eſſentialis homini; quoniam homo per intellectum eſt eſſentialiter viuẽs corporeum rationale intellectiuum, iuncto corpore; ita & Deus ſemotis imperfectionibus, ſimplici eſſentia conſiſtens, erit eſſentialiter viuens intellectiuus. ſi obſtes ex dictis, vita prius pendet ex animali in homine, & inde ex intellectu:at in Deo non eſt conſtituere quid intellectum præcedẽs, quo ſit primo viuens. Reſpondetur negando id, quoniam primo loco reperitur in eo eſſentia ſua diuina, quæ ſicut eſt origo omnium perfectionum,ita etiam eſt fons,radix, & primaria origo diuinæ vitæ: accedit inde ordine quodam intellectus, & denominat Deũ ipſum vltimato intellectualiter viuentem: eſt autem denominatio nõ extrinſeca, ſed eſſentialis.

Intellectus habet rationem prioris, & poſterioris.

Eſſentia diuina eſt vita Dei fontalis origo.

Scio

Quid ſententiæ Scotus & Scotiſtæ

13 Scio Scotiſtas aliquando contendere de mente Scoti, opinantibus alijs Scotum negare intellectum, & voluntatem eſſe attributa, ſed eſſe de Dei eſſentia, vt Bargius in 1.d.8: q.3. & d.26.atq; Lychet.in eod. primo, eadem diſt.& quæſt.aſſerentib. ex aduerſo alijs eſſe vera attributa de Scoti mente, vt Vigerius, Tatar.& alij. Equidè Scotus variè videtur loqui, etenim in Report.in 1.d.35.q.1. art.3. & in quol.1. art. 1. docet intellectualitatem eſſe de quidditate, & eſſe prædicatum primi modi dicendi per ſe; cùm ex oppoſito in d.8.doceat eſſe attributa, itē diſt.45. q.2. videtur ſentire oppoſitum cum D. Auguſt; penes ipſum relato. & d.26.ad argum.princ. ait intellectum, & voluntatem eſſe perfectiones quaſdam intrinſecè conuenientes eſſentiæ, prout præintelliguntur ante omnem quantitatem, & quaſi qualitatem. Reſpondent aliqui habilitatem ad intelligendum eſſe de quidditate Dei, non autem potentiam intellectiuam.

Reconciliātur loca Scoti.

14 Verum ſuppoſita diſtinctione, vt ſup. quod intellectus, & voluntas conſiderari poſſunt, vel fundamentaliter pro vita intellectuali, ſeu pro intellectuali natura; vel formaliter, quatenus ſunt facultates, potentiæ, & inſtrumenta intelligendi, & volendi. primo quidem modo conſtat eſſe de quidditate tum Dei, tum etiam cuiuſcunq; creaturæ intellectualis; & rationalis, vt hominis, & Angeli; poſteriori autē modo non ſunt de quidditate: prout ſic loquitur Scotus varijs in locis ſuæ doctrinæ: & reddendo ſingula ſingulis reconciliari poſſunt Scotiſtæ inuicem, & Scotus non erit ſibi contrarius.

QVÆSTIO III.

Vtrum vniuerſæ Creaturæ dicantur viuere in Deo.

Status quæſtionis.

1 Onſtito iam Deum viuere, ſupereſt diſquirere, vtrum ſingula, quæ in ipſo ſunt, pariformiter viuant. Non loquimur de diuinis ſuppoſitis, cum ſint in Deo formaliter, & ſint ipſe Deus: ſed de creaturis in eo contentis virtualiter, eminenterq; occaſionem autem dedere diſputādi Ioannes c.1.*inquiens, quod factum eſt in ipſo vita erat:* atq; Paulus, & Lucas act.17.*in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*. tribuit etiam ampliorem diſputationis campum VuiKleffus, adeo abſolutè id affirmans, vt abſq; diſtinctione vlla contenderit concedendum omnia in Deo viuere, vnde deducere conatur abſq; expoſitione vlla, ſimpliciter creaturam eſſe Deum. ſed de hoc poſtea.

Creatura in Deo viuunt, explicatur.

2. Sit tamen pro initio compertum, atq; Catholicæ conceſſum creaturas viuere in Deo. de qua re Auguſ. ſuper Ioann.1. & ex ſcholaſticis Scot. in 4.d.1.q.1. atq; D.Tho. 1.p.q.18.art. 4. Qualis autem ſit hujus veritatis explicatio, talis ex Scoto eſt, vt creaturę in diuina mente cōceptæ intelligi poſſint dupliciter: vel obiectiuè, vel ſubiectiuè: vel ſub alijs terminis diuina earum cognitio concipi poteſt, vel formaliter ſecundum ſe, vel terminatiuè. Secundò modo non ſunt vita, nec viuunt; tum quia nulla creatura vixit ab æterno: tum etiam quoniam non omnes creaturæ habent gradum vitæ. primo modo verum; ſiquidem diuina cognitio eſt actus vitalis, & eius ſubiectum eſt intellectus: diximus autem Deum eſſe viuentem vita intellectiua; ergo ratione huius participationis,

crea-

creaturæ etiam æternaliter ſunt viuentes: & nedum eæ, quæ ſunt gradus vitalis capaces, verum & lapides, & inſenſilia omnia, quoniam ſimili ratione in Deo dicuntur viuere. Confirmatur, receptum ſe habet per modum, & iuxta conditionem, ſeu naturam recipientes; ergo quatenus recipiuntur in Deo per cognitionem, & continentiam, dicuntur viuere. inſuper æternales illæ rerum idæę ſemper vixere in Deo, prout nempè ſumuntur pro conceptu formali Dei ipſius. Confirmatur deniq; authoritate eiuſdem Aguſt. ibid. dicentis, *quod factum eſt, ideſt, res cognita eſt in Verbo vita creatrix*. Merito autem addidit, *creatrix*, vt innueret ad ipſummet intellectum diuinum concipientem, concipiendo ſpectare dare rebus vitam, ſicut ad eiuſdem voluntatem pertinet complere earum eſſe, & exiſtentias: quoniam namq; vtriuſq; potentiæ actus ſunt vitales, & vtriq; concurrunt ad dandam vitam, ideo ſubdit, *res cognita eſt in Verbo vita, & vita creatrix.*

Creaturæ habent eſſe perfectius in Deo, quã in ſeipſis.

3 Verum nedum creaturæ, vt ſic cognitæ, viuũt, ſed etiam dicuntur habere eſſe perfectius in Deo ipſo, quàm in ſeipſis. hoc probatur ex ſententia eiuſdem Auguſt. l. 9. de Trin. c. 10. vel 11. qui de eis, vt in Deo contentis, ſic loquitur. *inferius habet nobilius eſſe in intellectu, quam in ſe ipſo*, è contra autẽ *ſuperius habet nobilius eſſe in ſe, quàm in intellectu*. loquitur vero in poſteriori parte de ipſo Deo; & cùm agit de creaturis comparat illas ad Deum, vt dicat eas habere nobilius eſſe in Deo, ſeu in intellectu Dei, quam in ſe ipſis: Deus autem adeo nobiliſſimum eſſe poſſidet in ſe ipſo, vt non habeat nobilius eſſe in intellectu creato, quam in ſe ipſo, ſed in ſeipſo omnino verius, & perfectius.

Obſtatur.

4 Sed occurrit difficultas, ſiquidem nobilius eſſe habet id, quod actu exiſtit extra cauſas ſuas in rerum natura, quam quod habet eſſe intra eas: habere autem eſſe in cognitione ſola Dei, & non extra, non eſt habere eſſe ita perfectum, cùm deficiat vera exiſtentia, & verum eſſe. Adde quod perfectius eſt ens in actu, quàm in potentia: ſicut perfectius eſt ens completum, quam incompletum.

Occurritur.

5 Sed diſtinguendum ex Scoto, vt Auguſtini ſententia remaneat explicata; aliud namq; eſt quærere vtrum creatura in mente diuina habeat eſſe perfectius, & aliud eſt inueſtigare vtrũ habeat eſſe completius, & vndequaq; verius: ſunt. n. iſta duo admodum diuerſa; nam eſſe verum, ſeu verius, indicat eſſe completum, & actuatum. ſi loquamur de primo vera eſt ſententia Auguſtini, & ſic ipſe loquitur: & quod hoc ſit, demonſtratur: perfectius eſt eſſe incorruptibile, quam corruptibile: immortale, quam mortale: æternale, quam temporale: ſpirituale, quã corporale: diuinum, quam creatum: at ſic ſe habent creaturæ in mente Dei, & intra illam, ergo perfectius eſſe habẽt in Deo, quam in ſeipſis: prob. min. homo v. g. in ſe ipſo, & in propria exiſtẽtia conſideratus, eſt mortalis, corruptibilis, paſſibilis, temporaneus, varijs viciſſitudinib. obnoxius, corporeus, materialis, & ſimilia: at in Deo, modo recenſito, contentus, eſt ſpiritualis, immortalis, perennis, æternus, &c. lapis etiam, cuius naturæ non competit viuere, vt tamen in Deo eſt, perfectius habet eſſe, tum ob rationes recenſitas de homine; tum quia in ipſo Deo viuit, qui tamen in propria exiſtentia caret vita. Accidentia quoq; quæ de ſui natura non ſunt ſubſtantia, & quib. gradus ſubſtantiæ eſſentialiter eſt incompoſſibilis, vt in propria natura ſpectãtur; tamen in Deo induunt rationem ſubſtantiæ, quoniam Dei cognitio eſt ſubſtantia, & *intelligere Dei eſt ſuum eſſe*. ſic de ſingulis itaq; conſtat perfectius eſſe habere in Deo, quam in ſe ipſis. Quod ſi de eſſe veriori loquamur, vtique verius, & actualius eſſe habent creaturæ in ſeipſis, quam in Deo ipſo; ſiquidem in Deo non habẽt verum eſſe exiſtentiæ: carent operationib. & motibus: & dũ ſunt extra cauſas ſuas nihil deeſt, quod ad verum eſſe exiſtentiæ ſpectet: vt ſic ergo habẽt verius, & completius eſſe.

Creaturæ habent in Deo eſſe perfectius, non autem actualius, & completius.

Deus habet eſſe perfectius in ſe, quàm in intellectu creato.

6 Quod tamen Deus ipſe perfectius eſſe habeat in ſe ipſo, quam in intellectu creato, probatione non eget; etenim non habet perfectius eſſe in intellectu creato, quia cum receptum ſit

per modum recipientis, diceretur recipere à creatura eſſe creatum, atq; finitum, & dependens: nec perfectius eſſe habet in ſuo intellectu diuino, quam in ſeipſo, ſiquidem intellectus ſuus eſt æquè nobilis, ac ipſe Deus; ergo non eſt exceſſus; igitur remaneat Deum perfectius eſſe habere in ſe, quam in intellectu creato: & nedum perfectius, immo verius, quoniam nec perfectiori, nec veriori modo exiſtere poteſt, quam quo exiſtit in ſemetipſo ipſe Deus.

7 Occurrit autem difficultas, quomodo poſſunt creaturæ non viuentes, & iam mortuæ, ſeu quæ hucuſq; non fuere, viuere in Deo: vel ſi viuunt in ipſo, oportebit etiam viuere in ſeipſis: & prob. creaturæ ſunt in Deo tanquã exemplatum in exemplari, ſeu in exẽplante: at exemplar verè viuit, ergo creaturæ verè viuunt. item de malis, culpis, priuationib. atq; carentijs, non eſt intelligibile, vt in eo viuant; ſiquidẽ formaliter nihil ſunt, immo repugnat eis habere eſſe poſitiuum; ergo nullatenus viuunt. Confirmatur, non eſt mirum, vt creatura, quæ hucuſq; non fuit, viuat in Deo; vel quæ mortua eſt, inde in eodẽ viuat; quoniam illa prima, & ſi non ſit, attamen habebit eſſe; & ſi ſecunda mortua eſt, tamen in reſurrectione iterum viuet: at culpæ, & priuationes nuſquam habuere poſitiuum eſſe, ergo nec vitam in Deo.

Exemplatum conformatur exẽplari declaratur.

8 Ad primum, ſufficit exemplatũ conformari exemplanti, ſeu exemplari in repræſentando, non autem in eſſendo: quo fit, vt non ſit neceſſe, vt eo modo completiuè viuat, quo Deus: ſicut namq; non eſt aſſimilatio in eſſendo, ita nec in viuendo. vel dicendum, conformari in eſſendo, ac in viuendo, inſpiciendo diuinam cognitionem, vt ſupra, quæ vita eſt, & ratione cuius dicũtur cætera viuere.

Priuationes, culpæ, & mors vt vitam viuant.

9 Ad aliud, occurrendum, quod ea ratione, qua cognoſcuntur, ea viuũt: non cognoſcuntur autem gratia ſui, ſed alterius, ergo gratia alterius viuũt, priuatio namq; cognoſcitur per oppoſitum habitum, & tenebræ per lucem: & cæcitas per viſionem: ita mala culpæ, quæ formaliter nihil ſunt, noſcuntur per eorum ſubſtratum, vel per ordinationem ad pænam, culpa.n.dicit ordinem ad pænam: ergo ratione poſitiui, ac ſubſtrati, viuunt, quoniam ratione eius cognoſcuntur à diuina mente. ſic etiam mors cognoſcitur per ordinem ad vitam, vel iam præteritam, vel præſentem, ſeu futuram; cum autẽ vita viuat in Deo, inde mors viuit in eo, indirectè. & relatè ad vitam, vnde canit Eccleſia, *Regem cui omnia viuũt.*

Error Vviclefſi, & Hus, ac Manichæi.

10 Ex dictis autem facilè conuincitur error VuiKleffi, qui teſte Vualdenſe t.1.l.1.art.1.c.1. aſſerebat abſolutè concedendum eſſe creaturam eſſe Deum: non diſtinguens, nec exiſtimans opus eſſe diſtinguere de conceptu earum formali, ſeu idæali, ac obiectiuali; & reprehendens ſic diſtinguentes, eodem pacto aſſerebat concedendum, brutum, & quodcunq; aliud, eſſe Deũ, quia omnis creatura, inquit, eſt Deus. qui etiã fuit error Ioannis Hus, quondam eius diſcipuli, vt refertur in Concil. Conſtanſ. ſeſſ. 15. nec longè inde fuit Manichæus, vt indicat Fulgent. in reſponſionib. ad Fernandum Diaconum q.3. contra quem ſcribit Auguſt. tract. in Ioan. Errant vero neſcientes diſtinguere cum Catholicis.

Patrum expoſitio varia de hac vita creaturarũ in Deo.

11 Verum, et Patres aliqui, non eundem ſenſum eliciunt ex verbis iſtis Ioannis, nec vniformiter interpretantur, qualiſnam ſit vita iſta, quam habẽt creaturæ in Deo: et quidem Ambroſius l.3. de fid. c.3. *quod factum eſt*, ait, *in Verbo ipſo, nempè in Chriſto, factum eſt caro paſſio, & mors.* verum longe aliter, quam ad ſcholaſticam pertineat, exponit Ambroſius, explicat.n. iuxta ſenſum allegoricum; vt creaturæ in Deo, ſint in Verbo humanato, paſſibilitas, mors, caro, dum inſtar creaturarum paſſibilium ſe fecit paſſibilem. Origenes, & Athanaſius explicant, vt dicant, *per ipſum, & in ipſo facta eſt vita*: & Cirill. 1. in Ioann. c.6. vicinius accedit, vt explicet de vita, quam ipſum Verbum dat creaturis, dando ſubſiſtere, & verè viuere, abſq; enim illo non habent vitam, cùm *ſine illo factum eſt nihil.* Clemens tamen Alex. l.1. Pedag. cap.6. redit cum Ambroſ. ad vitam ſpiritualem, vt loquatur de *vita gratiæ*. Auguſtinus verò iuxta morem ſcholaſticũ interpretatur de Verbo, quod

cùm

cùm ſit exemplar creaturarum, & vitam habeat in ſeipſo, vitam quoq; tribuit cæteris contentis in ſeipſo, iuxta rationem exemplaris, & ideæ ipſarum creaturarum in Verbo ipſo. quidquid tamen ſit, concors eſt Theologorum ſententia creaturas viuere in Deo, vt expoſuimus. Chriſoſtomus verò ita legit, vt exiſtimet ſic intercisè fore legendum, *quod factum eſt*: & inde ſubſequatur, *in ipſo vita erat*: homil.4.in Io: rationem verò pro hoc adducit, vt hinc confutet errorem dicentium Spiritum ſanctum eſſe factum, & conſequentet eſſe creaturam: qui tamen error elicitur, inquit, ſi intercisè legatur, vt ſup. id verò deducebant, quoniam vitam exiſtimant eſſe ipſum Spiritum ſanctum, ergo ſi vita facta eſt, ſpiritus factus eſt, & creatus: conſentit cum Chryſoſtomo Euthymius, & Theophilactus. & quidem illum de Spiritu ſancto errorem amplexati sũt Macedoniani, ſic euertentes textum Ioannis, vt ſpiritum exiſtimarent eſſe factum. conſimiles fuere Arriani, qui ex eodem textu inferebant Verbum eſſe factum, teſte Ambroſ. in enarrat. in pſalm.36. ſed & id falſum eſſe oſtendit idem Ambroſ. quia Ioannis 3. dicitur, *vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt*. ſtultum autem eſt inferre, ergo Deus factus eſt: & vbi pſal. 103. legimus, *omnia in ſapientia feciſti*, male inferretur, ergo Sapientia ipſa diuina facta eſt; igitur nec Verbum factum eſt, licet in ipſo facta ſint omnia. Peſſimè errarũt Manichæi, vt inde inferrent dualitatem illam principiorũ, ſeu Deorũ, quorum alterũ boni, alterũ eſſet principium mali; alterum vitæ, & alterum cauſa eſſet, & origo mortis.

DISPVTATIO XVI.

De Scientia Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum Dei ſcientia ſit de eius quidditate: an ſit habitus: an actus primus: an vniuerſalis: an propter quid.

1 *Status quæſtionis.* Oſtenſo Deum viuere, & vitam eius eſſe intellectualem, ac cõſequẽter pollere intellectu, & ſcientia: quærimus primo an ſit ſcientia de quidditate eius. Nec eadem tractatio eſt, ac de præſcientia, de qua nil intendimus modo diſputare: ſed abſolutè de ijs, quæ concernunt diuinum intellectũ, ac cognitionem. Supponimus, veluti etiam naturaliter notum, ipſum eſſe intelligentem, & ſcientem omnia, prout id nullus Gentilis negauit, & prout probat Ariſtot. 12. Met. cap. 7. & 10. Ethic. c. 8. quod etiã in præcedentibus fuit præſtitum: quod inter cætera indicat alterũ ex ſuis nominib. penes Græcos, ꝙ eſt, *Theaſte*, quod idem denotat, ac conſiderare, & agnoſcere Damaſcenus, vt agnoſcere aduertit l. 2. de Fid. Orthod. c. 11. & ipſæ etiam ſcripturæ demonſtrãt, vt pſal. *Deus eſt intelligens*

138. *tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua*; 112. *omnia in ſapientia feciſti*, 103. *omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Hebr. 4. *quis ſicut Dominus Deus noſter, qui humilia reſpicit in cęlo, & in terra*; ita nec difficile redditur rationibus quoque id oſtendere, & aperire. ſufficiant autem, quas adduximus in præcedenti quæſt. dum namque oſtẽſum fuit eſſe præditum intellectu, & vitam intellectualẽ eſſe de eius quidditate, remanet habere quoq; & ſcientiam.

Probatio D.Th. diſcutitur.

2 Ratio autem D. Thomæ obiter occurrit, deſumpta ex immaterialitate, p. 1. q. 14. art. 1. probat autem quod Deus intelligat, quia immaterialis eſt, & ſpiritualis, ergo intelligit. Sed cito difficultates inſurgunt; ſequeretur.n. accidẽtia ſpiritualia intelligere; ſiquidẽ ſũt immaterialia. Dices, loquutum de ſubſtantia: ſed obſtant aliqui, quoniam per Dei abſolutam potentiam poteſt creari ſubſtantia ſpiritualis, carens intellectu, & ſcientiã. item materialitas non eſt principium impeditiuũ intellectionis, & ſcientiæ, ſiquidem rationalis anima coniuncta corpori, etiã intelligit, & ſapit. Nec obſtat, vt ait Bannes, quod non æquè perfectè intelligit in corpore, ſicut extra; ſufficit .n. vt abſolutè intelligat, ad hoc vt probatio poſſit reddi inefficax: immo eſſe minus verũ, aiũt; ꝙ idem Bann. ar. 1. ad tertium, ait, impoſſibile eſſe per omnem potentiam, fieri creaturam immaterialem, quæ non intelligat ex ſui natura: nulla namq; ratio conuincit vt Deo ligetur potentia ſua ad id faciendum; ſiquidem à parte rei non implicat: nec meminit ſuæ, & Thomiſtarum doctrinæ, poſſe dari proceſſum in infinitum in multiplicationẽ ſpecierũ, quarum altera altera ſit perfectior, & imperfectior: quo fit vt in genere ſubſtantiæ nec implicet iuxta aliquorum ſentẽtiam dari talem creaturã per diuinam potentiam. Inſuper ipſe reddit rationem D. Thomæ inualidiorem; ſiquidem cùm ait D. Thom. *Deum eſſe intelligentem, quia eſt immaterialis*; qua ratione, & quo ordine infert D. Tho. hanc ſequelam: aut ſecundùm id quod de facto accidit, aut iuxta id, quod cõtingeret de poſſibili: non quidem infert, iuxta id, quod accidit de facto, namq; accidentia ſpiritualia ſunt immaterialia, & tamen non intelligunt; ergo infert de poſſibili; igitur falſo Bãnes id negat: meritoq; contra eundem Bann. magis, vrgẽt argumẽta Gabrielis in d. 35. q. 1. quam contra D. Tho. qui ſaluari poteſt recurrendo ad potentiam abſolutam. Sed quidquid ſit de validitate, de fide eſt eſſe ſcientem, vt Eſther. 14. *Domine, qui habes omniũ ſcientiam.* Eccleſ. 4. *cognouit Dominus omnem ſcientiam.* Rom. 110. *altitudo ſapientia, & ſcientia Dei &c.*

Sciẽtia eſt in Deo tũ ſub ratione actus primi, tum ſecundi.

Suar. impugnatur.

3 Hanc eadem Dei ſcientiam nõ eſt putandum conſiſtere ſolùm in actu ſecundo, prout non benè ſentiunt quidam ex Recentioribus. Suar. metaph. diſp. 30. ſect. 15. in quo enim dignificare intendunt diuinam ſcientiam, in eo ſibi maxime præiudicant: ait enim ſcientia in actu primo eſt ſcientia habitualis; ſic autem habitualiter ſcire, eſt idem ac dicere Deum, veluti dormientem, ſe habere. adde non magis fore Deum intelligentem dormiendo, qua dormiens creatura: cum ipſa quoque dormiendo dicatur intelligere habitualiter. item nec in Deo reperitur potentia intellectiua; ob multa inde ſequentia inconuenientia; vt quia eſſet potentia paſſiua, & receptiua intellectionis; vt quia eſſet prior ipſa intellectione, quæ tamen prioritas repugnat. & confirmat, ex Ariſt. 12. met. cap. 7. & ex D. Tho. ſupra allato.

4 Verum hi theologiam extollẽtes, ſpernunt metaphyſicam, etiam eã, qua maxime vti debet peritus, & ſapiens Theologus. Et in primis, quomodo intelligi poteſt actus ſecundus abſq; primo? ſecundus enim dicit ordinem, & præſuppoſitionem primi. Inſuper omnis actus & operatio neceſſario concernit potẽtiam, ex qua progreditur: da oppoſitum, & non habebitur operatio; operatio enim operãtis principij eſt operatio: & actus omnis, potentiæ ſuæ eſt actus: quod verò actus ille non ſit ſemper verè producẽs, hoc nihil obeſt, quominus habeat principium ſuæ emanationis: & ſupponitur ignorari duplex habendi eſſe modus competens ipſis actibus, quidam namq; habẽnt eſſe per veram

rea-

realemq; productionem, quidam vero per ſimplicem emanationem, quæ propriè nõ vocatur productio: & ad ſummum vocari poterit, vt Scotus vtitur, quaſi productio: in ſententia tamen omnium eſt ſimplex emanatio. notionales quidẽ ſunt verè producti, ideoq; à producente diſtincti: eſſentiales vero minimè producti, ſed ſimpliciter emanantes à ſuis potentijs: vnde operatiui actus, atq; eſſentiales, toti Trinitati cõmunes abſq; productione vlla ſimpliciter emanant à voluntate, & intellectu: quod ſi emanant, ergo aſſignãdum principium ex quo emanent: emanare .n. eſt ab altero manare: deſtruit quoq; talis poſitio ordinem, atq; emanationẽ diuinorum attributorum, & modorum intrinſecorum: primum namq; quod in Deo reperitur, eſt eius eſſentia, ad quã ſuccedunt modi, attributa, & ſingula: quæro autem, modi, & attributa ſunt anteriores ad eſſentiam, an poſteriores: non primum, vt patet: ergo ſecundum: quæro inſuper, aut eſſentia confert illis aliquid, aut nihil: non ſecundum, cùm omnia ſint ex ea, tanquam ex pelago infinito, iuxta Damaſc. ergo primum: & prout ſic, ſunt ex eſſentia, & pullulant ab ea; item aut præſupponunt eam; aut non: iam quidem conſtat eàm præſupponere, aliàs ab ea nõ pullularent: ergo à primo ad vltimum conſimiliter eſt dicendum de ſcientia, quod præſupponat intellectum, à quo emanet. inſuper, contemplando eſſentiam in aliquo priori, antequam intelligantur attributa emanare, non dicebatur eſſentia formaliter iuſta, bona, infinita, ſumma, immenſa, & ſimilia, in actu ſecundo, quia ſolùm dicebatur hæc, & alia radicaliter, fundamentaliter, & realiter in actu primo, iuſta, ſumma, ſancta, & huius generis, ſed nõ formaliter in actu ſecundo: ergo ſtatuendus quoq; intellectus, & vnaquęque facultas prius in actu primo, quã ſecundo. Ex creaturis autem confirmatur, vbi ſemper cauſa præcedit effectũ, ſaltem natura: & data hypotheſi ſecundùm Aug. quòd Sol fuiſſet æternus, lumen extitiſſet ęternum, & ſi pes in puluere fuiſſet ab æterno, veſtigium quoq; fuiſſet æternum, at nihilominus fuiſſet inter ea ordo ſolius naturæ, qui æternitati non repugnat: ergò ſemotis imperfectionibus, vbi in Deo ad intra ſemoto nomine cauſæ, contenti ſumus nomine principij, ſiuè productiui verè, ſiuè quaſi productiui, ſiuè denique principij emanatiui, ſemper natura expoſtulat, vt principium tale, ſaltem emanatiuum, de quo loquimur, præſupponatur actui emananti, & pullulanti; & veluti actus ſecundus, natura ex ſe expoſtulat, vt præſupponat actũ primum.

Scientia Dei in actu primo eſt ſemper cõiũcta cum actu ſecundo.

5 Addendum verò actum talem primum eſſe ſemper coniũctum actui ſecundo, quoniam in æternis potentia, & actus ſimul ſunt: nec ordo naturæ obſtat coniunctioni, ſufficit enim vnũ præſupponi ad aliud, natura, non tempore: ergo cũ ſint ſimul tempore, nullo actu ſecundo, ſeù nulla perfectione ſecunda priuabitur Deus: qui cùm ſit perfector, & conſeruator naturæ, non deſtruit ordinẽ naturæ, qui inter hæc reperitur. nec ideo neganda eſt talis præſuppoſitio actus primi, quia non diſtinguitur ex natura rei: eſto enim ita eſſe, & dato nullam diſtinctionem reperiri, nonne aduertunt ipſam naturã ſic exquirere, vt actus primus præcedat ſecundum; & nihil poſſit in actũ ſecũdum exire, niſi præhabet primum; nulla namq; differentia formali ſtante inter perſonas, & eſſentiam, inter eſſentiam, & attributa, omnes tamen debent concedere eſſentiam debere præſupponi ad hæc, tãquam ad radicẽ.

Ariſtot. & D. Thomas explicãtur

Nec Ariſtoteles docuit contrarium, ſed ſolum intendebat quod nos addimus; nempè talem actum primum non ſeparari à ſecundo, ſed Deum ſemper eſſe in actu, cuius oppoſitum contingit in creaturis. nec etiam D. Tho. id aſſeruit: ſed loquitur ſolummodo in Deo non eſſe ſcientiam per modum qualitatis, vel habitus, vt eſt in nobis, ſed ſuam ſcientiam eſſe ſuam ſubſtantiam. Nec Suarij rationes cõuincunt:

Reſpond. argu. Suarij.

& ad primam, ſcire habitualiter duo indicat, alterum eſt, ſcire in actu primo, & in potentia tãtum, ſemoto actu: alterum, cõnotat principium, ſeù actũ primum, ex quo educi debeat ſecundus actus: loquendo de primo, id imperfectionis eſt, & competit creaturæ etiam dormienti, quæ habeat intra ſe

habi-

habitum qualitatiuum, ſegregatum ab actu: & vt ſic non competit Deo: de ſecundo loquendo, Deo competit, & connotat principiũ, ſeù quaſi principium, vel actum primum, ex quo cõſequenter educitur talis actus, qui tamen ſemper ſit conjunctus actui primo. Ad ſecundum, ceſſat inconueniẽs de poſſibilitate, & receptiuitate: quoniam diuina intellectio non eſt forma informans, ideoq; non receptibilis: nec eſt qualitas, vt noſtra, ideoq; non eſt inhæſiua intellectui: nec eſt quid diſtinctum ab intellectu, veluti eſt noſtra ſcientia, ideoq; non receptibilis: nec verè accidens, & propterea nec informans: igitur eſt quidem formalis perfectio intellectus, ſed quia eſt realiter eadem ſubſtantia, ac ipſe Deus; ideo intellectus ratione, qua nec eſt forma, nec accidens, nec realiter diſtinctum, minimè informatur, minimeq; vt ſic, ſub rationibus imperfecti, habet rationem receptiui, ſeù poſſibilis.

Sciẽtia non eſt de quidditate Dei.

6 Ad principale autem deſcendẽdo, vtrum ſit de eius quidditate. affirmat ibidem Suar. nu. 14. citans pro ſe D. Thomam vbi ſupra, & art. 4. at nec D. Tho. id aſſeruit, nec probabilitatẽ habet Suarij aſſertio. & in primis D. Thò. art. 4. quærendo vtrum ſcientia Dei ſit eius ſubſtantia, reſpondet affirmatiuè: nihil verò ſpecificat de noſtro quæſito, nec enim quærit vtrum ſit de eiuſdem ſubſtantia, nec ſub his terminis definit, ſed ſolùm ait eſſe eius ſubſtantiam: ex hoc autem inferre, eſſe de eius ſubſtantia, eſt deceptio, commutando quale in quid. & Caetanus ipſe art. 5. id manifeſtè negat, & vt plurimũ admittit ſolam identitatem formalem, negando diſtinctionem ex natura rei, negat verò eſſe de eius eſſentia. hoc multo magis defendunt omnes Scotiſtæ, propter formalem diſtinctionem repertam inter eſſentiam, & ſapientiam: & hæc eſt rationabilior ſentẽtia. & ſuadetur: operatio præſupponit rem conſtitutam in eſſe ſimpliciter; ergo ſcientia Dei præſupponit rem conſtitutam in eſſe ſimpliciter; ergo ſcientia Dei præſupponit eſſentiam ipſius Dei. Confirmatur ex eo, quod aduenit in creaturis, vbi eſſentia præcedit, & operatio ſubſequens non eſt de eſſentia. videtur eti eſſe aperta Sanctorũ ſententia: & quidẽ Auguſtini, qui l. 15. de Trin. c. 5. ait, *ſi dicã æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, ſapiens, bonus, beatus, potens, ſpiritus, horum omnium, quæ poſui, nouiſſimum tantum quaſi ſignificare videtur ſubſtantiam; cætera verò huius ſubſtantiæ qualitates.* quo in loco enumerat etiam ſapientiam, & nihilominus non tribuit modum, quem tribuit ſpiritui: hunc autem aſſerit eſſe de ſubſtantia Dei, negat verò expreſsè idipſum de ſapientia. Sanctus quoq; Damaſc. l. 1. cap. 14. confirmat hanc ſententiam, *ſi iuſtum*, inquit *ſi bonum, ſi ſapiẽs, ſi quid tale dixeris, non naturam dicis Dei, ſed quæ circumſtant ipſam Dei naturam.* nulla autem expreſſior determinatio iſta: vbi mentionem quoq; fecit de ſapientia, & nihilominus non ait eſſe de natura, ſed circumſtare naturam.

Occurritur argumẽtis Suarij.

7 Nec inconueniens, quod vitare intendit, cogit illum recedere ab hac opinione: ait namq; quia nulla datur diſtinctio ex natura inter vtrumq; igitur erit de eius eſſentia: conſequentia quidem falſiſſima; ſiquidem apud D. Tho. nõ eſt concedendum, non diſtingui hoc ex natura rei, ergo eſt de eius eſſentia: & multæ inſtantiæ poſſent afferri, vt relationes diuinæ nõ diſtinguũtur formaliter, ergo ſunt de intrinſeca ratione diuinæ eſſentiæ, quod cõſequẽs negatur, cum nullum poſterius ſit de intrinſeca ratione ſubſtantiæ: & ſic de ſimilib. vt de modis, attributis, & cæteris: quæ, non qua ratione ſunt idẽ, ideo debent eſſe de ratione eſſentiæ: ergo falſum fundamentum. Nec obſtat quod aiunt fieri compoſitionem, nec eſſet quid ſimplex; etenim eſſet opus omnia, quæ in Deo ſunt, admittere eſſe de eius intrinſecã ratione; quæ .n. ratio militat de vna, currit de cæteris: at negant, ſequi inde compoſitionem, etiam ij, qui negant diſtinctionem formalem; qui compoſitioni occurrunt, dum aiunt eſſe formaliter idem: ſic cõmiliter id negarent Authores diſtinctionis formalis. Nec Ariſt. ſupracitatus cõtrarium docuit, ſed innuere voluit intellectionem Dei eſſe eandem cum ipſo Deo: vel, melius, docere intendit, intellectionem, & ſcientiam nõ

eſſe

eſſe accidens in Deo,ſed ſubſtantiam: quem modum eſt imitatus D.Tho.inquiendo eſſe eius ſubſtantiam: quod communiter docetur etiam ab alijs,& à Scoto ipſo; qui & ſi diuinam ſcientiam vocet accidens extraneum, non tamen accidens per accidens,quod eſt vnum de quinque prædicabilib.ideoq; quatenus non eſt de intrinſeca ratione Dei, ſed extra rationem quidditatiuam eius, vocat accidens pro extraneo diſtinctã formaliter à Deo:cæterũ vocat illam,ſubſtantiam, ſaltem identicè, & realiter. de cæteris quæſt.ſeq.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſcientia Dei ſit habitualis, vniuerſalis, & propter quid.

1 *Habitus acceptiones.* AN vero habeat rationem habitus in Deo, expendenda eſt primo ratio ipſius habitus: ſumi.n.ſolet pro qualitate comparata ex frequentatione plurium actuum, iuxta definitionem ipſius habitus: vel ſumitur pro qualitate inclinante potentiam ad promptè, expeditè, delectabiliterq;operandum:quod maximè conuenit habitui. nullo iſtorum modorum eſt apponendus in Deo; habet .n.vnicum intellectionis actũ,ac propterea cum non multiplicentur actus, nec formabitur inde habitus. Verum ratio hæc non conuincit; ſiquidem ad generandum habitum non requiritur neceſſario comparatio plurium actuũ, ſufficit.n.vnus actus intenſus, & adeo perfectus,vt de ſe ſolo producat habitum; quoniam ille actus vnicus æquiualet in virtute plurib. actib.remiſſis. *Habitus generari poteſt ex vnico actu intenſo.* Verum cõceſſo hoc, nec etiam admittitur habitus in Deo, genitus ex vnico actu,alioqui intenſiſſimo,atq;infinito; *Scientia Dei an habitualis.* ſiquidem actus,& habitus diſtinguuntur realiter; in Deo autem talis diſtinctio penes hæc ſupernacanea eſt. item actus producẽs habitum recedit, quia amiſſibilis eſt, nuſquàm verò recedit ab intellectione Deus.recedente actu, & remanente ſolo habitu, dicitur talis habitu affectus, etiam in dormiendo habitualiter intelligere: hoc vero antecedenter negauimus in Deo. habitus de ſe dicit actum primum, & non neceſſario coniunctum actui, quia ſeparabilis ab eo,at impoſſibile eſt Deũ habere actum primum ad intra abſq; ſecundo,vt diximus.deniq; habitus hic erit qualitas,forma,& accidens, quod tamen eſt à Deo remouendum. ergo omnino reijcitur, tum in prima,tum ſecunda acceptione. Quod ſi per habitũ non comprehẽdamus cauſam, ſed veluti effectus,& paſſiones ipſius habitus, facilè erit eum reperiri in Deo: paſſio autẽ habitus eſt facere operari expeditè,promptè,atq; delectabiliter: hæc vero in Deo admittuntur, cui nil obſtat, vt expeditè operetur, & cum delectatione: at horum principium non eſt habitus,ſed virtus ſua infinita, quę dat vt expeditè agat,& ſine impedimẽto,cui nil obſiſtere poſſit, & agat ſimul cuncta vt voluerit, quando, & quomodo libuerit: delectabilitas etiã ſibi maximè conuenit,cùm in operando reſpiciat ſemetipſum, & agat cuncta propter ſe ipſum, tanquam primo, ac ſummè amatum: quod magis claret ad intra, vbi conſtat ante productiones terminatas perſonarum, beatificari, vt præcipuè de Patre dicitur, *quod ſit perfectè beatus antequam generet filium.* Cæterùm remanente habitu in cau-

cauſa,& ſub ratione habitus, ac qualitatis, remouetur ab ipſo: qui ſi remouetur ab Angelo, vt Scotus docet in 2.d.3.q.x.lit.K. multo amplius à Deo.

Scientia Dei an ſingularis, an vniuerſalis.

2 An autem appellanda ſit vniuerſalis, an ſingularis. D.Tho.ad 3.negat vtrumq; quoniam non ſe habet ad inſtar ſcientiæ creatæ, ſed eminentius, & altius. Verum nil obſtat, vt eam vtroq; nomine poſſimus honeſtare: primo autem remouenda eſt ratio cõfuſionis, quam importat vniuerſale: eſt .n. de ſe confuſum, ſeu indiſtinctum in ſe, antequam deſcendat ad inferiora: ſicq; cognitio de vniuerſali habita in vniuerſali ſolet eſſe confuſa: ſed hæc eſt paſſio, & affectio ſcientiæ creatæ: amoto autem hoc imperfecto à Deo, poterit vtroq; nomine recenſeri: ſingularis erit nedum formaliter, quia vnica eſt, & indiuiſa in trib. verũ ſubiectiuè, quoniam ſuppoſita, licet tria ſint, ſunt tamen vnus Deus; ergo hinc primo duplex ſingularitas. ſingularis item, quoniam ad ſingularia ſe vertit, ſingularia inſpiciendo, vti ſunt pro tẽpore, & loco, Deus autem noſcit res vti ſũt: de quo infra. Vniuerſalis quoque obiectiuè, tum quia omnia ſingularia obiecta, et actualia, et poſſibilia noſcit: tum etiam quia vniuerſalia ipſa ſub ratione prædicabilium de pluribus, apprimè nouit: multo autem imperfectior eſſet intellectus eius intellectu creato, qui naturas rerũ quoquo modo noſcit, ſiuè ſingulares, ſiuè vniuerſales, et communes: ergo Deus quoq; nouit ſingulares, et vniuerſales, inſuper eſſet aliquod obiectum intelligibile, quod tamen Deus neſciret: id vero eſſet vniuerſale, quod eſt obiectum, et terminus verè intellectionis. Adde perfectiora eſſe vniuerſalia ſecundum aliquos ex antiquiorib. Philoſophis, quam ſingularia: et propterea concedebant Deo ſolum notitiam vniuerſalium, vt puta tanquam abſtractorum, et ſemotorum à materia, et imperfectionib. Solũ obſtare videtur quòd vniuerſale confuſè ſolet cognoſci, quoniam eſt indiſtinctum, et indeterminatum in ſe, antequam deſcendat ad inferiora: ſed vt diximus hoc Deo nõ obſtat, qui noſcit vnumquodq; perfectiſſimè ſecundum quod cognoſcibile eſt, vniuerſale autem eſt cognitionis obiectum, et Dei notitia eſt clariſſima, perfectiſſima, atq; infinita. quod ſi circa id contingat error, et cõfuſio in noſcendo, id eſt praua diſpoſitio intellectus creati, non valentis intelligere res vt ſunt. quod ſi eleuaretur per ſuperadditum adiutorium, ipſas quoq, ſpecies, et naturas vniuerſales noſceret, prout ſunt. ergo nedum eminenter, vt D.Th. ſed formaliter, & ſubiectiuè ſingularis: obiectiuè autem vniuerſalis, reddendo ſingula ſingulis.

Scientia Dei vtrũ ſit propter quid.

3 Quæri ſolet etiam vtrũ ſit propter quid, vel quia. Ad quod videtur negandum verumq; quoniam ſcientia propter quid habetur per cauſam: Deus non cognoſcit creaturas per cauſas proprias, niſi per propriam ſuimet eſſentiam. Dices eſſe nihilominus propter quid, cum nouerit eas per eminentiſſimam, & primariam cauſã, vt eſt ipſemet Deus, cauſa omnium; ergo erit ſic propter quid; inſuper cauſas ſecundas, & ſi non nouerit in ſeipſis motiuè, nouerit tamen in ſua infinita eſſentia, tãquam in cauſa cauſarum, ergo vndeuerſus erit à priori. inſuper notitia, quam habet de ſe ipſo, videtur propter quid, quoniam nouit ſe per ſeipſum, hæc autem cognitio eſt propter quid, quia à priori. præterea Pater nouit filium à priori, noſcens ſeipſum eſſe principium gignitiuum Verbi; & vterq; nouit propter quid Spiritum ſanctum ob rationem eandem, qua producunt ipſum, ergo vndequaq; erit propter quid, tum creaturarum cognitio, tum ſui.

Durandi reſponſio

4 Durand. in 1.d.35.q.4. ait ſcientiam, quam habet de ſe non dici propriè propter quid, cùm Deus non habeat cauſam: at quam habet de creaturis poſſe aliquatenus vocari propter quid, quoniam noſcit eas per eminentiſſimam cauſam, quæ eſt ipſe Deus. Alenſis 1.p.q.23.art.2. diſtinguit, aliud eſſe cognoſcere cauſam, & aliud cognoſcere in ratione cauſæ: primo modo erit propter quid, quoniam ipſe eſt ſuprema cauſa: ſecundo autem negatur, ſiquidem cognoſcere in ratione cauſæ eſt intellectum in cognoſcendo habere ſuæ cognitionis cauſam. at in Deo idem ſunt intelligens, & intelle-

ctum,

ctum, ergo non eſt opus medio, nec cauſa ad cognoſcendum. etſi arguatur, cognoſcere per cauſam perfectius eſt, quam cognoſcere abſq; cauſa. reſpondet, id verum de intellectu creato, vbi cognoſcens, & cognitum ſunt diuerſa, & non idem.

Vnũquodque reſoluitur in ſua principia.

5 Verũ ſupponendum eſt vnum, q vnumquodq; ens creatũ, & increatum debet reſolui in ſua principia, & cauſas. & ſi accidat, quod tale non habeat cauſas, debet tamen reſolui in ſuas intrinſecas, & eſſentiales rationes formales. quod ſi ſit quid ſimpliciter ſimplex, debet ſaltẽ reſolui in ſuum proprium, atq; ſimplicem conceptũ quidditatiuum. exemplum primi patet in phyſicis, reſoluendo compoſitum in materiam, & formam. & conſimiliter de entib. metaphyſicalibus, ſeũ metaphyſicè compoſitis, nam Angelus, & anima, reſoluuntur in ſuum genus, & differentias. exemplũ ſecundi, de Deo, qui licet careat cauſis componentibus, & propterea ſit ſimplex, tamen quia non eſt ſimpliciter ſimplex, cum habeat plures eſſentiales conceptus, ideo reſolubilis eſt in illos: patet autẽ multos eſſe eos, vt ens, exiſtentia, vita intellectualis, ſpiritus, & ſi qui eſt alius: cùm ergo Deus conſtet ex his eſſentialiter, ideo reſoluendus in hos: quia vero ij non ſunt cauſæ cauſantes, & componentes Deum, inſtar creaturæ, ideo alio nomine cenſentur, & appellantur rationes formales, ſiuè eſſentiales Dei. exemplum tertij de conceptu entis abſtracti, qui cum non habeat anteriores conceptus, ex quib. conſtet, ne detur proceſſus in infinitũ; & quia eſt omnino primus, ideo reſoluitur ſolum in conceptum ſuum ſimpliciter ſimplicem quidditatiuum: de ſecundo nobis eſt ſermo: & in hoc loqui poſſumus de duob. tũ de ipſo Deo abſolutè, tum de perſonis: de primo quidem dicimus Deum cognoſcere ſeipſum propter quid, & à priori: probatur habet Deus conceptus intrinſecos, & eſſentiales, ex quib. conſtat: ergo cognoſcendo eos, dicitur cognoſcere ſeipſum ſic conſtantem quidditatiuè à priori.

6 Nec obſtat dictum Alexandri, quod cognitio cauſaretur; hoc non ſequitur, quia Deus creaturas cognoſcit in diuina eſſentia vnde non eſt ab illis cauſata, cùm nõ moueatur à cauſis ſecundis, diuinus intellectus: at cognitio per diuinã eſſentiã erit propter quid in ordine ad creaturas. ita erit etiam propter quid penes ſeipſum; nõ procedendo à cognitione cauſarum cauſantium ipſum Deum, quæ ibi non ſunt. ſed à cognitione rationum formalium conſtituentium ſimpliciter Deum ipſum, vt ſunt conceptus illi eſſentiales allati. & nedum hoc verum erit penes ipſum contemplatum in ordine ad conceptus eſſentiales, & quidditatiuos, verũ penes conceptus alios, abſolutos, vt reperiri contingat rationem formalem vnius, quatenus ſit à rationc formali, & priori alterius conceptus: vt v.g. immutabilitas, & æternitas in Deo demonſtrari poteſt propter quid per rationem formalem cõceptus neceſſitatis, qua Deus eſt neceſſe eſſe; ſiquidem ideo immutabilis Deus, quia eſt neceſſe eſſe: ſicut ab oppoſito, ideo mutabilis, & corruptibilis creatura, quia eſt ens contingens: ſimiliter ideo æternus, quia immutabilis: quod namq; non mutatur, perſeuerat, Deus eſt immutabilis, ergo eſt æternus: in his habetur demõſtratio à priori: nec oportebit recurrere ad ſolam naturam tanquam ad radicem, vt ideo immutabilis, æternuſq; quia eſt Deus, talis enim demũſtratio eſt potius materialis, quàm formalis: at nos reddimus rationem formalem proximam talis demonſtrationis. reſtat igitur demõſtratio propter quid, & conſequẽter ſcientia propter quid in ipſo Deo; quia demonſtratio eſt ſcientia, ſicut demonſtrare eſt propriè ſcire: & hoc quoad abſoluta. multo autem amplius patet demonſtratio talis quoad reſpectiua: vbi dempto etiam nomine cauſæ, habemus veram productionem, verumq; principium: vt demonſtratur in diuinis adeſſe Filium, ſic, ibi eſt Pater, ergo Filius: eſt neceſſaria conſequentia, & ſequitur propter quid, quoniam Pater eſt principium Filij, & ſicut in humanis proceditur à Patre tanquam à cauſa, ad Filium veluti cauſatum, ita ibi proportionaliter proceditur propter quid ã producente ad productum,

Scientia propter quid in Deo tũ in ordine ad ſe, tum in ordine ad creaturas.

Deus ideo immutabilis, quia eſt neceſſe eſſe: & ideo æternus, quia immutabilis.

à generante ad genitum. Conſimiliter demonſtratur Spiritus Sanctus, vt eſt ibi ſpirator, ergo adeſt ſpiratus, & è contra: igitur ex dictis concludendũ, quòd ſemotis imperfectionibus cauſæ Deus habet demonſtrationem, & ſciẽtiam propter quid.

Deus cognoſcit ſe per ſeipsũ.

7 Remaneret diſcutiendum, an cognoſcat ſe per ſeipſum. ſed res ſine controuerſia eſt, eſtq; de fide cognoſcere ſe per ſeipſum; tum quia Deus non deſumit cognitionem à reb. creatis: alias *vileſceret eius intellectus*, teſte Ariſt. tùm quia creata omnia cognoſcit etiam per ſuam eſſentiam infinitam, ergo multo magis ſe noſcit per ſeipſum; tum quia nullum obiectum eſt motiuum intellectus diuini, niſi ſua infinita eſſentia; tùm quoniam *ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci*, Deus autem quoad eſſe, eſt independens à rebus creatis, ergo & quoad cognoſci; tùm deniq, quoniam ſolus Dei intellectus eſt diuinæ eſſentiæ proportionatus, & adæquatus, & è contra. Accedit, quod ſi nulla extaret creatura, nec actualis, nec poſſibilis, Deus etiã cognoſceret ſeipſum, at non cognoſceret ſe niſi per ſe. itẽ ante eſſe idæale, & cognitum creaturarum, perfectè nouit ſeipſum, non autem id potuit haberi per idæas, cùm ſubſequantur, ergo nouit ſe per ſeipſum.

QVÆSTIO III.

Vtrum Dei ſcientia ſit comprehenſiua ex mente Philoſophorum.

Deus ſolus comprehẽdit ſeipſum

1 DE ſubſtantia quæſiti nulla lis; etenim perfectiſſimè nouit cuncta; tùm ſe, tùm alia: ſe quidẽ, itaut non valeat ſic intelligi à creatura, vt *Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi ſpiritus Dei, qui in ipſo eſt.* 1. Cor. 2. ideſt, *nemo ſic perfectè nouit, ſicut Deus.* & ibidem, *Spiritus perſcrutatur, etiam profunda Dei.* Alia quoque, vt, *oculi Domini contemplantur vniuerſam terram.* Iob 28. & prou. 24. *qui inſpector eſt cordis, ipſe intelliget.* Hebr. 4. *omnia nuda, & aperta oculis eius.* ac denique nil eſt in noſtra cognitione, ac mente, quod ipſum lateat, vt concludit Ioan: epiſt. 1. c. 3. *maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia.* ſicque docent omnes Theologi, & eſt de fide. nullaq; penes ipſos eſt controuerſia circa comprehenſionem abſolutè.

Quid ſenſerit Ariſt. de cognitione Dei circa entia creata, ex Ambroſio, Nyſſen. Gabriele. 5

2 Solum difficultatẽ generat, quæ nam fuerit circa hoc mens antiquorũ Philoſophorum, vt Ariſtotelis, Auerrois, Auicennæ; obſcurum namq, eſt de Ariſtotele id inueſtigare: qui quidem videtur negaſſe Deo hãc, rerum creatarum ſaltem, comprehẽſionem: quod liquet ex 12. met. t. 51. vbi ait, *Deum aliqua non cognoſcere*: quæ vero ſint illa, inquit, *eſſe res viliores, quas ſi noſceret, vileſceret eius intellectus*: melius autem exiſtimauit inde Ariſt. Deum hæc vilia non noſſe, quam cognoſcendo vileſcere. hanc etiam ſententiam ipſi adſcribit Auerroes eo in loco: & poſt ipſum ex Patrib. Nyſſen. l. 8. phyſ. c. 4. Ambroſ. l. 1. de offic. c. 13. & ex ſcholaſticis Gabr. in 1. d. 35. q. 2.

quid Auerroes ex Gabriele.

3 De Auerroe, ex mente eiuſdem Gabrielis, conſtat in eãdem iuiſſe ſententiam, in quam refert Ariſtotelem: velut Commentatorem eandem amplectantem doctrinam, quam docuerat textus.

De

Quid de Auicenna Auerroes. 4 De Auicenna deniq; idem Cõmentator in ſuam eũ quoq; trahit ſententiam in d.12. deſtructorij; quoniam exiſtimauit, minimè contingentia poſſe cognoſcere Deum; ſiquidem contingentia variabilia ſunt, Dei autem ſcientia inuariabilis: illa non neceſſaria ſunt, ſed entia contingentia; hæc vero quid æternum, perpetuum, ac neceſſarium: ergo hinc ipſe etiam negauit comprehenſionem omnium in Deo.

Ariſt. non negauit in Deo cognitionem omnium, etiã ſingulariũ. 5 Quidquid tamen ſit de Auicenna, & Auerroe: nobis oppoſitum eſt ſentiendum de Ariſtotele: atq; aſſerimus non negaſſe hanc in Deo rerum omnium, ac ſingularium cognitionem. probari autem poteſt ex ſuæ doctrinæ locis: & in primis aperta eſt de re hac mens eius in l.de cælo, & mundo ad Alex. vbi ait, *omnes aeris, terræ, & aquæ res, Dei opera dicere poteris.* quod ſi ita vniuerſaliter loquitur, non eſt vt effectum vllum ſingularem excludat. Item ipſe iam docuit Deum eſſe intelligentem, & volentem; ergo dum idem docet omnia eſſe opera eius, docet quoque ea opera exercere mediãte intellectu, & cognitione, & ſic cognoſcere ſingula. Deniq; dum percurrit elemẽta, iam nullum effectum excludit à ſua cognitione; enumerat namq; elementa aeris, terræ, & aquæ: conſequens eſt, vt dum ad ſingula elementa deſcendit, ſingulos etiam elementorum docuerit noſſe Deum effectus, & euentiones.

Ariſt. cur loquens de cognitione Dei reticuit elementum ignis. 6 Dices cur tria ſolum enumerault elementa, tacendo ignem, ergo vel ignarus ignis, vel negauit cognoſcere elementum ignis, vel quæ fiũt in igne; Reſpondetur ob duo id tacuit; primo quia loquebatur de elementis illis, quę viciniora ſunt nobis, & propterea magis, & facilius ſenſu percipiuntur; ignis autem eſt remotior à nobis, prout delitescens in concauo lunæ: ob idq; effectus cæterorum elementorum ſunt nobis notiores, quos ſenſim experimur, ac ſemper: ſecundò, quoniam in eorum trium elementorum enumeratione complicuit etiam tacito elemẽtum ignis; ſiquidem in elemento terræ ſiſtendo, accendimus ignem, & vtimur igne. in elementum etiam aeris aciem eleuando conſpicimus ſæpè ignem, vt trabes ignitas, exalationes accenſas, cæteraſq; aereas impreſſiones. Verum quia ex quatuor elementis conſtant ſingula, quæ hic in inferioribus eueniunt; merito appoſuiſſe dicatur Deũ ſingula cognoſcere, quia cognoſcendo elementa, cognoſcit elemẽtata: cognoſcendo perfectè cauſas, cognoſcit effectus. Confirmatur, quia non dixit, aerem, terram, aquam, eſſe opera Dei, ſed effectus ex terra, aqua, & aere manantes, eſſe ipſa opera Dei. quod multò magis ſpecificat cognitionem diuinã: quæ dum fertur ad effectus promanãtes ex elementis, tanquam ex cauſis, fertur quoque ad ipſa elementa, & cauſas.

Probatur aliunde ex eodem. 7 Alter locus eſt ex primo de cælo t.13. vbi ait, *Deum, & naturam nihil agere fruſtra*: at quomodo, ſciret Deus effectum aliquem productum, eſſe vel non eſſe fruſtraneum, niſi ipſum cognoſceret: verum quia ſcit ipſe Deus effectus omnes à ſe, ſiuè mediatè, ſiuè immediatè productos, ordinatos eſſe ab æterno ad proprium finem, ergo eos producendo, & conſeruando, & ordinando, optimè pręcognouit, quod namq; ad nullum finem ordinatur, id fruſtra fit, ſed docuit Ariſt. Deum non agere fruſtra, ergo docuit ſingula intelligere. Obſugere poteris, quod effectus aliqui adeo minimi, non venerint in eius cognitionem: id etiam ipſi Philoſopho aduerſatur, nedum Theologo, ſiquidem etiam minutiſſima quæq; ac viliſſima in proprios deſtinat, ac pręordinat fines: quod apertiſſimè docuit in 2.Phyſ. vbi oſtendit naturam agere propter finem: ergo ſingula, etiã minima naturæ opera ſunt ad finem: & ſubdit inſuper, *naturam in agendo eſſe directam à ſuo Auctore*; ideoq; ſubſequitur, *natura opus eſſe ôpus intelligentiæ*, non errantis: ergo à primo ad vltimum, totus hic progreſſus naturæ eſt comprehenſus à Deo.

Probatur item. 8 Singularius autem deſcendit ad mentem ſuam explicandam in lib.10. Ethic.c.8. cùm ait, *eum, qui fælicitati aſſiuo contemplatiuam coniungit, eſſe Deo chariſſimum.* & l.1 Aeconom.c.3. deſcendit ad *viri, ac mulieris ſocietatẽ*: eamq; ait, *à diuina eſſe prouidentia ordinatam.* ergo conſequenter id docuerit

rit de prole, filijs, domus regimine, filiorum gubernio, & enutritione: quis autem ignorat hac in re multa aduenire minuſcula, parua, ac vilia multa, præcipuè circa domus regimen, corporũ compoſitionem, animorumq; pacificã colligationem; vt euitentur iurgia, ſoluantur lites, cæteraq; ad congruum gubernium poſſint rite præſtari. Deniq; ipſemet inuehitur contra Empedoclẽ, dicentem quædam, ex quibus Ariſt. in hoc adducit incommodum, vt Deum eſſe aliquorum ignarum, cogatur aſſerere. in l. 1. de an. t. 10. hæc ergo ſufficienter conuincunt non negaſſe in Deo ſingularium rerum comprehẽſionem.

Patrum loca, quę prima facie fauere videntur Ariſtoteli.

9 Sed quomodo ſaluabimus eum ex oppoſito loco ſuperius recenſeo. Dicimus conſimiles loquutiones reperiri quandoq; apud grauiſſimos Patres: ex quibus tamen loquendi modis non poterit elici, ipſos negaſſe Deum cognoſcere ſingula, & viliora: locus eſt penes D. Hieron. in Habac. 1. vbi ait, *abſurdum eſt ad hoc adducere diuinam Maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices.* en quomodo D. Hieron. loquendo de vilibus, vt ſunt culices, negare videtur hanc cognitionem à Deo. Item amplius quid reperimus penes Paulum, qui non de minimis culicib. ſed de magnis bobus, ait, 1. Cor. 9. *numquid Deo eſt cura de bobus?* & multo plus eſt id, quod habemus ex D. Aug. l. 83. quæſt. 46. *Deum nihil cognoſcere extra ſe.* quæ, & conſimiles loquutiones ſi ad vocem expendantur, errorem; ſi ad mẽtem, ac finem proferentium; pietatem, & catholicam doctrinam præſeferunt.

Paulus, & Hierony. dum videntur negare cognitionẽ de vilioribus, exponuntur.

10 Et primo, nõ fuit mens D. Pauli, neq; Hieronymi, negare Deum cognoſcere culices, & boues; ſed mens fuit aſſerere Deum irrationabilium animalium non habere tantam curam, quantam habet de hominib. & quidem maiorem curam habet de homine, quã de bobus; & maiorem de bobus, quam de culicib. de vnoquoq; tamen curam, & prouidentiam habet ad proportionem entitatis, atq; nobilitatis, ſeu finis ad quem ordinatur: maiorem ſiquidem curam habet de bobus, quam de culicib. ſiquidem boues ſunt magis neceſſarij hominib. quam culices: illi namque & arua ſcindũt, & carnib. proprijs paſcunt homines; cum tamen culices nullius ſint hominib. beneficij, immo infeſtationis, & moleſtię. quod vero ita ſenſerit Hieronymus, colligitur ex iis, quæ ſequuntur, *Non ſimus ita fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius, etiam adima detrahimus, in nos iniurioſi ſimus, eandem rationabilium, & irrationabilium curam Deo eſſe dicentes.* itaq; conſtat docere non eſſe eandem curam rationabilium, atq; irrationabilium: qui tamen inde expreſsè docet habere ſimpliciter curam de omnib. etiam minimis, proportionaliter tamen: inquit .n., *ſicut in Hominib. etiam per ſingulos, Dei currit prouidentia, ſic in cateris animalib. generalem quidem diſpoſitionem, & ordinem, curſumq; rerum intelligere poſſumus: quomodo naſcatur piſcium multitudo, & viuant in aquis: quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis.* ex quibus conſtat his non obſtare, quæ ante dixerat, *abſurdum eſt ad hoc deducere Dei Maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula quot naſcantur culices, quotue moriantur, quæ cymicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo: qui piſces in aqua natent: & qui de minorib. maiorum præda cedere debeant.* hæc de Hieronymo, & D. Paulo: Conſimiliter eadem dicamus de Ariſt. vt non negarit de his minimis ſcientiam, ſed negauerit tantam, tantaq; curam, quantam habet Deus de maioribus, atq; perfectiorib. creaturis. Nec mirum, quoniam ſcientia quandoq; ſumitur nedum pro puro actu cognitionis, ſiſtente intra limites ſpeculationis: ſed ſumitur etiã pro ſciẽtia practica, dicẽte ordinẽ ad praxim, atq; ad gubernium; hoc ſecundo ſenſu militat reſponſio data fatuis Virginib. *neſcio vos*: in ordine. ſ. ad ſalutẽ, ſciẽtia ea, qua electis meis prouidere ſcio de medijs efficacibus ad ſalutem: ſeu *neſcio vos ſcientia approbationis, iam enim vos reprobaui*, inquit Alenſis. ſic in propoſito negat Ariſt. tantam ſcientiam practicam de minimis, quantum ei tribuit de maiorib. non autem negat ſcientiã abſolutè, ſeù perfectiſſimæ comprehenſionis, qua diuinus intellectus ſingula contemplatur.

Ariſt. exponitur circa cognitionem Dei.

11 Ad

Aug. expo-nitur. 11 Ad Auguſtinum etiam, nec ipſe negat Deum cognoſcere res extra ſe, cùm infinita ſint penes eum loca, in hac eadem materia adducenda, de diuina cognitione: ſed negat cognoſcere more humano, ſumendo cognitionem à rebus creatis motiuis; nullũ namq; obiectum extra Deum mouet Deum ipſum ad cognitionem, ſed terminat; cum ſola ſua eſſentia moueat: & ſic etiam exponi poſſet idem Ariſtot. *etenim verè vileſceret diuinus intellectus, ſi motiuè à rebus creatis deſumeret cognitionem* Dum ergo ait, *vileſceret Dei intellectus cognoſcendo hac*, intelligitur, quòd vileſceret ſi intelligeret *motiuè*, à rebus creatis.

Deus vileſceret ſi cognoſceret res viliores ex Ariſtot. exponitur.

Deus nõ cognouit fortunã bonã iniquorum ex Ariſtot. exponitur. 12 Alterum, poteſt obijci contra eundem Ariſt. quod l. 2. moral. c. 8. dixit, *bonam fortunam iniquorum hominũ non eſſe in Deum referendam*. ex hoc videtur negare referendam, quia fortunas hominum, ſaltem iniquorum, non nouit. At hoc non obſtat; non. n. negat referendam, quaſi eam non cognouerit; ſed ideo, ne dicatur Deus Auctor mali: ſubdit enim, *quod ſi huiuſmodi diſtributori Deo adſcribimus, malum ipſum Iudicem faciemus.* Conſtat autem etiam penes Theologos Deum non eſſe auctorem iniquitatis. quidquid tamen ſit de fortuna vel bonis, vel malis præbita, iam etiam conſtat non negare iniquorum fortunam prouenire à Deo ex eo quod fortaſſe non cognouerit, ſed aliunde: Theologus autem, & fidelis diceret iniquos indignos prorſus eſſe omni bono fortunio, vt ita loquar: quod ſi eis bona contingũt, vel præmia tẽporalia ſunt bonorum, quæ aliquando fecerunt, ex Auguſt. vel vt ex his moueãtur magis ad amorem Dei. plura infra diſp. de Prouie. quæſt. 2.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ex probationibus Aliorum concludatur Deum comprehendere ſeipſum.

Quæſtionis ſtatus. 1 Hactenus de Philoſophis. Conſtat igitur ex vtrorũque ſententia, tũ ipſorũ, tũ Theologorum, Deum latere nihil, et cõprehendere ſingula. Nunc verò expẽdenda eſſet ipſa ratio, & natura comprehenſionis, & videndum quæ neceſſario requirantur ad comprehenſionem. id tamen congruentius præſtabitur in materia viſionis beatificæ. ſolùm afferenda eſt aliqua probatio, ducta ex principio theologico, vel philoſophico pro oſtendendã eadem Dei comprehenſione.

Probatio D. Tho. 2 Diuus Thomas probat Deum comprehendere ſeipſum ex hoc principio: Deus videndo eſſentiam ſuam, cognoſcit per eã omnes effectus producibiles; ergo per hanc viam comprehendit ſeipſum: anteced. prob. quia effectus omnes producibiles continentur in eo: ij autem ſunt infiniti; ergo hinc comprehendit eſſentiam ſuã. ſic probat in 1. p. q. 12. art. 8. & p. 3. q. 10. art. 3.

3 Verùm ratio hæc magis eſt apparens, quàm cõuincens, ipſamq; improbant Aureol. Gotfred. Scót. atq; Scotiſtæ omnes in 3. d. 14. q. 1. 2. quidquid tamẽ ſit de eorum impugnationibus, modo eas linquimus, & transferimus ad materiam beatitudinis: ſolũmodo vnam, vel duas, pro nũc, afferemus impro- *Impugnatur à Scoto*

probationes, ſingulas transferendo eouſque.

Ex comprehenſione finiti nõ poteſt cõprehendi infinitum.

4 Vna ſit, quærendo quodnam eſſe dat Deus effectibus creatis: aut dat eſſe finitum, aut infinitum: non ſecundum, vt conſtat: ergo primum: ſed ex comprehenſione finiti non poteſt comprehendi infinitum; ergo licet cõprehendat omnes effectus, non tamen ex eorum comprehenſione comprehendit ſemetipſum. minor prob. quia *finiti ad infinitum nulla eſt proportio.* Confirmatur: qualis eſt proportio in entitate, talis in cognoſcibilitate, quia *ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci*: ſed effectus ſunt finiti in entitate; ergo finiti in cognoſcibilitate: ſed qualis eſt cognoſcibilitas alicuius penes ſeipsũ, talis eſt einſdem in analogia, & ſymboleitate ad alterum; ergo à primo ad vltimum ex comprehenſione effectuũ non comprehendit ſeipſum. Accedit, quod ex comprehenſione creaturæ comprehenderetur Creator: ex comprehenſione dependentis comprehẽderetur Independens: ex comprehenſione imperfecti comprehenderetur perfectiſſimum: & ex comprehenſione deniq; rei terminabilis, comprehenderetur Deus omnino interminabilis.

Obſtatur ex Apoſt.

5 Dices, hoc eſt contra Apoſtolũ dicentem, *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt cognoſcuntur*: Reſp. quod non dicit, *comprehenduntur*, ſed cognoſcũtur.

Soluitur.

6 Dices, loqui de cognitione actiua eiuſdem creaturæ, quam creatura habet de Creatore per creaturam, quæ non poteſt ideo eſſe comprehenſio, quia cognoſcens eſt creatura: hoc non obſtat; nam D. Paulus nedum expendit intellectum, & perſonã cognoſcentem, ſed etiam ipſum medium cognoſcendi: licet namque creatura cognoſcens ſit finita: etiam Paulus docet medium cognoſcẽdi eſſe finitum, illud autem eſt creatura, & res factæ. hoc vero eodem modo finito ſe habet in repreſentando Deum ipſi Deo, ſicut ſe habet in repreſentando Deum creaturæ; ergo ſi huic non eſt ratio comprehendendi, nec erit Deo. Confirmatur, quod de ſe eſt tale quidditatiuè, & eſſentialiter, omni, & vbicunque ponatur, erit tale: at creatura finita eſt; ergo modus cognoſcendi per eam finitus, omni cognoſcenti erit finitus, & ita Deo, ſicut creaturæ. Quantum item eſt medium cognoſcendi, tanta eſt cognitio: ſed creatura eſt medium finitum, ergo cognitio non poteſt eſſe comprehenſiua, & infinita.

Quantum eſt medium cognoſcendi, tanta eſt cognitio.

Ex effectibus numero finitis non habetur cõprehẽſio, quia ſun entitatiuè finiti.

7 Dices, finitas concluditur ſpectando vnum, vel plures effectus: cæterum non hos tantum cognoſcit Deus, ſed omnes, tùm exiſtentes, tùm poſſibiles: ij autem infiniti ſunt: ex cõprehenſione autem infiniti comprehenditur Deus. ſed impugnatur. licet effectus numero infiniti eſſent, nihilominus eſſẽt finiti in entitate, ergo entitatis finitæ infinitorum numero effectuũ nulla erit proportio ad comprehenſionem infinitæ entitatis. quòd entitas infinitorum numero effectuum ſit finita, iam patet, eſſet namq; infinitas ſolũ numerica rerum creatarum, non entitatiua vt hominis, Angeli, ac cæterorum.

8 Arguitur inſuper: taliter ex effectibus repræſentatur in comprehenſibilitate Deus, qualiter effectus ſunt infiniti: ſed effectus ſunt infiniti in numero, & non in entitate; ergo repræſẽtabunt Deum numeraliter infinitum, & non infinitum in entitate, & ita Deus ex comprehenſione infinitorũ effectuum poſſibilium comprehendet reperiri infinitos numero Deos, nullum tamen Deũ infinitum in entitate.

Infinitas multiplex.

9 Dices, hæc effectuum numeralis infinitas, eſt etiam infinitas entitatiua, quia numerus infinitus eſt formaliter infinitus. Verùm hoc eſt falſiſſimum; quia qualia ſunt componentia tale eſt compoſitum: ſed vnitates numeri ſunt formaliter finitæ in entitate, ergo totus numerus infinitus erit numerus entitate finitus. ſed petes, quare ergo vocatur infinitus; vel igitur erit etiam entitate infinitus, vel deſtruitur numerus infinitus. Reſp. quòd reperitur multiplex infinitas: altera entitatiua, & formalis: altera numeralis: altera intenſiua, altera extenſiua: prima competit ſoli Deo: ſecunda vtpote numeralis, & extenſiua cõpetit numeris: & hæc erit infinitas numeralis, & extenſiua, quæ tamen ſtabit cum finitate intenſiua: vnde infinitas nu-

Infinitas numeralis non eſt infinitas entitatiua.

numeri non eſt appellanda abſolntè, & ſimpliciter infinitas, ſed addendo eſt conditio diſtrahens, deprimens, contrahens, nempe infinitas numeralis: erit quoq, enumeratio infinitorũ effectuum poſſibilium, infinira extenſiuè, non intenſiuè. Dices vnaquæq; entitas dicit ſuam perfectionem, ergo infinitæ numero entitates dicent infinitas perfectiones. Reſp. dicere perfectiones infinitas numericè, nõ formaliter. Contra, omnes ſunt infinitæ numero, ergo ſnnt infinitæ entitates, ergo erunt infinitæ entitatinè. Reſp. erũt infinitæ entitates extenſiuè; non intenſiuè, quia omnes perfectiones erũt infinitæ in numero ſolo: at vnaqnæque erit intrinſecè finita, ex finito autem intrinſecè, & intenſiuè non poteſt cõponi, nec concludi infinitum formaliter, & intenſiuum, ſed ſolùm extenſiuè.

Qualis infinitas effectuum, talis cognitio inde deſumẽda Dei.

10 His ſtantibus qualis eſt infinitas effectunm poſſibilium, talis, ac tãta eſt Dei comprehenſio deſumpta ex infinitate effectnnm; ſed illa non eſt infinitas entitatina, ſed numeralis extenſiua, ergo inde Deus non coarguet infinitatem ſnam entitatiuam, ſed infinitatem nnmeralem, & ita colliget ſe non eſſe vnum Denm, ſed infinitos Deos, & plures.

11 Inſuper infinitas hæc numeralis accidit ſubſtantiæ, & entitati effectuũ; ergo ex illis nõ neceſſario arguitur comprehenſio dinina. antec. patet, quia eſt quid poſterius entitate cuiuſque effectus, ergò non eſt de intrinſeca ratione effectunm. item poteſt ſeparari ab effectibus, vtpotè dematur vnus effectus, & deſtruetur infinitas. item effectus plures, & plures ſtant ſine tali infinitate, ergo eſt eis quid accidẽtarium; hinc verò ſequitur Deum non accipere firmum mediũ comprehendendi ſe ex comprehenſione talis infiniratis, quia poteſt adeſſe, & abeſſe ab effectib. ergo nunc comprehenderet, nnncnon comprehenderet.

Ex cognitione effectus deuenitur in cognitionem perfectam cauſæ quãdo effectus eſt omnino ſimilis, et æqualis cauſa.

12 Deniqne argumentor, ſnpponendo vnum, tnnc ex cognitione effectus poſſe perfectè cognoſci cauſã, quando effectus prodijt vt omnino ſimilis ſuæ cauſæ; cùm verò talis ſimilitudo non interuenit, fruſtra laborat qui velit cauſam comprehendere ex diſſimilitudine ſui effectns: ſi quæ tamen cognitio inde capitur, ea erit obſcura, & imperfecta. ſit exemplum primi: Verbum diuinum eſt imago Patris: eſtq; perfectiſſima imago eius, ſimileq; illi omnino, tùm in entitate, rũ in infinitate, tùm cæteris perfectionib. vtrinſq; poſſidet namq; diuinitatẽ eãdem, cõſubſtantialem, immo ſunt vnũ, idemq; Deus. qno ſtante, ſi velit Pater ex Verbi cognitione comprehendere ſemetipſum, facillimè poterit, & ita ex termino producto cognito, & cõprehenſo haberi poterit optima Perſonæ prodncentis comprehenſio, & generantis. At in creatis effectibus, non ſic, vbi inter Creatorem, & creaturam, nec idẽritas interuenit, nec æqualitas: quod ſi ſymboleitas intercedat aliqua, iam conſtat eam eſſe remotiſſimam, & valde improportionatam; cùm finiti ad infinitum nnlla ſit proportio. His ſtantib. arguirur, effectus etiam in infinitum producibiles, paruã habent proportionem ad Creatorem, vtputa in conceptibus communibus entis, & ſimilium per vniuocationem ex Scoto, immo ex alijs nulla datur vninocatio: ergo ex effectnum cõprehenſione paruam poterit Deus habere cognitionem, ne dicam comprehẽſionem de ſeipſo. antecedens patet, qnia infinitum vnum, & finitum alternm. Conſequens ex dictis ſequitur. & cõfirmatur, quid namq; eſt aliud creatura, & creaturæ entitas, & perfectio, quàm quædam finita participatio infinitæ entitatis, infinitarnmq; perfectionum Dei? at omnis ſiue entitas, ſine perfectio creaturæ, finita eſt; ergo ex comprehenſione creatarum perfectionum non poterit comprehenſionem habere de ſeipſo Deus, ſed ſolam aliqualem finitam, & terminabilem apprehenſionem, qnia Dens apprehendit, & compreliendir res, pront ſunt, ſed effectus ſunt entitate finiti, & comprehenduntur à Deo vt finiti, ſed finiti ad infinitum nulla eſt proporrio, ergo nulla comprehenſina cognitio quatenus deſumitur à creatura, vt inde comprehenſiuè cognoſcar ſeipſnm Deus, comprehendir ergo ſeipſum Deus aliunde, quàm ex comprehenſione creaturarum. Rationes cæteras

affe-

aſſeremus proprio loco de viſione beatifica.

Cōprehen. ſio intenſiua, extenſiua. 13 Hoc ſtante, quod hinc nō poſſit oriri comprehenſio, oſtendamus breuiter vnde oriatur. Comprehenſio duplex eſt, intenſiua altera, & altera extenſiua: illa ſe tenet penes diuinam eſſentiam, & perſonas, atq; modos intrinſecos, & perſonas: hæc ordinem etiam dicit ad creaturas. Magna inter vtraſq; differentia: ſed ea, quæ in propoſito ſufficit, eſt; vt prima non egeat ſecunda, nec pendeat ex ea, ſicut è cōuerſo; patet, quia Deus non pendet à creatura, ſed è conuerſo. inſuper in prima comprehenditur eminentialiter ſecunda, non è conuerſo; conſtat, quoniam in Deo cōtinentur ſic creaturæ, & virtualiter, non è contra. His poſitis arguitur: ſecundùm vtramque viam ſe comprehēdit Deus, ergo &c. probatur antec. Deus perfectiſſimo modo cognoſcit ſe ad intra: perfectiſſimo etiam modo ſe cognoſcit ad extra, ergo ſe vndequaq; comprehendit. Probatur aſſumptum, nihil Deum latet ex ijs, quæ ſunt ad intra: nihilq; eūdem latet ex his, quæ ſunt ad extra, ergo remanet intentum.

Deus quæ ad intra, et quæ ad extra ſunt, comprehēdit. 14 Inſuper perfectè rem cognoſcere eſt adæquatè eam noſcere: ſic Deus ſe habet penes intra, & extra, ergo perfectè comprehendit. antec. patet: minor probatur facillimè. nam ſi inſpiciamus quæ ſunt ad intra reperitur inter cognoſcentem, & cognitum, tum in eſſendo, tum in cognoſcendo, omnimoda adæquatio: ſi inſpiciamus ad extra, reperiemus nedum adæquationem in ratione cognoſcendi, immo exceſſum. probatur de ad intra; ſiquidem eſſentia, attributa, relationes, modi intrinſeci ſunt infinita: intellectus autem diuinus eſt infinitus; ergo adæquatio. Sed ſicut res ſe habent ad entitatem, ſic ad cognoſcibilitatem; ergo ſi intellectus, & obiectum ſunt infinita entitatiuè, erunt ſic infinita cognoſcibiliter; expetit vero obiectum primariū cognoſci infinitè, ergo ſic cognoſcitur infinitè ab intellectu infinito, ergo ſtat adæquatio in entitate, & cognoſcibilitate. & ex his ſequitur comprehenſio. Probatur de obiectis ad extra. hæc finita ſunt, diuina cognitio eſt formaliter infinita; ſed infinitum excedit finitum in entitate, & cognitione, ergo Deus in cognoſcendo extra ſe, excedit illa: hic autem exceſſus nota eſt perfectiſſimæ comprehenſionis. Confirmatur, quia nedum diuinus intellectus attingit perfectiſſimè ad totam intelligibilitatem obiecti creati, verum tranſgreditur illam, quia ſufficiens eſt diuinus intellectus plura, & perfectiori modo intelligere creata obiecta, ſi plura, & perfectiora eſſent. Inſuper eſt in entitate, & in virtute cognoſcendi infinitus: creata autem obiecta ſunt in entitate, & cognoſcibilitate quid finitum: ergo ille excedit; ſicq; ex vtroque capite concluditur comprehenſio.

Comprehēſio de obiecto infinito 15 Accedit, quod diuinum obiectum eſt neceſſario ab increato intellectu cognoſcibile, & neceſſario poſtulat naturali neceſſitate cognoſci ab eodem intellectu ſecundum omnem gradum, & modum ſuæ perfectionis: intellectus inſuper, quia potentia naturalis eſt, neceſſario poſtulat cognoſcere ſuum adæquatum obiectum, ſic ſecūdum omnem cognitionis modum infinitum, potentem competere potētiæ cognoſcitiuæ infinitę; ergo eſt adęquatio, & commenſuratio inter intellectum infinitum, & obiectum infinitum, in entitate cognoſcibilitate, & modo, ac gradu cognoſcendi. inde vero conſurgit comprehenſio.

Inter intellectum infinitum, & obiectū nō eſt cōmenſuratio entitatiua, ſed cognitiua, immo exceſſus. 16 Dices, talis commenſuratio nō interuenit inter diuinum intellectum, & obiectum creatum, ergo ceſſat adęquatio, & comprehenſio. Dicendum, quod non interuenit commenſuratio, & adęquatio entitatiua, ſed cognitiua: quoniam cognoſcitur ſecundum totū, ſecundum quod cognoſcibile eſt: & hæc adæquatio ſufficit ad comprehenſionem. Immo nedum adæquatur, ſed excedit, vt dixi, quoniam intellectus infinitus aptus eſt de obiecto creato plura cognoſcere, & ampliora, ſi plures, & ampliores cognoſcendi rationes eſſent in eo.

Cōprehendit creaturas ab æter no, quatenus in eſ- 17 Deniq; in ordine ad extra pateſcit diuina comprehenſio; quoniam ſiue res extra ſint, ſiue non; nunquam tamen deficit Deo modus ea cognoſcendi perfectiſſimè, immo intuitiuè.

prob.

Eſſentia diuina contētas eminēter,& virtualiter.

prob. quoniam in ipſius eſſentia continebantur ab æterno eminentialiter: in eiuſq; potentia continebantur virtualiter;ergo inſpiciendo eſſentiam, & potentiam ſuam perfectiſſimè nouit, & comprehendit, etiam antequam eſſent. Concluſio deducitur ex dictis, quia intellectus adæquatur eſſentiæ infinitæ, infinitæq; potentiæ, ergo nouit quæ in tempore producit, & producet,& quæ ab æterno fuerat producturus; Immo multo perfectius ea æternaliter comprehendit, quam res ipſæ creatæ, fuerint in ſe comprehenſibiles: probatur,quia ex Aug.l.9.de Trin.c.10.*inferiora nobilius eſſe habent in ſuperiorib.quam in ſeipſis*;ſicq; creaturæ nobilius eſſe habent per continentiam in diuina eſſentia,quàm in ſeipſis; ergo Deus dum ea æternaliter nouerit in beatiſſima eſſentia ſua, infinitaq; potentia, nil minus perfectè ea comprehendit,immo perfectius.Patet amplius comprehenſio, contemplando potentiam diuinam valentem tot, & tot in infinitum producere, quot continetur in virtute Dei, & comprehendendo, nedum ſecundùm ſubſtantiã,ſed & ſecundùm gradum,intenſionem, omnemq; modum eſſendi; itaut diuinum intellectum nil lateat, nec de ſubſtantia, nec de fine, & modo producendi &c.

Quidquid ſcientia cōprehenditur, ſciētis comprehenſioni finitur, declaratur.

18 Explicanda tamen venit quædam Auguſtini definitio de comprehenſione, quia quæ diximus videntur difficultatem habere ex definitione Auguſtini. is autem in epiſt,112. c.8. ait, *quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* hinc tamen arguitur diuinam eſſentiam alioqui infinitam,eſſe finitam; quia finitur per ſcientiam ſcientis Dei. Verum eſt facilis explicatio.vt non dicat Auguſt. finiri obiectum cognitum diuinũ in ſeipſo, ſed finiri tantum intellectui cognoſcentis. Aliud namque eſt finiri in ſe, aliud finiri Alteri: & quidē quædam duplici terminatione finiuntur; tùm in ſe, tùm in altero; quædam ſolummodo vnica, vt alteri: exemplum primi deſumitur ex corporeis;vt ſphęram,quam pugno occludo, dicendum ſit eſſe finitam ſibi,& alteri: ſibi quidē, cùm ſit entitate finita; alteri etiam, quia comprehenditur,& clauditur pugno. exemplum ſecundi, diuina eſſentia in ſe infinita eſt,non finita: intellectiui tamen diuino comprehendenti eam dicitur quaſi finita; quandoquidem capit eam ſecundum totum id, quod eſt in ea. quod alijs terminis explicatur, vt in ratione quidem entis diuini,ſit infinita:in ratione tamen obiecti cognoſcibilis,finita: non tamen finita ſimpliciter in ſe, ſed finita cognoſcenti, quia tota comprehenditur, & nihil ſupereſt de ea. Vel inſuper ideo dicatur finiri, quia non excedit cognoſcentem:quod optimo exemplo declarat Scot.in 3.d.14. quæſt.2.lit.F. *vna perſona dicitur finita alteri quodammodo, quia vna non excedit alteram, cùm ſint æquales,& idem Deus;attamen nulla ipſarum eſt ſimpliciter finita.* ſic diuinus intellectus, & diuinum obiectum, quia adæquantur inuicem, dicuntur quodammodo inuicem finiri, cùm nec obiectum excedat intellectum, nec intellectus obiectum; attamen ſimpliciter ambo ſunt infinita. Vel denique eſt finitio, & terminatio extrinſeca:exemplum de punctis infinitis, & de partib. proportionalibus continui infinitis:in quo quidem continuo eſt initum,& finis: & in quo cōtinuo clauduntur infinita puncta, & partes proportionales infinitæ: attamen finitio,& terminatio infinitorum eſt ſolummodo extrinſeca. ſiuè eſt finita negatiuè, non poſitiuè: negatiuè quidem,quia nihil ſupereſt, quod non intelligatur de Deo:& hoc eſt dictum negatiuè:attamen eſt infinita poſitiuè, quoniam formaliter, realiterq; diuina eſſentia eſt verè infinita, & pelagus diuinarum perfectionum infinitum.

Eſſentia diuina in ordine ad cōprehendi à diuino intellectu vtrum finita, an infinita.

QVÆSTIO V.

Vtrum Dei ſcientia de ſeipſo ſit practica, vel ſpeculatiua.

Status quæſtionis.

1 STatus controuerſiæ facillimè ſoluitur ſi conditiones ritè expendantur requiſitæ ad praxim: inde namque pendet lis, quoniam in cōditionibus praxis examinandis Doctores non concordant. Primo autem diſcurramus de neceſſarijs, inde de contingentibus.

Cōditiones praxis ex Alijs.

2 Alij quidem ad praxim requirunt, vt voluntatis practicantis operatio ſit omnino libera, & contingens: ex cuius oppoſito deducunt ſcientiam Dei de ſeipſo amando à diuina voluntate non eſſe practicam; nō.n.eſt amor liber, ſed naturalis; cum naturali neceſſitate diligat diuina voluntas Deum. Exquirunt inſuper vt voluntas practicans reguletur, & dirigatur actu ab intellectu: cum vero Dei voluntas irregulabilis ſit, etiam à diuino intellectu; hinc ceſſat vt eius de tali amore, notitia ſit practica. Poſtulant inſuper vt obiectum ſit operabile, nam *finis praxis eſt opus:* Deus autem operabilis nō eſt, nec quidem à ſe ipſo. ſic D. Tho. 1. p. q. 14. art. 16.

Arguitur nō eſſe practicam.

3 Ex his ergo conditionibus, quas requirunt, ſic argui poteſt ad demonſtrandum Dei ſcientiam non eſſe practicam: Scientia practica eſt regulatiua praxis; diuina autem voluntas non eſt regulabilis, nec dirigibilis, cum ſit prima regula inobliquabilis, ergo non eſt practica. Item practica notitia dicit ordinem ad actum voluntatis omnino liberum, atq; indifferentem: amor autem diuinæ voluntatis erga Deum non eſt liber, probatur, quia naturalis, & omnino neceſſarius. Confirmatur, quia omnis praxis poſterior intellectione, aut eſt à prudentia, aut ab arte: amor autem diuinus erga ſeipſum à prudentia nequit eſſe, nec ab arte, etenim praxes dependentes ex his habitibus ſunt liberæ, non naturales. conſtat vero praxes creaturarum dirigibiles vel ab arte, vel à prudentia, pendere quidem ex alterutra earum: & Ariſtoteles tertio Ethic. hos tantum habitus recenſet inter practicos. Confirmatur etiam, quoniam ex eodem Ariſ. ibid. practica ſcientia eſt circa contingens obiectum: talis autem non eſt Deus, qui eſt ſummè neceſſarius: amor etiam eius circa ſemetipſum eſt eodē modo neceſſarius. Denique abſurdum inde ſequitur maximum, vt Spiritus ſancti productionem pēdere fateri cogamur ex dictamine, atq; regula diuini intellectus, regulantis Patris, & Filij voluntatem in ordine ad ſpirationem. Item, finis ſcientiæ practicæ eſt opus, Deus autem non eſt operabilis, nec factibilis.

Soluuntur rationes citatæ.

4 Verum hæ rationes facillimè diluì poſſunt à negantibus tales conditiones exquiri ad ſcientiam practicam. & quidem prima ratio de regulabilitate voluntatis non vrget; nam de dictamine, & regula intellectus duobus modis loqui poſſumus, vel quidem in actu primo, vel ſecundo: regulare in actu primo, hoc competit neceſſario notitiæ practicæ, quia ſibi conuenit dirigere ad opus, & propter talem extēſionem ad opus, fit intellectus practicus; regulare autem in actu ſecundo

Notitiæ practicæ ſufficit eſſe regulatiuā in actu primo, accidit autē in actu ſecundo.

non

non eſt abſolutè neceſſe, ſed id contingit per accidens, præcipuè vbi potentia operans eſt inobliquabilis, & indefectibilis in operando: talis eſt voluntas Dei, quæ cum ſit prorſus de ſe indefectibilis, non eget regulatiuitate intellectus. & cum hoc ſtat, vt eius ſcientia poſſit dici practica, quia iam ſibi adiacet ratio regulatiui; ideſt, quãtum eſt de ſe intellectus diuinus regularet diuinam voluntatem, ſi ipſa regulabilis eſſet; verum quia non eſt regulabilis, ideo actu non regulat; regularet autem ſi capax eſſet voluntas regulatiuitate. & id quidem ſufficit ad practicam ſcientiam, vt nempè ſit regulatiua aptitudine, & in actu primo, non ſecundo. ſufficit vero voluntati inobliquabili, vt Dei intellectus præoſtendat illi quid agendum, quid operandum ſit, nam ſtatim voluntas ex plenitudine perfectionis ſuæ ſeipſam tali præoſtenſioni conformat, & coaptat: vnde intellectus eam præcedit illuminando ſolum, non dirigendo: illuminando quidem, quia *nil volitum, quin præcognitum*.

Deus liberè, & neceſſario amat ſeipsũ; explicatur

5 Ad ſecundum reſp. actum amoris Dei erga ſcipſum eſſe eſſentialiter liberum; licet cum libertate ſtet neceſſitas ineuitabilitatis, & neceſſitas ſummæ perſectionis voluntatis diuinæ, quæ adeo perfecta eſt, vt cum neceſſitate ſuæ perfectionis infinitæ, ſe liberè determinet ad amandum. ſic ex Scoto in 1.d.10. q.1. litt. M.N & quol.16. licet non liberum libertate contradictionis, aut contrarietatis, de qua re in quæſt. de Spiritu ſancto.

Amor Dei erga ſeipsũ an ſit à prudentia, an ab arte.

6 Ad tertium, dici poteſt non eſſe ab arte: vt patet; ars namq; eſt habitus factiuus, diuina autem eſſentia non ſubiacet factioni: verum vero poſſit concedi eſſe à prudentia, diſtinguendum, etenim in tali habitu duo ſunt, præmonſtrare voluntati quid agendũ, & eandem regulare in operatione: loquendo de ſecundo, negandum procedere à prudentia, ſicut nec ab arte: at de primo concedatur.

Scientia practica eſt circa obiectum contingens ex Ariſtot. explicatur.

7 Ad Ariſtotelem dicentem ſciẽtiam practicam eſſe circa obiectum contingens, quale non eſt Deus, dicẽdum eum expendiſſe ſolum ſcientiam practicam creaturarum, quæ contingentes ſunt. loquitur etiã de obiecto Artis, quod vtiq; eſt contingens, quia ſubeſt factioni, & variationi, atq; mutabilitati, quod non contigit in Deo, qui eſt obiectum operabile, non factibile: operabile quidem per immanentes operationes, vtpote intelligendi, atq; amandi eum: per operationes vero immanẽtes nil producitur in obiecto, quia ſunt gratia ſui, non gratia alterius: & ipſæmet ſunt termini potentiarum, per quas potentiæ nil producunt, ſed terminantur in illis, non eſt autem Deus obiectum factibile à creatura.

Intellectus diuinus præit ad voluntatẽ diuinam, non regulando, ſed præoſtẽdendo.

8 Ad illud de Spiritu ſancto, dicẽdum, intellectum diuinum præire voluntatem ſpirantem, non regulando, non dirigendo, ſed præmonſtrando obiectum, de quo produci habeat, & perſonas à quibus ſpirari debeat Spiritus ſanctus: axioma namq; commune, *nil volitum, quin præcognitum*, militat quoque in diuinis ad intra: indeq; voluntas præeunti illuminationi ſe conformando, ſpirat vti ſpirare debet Spiritum ſanctum.

Finis ſciẽtiæ practicæ eſt opus, declaratur

9 Ad vltimum dicendum, quod finis ſcientiæ practicæ eſt opus, vel quidem opus actionis immanentis, vel tranſeuntis: hęc eſt vera factio, per quã aliquid producitur extra, vt Faber producit domum, indeq; eius notitia de domo fienda eſt practica, quia eius finis eſt opus actionis tranſeuntis. amor autem eſt opus actionis immanentis, per quam minimè producitur Amatum, & hoc opus ſufficit ad terminum practici.

Ex Sco. ſuſtineri poteſt eſſe practicum.

10 Ex his fit, vt Scotus docuerit ſuſtineri poſſe ſcientiam Dei eſſe practicam: nixus conditionibus oppoſitis ad conditiones recenſitas: ſiquidem in Dei ſcientia cõperit conditiones omnes practicæ notitiæ: & quidem duas inter cæteras expoſtulat, prioritatem nempè, & regulatiuitatẽ: eſt vero eius ſcientia de ſe ipſo prior voluntatis amore erga eundem: eſt inſuper, quantũ eſt de ſe notitia illa directiua amoris, ſi diuina voluntas dirigibilis eſſet: vnde ſufficit ex Scoto admitti regulatiuitatem in actu primo, quod vero actu dirigat, vel nõ, accidens eſt, penes diuerſas volũtates, tum Dei tum crea-

turarum; hæ ſiquidem dirigibiles ſunt, & egent regula, quia defectibiles; illa minimè; ſed ſufficit quod intellectus ei præmonſtret quid amandum: inde nāq; ſeipſam coaptat, & conformat diuinæ præoſtenſioni, & illuminationi. & hinc concludit eſſe ſcientiam practicam.

Confirmatur. 11 Accedit, quod finis practicæ notitiæ eſt practicus: at Deus ita ſe diligit, ſicut præſcit ſe eſſe diligendum: amor autem eſt praxis. Beati quoq; Deum amando habent de Deo notitiam practicam: Dei autem notitia de ſe ipſo eiuſdem eſt rationis cū notitia beatorum: vtpote de eodem obiecto, & ſub eadem prorſus ratione formali.

Scotus non firmiter adhæret huic ſententiæ, eſſe practicam. 12 Verum eſt tamen quod Scotus non ita firmiter adhæret huic ſententiæ, vt oppoſitam linquat, quin potius vtramque ſuſtinet; eſt enim problematicus in re iſta, nam eſſe practicam ſuſtinet in primo quæſt. quarta Prolog. litt. P. at in eod. loco in litt. R. docet oppoſitum: & rationem adducit, quoniā deficit notitię diuinę prioritas, *Non eſſe practicam probatur ex Scoto.* quam ipſe exquirit ad praxim, vnde deducit eſſe ſpeculatiuam: Prioritatem verò non negat abſolutè, nam ibidem, & d. 38. q. 1. concedit intellectum debere anteire præoſtendendo volūtati tùm terminos ſimplices, tùm compoſitiones neceſſarias, ſed negat prioritatem ſub ratione directiui, & regulatiui: vnde arguit, diuina voluntas non eſt dirigibilis, nec regulabilis, ergo Dei ſcientia non eſt practica: antecedens patet, quia eſt prima regula tùm ſui, tùm aliorum. Confirmatur, quia eſt de ſe indefectibilis, & inobliquabilis. conſequens probatur, quia intellectus ex Ariſt. *extenſione fit practicus*: ideſt, cùm extendit ſe ad dirigēdas potentias alias ad praxim, ipſe fit practicus: at potentia, ad quā in Deo, ſi poſſet extēdi intellectus, eſſet diuina voluntas, hæc vero regulatiuitate intellectus non indiget, ergo talis intellectus non erit practicus. Rurſus ibidem probat Scot. voluntas Dei non eſt de ſe indifferens ad rectitudinem, ergo non oportet vt aliunde, & ab alio determinetur ad rectitudinem, & cōſequenter remanet, vt non egeat regulari. antecedens probat, quia Dei voluntas vel naturaliter tendit in amorem diuini obiecti, vel ſi liberè, ea libertas non erit libertas rectitudinis mendicatæ aliūde, ſed eam habet tùm ex ſe, tùm ex diuino obiecto, ad quod voluntas ſemetipſam conformat, amādo Deum, ſicuti amabilis eſt. Ex his conſtat Scotum, hac in re eſſe problematicum: quapropter immeritò ſibi ab Alijs contradicitur, præcipuè à Caet. & Alijs, ſi namq; loca oppoſita *Inanis impugnatio Caetani.* legiſſent, non fruſtra laboraſſent in eo impugnando; ſicut fruſtra inſudarunt; fruſtraneum eſt namq; impugnare amplectentes ambas ſententias: præcipuè, cùm & Scotus ipſe argumenta pro vtraq; ſententia militantia eludat, & ſoluat.

13 Nihilominus ſuſtinendo eſſe practicam, reſponderi facilè poteſt ad rationes mox adductas pro ſpeculatiua; cùm namq; dicitur, diuina voluntas non eſt regulabilis; occurritur, quod ſufficit vt intellectus de ſe ſit regulatiuus, & quod regulare poſſet ſi inueniret potentiam regulabilem; per accidens namq; eſt. vt talis voluntas practicans non ſit regulabilis: non ꝙ ſaltim per accidens id competat volūtati diuinæ, vt diuina eſt, nam id per ſe ei competit, vt ſit irregulabilis, quia eſt indefectibilis; ſed illud per accidēs, reſpicit voluntatem creatam, & ſciētia practica requirit, ſaltem reſpectum aptitudinalē ad praxim, quo ſolo contentatur, etiam ſi ſibi deficiat reſpectus actualis. Dices, voluntas non regulatur actu, ergo nec ſciētia erit practica in actu. Reſp. negando ſequelam, quia ſufficit vt intellectus regulet virtute, aptitudine, & in actu primo. eodē modo ſoluuntur cætera, quia licet rectitudinem non habeat ab intellectu, tamen amor ille, in quem exit, eſt vera praxis, quia eſt vera operatio potentiæ practicæ, *finis namque practici eſt opus*, amor autem eſt tale opus: quo tametſi nil producatur in obiecto amabili, nihilominus obiectum talis amoris eſt terminus operationis iſtius immanentis, quæ eſt verè praxis.

Suſtinendo eſſe practicam, reſpōdetur argumētis adductis ex Scoto. 14 Ex oppoſito ſuſtinendo eſſe ſpeculatiuam, reſpōdetur ad rationes pro ſcientia practica: & quidem dum arguitur ineſſe illi conditiones practici,

ci, quia prior, & quia conformatiua, ſaltem in aptitudine, dicendum quod directiuitas in actu primo, ſeu in potentia non poteſt cõſtituere notitiam practicam in actu ſecundo, niſi verè actualiter dirigat, non enim homo dicitur actualiter diſcurrere, quia eſt diſcurſiuus ſolum in aptitudine; nam ſi potentiam diſcurſiuam non applicet actualiter ad diſcurſum; non poterit formaliter denominari diſcurrens: ita nil prodeſt vt diuinus intellectus poſſit voluntatem regulare, ſi regulabilis eſſet. dum namq; actu non regulat, non erit eius notitia actu practica. hæc namq; correlatiua ſunt, regulans actu, & regulabilis actu; & pari gradu correlationis currunt: regulatiuitas autẽ potentialis, & regulatum actuale non ſic ſe habent. Filius etiam relationem actualem dicit ad Patrem, non ſub ratione potentiæ generatiuæ in actu tãtum ſignato, ſed etiam in actu exercito: ſic in propoſito.

Amor an ſit verè praxis.

15 Ad id de amore, quod ſit praxis, & finis practici ſit practicus, dicẽdum, quod amor non eſt propriè, & in rigore praxis, quia per illum nil producitur in obiecto, finis namque practici eſt opus. Conſimiliter de amore beatorum, per amorem namq; beatificum nil in Deo efficitur: quapropter eſt impropriè praxis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ſit practica reſpectu contingentium Scientia Dei.

Scietia Dei de contingentib. non eſt practica

1 QVæ hactenus dicta ſunt ad mentem Scoti, procedũt in Deo reſpectu ſui, ſeu reſpectu prædicatorum neceſſariorũ ad intra: nam aliter ipſe determinatè ſentit de contingentibus ad extra: ait ergo in primo d. 38. q. 1. Deum de contingentibus ad extra non habere ſciẽtiam practicam, ſed ſpeculatiuam: & probat, quoniam contingentia habent eſſe ex decreto diuinæ voluntatis, itaquod ſubſequuntur tùm intellectum, tùm voluntatem diuinam: quo fit vt Dei intellectus non poſſit habere conditiones verè practici; probatur, non ei competit circa contingentia reſpectus prioritatis ad diuinum decretum: nec etiam reſpectus directiuitatis, ergo non eſt practicus, probatur primum, contingentia non habent eſſe à diuino intellectu antecedẽter ad diuinam voluntatem, patet, aliàs non eſſent contingentia, ſed neceſſaria; ergo diuinus intellectus non habet reſpectũ prioritatis ad diuinam volũtatem in ordine ad contingentia. Item ſi intellectus, vt ſic ſpectatus, prior eſſet, neceſſe foret voluntatem conformari diuino intellectui circa talia obiecta: inde vero ſequeretur contingentia euadere omnino entia neceſſaria: aſſumptum prob. diuina voluntas, vtpote perfectiſſima, ſeipſam conformat omnino diuino intellectui, ordinatè, ritè, & optimè proponenti; ergo voluntas Dei circa talia contingentia ſic ab intellectu priori præordinata, non eſſet libera ad decretandum quid ſibi libuerit: ceſſat ergo reſpectus prioritatis. Probatur eodem modo ſecundum, quia ſi intellectus dirigeret voluntatem ad ſic agendum de contingentibus, iam voluntas non eſſet libe-

Deficit intellectui cõditio prioritatis, & directiuitatis.

ra, cùm alias deberet omnino ſe intellectui ritè diſponenti conformare: indeq; ſequitur contingentia iam non fore contingentia: quod namque pendet à cauſa naturali, naturali neceſſitate agente, neceſſario euenit. inſuper nō eſt in poteſtate cauſæ naturalis ſic, & ſic agere, vel non agere, cùm ſit determinata ad vnum, ideſt ad vnum modum agēdi: cùm verò intellectus cauſa ſit naturalis, non poterit aliter diſponere de contingentibus, ſed præcisè ſic diſponet, vt ductu ſuæ naturæ aliter agere nequeat. Hæc eſt ergo primo loco mens Scoti.

Sententia D. Th. eſſe partim ſpeculatiuam, partim practicam.

2 Diuus Thomas loco ſupra cit. docet partim eſſe practicam, partim ſpeculatiuam: ſpeculatiuam quidem ſpectando opus agibile in ſe: practicā verò quatenus ordinatur ad opus. itaque ex ordine ad opus habetur ratio practici, vel ſpeculatiui. poteſt verò confirmari ex Auguſt. 6. de Trin. cap. vlt. dicente, *Verbum eſt Ars quadam Omnipotentis, atq; ſapientis Dei; plena omnium rationum incommutabilium*. Ars vero eſt habitus eſſentialiter practicus. Idem lib. 83. q. quæſt. 46. ſubdit, *ideas eſſe in Deo rationes æternas ſecundùm quas formatur omne formabile*. Ratione comprobatur, quia ſi reſpectu creaturarum eſſet ſpeculatiuus Dei intellectus, ſequeretur diuinam voluntatem non poſſe ipſum auertere aliquando à ſpeculatione: indeq; ſequeretur non eſſe eius voluntatem potentiam adeo liberam, & efficacem, veluti noſtram, quandoquidem noſtra voluntas intellectui imperat, vt modo ſpeculetur, modo in praxim exeat.

Confirmatur ex Scoto.

3 Item ex Scot. habitum eſt, non eſſe neceſſe intellectum actu regulare, & dirigere, ſed ſufficit vt aptitudine regulare poſſit, ad hoc vt eius cognitio ſit practica. hoc ſtante, loquendo de contingentibus poſſibilibus, iam intellectus non actu dirigit, dirigit autem aptitudine, ergo circa ea erit practicus.

4 Nihilominus dicimus ſciētiam Dei de contingentibus non eſſe practicam. ita Scotus: & rationes iam adductæ benè id probant, & ex ſufficiūt.

Argumēta oppoſita ſoluuntur.

5 Argumenta verò oppoſita non adeo vrgent, vt conuincant, & primo ad Auguſt. dicendum quod in habitu artis duo ſunt vnum eſt dirigere Artificem, alterum eſt apprehendere, & contemplari id, quod Artifex iam ſtatuit in ſua arte. loquendo de primo, & ſecūdo, ſemper ſunt poſteriora ad voluntatem Artificis: prius namq; determinat domum efficere, & inde habitu vtitur, quo dirigitur in fabrefactione: eodemque habitu contemplatur opus artis, verum actum ſit conformiter ad artem. quæ tamen ratio habitus non reperitur in Deo, ceſſante directiuitate. loquēdo tamen de eo largè ſumpto, ſic collocari poteſt in Deo, quatenus habet rationem oſtenſiui ſolummodo non directiui. nam cū Dei intellectus non poſſit de contingentibus ante decretum diſponere, neutiquam ſtatuitur in eo directiuitas artis. Conſimiliter dicendum ad eundem Auguſt. de ideis, cùm namq; ait, *ideas eſſe rationes ſecundùm quas &c.* exponitur eſſe rationes præoſtenſiuas, nec directiuas, nec diſpoſitiuas in intellectu diuino in ordine ad opus contingens, pendens à decreto diuinæ voluntatis.

In Arte, et in Idaa eſt ratio praoſtēſiui, & directiui.

Ideæ ſunt rationes ſecūdū quas, exponitur.

6 Ad primam rationem dicendū primo non eſſe neceſſarium, vt voluntas Dei intellectum auertat à ſpeculatione, & cōuertat ad praxim: & hoc ratione obiectorum, quatenus cōtingentia ſunt; nam ſi voluntas conuerteret ſuum intellectum ad praxim, iam intellectus eſſet, qui dirigeret diuinam voluntatem: at ipſa non opus habet directiuitate: item intellectus formaret contingentia, non voluntas: tunc autē contingentia non eſſent contingentia, ſed neceſſaria, quia non à voluntate libera promanarent, nec à voluntatis decreto, ſed ab intellectu, intellectus autem eſt potentia naturalis. Reſpondetur etiam, quòd libertas voluntatis non eſt circa ea, quæ antecedunt in diuina eſſentia actum eius ſimpliciter primum, ſed circa ſubſequentia.

Reſp. quoq; quod id non prouenit ex limitatione ſuæ libertatis, ſed quia implicat intellectum amouere à ſpeculatione, & cōuertere ad praxim, ne ſic ad praxim conuerſus habeat regulare diuinam voluntatem.

7 Ad vltimum dicendum, quod circa poſſibilia, minimè competit ei

diri-

dirigere: non quod intellectus de ſe dirigere non poſſit, ſed quoniam obiecta de ſe contingentia ſunt: implicat vero contingens obiectum, ſiuè exiſtens, ſiue poſſibile præueniri ab intellectu, ab eoq; diſponi, & ordinari ante decretum diuinæ voluntatis.

Nec notitia ſimplicis intelligentiæ, nec ſcientia viſionis eſt practica reſpectu contingentiũ.

8 Quæ dicta ſunt de contingentib. in vniuerſum accipienda ſunt de quacunq; notitia loquamur, ſiue ſimplicis intelligentiæ, ſiue viſionis: & circa vniuerſa creata obiecta, tum actualiter exiſtentia, tum poſſibilia de ſimplicis intelligentiæ, hucuſq; allatæ probationes procedunt: de ſcientia autem viſionis idipſum oſtẽditur: ſiquidem hęc ſcientia ſubſequitur ad decretum, vt patet: prout autem ſubſequitur, non poteſt dictare, nec regulare, ſiquidem regula, & dictamen debet anteire: quapropter deſunt ei conditiones recenſitæ ad ſcientiam practicam, nempè prioritas, & regulatiuitas.

9 Caetanus de notitia ſimplicis intelligentiæ concordat cum Scoto, affirmando eſſe ſpeculatiuam: diſcrepat vero de ſcientia viſionis, quàm autumat eſſe practicam.

Prudentiæ ratio aliter in creaturis, aliter in Deo.

In Deo ſub ratione oſtenſiui, in creatura oſtenſiui, & directiui.

Artis habitus duo cõplectitur: et aliter in voluntate diuina, aliter in humana.

10 Suarez varius eſt, & ſibi incõſtans, etenim modo docet voluntatem nullo modo regulabilem eſſe, modo aſſerit. vnde vt probet ſcientiam de cõtingentib. eſſe practicam, ait voluntatem ab intellectu dirigi, igitur intellectus dirigendo fit practicus. confirmat, actus diuini intellectus in ordine ad creabilia ſunt prudentiſſimi, quod patet prouerb. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabilitq; cælos prudentia.* & Ierem. 10. 15. *qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos.* Verum hæc non vrgent: non ratio, cùm falſum ſit regulari, vel regulabilem eſſe ex parte ſui voluntatem. & ad ſcripturas dicendum aliter ſe habere prudentiam in Deo, aliter in creaturis: in his namq; eſt habitus antecedens, & dirigens voluntatem: in Deo nec dirigit, nec antecedit: nulla namq; cognitio antecedit, niſi ſcientia naturalis, ſeu ſimplicis notionis, at hęc abſtrahit à compoſitione terminorũ, cùm non ſit munus eius connectere, & decretare: neq; hæc dirigit cum diuina voluntas non [illegible] ectiuo.

11 Contra, Auguſt. 6. de Trinit. c. vlt. *Verbum eſt Ars quædam Dei plena omnium rationum incommutabilium.* Reſp. in habitu Artis duo ſunt, tum ratio oſtenſiui, tum ratio directiui: penes voluntatem creatam Ars reperitur ſub vtraq; ratione: penes diuinam verò ſolum ſub ratione oſtenſiui, non directiui.

In idęa duo ſunt dirigere, & oſtẽdere.

12 Contra ex eod. Auguſt. lib. 83. quæſt. 46. *Idæas*, ait, *in Deo eſſe rationes æternas, ſecundùm quas formatur omne formabile ad extra.* ergo per idæas dirigitur diuina voluntas. Reſp. ly *ſecundũ quas*, non accipitur *directiuè*, ſed *oſtenſiuè.*

Obſtatur.

13 Dices, melius foret, vt prudẽtia, & conſilium dè contingentib. antecederet decretum ſuę voluntatis; ſic namq; ſapientius, & prudentius ageret: quemadmodum creaturæ prudentius operantur cum habitu prudentiæ ante eunte, & præcedente potentias exequutiuas, quàm cum eodem ſequẽte. Reſp. eſſe diſparem rationẽ de voluntate creata, & diuina: illa ſiquidem de ſe fallibilis eſt, & defectibilis, & propterea eget lumine & dictamine rationis anteeunte, & regulante, vt ritè agat: diuina autem indefectibilis eſt prorſus, indeq; tali directione, & regula præeunte non eget.

Solũitur.

Caetanus obſtat.

14 Caetanus nititur probare eam eſſe practicam exemplo artis: ars nãq; domifactiua præuenit voluntatem, dũ mediante illa concipitur domus ædificanda: eadem ars inde præuenitur à voluntate quatenus eam determinat, & ordinat ad dirigendum Artificem in conſtruẽda domo: & deniq; eadem ars præuenit exequutionem domus, quia ipſa eſt directiua in domus conſtructione: hæc autem ars eſt practica: ſic, ait, in Deo prius ſunt rationes rerum factibilium, & vt ſic præueniunt decretum: inde verò præueniuntur à voluntate determinante illas ad operandum: & tandem ipſæ præueniunt omnem voluntatis diuinæ exequutionem. vnde colligit ſcientiam practicã: & miratur de Scoto, quomodo id non perceperit.

Occurritur

15 Sed occurritur, quoniam ipſe non percepit differentiam repertam

inter

turarum; hæ ſiquidem dirigibiles ſunt, & egent regula, quia defectibiles; illa minimè; ſed ſufficit quod intellectus ei præmonſtret quid amandum: inde nãq; ſeipſam coaptat, & conformat diuinæ præoſtenſioni, & illuminationi. & hinc concludit eſſe ſcientiam practicam.

Confirmatur.

11 Accedit, quod finis practicæ notitiæ eſt practicus: at Deus ita ſe diligit, ſicut præſcit ſe eſſe diligendum: amor autem eſt praxis. Beati quoq; Deum amando habent de Deo notitiam practicam: Dei autem notitia de ſe ipſo eiuſdem eſt rationis cũ notitia beatorum: vtpote de eodem obiecto, & ſub eadem prorſus ratione formali.

Scotus non firmiter adhæret huic ſententiæ, eſſe practicam.

12 Verum eſt tamen quod Scotus non ita firmiter adhæret huic ſententiæ, vt oppoſitam linquat, quin potius vtramque ſuſtinet; eſt enim problematicus in re iſta, nam eſſe practicam ſuſtinet in primo quæſt. quarta Prolog. litt. P. at in eod. loco in litt. R. docet oppoſitum: & rationem adducit, quoniã deficit notitię diuinę prioritas, quam ipſe exquirit ad praxim, vnde deducit eſſe ſpeculatiuam: Prioritatem verò non negat abſolutè, nam ibidem, & d. 38. q. 1. concedit intellectum debere anteire præoſtendendo volũtati tùm terminos ſimplices, tùm compoſitiones neceſſarias, ſed negat prioritatem ſub ratione directiui, & regulatiui: vnde arguit, diuina voluntas non eſt dirigibilis, nec regulabilis, ergo Dei ſcientia non eſt practica: antecedens patet, quia eſt prima regula tùm ſui, tùm aliorum. Confirmatur, quia eſt de ſe indefectibilis, & inobliquabilis. conſequens probatur, quia intellectus ex Ariſt. *extenſione fit practicus*: ideſt, cùm extendit ſe ad dirigẽdas potentias alias ad praxim, ipſe fit practicus: at potentia, ad quã in Deo, ſi poſſet extẽdi intellectus, eſſet diuina voluntas, hæc vero regulatiuitate intellectus non indiget, ergo talis intellectus non erit practicus. Rurſus ibidem probat Scot. voluntas Dei non eſt de ſe indifferens ad rectitudinem, ergo non oportet vt aliunde, & ab alio determinetur ad rectitudinem, & cõſequenter remanet, vt non egeat regulari. antecedens probat, quia Dei voluntas vel naturaliter tendit in amorem diuini obiecti, vel ſi liberè, ea libertas non erit libertas rectitudinis mendicatæ aliũde, ſed eam habet tùm ex ſe, tùm ex diuino obiecto, ad quod voluntas ſemetipſam conformat, amãdo Deum, ſicuti amabilis eſt. Ex his conſtat Scotum, hac in re eſſe problematicum: quapropter immeritò ſibi ab Alijs contradicitur, præcipuè à Caet. & Alijs, ſi namq; loca oppoſita legiſſent, non fruſtra laboraſſent in eo impugnando; ſicut fruſtra inſudarunt, fruſtraneum eſt namq; impugnare amplectentes ambas ſententias: præcipuè, cùm & Scotus ipſe argumenta pro vtraq; ſententia militantia eludat, & ſoluat.

Inanis impugnatio Caetani.

Non eſſe practicam probatur ex Scoto.

13 Nihilominus ſuſtinendo eſſe practicam, reſponderi facilè poteſt ad rationes mox adductas pro ſpeculatiua; cùm namq; dicitur, diuina voluntas non eſt regulabilis, occurritur, quod ſufficit vt intellectus de ſe ſit regulatiuus, & quod regulare poſſet ſi inueniret potentiam regulabilem; per accidens namq; eſt vt talis voluntas practicans non ſit regulabilis: non quod ſaltim per accidens id competat volũtati diuinæ, vt diuina eſt, nam id per ſe ei competit, vt ſit irregulabilis, quia eſt indefectibilis; ſed illud per accidẽs, reſpicit voluntatem creatam, & ſciẽtia practica requirit, ſaltem reſpectum aptitudinalẽ ad praxim, quo ſolo contentatur, etiam ſi ſibi deficiat reſpectus actualis. Dices, voluntas non regulatur actu, ergo nec ſciẽtia erit practica in actu. Reſp. negando ſequelam, quia ſufficit vt intellectus regulet virtute, aptitudine, & in actu primo. eodẽ modo ſoluuntur cætera, quia licet rectitudinem non habeat ab intellectu, tamen amor ille, in quem exit, eſt vera praxis, quia eſt vera operatio potentiæ practicæ, *finis namque practici eſt opus*, amor autem eſt tale opus: quo tameſi nil producatur in obiecto amabili, nihilominus obiectum talis amoris eſt terminus operationis iſtius immanentis, quæ eſt verè praxis.

Suſtinendo eſſe practicam, reſpõdetur argumẽtis adductis ex Scoto.

14 Ex oppoſito ſuſtinendo eſſe ſpeculatiuam, reſpõdetur ad rationes pro ſcientia practica: & quidem dum arguitur ineſſe illi conditiones practici,

ei, quia prior, & quia conformatiua, ſaltem in aptitudine, dicendum quod directiuitas in actu primo, ſeu in potentia non poteſt cōſtituere notitiam practicam in actu ſecundo, niſi verè actualiter dirigat, non enim homo dicitur actualiter diſcurrere, quia eſt diſcurſiuus ſolum in aptitudine; nam ſi potentiam diſcurſiuam non applicet actualiter ad diſcurſum; non poterit formaliter denominari diſcurrens: ita nil prodeſt vt diuinus intellectus poſſit voluntatem regulare, ſi regulabilis eſſet. dum namq; actu non regulat, non erit eius notitia actu practica. hæc namq; correlatiua ſunt, regulans actu, & regulabilis actu; & pari gradu correlationis currunt: regulatiuitas autē potentialis; & regulatum actuale non ſic ſe habent. Filius etiam relationem actualem dicit ad Patrem, non ſub ratione potentiæ generatiuæ in actu tātum ſignato, ſed etiam in actu exercito: ſic in propoſito.

15 Ad id de amore, quod ſit praxis, & finis practici ſit practicus. dicēdum, quod amor non eſt propriè, & in rigore praxis, quia per illum nil producitur in obiecto, finis namque practici eſt opus. Conſimiliter de amore beatorum, per amorem namq; beatificum nil in Deo efficitur: quapropter eſt impropriè praxis. *Amor an ſit verè praxis.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum ſit practica reſpectu contingentium Scientia Dei.

Sciētia Dei de contingentib. non eſt practica 1 QVæ hactenus dicta ſunt ad mentem Scoti, procedūt in Deo reſpectu ſui, ſeu reſpectu prædicatorum neceſſariorū ad intra: nam aliter ipſe determinatè ſentit de contingentibus ad extra: ait ergo in primo d. 38. q. 1: Deum de contingentibus ad extra non habere ſciētiam practicam, ſed ſpeculatiuam: & probat, quoniam contingentia habent eſſe ex decreto diuinæ voluntatis, itaquod ſubſequuntur tùm intellectum, tùm voluntatem diuinam: quo fit vt Dei intellectus non poſſit habere conditiones verè practici; probatur, non ei competit circa contingentia reſpectus prioritatis ad diuinum decretum: nec etiam reſpectus directiuitatis, ergo non eſt practicus, probatur primum, contingentia non habent eſſe à diuino intellectu antecederet ad diuinam voluntatem, patet, aliàs non eſſent contingentia, ſed neceſſaria; ergo diuinus intellectus non habet reſpectū prioritatis ad diuinam volūtatem in ordine ad contingentia. Item ſi intellectus, vt ſic ſpectatus, prior eſſet, neceſſe foret voluntatem conformari diuino intellectui circa talia obiecta: inde vero ſequeretur contingentia euadere omnino entia neceſſaria: aſſumptum prob. diuina voluntas, vtpote perfectiſſima, ſeipſam conformat omnino diuino intellectui, ordinatè, ritè, & optimè proponenti; ergo voluntas Dei circa talia contingentia ſic ab intellectu priori præordinata, non eſſet libera ad decretandum quid ſibi libuerit: ceſſat ergo reſpectus prioritatis. Probatur eodem modo ſecundum, quia ſi intellectus dirigeret voluntatem ad ſic agendum de contingentibus, iam voluntas non eſſet libe- *Deficit intellectui cōditio prioritatis, & directiuitatis.*

ra.

ra, cùm alias deberet omnino ſe intellectui ritè diſponenti conformare: indeq; ſequitur contingentia iam non fore contingentia: quod namque pendet à cauſa naturali, naturali neceſſitate agente, neceſſario euenit. inſuper nō eſt in poteſtate cauſæ naturalis ſic, & ſic agere, vel non agere, cùm ſit determinata ad vnum, ideſt ad vnum modum agēdi: cùm verò intellectus cauſa ſit naturalis, non poterit aliter diſponere de contingentibus, ſed præcisè ſic diſponet, vt ductu ſuæ naturæ aliter agere nequeat. Hæc eſt ergo primo loco mens Scoti.

Sententia D.Th. eſſe partim ſpeculatiuam, partim practicam.

2 Diuus Thomas loco ſupra cit. docet partim eſſe practicam, partim ſpeculatiuam: ſpeculatiuam quidem ſpectando opus agibile in ſe: practicā verò quatenus ordinatur ad opus. itaque ex ordine ad opus habetur ratio practici, vel ſpeculatiui. poteſt verò confirmari ex Auguſt. 6. de Trin. cap. vlt. dicente, *Verbum eſt Ars quædam Omnipotentis, atq; ſapientis Dei, plena omnium rationum incommutabilium*. Ars vero eſt habitus eſſentialiter practicus. Idem lib. 83. q. quæſt. 46. ſubdit, *ideas eſſe in Deo rationes æternas ſecundùm quas formatur omne formabile*. Ratione comprobatur, quia ſi reſpectu creaturarum eſſet ſpeculatiuus Dei intellectus, ſequeretur diuinam voluntatem non poſſe ipſum auertere aliquando à ſpeculatione: indeq; ſequeretur non eſſe eius voluntatem potētiam adeo liberam, & efficacem, veluti noſtram, quandoquidem noſtra voluntas intellectui imperat, vt modo ſpeculetur, modo in praxim exeat.

Confirmatur ex Scoto.

3 Item ex Scot. habitum eſt, non eſſe neceſſe intellectum actu regulare, & dirigere, ſed ſufficit vt aptitudine regulare poſſit, ad hoc vt eius cognitio ſit practica. hoc ſtante, loquendo de contingentibus poſſibilibus, iam intellectus non actu dirigit, dirigit autem aptitudine, ergo circa ea erit practicus.

4 Nihilominus dicimus ſciētiam Dei de contingentibus non eſſe practicam. ita Scotus: & rationes iam adductæ benè id probant, & ex ſufficiūt.

Argumēta oppoſita ſoluuntur.

5 Argumenta verò oppoſita non adeo vrgent, vt conuincant, & primo ad Auguſt. dicendum quod in habitu artis duo ſunt vnum eſt dirigere Artificem, alterum eſt apprehendere, & contemplari id, quod Artifex iam ſtatuit in ſua arte. loquendo de primo, & ſecūdo, ſemper ſunt poſteriora ad voluntatem Artificis: prius namq; determinat domum efficere, & inde habitu vtitur, quo dirigitur in fabrefactione: eodémque habitu contemplatur opus artis, verum actum ſit conformiter ad artem. quæ tamen ratio habitus non reperitur in Deo, ceſſante directiuitate. loquēdo tamen de eo largè ſumpto, ſic collocari poteſt in Deo, quatenus habet rationem oſtenſiui ſolummodo non directiui. nam cū Dei intellectus non poſſit de contingentibus ante decretum diſponere, neutiquam ſtatuitur in eo directiuitas artis. Conſimiliter dicendum ad eundem Auguſt. de ideis, cùm namq; ait, *ideas eſſe rationes ſecundùm quas &c.* exponitur eſſe rationes præoſtenſiuas, nec directiuas, nec diſpoſitiuas in intellectu diuino in ordine ad opus contingens, pendens à decreto diuinæ voluntatis.

In Arte, et in Idea eſt ratio præoſtēſiui, & directiui.

Ideæ ſunt rationes ſecūdū quas, exponitur.

6 Ad primam rationem dicendū primo non eſſe neceſſarium, vt voluntas Dei intellectum auertat à ſpeculatione, & cōuertat ad praxim: & hoc ratione obiectorum, quatenus cōtingentia ſunt; nam ſi voluntas conuerteret ſuum intellectum ad praxim, iam intellectus eſſet, qui dirigeret diuinam voluntatem: at ipſa non opus habet directiuitate: item intellectus formaret contingentia, non voluntas: tunc autē contingentia non eſſent contingentia, ſed neceſſaria, quia non à voluntate libera promanarent, nec à voluntatis decreto, ſed ab intellectu, intellectus autem eſt potentia naturalis. Reſpondetur etiam, quòd libertas voluntatis non eſt circa ea, quæ antecedunt in diuina eſſentia actum eius ſimpliciter primum, ſed circa ſubſequentia.

Reſp. quoq; quòd id non prouenit ex limitatione ſuæ libertatis, ſed quia implicat intellectum amouere à ſpeculatione, & cōuertere ad praxim, ne ſic ad praxim conuerſus habeat regulare diuinam voluntatem.

7 Ad vltimum dicendum, quod circa poſſibilia, minimè competit ei diri-

dirigere: non quod intellectus de ſe dirigere non poſſit, ſed quoniam obiecta de ſe contingentia ſunt: implicat vero contingens obiectum, ſiuè exiſtens, ſiue poſſibile præueniri ab intellectu, ab eoq; diſponi, & ordinari ante decretum diuinæ voluntatis.

Nec notitia ſimplicis intelligentiæ, nec ſcientia viſionis eſt practica reſpectu contingentiũ.

8 Quæ dicta ſunt de contingentib. in vniuerſum accipienda ſunt de quacunq; notitia loquamur, ſiue ſimplicis intelligentiæ, ſiue viſionis: & circa vniuerſa creata obiecta, tum actualiter exiſtentia, tum poſſibilia de ſimplicis intelligentiæ, hucuſq; allatæ probationes procedunt: de ſcientia autem viſionis idipſum oſtẽditur: ſiquidem hęc ſcientia ſubſequitur ad decretum, vt patet: prout autem ſubſequitur, non poteſt dictare, nec regulare, ſiquidem regula, & dictamen debet anteire: quapropter deſunt ei conditiones recenſitæ ad ſcientiam practicam, nempè prioritas, & regulatiuitas.

9 Caetanus de notitia ſimplicis intelligentiæ concordat cum Scoto, affirmando eſſe ſpeculatiuam: diſcrepat vero de ſcientia viſionis, quam autumat eſſe practicam.

Prudentia ratio aliter in creaturis, aliter in Deo.

10 Suarez varius eſt, & ſibi incõſtans, etenim modo docet voluntatem nullo modo regulabilem eſſe, modo aſſerit. vnde vt probet ſcientiam de cõtingentib. eſſe practicam, ait voluntatem ab intellectu dirigi, igitur intellectus dirigendo fit practicus. confirmat, actus diuini intellectus in ordine ad creabilia ſunt prudentiſſimi, quod patet prouerb. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliq; cælos prudentia.* & Ierem. 16. 15. *qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos.* Verum hæc non vrgent: non ratio, cùm falſum ſit regulari, vel regulabilem eſſe ex parte ſui voluntatem. & ad ſcripturas dicendum aliter ſe habere prudentiam in Deo, aliter in creaturis: in his namq; eſt habitus antecedens, & dirigens voluntatem: in Deo nec dirigit, nec antecedit: nulla namq; cognitio antecedit, niſi ſcientia naturalis, ſeu ſimplicis notionis, at hęc abſtrahit à compoſitionè terminorũ, cùm non ſit munus eius connectere, & decretare: neq; hæc dirigit cum diuina voluntas non ... ectiuo.

In Deo ſub ratione oſtenſiui, in creatura oſtenſiui, & directiui.

Artis habitus duo cõplectitur 1. et aliter in voluntate diuina, aliter in humana.

11 Contra, Auguſt. 6. de Trinit. c. vlt. *Verbum eſt Ars quædam Dei plena omnium rationum incommutabilium.* Reſp. in habitu Artis duo ſunt, tum ratio oſtenſiui, tum ratio directiui: penes voluntatem creatam Ars reperitur ſub vtraq; ratione: penes diuinam verò ſolum ſub ratione oſtenſiui, non directiui.

In idęa duo ſunt dirigere, & oſtẽdere.

12 Contra ex eod. Auguſt. lib. 83. quæſt. 46. *Ideas, ait, in Deo eſſe rationes æternas, ſecundùm quas formatur omne formabile ad extra.* ergo per ideas dirigitur diuina voluntas. Reſp. ly *ſecundũ quas,* non accipitur *directiuè,* ſed *oſtenſiuè.*

Obſtatur.

13 Dices, melius foret, vt prudẽtia, & conſilium dé contingentib. antecederet decretum ſuę voluntatis; ſic namq; ſapientius, & prudentius ageret: quemadmodum creaturæ prudentius operantur cum habitu prudentiæ ante eunte, & præcedente potentias exequutiuas, quàm cum eodem ſequẽte.

Soluitur.

Reſp. eſſe diſparem rationẽ de voluntate creata, & diuina: illa ſiquidem de ſe fallibilis eſt, & defectibilis, & propterea eget lumine & dictamine rationis anteeunte, & regulante, vt ritè agat: diuina autem indefectibilis eſt prorſus, indeq; tali directione, & regula præeunte non eget.

Caetanus obſtat.

14 Caetanus nititur probare eam eſſe practicam exemplo artis: ars nãq; domiſactiua præuenit voluntatem, dũ mediante illa concipitur domus ædificanda: eadem ars inde præuenitur à voluntate quatenus eam determinat, & ordinat ad dirigendum Artificem in conſtructa domo: & deniq; eadem ars præuenit exequutionem domus, quia ipſa eſt directiua in domus conſtructione: hæc autem ars eſt practica: ſic, ait, in Deo prius ſunt rationes rerum factibilium, & vt ſic præueniunt decretum: inde verò præueniuntur à voluntate determinante illas ad operandum: & tandem ipſæ præueniunt omnem volontatis diuinæ exequutionem. vnde colligit ſcientiam practicã: & miratur de Scoto, quomodo id non perceperit.

Occurritur.

15 Sed occurritur, quoniam ipſe non percepit differentiam repertam

inter

inter artem exiſtentem in mente creati Artificis, & inter notitiam poſſibilium repertam in mente Dei:illa namque ex ſui natura eſt determinata ad ſic, & ſic conſtruendam domum: domus namq; ſic,& ſic conſtruitur,prout ars domificatiua oſtendit, & ordinat, quia ad talem artem ſpectat componere terminos,ordinare,& ſingula:ad notitiam autem Dei de poſſibilibus id non pertinet, cum ſui muneris non ſit terminos connectere, diuidere, & huiuſmodi, quapropter de ſe indifferenter, & neutraliter reſpicit agibilia ante decretum: & ſcientia viſionis,reſpicit ea, vt iam ad alteram contradictionis partē determinata, ſupra quæ ſcientia nil diſponere poteſt,quia iam diſpoſita ſunt per decretum. Item ars eſt verè directiua Artificis:Dei autem voluntas directione non indiget, nec regulatiuitate, & ob id non erit practica,& hæc eſt melior reſponſio.

16 Scrupulus quidem Scotiſtarū in eo ſiſtit quia exiſtimant ſequi diuinam voluntatem fore ab eius intellectu regulandam, & dirigendam, quod tantopere negant ex Scoto.

17 Sed ceſſabit ſcrupulus facillimè ſi reuocemus ſuperius dicta,ſcientiam naturalem antecedenter ad voluntatem, non habere rationem regulatiui,ſed ſolummodo rationem oſtenſiui: illud quidem indicat imperfectionem ex parte voluntatis,alioqui obliquabilis,& defectibilis, qualis non eſt Dei voluntas,& propterea in hoc diſſentimus à Thomiſtis: iſtud vero ſub ratione .ſ. oſtenſiui, abſtrahit ab omni imperfectione: immo Scotus ipſe id concedit in primo locis ſupra cit.dum docet diuinum intellectum ſe habere ad Dei voluntatem ſub ratione oſtenſiui obiecti primarij &c. & ratio id facilè conuincit; voluntas namq; in vniuerſum eſt cæca:licet tamen non ſit dicendum Dei voluntatem eſſe cæcam. nihilominus dicendum erit eam non eſſe videntem de ſe: nec hoc indicat imperfectionem,quia ei non competit videre: eſſe verò cæcam competit voluntati creatæ ob peccatum. ideoque indiget regula, & directione: at Dei voluntati, quæ cæca non dicitur, ſed non videns, ſufficit præoſtenſio obiecti,ſine directione, quia ipſa eſt prima regula ſui,& aliorum.

Dei volūtas non dicitur cæca, ſed non videns: creata dicitur cæca ob peccatū, quia obliquabilis eſt.

18 Tota autem ratio, ob quam Scotus negat rationem practici eſt in eo, quoniam non vult diuinam voluntatem fore regulandam: eſſet autem regulanda ſi ſcientia poneretur practica:vnde firmiter cum diſcipulis ſuſtinet non eſſe ex hoc capite practicam.

Negando rationē directiui, & apponendo rationem oſtēſiui, an erit practica.

19 Sed quid,ſi negando rationem directiui,& regulatiui in eius ſcientia, & ponendo ſolūmodo rationem oſtēſiui,vt ipſe ponit, poſſet ex hoc, ſaltim capite, vocari practica. Vtiq; in eius doctrina nō videtur appellandam fore fore practicam,quia iam apponit præoſtenſionem, & directionem, & cum hoc, nec eam appellat practicam; ait namq; de ratione notitiæ practicæ eſſe antecedere, & regulare,ſiue habere prioritatem,& directiuitatem in ordine ad potentiam practicantem, & in ordine ad praxim, ergo negata directiuitate non erit practica.

Regulatiuitas de eſsētia praxis.

20 Cæterum non expoſtulat abſolutè Scotus reſpectum illum regulatiuitatis ad praxim;etenim ex quęſt. præced. ſcientia Dei dę neceſſarijs eſt etiam practica in eius doctrina, licet ſit problematicus:attamen ſuſtinendo eſſe practicam, ait non eſſe neceſſe intellectum præire ad voluntatem ſub ratione regulatiui(ſaltem actualis,ſufficit enim aptitudinalitas ad regulandum, vt quantum eſt de ſe intellectus poſſet regulare,ſi voluntas eſſet regulabilis) ſubdit verò ſufficere intellectū antecedere ſub ratione oſtenſiui. & nihilominus negata regulatiuitate,penes eū probabiliter ſuſtinet eſſe practicū,tunc vero negato reſpectu directiuitatis, remaneret ſolum reſpectus oſtenſiui: ergo hoc ſufficit ad praxim.

Poteſt vocari practica.

21 Hoc habito ex Scoto nil vetat poſſe ſcientiam Dei de contingentib. vocari ſic practicam: aſtrahendo à ratione regulatiui:& vltra dicta confirmatur,*quia finis practici eſt opus*:at ſciētia contingentium ordinatur ad opus, ponuntur enim extra à Dei voluntate: indiget autem voluntas intellectu: nō verò indiget ſub ratione directiui,ergo ſub ratione oſtenſiui: igitur reſpectus talis prioritatis erit practicus,&

con-

conſequenter notitia vt ſic, erit practica. Item hoc aſſerere nil officit doctrinæ Scoti, etenim ſufficit Scoto negare reſpectum directiuitatis: cæterum nil aliunde impedit in doctrina ſua, vt ſcientia de contingenti ponibili ad extra, appelletur practica.

Praxis, & notitia practica an in diſtinctis ſuppoſitis.

22 Demum pro complemento Scotus docet, quod vel eſt neceſſe vt praxis, & notitia practica ſint in eodē ſuppoſito: vel non adeſt talis neceſſitas, ſed poſſunt ab inuicem ſeparari, vt quia notitia dirigens ſit in vno, & praxis in altero ſuppoſito: tenendo primum, ait ſcientiam Dei de contingentibus non eſſe practicam, eſſet enim ſua voluntas regulabilis: tenendo verò ſecundum, docet poſſe vocari practicam: & ita in Deo v.g. eſſet notitia dirigens voluntatem creatam ad ipſum amandum, & in eadem creatura eſſet amor, & praxis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum.

Scotiſtarū ſententia nullā Dei ſcientiam eſſe cauſā rerum.

1 HAc in re eſt concors ſentētia Scotiſtarum, nullam Dei ſcientiam eſſe cauſam rerum: & probant, quoniam, vel loquimur de notitia ſimplicis intelligentię, vel de viſionis ſcientia: de nullo autem eſt dicendum, & quidem prima ſcientia eſt naturalis; ergo erit principium per modum naturæ: at Deus agit ad extra liberè; ergo non erit principium agendi ad extra.

Probant de notitia ſimplicis intelligentiæ.

2 Hinc etiam ſequeretur mūdum eſſe ens neceſſarium; ſequela patet, quia ſtante quod per naturalem ſcientiam ageret Deus, ſequeretur ipſum terminum productum eſſe ens neceſſarium: & ita deſtruitur in entib. contingentia: ſequeretur Deum non potuiſſe mundum non producere. Inſuper non potuiſſe mundum aliter quam productus eſt, producere. Item de facto iam productos fuiſſe alios mundos poſſibiles. & reperiri de facto mundus infinitos, prout exiſtimabat Alexander. Præterea, totam Dei potentiam productiuam iam eſſe exhauſtam, quia neçeſſario eam expendiſſet. ſequeretur deniq; nihil eſſe productum, prob. quia ſcientia hæc vocatur ſimplicis intelligentiæ, ob quod fertur ad terminos ſimplices, inconnexos, & incomplexos inter ſe: at mundus eſt quid cōſtans ex connexione terminorum ſimplicis intelligentiæ; ergo per ſimplicē intelligentiam nihil poteſt produci.

3 Adde quod notitia ſimplicis intelligentiæ non eſt de ſe indifferens, & indeterminata potius ad hoc obiectum, quam ad aliud; igitur neceſſario eueniet in contingentib. potius altera pars contingentiæ, quam altera: & ita cum Petrus de ſe ſit indifferēs ad motum, & quietem, neceſſario neceſſitate naturali alterum iſtorum faciet, vel quidem mouebitur, vel quieſcet, quia per ſcientiam Dei naturalem determinabitur potius ad vnū, quam ad aliud: & hinc ſequitur quod id, quod de ſui natura eſt contingens, & indifferens, erit tamen omnino neceſſarium neceſſitate naturali impoſita à ſcientia naturali ipſius Dei: nec namq; ſcientia naturalis poterit facere contingentiam in reb. ſi ea erit cauſa rerum, quia natura determinatur ad vnum.

4 Idem probant ijdem Scotiſtæ de ſcientia viſionis; quandoquidem ſcientia hæc præſupponit futura contingentia, ergo non eſt cauſa eorum; *Probant de ſcientia viſionis.*

conſequens ſequitur, & patet aſſumptum, cum ex communi conſenſu ſcientia viſionis ſubſequatur decretum: at per decretum fiunt determinationes, & præfinitiones contingentium; quo præſtito decreto Deus ſcientia viſionis intuetur futuritionem contingentium: indeq; merito vocatur ſcientia hæc, libera, cum decretū liberum ſubſequatur diuinæ voluntatis.

Probant de vtraq;

5 Confirmant de vtraq; ſcientia intentum, quia neutra earum eſt practica, ergo nulla earum poterit eſſe cauſa: aſſumptum fuit diſcuſſum antecedenti articulo. & conſequens patet, quoniam finis practici eſt opus: at contingentium determinatio, & cauſatio, ſiuè in eſſe actuali, ſiuè poſſibili eſt opus practicum, ergo eorum cauſatio non poterit eſſe à Dei ſcientia, qualitercunq; ſpectata. ita ex Scoto eliciunt. Fauentin. diſp. 54. in primum ſentent. & Vulpes 1. p. diſputat. 27. artic. vlt.

Thomiſtarum ſententia eſſe cauſā rerum.

6 Ex oppoſito Thomiſtæ ex D. Thoma 1. p. q. 14. art. 8. aſſerunt Dei ſcientiam eſſe rerum cauſam. de qua tamen non ſic nude, & abſolutè loquūtur; quandoquidem negant eam de ſe ſola eſſe cauſam rerum, ſed eatenus, quatenus habet Dei voluntatem coniunctam. & meritò quidem, quia ſcientia prout eſt actus diuini intellectus non poteſt eſſe rerum cauſa ex ſe ſola, vt etiam Scotiſtæ probant, tum in huc uſq; dictis; tum quia id clarè eliciunt ex Scoto in 1. d. 39. ſub litt. D. quapropter oportet aliquid vltra addere vltra ſcientiam, id autem eſt Dei voluntas. Hinc Caetanus addit voluntatem applicare intellectum ad opus, quatenus dirigere debet voluntatem operatricem ad extra: & ex tali coniuncto fieri principium totale cauſationis ad extra.

Declaratur.

Probationes Thomiſtarum.

7 Item ſcientia hæc eſt practica, ergo erit factiua rerum. Antecedens conſtituit ex præcedentib. & Confirmatur, quia hæc Dei ſciētia vocatur prudētia, at hæc eſt notitia practica: Deus quidem prudentiſſimè operatur omnia, & ſingula: diſtribuens ſingulis quæ neceſſaria ſint pro cuiuſq; natura pro loco, & tempore. ita cōſtat prouerb. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram: ſtabiliuit cælos prudentia.* Ierem. 15. 10. *qui fecit terram in fortitudine ſua. præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos.*

8 Inſuper ſcientia Dei ſe habet ad res creatas, ſicut ſcientia Artificis ſe habet ad artificiata: ſcientia autem artificis eſt cauſa artefactorum: à pari erit ſcientia Dei, non eſt autem forma intellectualis principium operis extra in quantum manet in intellectu Artificis, ſed inquantum inclinationem habet ad opus: ita diuina ſcientia ſpectata cum ordine, & affectu ad opus, erit principium rerum.

9 Accedit, ꝙ Artifex eget forma directiua, ac regulatiua ſuæ voluntatis ſiuè potentiæ alterius exequutricis ad hoc, vt ritè diſponat, & agit, alias inordinatè ageret: à ſimili diuina voluntas opus habet intellectu ſuo, atq; ſcientia ſua practica dirigente eam; alias nil ordinatum proueniret. & hinc magis conſtat talem ſcientiam eſſe veram cauſam, quandoquidem dirigit voluntatem ad opus. nec talis ſcientia ſiſtit in ſimplici ſpeculatione, quia verè dirigit ad opus, vnde eſt, vt ſit verè practica, quia *intellectus extenſione fit practicus.* Denique voluntas de ſe non videt; ſicut autem de voluntate creata dicimus eam opus habere intellectu dirigente, ita dicendum de diuina, quia eſt par ratio. & poſtremo conſtat Deū agere per intellectum, & voluntatem, vnde concluditur vtrumq; eſſe principium, & concauſam rerum ad extra.

Negant de ſcientia viſionis.

10 Hæc vſq; huc aſſerta, dicunt de notitia ſimplicis intelligētiæ; hæc nāq; voluntatem præcedit, & dirigit; ſiquidem ſcientia viſionis dirigere non poteſt, cum ſit poſterior voluntate; & ei competat ſolum, modo quodam ſpeculatiuo contemplari quæ à notitia ſimplicis intelligentiæ, & à diuina voluntate diſpoſita ſunt, & decretata.

Palatij ſententia ſcientiam viſionis antecedere decretum, & eſſe cauſam rerum.

11 Quo ſtante conſtat, quam maximè errauerit Palacios in 1. d. 38. q. 2. d. 2. hic. n. aſſerebat viſionis ſcientiā antecedere decretum diuinæ voluntatis: & per talem ſcientiam Deum certiſſimo ſcire futura contingentia, etiā ante decretum: ac demum aiebat hanc ſcientiam eſſe rerum cauſam. vnde inferebat, ideo res futuras eſſe, quia Deus viſionis ſcientia ſcit illas, non

au-

autem quia futuræ ſint ex diuino decreto. qui etiam redarguit, ac reprehendit Scotum docentem hanc ſcientiam non antecedere, ſed ſubſequi ad decretum. fũdamentum eius erat, quia implicat diuinam ſcientiam determinari ab aliquo: ſiuè id ſit, quid creatũ, ſiuè increatum; alias diuina ſcientia eſſet de ſe quid indifferens, determinabile ab alio: in Deo autem nil eſt indifferens: & omnia clariſſimè videt abſq; eo, quod aliunde determinetur ad videndum aliquid. Item ex Patrib. clarè conſtat Dei ſcientiam eſſe cauſam rerum, de quib. infra.

Cõfutatur, ex incõuenientibus. 12 Verum quantopere erret pater ex his; & quidem omnes Patres docent, ſcientiam diuinam non imponere neceſſitatẽ rebus. & per hoc ſaluatur libertas in prædeſtinato, & reprobo; cõuertuntur.n. & obdureſcunt liberè, & propterea æterna Dei præſcientia de ipſorum ſalute, ſiuè damnatione, non imponit ipſis neceſſitatem, nec impedit libertatem. At principale inconueniens ſequens ex ſententia allata id eſt, vt tollatur libertas, & contingentia in entib. probatur, Deus ſcit contingentia neceſſario, quia ante decretum: at ſcientia hæc eſt rerum cauſa, ergo quidquid euenit, euenis neceſſario ex parte Dei. Probatur ex oppoſito, ideo contingentia cõtingenter eueniunt, quia Deus liberè & determinat, & ordinat per voluntatem liberam; ergo ſicut cauſa contingentium eſt libera, nempe voluntas Dei, ita contingentia contingenter eueniunt, & liberè: at ex oppoſito ſcientia non eſt cauſa libera, cum antecedat decretum, nec eius intellectus eſt liber in operando, ergo quidquid euenit nulla ex parte euenit liberè.

13 Item negaretur indifferentia rerum contingentium, modo namque ſcribo, & ſcribo liberè: & Deus ſcit hoc; ergo non poteſt ſcire me poſſe nõ ſcribere: hoc ſequitur ex neceſſitate ſcientiæ, tanquã cauſæ. Cõfirmatur, quoniam ex opinione allata, Dei ſciẽtia non eſt indifferens, & indeterminata; ergo non poteſt ſcire oppoſitum, ſi oppoſitum eueniat: ſed poteſt eueniſe, quia in contingentib. cum vna de in eſſe ſtat altera de poſſibili. Inſuper hinc ſequitur magis apertè neceſſitas abſoluta contingentium, quia ſcientia de ſe non eſt cauſa indifferens contingentium; ergo hoc contingens, quod ſcribo, neceſſario abſolutè erit verũ: nec erit ſola neceſſitas conſequentiæ, ſed conſequentis, quia à cauſa naturali promanat effectus naturaliter neceſſitate naturali, & talis eſt neceſſitas cõſequentis.

14 Deniq; ad quid deſeruiret Dei voluntas in effectione contingentium; ſiquidem iam contingẽtia habent pro cauſa Dei ſcientiam antecedentem, & præſcindentem à voluntate, fruſtra igitur accedet ibi voluntas. vel ſi exquireretur tanquam potentia exequens cauſationem ſcientiæ, id ſuperuacaneũ eſſet; tum quia ſcientia hæc eſt infinitę virtutis, & cauſalitatis, ac potentię infinitæ, ergo de ſe ſufficiens eſt vt ponatur extra, ſuæ cauſalitatis effectus; tum quoque quoniam non minoris potentiæ eſt intellectus Dei, & diuina hæc ſcientia, quam ſit voluntas Dei, & diuina eius volitio.

15 Item ſequitur iſta conſequẽtia, Deus ſcit Petrum peccaturum, ergo Dei ſcientia erit cauſa peccati Petri. patet, quia per te ſcientia eſt cauſa, quod tamẽ conſectariũ negant Theologi, & Patres, & præcipuè Auguſtinus l.5. de Ciuit. Dei c.10.

16 Redeundo tamen ad initio citatas ſententias Thomiſtarum, & Scotiſtarum, aliqua ſunt, quæ diſplicent in ſententia Thomiſtarum, & aliqua, quæ minus probabilia videntur in opinione Scotiſtarum. *Aliqua diſplicent in ſententia Thomiſtarum, et aliqua in ſententia Scotiſtarum.*

17 Et quidem de Thomiſtis illud diſplicet, quod velint Dei voluntatem eſſe dirigibilem, & regulabilem. hoc non videtur benè dictum; quia diuina voluntas de ſui natura non eſt defectibilis, igitur non eſt dirigibilis; ad hoc namq; directione egemus, quia deficimus: ſed Dei voluntas non eſt ſic. item Dei voluntas eſt prima regula omniũ rerum ad extra: & conſequenter erit etiam prima regula ſui ipſius. Conſtat namq; Dei voluntatem non poſſe deficere à rectitudine, quia eſt recta, & iuſta, & ſancta per eſſentiam, igitur ſuperuacanea erit omnis extrinſeca directio. hinc eſt, vt aliquale præiudiciũ vi- *Ex Thomiſtis auferẽda directiuitas.*

videatur inferri ſanctitati, iuſtitiæ, atq; rectitudini voluntatis diuinæ ponendo ipſam debere dirigi etiam ab intellectu ſuo diuino: ideo namq; creata voluntas eſt dirigibilis, quia non eſt bona per eſſentiam, & obliquari poteſt, atq; deficere à via recta, quæ omnia aliena ſunt à voluntate diuina.

Ex Scotiſtis auferēdū quod nō ſit practica.

18 Ex parte Scotiſtarum illud diſplicet, quod omnino negant Dei ſciētiam eſſe practicam. quod abſolutè eſt contrarium duabus ſcripturis ſupra recenſitis. talis namque Dei ſcientia, qua creauit terram, & cęlos, vocatur prudentia, ergo abſolutè erit practica. Item *intellectus extenſione fit practicus*: at Dei voluntas nil diſpoſuit abſque diuinæ ſcientiæ extenſione ad opus, ſic enim ait Pſaltes, 115. *fecit cælos in intellectu*: nec ſufficit fingere intellectū ſolummodo præire ſpeculando terminos ſimplices, quandoquidem non diceretur Deum prudentia, & ſapientia ſtabiliſſe cęlos; parum namq; eſt terminos ſimpliciter contemplari: & quid prodeſſet Artifici creato ſi ſolummodo ſimplices terminos formandę domus contemplaretur, vtiq; nil efficeret ſi ſpecularetur ſimpliciter, & abſolutè ſecundûm ſe lapides, bitumen, ligna, & cætera ad domum pertinentia; quin etiam opus eſt terminos hos ſimul connectere, ſiue contemplari practicè quomodo, & quo ordine, quo loco, & tempore diſponibiles ſint, vt inde domus prodeat. ita nec prudenter, nec ſapienter diceretur Deus mundi machinam creaſſe, ſi ſolummodo in ſpeculatione quadam præſcindente ab hic, & nunc, ſiſteret eius intellectus circa res producibiles; igitur eius ſcientia erit verè dicenda practica: & hoc eſt ſcripturis conformius, atque Patribus. Quomodo autem hoc ſtare poſſit in doctrina Scoti, dum id negat, viſum eſt in artic. anteced. ſufficit năq; vt intellectus ſe habeat in ordine ad voluntatem in ratione oſtenſiui, & illuminatiui; non eſt autem opus vt habeat rationem regulatiui, prout ex eodem Scoto retulimus ſupra. quapropter cùm voluntas diuina de ſe non videat, eget lumine intellectus oſtendentis qualiter, & quomodo res ſint producibiles, iuxta exigentiam naturę vniuſcuiuſq; & hoc nullum præiudiciū infert voluntati: voluntas quidem creata eſt cæca, voluntas autem diuina, remouendo cęcitatis imperfectionem, diximus ibi eſſe non videntem: oſtendere autem, & illuminare non eſt idem, ac regulare; itaq; benè poteſt in via Scoti admitti ſcientia iſta practica, ſemouendo regulatiuitatem, & admittendo illuminationem, & oſtenſiuitatem.

19 His actis, quæſtionem abſoluimus duo aſſumendo, & duo remouendo à Scotiſtis, & Thomiſtis: quæ remouemus hæc ſunt: remouemus directionem, & regulatiuitatem diuinæ voluntatis, quia imperfectionis eſt: & in hoc non concordamus cum Thomiſtis. remouemus ſpeculatiuitatem ſcientiæ Dei, & dicimus eſſe practicā, in quo diſcrepamus à Scotiſtis: qui tamen non diſcreparent à nobis, ſi benè perpenderent ſententiam Scoti, vt tradidimus quæſt. præced. à nu. 19. ad 22. quæ aſſumimus ea ſunt, vt à Thomiſtis aſſumamus practicum ſcientiæ Dei: & à Scotiſtis capiamus oſtenſiuitatem ſolummodo, & illuminationem volūtatis fiēdam ab ipſamet ſcientia Dei. *Concluditur idem.*

20 Hinc dicimus ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum. Hoc primum aſſertum eſt D. Auguſtini l. 15. de Trin. c. 13. dicentis, *vniuerſas creaturas ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo nouit Deus, ſed ideo ſunt, quia nouit.* eſt etiam Diui Gregorij l. 20. moral. cap. 23. *quæcunque ſunt, non ideo videntur quia ſunt, ſed ideo ſunt quia videntur.* eadem quoq; fuit ſententia D. Bonau. 1. d. 38. q. 1. & 2. Alberti ibid. art. 3. & eſt communis. *Scientia Dei eſt cauſa rerum.*

21 Et probatur tum ſcripturis, tū ratione, ſcripturæ ſunt Epheſ. 1. *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* hinc elicitur voluntatem non eſſe de ſe ſola cauſam rerum, ſed coniungi ſecum conſilium, & prudentiam, quæ ſunt affectiones intellectus. Sap. 7. *omnium artifex docuit me ſapientia.* hinc conſtat apertius ſcientiam, ſiue ſapientiam eſſe cauſam pſal. 103. *omnia in ſapientia feciſti.* Ierem. 51. *præparauit orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos.* prouerb. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabili-* *Probatur ex ſcripturis.*

bilinit cælos prudentia: ſapientia illius eruperunt abyſſi.

Probatur ratione.

22 Rationes ſunt, quia Deus eſt agens ad extra per intellectum, & voluntatem, ergo non eſt ſeparanda eius ſcientia à cauſalitate ad extra. Item ſi non ſic ageret intelligendo; dici poſſet cæcutienter agere, & hinc ſequitur non eſſe artificem prudentem, non ſapientem; prudens autem artifex agit præmeditando, præuidendo, præoſtendendo voluntati modum, & formam agendi? quod ſi talis oſtenſio nō præcedat, ignorat voluntas qualiter, & quomodo res habeat, vel poſſit producere. Confirmatur, quia in Deo ponuntur ideæ rerum factibilium ad extra: cur verò ponantur in eius mente, iam conſtat, ad hoc quidem vt ipſius voluntas ſciat in tempore elargiri vnicuiq; rei creabili omne id, quod propriæ naturæ competit; ait namq; Auguſt. quod *alia eſt idæa hominis, alia equi:* vnde ſubdit, *quod alia ratione eſt formandus homo, alia equus.* quomodo autem ſcit Dei volūtas quod hominis corpus debeat eſſe formatum, capite ad cœlum erecto, brachijs decoratum, ornatumq; membris talibus, quæ ſint propria Hominis, & non Equi: hoc quidem non nouit ex ſe, cum de ſe voluntas non videat; ergo indiget intellectu præmonſtrante Equum ſic efformandum, & Hominem ſic plaſmandū: aliàs Homini poſſet corpus equinum, & Equo poſſet corpus adaptare humanum: ex his autem neceſſario infertur quod totum hoc includit tùm actū voluntatis, tùm intellectus, vt de ſe patet.

Error aliquorū eluditur.

23 Error aliquorum ſiſtit in eo, vt exiſtiment non poſſe effectus contingenter produci, ſi eorum cauſa foret etiam ſcientia diuina, quia intellectus eſt cauſa naturalis, & neceſſario agēs: nec eſt indifferens ad alteram partem contradictionis: vnde eſt, vt totalem cauſam futurorum faciant voluntatē. Verùm error iſte eluditur facillimè; quoniam intellectus nil agit in re hac, niſi oſtendendo volūtati modum probabilem, atq; conuenientem, res ſic, & ſic faciendi: hoc namq; eſt iudicium rectæ prudentiæ: per tale autem iudicium non limitat, neq; adſtringit voluntatem ad potius hoc agendum, quàm aliud. hoc namq; relinquitur in arbitrio voluntatis. vnde eſt, vt ſolummodo intellectus præoſtendat hoc nō eſſe impoſſibile fieri, ſi placuerit eius voluntati; vt creare cęlum, & terram: hoc tamen eſſe omnino impoſſibile, nempe creare hominem intellectu, & anima rationali carentem. quapropter non cogit voluntatem, vt hoc potius eligat, quàm illud, ſed demonſtrat, hoc eſſe poſſibile: illud impoſſibile: & inter poſſibilia oſtendit hoc magis eſſe rationi conſentaneum, quàm illud: quo oſtenſo voluntas libera remanet ad vtrumlibet: ergo non cauſat de ſe ſola, ſed quantum eſt de ſe, præoſtendit.

Eſt cauſa quatenus applicata ad opus per voluntatem.

24 Dicimus ſecundo, hanc ſcientiam cauſatiuam rerum non eſſe cauſā, niſi quatenus eſt applicata ad opus per voluntatem; nam præſcindendo à tali applicatione, remanet intra terminos ſcientiæ naturalis, & neceſſariæ, & vt ſic non poterit eſſe cauſa alicuius contingentis. Nec applicatio fienda per voluntatem, facit talem ſcientiam de naturali liberam, quia ſemper eſt naturalis; ſed quia præſtat voluntati lumen, quo prudenter agat, ideo exquiritur ſimul cum voluntate. & talis eſt inter voluntatem, & talem notitiam connexio, vt vna nil agere poſſit ritè ſine alia: voluntas quidem ſine tali lumine prudentiali poſſet errare: & notitia illa ſine voluntate nil ageret ad extra, cùm principium cōpletiuum agendi ad extra debeat eſſe liberum.

Scientia cauſatiua non eſt ſcientia viſionis

25 Dicimus tertiò, hanc ſcientiam cauſatiuam non eſſe ſcientiam viſionis. probatur, quia hæc ſubſequitur decretum, ergo nihil influit in ipſum. item ſupponit lumen prudentiale iam habitum per notitiam, & ſcientiam naturalem, quo fit, vt ipſa non habeat rationem cauſæ. neque talis ſcientia cauſatiua rerum erit ſcientia approbationis, quia hac mediante dicitur ſolummodo noſcere ea, quæ ſibi placent, & quæ à beneplacito ſuæ voluntatis fuerunt facta, & approbata: ſic. n. habetur Gen. 1. *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* & Rom. 11. *non repulit Deus plebem ſuam, quā præſciuit.* approbare autem, vel reprobare,

Nec eſt ſcientia approbationis.

bare, vel repellere ſpectat ad imperiū volūtatis. patet etiā, quia talis ſciētia approbationis reducitur ad ſcientiam viſionis: & ſolummodo addit ſuper eā hoc, nempe, quod id, quod ſcitur per eam, Deo placet. viſionis namq; ſciētia in plus ſe habet, quàm ſcientia approbationis, quia per ſcientiam viſionis Deus noſcit omnia, tùm quæ ſibi placent, tùm quæ diſplicent: at per ſcientiam approbationis nouit ſolummodo quæ eius voluntati placent.

Sciētia viſionis in plus ſe habet, quàm ſciētia approbationis.

Notia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa per modum Artis.

26 Dicimus quartò, talem ſcientiam cauſatiuam per modum Artis, eſſe notitiam ſimplicis intelligentiæ, quatenus applicatæ ad opus per voluntatem. & hoc eſt completiuum, & adæquatum principium cauſatiuum contingentium ad extra. notitia quidē de ſe ſola, ſpectata tamen per modum Artis, eſt concauſa ſolummodo in actu primo, remotè, & in virtute: quatenus verò applicatur ad opus per voluntatem, erit in actu ſecundo concauſa, vna cum voluntate ad agendum.

Ex hinc ſoluuntur argumenta Scotiſtarū.

27 Ex dictis ſoluta remanent argumenta Scotiſtarum: ſupponūt enim hanc ſcientiam de ſe ſola eſſe cauſam ad extra: cùm tamen exigat cooperationem voluntatis, ceſſant allata inconuenientia: omnia enim probāt non poſſe eſſe causā de ſe ſola, quod concedimus, attamen non conuincunt nō eſſe cauſam, prout coniūctam cum diuina voluntate.

28 Conſtat etiam talem notitiam debere eſſe practicam: quod facillimè poſſunt Scotiſtæ tueri in vita Scoti iuxta modum, quem tradidimus, quo fit, vt ſit verè cauſatiua rerum.

Sciētia nō eſt cauſa phyſica, ſed artificialis, & moralis

29 Ac denique dicimus ſcientiam non cauſare ad inſtar cauſæ phyſicæ; & naturalis: ſed cauſare per modum Artis: quapropter cauſalitas eius non erit phyſica, & naturalis, ſed artificialis, & moralis; non prima, quia de ſe ſola nullum habet influxum: aliàs contingentia ad extra producerentur naturaliter, & neceſſario, cùm talis ſit ſcientia naturalis: ſed ſecunda, quia cauſat ad inſtar Artificis, qui mediante ſua Arte iūcta cum volūtate, & potentia executiua, facit opus. Verum eſt tamen, quòd Ars in Artifice creato, cum illuminat, & dirigit, ne erret: in Deo autem non ſe habet voluntatem dirigendo, ſed præoſtendendo; vt diximus: ſufficit verò vna cum ſcientia voluntas; non enim ponimus potentiā tertiam exequutiuam in Deo, de quo ſupra.

Verbū eſt ars Patris, cur autem non Spiritus S.

30 Confirmatur totus diſcurſus ex Auguſt. dicente, *Verbum eſt ars Patris.* at Verbum indicat intellectū, atq; notitiam, cum producatur per modum intellectus. & ſi ipſi appropriatur eſſe artem rerum fiendarum, & gubernandarum ad extra, clarè conſtabit diuinā ſcientiam eſſe rerum cauſam. Quæro autem à contrariæ ſententiæ Authorib. cur non dixit Auguſtinus, *Spiritus ſanctus eſt ars Patris*, ſed potius dixit, *Verbum eſt ars Patris*; ratio pro nunc ea eſt, quoniam Deus non agit ad extra ſolummodo per voluntatem, quæ appropriatur Spiritui ſancto, ſed agit etiam per intellectum, & cognitionem quæ appropriantur Verbo. & quia cognoſcendo, & intelligendo operatur; hinc eſt vt dixerit artem Patris eſſe Verbum: vnde elicitur ſcientiam Dei eſſe artem factibilium: & quia quæ Deus agit, optimo indicio, & optima ratione agit, ideo optima etiam ratione competit ſuæ ſciētiæ nomen Artis; taliter. n. Ariſtoteles deſcribit artem, vt ſit *habitus cum recta ratione factiuus.* 6. ethic. c. 5.

Non eſt notitia ſpeculatiua.

31 Et hinc magis conſtat non eſſe notitiam ſpeculatiuam; nam hæc abſtrahit ab hic, & nunc: ars vero nō abſtrahit à conditionib. indiuidualibus: ſed prudens artifex reſpicit ad locum, tempus, circumſtantias, conditiones, & ſimilia, à quibus tamen abſtrahit habitus ſpeculatiuus.

Nō eſt ſciētia viſionis

32 Magis autem hinc conſtat non eſſe talem artem ſcientiā viſionis, quia ad hanc non ſpectat, nec voluntatem illuminare, nec dirigere, cum ſit omnino poſterior ipſis iam artificiatis in diuino decreto, & in diuina mēte: eiq; nil competit, niſi intueri ipſa artificiata. quapropter Vulpes tandem confitetur Dei ſcientiam eſſe aliquo modo artem: at ſubdit, id non eſſe dicendum de notitia ſimplicis intelligentiæ, cum ea ſit indifferens, & naturalis, indeq; neceſſariò prodirent obiecta contingentia creata: & propterea cenſet eſſe

id

id aſſerendum de ſciẽtia viſionis, quia libera eſt,& propter libertatem magis quadrat cum contingentia rerum.

Vulpes refellitur.

33 Vetum etiam in hoc vltimo fallitur: quia nulla ſcientia de ſe eſt libera, nec ſimplicis intelligentiæ, nec viſionis: patet, cum ambæ notitiæ ſint actus intellectus, qui eſt potentia merè neceſſaria, & naturalis in agendo; igitur ſi aliqua iſtarum eſt cenſenda libera, erit id non intrinſecè ex ſe, ſed aliunde, denominatione quadam extrinſeca, vt de ſcientia viſionis quæ libera vocatur, quia ſubſequitur decretum liberum, & quia intuetur obiecta producta liberè à Deo: at de ſui natura eſt ſcientia naturalis, quia Dei intellectus per eam neceſſario cognoſcit determinationem iam factam; & poſita iam determinatione rerum producibilium ad extra non poteſt Dei intellectus nõ cognoſcere obiecta ſic determinata, tum quia intellectus eſt potẽtia naturalis, tum quia ex plenitudine infinitatis ſapientiæ ſuæ nihil poteſt ipſum latere, vt dictum eſt ſuo loco. Itaq; ratio eius non valet, quod ideo per ſimplicis intelligentiæ notitiam non noſcit, quia illa eſt ſcientia naturalis; etenim eadem ratio militat de ſcientia viſionis in ſenſu explicato. quapropter ſi id negat de notitia ſimplicis intelligentiæ, neceſſe eſt quoq; negare de ſcientia viſionis: vel ſi de viſionis ſcientia id concedit, multo amplius concedere oportebit de notitia ſimplicis intelligẽntiæ, vt eſt dictum, quia ipſa præcedit determinationem iam factam de futuris contingentibus, & ſub hac ratione debet antecedere, tanquam cauſa ſuum effectum.

Sciẽtia viſionis non eſt libera intrinſecè, ſed denominatione extrinſeca, declaratur.

Obſtatur ex Origene et Auguſt.

34 Quæ obſtant contra principale punctum eſſe poteſt authoritas Origenis epiſt. ad Roman. lib. 7. cap. 8. dicentis, *non ideo aliquid erit, quia Deus ſcit illud, ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo.* item Iuſtinus martir l. quæſtion. Gentil. quæſt. 58. ait, *nec cauſa eſt eius, quod futurum eſt, prænotio: ſed quod futurum eſt, eſt cauſa prænotionis.* & Auguſtin. 4. de gen. ad litt. c. 32. *neque enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant.*

35 Ad hęc, & ſimilia ſoluẽda oportet recenſere ſcientiam, qua Deus cognouit futura eſſe omnino poſteriorẽ ipſis rebus futuris, quod perſpicuum eſt apud omnes, & patet ex dictis; ipſa namq; non eſt cauſa rerum, vt diximus igitur nõ antecedit res ipſas, ergo ſubſequitur, tum etiam quia ipſa eſt poſt decretum, & determinationem futurorum, itaq; eſt poſterior rebus ipſis futuris, Hinc dicimus primo eſſe veram iſtam cõſequentiam, *quia res ſunt futuræ, ideo cognoſcuntur à Deo.* ſenſus eſt, quod quia ſunt, ſeu erũt, ideo ſciũtur; dato autem quod non erunt, ſequitur, vt nequaquam ſic ſciantur. & in hoc ſenſu loquitur Auguſtinus dicẽs, *neque enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant.* & in eodem ſenſu loquitur Gregor. & Origenes citati.

Quia res ſunt futuræ, ideo ſciuntur.

Quia ſunt futuræ, ideo ſciũtur ſciẽtia viſionis

36 Et iuxta hunc modum loquendo dicendum eſt, quod cauſalis iſta, *ideo res ſciuntur à* Deo, *quia ſunt futuræ*, vera eſt de ſcientia viſionis ſubſequente decretum futuritionis: non autem de ſcientia antecedenti; quæ ſit cauſa eorundem futurorum; etenim huic competit cauſare, non autem cognoſcere. & in hac eadem ſiſtendo loquuntur Patres, citati pro oppoſita ſententia; *quia namq; Deus per hanc ſcientiam cauſando ſcit res futuras*, ideo ſunt ipſæ res futuræ.

Sciẽtiæ antecedenti cõpetit cauſare, nõ ſcire: ſcientiæ conſequẽti decretum cõpetit ſcire, non cauſare.

37 Et circa hoc eſt notandum, quod ſcientiæ iſti, quæ eſt per modum artis cauſa rerum, potius cõpetit cauſare, quam ſcire: & ſi vtrumq; ẽi conuenit, videtur quod conuenit magis vnum quam aliud: magis autem propriè conuenit ſcire ſcientiæ viſionis; quia ipſi non competit cauſare, ſed ſolum ſcire, quæ per aliam ſcientiam cauſantur.

Confirmatur.

38 Et hinc eſt, vt D. Tho. exponens ſententiam Origenis dixerit, eam eſſe veram ſecundum cauſam conſequendi, non ſecũdum cauſam eſſendi; nam ad futuritionem rei ſequitur diuina ſcientia, non quidem ſub ratione effectus, cum non cauſetur à rebus futuris; ſed ſub ratione conſequentiæ, quoniam valida eſt conſequentia hæc, res iſta futura eſt, ergo ſcitur à Deo,

Expoſitio Origenis, & D. Th.

39 Et hoc eſt id, quod communiter ſentiunt Theologi, nempè diuinam notitiam non cauſari à rebus, cùm obiecta creata habeant ſolummodo ratio-

Ideo res ſunt, quia ſciũtur exponitur poſitiuè, & negatiuè.

tio-

tionem terminandi notitiam Dei, non cauſandi; alias *vileſceret diuinus intellectus ſi in cognoſcendo moueretur à rebus*, teſte Ariſtot. quo ſtante optimè etiam hoc modo exponuntur Patres citati, vt dicāt ideo res eſſe, quia ſciūtur, quorum ſenſus ſit duplex; alter quidem quia ſcientia Dei per modum artis ſit verè cauſa: & alter, quia in tātum dicatur cauſa, inquantum nō cauſatur: ita vt primus ſenſus ſit poſitiuus .ſ. ſcientia Dei quia eſt rerum cauſa, ideo eſt vera hæc cauſalis, *res ſunt, quia ſciuntur*. ſecundus ſit negatiuus ſ. ſciētia Dei non cauſatur à rebus, ideo eſt vera iſta altera cauſalis, *non quia res ſunt, ideo ſciuntur*. & ſic exponendi veniunt Patres primo loco citati pro ſententia affirmatiua; non.n. cauſatur ſcientia à rebus.

40 Pro negatiua autem ſententia iam dictum eſt citatos Doctores; & Patres qualiter intelligere debeamus. Cui rei addunt alij cauſalitatem quandam extrinſecam dunominatiuam: cū namque aſſerere non poſſint obiecta creata eſſe eius cauſam phyſicam, quia tamen talis ſcientia terminatur ad res creatas, & denominationem ſumit ab eis, ideo dicitur quoammodo extrinſecā, ſiue denominalem cauſalitatem obiectiualem accipere ab eis; verum eſt namq; ſcientiam lapidis terminari ad lapidem; & lapidis ſcientiam non eſſe ſcientiam ligni, cùm ſint obiecta diſtincta, igitur aliam denominationē tribuit diuinæ ſcientiæ lapis, & aliam tribuit lignum; itaut illa vocetur ſciētia lapidis, non ſcientia ligni: & hæc appellatur ſcientia ligni, non lapidis: conſtat autem hanc denominationem externam pendere ab obiectis ipſis: & ſub hac ratione, ſemouēdo omnem imperfectionem, dicunt quodammodo exercere aliquam cauſalitatem, non quidem phyſicam quoad entitatem, ſed obiectiualem, denominatiuam, & extrinſecam. Quia tamen ſcientia denominationem hāc ſumit ab obiectis, vt potius ſit ſcientia appellanda lapidis, quàm ligni, & viceuerſa, ideo obiectū ipsū debeat præcedere ad ſciētiam, patet quia denominans præcedit denominatum in ratione cauſæ denominandi, & ideo ſub his rationis currat vt ſciētia remaneat poſterior, ſitq; vera etiam in hoc ſenſu ſententia vltima, quod ideo ſciuntur res à Deo, quia ſunt. Verum id negat Ariſtoteles de cauſalitate, dum ait, *quod vileſceret diuinus intellectus, ſi cognitionem ſumeret à reb.* & Theologi communiter negāt cauſari ab obiectis ſecundarijs, ideo neganda talis cauſalitas, remanente ſola terminatione. *Cauſalitas omnis paſſiua diuinę ſciētiæ exploditur.*

41 Obſtare etiam poteſt, quia ſcibile eſt prius ſcientia ex 10. met. t. 5. ergo erit verum, quod quia ſunt, ideo ſciuntur. Sed occurritur, id namq; eſt verum de ſcientia creata, hæc namque eſſentialiter, & phyſicè pendet ab obiecto, quoniam ab ipſo verè cauſatur, non ſic Dei ſcientia; tùm quia ſcientia per modum artis non cauſatur à rebus, ſed cauſat eas; tùm etiam quia ſcientia viſionis habet ſolūmodo terminari ad ipſas res, non cauſari ab ipſis, propter ſummam perfectionem ipſius ſcientiæ, ipſiuſq; intellectus diuini, qui non pendet à rebus in intelligēdo, cùm ſufficiens eius in cognoſcendo motiuum ſit Dei eſſentia: & huc etiam aſpexerunt Patres primę ſententiæ negantes talem cauſalem, *quia res ſunt, ideo ſciuntur*, vt eſt dictum, in tantum namque negatur iſta cauſalis, *quia res ſunt, ideo ſciuntur*, in quantum oſtendi debet ſcientiam Dei non cauſari à rebus creatis: & in tantum iſta cauſalis conceditur, *quia res ſciutur, ideo ſunt*. in in quantum ſcientia per modum artis eſt cauſa rerum: & talis eſt ſenſus Patrum. *Scibile prius ſcientia: declaratur*

QVAE-

QVÆSTIO VIII.

De multiplici obiecto diuinæ ſcientiæ in genere.

Satus quæſtionis.

1 VNiuerſa Dei ſcientia duplici terminatur ſcibili obiecto: nec vltra, aliud ſcibile requirit. Mirū fortaſſe videbitur, duplici contenta ſit ſcibili obiecto, ratio, quia Dei ſcientia eſt infinita, ergo infinita exquiret obiecta.

Scientia Dei vnde infinita.

2 Verùm omnis controuerſia ceſſat, ſi expendamus à priori caput infinitatis ſcientiæ Dei; non .n. infinita eſt hæc ſciētia, quia actu ad infinita numero terminetur obiecta, ſed aliunde, vt dicemus. Et quidem de primario obiecto loquendo, id vnum eſt numero, & nō plura, nec eſt numero infinitum: vnica namq; eſt numero diuina eſſentia:

Nō infinita, quaſi ad obiecta numero infinita.

inſuper Perſonæ diuinæ ſunt tres numero, & non numero infinitæ: deniq; modi intrinſeci, atq; attributa, perfectioneſq; eiuſdem eſſentiæ Dei ſunt itidem numero finita, & nihilominus Dei ſcientia eſt infinita, ergo eius infinitas non expetitur ex obiectis numero infinitis. loquendo etiam de ſecundario obiecto, prout ſunt creaturæ, nec etiam ipſæ ſunt actu infinitæ numero, vt conſtat. de poſſibilitate eſſet diſſidium, arbitrantibus Thomiſtis

Obiectum primariū non eſt numero infinitum.

dari poſſe proceſſum in infinitum in creatione ſpecierum ipſarum rerum: contendentibus ex oppoſito Scotiſtis talem proceſſum repugnare: licet autem circa creationem ſpecierum in infinitum contendant; nihilominus cōcordant in eo, quod vtraq; ſchola docet dari poſſe infinitatem ſaltem numeralem indiuiduorum, & ſingulariū contentorum ſub ſpeciebus.

3 His tamen non obſtātibus, nec inde diuina cognitio erit infinita: & eſto daretur actu in rebus creatis per Dei potentiam, actu, inquam, infinitū; nihilominus ex tali infinito in actu nō colligitur infinitas ſcientiæ Dei.

An infinita eſſet ſi foret de obiectis creatis numero infinitis.

Ratio eſt; quia Dei cognitio non paritur à re creata; igitur eius entitas, pondus & mēſura non pēdebit ab obiecto creato: licet autem daretur infinitum in actu, quia tamen eius cognitio non produceretur à tali infinito in actu, ideo eius ſcientia de tali infinito creato non eſſet infinita. Confirmatur, quia talis, ac tanta eſt notitia rei, quanta eſt res ipſa, à qua eſsētialiter producitur; cognitio enim paritur ab obiecto; at obiecta ſecundaria non pariunt Dei notitiam, ergo non hinc eius infinitas, licet obiectum eſſet numero infinitū: eſſet verò terminatiuè infinita, ſiue obiectiuè, quia terminaretur ad obiecta poſſibilia numero infinita, & extenſiuè.

Confirmatur.

4 Solum obijci poſſet de rebus ipſis numero infinitis, vtrum ſaltem addant ſcientiæ Dei infinitatem numeralem; etenim ratio facta oſtendit tantummodo non reddere eam infinitam formaliter, & in entitate: vtrum verò reddatur ſaltē numero infinita ex intellectione obiectorum numero infinitorum, ſiuè actu, ſiuè de poſſibili. Reſpond. eodē modo, currit.n. eadē ratio pro explodenda vtraq; infinitate, vndè eſt, vt licet ſcientia hęc eſſet de numero infinitis obiectis, nihilominus non eſſet infinita: & quidem id probat diſcurſus iā factus; etenim talis cognitio non producitur à creatis obiectis, ergo per conſequens non poſſet eſſe infinita, licet obiecta eſſent numero infinita. item quantum eſt obiectum, tanta eſt notitia obiecti, ſunt namque correlatiua, menſura, menſuratū: ſcientia, & ſcibile: ſed obiecta numero infi-

nita, ſunt formaliter finita, ergo non poſſunt producere notitiam formaliter infinitam. Accedit, quod ideo notitia intellectus creati eſt finita formaliter, quia producitur ab obiecto creato, quod eſt formaliter finitum: Dei autem notitia non producitur ab obiecto creato, & finito, ergo non eſt infinita.

Ex infinitate numerali nõ adderetur ei infinitas numeralis formalis.

5 Sed remanet nihilominus difficultas de infinitate numerali; iam .n. conſtat nõ reddi infinitam formaliter, & in ſeipſa, vtrum verò illi accedat infinitas aliqua numeralis; dicendum quod non, ex inconuenientib. ſequentibus, quia ſequeretur Dei notitiam non eſſe vnam numero, ſed plures, immo infinitas numero; cum hoc ſit falſum; vnico enim intuitu percipit omnia. ſequeretur etiam debere produci à rebus ipſis infinitis, ratio eſt, quia vna res ſcibilis ad hoc, vt daret notitiæ ſuam vnitatem formalem, neceſſe eſſet, vt illam cauſaret; & ita haberemus vnam v. g. primam notitiam Dei cauſatam; item alia res ſcibilis cauſaret aliam intellectionem, & itidem daret ei aliam vnitatem: inſuper tertia res ſcibilis cauſaret tertiam notitiam, dando illi propriam vnitatem, & ſic de ſingulis in infinitum; ergo à primo ad vltimum, res numero infinitæ ſcibiles cauſarent ſcientias, & notitias numero infinitas in Deo, quod repugnat; ergo ex infinitate obiectiuali numerali non additur ſcientiæ Dei infinitas numeralis.

Eſſet infinita terminatiuè, quia ad numero obiecta infinita

6 Hoc totum, verum eſt loquendo formaliter de ipſa notitia, ſpectando eam formaliter in ſua entitate, quæ vt ſic concepta, non recipit ab infinitis obiectis creatis infinitatem; nihilominus loquendo de ea terminatiuè, nihil implicat, vt poſſit hinc habere aliqualem infinitatem: ratio patet, quia terminaretur ad obiecta numero infinita, de poſſibili, ergo hinc terminatiuè infinita, da oppoſitum, quod non eſſet ſic infinita, ſequeretur, quod non intelligeret Deus illa omnia obiecta de poſſibili infinita: & ita eſſet aliquod ens, ſiue actu, ſiue de poſſibilili, quod ignoraret ipſe Deus; cum autẽ ipſius ſcientia ſit vndequaque comprehenſiua, erit quoque ſic terminatiuè, & per extrinſecam denominationem infinita, terminatur enim ad numero obiecta infinita extẽnſiuè.

Scientia Dei infinitas vnde.

7 Vnde autem pendebit formalis infinitas ſcientiæ Dei à priori, facile conſtat tum ex ijs, quę diximus loquẽdo de comprehenſione ipſius ſcientiæ ſup. quæſt. 2. 3. tum ex dicendis. & iam facile reperitur, quoniam radix, & fundamentum, & origo principalis omnis infinitatis eſt eſſentia diuina, ergo inde radicaliter trahit primario infinitatẽ. eſt inſuper identificata cum ipſa eſsẽtia Dei, ergo propter idẽtitatem realem erit realiter, & identicè infinita: Item ipſa propriam quoque poſſidet formalem infinitatem, quia eſt formaliter infinita. eſt quoq; Dei intellectus infinitus, ergo hinc etiam ſcientia infinita. Ac demum, obiectum primarium, quod eſt diuina eſſentia, eſt infinitum, terminatur autem Dei ſcientia ad illud, & eſt ab illo, ergo ex tot capitibus eſt ſcientia infinita.

Genera ſcibilium non plus, quàm duo, Deus, & creatura: primarium, et ſecundarium

8 Sed inſiſtendo circa duplex caput diuiſionis prædictæ, vt duplex ſit obiectum ſcientiæ Dei, quæri poteſt, vtrum eſſet magis perfecta, magiſq; infinita, ſi ei adſcriberentur genera infinita infinitorum obiectorum ſcibiliũ. Reſpõdendum, quòd caſus eſt impoſſibilis; ſiquidem omnia, quæ Deus ſcire poteſt reducuntur ſolummodo ad duo genera obiectorum ſcibilium; alterum primariũ, quod eſt ipſe Deus; & alterum ſecundarium, quod ſunt creaturæ: conſtat verò in mundo hæc ſolummodo duo reperiri, nempè Deũ, & creaturam, & nil amplius: & ſub his duobus contineri omnia ſcibilia, ergo genera ſcibilium ſic generatim loquẽdo, neceſſario erunt non plus, quàm duo, puta, Creator, & Creatura. de ſingulis autem indiuiduis contentis ſub generibus, & ſpeciebus creaturarum, iam eſt dictum; quænam ratio infinitatis competat eis, ergo non poterunt diuinæ ſcientiæ eſſe plus quàm duo genera obiectorum ſcibilium in ſe, vnde Theologi omne ſcibile comprehendunt ſub duplici obiecto, primario, & ſecundario, creato, & increato.

Infinitas numeralis repugnat Deo.

9 Item talis numeralis infinitas abſolutè loquendo, nec eſt neceſſaria in Deo, nec addit perfectionem ipſi

Deo,

Deo: immo ſi adeſſet, deſtrueret eũdẽ Deum: prob. in primis ſi loquamur de ſua Deitate, ipſa neceſſario eſt vna, quod ſi plures eſſent, igitur eſſent plures Dij; item Perſonæ diuinæ sũt tres, quòd ſi eſſent quatuor, deſtrueretur Trinitas. inſuper infinitudo Dei vnica eſt, quòd ſi eſſent duæ, ergo eſſent duo Dij, & ambo infiniti, ſicq; deſtrueretur vnitas Dei. Præterea ſapiẽtia Dei vna eſt, ꝙ ſi eſſent plures, ergo plures Dij; prob. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt per vnam numero ſapientiam ſapientes; ergo illa altera ſapiẽtia competeret alij, quàm diuinis perſonis, quoniam illa vlteriori Perſonæ diuinę non egent: verùm quia ſapientia talis eſſet etiam infinita, ergo perſona alia, cui competeret, eſſet inſuper infinita, & ita eſſet alter Deus. Conſimiliter diſcurritur de ſingulis alijs Dei perfectionibus: & concluditur melius eſſe omnino tot eſſe, & non plures; etenim ſi plures eſſent, deſtrueretur Deus. de hoc magis tom. 2. diſput. de diuinis attributis.

Obſtatur. 10 Nec valet arguere, ſubiectum quo plures habet perfectiones, eo eſt perfectius; ergo Deus eſſet perfectior, ſi plures cõtineret numero perfectiones. Reſpondetur enim, quod aſſumptum eſt verum vbi ſubiectum eſt capax talium perfectionum: quod ſi incapax eſt, non vtique perficitur ex additione talium perfectionum, immo deſtruitur: ſi namque formicæ addantur perfectiones Equi, & Leonis, ſiue Hominis, non perficeretur, ſed deſtrueretur formica, cum ſit incapax earum; & propterea ait Ariſt. *quod ſpecies rerum ſe habent ſicut numeri*; itaut conſiſtant in indiuiſibili gradu ſpecifico: cui ex additione alterius gradus ſpecifici facta, accidit neceſſario vt deſtruatur, ſicut deſtruitur ternarius ex additione

Occurritur

Subiectum quo plures habet perfectiones, eo eſt perfectius, verum ſi ſit capax.

alterius vnitatis, fit enim quaternatius. Deus autem non eſt capax aliarũ perfectionum diſtinctarũ à perfectionibus, quas continet; vel namque illæ eſſent finitæ, vel infinitæ: non infinitæ, quoniam vltra Deum, nihil eſt infinitum: ſi finitæ, non vtiq; poterunt perficere Deum, niſi modo finito, at Deus eſt infinitus, & de ſe exquirit (ſicut verè habet) perfectiones infinitas. Adde, quod ſi perfectiones hæ ſunt infinitæ, ergo iam de facto Deus habet illas; eũm perfectiones infinitę in nullo ſubiecto reperiantur, niſi in ſubiecto infinito; huiuſmodi eſt Deus, ergo de facto illas habet, igitur nõ expectat eas: quòd ſi eæ sũt perfectiones finitæ, etiã Deus habet illas in ſeipſo; quandoquidem perfectiones omnes creaturarum finitas continet Deus in ſeipſo eminẽter; igitur non concludit argumentum.

11 Cum hoc tamen, quòd Dei perfectiones sũt infinitæ, ſicut & quæcunque dicta de Deo ad intra; non eſt cenſendum eſſe niſi infinitate formali ſolũmodo infinitas: vnde attributa cũ appellantur infinita, erunt ſic formaliter, non autem numeraliter infinita, & ſic de cæteris; & ita eius perfectiones non erunt numero infinitæ, ſed finitæ numero; vt t. 2. de attributis.

Perfectiones Dei licet infinitæ formaliter, tamen ſunt numericè finitæ.

Ex omnibus autem concluditur non eſſe in enumeratione obiectorum diuinæ ſcientiæ recurrendum ad numerum infinitum: licet namque creata indiuidua ſub propria ſpecie, & genere eſſent de poſſibili, numero infinita, nihilominus omnia in infinitum poſſibilia obiecta creata conſtituunt ſolũmodo vnicum genericum obiectum ſcientiæ Dei, quod vocatur obiectum ſecundarium, quod vna cum obiecto primario non faciunt (niſi duplex tantummodo obiectum in genere, vt conſtat, ergo obiecta talia erunt numero finita.

QVÆSTIO IX.

De duplici obiecto diuinæ ſcientiæ, primario, & ſecundario.

Eſſentia diuina eſt obiectum primarium.

1 SPecialius autem cõſiderando obiecta hæc diuini intellectus, ea ad duo genera reducuntur, alterum namq; dicitur obiectum primarium, & alterum ſecundarium. hæc eſt communis acceptio Theologorum, Breuiter autem ſunt explicanda ambo duo.

Primariũ primitate ordinis.

2 Primarium eſt diuina eſſentia, ſecundarium creaturæ omnes, tã poſſibiles, quam actu exiſtentes. De primo loquendo, inueſtigandum eſt qua ratione Dei eſſentia vocetur obiectũ primarium: id vero contingere poteſt ex multiplici capite. Primo quidem primarium appellatur primitate Ordinis; ratio eſt, quia inter obiecta omnia à Deo intelligibilia, primum, quod ſibi occurrit intelligendum, eſt diuina eſſentia, inde vero creaturę. Ratio huius optimè traditur à Scoto, ſiquidem quandocunq; concurrunt plura obiecta, quorum alterum eſt neceſſarium, & alterum contingens, prius eſt obiectum neceſſarium, & poſterius contingens: talis eſt diuina eſſentia, quæ eſt ens omnino neceſſarium, creaturæ autem ſunt contingentes, ergo primo loco occurrit eſſentia Dei. Ita in 2. d. 1. quæſt. 1.

Quænam ſpectãt ad obiectum primariũ ad intra.

3 In hoc obiecto primario communiter Theologi cõprehendunt omnia ea, quæ ſunt in Deo ad intra, tum abſoluta, tum reſpectiua; vt modi intrinſeci, attributa, perſonæ, & cætera ad intra. Et quidẽ ſi ratio militat mox adducta, vtiq; neceſſe eſt hæc omnia ſpectare ad naturam obiecti primarij, quoniam quidquid eſt in Deo, eſt ens neceſſarium, dum vero modi intrinſeci, attributa, & perſonalitates diuinæ ſunt neceſſaria, perſonalitates autem creatæ, atq; creatæ perfectiones ſunt entia contingentia, ſequitur, vt merito attributa diuina, perſonæ, & cætera quæ ad intra ſunt, ſpectent ad naturam obiecti primarij, non autem creaturę.

Relationes ad intra ex Scoto ſpectant ad obiectum ſecũdarium, declarantur.

4 Addit autem Scotus, vbi ſup. vnum circa hoc: id vero eſt, diuinas relationes ad intra, ſicut & perſonas ipſas productas, ſpectare ad obiectum ſecundarium. Hoc prima facie videtur abſurdum; attamen ſemetipſum benè declarat, ſicut & diſcipuli eius; in tantum enim appellat eas obiectum ſecũdarium, inquantum diuina eſſentia eſt omnino prima, relationes autem diuinæ ordinatè concipiuntur poſt eſſentiam: ſicut etiam modi intrinſeci, & attributa ſubſeqũuntur ad ipſam eſſentiam, & non ſunt prima; quo ſtante nõ implicat; vt ratione talis ordinis poſſint vocari obiecta ſecundaria. Adde, quod ipſa eſſentia, de ſe primo habet eſſe radicale, perſonæ autem productę habent eſſe per productionem intellectus, & voluntatis: Ipſa quoq; prima perſona Patris, licet improducta ſit, nihilominus habere intelligitur eſſe poſt eandem eſſentiam diuinam, ſicut poſt eandem intelligũtur modi intrinſeci, & attributa, &c. hæc conſideratio facit, vt aliquo modo induant rationẽ obiecti ſecundarij. Verum eſt tamen, quod obiectum hoc ſecundarium ſic appellatum, eſt obiectum conſiſtens in diuinis ex natura rei, & conſequenter eſt

eſt neceſſario ibi: hoc dicitur ad differentiam obiecti verè ſecundarij, vt ſũt creaturæ, quarum eſſe non eſt neceſſarium, ſed ex diuina voluntate liberè, & contingenter dependens: illa etiam ſunt idem, ac ipſe Deus, creaturæ non ſic: & hoc ſufficit, vt conditio ſecundarij obiecti applicata perſonis, & perfectionibus, faciat talem conſiderationem ſecundarij obiecti ad intra, differre à conditione veri obiecti ſecundarij creaturarum ad extra. Quapropter duplex diſtinguitur in via Scoti obiectum ſecundarium, alterum conſiſtens ad intra ex natura rei, & hoc ſunt perſonæ, attributa, & cætera, vt diximus; alterum pendens tum à diuino intellectu dante eſſe cognitum, tum à diuina voluntate dãte eſſe actualis exiſtentiæ, & hoc ſunt creaturæ.

Primitate emanationis.

5 Redeundo autem ad primitatẽ obiecti, vltra primitatẽ ordinis allatã, habet quoque primitatem emanationis, & cauſalitatis: conſiſtit vero hęc primitas in eo, quod cuncta originantur, ſuo modo, ex eſſentia Dei. & loquendo in primis de ijs, quæ ſunt ad intra, iam attributa, & perſonalitates emanant ex eſſentia Dei: ſufficit ſic explanare eius primitatem ad intra per viam emanationis; non enim dicere poſſumus attributa, & relationes originari ab eſſentia, quia eſſentia nec generatur, neč generat, generaret autem ſi haberet in rigore primitatẽ originationis: verũ loco originis, admittimus in ea emanationes, & ita catholicè loquimur dicendo eas emanare ex ipſa eſſentia: & in hoc eſſentiam habere primitatem emanationis; cætera namq; ad intra emanant ex eſſentia, ipſa autem à nullo. loquendo autem de his, quæ fiunt ad extra, habet quoq; primitatem cauſalitatis, quòd amplius patebit, quia in ipſa eſſentia continentur creaturæ virtualiter, tanquam in cauſa, ergo ſic ſunt ex ea. Verum quia cuncta ſic pendent ab eſſentia, & ipſa à nullo, ideo vt ſic, habet primitatem cauſalitatis, vna tamen cùm voluntate, quia eſſentia volens cauſat ad extra.

Primitate perfectionis.

6 Succedit alia primitas, quæ eſt perfectionis. & quidem inter omnia obiecta intellectus diuini, eſſentia Dei primum locum tenet in perfectione, cùm ſit infinitæ perfectionis. item quia eius perfectio eſt omnino prima, etiã in ordine, & enumeratione perfectionum, vt patet, quoniam Deus eſt perfectiſſimus ex ſe ipſo, & à ſeipſo, ita vt à nullo perfectiones mendicet, creaturæ autem mendicant perfectiones à Deo, ergo ſunt ſecundario perfectæ, vnde reſtat, vt eſſentia diuina ſit perfecta primario, & ob id appelletur obiectum hac perfectionis primitate primum: quæ perfectio adęquatè explicatur tùm poſitiuè, tùm negatiuè: poſitiuè quidem quatenus cęteris creaturis eminet, & præeſt in perfectione, excellendo ſuper eas: negatiuè etiam, quatenus ipſamet eſſentia à nemine vincitur in perfectione: ſed de hoc actum eſt ſup. diſputat. 9. de perfectione diuini eſſe.

Primitate continentię eminentialis.

7 Subſequitur altera primitas, quę eſt primitas eminentialis: eminentia autem in eo ſiſtit, vt nedum cũctis alijs emineat in perfectione; verum etiam quod in ſemetipſa contineat cæterarũ rerum perfectiones modo perfectiori: quæ eminentialis continentia non poteſt, niſi perfectiſſimo continenti competere; ideoq; nulli cõpetit, niſi Deo. ob id euenit, vt Deus intuendo eſſentiam, eiuſq; infinitas perfectiones, dicatur inde intueri cæterarum rerum perfectiones, quatenus contentas in perfectione infinita ipſius eſſentiæ: da oppoſitum quod eminenter eas ſic nõ contineat, & eueniet, vt eſſentia non ſit hac primitate eminentiali primum. verum quia cuncta eminenter continet; & ipſa continetur à nulla creatura ſic, hinc eſt, vt ſit in hoc etiam ordine primum.

Primitate continentiæ virtualis.

8 Accedit continentia virtualis: & in hac virtuali continentia habetur altera primitas eſſentiæ, primitas quidem virtutis, ſeu virtualis continentię; ratio eſt, quia in eſſentia reperitur virtus ad res cauſandas, ergo res cunctæ continentur potentialiter, & virtualiter in tali eſſentia: ipſa autem ſic virtualiter continetur à nullo, patet quia eſſentia non generatur, nec ſubijcitur potentiæ alicui creatæ: eſt etiam ens à ſe, ergo à nullo ſic continetur, & conſequenter etiam in hoc genere habebit rationem primitatis.

9 Adeſt

Primitate obiectiuæ, & entitatiuæ adæquationis penes Dei intellectũ.

9 Adeſt deniq; primitas adæquationis: hac mediante ſequitur vt eſſentia ſit obiectum adæquatum diuini intellectus. & quidem eſſentia eſt infinita, intellectus etiam eſt infinitus, ergo adæquantur; quæ adæquatio eſt in entitate: adæquatur etiam in ratione obiecti intelligibilis, quia vndequaq; & completiſſimè, atque perfectiſſimè intelligit eam Deus, quia compræhendit illam, ergo adæquatur etiam in ratione obiecti intelligibilis. item nil remanet de eſſentia, quod lateat Dei intellectũ: nil eſt in ea, quod vndequaq; non perfectè intelligatur à diuino intellectu, ergo adæquatur. Inſuper quidquid in rebus creatis reperitur, totum oſtẽdit ei diuina eſſentia perfectiſſimè, vt infra; ergo à primo ad vltimum vndequaq; adæquatur: quæ adæquatio ad duplex caput reducitur, vt eſt explicatum, altera entitatiua, & altera obiectiua.

Eſſẽtia abſque creaturis vtrum appellãda obiectum adæquatũ.

10 Sed vtrum eſſentia de ſe ſola, abſq; creaturis vocari poſſit obiectũ ſic adæquatum: ex duplici capite patere poteſt reſponſio: vel enim loquimur de adæquatione *entitatiua*, & facilè conſtat eſſentiam de ſe ſola ſufficere ad talem adæquationem; ipſa namq: eſt infinita, intellectus eſt infinitus, ergo ſtat perfecta adæquatio in entitate: non poterit autem adæquatio hæc extẽdi ad creaturas, cum illæ ſint finitæ, & teſte Ariſt. *finiti ad infinitum nulla ſit proportio*. vel ſecundo loquimur de adæquatione *obiectiua*, & rurſus eſt diſtinguendum, quia adæquari ſic poſſe, contingit vel *intenſiuè*; vel *extenſiuè*: loquendo de eſſentia cùm cæteris ad intra, ſemouendo creaturas, adæquabitur ſolummodo intenſiuè, non extenſiuè, careret enim extenſione intellectionis ad creaturas: applicando autem ſimul, & vniendo eſſentiam cùm creaturis, tunc conſtitueret obiectum vndequaq; adæquatum, tum intenſiuè, tum extenſiuè, intenſiuè ad intra: extenſiuè, ad extra: vt ſup. diſput. 9. q. 3. deduximus, quærendo vtrũ Deus cùm creatura faciat aliquod maius.

Obiectum ſecundariũ ſunt creaturæ.

11 Accedendo autem ad ſecundarium, ipſum non eſt, niſi ens creatum; finitum, & limitatum, cum & omnib. contentis ſub eo, vt ſunt omnes creaturæ. Quare autem vocetur ſecundarium, conſtare poteſt ex oppoſito rationum cõuenientium obiecto primario, quia oppoſitorum eſt eadem diſciplina; igitur ea, quæ obiecto primario conueniunt, negando à quocunq; alio obiecto, habebimus obiectum ſecundarium. Et quidem obiecto primario competebat primitas ordinis in ordine ad diuinam cognitionem, quia ipſũ eſt primo cognitum à diuino intellectu: at creatura non habet hanc primitatem ordinis, cùm non ſit primo cognita, prima enim eſt eſſentia, ergo nõ eſt obiectum primarium, ſed ſecundarium. Competit inſuper obiecto primario primitas cauſalitatis, at creatura non ſic ſe habet, cùm prima omniũ origo ſit Deus. Competebat item primitas perfectionis; at vero creaturæ ſi perfectæ ſunt, tamen earum perfectio eſt multis admixta imperfectionibus: & eſt perfectio participata, dependẽs, atque finita; quod ſi finita, & dependens eſt, præſupponit neceſſario aliud ens prius, independens, & infinitum, vt eſt diuina eſſentia. Adaptatur eidẽ eſſentiæ primitas eminentialis, qua mediante continet cæterarum perfectiones; & vltra continentiam perfectionalem creaturarum, adeſt alia cõditio, quod continet eas perfectiori modo, quam contineantur in ipſiſmet creaturis, hoc eſt enim continere eminenter, hoc verò ſoli Deo competit, non creaturis, quia entia finita, & imperfecta non poſſunt perfectiones, ſiuè proprias, ſiuè aliorum continere, niſi modo finito, & imperfecto.

Creatura quare vocantur obiecta ſecũdaria.

In creaturis qualis continẽtia virtualis.

12 Circa continentiam cauſalem, & virtualem, apertum eſt, creaturas non eſſe rerum omnium cauſas, ergo talis primitas continentiæ cauſalis, & virtualis competit ſoli eſſentiæ Dei. Dices multæ ex creaturis continent effectus, ſiuè plura producibilia, ergo etiam talis continentia in creaturis. Reſpond. verum eſſe aſſumptum, attamen non continet creatura omnia effecta producibilia, ſed aliqualia, & tot, vt non plura: vt patet, Leo enim habet virtutem cauſatiuam, ſiuè generatiuã Leonis, & non Bouis: Bos Bouis, & non Leonis: Equus Equi, & non Elephan-

phantis,& ſic de ſingulis: Dices,aſtra ſunt cauſæ vniuerſales, ergo habent hanc primitatem. facilè hoc eluditur, quia licet ſint ſic cauſæ vniuerſales in cauſando,attamen multi ſunt effectus, ad quos non poſſunt attingere ipſa aſtra, vt ſunt Angeli, Animæ rationales,itidem in ſententia aliquorum,etiā ipſæ animæ ſenſitiuæ imperfectorum. Inſuper ij effectus,qui ſpectant ad myſteria gratiæ,& gloriæ, & huius generis;ergo nulla creatura habet hāc primitatem,quæ ſoli cōpetit Deo. Quod ſi de cauſalitate creaturarum loquamur,ea etiam circa proprios effectus, quos producere poteſt, valdè diſtat à cauſalitate Dei, quia eſt cauſalitas dependens,& adeo dependens à Deo,vt ſi Deus concurſum negaret,nil ageret ipſa creatura,vt de fornace Babilonis. Eſt item plurimis admixta imperfectionibus, vt de ſe patet; ergo nec in hoc habebit creatura rationem obiecti primarij,ſed ſecundarij.

Creatura non habet primitatē adæquationis obiectiualis.

13 De primitate adæquationis iā eſt dictum, creaturam de ſe ſola entitatiuè ſumpta non poſſe ratione ſuæ finitatis adæquari intellectui Dei,ergo hac primitate non eſt obiectum primarium,ſed ſecundarium. item loquēdo de primitate obiectiuali, ſeu adæquatione obiectiuali,ipſa nō adæquat, ratio eſt,quia eſſentia ſola ſufficit. Dices, neceſſario Deus habet pro obiecto creaturas,ergo requiruntur neceſſario ad adæquationem obiectiualem diuini intellectus.

14 Reſpond. primo, id de facto currere,dum namq; ipſe creaturæ ſunt in vniuerſo,ſiuè in actu, ſiuè in potentia,vtiq; Deus neceſſario ſcit eas, non quod neceſſitatem habeat Deus de creaturis, ſed id prouenit ex plenitudine,fæcunditate, & perfectione diuini intellectus, qui quia infinitus eſt, omnia neceſſario comprehenduntur ſub eius intelligētia: & quia de ſe omnium comprehenſiuus eſt, neceſſario includūtur vniuerſa ſub eius comprehenſione: & quoniam intellectus eſt potentia naturalis, & neceſſario agēs; hinc etiam fit, vt nullum ſit obiectum, quod non intelligatur ab eo:mitto rationes alias,de quibus ſup. Itaq; ideo de facto id accidit, vt neceſſario habeat pro obiectis,etiam creaturas;ceterum ſi de poſſibili nulla extaret,ſiuè de facto,ſiuè de poſſibili creatura,vtique intellectus Dei eſſet æquè eſſentialiter perfectus, ſicut modo, deeſſet namque ſolummodo reſpectus rationis in Dei ſcientia in ordine ad quæ non extarent creaturas. Dicendum ſecundo, ſi quæ adæquatio expetitur ex cognitione creaturarum,ea erit extranea, & extrinſeca, & accidentaria ipſi Deo.

15 Vltimo verò inter vtrumque obiectum, diſſidium inde prouenit, vt Primarium vocetur obiectum motiuū diuini intellectus, ſecundarium verò terminatiuum. vtiq; Eſſentia eſt, quæ diuinum mouet intellectum ad ſui, & aliorum cognitionem: loquimur autē de motione metaphoricè, ſiuè metaphyſicè ſūpta, dēptis imperfectionib. Secundarium verò obiectum terminat ſolummodo Dei intellectum, non mouet, vt in ſubſequenti. quare cùm creaturæ careant tot primitatib. competentib. obiecto primario, ſequitur vt non primarium cenſendæ ſint obiectum,ſed ſecundarium.

Secundarium autem creaturæ vocantur obiectum, non per relationem ad tertium,ſed negariuè per relationem ad primum,quatenus non ſunt obiectum primum.

Creatura vocatur obiectum ſecūdarium, non per relationē ad tertiū, ſed aliunde.

ARTIC. I.

Vtrū creaturas cognoſcat in diuina eſſentia Deus, an in ſeipſis, loquendo de poſſibilibus.

1 Communis Theologorum cōſenſus eſt, paucis exceptis, noſcere Deum res creatas in ſua diuina Eſſentia: excipiunt Aliqui ex iſta ſententia Scotum,& Becanum.de Becano quidem apertum eſt ipſum aſſerere cognoſcere in proprijs rerum ipſa-

Deus cognoſcit in ſua eſſētia diuina creaturas,non autem motiuè in ſeipſis.

ipſarum naturis, vt videbimus: de Scoto autem id eſt falſum omnino, de quo infra. Remanet ergo Aſſertio Deum in ſua diuina eſſentia cognoſcere res creatas. ita Alexand. Alenſ. 1. p. q. 23. m. 2. art. 1. D. Thom. 1. p. q. 14. art. 5. 6. Henric. quol. 9. q. 2. atq; Scotus locis infra citandis: cum diſcipulis vtriuſq; ſcholæ vnanimiter.

Probatur. 2 Suadetur verò faciliter. primo, quia ex ſuperioribus conſtat obiectū motiuum diuini intellectus eſſe ſolūmodo eſſentiam diuinam, non creaturas; igitur non cognoſcit motiuè creaturas in ſeipſis. Item, creaturæ ſunt obiecta ſolummodo terminatiua diuinæ notitiæ, ergo non cauſatiua eiuſdē. Rurſus, diuinus intellectus vileſceret ſi cognitionem deſumeret à rebus, te Ariſt. ergo ne vileſcat, aliunde ſuam cognitionem deſumet. Præterea dependeret diuina ſcientia ab ipſo obiecto creato. prob. quoniam notitia cauſabilis ab obiecto, dependet ab eo, etenim obiectum eſt etiam cauſa notitiæ, reddēdo ſingula ſingulis; ergo Dei etiam notitia dependebit à re creata: talis autem dependentia erit in genere cauſæ, & effectus, quoniam cauſa erit res creata, & effectus erit ipſa Dei notitia. Inſuper ſequitur, quod eadē notitia, alioqui de ſui natura infinita formaliter, eſſet formaliter finita. prob. quoniam obiectum cauſans notitiam non tribuit ei maiorem, neque nobiliorem entitatem pręter eam, quā ipſum obiectum habet; at obiectum creatū eſt finitum, & limitatū, ergo finita formaliter erit talis cauſabilis notitia. ex his igitur, & conſimilibus capitibus, conſtat non cognoſcere res in ſeipſis, quod idem eſt, ac dicere, creatas res non eſſe obiecta motiua diuini intellectus.

Obſtatur ex Becano. 3 Arguit autem Becanus 1. par. c. 10. q. 5. probans cognoſcere in ſeipſis. primo, res creatæ ſunt immediatè in ſeipſis cognoſcibiles, ergo non eſt neceſſe, vt cognoſcantur in eſſentia Dei. Secundo ſi in ſeipſis non cognoſcerētur, non poſſent vtique perfectè, & diſtinctè cognoſci à Deo: hoc autem falſum. prob. ſequela, ſi cognoſcuntur prout ſūt in eſſentia Dei, nō habebūt aliud eſſe, quàm ipſius eſſentiæ Dei. prob. quoniam continentur in eſſentia Dei, talis autem cōtinentiā non dicit, niſi eādem eſſentiam Dei, igitur à primo ad vltimum in tali caſu Deus non cognoſceret niſi eſſentiam ſuam. Confirmatur, creaturæ in eſſentia Dei ſūt vna ſimpliciſſima eſſentia, ergo non remanerent creaturæ cognoſcibiles ſub proprijs, veris, atque diſtinctis naturis, & rationibus formalibus. Tertio voluntas diuina non debet magis limitata, & arctata, quàm intellectus diuinus, nec è contra, intellectus diuinus deberet eſſe magis limitatus, & arctatus, quàm voluntas diuina: ſed diuina voluntas terminatur ad res in ſeipſis, ipſas producendo, & cauſando, ergo intellectus debet terminari ad res ipſas, eas in ſeipſis cognoſcendo. hoc idē ſētit Vaſquez 1. p. d. 50. c. 4. & diſp. 60. de eo autem magis loquimur infra.

Diſcutitur intentum Aduerſarij 4 Ex prædictis argumentis ſi intenditur probare res creatas eſſe obiecta mouentia Dei intellectum, prorſus inanis eſt labor, & indignum eſt, vt circa id immoremur, cùm ſolummodo terminent, non moueant diuinum intellectum: ſi verò intenditur demonſtrare nō eſſe eſſentiam Dei, ſed ipſaſmet res rationem formalem cognoſcendi, idipſum redit, & ſumus in eodē inconuenienti, & idem eſt, ac dicere; creaturas eſſe rationem cognoſcendi, ac dicere creaturas eſſe rationem motiuam intellectus diuini: quocunque autem modo intelligatur intentum, habetur idem inconueniens.

Creaturæ cognoſcibiles in ſeipſis à Deo terminatiuè, non motiuè. 5 Vt autem ad ſingula deſcendamus, reſpondemus ad primum: æquiuocationem committi in antecedenti; eſſe namque immediatè in ſeipſis cognoſcibiles contingit vel motiuè, vel terminatiuè: primo modo eſt falſum in Deo, ſecundo modo conceditur ad communem ſenſum, quatenus ipſę ſub propria earum ratione ſunt cognoſcibiles.

Reſpōd. ad primum.

Ad ſecundum. 6 Ad ſecundum dicendum, quod tunc id ſequeretur, quando diuina cognitio ordinaretur ſolūmodo ad eius eſſentiam; verùm quia ordinatur ad omnem rationem cuiuſcunq; obiecti creati contenti in eſſentia, ideo ſequitur, vt dicatur diſtinctiſſimè omnia cognoſcere: ſolummodo namq; eſſentia

tia mouet in hoc caſu, & demonſtrat ſingula iuxta propriam naturã vniuſcuiuſq; talis autẽ modus repręſentãdi eſt diſtinctiſſimus, quoniam repræſentat Equum ſub ratione Equi, Hominem ſub ratione Hominis, & ſic de ſingulis, vnumquodq; ſecundùm propriam idæam: hinc verò fit, vt intellectus ſic intuendo eſſentiam, dicatur etiam creaturas intueri ſpecificatim, & diſtinctim iuxta proprias naturas. In tali autem repræſentatione euenit, vt naturam, conditionem, ordinemq; ipſarum rerum, & quidquid in eis eſſe poteſt, intellectus videat. Nec obſtat, quod creaturę in eſſentia ſunt vna ſimpliciſſima eſſentia, hoc namque debet ſanè intelligi; ſenſus enim eſſe poteſt, vel, vt non faciant compoſitionem, neq; confuſionem in eſſentia, quatenus in ea continentur, & hic ſenſus eſt verus: vel ſi ſenſus ſit, eſſe prorſus idẽ cum eſſentia, taliter, vt natura Equi, & Leonis ſit idem cum Dei eſſentia, & hic ſenſus eſt falſiſſimus, quia Deus eſſet creatura, & creatura Deus; igitur etiam ſic vnitiuè contentæ in eſſentia obſeruant ſuum ordinem, atq; naturarum diſtinctionem iuxta exigentiam naturæ cuiuſcunque. Item reſp. ad cõfirmat. creaturas ſecundùm eſſe, quod habent in Deo virtualiter, & eminenter, ſeù fundamentaliter ratione ſui diuini intellectus, & intellectionis, eſſe quidem idem cũ Deo, vt exponit Auguſt. illud Ioan. 1. *quod factum eſt in ipſo vita erat*, inquiens, *cognitio in Verbo eſt vita creatrix*, de quo Scot. in 4. d. 1. q. 1. tamen ſpectatæ creaturę ſecũdùm ſe, & formaliter, terminatiuè, & obiectiuè, ſunt prorſus res diſtinctæ à Deo.

7 Ad tertium eſt dicendum eſſe varium modum agendi voluntatis, & intellectus; etenim voluntas eſt ipſarũ rerum productiua, intellectus vero cognitiuus; ex eo autem quod voluntas creaturas producat, nihil imperfectionis accidit ipſi voluntati, immo manifeſtatur magis exinde diuina bonitas, dum perfectiones ſuas communicat creaturis: ex eo vero quod intellectus intelligat creaturas accipiendo motiuè ex ipſis cognitionem, valdè derogatur perfectioni diuini intellectus, quia *vileſceret diuinus intellectus, ſi cognitionem ſumeret à rebus.* Dicimus etiam, redeundo ad voluntatem, quod in ea duplex concipitur actus, alter operatiuus, & alter productiuus: primo actu dicitur amare creaturas, ſecundo actu producere: loquendo de primo, quæritur vtrum Deus creaturas amet ideo, quia per ſe ipſas, & in ſeipſis ex ipſarum proprijs naturis, & independenter, atque à ſe bonæ ſunt, minimè hoc, etenim bonitas creaturæ eſt bonitas participata, & dependens à Deo, & nulla ratio eſt in ipſa creatura, vt de ſe ipſa indepenter à Deo, mereatur amari: igitur ſi primo Deus, actu operatiuo amoris, amat creaturam, vtiq; ex ſe ipſo gratioſè, & miſericorditer id facit, impertiendo creaturæ dona gratiæ ſuæ; ſi autem Deus creaturas amaret ea ratione, quatenus moueretur à propria bonitate reperta in creatura, ita vt creatura aliqua eſſet per ſeipsã bona independenter à Deo, & Deus non ex ſua liberalitate, & gratia eam amaret, ſed motus, & attractus ex eſſentiali bonitate creaturæ, vtiq; eſſet imperfectiſſimus Deus, quia eius voluntas traheretur, moueretur, & depẽderet à bonitate creata: ſic pariformiter eſſet imperfectus Dei intellectus ſi non à propria diuina eſſentia, ſed ab eſſentia creaturæ moueretur ad ſui cognitionem.

Bonitas creaturæ participata, & dependens.

Amat Deus creaturas miſericorditer, nõ autem ex bonitate creaturæ independẽti, cum talis non ſit.

8 Adhuc & referenda eſt opinio altera, quæ tribuitur Aureolo penes Capr. in 1. d. 35. ita vt Aureolus aſſerat Deum non cognoſcere creaturas in ſeipſis terminatiuè: ſed ſolum in eſſentia diuina: ea ratione, qua eſſentia eminenter continet illas: & ex tali continentia dicatur eas ſcire non ſecundum eſſe, quod habent in ſeipſis, ſed ſecundum eſſe, quod habent in eſſentia. & hinc ſequitur, vt non ſit penes ipſum, diſtinctio inter obiectum primarium, & ſecundarium, ea ratione, qua ſola eſſentia, non autem creaturæ ſint terminus diuinæ ſcientiæ. Hæc ſententia ſic intellecta non poteſt conſiſtere: & quidem plurima ex ea ſequuntur abſurda. primo, ſequeretur Deum nõ cognoſcere creaturas, prob. per ipſum Aureolum creaturæ nõ terminant viſionem Dei, ergo non cognoſcuntur à Deo: patet, quia nõ alio modo cogno-

Ex Aureolo creaturę non sũt terminus cognitionis diuinæ.

Improbatur.

ſcit Deus creaturas, niſi terminatiuè, non enim cognoſcit eas motiuè, vt eſt dictum ſup. ergo nullo modo cognoſcit.

Improbatur vltro. 9 Item ſi per ipſum cognoſcit eas in eſſentia, iam etiam ait, quod eſſentia ipſa terminat hanc cognitionem, ergo non terminant creaturæ, etiam quatenus repræſentatæ in eſſentia: vnde fit vt ſolummodo dicatur terminari cognitio ad ſolam eſſentiam. Inſuper ſequitur quod creaturæ neque cognoſcũtur mediatè, nec immediatè à Deo: non quidem immediatè, tum quia medium cognoſcendi eſt eſſentia cognita; tum etiam quoniam in ſeipſis non terminãt cognitionem: nec etiam mediatè, prob. quia licet eſſentia moueat Dei intellectum, tamen eius cognitio per Aureol. non terminatur ad creaturas mediante eſſentia, cùm terminus ex ipſo ſit ſola eſſentia, ergo nullo modo eas cognoſcit. Deniq; ſequitur creaturas non eſſe obiectum ſecundarium, immo ſequitur nullam habere rationem obiecti, non quidem primarij, nam illud eſt eſſentia: non ſecundarij, quia non terminant diuinam cognitionem; ad obiectum autem ſecundarium pertinet terminare. Hæc igitur ſententia ſic intellecta relinquitur, & non poteſt ſtare.

Vtrum verè ſic ſenſerit Aureolus. 10 Vtrum vero ita ſenſerit Aureolus, non eſt quidem exiſtimandum recedere voluiſſe à communi ſententia. & quidem ad id adducor ex verbis, quæ habet d.34.p.3.ar.2.§. Non obſiſtit, vbi ſic ait, *Deitas non ſupplet vicem cauſæ formalis, ſed vicem termini formalis, ſeu formaliter terminatis; nam æquipollet intellectio ad eſſentiam terminata, intellectioni ad creaturam terminatæ*. Notandum autem eſt id, quod dicit, intellectionem terminatam ad eſſentiam æquipollere intellectioni terminatæ ad creaturam: vbi dat intelligere quod intelligendo eſſentiam, non eſt intelligere ſolummodo eſſentiam, ſed eſſentiam vna cum creaturis; rationem affert, quia *intellectio terminata ad eſſentiam æquipollet intellectioni terminatæ ad creaturam*, ergo ſecundùm eum, idem eſt dicere terminari ad eſſentiã, ac terminari etiam ad creaturã, quoniam eſſentia vt ſic, habens rationem termini, gerit vicem creaturæ terminatiuè: de ſimilibus autem, & de æquipollentib. idem eſt iudicium.

ARTIC. II.

Quid de hoc ſenſerit Scotus vtrum exiſtimauerit Deum videre creaturas in ſeipſis.

Impoſtura Suarij, & Vaſquij de Scoto. 1 IMponitur Scoto in eãdem abijſſe ſententiam, vt docuerit Deũ cognoſcere creaturas in ſeipſis, vt tenec Vaſquez, & Beccan. inter cęteros, qui id imponunt Scoto eſt Suar. de Trin.l.3. c.2. & idem Vaſquez nititur eundem Scotum trahere in ſui ſententiam. Verum hoc eſt alienum omnino à mente Scoti: & in primis id conſtat ex vnanimi interpretatione Expoſitorum eius, vtpote diſcipulorum, & ſequacium ſuæ doctrinæ, maior nãque fides præſtanda eſt, vt plurimum Scotiſtis circa intelligentiam Scoti, quàm exteris, & alienis ab eius ſchola: ſicut in dubio magis credendum erit Thomiſtis circa interpretationẽ mentis Diui Thomæ, quàm extraneis ab eius doctrina: exiſtimãdum namq; eſt magis aſſequi Scotiſtas, & Thomiſtas ſenſum, ac mentẽ ſuorum Doctorum, quàm alienos, etenim ijs potius in dubio fides eſt adhibenda, vtpotè tantopere verſatis in doctrina ſuorum Magiſtrorum. hoc idem imponit Scoto Vaſq.1.p.diſp.60.cap.1.

Ex Scotò Deus cognoſcit creaturas motiuè in ſua eſſentia diuina. 2 Quod ſi in dubio ita ſentiendũ eſt, quid fiet in claris? non eſt autem dubium, nec obſcurum vtrum Scotus ſic ſenſerit, immo apertum omnino; & quidem id intelligi poteſt ex plurimis eius doctrinæ locis, de quibus tamen hæc ſufficere poſſunt. Et in primis in quæſtionibus quodlibetalibus quęſt. 14. art.2. expreſsè docet diuinam eſſentiam mouere intellectum diuinum tum ad cognitionẽ ſui, tum verò creatura-

turarum. In lib. 12. met. text. 51. idipſum habet. item in ſententijs in 1. d. 3. q. 3. §. *Alia eſt opinio* reddens rationem cur diuina eſſentia vocetur primum obiectum, *id eſſe*, inquit, *quia ipſa ſola mouet Dei intellectum, tum ad cognoſcendum ſe, tùm alia*. In eod. p. d. 39. §. *Viſo de contingentia*, oſtendit contingentia poſt determinationem diuinæ voluntatis non videri, niſi in diuina eſſentia repræſentante tale decretum. & ibid. lit. H. ait, *vileſcere Dei intellectum, ſi cognitionem ſumeret à rebus*, & ab alio, quàm à diuina eſſentia. & diſtinct. eadē negat cognoſci contingentia prout præſentia in æternitate, ſed ſolummodo vt præſentia obiectiuè diuino intellectui, repræſentabilia à diuina eſſentia. & d. 1. q. 2. diſtinguens de duplici obiecto, docet primum eſſe eſſentiā ſuam, virtute eius cætera obiecta intelliguntur. Idem colligitur ex prolog. quæſt. 3. §. *nunc autem*: & §. *Ad tertiam quæſt.* & alibi ſæpè. Et hæc eſt apertiſſima mens eius: nec vnquam penes Scotiſtas dubitatio extitit de ipſius mente. ſic namque interpretātur omnes, Ant. Andr. Trombet. Baſſol. Lychet. Tatar. Paulus ſcript. & Antiquioribus, cæteriq; Recentiores. immo, & plures ex externis, vt Valent. 1. p. d. 1. q. 14. punct. 3. Molin. q. 14. art. 6. & ferè Alij.

Obſtatur aduerſus mētē Scoti

3 Verum licet ita ſit, nihilominus poteſt contra eundem Scotum obſtari ex eius doctrina: & quidem in 1. d. 35. quæſt. 1. §. *Ad iſta*, docet vtpote in reſponſ. ad primum, & ſecundum, Deū in primo inſtanti videre ſuam eſſentiā, & in ſecundo creaturas, ergo non virtute eſſentiæ videt creaturas, aliàs in eodem primo inſtanti videret vtrūque. prob. quia mouendo ad cognitionem ſui, moueret ſimul ad cognitionē creaturarum. item in eodem loco ait, beatitudinem non pertinere formaliter ad viſionem creaturarum, ſed concomitanter; pertineret verò formaliter ſi virtute eſſentiæ mouentis, videret creaturas, quia motus ab eſſentia, moueretur ſimul ad tunc videndas creaturas ipſe beatus. his autem locis nititur Suarez contra Scotum.

Occurritur

4 Hęc tamen non obſtant: & quidem ad primum dicimus non benè inde inferri ſequelam iſtam, mouet eſſentia primo ad cognitionem ſui, & ſecūdo ad cognitionem creaturarum, ergo cognitio non habetur virtute eſſentiæ tanquam rationis mouendi: ſiuè non valet arguere, Deus in primo inſtanti intelligit eſſentiam, & in ſecūdo creaturas, ergo eſſentia non mouet ad cognitionem creaturarum: nam in hoc nulla eſt implicantia. vnde iam patet ordo diuinæ cognitiones ex dictis loquendo de primario, & ſecundario obiecto; etenim prius debet, & poſtulat intelligi vnum, quàm aliud, vt ibi eſt dictum; vnde fit, vt ordinatè intelligendo, prius intelligatur eſſentia, inde creaturæ, ſed hoc totum benè, & ordinatè fieri poteſt, mouente eſſentia primo ad cognitionem ad intra, & inde ad cognitionem creaturę ad extra, hoc namque exigit ordo rerum intelligibilium, quarum altera ſit de obiecto neceſſario, vt eſſentia, altera de contingenti, vt creaturæ, priora autem ſunt neceſſaria, quàm contingentia. Nec inſuper talis ordo obeſt diuinæ, atque infinitæ ſcientiæ Dei, quia talis ordo non eſt ordo abſtractionis diuiſiuæ, ſed præciſiuæ, non enim vnum obiectum intelligibile ſecernitur, & diuiditur ab alio, vt conſtat, nec multiplicantur actus diuinæ intellIgentiæ cum per actum vnicum videat omnia, vnde in intelligendo eſt ibi ordo ſolūmodo obiectiualis, non autem ordo formalium actuum diuinæ intellectionis, quæ vnica formaliter eſt, ſimul comprehendens omnia.

Eſſētia prius mouet ad cognitionem ad intra, inde ad extra.

5 Ad ſecundum eſt conſimiliter dicendum, primo Beatos beari in eſſentia, inde accidentariè in viſione creaturarum in ea contentarum, immo ſi creaturæ nec eſſent actu in ſeipſis, nec ex hypotheſi, poſſibiles eſſent in eminentiali continentia diuinę eſſentiæ, adhuc Beati eſſent completiſſimè Beati, quoniam viſio earū per accidens ſpectat ad beatitudinem: ſtāte autem vtriuſq; obiecti viſione, adhuc poteſt videri vnum poſt aliud, & videri vtrumq; ex motione diuinæ eſſentiæ, vt eſt dictum.

Viſio creaturaū per accidēs ſpectat ad beatitudinem.

QVÆSTIO X.

Vtrum creaturas poſſibiles cognoſcat Deus in ſua eſſentia tanquam in cauſa; vel tanquam in ſpeculo; vel ſub aliquo alio modo.

Sententia cognoſcere in eſſentia probatur.

1 IN inueſtigatione modi cognoſcendi res creatas in diuina eſſentia variãt Theologi, per varias vias incedendo. & quidem D. Tho. 1. contra gen. cap. 48. docet cognoſci eas in eſſentia, tanquam in cauſa; probat autem, quia eſſentia Dei eſt cauſa rerum omnium, ergo ad ipſas cognoſcendas ſufficit introſpicere eſſentiam. Accedit, quod ſicut ex perfecta cognitione cauſæ cognoſcitur perfectè effectus, ita cum Deus nouerit perfectiſſimè eſſentiam ſuam, inde quoq; perfectè noſcet res ipſas. Item ex comprehenſione ſuæ eſſentiæ comprehendit quoq; ſuam omnimodam virtutem effectricem rerum, atq; omnipotentiam, ergo omnipotentia, virtute, & eſſentia plenè concepta, plenè etiam concipit ipſos effectus. Præterea hæc eſt doctrina tradita à D. Dionyſ. qui 7. de diuin. nomin. ita ait, *Per cauſam rerum omnium in ſe ſcientiam anticipatam habet Deus*: & infra, *vno cauſæ complexu omnia ſcit, & continet ipſum: ergo ſeipsũ ſciens diuina ſapiẽtia nouit omnia.* Inſuper Aug. l. 83. q. 46. ait Deũ nihil extra ſe intueri. Denique probatur, creaturæ non ſunt in eſſentia ſecũdùm propriam rationem formalem, & actualem ipſarum. ergo sũt in ea virtualiter, & cauſaliter, quatenus virtutem habet eſſentia producendi eas, igitur omnino non poterũt perfectè videri, niſi in eſſentia, tanquã in cauſa.

Cognoſcit ex multiplici capite.

2 Vtrum vero ratio hæc ſit ratio præciſa, & adæquatè, hoc eſt diſputandum & quidem plura dicimus, id autẽ ſit primum, quod Deus res creatas cognoſcit in ſemetipſo ex multiplici capite: quæ autem ſint capita iſta facilè conſtare poteſt. & in primis Deus ex ſui natura eſt perfectiſſimus, omnipotens, omni ſciens, atque volens. hæc capita reddere poſſunt rationem cognoſcibilitatis rerum in diuina eſſentia.

Ex capite ſummæ perfectionis.

3 Ratione quidem, & capite perfectionis ſummæ, & infinitæ in eo repertæ poteſt eas cognoſcere. etenim ſi eſt infinitæ perfectionis, ergo continet eminenter cæterarum rerum perfectiones. igitur optimè ſequitur, vt intuendo ſummam eius, & infinitam perfectionem, dicatur quoq; cæterarũ creaturarũ noſcere perfectiones. Confirmatur, quia omnis earum perfectio emanat à Deo, eſt enim perfectio participata, & dependens, & continetur in eo, igitur ſuam intuendo infinitatem, ſeu infinitam, & ſummam perfectionem, poterit hinc creaturarum cognoſcere perfectiones.

Ex capite infinitæ virtutis.

4 Ratione ſuæ virtutis infinitæ poteſt hoc ipſum præſtare. prob. in ſua infinita, atq; effectrici virtute continẽtur ſingula, tanquam effectus in cauſa productiua, ergo cognoſcendo ſuam infinitam virtutem, cognoſcit creaturas. item talis virtus eſt omnipotens, & talis omnipotentia eſt virtuoſa, & ſufficiens ad producendum omnia poſſibilia produci, ergo cognoſcendo

ta;

talem virtutem infinitam, poterit cognoſcere omnia cognoſcibilia.

Ex capite omniſcientiæ. 5 Ratione inſuper omniſcientiæ, prob. eſt ipſe omniſciens, ergo media cognitione,& ſcientia ſua ſcit cuncta. Confirmatur,quia ipſum nil latet, eſtque ſapientiæ infinitæ, igitur eius intellectus habens intra ſemetipſum rationem hanc formalem, qua formaliter conſtituitur rerum ſciens, ſciet cūcta,& omnia,quæ poſſibilia ſunt.

Ratione Volitiui, 6 Ratione quoq, volitiui,ea nempè ratione, qua eſt agens volens, atq; ſibi cōplacens ad res producendas ad extra,poterit etiā inde rationem deſumere ſuæ ſcientię.& prob.iam planum eſt contingentia nō habere eſſe determinatè futurum, niſi per decretum diuinæ voluntatis;igitur quæcunq; in tēpore eueniunt,vel euenire poſſunt cōtingenter, omnia pendent ex decreto ſuæ voluntatis; ergo intuendo decretum,perfectè intuetur omnia, igitur in voluntate ſua comprehendit omnia. item dà oppoſitum, & eueniet, vt nil iſtorum cognoſcat: prob. dato quod voluntas nihil decernat circa contingentia, neque intellectus ſcire quidquam poterit de contingentib. non enim hanç vel illam partem contradictionis, quia de ſe propoſitio contingens non eſt ad hanc contradictionis partem magis determinata, quam ad alteram: & ad ſummum de tali propoſitione cognoſcet non amplius, quam terminos ſimplices.vt *Petrum*, & *curſum*; cæterum non cognoſcet complexionem eſſe veram, vel falſam, *Petrus currit*: vel ſi cōplexionem cognoſcet, cognoſcet eam vt *neutram*, vt aduertit Scot.1.d.39.q.1.ſtante igitur, quod cuncta contingentia ex diuina pendēt voluntate,qui voluntatem determinātem viderit, videbit & omnem vtiq; contingentiam. hac ergo etiam ratione poteſt Deus ſcire, & comprehendere omnia ſpectando decreta ſuæ voluntatis.

Ex capitibus pluribus collectiuè. 7 Ex his omnib. capitibus collectiuè ſumptis deſumi poteſt adæquatè,& completè ratio cognoſcēdi creaturas. Verum tamen eſt,quod modi hi non omnes ſingulariter explicant,& à priori,modum cognitionis talis; adeſt ratio, quoniam capita recenſita habēt ordinē inter ſe,ita vt concipi debeant ordinato modo,& ſecundum ordinem naturæ concipi debeat vnum prius altero:natura enim,etiam diuina, renuit confuſionem, quapropter ſi in naturis creatis primo loco concipitur ipſum ſubiectum ex natura rei,inde potētiæ, & paſſiones emanantes ab ipſo ſubiecto,immo inter ipſaſmet potentias, & paſſiones datur etiam ordo,prior nāq; naturæ ordine eſt intellectus, inde voluntas,& ſic de ſingulis, multo magis id in diuinis eſt ordinatè concipiendum: igitur capita hæc non demonſtrant ſigillatim ſingula à priori talem cognitionem; hinc ergo videndum de ordine talium capitum, & vtrum vera ſit poſitio primitus recenſita, cognoſcere creaturas Deum in eſſentia, tanquam in cauſa.

8 Dicimus igitur ſecundo,Deum nō cognoſcere creaturas in ſua eſſentia *præcisè*,tanquam in cauſa.Concluſio eſt valdè temperatà:qua ſtāte temperatione poſſunt concordari Scotus, cęteriq; Theologi.tēperamētum verò ſtat in illa dictione *præcisè*, & quidem dicere cognoſci in eſſentia tanquam in cauſa *præcisè*, eſt vtiq; falſum.prob. eſſentia præcisè ſumpta,& de ſe ſola non eſt cauſa præciſa, & adæquata, & totalis creaturarum, ergo eſſentia vt ſic, non eſt ratio cognoſcendi creaturas. Antecedens patet, quoniam ad cauſationem concurrit eſſentia, intellectus, & voluntas ipſius Dei, igitur non cognoſcitur in eſſentia tanquam in cauſa adæquata.de hoc eodem agemus infra in mat. de viſione beatifica. *An cognoſcat in ſua eſſētia pręcisè,et adæquatè.*

9 Item ad extra Deus operatur volens, tanquam liberè agens, at ſi eſſentia eſſet cauſa *præciſa*, iam ageret ad inſtar Agentis naturalis, ac neceſſario ageret ad extra. Inſuper eſſentia de ſe ſola præcisè ſpectata non poteſt eſſe cauſa,niſi neceſſariorum,oſtendēdo diuino intellectui ſolummodo propoſitiones naturales, & neceſſarias, vt Homo eſt Animal: at propoſitiones contingentes de ſe ſola demonſtrare non poteſt,quia hæ pendent à decreto diuinæ voluntatis, ergo de ſe non poterit cauſa eſſe,niſi ſolummodo neceſſariorum, non contingentium; & hinc ſequuntur hæc abſurda, primo,quòd

Deus

Deus intuendo eſſentiam non comprehenderet eam, patet, vt eſt dictum, quia de ſe ſola non continet propoſitiones contingentes, & ſicut non continet, ita nec poterit demonſtrare. ſecundo, quòd intuendo ſolam eſſentiã, ignoraret quid foret in tempore contingenter de creaturis. tertio, quod ſi de ſe ſola ſufficeret, igitur ſuperuacaneum eſt decretum diuinæ voluntatis ad determinanda contingentia. & quartò, quòd contingentia iam non eſſent contingentia, ſed neceſſaria: hæc omnia ſequuntur ex dictis, tenendo eſſentiam de ſe ſola, tanquam in cauſa præciſa eſſe rationem cognoſcẽdi. aut ergo neganda eſt propoſitio cognoſci in eſſentia, tanquam in cauſa, aut dum conceditur, vt ſas eſt, debet cum hac limitatione concedi, nempe cognoſci in eſſentia tanquam in cauſa, ſed non præciſa, adæquata, & totali. & iſte eſt etiam ſenſus ipſius Scoti, & ſub hac ratione negat cognoſci in eſſentia, vt in cauſa locis infra citandis. Confirmatur, quia idem Scotus tribuit eſſentiæ ſolummodo rationem cauſandi remotam, quæ remota cauſalitas cõpletur per rationem cauſandi proximam, quæ eſt diuina voluntas, quoniam ſecundùm ipſum, immo ſecundùm omnes, eſſentia volens cauſat, itaut ex eſſentia, & voluntate conſtituatur vnicũ causãdi principium totale, & completum. reſtat ergo declaratus modus, quo poſſit vtraq; poſitio ſuſtineri: cui modo adhærendo faciliter concordabunt Thomiſtæ, & Scotiſtæ, hi namq; negãt cognoſcere in eſſentia vt in cauſa, & illi concedunt: & cum Scotiſtis idem ſenſit Vaſquez p.1. diſp.60. c.2. & benè ſic intelligendo, verum erit cũ Scotiſtis negare cognoſci in eſſentia, niſi tãquam in cauſa inadęquata, parciali, & non præciſa: & verum etiam erit affirmare cum Thomiſtis cognoſci in eſſentia, tanquam in cauſa non præciſa, & inadæquata. cognoſci verò in eſſentia, veluti eminenter continente eas, dictum eſt q. præc. item Verbũ producetetur ex cognitione creaturarum. prob. producitur ex cognitione eſſentiæ, vt creaturarum cauſæ, ergo producitur ex cognitione creaturarum, quod negant Scotiſtæ.

10 Verùm quæri poteſt, vtrum ſaltim cognoſcat eas, tanquam in ſua omnipotentia à priori: hoc quidem dubium eſt diuerſum à præcedẽti, etenim omnipotentia Dei diſtinguitur formaliter ab eſſentia ipſius Dei, igitur quatenus diſtinguitur ab eſſentia quęritur vtrum in ea, tanquam in radice cognoſcat.

11 Videtur quod ſic, & pro nunc probationes ſupponuntur tanquam veræ (ſuo loco adducendæ pro ſui materia) quandoquidem contingentia cognoſcit poſt decretum, ergo cognoſcit in ſua omnipotentia.

12 Nihilominus id eſt etiam negandum cognoſci in omnipotentia tãquam à priori. & prob. prius res ſunt poſſibiles, quàm concipiatur in Deo omnipotentia ad producẽdas res poſſibiles, ergo ratio omnipotentiæ non eſt à priori. antecedens conſtat ex ſupradictis in propria quæſtione. Et probatur etiam, quia dà oppoſitum, quòd res non ſit poſſibilis, ſiue quòd ſit impoſſibilis, & ſequetur non poſſe ad illas ſe extendere omnipotentiam Dei; non enim Deus facit impoſſibilia; igitur omnipotentia non eſt prima ratio cognoſcibilitatis. Item ad principale intentum, omnipotentia Dei eſt perfectio ſimpliciter, ſed perfectio ſimpliciter nullum dicit reſpectum de ſe ad creaturas, ergo debet in ſui natura concipi ſine tali reſpectu, igitur cum concipitur ſua omnipotentia à Deo, nulla concipitur ſiuè relatio, ſiuè cauſalitas creaturæ. Præterea prius creaturæ ſunt poſſibiles, quàm Deus circa ipſas exerceat ſuæ òmnipotẽtiæ vires, & efficaciam. Demum, ſequitur Verbum, & Spiritum Sanctum produci ex notitia, & amore creaturarum. prob. producitur Verbum ex comprehenſione eſſentiæ: at non comprehenditur ſine cognitione omnipotentiæ: hęc autem eſt ratio cognoſcendi primo, & per ſe creaturas, ergo producitur ex cognitione creaturarum, quod negat Scotus.

An cognoſcat in omnidotentia.

13 Ad rationem autem in oppoſitum reſpondetur, quod aliud eſt loqui de poſſibilitate rei, aliud de actuali exiſtentia ipſius rei: loquendo de prima, id antecedit decretum diuinæ

vo:

Omnipotētia, & voluntas an ſint idem.

voluntatis, prius namq; res eſt poſſibilis, quam Deus quidquam decernat de ea: at loquendo de futuritione, ſiuè de actuali exiſtentia, hæc videt poſt decretum: verum non quærimus de hoc. Item reſp. quod ſunt quidem omnipotentia Dei, & voluntas eius vnum, & idem, eo magis, quo non datur in Deo potentia exequutiua: differt tamē aliqualiter omnipotentia à voluntate; quoniam illa dicit Deū quatenus potentem producere creaturas, iſta dicit quatenus volentem producere eas: illa dicit potentiam, hæc actum: illa actum primum, hæc ſecundum: illa dicit productionis principium, hæc eiuſdē principij executionem: illa de ſe ſola nō producit, hæc verò applicat eā ad producendum: denique illa ſe habet veluti in actu ſignato, hæc in actu exercito ad producendum: ideoque argumentum non currit, quia concludit de voluntate, non de omnipotentia, veluti ſaltem ratione diſtincta.

Vtrum cognoſcat in eſſentia, tāquam in ſpeculo.

14 Inſuper quæritur vtrū cognoſcat creaturas in eſſentia, ſaltem tanquam in ſpeculo: affirmat Vaſqu. 1.p. diſp.60.cap.2. immo videtur communis ſenſus Theologorum, quandoquidem vnanimiter omnes vtūtur ſpeculi exemplo ad oſtendendam cognitionē creaturarū in eſſentia Dei; ſicut enim in ſpeculo relucent obiecta, & ea videmus repręſentata in ſpeculo; ita creaturæ continentur in Dei eſſentia, atque in ea, tanquam in ſpeculo repręſentantur, & videntur: & hac ſimilitudine vtitur Scot. ſæpè ſæpius, & præcipuè in 3.d.14.quæſt.2. lit.N. in fine, eiuſq; diſcipuli: & D.Thom. 1.p. q.12. art.8. Anſelm. in Monolog. & in Matt. 17. immo Concil. Senon. cap.13. in decret. fid. tom.4. Concil. & communiter Doctores agendo de viſione beatifica: vnde Dei eſſentia vocatur *ſpeculū voluntarium, quod ſi vult videtur, & ſi non vult, non videtur.*

Speculi cū diuina eſſentia comparatio, & diſquiparātia.

15 Nihilominus ſententia hæc nō eſt abſolutè admittenda, ſed cùm ſuo moderamine, & declaratione. Et quidem aliqua ſunt in ſpeculo, quæ conuenire poſſunt diuinæ eſſentiæ, & aliqua, quæ diſconuenire: ea quæ conueniunt, poſſunt eſſe hæc; etenim ſpeculo conuenit continere res viſibiles, (eo modo, quo ſibi competit) & diuinæ naturæ conuenit continere creaturas. competit ſpeculo repręſentare; & hoc idem competit diuinæ eſſentiæ, repræſentare creaturas: hæc enim non repugnant eſſentiæ, vt de ſe patet. Cæterum eidem ſpeculo competit vt ſit mediū cognoſcendi non cognitum; non enim eſt neceſſe vt videatur ſpeculum adhoc vt videantur repræſentata in ſpeculo; quod ſi ſpeculum videtur, id erit per accidens in hoc negotio; ideoq; vocatur *ratio videndi non cognita*: hoc autē non poteſt competere eſſentiæ Dei, ratio quia ipſa eſt medium cognoſcēdi cognitum, non enim poſſunt in ea cognoſci creaturæ, niſi prius cognita eſſentia Dei, quoniam, vt eſt oſtenſum, ipſa eſt obiectum motiuum ad videndas creaturas, & creaturæ non poſſunt in ea videri, niſi prius videatur ipſa eſſentia; eſt igitur valdè diſtans conditio iſta ſpeculi à diuina eſſentia. Item ſpeculo competit repræſentare naturaliter, & neceſſario, ita vt non ſit in eius poteſtate repræſentare, vel non repręſentare: vel pręſentare vno modo, & non alio, ſiuè repręſentare intensè, vel remiſsè; eſt namq; agens naturale, *in cuius poteſtate non eſt agere, & non agere, cæteris parib.* at diuina eſſentia eſt ſpeculum voluntarium reſpectu intellectus creati, & repręſētat, vt placet diuinę voluntati, vel ſic, vel ſic, & propterea appellatur à Theologis *ſpeculum voluntarium.* Inſuper ſpeculum habet rationē ſpeciei expreſſę, at Dei eſſentia non ſic, ſed gerit vicem ſpeciei impreſſę; non quidem informando intellectum beati, ſed fungēdi aliud munus ſpeciei impreſſę, nempè, faciendo intelligere obiecta ab ea repręſentata, mouendo ad cognitionem eorum, ſed prius mouendo ad cognitionem ſui. ſuper omnia autem, quantum neceſſe nunc nobis eſt, ſufficiat diuerſitas in eo, quod ſpeculum eſt ratio cognoſcendi non cognita, eſſentia autem eſt ratio cognoſcendi cognita, ideoq; cùm non poſſint creaturę videri in ea, niſi prius videatur ipſa eſſentia, hinc eſt vt ex hoc ceſſet comparatio, & ſimilitudo ſpeculi, & conſequenter non dicatur neq; Deūs, neq; beati videre creaturas in eſſentia tanquā in ſpeculo,

Speculi cōditiones.

Speculum eſt medium cognoſcendi nō cognitum; nō.n. eſt neceſſe, vt videns per ſpeculū, videat ſpeculum, & ſi videtur, ideſt per accidēs

Eſſentia diuina quale ſpeculum.

lo, modo iam explicato. & ita intelligi debent loca Doctorum recenſita, præcipuè D. Thomę, & Scoti, alias eſſent contrarij ſibipſis, dum ambo docent obiectum primarium, & motiuũ eſſe diuinam eſſentiam, & hac intellecta, intelligi inde creaturas repręſentatas in eſſentia. Demum ſpecies non videntur in ſpeculo tanquam in cauſa earum, at creaturę videntur in Deo tanquam in cauſa. de hoc magis in mat. de viſione beatifica.

Sententia Vaſquij refellitur.

6 Circa modum etiam cognoſcẽdi addit ibid. Vaſq. Deum videre in ſua eſſentia ſub ea ratione, quatenus eſſentia eſt eadem cùm intellectione diuina, & vt ſic, dicitur Deus perfectè conſtitutus in ratione videndi veluti ſpecie expreſſa. Verum valdè improbabilis eſt iſte modus, in omni etiam ſententia: & quidem dando eſſentiam diſtingui formaliter ab intellectione, nõ erit verum videre in eſſentia, prout eſt eadem cum ſua intellectione reduplicatiuè: & ita in ſententia Scotiſtarũ fundatur eius aſſertio ſupra falſum fundamentum. Dando etiam eſſentiã ſola ratione diſtingui, habente tamen fundamentum à parte rei, vt Thomiſtæ, nec erit verum ſic cognoſcere; eſſentia namq; vt eſſentia, non eſt intellectio, nec vice verſa, ergo non eſt vt ſic, ratio cognoſcendi. Item ſi per ipsũ eſſentia, & intellectio idem ſunt, ergo ſufficit dicere, Deum cognoſcere in intellectione, non nominando eſſentiam: ſeu cognoſcere in ſola eſſentia, non nominando intellectionem. Inſuper, per intellectionem, ſeu notitiam, intellectus cõſtituitur intelligens formaliter: nos autem nõ quęrimus quonam modo intellectus cõſtituatur formaliter intelligens, ſed quo conſtituatur intelligens *motiuè*, ſeu *quaſi motiuè*: intellectio autem non mouet, ſaltẽ primo, intellectum ad intelligendum, ſed id, quod mouet erit aliquid aliud: & quidem non eſt viſio mea, quæ obiectiuè moueat oculũ meum ad videndum, ſed aliquid prius, à quo cauſetur talis viſio; ita à pari erit dandum aliquid prius in Deo, quod ſit ratio, *quaſi motiua* intellectus Dei, quo quidem habito, habetur deinde viſio formalis, ſeu intellectio formalis ipſius Dei. remanet igitur exploſa etiam ſententia iſta.

7 Ex omnibus autem hucuſq; dictis conſtare poteſt modus, quo Deus ſingula cognoſcat in eſſentia ſua. Recenſuimus namque plures modos: qui vtrum demonſtrent intentum, vel non, iam patet.

Aſſignatur modus alter à priori, vt eſt Dei infinitas.

8 Melior verò, & à priori modus explicandi videtur eſſe recurrere ad ſummam Dei, & infinitam perfectionem: itaut, ideo dicatur à priori in eſſentia videre infinitas numero creaturas, quia eſſentia ipſa eſt omnino, & vndequaq; infinita: cùm autem infinita ſit, ſequitur vt contineat eminenter perfectiones omnium creaturarum: ex quo fit, vt intuendo eam Deus ſub ratione infiniti, dicatur à priori in ea cognoſcere poſſibiles creaturas. Modus iſte vocatur à priori, rõ eſt, quia modi modi alij recenſiti ſunt modi poſteriores ad modum hunc videndi: quod vltra quod demonſtratum relinquitur, patet etiam, etenim modus videndi tanquam in cauſa eſt modus poſterior ad modum videndi in ea ſub ratione infiniti; quia prius Deus concipitur ſecundùm rectum naturæ ordinem eſſe perfectionis infinitæ, & inde concipitur habere virtutẽ cauſandi; confirmatur, quia ideo poteſt cauſare, quia eſt perfectionis infinitæ, etenim ſunt aliqui effectus, qui requirunt cauſam perfectionis infinitæ, vt creatio, annihilatio, & huius generis, ideoq; creatura non poteſt hoc agere, quia non eſt huius generis infinita; igitur dum Deo ſoli competit hæc, & alia efficere, quæ poſtulant virtutem infinitam, ſequitur vt cauſalitas, ſiue ratio cauſandi ſit poſterior ipſa eſſentia ſub ratione infiniti. loquimur autẽ de creaturis vt poſſibilibus.

Ratio infinitatis eſt prior ratione cauſalitatis.

Infinitas prior omnipotentia.

9 Eſt etiam infinitas iſta prior ad omnipotentiam; quoniam ideo omnia poteſt, quia eſt Deus virtutis infinitæ: & infinitas prius cõcipitur, quàm potentia, ſiue omnipotentia: dà oppoſitum quod non eſſet infinita eſſentia, & ſequitur vt careat tali omnipotentia. Confirmatur, modi intrinſeci ſunt priores attributis: infinitas eſt modus intrinſecus Dei, omnipotentia eſt attributum eiuſdem, ergo hæc poſterior eſt, illa prior.

De

Infinitas prior intellectu, et volantate.

10 De capitibus alijs planius id conſtat: vt de omniſcientia, de intellectu, de voluntate: hæc namque concipiuntur, vt poſteriora ad ipſam infinitatem: & quidem prius emanat ab eſſētia infinitas, quàm intellectus, & intellectio, voluntas, & volitio, ſiue decretum; igitur capita hæc ſunt omnino à poſteriori: eo magis, quò modi intrinſeci præcedunt potentias, & operationes; infinitas autem eſt modus intrinſecus.

Illatio ex dictis.

11 Concludimus ergo dicendo duo: primum eſt, quòd Deus cognoſcit creaturas in eſſentia ex multiplici capite: vtpote cognoſcit in ea, vel tanquam in cauſa, vel tanquam in ſua omnipotentia, & virtute; vel tanquam in ſua ſcientia, & decreto: vel tanquam in ſpeculo; ſub his namq; & ſimilibus rationibus cognoſcit ea, vt conſtat. Secundum eſt, quod capita iſta, ſeu iſtæ rationes cognoſcendi non ſunt omnes à priori.

Infinitas ratio cognoſcēdi à priori.

12 Vnde fit vt ſolummodo ratio infinitæ ſuæ perfectionis ſit ratio noſcendi eas à priori: ea ratione, qua cū ſit infinitæ perfectionis, & eminentiæ, continet in ſe eminenter cęteras creaturas: & ex hac eminentiali continentia dicitur cognoſcere in eſſētia creaturas.

Ad argumenta.

13 Et ex hac doctrina facillimè ſolui poſſunt argumenta initio Artic. allata. Cum ergo probatur, quòd eſſētia continet cauſaliter, & virtualiter creaturas, & effectus perfectiſſimè cognoſcuntur cognita cauſa. Reſpond. concedendo totum, non enim eſt contra nos; etenim etiam nos admittimus cognōſcere in eſſentia tanquā in cauſa: at addimus talem modum cauſalitatis non eſſe omnino primum, ſeu à priori, ſed eſſe modum poſteriorem ad modum cognoſcendi per infinitatem, ſeu per eminentialem continentiam, qui eſt modus omnino primus, & à priori: & in hoc ſolummodo diſcrepamus.

14 Ad Dionyſiū reſpondent Alij, intentum eſſe talem, vt velit oſtendere Dei cognitionem non cauſari à creaturis; & in hoc ſenſu dicere, quod cognoſcat in ſua eſſentia, taquam in cauſa. quæ reſponſio poteſt currere. At etiam ſi reſponſio iſta non daretur, nihilominus ex dictis patet Dionyſij sētentiam non eſſe oppoſitam noſtræ; non enim D. Dionyſ. contendit oſtendere modum cognoſcendi tanquam in cauſa eſſe omnino, & ſimpliciter primum. de hoc namq; nil habet: vult ſolùm demonſtrare quomodo Deus cognoſcat: verum, quia inter cæteros cognoſcendi modos, adeſt etiam modus cauſæ, ideo ipſe de hoc mentionē faciens, ait cognoſcere in ſe, tanquam in cauſa: at hoc etiam nos dicimus, & ita concordamus cum Dionyſio, & sētimus idem cum eo: cæterum, vtrū iſte modus ſit primus, id non determinat Dionyſius. Conſimiliter reſpondemus ad Auguſt. & ad cæteros Patres, qui id dicerent: debent enim explicari modo hucuſq; tradito. *Ad Patres.*

15 Dices, eſſentia prior infinitate: ergo modus cognoſcendi per infinitatem, ſeu per infinitam potentiam, & virtutem erit poſterior, & modus cognoſcendi per eſſentiam erit prior. Reſp. eſſentiam ſumi vel ſecundùm ſe abſolutè prout eſſentia eſt: vel prout cauſa eſt: primo modo vtiq; prior eſt, quoniā ipſa eſt radix, & pelagus omnium perfectionum ex Damaſc. at ſecundo modo, vtiq; poſterior eſt, ideo namq; eſt, vel poteſt eſſe omnium in infinitum cauſa, quià eſt virtutis, & potentiæ infinitæ. *Obſtatur.* *Occurritur.* *Eſſentia quomodo prior infinitate.*

QVÆSTIO XI.

Vtrum Deus cognoſcat creaturas vt præſentes in æternitate, an in Ideis.

ARTIC. I.

Affertur ſententiæ Thomiſtarum cognoſcere vt prçſentes æternitati.

Thomiſtarũ ſentẽtiæ cognoſci, vt præſentia eternitati.

1 EST in primis ſentẽtia D. Tho. creaturas omnes, tũm prçteritas, tũm præſentes, tũm futuras coexiſtere çternitati; quatenus æternitas eſt infinitũm quoddã, ſeũ infinita duratio, cui temporaneum omne coexiſtit ſecundũm ſui veram prçſentiam, exiſtentiam, conditioneſq; omnes indiuiduantes. hoc autem præſtito, cũm Dei nulla alia aſſignetur menſura, præterquam æternitas, conſequẽs eſt, vt cũm ipſe in tota ſit æternitate præſens, cum & ipſe infinitæ, & æternalis ſit durationis, intelligat ea omnia, quæ in æternitate coexiſtunt præſentia: hic eſt ergo modus cognoſcendi, deſumptus.ſ. ex præſentia rerũ creatarum in æternitate: ſunt autem, qui hanc tueantur Riccard. in 1. d. 38. q. 3. Caiet. 1. p. q. 14. art. 13. Ferrarienſ. 1. cõtrag. c. 66. Capreol. in 1. d. 36. q. 1. ac multi alij, refertur etiam in hanc eandem ſent. D. Th. à Scoto in 1. d. 39. q. 2. probari autem poteſt rationib. & auctoritatibus Patrum. & primo quidem ſic. Cognitio ea eſt inter cæteras perfectiſſima, quæ intuitiua eſt, quæ etiam ad præſentiam terminatur obiecti cognoſcibilis: alias cognitio orta ex abſentia obiecti minus perfecta eſt, & vocatur abſtractiua: ſed Deus perfectiſſimo modo intuetur quæcunq; à diuino intellectu cognoſcibilia obiecta, igitur præſentiam omnino requirit obiecti, qua amota, eſſet ſui cognitio abſtractiua, minuſq; perfecta: ſed præſentialitas obiecti cognoſcibilis neceſſario coexiſtit æternitati, quãdoquidem æternitas eſt menſura, vniuerſa complectens, quæ aliquando habitura ſunt eſſe extra cauſas proprias, igitur optimus erit modus hic futura contingentia cognoſcere per prçſentiam in çternitate. Confirmatur, Deus ab çterno dicitur noſſe creaturas futuras contingentes, igitur ſibi fuere prçſentes: prob. conſequ. ablata obiecti prçſentialitate, nulla pariter cognitio, perfecta, & intuitiua; igitur prçſentialitas erit diuino intellectui ratio cognoſcendi.

Probatur rationibus.

2 Item ſecundo. Æternitas eſt vnũ indiuiſibile, infinitumq; in duratione; igitur ambit omne tẽpus, & complectitur durationes omnes, & menſurabilia quçcunq; omnia. Eſt autem Deus çternus, igitur omnibus prçſens erit, & ipſa erunt omnia prçſentia Deo: ergo hac prçſentialitate ea omnia intuebitur. Confirmatur punctus eſt vnus, & idem, cui exiſtenti in centro ſphæræ lineç omnes infinitç ipſius circumferentiç coexiſtunt actualiter prçſentialiter: eſt autẽ Deus ex Triſmeg. *ſphæra intellectualis, cuius centrum eſt vbiq; circumferentia nuſquam*: igitur ſibi, veluti tamquam mundi centro, creaturç omnes prçſentialiter coexiſtent. Confir-

firmatur iterum, exemplo ſtipitis fixi in flumine, cui eidem, ſemper perſeueranti in flumine, atq; immobiliter exiſtenti, coexiſtunt omnes partes aquę fluminis pertranſeuntis: tota ergo cognoſcendi ratio hinc deſumenda erit, ex obiectorum pręſentialitate in ęternitate.

3 Tertio ſicut ſe habet Dei immēſitas ad omnem locum, & omne locabile, ita Dei ęternitas ad omne tempus, & quodcumq; temporaneum: ratione autem immenſitatis Deus coexiſtit cuicumq; tempori, & cuicunq; temporaneo. Confirmatur; nullum ens creabile pręſcindit à ſua propria, & adęquata menſura, ſiuè ea menſura ſit ſucceſſiua temporis phyſici, vt in corporeis; ſiuè ſit menſura ęui, ſeù temporis diſcreti, vt in ſpiritualibus, ſed mēſurę, tum ęui, tum vtriuſq; temporis, coexiſtunt ſuperiori menſuræ, quæ eſt æternitas: igitur omnia æuiterna, & temporanea omnia, & menſurabilia, quæcunque creata æternitati coexiſtent, & per conſequens talis coexiſtentia erit formalis ratio hæc futura contingentia cognoſcendi.

Ex Patribus. 4 Quartò eadem opinio ſtatuitur Patrum authoritatibus, ac ſententijs, & primo ex D. Auguſt. qui l. 2. ad Simplician. loquens de pręſcientia futurorum, ita dicit, *quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum. quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora: ſi enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes, ac per hoc non iam præſcientia, ſed tantū ſcientia dici poteſt.* hucuſque Aug. D. quoque Anſel. de concord. lib. arb. & pręd. c. 1. ait, *quemadmodum præſens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco ſunt; ita æterno præſenti ſimul clauditur omne tēpus, & quæ ſūt in quolibet tēpore &c.* hæc autem auctoritas corroborat magis, magiſq, confirmat argumētū tertiū; hinc enim illud efformauimus. Gregor. 9. moral. c. 26. ait, *is, qui ſemper eſſe habet, cuncta ſibi præſentia conſpicit.* ac deniq; Boet. l. 5. de cōſol. proſ. fin. loquens de pręſcientia futurorum, inquit, *ſi præſcientiam penſare velis, qua cuncta dignoſcit, nō eſt præſcientia quaſi futuri, ſed eſt ſcientia nūquam deficientis Inſtantis:* & Anſel. idē aſtruit in l. cit. & D Paul. Rom. 8. *qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt:* idemq; Auguſt. l. 83. q. 37. inquit, *apud Deum nihil eſt præteritum, nec futurum*, ergo omnia ſunt ei præſentia, at id nonniſi ex æternitate.

Et hinc arguitur quintò, ſi tempus eſſet totum ſimul, iam æternitas coexiſteret ſimul toti tempori: ergo quod modo nō ſit totum ſimul, nil vetat æternitas ſimul coexiſtat omni tēpori. Sextò, Anima rationalis eſt tota ſimul, ideoq; coexiſtit toti corpori, & omnibus partibus corporis: æternitat autē eſt indiuiſibilis ad inſtar Animę rationalis; ergo & ipſa coexiſtit toti tempori. Vltimò, aliàs æternitas eſſet ens ſucceſſiuum. prob. non coexiſtit ſimul omni tempori, ergo ſucceſſiua &c.

ARTIC. II.

Confutatur pręcedens opinio, & oſtenditur quænam ſit obiectiua futurorum præſentialitas intellectui Dei.

1 OPpoſita ſententia communior eſt: & præcedens exploditur à Theologis, tùm antiquioribus, tùm recentioribus, Scotiſtis, & exteris, qui contrario niſi fundamento, oppoſitam eliciunt concluſionem: ſunt autem hi D. Bonau. in 1. 39. art. 2. q. 3. Scotus in 1. q. 1. §. aliter ponitur. Durand. d. 38. q. 3. Heruæus, Aureol. ibid. OKam. in 1. d. 38. q. 1. Gabr. ibid. Greg. q. 2. Recentiores, Valent. t. 1. q. 14. Vaſq. d. 64. Suar. l. 1. de ſcient. conting. cap. 7. Molin. lib. 8. Eorum aſſertio eſt, res futuras, præteritaſq; ſeu quæ nūc eſſe non habent, non exiſtere præſentes Deo præſentia reali, ſed præſentia ſolūmodo intelligibili, ſeu obiectiuali: & hinc inferunt res futuras nōn cognoſci à Deo, per realem ſcilicet ſui præſentiā, *Aſſertio cognoſcere, præſentes præſentialitate obiectiuali ea, quæ nō ſūt.*

realem, actualemq; coexiſtentiam ad æternitatem, ſed aliunde erit ratio inueſtiganda. probemus autem hanc obiectiuam pręſentiam, excludendo coexiſtentiam realem.

Probatur.

2 Primò ſic, retorquendo alterũ ex recenſitis argumentis pro oppoſita opinione; taliter ſe habet Deus reſpectu cuiuſcunq; loci potentialis, qualiter ſe habet æternitas reſpectu cuiuſcunq; menſuræ, & temporis; vel è cõuerſo: ſed vt dicatur Deus coexiſtere reali coexiſtentia cũ omni loco requiritur vt locus habeat verum eſſe reale, igitur vt dicatur ęterniras omni rei tẽporaneæ coexiſtere, exigitur, vt illud habeat eſſe verũ reale: ſed res omnes non habent ſimul eſſe reale, nec reale eſſe habuere ab æterno, igitur falſum eſt, quod omnia Deo coexiſtant reali exiſtẽtia per æternitatem. negabis fortaſſe maiorem. probatur: non exiſtente in reali exiſtentia aliquo loco, non poterimus dicere, quod Deus illi loco coexiſtat realiter, patet, quia relatio hæc coexiſtentiæ ex parte loci eſt realis, igitur debet habere fundamentum reale, aliàs coexiſtentia ſi erit potentialis, locus erit ſolummodo potentialis, at inde nón diceretur Deus realiter loco coexiſtere, ſed tantummodo potentialiter. ita à ſimili ſicut ad coexiſtendum infinito & omni tempori, ſufficit infinita æternitas, ſic ad coexiſtendum infinitis locis requiritur, & ſufficit infinita immenſitas reperta in Deo: at non omnia ſimul habent, nec habuere ab æterno actuale eſſe reale, igitur falſum, quod reali præſentia res omnes Deo coexiſtant per æternitatem. Confirmatur: coexiſtentia realis ad rem temporaneam eſt vera relatio, relatio inquam realis, ſaltem ex parte rei temporaneæ coexiſtentis; igitur requiritur vt ipſum temporaneũ coexiſtens ſit verum ens reale: at præterita, iam non ſunt, nec futura habent ad hucuſq; verum eſſe reale, nec ab æterno reale eſſe habuere; igitur non poterunt fundare relationem hanc præſentialitatis realis per æternitatem, ſed ſolummodo præſentes erunt Deo obiectiuè, quatenus ab æterno ſecundùm eſſe intelligibile, quod Alij vocãt eſſe cognitum, habuerunt præciſum à vero eſſe reali.

Coexiſtentia actualis localis requirit locũ actualem: res autem non habuere eſſe actuale ab æterno, ergo nec actualiter coexſtitere ęternitati.

3 Item ſeſſionem meam futuram pro aliqua parte temporis, aut Deus ab æterno nouit quatenus futuram pro aſſignato tempore, aut non nouit: ſi nouit, non ergo nouit prout ab æterno præſentem æternitati, ſed prout præſentem tempori futuro: ſi non nouit, ergo in tempore eam producet, non præcognoſcens eam: Deus autem ab æterno præcognouit omnia fienda in tempore: Inſuper ſequeretur mutari de non ſciente ſciẽtem, ſi ab æterno non præcognouit, & cognouit in tempore. & deniq; id eſt contra Aug. 5. ſuper Gen. *Deus non aliter nouit facta, quàm fienda*, ergo ab æterno nouit, quæ tamen non habent præſentialitatẽ ab æterno, ſed in tempore.

4 Secundò, arguitur demonſtrando rei contingentis ſempiternitatẽ ex rali præſentialitate reali. ex opinione hac ſequitur quod verum fuiſſet dicere, mundum realiter fuiſſe præſentem præſentia reali Deo ab æterno antequã crearetur. probatur, quia ſi quærimus ab his, quomodo nouerit Deus mundum, antequam ipſum produxiſſet? reſpondere coguntur, eodẽ prorſus modo, vt nunc, per realem coexiſtentiam ad æternitatem, ex hoc verò abſurda quamplurima ſequuntur, vt quod mundus non inceperit eſſe in tẽpore, ſed fuerit ab ęterno, quod eſt noſtræ fidei deſtructiuũ, cùm dicat Moyſes, *in principio creaſſe Deum Cælum, & Terram.* & quod mundus ipſe eſſet ens neceſſariũ, quod namq; (de facto) eſt ab æterno, illud ſimpliciter neceſſe eſt eſſe. Dices ad hoc vltimum conſequens, quod ponendo ab æterno mũdum, nec ſequeretur eſſe ens neceſſarium, nec indepẽdens, quia opinio eſt probabilis, tum Scot. tum D. Tho. potuiſſe produci ab æterno, attamen fuiſſet liberè, & contingenter productus à Deo. Dico primo, quo iam dixi *de facto*, etenim de poſſibili non ſequitur, ſi enim ab æterno creatus fuiſſet, etiã fuiſſet ens contingens, licet id negauerit Ariſtoteles: at loquendo de facto, omne quod eſt æternum, eſt ens neceſſarium, non contingens. Dico ſecũdo, quod ponendo ex ſola præſentialitate reali deſumi certitudinẽ notitiæ Dei, neceſſe eſt, concedatur mundum data

Infertur Mundum fuiſſe realiter ab æterno.

Quidquid eſt æternũ eſt ens neceſſarium. declaratur

hy-

hypotheſi, futurum fuiſſe ens neceſſarium; quia ſi cognitio Dei per eos haberi non poteſt, niſi ex reali præſẽtialitate mũdi, Deus ne fuerit ab æterno ignarus, neceſſe eſt dicere, quod mundus fuerit ab æterno; & confirmatur quia ſi nõ ab æterno, igitur tũc Deus aliquid verè in tempore factibili non potuiſſet ab æterno intelligere: igitur benè ad hominem ſequitur, vt mundus ſempiternus fuerit, atq; ens neceſſarium.

Ex inconuenientib.

5 Item arguitur, dempta per eos præſẽtialitate obiecti, nulla haberetur intuitiua, ac perfecta cognitio: ſed res non fuerunt ab æterno præſentes in propria exiſtentia, ergo nõ potuit eas ab æterno cognoſcere Deus. Inſuper ideo vocatur cognitio Dei intuitiua penes obiecta creata, quia ea habet præſentia in eſſe realis exiſtentia in æternitate, ſed res iam deſtructa, non eſt amplius in eſſe ſuo realis exiſtentiæ, nec per conſequens præſens æternitati, patet, lignum namq; combuſtũ, fuit iam æternitati præſens, nunc verò minimè, cùm nec tempori ſit præſens, nec eſſe verum habeat: igitur deperit ſcientia Dei circa præterita, & futura, quæ modo non ſunt; cùm tamen de præteritis etiam nos memoriã habeamus; ergo imperfectiſſimus remanebit intellectus diuinus tali carens notitia præſentialitatis realis in æternitate. Ex his verò inferam, ne omnino pereat diuina cognitio, eſſe debere res iſtas prorſus indefectibiles, & incorruptibiles, quia vt verè eas Deus intelligat, ſuam ipſarum requirit actualem exiſtentiã indefectibilẽ, & immarceſcibilẽ.

Coexiſtentia realis exquirit exiſtẽtiam realem.

6 Rurſus, quidquid de coexiſtentia fingas æternitatis, nonne quod alteri realiter coexiſtit, exquirit vt ſit ens reale? alias non realis eſſet, ſed potentialis coexiſtentia: at præterita, & futura nullum reale eſſe poſſident, quod ſi poſſiderent, iam non eſſent præterita, nec corrupta, nec forent futura, ſed præſentia omnia; igitur neganda eſt realis præſentialitas; quod ſi hoc modo nequit omnia noſcere Deus; eſt autem, vt de fide conſtat, ſapiens, atque omnia intelligens, igitur, dum præſentia realis omnibus rebus non competit, tribuenda erit præſentia obiectiualis, qua mediante intelligibilia reddantur à diuino intellectũ. Coexiſtentia realis requirit extrema realia: talis coexiſtentia eſt realis, ergo ambo extrema erunt realia, ergo creaturæ ab æterno habuerũt eſſe reale: quòd cùm verum non ſit, nec erit vera talis coexiſtentia realis.

Idem bis produceretur.

7 Item vnum & idem bis produci omnino implicat, dato quod ante ſecũdam productionẽ iam habeat eſſe: hoc ideo ſuperaddidi, cùm non implicet ſucceſſiuè idem reparari numero, vt eundem prorſus effectum numero: ſiuè permanẽs, ſiuè ſucceſſiuus ſit, iuxta probabilem multorum ſententiam, etiam de ſucceſſiuo: quod tamen (eodem ſtante, atq; in proprio eſſe perſeuerante) verum ſit dicere, quòd produci poſſit bis ſimpliciter quoad eſſe ſimpliciter, & ſubſtantiale, hoc implicat, ex quo idem ſimul eſſet, & non eſſet: eſſet quidẽ ex ſuppoſitione, quod in eſſe ſuo conſeruetur: non eſſet, ex quo denuo produceretur; cũ id quod producitur ſimpliciter, requirat vt tranſeat à non eſſe ad eſſe: non ergo idem poteſt hoc modo bis produci. Conceſſa autem hac reali præſentia, cùm denuo in temporis differentia produceretur effectus, bis quidem produceretur; patet, iam ſupponunt habere ſemper & ſemper in æternitate æternitati coexiſtentiam; quęro autem, aut talem habendo exiſtentiam, & pręſentiam realem, eſt effectus productus, aut omnino improductus: non ſecundum, cùm id ſoli Deo competat habere eſſe à ſe, indepẽdenter ab alio: igitur talis præſentialis actualitas erit producta: Cùm verò denuo producitur v. g. in hoc anno, atque extra cauſas ſuas educitur, nonne etiam vocatur ens productũ, & effectus, qui dicatur nunc incipere eſſe? vtiq; concedendũ, aliàs vel dicendum quod non reciperet eſſe in aliqua vlla temporis differentia, vel dicendum, quòd id habuerit ab æterno; quo conceſſo, vel nullus effectus erit in rerũ natura, vel ſi quid erit, illuderit à ſe independenter. vel deniq; concedendum quod in aliqua temporis differentia accipiat eſſe ſuũ de nouo; quo conceſſo, clarum euadit vt bis producatur vnum, & idem, in

co-

eodem tempore, in quo iam habebat eſſe.

Alias contradictoria erūt ſimul vera.

8 Inſuper ſequitur vt ſimul vera ſint contradictoria: prob. veræ ſunt propoſitiones iſtæ, *mundus extitit*, & *mundus non extitit*: prima eſt vera per eos, quia præſens fuit ab æterno æternitati: & ſecunda eſt vera ſecundum omnes, quia non fuit ab æterno, ſed cæpit in tempore, vt fides docet: ergo ſimul contradictoria.

Ergo ſimul in actu, & potentia.

9 Rurſus, mundus ab æterno non habuit, niſi eſſe poſſibile, in tempore autem eſſe actuale: ergo ſimul habuit eſſe in potentia, & in actu. Item ſi habuit eſſe in tēpore, quomodo ab æterno habuit eſſe actuale, præſentiale? hæc non ſunt ſimul: alias non verum eſſet, habuiſſe eſſe in tempore.

Prius res habet eſſe in ſe, quàm mēſurationem: ergo prius cognoſcitur in ſe, quàm in æternitate.

10 Prætereà dato, quod fuiſſent res ab æterno ſic præſentes æternitati, hæc tamen præſentialitas non prodeſt ad eorum intentum pro cognitione æterna Dei: prob. prius ratione cōcipitur res habere eſſe, quā habere eſſe præſes æternitati: ergo prius Deus cognouit rem habentem eſſe, quam præſentiam eius ad æternitatem. maior declaratur, quia prius ratione, & natura res accipit eſſe in ſe, quam eſſe præſens tempori: ergo procedēdo ordinatè in ordine cognoſcendi, prius Deus ab æterno cognouit rem, vt habētem eſſe, quam vt coexiſtentem, ſeu præſentem æternitati: ſed ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, ergo prius cognoſcitur res vt habens eſſe, quam vt habens eſſe præſens ipſi æternitati: igitur nil prodeſt præſentialitas iſta ad Dei cognitionem, niſi fortè à poſteriori, cum tamen cognitio rei in ſe ſit omnino prior. Cōfirmatur, prior eſt ipſa res, quam ipſius rei menſura, præcipuè extrinſeca: æternitas non eſt menſura intrinſeca creaturæ, ergo prior eſt creatura, quam quæcunq; menſura; igitur prior erit cognitio rei, quam cognitio ſuæ menſuræ. Rurſus ſequeretur etiam tempus eſſe prius æternitate, prob. præſentia creaturæ in tempore eſt prior æternitate, quia prius creatura eſt præſens tempori, vel æuo, quam ſit præſens æternitati; ſi namque non eſſet præſens tempori, vel æuo, nō poſſet fieri præſens æternitati, quia tempus, & æuum eſt fundamentum præſentiæ ad æternitatem: quod ſi poſterior eſt æternitas, ergo aliunde prius Deus cognouit, quam ex præſentia, & coexiſtentia æternitati.

Ex Patribus.

11 Confirmatur authoritate Auguſt. qui ſuper Pſal. 49. ita ait, *apud Deum nihil præterijt, nihil futurum eſt, cum illo ſunt omnia, cognitione quadam ineffabili ſapientiæ* Dei. nota ly, *cum illo ſunt omnia* explicans autem modum, inquit, *cognitione ſapientiæ* Dei. iſte autem modus eſſendi præſentialiter, eſt modus eſſendi præſentialitate intelligibili, ac obiectiua. Confirmatur, quia explicans Magiſter relata verba Auguſtini in 1. d. 35. ita ſcribit, *Ecce hic aperit Auguſtinus ex qua intelligentia accipienda ſint verba, omnia ſunt in Deo præſentia; in Deo ſunt omnia, vel cum Deo, vel apud Deum, quia ineffabilis omnium in eo cognitio eſt.* Apertius fortaſsè id docet Hugo Victorin. qui lib. 1. de Sacram. p. 2. c. 25. interrogando quærit, *An dicemus, quod omnia in Creatore ab æterno increata fuerunt, quæ ab ipſo temporaliter creata ſunt: & illic ſciebantur, vbi habebantur, & eo modo ſciebantur, quo habebantur?* quaſi dicat, nequaquā ſciri vt præſentia æternitati.

Euaſio Caetani.

12 Caetanus ad ſingula reſpōdet, quod aliud eſt, aliquid eſſe præſens æternitati pro quolibet inſtāti, & parte temporis: aliud eſt omnia eſſe præſentia æternitati pro quolibet inſtanti æternitatis, non autem pro qualibet parte temporis: primo modo falſum omnia ſic coexiſtere ſimul æternitati, quia anima Antichriſti eſt quidē præſens æternitati, ſed non pro iſto nunc iſtius temporis, erit autem præſens pro tempore, quando erit: ſecundo autem modo eſt verum, quia nunc æternitatis non ſunt plura, ſed vnum, quod complectitur omnes differentias temporis, & omnibus illis ſimul coexiſtit: & ſic, non autem primo modo, intellexit D. Tho.

Refellitur.

13 Sed arguitur cōtra: & primo, quia vel contraria docet: vel ſaltem, ſi quid verum dicit, malè, ſeu minus aptè explicat: & quidem in ſecundo modo, ait, aliud eſt omnia eſſe præſentia *pro quolibet inſtanti æternitatis*: inde vero applicando ſubdit, æternitatem non

eſſe

eſſe plura inſtantia, *ſed vnum*: hæc autem contradicunt, eſſe vnum, & eſſe plura: pluralitatem vero indicat, dum ait, *pro quolibet inſtanti æternitatis*. ergo vel contraria docet, vel rem non aptè explicat.

Inſtans æternitatis vnicum eſt, habet tamen latitudinẽ præſentialitatis ad præteritũ, præſens, & futurum.

14 Item, quamuis æternitas non ſit in plura inſtantia diuiſibilis, nec ſucceſſiua: nihilominus iuxta noſtrum modum intelligendi fingimus aliquid in ea, pendens à noſtra cõſideratione, adhoc vt rem apertius explicemus, nã *abſtrahentium non eſt mendacium*. Et quidem licet æternitas ſit inſtans vnũ, & non plura, tamen inſtans illud eſt immenſum, & illimitatum: ratione autem immenſitatis dicit relationem, (licet rationis) ad omnia, tùm præterita, tum præſentia, tum futura: ergo triplicem, ſaltem, conſiderabimus in ea relationem, vt ſic loquar, relationẽ præteriti, præſentis, & futuri: Relationes autem iſtas non habet ſimul, ſed ſucceſſiuè, & diuiſim, quia relatio, quã habuit ad Adam, & Euam, iam præterijt: relatio, quam habet nunc ad nos, eſt præſens: & relatio, quam habebit ad res futuras, iam non eſt, ſed erit. habemus ergo aliquam ſucceſſiuitatem, & pluralitatem: Verum eſt tamen, quod ſucceſſiuitas iſta, & multiplicitas non ſe tenet ex parte æternitatis, quæ vnica, permanens, & indiuiſibilis eſt, vt amplius dicetur in ſolutione argumentorum; ſed ex parte creaturarum, quæ non ſunt omnes ſimul, & ex parte relationum præteriti, præſentis, & futuri. Et hinc fit, vt æternitas habeat ſuam latitudinem coexiſtentiæ ad præteritũ, præſens, & futurum. Demum talis coexiſtentia eſt triplex, iuxta triplicem relationem, coexiſtentia ad præteritũ, coexiſtentia ad præſens, & coexiſtentia ad futurum. Item æternitas ſumitur tota, & totaliter: adæquatè, & inadæquatè. Reſp: futura coexiſtunt æternitati toti, ſed non totaliter: inadæquatè, non autem adæquatè.

Omnia coexiſtũt toti æternitati, ſed non totali: inadæquatè, non adæquatè.

15 Hinc ſequitur vt non valeat hic diſcurſus, æternitas eſt vnica, & indiuiſibilis, ergo coexiſtit omni tempori: negatur conſequens: quia licet ſit vnica, & indiuiſibilis, tamen dicit relationem ad præteritum, præſens, & futurum: item recipit latitudinẽ coexiſtendi, ex hoc vero infertur, vt non habeat ſimul totam latitudinem ſuæ coexiſtentiæ; tota quidem æternitatis latitudo completur ex coexiſtentia ad præteritum, præſens, & futurum: at nõ habet ſimul relationem præteriti, præſentis, & futuri; de præterito patet, quia Adam nõ eſt, ſed fuit: de præſenti etiam, quia inſtans præſens non fuit cũ Adamo, ſed nunc nobiſcum eſt: & de futuro etiam, quia futurum finale Iudicium nec fuit, nec eſt, ſed erit: iuxta ergo latitudinem ſuæ coexiſtentiæ ſequitur vt nõ coexiſtat ſimul cum omnibus creaturis, non obſtante, quod in ſe vnicum inſtans eſt. Compertum tamen eſt totum hoc eſſe extrinſecum æternitati, etenim ſucceſſiuitas non eſt æternitatis; ſed creaturarum, quarum altera fuit, altera eſt, & erit altera. Et denique inferimus omnes creaturas eſſe toti præſentes æternitati, licet non pro totali æternitate: nõ adæquatè, ſed inadæquatè.

16 Atque hinc euaſio Caetani nõ prodeſt, quamuis namq; vnicum inſtãs ſit, tamen non ſimul coexiſtit omnibus creaturis in totali æternitate.

Quod non eſt, non poteſt realiter presens eſſe.

17 Inſuper dum dicit omnia eſſe præſentia pro quolibet inſtanti æternitatis, id improbatur, nam quod in ſe non eſt ens, non poteſt eſſe præſens, futurum non habet eſſe, non ergo habet præſentialitatem realem cum omni inſtanti æternitatis. Alias talis præſentialitas eſſet imaginaria, ficta per intellectum, & non realis. Præcipuè hoc argumentum valet, dum docet inſtans æternitatis eſſe vnicum, ſicut verè eſt vnicum: quòd ſi Caetanus cum Aſſeclis diceret omnia eſſe præſentia æternitati, ſed non pro tota æternitate, benè diceret, propter latitudinem æternitatis: at dicendo ſic, nihil peculiare diceret, ſed eſſet cum Scotiſtis, ne autem ſentiat cum ipſis, impingit in tot ſcopulos.

Omnia coexiſterẽt ſimul inter ſe.

18 Item quæ ſimul coexiſtunt alicui tertio, ſunt ſimul inter ſe: omnia coexiſtunt æternitati, ergo creaturæ omnes ſunt ſimul inter ſe: igitur præterita, præſentia, & futura ſunt ſimul interſeipſa: atq; ita futurum erit præſens, & præſens futurum, ſicque futurum, ac præſens ſunt præterita &c.

Oo

Occurrit Bannes id ſequi ſi æternitas eſſet indiuiſibilis formaliter, & virtualiter: quæ namq; coexiſtunt alicui tertio indiuiſibili quidem formaliter, & virtualiter, ea coexiſtunt inter ſe: ęternitas verò licet indiuiſibilis ſit formaliter, non tamen virtualiter, ita namq; eſt diuiſibilis, quoniam æquiualet omnibus differentijs temporis. Sed contra, & retunditur reſponſio, quoniam ęternitas per eum non eſt indiuiſibilis omnino, quia diuiſibilis virtualiter; igitur hinc infertur quòd non coexiſtunt pro tota latitudine æternitatis: ergo non pro tota æternitate: ergo nō pro totius inſtanti æternitatis: at hoc eſt contra cæteros Thomiſtas: immo doctrina hæc eſt Scotiſtarum, vt eam nuper contra Caetanum adduximus, & vtimur ea, dū dicimus omnia coexiſtere toti æternitati, ſed nō totali æternitati: non adæquatè, ſed inadæquatè, propter extrinſecam coexiſtentiam latitudinis ad omnes differentias temporis: dū verò ita ſenſit Bannes, apertè recedit à Thomiſtis, & coincidit cum Scotiſtis.

19 Præterea, ad principale intentum, Deus deſumeret cognitionem à rebus, *vileſcit autem Dei intellectus deſumendo cognitionem à rebus*, ex Ariſtot. moueretur enim à rebus, vt præſentibus æternitati.

Angelus ab initio cognouiſſet omnia contingentia.

20 Rurſus ſi omnia æternitati coexiſtunt, ergo Angelus ab initio ſuæ creationis nouit naturaliter omnia futura contingentia, quod eſt proprium ſolius Dei, ex Pſalm. 41. *Annunciate nobis futura, & dicimus Dij eſtis.* atque Eccleſ. 23. *Domino Deo anteqeam crearentur omnia ſunt nota.* licet nāq, plurima norint, eo modo, quo in materia de Angelis, non tamen omnia. prob. conſequ. æuum, quod eſt menſura Angeli, coexiſtit omni tempori.. ergo &c: ſunt qui dicant poſſe cognoſcere futura contingentia: vtrum autem, & quomodò id ſit verum, patebit ibi: modo verò ſufficit contra eos inferre dicendo, ergo Angeli norunt futurum diem Iudicij, de quo tamen ait Chriſtus Matt. 13. *De die autem illa nemo ſcit neque Angeli in cęlo, neq; filius &c.*

Ratio Caet. refellitur.

21 Ait Caetan. & Bann. negando conſeq. quia cognitiones Angeli non menſurantur æuo, ſed tempore diſcreto: ſupponit autem Caetanus diſcretum, quod pro nunc ſupponimus eſſe falſum dari: de quo tamen in mat. de Angelis.

Refellitur Molin.

21 Molina inquit æternitatem differre ab ęuo, quia ęuum habet ſuam durationem non à ſe, ſed à Deo, æternitas autem à ſe; ideoque non poteſt æuum facere vt res cognoſcantur ſimul in eo. Sed contra, quia durare à ſe, & ab alio, eſt extrinſecum ad rationē repræſentationis, & cognitionis, non autem eſſentiale, & intrinſecum, vnde reſponſio eſt fuga.

ARTIC. III.

Vtrum creaturas cognoſcat Deus in ideis.

Cognoſcere in ideis.

1 SVnt & Alij ex antiquioribus, qui infallibilem Dei, æternaleq; cognitionis diuinæ certitudinem, ab ideis ſumunt, exiſtimantes Deum omnia cognoſcere in ideis: quæ cum perfectiſſimò modo repræſentent vnumquodq; creabile, perfectiſſimè quoq; illud cognoſcet, ac certitudinaliter in ſua idea. huius opin. eſt D. Bonau. in 1. d. 39. artic. 2. q. 3. poteſtq; ſuaderi hæc opinio cōſimiliter precedēti. prob. ea eſt perfectiſſima cognitio, quæ vel ab obiecto deſumitur in eius propria preſentialitate, & exiſtentia, vel ab aliquo repræſentāte obiectū, ſitq; ipſius obiecti naturalis, & ſpecifica imago: at creaturæ ſecundū realem pręſentiā nō fuerūt ab æterno, vt demonſtratum eſt ſup. igitur cognoſcentur per aliquod æquiualens, ac perfectiſſimè eas repręſentans: iſtę autem ſunt ideæ, igitur per ideas nouerit certo Deus omne creabile, quod verò idea ſit ratio perfectiſſimè repræſentandi ideabile, patet. cum ex Plat. tum verò ex D. Auguſt. l. 83, q. 46. docentibus ideas eſſe exemplar, atq, rationem quandam in diuina mente, ſecundùm quam vnumquodq; eſt formabile ſecundùm propriam naturam. Ex hoc autem licebit

vlte.

vlterius arguere: ita res ſe habet ad cognoſci à perfectiſſimo, infinitoq; intellectu, ſicut ſe habet ad eſſe: ſed idea repræſentat perfectiſſimè eſſe cuiuſcunque creabilis, igitur idea erit ratio perfectiſſimę cognitionis creaturarũ. prob. min. ex deſcriptione iã facta de idea, nã ad inſtar ideæ Artifex format ſuum opus: igitur neceſſe eſt, vt idea optimè, & vndequaq; repræſentet efformabile, quia taliter operatur Artifex, qualis eſt ideæ, & exemplaris repręſentatio. igitur conuenit, vt in hoc, tanquam in perfectiſſimo cuiuſcunq; efformabilis, ſeu creabilis repræſentatiuo, dicatur Deus cognoſcere creaturas, quod non erit aliud, quàm cognoſcere per ideas: ſequitur etiã D.Tho. 1.p.q.14.art.13. Caet. Bannes, Molin. diſp.15. Suar. lib.3. opuſcul. c.4. &c.

Cõfutatur. 2 Nihilominus opinio hæc de ideis exploditur tum à Scoto in 1. 39. q. 1. tum verò à cæteris, vt plurimum: quapropter cenſent non cognoſcere Deũ creabilia ad extra per proprias ideas; Probatur autem: & primo arguere liceat ex ratione ipſa, atq; formali conceptu ideæ. ſiue enim idea ſit conceptus obiectiuus, vt fatentur Aliqui, diſtinctus ab exemplari, quod dicunt eſſe diuinam eſſentiam, & ſub prima ratione plurificari ad plurificationem creabilium, inter quos ſunt pleriq; ex Thomiſtis, 1.p.q.15.art.3. ſiue ex alio capite idea ſit creatura in eſſe cognito, ex Scotiſtis: quorum ſententia cum iam citata concordat, ſi benè perpendatur: quidquid tamen ſit horum, ſumendo ſaltem ideam pro formali, implicat vt per eam cognoſcatur creatura. prob. idea vt ſic, connotat aliquid in diuinis, præſuppoſitum diuino decreto voluntatis diuinæ; patet, termini ſupplices rerum omnium, intelliguntur habere eſſe ſuum ante voluntatis diuinæ decretum, quia neceſſarij ſunt: vt ſic autem ſunt ideæ, igitur creatura habet eſſe neceſſarium, independens à diuino decreto: quod vero ſint ideæ termini illi, res clara eſt, ex ſuppoſita doctrina, quod vnumquodq; formabile ad extra propriam habet ideam, ac rationem propriam, & adæquatam, qua mediante efformetur: ſunt autem termini illi ponibiles ad extra, quia poſſibiles ſunt; igitur propria ſibi correſpondebit idea, igitur creaturæ erũt neceſſaria entia, habentia eſſe ante diuinum decretum: igitur omnino Deus nouerit præſcindẽdo à decreto, cuius tamen contrarium demonſtrabimus infra, præſcindendo autem à decreto non poteſt aſſignari perfecta ratio certitudinis cognitionis diuinæ: Deus namq; non ante, ſed poſt decretum nouit quidquid de cõtingentibus erit, ergo non nouit per ideas.

3 Rurſus in propoſitionib. contingentib. & poſſibilib. aliter ſe habere, non poteſt veritas conſtare ex ſola terminorum ſimplicium inſpectione, & contemplatione: ideæ autem ante decretum ſunt termini ſimplices, & incomplexi, igitur ex ſe ſolis complexionem nullam demonſtrare poterunt, nec efficere, igitur ad ipſas præcisè inſpiciendo, nulla certitudo, nulla perfecta haberetur cognitio, maior patet: ea eſt inter neceſſarias, & immediatas propoſitiones, cùm contingentib. differentia: vt primæ pateãt ex terminis, qui ex ſui natura neceſſariò connectũtur, quorum contemplatio in cognitionem ducit complexionis neceſſarię, vt homo eſt animal: *de quolibet verum ſit dicere, quod ſit, vel non ſit:* in quibus, & conſimilib. termini ſe mutuo inferunt, & conſequenter ante quodcunq; decretum ſunt cognoſcibiles veritates iſtæ, quia ſunt neceſſariæ: at contingentium enũciationum termini cùm poſſint non connecti; cumq; iam connexi, poſſint ſeparari, cõſequens eſt, vt vnus alterum nec inferat, nec ex amborum cognitione neceſſe ſit in efformationẽ deueniatur propoſitionis, cùm poſſit contrarium euenire, vt in propoſitione hac Petrus currit: cùm poſſit etiam & falſa eſſe, quia nec Petrus curſum, nec curſus Petrum neceſſariò poſtulat, ideo perfecta propoſitionum iſtarum cognitio, ex actuali terminorum copulatione dependet, & inſpectione: fit autem idearum copulatio per decretum diuinæ voluntatis, igitur ante decretum nullam veritatem, nullamq; determinatam partem repræſentabũt, non ſunt igitur certa cognoſcendi ratio creaturarum ideæ in intellectu diuino. Confirmatur, quia propoſitiones

Ex inſpectione terminorum ſimplicium non cognoſcitur certitudinaliter compoſitio in contingentib.

In contingẽtib. propoſitio vel non cognoſcitur, vel ſcitur vt neutra in terminis ſimplicib.

contingentes ex inſpectione ſola terminorum, vel non cognoſcuntur, vel cognoſcuntur vt neutræ.

Si eſſentia ſola eſt idea ergo ſunt entia neceſſaria.

4 Dixeris ideam non eſſe aliud, quam diuinam eſſentiam; ita.n.loquũtur Thomiſtæ ſumẽdo ideam pro exẽplari imitabili, quod non eſt aliud, quã eſſentia diuina, cumq; ipſa ſit infinita, eminenterq; continens creaturas, ratio erit vt in ipſa, veluti in idea, nouerit Deus vniuerſa creabilia. Sed contra, dato quod idea ſit diuina eſſentia: quæro vt prius, aut diuina eſſentia ex ſe ſola conſideratur omnia hæc creabilia ſub ratione ideæ repræſentare; aut verò conſideratur eſſentia vna cũ voluntate, & decreto diuino: ſi primũ conceſſeris, igitur vel creaturæ ſunt entia neceſſaria, vel non repræſentantur creaturarum complexiones, & cõnexiones terminorum. patet vtrumq; quia eſſentia prout à voluntate abſtrahit, quicquid repræſentat, neceſſariò repræſentat, non.n.vt à voluntate abſtrahit, habebit rationem ſpeculi, & repræſentatiui voluntarij, ſed rationẽ ſpeculi neceſſarij; ſi ergo neceſſariò ea repræſentat, igitur ideæ illæ entia neceſſaria ſunt, quia quicquid in diuinis voluntatem præcedit, id eſt ens neceſſarium: ſecundum patet, quia complexiones illæ per ſolam eſſentiam ſub ratione ideæ repræſentabiles, eſſent connexiones neceſſariæ, igitur creatura erit ens neceſſarium, habens cõplexum, & connexum eſſe ante decretum; Si autem eſſentia concurrit ad repræſentandum nõ ex ſe ſola, ſed vna cum voluntate iam decretante, & cõnectente ideas, & terminos ſimplices; igitur dicendum erit nõ ex ſolis ideis, ſed aliundè etiam certiorem fieri diuinum intellectum de futuris creabilibus.

Idea nõ cõfert cõplementum ideato abſque decreto.

5 Item contra eoſdem ideæ multiplicantur, & diſtinguuntur ex ſent. Thomiſt. penes diuerſos reſpectus, & diſtinctas habitudines terminabiles ad obiecta extra: hoc magis etiam confirmatur, quia cum ſit vna, eademq; & indiſtincta eſſentia, non poterit multiplicatio hęc, & diſtinctio idearum à ſola eſſentia, & à ſola idea exemplari deſumi: igitur deſumenda erit ab obiectis extrà: ſed quicquid ponitur extra, id totum non à ſola idea exemplari producitur, cùm non ſola eſſentia agat ad extrà, quia neceſſariò ageret, pręſcindendó à voluntate, aget ergo eſſentia volens, vel voluntas diuina vna cum eſſentia: ex hoc autem ſequitur, vt Dei intellectus, harum idearum multitudinem, & diſtinctionem contemplans, non eas contempletur in ſola eſſentia, ſed in aliquo alio determinatè: & probatur quia tales plures habitudines plurium idearum non poſſunt conſurgere, nec terminari ad obiectum creabile extra, niſi per decretũ diuinum, tale obiectum determinetur extra poni: igitur eſſentia ex ſe ſola non ſufficit. Confirmatur, effectus per ſolam virtualem continentiam paſſiuã non habet totale, & completum eſſe. igitur nec habere poterit completam ſui cognitionem, pręſcindendo à quocumq; alio productiuo, & eductiuo de potentia ad eſſe; maior eſt euidens, & patet de roſa, quę hieme ſolũ eſſe virtuale habens intra cauſas ſuas, non ſibi id ſufficiens eſt ad completum, & vltimatum eſſe; conſequens verò indè ſequitur, ex quo *ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci*, ex eſſe igitur incompleto ſequitur incompleta cognitio, etiã terminatiuè; quia ad perfectè vndequaq; cognoſcendum effectum, licet non requiratur vt ab obiecto effectiuè, de eo, quod cognoſcitur, parturiatur cognitio, ſic.n.cognitio diuina non producitur à rebus extra: requiritur nihilominus, vt cognitio terminetur ad omne, quod ad producendum effectum neceſſariò poſtulatur: ſed ad connectendos, & componendos ſimplices idearum terminos, non ſufficit diuina eſſentia in contingentibus, quia iam eſſent propoſitiones ſimpliciter neceſſariæ, & non contingentes; ergo & diuinum etiam decretum expectatur: igitur ideæ ex ſe ſolis, (quodcũq; intellexeris per ideas) rationes (adæquatè ſaltem) eſſe non poterunt infallibilis, ac certitudinalis ſcientiæ Dei, &c.

Idea non magis repræſentat pro vno tẽpore, quàm pro alio.

6 Inſuper idea non magis repræſentat pro vno tempore, quã pro alio; ergo non cognoſcit Deus eſſe magis verum hodie Sortem currere, quam cras, ſuppoſito quod hodie currat, &

non

non cras. Antecedens probatur, termini iſti *ſortes*, & *curſus* non magis *ex ſe ipſis*, poſtulant coniungi hodie, quã cras: Dico *ex ſe ipſis* quandoquidem aliundè poſtulari poterit copulatio, vt potè à voluntate ſortis cupientis currere magis hodie, quam cras: cæterum ſpectati termini intrinſecè ex ſe ipſis non magis copulari poſtulant hodie, quam craſtina; nulla namque eſt determinatio intrinſeca, quin potius indifferenter ſe habent ad inuicem, eſt nãque ſortes indifferens ad quietem, & curſum; & eſt curſus indifferẽs vt ſubiectetur ſorti, vel Caio, hodie, vel cras, &c. igitur remanet probatum antecedens, quod idea non magis repręſentat pro vno tempore, quam pro alio: ergo nec cõſeqnẽter cognoſcet Deus potius hodie ſortem currere, quam cras, cognoſcendo ideam ſortis, & curſus.

7 Sequitur etiam ideas non magis eſſe pręſentium, quam pręteritorum, & futurorum. Confirmatur, quia idea abſtrahit ab hic, & nunc, ergo per eas non poteſt abſolutè cognoſci vtrum ſortes cucurrerit, vtrum currat, vel curret.

Ideæ non ſunt magis poſſibiliũ, quàm exiſtentium.

8 Corroboratur ratio, quoniam ideæ non ſunt magis poſſibilium, quã actu exiſtentium: nec magis actu exiſtentium, quam poſſibilium: eodem nãque modo repræſentãt curſum actualem ſortis, & poſſibilitatem curſus ipſius ſortis, patet hoc, quoniam voluntas eſt illa, ſiuè cauſæ extrinſecæ ſunt illæ, quę potentiam (alioqui ad quietem, & curſum indifferentem) determinãt, pro hoc tempore, magis, quam illo: ergo ex ſe intrinſecè ideę nõ poſſunt eſſe ratio cognoſcendi vnam potius contradictionis partem, quam alteram: ſiuè pro vno potius tempore, quam pro altero.

9 Rurſus deſumeret Deus cognitionem à rebus, & ita moueretur in cognoſcendo à rebus; mouerent namque ideę diuinum intellectum: atque ita non moueret eſſentia.

10 Scientia inſuper de contingẽtibus vocatur à Theologis ſcientia libera: per hoc autem non eſſet libera. prob. quia idęa terminorum ſimpliciũ eſt neceſſaria, complexio namque eſt contingens, ergo & ſcientia eorum erit neceſſaria: neceſſitatẽ m vero talẽ tribuunt ideę, quę tamen tollitur, dum non cognoſcuntur ante decretum in idęis.

11 Ad ſingula Caetanus reſpondet ideas aliqua repręſentare naturaliter, & aliqua liberè: prima ſunt termini ſimplices, & de his currũt argumenta facta: ſecunda vero ſunt exiſtẽtię contingentium rerum, quarũ ideę repręſentant liberè, quia poſt decretũ diuinę voluntatis. Et hinc infert ideas exiſtentiæ rerũ repræſentare illas perfectiſſimè, ac determinatè pro quacunque differentia temporis, &c. *Caetani reſponſio.*

12 Quod tum ſimplices termini, tum vero exiſtentia actualis ſuam habeat propriam, & diſtinctam ideam, ita vt alia ſit idea ſimplicium, alia cõplexorum, amplectimur & nos, tamen non ſequitur intentum Caetani, vt cognoſcat exiſtentiam in idea exiſtẽtiæ, & prob. complexio terminorum in ordine ad actualem exiſtentiam pendet à decreto, ergo cognoſcet Deus potius in decreto, ad quid ergo ideæ? Item prius eſt decretum quod v.g. ſortes currat, inde autem inſurgit idea totius complexionis *ſortes curret*, ergò prius cognoſcet in decreto, probatur conſequens, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci: ergo non opus eſt vt cognoſcat in idea. prob. quia per decretum ſufficienter ſibi manifeſtatur curſus ſortis. *Impugnatur.*

13 Molina ait cognoſci in ideis, etiam ante decretum diuinæ voluntatis. Verum diſputare de hoc non eſt præſentis loci, ideo ad propriam materiam tranſmittimus; inuoluit enim quæſtiones alias concernentes materiam de Auxilijs, de qua tamen re nihil in hac prima parte intentamus, tranſmittentes id ad proprium locũ.

ARTIC. IV.

Soluuntur obiectiones primi, & tertij artic.

1 REmanet vt argumenta in primo, & ſecundo artic. allata: in quibus probabatur res cognoſci vel quatenus præſētes ſunt in æternitate, vel in ideis, ſoluamus.

Quid ſit cognoſcere intuitiuè.

2 Ad primum dicimus cognitionem Dei de futuris eſſe intuitiuam, licet nullam habeant actualem exiſtētiam: quandoquidem intuitiuè cognoſcere eſt rem vel in propria exiſtentia, vel in aliquo eminenter continente, intueri, vt habet Scot. in 1. d. 2. q. 7. ſub duplici qq. hinc eſt, vt quamuis futura nō ſint actualiter præſentia Deo, quia tamen diuina eſſentia perfectiſſimo modo repręſentat futura, & eo modo repręſentat, ſicut forent in ſeipſis, hinc fit, vt diuinus intellectus de futuro dicatur habere intuitiuam, & perfectiſſimam cognitionem, id quod expreſsè docuit Lychet. in 2. d. 3. q. 11. propter quod non eſt neceſſe, vt res actuale habeant eſſe, ad hoc vt intuitiuè noſcantur, quia ſufficit perfecta ipſarum continentia virtualis, & eminentialis in diuina eſſentia, quæ eas diuino perfectiſſimè repręſentat intellectui. inſuper dicimus ablata præſentia actuali, ſufficere præſentiam obiectiuam, qua res omnes futuræ ſunt Deo pręſentes, & intuitiuè cognoſcibiles, ac perfectiſſimè.

Aliter res coexiſtunt æternitati, & aliter linea circūferētiæ cētro.

3 Ad ſecundum dicendum æternitati coexiſtere quidem vniuerſa, & omnia, ſed non ſimul, ſiquidem ſucceſſiue ea ſunt æternitati præſentia, vt patet: quo fit vt non omnia actualiter ſint ſimul, nec conſequenter omnia ſunt ſimul actualiter præſentia: inde eſt, vt hac præſentialitate non cognoſcat vniuerſa Deus, ſed longe alia. Ad exemplum de centro, & puncto, cui actualiter ſunt præſentia omnia puncta, & infinitæ lineæ, & partes circumferentiæ, ad hoc primo dicimus non eſſe parem rationem de rebus coexiſtētibus æternitati, & de lineis, & partibus continui, & circūferentiæ, circuli centro; ratio eſt, quia hæ actuale eſſe habent, permanens, è quibus componitur continuum, & cōſequenter cum ſit continuum, totum actuale, requirit etiam partes actuales: attamen non ſic de æternitate, cui omnia actualiter nō coexiſtunt, cum ea habeant eſſe ſuum ſucceſſiuè, non ſimul, ſed vnum poſt aliud: linquo modo diſputationem de punctis, & partibus continui, quomodo ibi ſint, quòd eſſe habeant, & conſimilia impertinentia ad noſtrum inſtitutum: ſufficit imparitatem oſtendiſſe, & inſufficientiam exempli; Aliud etiā exemplum ſequens de flumine, in quo aquæ omnes defluētes ſtipiti fixo coexiſtunt, dicendum ipſum ad noſtram potius protrahi confirmandam ſententiam, quia aquæ fluentes non quidem ſimul aſſiſtunt ſtipiti, ſed ſucceſſiuè, ſic quoque res omnes aſſiſtunt ſucceſſiuè æternitati, nec ſibi præſentes omnes ſunt ſimul actualiter; ceſſat inde ratio ſic cognoſcendi vniuerſa in æternitate præſentia.

Nec Deus, nec æternitas coexiſtit actualiter omni enti, quia non omne ens actu eſt.

4 Ad tertium, ex hac eadem reſponſione ſit ſatis, & reflexum eſt iam argumentum contra ipſos, immo ſicut falſum eſt Deum ratione immenſitatis ſuæ actualiter ſimul coexiſtere omni enti, cùm multa non ſint actu, falſū quoq; erit entitati coexiſtere entia omnia, vt iam deductum fuit. Ad confirmat. ad illud quod dicitur de æuo, dicendum æuiterna, vt ſunt Angeli, quia omnes habent eſſe ſimul, & ſupponimus Deum de facto non creare plures Angelos, licet nō implicet plures produci: dicendum eos, ſimul coexiſtere æternitati nunc, & coextitiſſe iam, & fore coexticuros: attamen aliquando non ſibi coextiterunt, vt quādo iam creati non erant, & ſi annihilarentur, amplius nō coexiſterent. Rurſus ex doctrina, præcipuè Scoti, nedū Angeli menſurantur æuo, verum etiam quodcunque ſpiritnale, & quæcunq; quandiù manent, habent vniformem modum manendi ex 2. d. 2. q. 4. vt Animæ rationales, intellectiones, volitiones hominis: ſubſtantia etiam, quatenus præſcindendo à motu, & tempore, habet vniformē modū manendi quandiu manet, eſtq; de genere pmanētiū.

Nō omnia, quæ menſurantur æuo coexiſtunt ſemper æternitati.

loquendo conſequenter ad hæc, apparet non omnia, quæ ęuo menſurantur, aſſiſtere ſimul actualiter, tum ęuo, tum æternitati, quia licet id verum eſſet de Angelis, propter rationem allatam, nihilominus non verificarentur hæc omnia de alijs, quia nec animæ ſimul omnes creantur, nec intellectiones, & volitiones ſimul producuntur omnes, nec ſimul exiſtunt, & ſic de cęteris, quare hinc quoque ceſſat ratio coexiſtentiæ, & actualis præſentialitatis. Magis autem id probabile redditur penes tempus, & temporanea, quia ſicut partes tẽporis prætereuntis non ſunt iam, præſentes non perſiſtunt, nec permanent, & futuræ non ſunt adhuc: ita quoq; nec ſimul poterunt coexiſtere præſentialiter æternitati. idem eſto iudicium de temporaneis, quorum alia corrumpuntur, adueniunt alia, & alia expectantur, quapropter non sũt ſimul.

Ad Augu. 5 Ad Patres autem reſpondetur. & primo ad Aug. ideo negaſſe in ordine ad Deum eſſe aliquid futurum, qu a ſibi omnia ſunt præſentia, ſed lõge aliter, quàm Thomiſtæ loquuntur; ſi quidem præſentia ſibi ſunt vniuerſa, præſentialitate obiectiua, non autem reali, & de hac Auguſtinus loquitur. vel dicendum, Auguſtini fuiſſe mentem, ex quo Deus optimè nouit præterita, præſentia, ac etiam futura, non eſt dicere, ſibi aliquid eſſe futurum ratione cognitionis, licet ſit futurum in ſe: & ſub ratione iſta nos etiam cõcedimus, Deum cognoſcere futurum, futuritione ſtante ex parte obiecti, non ex parte cognitionis, quia cognitio eius etiã de futuro eſt intuitiua, & vt ſic, ita perfectè cognoſcit futurum, ſicut præſẽs, quia ſibi perfectiſſimè in diuina eſſentia repræſentatur, hac ergo ratione, negatur eſſe Deo quidquam futurum, quia ſicut optimè noſcit præſens, ita perfectiſſimè noſcit etiam futurum. Cæterum quoad actualem, realemque coexiſtentiam, eſt dandum aliquod, quod habeat verè rationem futuri in ordine ad Deum, quia Deo nunc exiſtenti, non coexiſtit realiter dies craſtina, niſi præſentialiter obiectiuè, vt fuit dictum. & ita loquitur D. Paulus Rom. 8. Boet. Greg. & vltima Anſelmi auctoritas ita venit intelligenda. Ad primam vero eiuſdem Anſelmi auctoritatem de tempore claudẽte omnem locum, dicendum de tempore loqui actuali, quod quidem omnia actualiter exiſtentia menſurat, eiſq; coexiſtit: nõ verò loquitur de potentiali, ſeu de potentialibus locis, & temporaneis; cum enim non ſint, non poſſunt actuali mẽſuræ coexiſtere, & realiter menſurari. ita dicendum de æternitate, cui actualia ſolummodo entia, non item potentialia, realiter coexiſtunt, & ſunt præſentia &c.

Deus cognoſcit futurum futuritione ex parte futuri, nõ ex parte cognitionis.

Ita perfectè cognoſcit futurũ ſicut præſens.

Ad Anſel. Boet. Greg.

6 Ad quintũ negatur conſequens; quia coexiſtentia realis requirit vtrũque terminum realem: et quia nõ exiſtit totum tempus ſimul, ideo æternitas non coexiſtit toti tempori ſimul: quòd ſi tempus exiſteret totum ſimul, vtique æternitas coexiſteret toti tempori ſimul.

Coexiſtentia realis requirit extrema realia.

7 Ad ſextum de Anima, & corpore, eſt diſpar ratio; quia Anima, & totum corpus habent eſſe ſimul, quo fit, vt benè Anima coexiſtat nedum corpori, ſed toti corpori, & omnibus partibus corporis, cùm omnes ſint ſimul: tempus verò non habet omnes partes ſimul, vnde eſt vt æternitas non coexiſtat omnib. eius partibus ſimul, ſicut nec omnes temporis partes æternitati coexiſtunt ſimul, ſicut verò Anima non coexiſtit partibus v. g non exiſtẽtibus, vt pedi abſciſſo, manui reciſæ, ita nec æternitas coexiſtit tẽpori prętetito, ſeù adhuc non exiſtenti.

Animę coexiſtentia ad corpus differt à coexiſtentia ęternitatis.

8 Ad vltimum. ſucceſſiuitas non ſe tenet ex parte æternitatis, quæ permanens, & indiuiſibilis eſt, ſed ex parte temporis, quod non poteſt eſſe totum ſimul, quia eſſentialiter ſucceſſiuum eſt.

9 Dices, æternitas eſt indiuiſibilis: ergo coexiſtit tota ſimul, & nõ per partes, & partem. Item æternitas eſt permanens, ergo non ſucceſſiua, ergo tota ſimul. Inſuper æternitas ambit omne tempus, ergo coexiſtit omni tẽpori. Confirmatur, quia eſt illimitata, & infinita.

10 Ad primum conceditur coexiſtere totam ſimul, ſimultaneitate ſe tenẽte ex parte æternitatis, non tamẽ ex parte temporis, & creaturarum: vt

Simultas ex parte æternitatis nõ creaturarum.

ba-

baculus in medio fluminis defixus, vtique ipſe totus ſimul coexiſtit omnib. decurrentibus aquis, quantum eſt ex parte ſui, quia ipſe vnicus, & inuariatus, ac permanens ibi ſtat: at ſimultas deficit ex parte aquarum, quæ nō omnes ſunt penes ipſum ſimul, ſed vna pars tranſit, alia præterijt, & nondum aduenit altera: ſic æternitas, & creaturæ præteritæ, præſentes, & futuræ.

11 Ad alterum de permanentia, iam dictum, permanentiā ſe tenere ex parte creaturarū, quarum altera præterijt, aduenit alia, & altera nondum aduentauit.

Aeternitas ambit omne tempus. declaratur

12 Ad id, quod ambit omne tempus, ſenſus eſt, in tantum ambire omne tempus, in quantum illa poteſt coexiſtere omni tempori: talis verò coexiſtentia non poteſt eſſe ſimul, defectu non prouenientе ex parte æternitatis, ſed ex parte creaturarum, quæ non ſunt ſimul: quòd ſi eſſent ſimul, vtique coexiſterent ſimul. Et hinc ad illud de illimitatione, quia eſt illimitata, & infinita, hinc ſequitur, vt quantum eſt de ſe, poſſit coexiſtere ſimul, cęterū quod deficiat coexiſtentia, defectus prouenit ex creaturis.

Aeternitas eſt tota ſimul.

13 Obſtabis; *æternitas eſt tota ſimul*, ex Boet. ergo futura coexiſtunt toti æternitati. Reſp. ex ſuperiori doctrina tradita in impugnatione Caetani artic. 2. futura coexiſtere æternitati, toti quidem, ſed non totaliter: inadæquatè, non adęquatè. conſiderando æternitatem habere latitudinem, & correlationem, ad varias partes tēporis, ratione cuius latitudinis dicantur coexiſtere futura ęternitati, ſed nō pro tota æternitate, ideſt, non pro tota latitudine, & correſpondentia ęternitatis, quia alia eſt relatio, & correſpondentia ęternitatis ad tempus pręteritum, alia ad præſens, alia ad futurum: licet in ſe conſiderata æternitas ſit vna, indiuiſibilis, & permanens.

Ad argum. tertij artic.

14 Ad rationes tertij artic. de Ideis: dicimus per ideas vtique perfectè cognoſci ideatum, at perfectius cognoſci per eſſentiam diuinam: Confirmatur, quia *inferiora perfectius eſſe habent in ſuperioribus, quàm in ſeipſis*, ex Auguſt. 9. de Trinit. cap. 10. vel 11. Deus autem perfectiſſimam habet cognitionem de rebus, hinc cognitionē talem perfectiſſimam trahit à ſua eſſentia, non ex ideis. Implicat etiam ex ideis cognoſcere, quia moueretur ab eis, vt eſt dictum.

Perfectè cognoſcitur per ideas, ſed perfectius per diuinam eſſentiam.

Eſſētia eſt ratio perfectè cognoſcendi, ſed poſt decretum.

15 Obſtabis per cognitionem eſſentiæ cognoſcit omnia, tàm poſſibilia, quàm futura: at idea eſt ipſamet eſſentia diuina: ergo à primo ad vltimū, cognitio habita per eſſentiam, eſt cognitio habita per ideam. Reſpondetur ad maiorem, quòd eſſentia repræſentat quidem contingentia perfectiſſimè; ſed poſt decretum diuinæ voluntatis: antè verò repræſentat de contingentibus ſolos terminos ſimplices inconnexos, non autem cōnexionem, & compoſitionem: quod ſi connexionem repræſentat, eam oſtendit vt neutram: oſtendit quidem terminos, *vt ſortes, curſus, &c.* at propoſitionem *ſortes currit*, non repræſentat, niſi poſt decretum: quòd ſi repræſentat, eam repræſentat, vt neutram, quia adhuc non intelligitur facta determinatio de curſu, ex Scot. 1. d. 39. Ad min. negatur à ſcotiſtis, etenim idea eſt conceptus obiectiualis ipſius Dei; ſiue creatura cognita: & nō quidem in ratione motiui diuini intellectus, id namq; eſt eſſentia, ſed obiectiui terminatiui. Eo magis, quo alia eſt idea Equi, alia Leonis, alia Hominis, quodſi formaliter eſſet eſſentia diuina, iam eſſentia eſſet formaliter Equus, Leo, Homo, creatura: cùm autem alia ſit ratio formalis eſſentiæ, alia Hominis, Equi, Leonis, remanet vt non ſint vnum, & idem formaliter ideæ iſtorum cum diuina eſſentia.

QVÆSTIO XII.

Vtrum vt Deus creaturas intelligat, requirantur in eo diſtincti reſpectus ad ipſas creaturas.

Quid ſenſerit D. Thomas.

1 VTrũ verò ad intuẽdas creaturas poſſibiles in ſui Eſſentia exquirat Deus relationes aliquas ad ipſas creaturas, quæ relationes antecedaut cognitionem creaturarum, & ſint ipſi Deo rationes cognoſcendi creaturas. Videtur id affirmare D.Tho, quandoquidẽ modum declarans cognoſcendi creaturas, ait quod cognoſcendo ſuam eſſentiam, in quantum eſt imitabilis, & participabilis à creaturis, dicitur ſic cognoſcere eas: ita habet 1.p.q.14.art.6. & ita etiam de eo ſentit Scot. in 1. diſp.35.

Quid Caetanus de D. Tho.

2 Vtrum autem ſit verè ſententia iſta D.Thomæ, negat Caetan. aſſerens D.Thomam non ita ſenſiſſe, ſed ſi relationes aliquas in Deo ponit circa cognoſcibilitatem creaturæ, eas non, inquit, voluiſſe D.Thomam apponere tanquam rationes cognoſcendi antecedenter, ſed benè illas à Deo cognoſci etiam, ex plenitudine, & infinitate ſuæ intellectionis.

Quid de Caetano er gª D.Tho.

3 Sed an Caetanus verum dicat in exponendo ſic ſuum Doctorem, facilè patere poteſt ex textu ipſius D. Thomæ; & quidem linquamus locum prædictum D. Tho. ille namq; locus videtur aliquanto obſcurè hoc indicare; non enim inde certè elicitur id, quòd ſibi imponitur: eſt autem textus alter eiuſdem Doctoris apertior, & clarior, in 1.p.q.15.art.2. ibi namq, apertè loquitur de reſpectibus, ſiuè relationib. mediantibus quib. cognoſcat creaturas, vt legẽti patet, & iſte locus citatur à Marginiſtis Scoti in loc. cit. & confirmatur ex ratione D. Tho. ait enim, nihil eſt ratio cognoſcendi plura, niſi quatenus aliquo modo appropriatur obiectis cognoſcibilib. at eſſẽtia eſt ratio cognoſcendi creaturas, ergo eatenus erit talis, quatenus aliquo modo appropriatur creaturis: ſed iſta appropriatio fit per relationes imitabilitatis, & participabilitatis, ergo relatio erit ratio, & medium cognoſcendi. Ratio facta conuincit, & negari non poteſt ita ſenſiſſe. Cæterũ apertè patet illud Caetani eſſe effugium; conſtat namq; apertè de mente D.Tho. & ſub hac ratione, ſeu intentione Scotus ipſum intellexit, & impugnauit: quapropter fallitur Caetanus, dum ait, opinionem impugnatam à Scoto, non eſſe D.Thomæ: ſic Caetanus habet tum q.14.art.6. tum q.15. art.2. Patet etiam ex verbis eiuſdem D.Tho. art.2. in fine corporis, ſic inquientis, *ſic igitur in quantum Deus cognoſcendo ſuam eſſentiam, vt ſic imitabilem à tali creatura, cognoſcit eam, vt propriam rationem, & ideã huius creaturæ.* Põdera ly *in quantum*, & ly *vt ſic*, & videbis, quòd indicat rationem formalem, & rationem cauſalem cognoſcendi, ſic etiam docent Logici, ergo negari id non poteſt ex mente Diui Thomæ.

4 Quia tamen non eſt exiſtimandum tantum Doctorem incidiſſe in hanc ſententiam; ideo tenenda eſt altera via ad ipſum ſaluandum, aliam tamen à via Caetani; ipſius enim interpre- *Aliter exponendus D. Thom.*

pre-

pretatio extorquet textum.ideo diceremus, quod reſpectus quos antecedenter poneret D. Tho. ad cognitionem creaturarum,non eſſent reſpectus formales,ſed fundamentales, itaut dum ait, quod eſſentia in quantum imitabilis,eſt ratio cognoſcendi, ly *imitabilis* ſumatur fundamẽtaliter, & ſic importabit ſolummodo reſpectum fundamẽtalem: hoc autem non derogat diuinę cognitioni: & ita currere poteſt hæc loquutio, quod ſub tali reſpectu fundamẽtali erit ratio cognoſcendi creaturas, & hoc modo poterit intelligi D.Thomas.

Alia de eodem expoſitio.

5 Adeſt etiam & modus alter pōderando ly *inquantum*,& ly *vt ſic*,itaut ſe teneant non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè;reduplicatiuè namq; ſenſum facerẽt, quod verè talis reſpectus formalis eſſet vera ratio, & medium cognoſcendi: quod non importat ſenſus ſpecificatiuus. his duobus modis optimè ſaluari poteſt D. Tho. & ſtante tali explicatione concordaret cum Scoto; argumenta namque Scoti, & aliorum militant in ſenſu reduplicatiuo, & contra reſpectum formalem, nō in ſenſu ſpecificatiuo, nec contra reſpectum fundamentalē. hæc de D.Th.

Negatiua ſententia probatur.

6 Quiſquis autem ſit Author illius opinionis,oſtenditur tamen illam non eſſe veram,& primo ſic. iſtæ relanes aut cognoſcuntur à Deo per ſeipſos, aut per diuinam eſſentiam: non primū, quia vileſceret eius intellectus ſumendo cognitionem à rebus creatis: tum etiam quia relationes tales iā non eſſent obiectum ſecundarium, ſed primarium,& motiuum diuini intellectus;igitur reſtat vt cognoſcantur per eſſentiam: tunc autem inſuper quæro, aut cognoſcuntur vnà cum ipſis relationib. aut per eſsentiam denudatam, & abſtractam à relationibus. ſi primū, ergo dabitur proceſſus infinitus:prob. quia illæ relationes non poterunt cognoſci ſine alijs relationib. & ita illæ aliæ nec itidem cognoſci poterunt per eſſentiam ſine illis relationibus, & ſic de cæteris in infinitum: dum namq; als; quod creaturæ nequeunt per eſsētiam cognoſci ſine iſtis reſpectibus, iam iſti reſpectus ſunt etiam reſpectus creati,quia ſunt creaturarū, igitur requirunt alios reſpectus, mediantibus quibus cognoſcantur: ergo reſtat, vt creaturas cognoſcat per eſſentiam vtpotè denudatam, & abſtractā à talibus relationibus;igitur hi reſpectus non ſunt aliquo modo neceſſarij ad cognoſcendum.

Relatio nō cognoſcitur,niſi cognito fundam.et termino.

7 Item nulla relatio cognoſcitur, niſi cognito prius fundamento, & termino: fundamentum talium relationū eſſet eſſentia, terminus eſſet creatura, ergo præcedit cognitio eſsētię ad cognitionem relationis.Totus diſcurſus de ſe patens eſt ex Logicis, etenim nō prius cognoſcitur paternitas, quā ſuppoſitum patris: ita nec prius filiatio, quàm filius, & Pater:conſimiliter de alijs correlatiuis: relationes iſtæ, tanquam rationes cognoſcendi creaturas, oporteret vt præcederent terminum,ac fundamentum, id autem nō eſt logicè dictum:igitur pęcedere debet abſolutum diuinæ eſſentiæ ad ipsū reſpectū terminabilem ad creaturas.

Ex abſurdis.

8 Igitur ſequeretur relationes iſtas non eſſe rationis, ſed omnino reales. implicat autem ab æterno tales eſſe ex parte creaturæ,& abſolutè ex parte Dei. prob. ſequ. quidquid in Deo præcedit diuinam intelligentiam eſt reale:relationes tales pręcederent cognitionem diuinam. Ratio hæc habet fundamentum, præcipuè in via Scoti, docentis creaturam non habere aliquod eſſe, niſi poſt Dei cognitionem. Et ex eadem doctrina ſequitur alia ratio, quoniam creaturæ ab æterno eſſent entia realia,quandoquidem per Scotum creaturæ incipiunt habere eſſe poſt Dei cognitionem, qua mediante ſuus intellectus dat primo illis eſſe cognitum:at relationes tales non haberent eſſe per intellectum, quia præcedēt intellectionem:ex hinc quoque alia ſequuntur abſurda, vt quod eſſent entia neceſſaria;independentia, à ſe, & ſimilia, quæ vrgent in ſententia ipſius Scoti.

9 His actis concluditur, vt eſſentia ſub ratione abſoluti, ſit ratio cognoſcendi: & vt ſic intellecta,non indiget reſpectibus iſtis ad cognoſcendum.

Ordo cognitionis.

10 Ordo autem talis cognitionis,is eſſe poteſt, vt in primo inſtanti cognoſcendi

gno-

gnoſcat Deus eſſentiam ſuam ſub ratione mere abſoluti. in ſecundo ſigno intelligat creaturam, v.g. lapidem: quo intellecto, inſurgat in ipſo lapide relatio, quatenus eſt cognitus, ad ipſum Deum cognoſcentem. in tertio ſigno poteſt Deus comparare intellectum ſuum, ſiuè ſuam intellectionem ad lapidem intellectum, & ex tali comparatione inſurgat in ipſo Deo relatio rationis ad lapidem terminantem cõparationem. & deniq; in quarto ſigno poſſit quaſi reflecti ſuper iſtam relationem comparationis, intelligendo eam, ſiuè intelligendo quodcunque aliud, quod interuenerit, & proceſſerit ex primaria creaturarum cognitione. ordo optimè explicat curſum diuinæ cognitionis: atq; oſtendit cognitionem primatenus haberi in eſſentia ſub ratione abſoluti, inde verò concipi relationes &c.

Sententia Salas impugnatur.

11 Sententiam recenſitam, & impugnatam Recentiores quidam non ſolùm defendunt, ſed valdè adaugent, itaut dicant relationes has, & eſſe rationem cognoſcendi, & addunt vltro, illas eſſe etiam reales: vt verò cautius loquantur, inquiunt eſſe raales traſcẽdentales, licet non prædicamentales. refertur Salas 1.2. tract.2.d.4. Verum rationes, quæ pugnant contra ſententiam præmiſſam, pugnant quoq; contra iſtam: & arguitur inſuper contra eam. Per reſpectus traſcendentales nõ poteſt perfectè cognoſci terminus cõtingens, habens eſſe in tempore ſecũdùm hic, & nunc, ergo non ſunt rationes cognoſcendi. prob. anteced. reſpectus traſcendentalis abſtrahit ab hic, & nunc, vt conſtat, ergo non erit ratio cognoſcendi ſecundùm hic, & nunc. Item reſpectus traſcendentalis eſt immutabilis in ipſa creatura, immo idem cum creatura ipſa: at verò creatura mutari ſolet de ſtatu in ſtatum, eſt nãq; varietati, & vanitati ſubiecta, igitur nõ poterit eſſe ratio cognoſcendi. Deniq; creatura eſt ens contingens, at reſpectus traſcendentalis eſt quid neceſſario, & ſemper adhærens creaturæ, non enim ita adhæret ei, vt varietur, ſicut aliunde operationes variantur ipſius creaturæ. Adde, quod hoc eſt ponere reſpectus reales in creaturis ab æterno; eſſet namq; eas facere æternales: & incideret in opinionem Henrici, & dicentium creaturas habuiſſe ab ęterno eſſe eſſentiæ reale: ergo eſt relinquenda, prout tum rationi contradicit, tùm etiam communi aſſertioni Theologorum.

Sententia propria.

12 Non autem omnino negamus relationes iſtas, ſed primo negamus eas eſſe reales: ſecundo negamus præcedere diuinam intellectionem: ac tertio negamus eſſe rationem, & mediũ cognoſcendi: inde quarto adiungimus ipſas debere etiam admitti, ſed non ſub ratione, & medio cognoſcendi: ſed quia conſequuntur ad cognitionem ipſam Dei, ſiue ad Deum cognoſcentem, & ad creaturam intellectam, tanquam relationes conſequentes ſua extrema: & vt ſic, cognoſcuntur à Deo, ordine mox recenſito.

An ſit ratio cognoſcẽdi idea?

13 Obſtaueris contra, & primo, ideæ ſunt formæ neceſſariæ in Dei intellectu ad cognoſcendas creaturas; ſed tales formæ ſunt reſpectiuę, ergo &c. Reſpond. negando pro nunc antęcedens; quandoquidem rediret in idem, non enim idea eſt ratio formalis cognoſcẽdi, ſed ſolum eſt ratio obiectiualis, vt ſuo loco; ratio, quia idea eſt creatura in eſſe cognito: dictum eſt autem relationes creatas non eſſe rationem in Deo cognoſcendi, quomodo igitur poterit eſſe cognoſcendi ratio ipſa idea, dum non eſt aliud, quã creatura cognita. forma itaq; neceſſaria, ſiue neceſſaria ratio eſt ipſa eſſentia.

Obſtatur ex Auic.

14 Arguitur, Auicen. 8. met. c.7. concedit in Deo relationes vt intelligentis ad ipſas creaturas intellectas, ergo ſunt admittendæ hæ relationes. Reſpond. quod etiam nos admittimus eas, vt iam diximus, ſed non ſunt admittendæ iuxta mentem ſententiæ impugnatæ. & ita ſentit Auic. quòd ſi aliter ſenſerit, non ſumus cum eo.

15 Inſuper obſtatur, eſſentia eſt ratio indeterminata ad repræſentandum diuino intellectui potius hanc creaturam, quàm aliam, ergo oportet, vt per aliquod determinetur; id verò erit propria ſimilitudo, & propria relatio, & reſpectus vniuſcuiuſque rei. probatur hoc, quia ratio cognoſcendi

Indeterminatum duplex, actiuè, et paſſiuè

aliquid debet eſſe propria ipſius rei cognoſcibilis. Reſp. id eſſe verum de indeterminato, & illimitato paſſiuè, ſiuè de indeterminato ad contradictoria, vt materia prima, indeterminata de ſe ad formam, & ad priuationem: quæ materia neceſſe habet principio extrinſeco determinante: ſiuè dum eſt indeterminata ad hanc potius, quàm ad aliam formam, exigit principium determinans. id vero, quod eſt actiuè indeterminatum ad plura, habet in ſe principium ſufficiens, quo determinetur à ſui natura ad quodlibet illorum, quantum eſt de ſe; ſi namque cætera concurrentia adſunt, ipſum vtique determinatur ad hoc, vel illud producendum, & talis determinatio eſt ab vtroque, tùm à principio intrinſeco, tùm etiam ab extra, à præparante effectum: vt Sol eſt de ſe determinatus ad hominem producendum, & leonem, quæ quidem determinatio licet exigat pręparationem materiæ per alias cauſas externas, nihilominus habet etiam Sol in ſeipſo principium determinatiuum ſui ad producendum hominem, & leonē: & ita ſtat, quod ſit ſimul indeterminatus, & determinatus; primū quidem, non indeterminatione contradictoria, vt materia, ſed indeterminatus ad plura poſitiuè: & erit ſimul determinatus, cùm in ſe habeat principium verè productiuū iſtorum. Abſtrahēdo ab imperfectionibus, eſſentia Dei eſt illimitata ad repræſentanda plura, & cum tali illimitatione habet quoq; quod ex ſeipſa demonſtrat determinatè vnumquodque ipſorum, ita perfectè ſicut ſi eſſet limitata, & determinata ad oſtendendum ſolummodo vnum.

Ratio intelligendi eſt ſimilitudo rei intellectę, vel formalis, vel fundamentalis.

15 Contra arguitur, Ratio intelligendi eſt ſimilitudo rei intelligibilis; ſimilitudo iſta non eſt eſſentia, ſed erit ratio, ſiue relatio imitabilitatis. Reſp. ſufficere vt ratio intelligendi ſit ſimilitudo vel formalis, vel fundamentalis. in caſu noſtro ratio intelligendi erit ſimilitudo fundamentalis, & abſoluta, quæ eſt diuina eſſentia, non autem ſimilitudo formalis, quæ eſt reſpectus.

Imago eſt ratio cognoſcēdi: qualis.

16 Dices, imago propter reſpectum ipſius imaginis ad imagatum eſt ratio cognoſcendi prototypum, ſicut imago Cæſaris eſt ratio, & mediū cognoſcendi Cæſarem. Reſp. eſt falſum aſſumptum, non enim formalis reſpectus imaginis eſt ratio à priori, licet ſit à poſteriori, cognoſcendi imagatū, ſed à priori ratio erit fundamentum ipſius ſimilitudinis, ſiue imaginis: id autem eſt vnitas abſoluta, in qua fundatur ratio ſimilitudinis; etenim quia conueniunt vel in qualitatibus, vel in quantitate, hinc fit vt relatio imaginis ducat in cognitionem prototypi: id autem ſecundario fit à relatione, & primario ab abſolutis fundamentis, & terminis ipſius relationis.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Dei ſcientia diuidi poſſit in intuitiuam, & abſtractiuam.

1 Ex communi, & vſitata diuiſione ſciētiæ Dei, qua diuidi ſolet in notitiā ſimplicis intelligentię, & viſionis, quæri poteſt, vtrum eidem diuiſioni adaptari poſſit diuiſo altera, qua ſcientia in ſe diuiditur communiter in abſtractiuam, & intuitiuam, itaut altera earum vocetur abſtractiua, & altera intuitiua, vt verè dicatur Deus pollere nedū ſciētia intuitiua, ſed etiam abſtractiua, verèq; dicatur, ſicut & nos, aliquid

quid

quid cognoſcere abſtractiuè.

Sententia Molin. Suar. dari in Deo ſcientiam abſtractiuam, & eſſe notitiã ſimplicis intelligentiæ.

2 Eſt opinio dandam eſſe in Deo ſciẽtiam abſtractiuam, & eam eſſe notitiam ſimplicis intelligentiæ. Probari autem poteſt primo, ex deſcriptione ſcientiæ abſtractiuæ; ea namq; terminatur ad obiectum abſens, & quod nõ eſt: vel ſi eſt, ſaltem præſens nõ eſt ipſi potentiæ: per notitiam verò ſimplicis intelligentiæ intelligit Deus præterita, & futura, quæ non ſunt, ergo ea erit abſtractiua. ſecundo, in hoc abſtractiua diſtinguitur ab intuitiua, quia intuitiua eſt obiecti præſentis, vt præſẽs eſt; ergo ex oppoſito ſcientia terminata ad obiectum ſiue abſens, ſiue nõ exiſtens, erit abſtractina: notitia verò ſimplicis intelligentiæ terminatur ad ea, quæ non ſunt, ſicut ſcientia viſionis terminatur ad ea, quæ ſunt, ergo dabitur abſtractina. tertiò, notitia ſimplicis intelligẽtiæ terminatur ad res poſſibiles: poſſibilitas autem rei abſtrahit ab actuali exiſtentia, ergo abſtrahit etiam ab intuitiua viſione rei. vltimo vrgeri poteſt, ſcientia intuitiua eſt ſcientia completa, & perfecta, qua mediante attingitur obiectum ſecundùm rationes, & conditiones indiuiduãtes, ſecundùm hic, & nunc, iuxta omnem differentiam loci, temporis, & huiuſmodi: ſub his namque differentijs cognoſcitur res perfectiſſimè, & intuitiuè; igitur quæ notitia non erit talis, abſtrahens ab hic, & nunc, erit omnino abſtractiua, abſtrahẽs ab omni differentia indiuiduali, & conſequenter erit diminuta cognitio, & imperfecta: at primum tribuitur ſcientiæ viſionis: ſecundum tribuitur ſimplici intelligẽtiæ, ergo prima erit intuitiua, & ſecũda abſtractiua. ita ſentiunt Molin. 1. p. q. 14. art. 9. Suar. de Trin. l. 3. c. 4.

Nullã eſſe in Deo notitiam abſtractiuã: Scotus etc.

3 Oppoſita ſententia eſt Scoti in varijs locis infra citandis: Durandi q. 3. Prol. ac Mayron. ibid. q. 17. & 18. & Scotiſtarum communis, negantium in Deo rationem aliquam abſtractiuæ ſcientiæ: vnde concludunt omnẽ Dei ſcientiam eſſe intuitiuam. hæc etiam ſententia ſemper mihi magis placuit, quia magis amplificat certitudinem ſcientiæ Dei, vt patebit.

Prob.

4 Fundamenta autẽ hæc eſſe poſſunt: Primò, notitia abſtractiua eſt notitia imperfecta: at omnis Dei cognitio eſt perfectiſſima, ergo. Aſſumptum prob. notitia abſtractiua abſtrahit à totali, & perfecta rei cognitione, quia per eam non intelligitur exiſtentia rei, actualitas eius, conditiones indiuiduales ſecundùm hic, & nunc, & ſimilia: at dicere Deum quidquam intelligere diminutè, & imperfectè, derogat plenitudini ſuæ ſcientiæ infinitæ. Secundo, homini ſiuè creaturæ competit ſic diminutè, & imperfectè cognoſcere; ex hoc antem ſequitur Dei notitiam eſſe ad inſtar notitiæ creaturæ, & modum cognoſcendi Dei eſſe ſimilem modo coguoſcendi creaturarum: quæ namque differentia admitteretur inter modum cognoſcendi Dei, & Hominis, ſi tum Homo, tũ Deus cognoſceret ſic imperfectè, & diminutè: eſt autem imperfectio in homine cognoſcere abſtractinè, ergo erit etiã Deus imperfectus, ſic cognoſcendo abſtractiuè.

Abſtractiua abſtrahit ab hic, & nũc: eſt imperfecta

5 Item negari non poteſt intuitiuam notitiam eſſe perfectiorem abſtractiua: at qua ratione poterimus Dei ſcientiæ tribuere exceſſum hunc, & defectum, vt notitia ipſius vna, ſit perfectior notitia altera eiuſdem Dei. Inſuper notitia intuitiua addit ſupra abſtractiuam, gradum maioris certitudinis, maioriſq; euidentiæ, & claritatis de cognito obiecto: nefas eſt autẽ dicere Deum modo minus certo, modo magis certo rem aliquam cognoſcere: modo clarè, & modo obſcurè: hæc verò ſequuntur tenẽdo ſcientiam abſtractiuã in Deo. prob. quia ratione ſcientiç intuitiuæ cognoſceret certo, ratione abſtractiuæ minus clarè, rè, immo obſcurè, & ineuidenter; ex his igitur concluditur denegandã eſſe in Deo ſcientiam abſtractiuam. Confirmatur, cognoſcendo intuitiuè, cognoſcitur res per ſeipſam; cognoſcendo abſtractiuè, cognoſcitur res per ſpeciem: at perfectior, & euidentior eſt cognitio habita per ſeipſam, cognitione habita per ſpeciem: abſtractina fit per ſpeciem, & ob id eſt imperfectior, Dei autem notitia, licet nõ fiat per talem ſpeciem, quia non mouetur à rebus diuinus Intellectus; nihilominus dum abſtractiuè cognoſceret,

Ergo in Deo notitia vna perfectior altera.

Vna certior altera.

Vna habetur per ſeipſam, altera per ſpeciem.

ret, neceſſe eſſet cognoſcere ita diminutè, obſcurè, & imperfectè, ſicut conuenit cognitioni abſtractiuæ, quæ de ſe talis eſt, obſcura, ineuidens, & imperfecta. hæc omnia ſequuntur ex cognitione abſtractiua.

Obſtatur.

6 Sed quæres, ſi obiectum nō eſt; ſi præſens non eſt, ſi non habet eſſe, ſed ſolūmodo gaudet ſua poſſibilitate ad eſſendum, abſtrahens ab actuali exiſtentia, quomodo fieri poteſt, vt ab æterno nouerit intuitiuè Deus ea, quę ab æterno non erant: & quomodo ſic in tempore intuitiuè nouerit ea, quæ pro tempore non fuerunt, immo ea, quæ nuſquam erunt. videtur namq; id repugnare naturæ ſcientiæ intuitiuæ, quæ talis eſt, vt neceſſario requirat rei exiſtentiam actualem, pro tempore ſaltem, pro quo cognoſcitur, aliàs merebitur nomen ſcientiæ abſtractiuæ, dum abſtrahit ab actuali rei exiſtentia.

Reſpond.

Quid cognitio intuitiua.

7 Verum ad hoc occurritur dicēdo eam eſſe in rigore ſcientiam intuitiuam, *quia illa eſt cognitio intuitiua, quæ eſt de obiecto præſenti, vel in ſe, vel in aliquo eminentiori, & perfectiori modo continente tale obiectum*. ex hac deſcriptione, immo definitione, tria eliciuntur neceſſaria ad hanc cognitionem: Primum eſt præſentialitas obiecti cognoſcibilis: ſecūdum eſt præſentialitas eiuſdem obiecti in ſeipſo: & tertium eſt eiuſdem præſentialitas cōtenta in alio, quod ſit eminentius, & perfectius tali cognoſcibili obiecto.

Cōditiones cognitionis intuitiuæ.

De primo iam patet, & in eo diſtinguitur intuitiua cognitio ab abſtractiua, ratione, vel abſentiæ, vel præſentialitatis, reddendo ſingula ſingulis. de ſecundo, conſimili etiam modo patet, quoniam obiectum abſtractiuè cognitum, licet ſit potentiæ præſens, nihilominus non eſt in ſe præſens, ſed in ſpecie repræſentante: nō eſt præſens pręſentialitate reali, ſed intentionali per ſpeciem: cognitum vero intuitiuè eſt præſens præſentialitate reali, & in ſe ipſo. hæc plana ſunt omnibus.

Creaturarū continētia, earūq; perfectius eſſe in Deo quā in ſeipſis.

8 De tertio autem, aduertimus, eſſentiam diuinam continere, vt conſtat, creaturas omnes: immo perfectiori modo continere eas, quam creaturę ipſæ contineantur in ſeipſis: indeq; ex tali perfectiori continentia, habere creaturas perfectius, & melius eſſe in Dei eſſentia, contentiuè, quam contētiuè in ſe ipſis, præcipuè propter authoritatem Auguſt. l. 9. de Trin. c. 10. dicentis, *inferiora nobilius eſſe habent in intellectu*, nempè Dei, *quam in ſeipſis*: & præcipuè, quoniam etiam ea, quę non ſunt, dicuntur viuere in Deo ex Io. 1. *quod factum eſt, in ipſo vita erat*: prout ex profeſſo oſtendimus ſup. agēdo de vita Dei, art. 3. quod ſi nobilius eſſe habent in Deo, quam in ſeipſis, ſequitur vt diuina eſſentia æquè perfectè repræſentet illas diuino intellectui, ac ſi repræſentarentur ex ſeipſis: ſed quatenus ex ſeipſis oſtenduntur, natæ ſunt parere cognitionem intuitiuam; ergo dum per eſſentiā Dei oſtenduntur Dei intellectui, natæ ſunt cognoſci intuitiuè à diuino intellectu: Immo adde, quod cognitio talis per eſſentiam diuinam repræſentantem habita, eſt eminentior cognitione immediatè habita ab eſſentia, & præſentia ipſius creaturę; prob. *ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci*: ſed eſſe creaturæ continetur modo perfectiori in eſſentia Dei, quam in ſeipſa, ergo per eſſentiam Dei cognoſcitur eminētiori modo quam per ſeipſam.

Præſentialitas in æquiualenti non ſufficit ad intuitiuam, ſed in perfectiori et eminentiori.

9 Hoc ſtante, nihil obſtat, vt verè dicatur intuitiuè rem cognoſcere; licet namq; res non ſit in ſe ipſa, nihilominus quia habet eſſe in aliquo ſuperiori continente, quod perfectius, & eminentius continet rem ipſam, & ita perfectè, ac ſi ipſa res eſſet propria præſentialitate præſens; ideo verè dicitur Deus eam cognoſcere intuitiuè: nihil namq; deficit ad cognitionem intuitiuam, ſic loquendo, ergo eſt verè intuitiua: prob. ſi quid deficeret, id eſſet præſentialitas: ſed iam cōſtat, quod ſi non eſt præſens in ſeipſa, eſt tamen præſens æquiualenter in alio: & nedū æquiualenter, ſed perfectiori modo, ergo ei nil deeſt: Non quidem ad intuitiuam notitiam ſufficit præſentialitas æquiualentiæ, nam ſequeretur cognitionem abſtractiuam eſſe intuitiuā. prob. quia obiectum abſtractiuæ non eſt præſens in ſe, ſed eſt præſens in ſpecie intelligibili æquiualenter, & nihilominus ex tali æquiualenti præſen-

tia-

tialitate non ſequitur cognitio intuitiua; igitur requiritur aliquid vltra, ſcilicet, vt ſit præſens in aliquo nobilius, & eminentius repręſentante,& huiuſmodi eſt diuina eſſentia, quæ eminentius,& nobilius continet, & repræſētat, quàm res ipſa contineatur, & repræſentetur in ſeipſa.

Reſpondetur ad arg. principalia. 10 Ex dictis ruunt omnia argumenta in oppoſitum: nihil enim probant,niſi quod ad notitiam intuitiuam debet requiri præſentialitas obiecti: ſed non omnia habent propriam præſentialitatem, & actualem exiſtētiam, ergo. Reſpondetur ad omnia, concedendo ad intuitiuam poſtulari pręſentialitatem obiecti, & actualis exiſtentiæ: verum præſentialitas iſta, & iſta actualitas non ſemper debet eſſe in ſeipſa, ſed ſufficit,vt relucēat in aliquo ſuperiori obiecto eminentius continente,& perfectius repræſentāte eam: eiuſmodi eſt dei eſſentia: Deus namque *vocat ea,qua non ſunt,tanquam ea, quæ ſunt.* Reſpondetur inſuper propriam actualitatem, & præſentialitatē exquiri ſolummodo penes intellectū creatum, quia creatus intellectus eſt ille, qui mouetur ab actualitate obiecti, vt noſcat eam: Dei autem intellectus non mouetur ab ea, ſed ſua diuina eſſentia eſt ipſi obiectum, oſtenſiuum,& motiuum ad ſuam, & aliorum cognitionem. Reſpondetur tertio id verum de intellectu creato Viatoris; nam Beatus,& Compræhenſor,poteſt æquè perfectè cognoſcere abſentes creaturas in eſſentia diuina, reuelante,& demonſtrante,tanquam in ſpeculo libero,& voluntario,vt placet: Viator autem neceſſe eſt, vt recurrat ad ipſamet obiecta vel in ſeipſis, vel in ſuis ſpeciebus relucētia, ad hoc vt cognoſcat. Concluditur igitur ſic omnia cognoſcere. *Intellectui Viatoris, non autem Dei, vel Cōpræhenſoris viden tis in diuina eſſentia, eſt neceſſaria pręſentia creaturæ.*

Notitia ſimplicis intelligentia an abſtractiua, an intuitiua. 11 Hoc, quod diximus, intelligi debet de vniuerſa Dei ſcientia, tum ſimplicis intelligentiæ, tum viſionis, itaut vtraque ſit intuitiua. At dixeris, quomodo ſcientia ſimplicis intelligētiæ poterit eſſe intuitiua,dum ipſa fertur ſolūmodo ad terminos ſimplices, & incomplexos; non enim fertur ad complexionem rei cognoſcibilis. Reſpond. quod licet feratur ad terminos ſimplices, & incōiunctos. nihilominus fertur etiam ad poſſibilitatem ipſius rei; quia per eam noſcitur propoſitio quatenus eſt poſſibilis, vel impoſſibilis: & talis rei poſſibilitas cognoſcitur per notitiam ſimplicis intelligentiæ; verum quia hæc eadem poſſibilitas cognoſcitur perfectiſſimè à Deo in diuina eſſentia,ideo erit etiam ipſa vocanda notitia intuitiua. Item per talem notitiam cognoſcitur propoſitio vt neutra, & vt indifferens ad vtramque partem perfectiſſimè, ergo hinc etiam ſuo modo erit intuitiua.

12 Sed obiter quæri poteſt, vtrū Deus vt hic, ſub ratione abſoluti, antequam intelligatur in diuinis eſſe Pater,Filius,& Spiritus ſanctus,cognoſcere cenſeatur ipſum Patrem, Verbum, & Spiritum ſanctum intuitiuè, an abſtractiuè, idem quæſitum fieri poteſt de Patre, & Filio antequam intelligantur per noſtrum modum concipiendi, ſpiraſſe Spiritum S. vtrum cognouerint eundem Spiritum ſanctum intuitiuè,an abſtractiuè. Videtur quod nouerint abſtractiuè, quia pro illo tunc non intelligitur Trinitas cōſtituta; prius namq; per modum concipiendi intelligimus Deum ſub ratione abſoluti, & poſtea ſub ratione reſpectiui,quatenus communicabilem etiam diuinis perſonis, & poſt productionem Verbi non intelligitur adhuc conſtitutus in eſſe ſuo Spiritus S. niſi poſt Patris,& Filij ſpirationem; igitur In illo anteriori, dum non concipiuntur habere eſſe, non poterunt cognoſci niſi abſtractiuè. Dices cognoſci intuitiuè,quia eminenter continentur per perſonæ in diuina Eſſentia, antequam accipiant eſſe. At hoc videtur abſurdum dicere; ratio, quia continentia eminentialis eſt continentia perfectionalis; & id quod aliud ſic continet, dicitur eſſe perfectius ipſo contento; ideo namque vocatur eminentialis, quia eminet, ſiue ſupereminet in perfectione, & virtute ſupra rē contentam: ideoque Deus eminenter continet creaturas,quia eſt perfectior creaturis: at diuina eſſentia non eſt perfectior diuinis perſonis, vt patet, ergo ceſſat talis continentia: quod ſi ea ibi ceſſat,nec poterunt tunc perſonæ *Verū Perſonę diuinę ante earū productionem cognoſcantur à Deo abſtractiuè,an intuitiuè.*

næ cognoſci intuitiuè: quoniam non in ſeipſis, cùm pro tunc non intelligãtur habere eſſe: nec in eſſentia, cum non contineantur eminenter in ea; ergo cognitio erit abſtractiua.

Cognoſcuntur intuitiuè. 13 Dicendum nihilominus etiam in iſto caſu cognoſcere Deum intuitiuè Trinitatem: & Patrem, atq, Filium cognoſcere intuitiuè Spiritum ſanctũ. Ratio, quia eſſentia eſt ratio cognoſcendi perſonas ipſas, antequam concipiantur habere eſſe: item eſt ratio perfectiſſimo modo repræſentandi eas diuino intellectui: & hinc fit, vt cognoſcat intuitiuè: ita quoq; docet Scot. in 1. d. 10. q. vn. in fin. de quo etiam infra de Trin. quæſt. an Verbum producatur ex cognitione perſonarum.

14 Verum difficultatem prætactã non mouet Scotus de cõtinentia eminentiali: quomodo namque Deus ſic cognoſcet in eſſentia, dum ex eodem Scot. ibid. neq; modo dicto contineat eſſentia perſonas. benè quidem difficultatem nouit, & mouit lychetus ibidem, ſed non ſoluit: ait namq; ideo cognoſcere intuiuè, quia eſſentia eſt ratio cognoſcendi omnia intrinſeca ad intra. hoc autem parum eſt, & non ſufficit ad ſoluendam difficultatem, quia non ſoluit dubietatem de continentia eminentiali.

Quænam ſit ratio talis intuitiuæ cognitionis. 15 Ideo dicendum, quod ideo per eſſentiam nouerit intuitiuè, quia eſsẽtia pro ſemper, & ſemper, continuit, & continet perſonas identicè, & vnitiuè: cùm namq; perſonę ſint vnum, idemq; cum eſſentia, cognita eſſentia cognoſcuntur perſonæ: & hoc maiorem claritatem habet in via Thomiſtarum negantium ab eſſentia, & perſonis diſtinctionem formalem à parte rei, admiſſa ſola diſtinctione rationis. & multo magis id pateſceret in ſententia ſuſtinentium perſonas eſſe de intrinſeca ratione eſſentiæ: itaq; vnuſquiſq; loqueretur addendo gradum maioris claritatis, & certitudinis iuxta propriã cuiuſque ſententiam, reddendo ſingula ſingulis. Quidquid tamen ſit de his, id tãquam verum admittimus cognoſcere intuitiuè, & rationem cognoſcẽdi eſſe cõtinentiam identicam, & vnitiuam. & hinc fit, vt ad hæc cognoſcẽdum intuitiuè ad intra, non oporteat recurrere ad continentiam eminentialem; hæc namq; non eſt in Deo ad intra penes ſeipſum, neq; penes attributa, ſeu modos intrinſecos, nec penes diuinas perſonas, ſed conceditur ſolummodo in Deo penes creaturas, quoniam eſt perfectior ipſis, & dependent ab illo, ac diſtinguuntur eſſentialiter ab eo, & huiuſmodi: de ratione autem continentiæ eminentialis eſt vt continens ſit perfectius contento, in Deo autem omnia ſunt æqualia: niſi dicas contineri eminenter large ſumpta continentia eminentiali: vt ſic autem concedi poteſt, demptis tamen imperfectionibus.

16 Dices, in eo tunc, antequam intelligatur ſpiritus Spiritus S. iam eſſentia non continebat identicè, & vnitiuè Spiritum ſanctum, ergo in illo tunc non poterat intuitiuè cognoſci. *Obſtatur.* Reſpond. committi fallaciam arguendo ab abſtractione præciſiua, ad abſtractionem diuiſiuam: prima fit ſolũmodo per intellectum: ſecunda eſt à parte rei. per primam poſſum concipere hominem ſine rationalitate, diſcurrente ſic, vel ſic intellectu, abſtrahendo intellectualiter ab homine intellectualitatem: at non per hoc, quod ſic abſtraho, euenit vt à parte rei homo remaneat ſine rationalitate; ſemper namque fuit, & erit rationalis. ſic, ſemper fuit Trinitas, ſemperq; fuit Spiritus ſanctus vna cum Deo, & diuina eſſentia: intellectus autem noſter eſt ille, qui abſtrahendo concipit, abſque tamen præiudicio Trinitatis, eſſentiam abſque perſonis, & Patrem, ac Filium abſq, Spiritu ſancto: nihilominus cum tali abſtractione per intellectum, nuſquam fuit à parte rei eſſentia ſine Trinitate, & nuſquam Pater, & Filius ſine Spiritu ſancto, ſed ſemper fuere ſimul, immo ſemper vnum, & idem in Deitate, ſemperq; per identitatem continuit ab æterno eſſentia diuinas perſonas: hoc ſtante ſequitur, vt etiam ſtãte tali per intellectum abſtractione, nouerit nihilominus intuitiuè Deus; & Pater, ac Filius Spiritum ſanctum. *Occurritur*

17 Sed quid dicerent Scotiſtæ, qui diſtinctionem aliquam maiorem, quã rationis admittunt inter eſſentiam, & *Obſtatur.*

per-

perſonas, quomodo cognoſcendo eſſentiam intuitiuè nouerit tunc perſonas. Facilis eſt pro ipſis reſponſio, quia talis diſtinctio non obſtat tali cognitioni: ſtante namq; Scotiſtarum diſtinctione, poterit etiam benè ſaluari quod nouerit intuitiuè propter rationem prædictam, quatenus continet identicè, & vnitiuè perſonas: & identitas eſſentialis, ac realis ſufficit ad hoc, non obſtante diſtinctione formali, ſeu ex natura rei. patet ex mutua prædicatione, vera eſt namque iſta propoſitio, Spiritus ſanctus eſt Deus; & vera eſt ſua conuerſa, Deus eſt Spiritus S. propter mutuam realem, & eſſentialē identitatem: igitur cognoſcendo vnū, cognoſcitur alterum æquè perfectè, ergo cognoſcendo Deum, ſiue eſſentiam, cognoſcit etiam intuitiuè Spiritum ſanctum.

Reſpondetur.

18 Sed redeundo ad principale intentum, ex data doctrina de intuitiua cognitione, quod poſſit eſſe, etiam de obiecto non exiſtente, repræſentato tamen in aliquo ſummè eminentiori, argui poteſt.

19 Primo, obiectum circa cognitionem intuitiuam non ſolum habet rationem cauſæ efficientis, & mouentis, ſed etiam terminantis: at obiectum non præſens, non poteſt terminare, ſicut nec cauſare; prob. non poſſe terminare; quia in ſe non eſt, ergo nō poteſt de ſe terminare: nec Deus poteſt ſupplere vicem talis terminationis, prob. quia terminatio ſpectat ad genus cauſalitatis formalis, quam cauſalitatem non poteſt ſupplere Deus.

Obſtatur primo.

20 Secundo ſi poſſet Deus talem cognitionē cauſare in intellectu creato, ſequeretur mentiri poſſe Deum, prob. etenim cauſaret viſionem eius, quod non eſt: quod autem non eſt, non poteſt videri, igitur per notitiam intuitiuam faciendo videre id, quod non eſt, idem eſſet, ac facere videre falſum.

Secundo.

21 Sed primum non obſtat: & reſpondetur, quod obiectum eſt id, quod terminat, Deus autē ſolùmodo cauſat, & ſupplet vim cauſæ efficientis, producendo intellectionem: cæterum obiectum eſt illud, quod terminat: nec obſtat, quod non ſit, etenim etiam quæ non ſunt, poſſunt cognitionem terminare: dum namq; cognoſcimus abſentia, ipſamet abſentia obiecta termināt. Cùm autem ais, hanc debere fieri ab obiecto præſente, dum cognitio eſt intuitiua, id non eſt neceſſe quando cognitio aliunde cauſatur, quam ab obiecto, vt pote quando cauſatur à Deo ſupplente abſentiam obiecti: benè tamen verum eſt, debere obiectum eſſe præſens tum in cauſando, tum in terminando, quando cognitio cauſatur ab obiecto.

Reſp.

Ad cognitionem intuitiuam vtrum neceſſaria præſentia obiecti.

22 Ad ſecundum dicendum eſt, Deum eo caſu non mentiri, ratio quia oſtendit obiectum ſicuti eſt: mentitur autem qui rem aliter repræſentat, quā ſit. Cum inquis, notitia intuitiua eſt viſio, at viſio eſt de obiecto præſenti, reſpōdetur id verum eſſe de viſione ſenſuali, non intellectuali: illa quidem non poteſt eſſe obiecti abſentis, non enim ſenſus viſus, ſicut nec alij, ſunt abſtractiui, ſicut abſtrahit intellectus; potentia namq; ſenſitiua non eſt potentia abſtractiua, ideoq; poſtulat neceſſario præſentiam obiecti: at loquendo de viſione intellectiua, hæc poteſt à præſentia abſtrahere, ideoq; optimè in abſentia videre: & licet viſio de ſe requirat præſentiam obiecti viſi, nihilominus ſemper in viſione intellectuali intuitiua habebitur præſentia obiecti, hæc autem præſentia vel erit formaliter, vel æquiualenter: formaliter quidē habendo obiectum præſens in ſeipſo; æquiualenter autem habendo præſentiam obiecti repræſentatam in eſſentia Dei ita perfectè, ſicut repræſentatur in propria exiſtentia immo perfectiori, & eminentiori modo, vt eſt dictum.

Viſio an ſit neceſſario de obiecto præſenti.

Potētia ſenſitiua non eſt abſtractiua, ſed intellectiua.

23 Remanerent aliqua diſputanda da cognitione intuitiua in genere, an ad eam poſſit concurrere ſpecies: an requiratur neceſſario, vel in ratione cauſæ, vel in ratione effectus præuij ad effectum poſteriorem, & ſubſequentē, prout ſe habet ſpecies ſenſibilis recepta in oculo, poſt cuius receptionē cauſatur inde intellectio: hæc autem, & ſimilia commodius habebuntur in materia de viſione beatifica, quærendo vtrum beati videant eſſentiam diuinam mediante ſpecie, vel immediatè per ſeipſam. vbi conſtabit Scotum docere, quod non implicat talem viſio-

Ad cognitionem intuitiuam, vtrum poſſit concurrere ſpecies.

ſionem beatorum fieri media ſpecie, vt in 4.d.49.q.11.§.Reſpondeo: ſicut etiam loquendo de Angelo ait, nõ implicare ſeipſum cognoſcere intuitiuè mediante ſui ſpecie, in 2.d.3.q.8.§.Ad quæſtionem: licet ſubiungat non eſſe admittendam propter ſuperfluitatem; ſuperflua namq; eſſet ſpecies, dum haberetur præſentia obiecti; ideo namq; admittitur ſpecies, vt ſuppleat abſentiam obiecti: at obiectum eſt præſens.

Et ita in vniuerſum dicendum eſt de ipſa intellectuali intuitiua notitia: vt quidem non implicet ſpeciem dari ad eam: attamen ſuperflua eſſet, ideoq; relinquenda. hoc vero diſcutiendum relinquitur ad locum citatum.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum, & quomodo Deus cognoſcat non entia, priuationes, ac negationes, verum, & falſum.

Quæſtionis ſtatus.

1 DEum pollere infinita ſcientia, ita certum eſt, vt & de fide ſit: & certiſſimũ etiam nihil ipſum latere: nedũ de ijs, quæ entia ſunt poſitiua; verum & quæ appellantur negatiua, vt ſunt priuationes, negationes, carentia, nõ entia, & huius generis: ait namque Apoſt. Rom.4. *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* At licet hoc veriſſimum ſit, nihilominus modus inquiritur, quo ea cognoſcat: difficile namq; videtur eſſe, vt ea, quæ non ſunt, noſcat: immo vt cognoſcat etiam ea, quæ nuſquam erunt: & inſuper noſcat optimè falſitatem propoſitionum, Chimeram, entia fictitia, habentia eſſe ſolummodo per intellectum: nõ enim Deus fingit, nec chimerizat, vt faciunt homines: ſicut nec mentitur: immo falſitas ipſa nihil eſt, quod autem eſt nihil, non poteſt eſſe terminus operationis realis; diuina autem intellectio eſt operatio ipſius intellectus. hæc, & ſimilia exquirunt declarationem modi, quo Deus iſta cognoſcit.

Quæ non ſunt, sũt in duplici genere.

2 Vt verò ordinatè procedamus diſtinguendum eſt de ijs, quæ nõ ſunt, inde namq; aperta erit via ea cognoſcendi. Ea igitur, quæ non ſunt; aut ideo non ſunt, quia omnino implicat ea eſſe aliquando: aut ideo non ſunt, non quia implicet eſſe, ſed quoniam non dum aduenit tempus ea eſſendi: loquimur namq; de contingentib. quę ponuntur in eſſe, iuxta exigentiam, & aduenientiam temporis ſtatuti à diuina lege. Primi generis non entia, vocantur impoſſibilia: vt hominem eſſe brutum: ſecundi generis non entia, appellantur non entia in actu, ſed poſſibilia, & in potentia. & quatenus actu non ſunt, dicuntur non entia; quatenus vero poſſibilia ſunt, appellantur entia, nempè poſſibilia. quatenus non ſunt actu, vocantur abſolutè non entia, ſeu entia negatiua, quatenus poſſibilia ſunt, dici poſſunt entia, & entia affirmatiua, affirmatiua, inquam, in potentia.

Impoſſibilia cognoſcit Deus notitia ſimplicis intelligentiæ.

3 Loquendo quidem de ijs, quæ non ſunt, primi generis, quatenus nec ſunt, nec eſſe poterunt, ſe tenente implicantia à parte rei, facilis eſt, & expedita huius reſolutio; ea namq; cognoſcit Deus notitia ſimplicis intelligentiæ; ratio, quia de ijs non poteſt cognoſci complexio, cùm implicet fieri

fieri complexionem terminorum incompoſſibilium; ergo cognoſci poterunt termini ſimplices, vt homo, & brutum, in ordine ad repugnantem complexionem horum terminorũ, homo eſt brutum. ſic de chimera, noſcẽdo, caput, caudam, aures, aliaque membra chimeræ, quæ abſolutè noſcuntur à Deo ſecundùm ſe, vnumquodq; tamen ſeorſim ab altero, dum repugnat Hominem habere caput Leonis, caudam Bouis, aures Aſini, & ſimilia ſpectantia, vt aiunt, ad Hircoceruum: ſicut cognoſcitur quoq; mons, lapides, prata circa ipſum, aquæ deſuper manantes, & huiusmodi, quæ contingunt in montibus: at cognoſcere montem omnino aureum, prata lapidibus virentia pretioſis loco herbarum, & plãtarum: aquas omnino eſſe fluidas chriſtallos, ſiue lacteas, ſiue melle manantes, & huiuſmodi: hæc, & ſimilia non noſcit Deus in ordine ad connexionem terminorum, quia implicat: quod verò impoſſibile eſt, non poteſt cognoſci. prob, ſcientia habet pro obiecto ens verum, certũ, & poſſibile; hæc ſunt impoſſibilia, ergo non poſſunt ſciri. reſtat igitur vt de huiuſmodi non habeat, niſi ſcientiam, ſiue notitiam ſimplicis intelligentiæ Deus, cognoſcendo ſolummodo terminos ſimplices, & inconnexos, non autem connexionem impoſſibilem terminorum.

Negationes, & priuationes non cognoſcuntur directè.

4 Rurſus cognitio hæc Dei circa non entia, duplici modo ſpectanda venit; vel primo quod Dei intellectus feratur, & terminetur directè ad ipſas negationes, priuationes, & huiuſmodi; vel quod ſe habeat quodam modo diuiſiuo, & diſtractiuo: primo modo nõ poteſt eſſe: & ita in vniuersũ loquẽdo de omni carentia, negatione, & priuatione, ſiue rei poſſibilis, ſiue impoſſibilis, iuxta duplex genus recenſitum ipſorum non entium; dicendum Deum non attingere directè ſua cognitiua potentia negationes iſtas, ſiue non entia; Ratio eſt iam dicta, quia quod nõ eſt, non poteſt ſciri, cũ obiectum ſciẽtiæ ſit ens verum, ac certum: tales sũt negationes, & priuationes, & hæc ratio militat de negationibus entiũ poſſibilium. circa verò negationem impoſſibilium, militat fere eadem ratio, vt arguendo, id, quod non poteſt fieri, non poteſt ſciri; talia ſunt impoſſibilia, ergo. Pro omnibus autem negationibus, & priuationibus in communi militat illa alia ratio: ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci; ſed negationes, priuationeſq; nullum de ſe habent eſſe, reddendo ſingula ſingulis, itaut de poſſibilibus loquẽdo, negationes negent ordinem ad eſſe actuale, non tamen ad eſſe potentiale; impoſſibilia verò negent vtrumque ordinem, & ad eſſe actuale, & potentiale; ergo concluditur nõ poſſe de ſe directè, & per ſeipſas cognoſci. Accedit ad hoc doctrina Scoti in 2.d.1.q.1. & in 1.d.3.q.4.& alibi ſæpè, affirmantis res accipere eſſe poſſibile ex actu intellectus diuini, itaut intelligendo res ipſas, det eis eſſe poſſibile: qua doctrina ſtante ſequitur vt non entia, ſub ratione puræ negationis, minimè intelligantur à Deo vt eſt dictum, directè, & per ſe, aliàs iam non eſſent negationes, ſed veræ poſitiones: ſic etiam negatio negans poſſibilitatem rei, & admittens impoſſibilitatem, ſi eſſet per ſe directè terminus diuinæ notitiæ, iam non eſſet amplius ſub ſua impoſſibilitate, ſed euaderet res poſſibilis.

Cognoſcuntur indirectè.

5 Stante autem quòd directè, & per ſe non cognoſcuntur negationes, ſequitur vt aliquo alio modo cognoſcantur: ſequitur hoc, aliàs Deus ignoraret negationes, priuationes, & huiuſmodi, & ita ignoraret cæcitatem Cæci nati, cæteraq; non entia: vt ergo hæc nõ ignoret, alio cẽdendum eſt pro cognitione; ideoq; dicendum, has cognoſcere indirectè, & ratione alterius, cui poſitiuè competat cognoſci directè; etenim habitus cognoſcitur directè, priuatio obliquè, & indirectè. Potentia viſiua, ambulatiua, & huiuſmodi cognoſcitur directè, cæcitas verò, & torpedo, ſiuè claudicatio indirectè.

Negationes cognoſcuntur diuiſiuè, & cõpoſitiuè.

6 Hic autem modus cognoſcendi negationes iſtas, duplex eſſe poteſt, vel diuiſiuus, vel compoſitiuus. & quidem loquendo diuiſè, cognoſcit propoſitionem hanc, Homo non eſt Leo. Bos non eſt Mulus. loquendo etiam compoſitiuè, cognoſcit hanc aliam, cæcus non videt. ſurdus non audit. Nec iſta

duo non ſunt vnum, vt videtur eſſe, ſed duo; ita vt altera ſit propoſitio diuiſiua, altera compoſitiua. demonſtratur, quia hæc, cæcus non videt, non poteſt eſſe diuiſiua, ergo erit compoſitiua. prob. ſi diuiſiua eſſet, igitur cæcus videret; nam abſtrahas à cæco negationem videndi, ſequitur, vt videat, quia remanet potentia videndi. igitur ſi ſit propoſitio diuiſiua, cæcus videret, ſurdus audiret; ergo remanet vt ſit compoſitiua; ratio quoniam cum ſubiecto componitur negatio; etenim cæcus, & negatio viſus faciunt veram compoſitionem. Dices, idem accidere in propoſitione diuiſiua, quia homo non eſt leo, componitur autem cum ſubiecto negatio leonis; ergo diuiſiua erit compoſitiua.

Obſtatur.

Reſp.

7 Reſpondeo licet verum ſit prædicatum negationis componi cum ſubiecto, quod eſt cōmune omni propoſitioni, ſiuè diuiſiuę, ſiue compoſitiuæ; nihilominus repetitur diſcrimen inter compoſitionem negationis in diuiſiua, & cōpoſitiua; ratio eſt, quoniam in compoſitiua, ipſa negatio eſt magis propria, magiſq. prædicabilis de ſubiecto, quam in diuiſiua, itaut talis negatio ſit de eſſentia ſui prædicati. probatur, etenim in hac, cæcus non videt, conſtat negationem viſionis eſſe de ratione intrinſeca cæcitatis; nec enim aliter fieri poteſt: & hinc fit, vt habeat rationem compoſitiui: in diuiſiua autem, non ſic, ſed de intrinſeca ratione ſubiecti non erit ipſa negatio, ſed erit prædicatum verum, & reale, vt homo non eſt leo: iſta quidem negatio nō eſt de eſſentia hominis, patet, quia tunc homo non eſſet ens poſitiuum, ſed negatiuum, quia qualia ſunt componentia, tale eſt compoſitum. ſi negatiua, negatiuum, ſi poſitiua, poſitiuū. vndè fit vt talis negatio cōpetat quidem homini ſecundum aliquem modū dicendi per ſe, quia naturaliter, & neceſſario, tamen eſſentiale, & intrinſecū eius prædicatum nō erit negatio leonis, ſed quid poſitiuum, vt animal rationale. non ſic incompoſitiua, vt cæcus non videt, quia negatio viſionis, eſt de ratione intrinſeca cæci. dā oppoſitum, & cæcus videbit: reſtat ergo vt iſta ſint duo, & non vnum. His actis remanet id quod aſſumebamus, circa hæc ſe habere Dei ſcientiam ſiuè diuiſiuè, ſiue compoſitiuè cognoſcendo eas, reddendo ſingula ſingulis.

Negatio in genere, & extra genus.

8 Hæc quoq. aſſerenda ſunt de omni negatione, tum in genere, tum extra genus. ſecunda eſt, quæ nullum ſibi determinat ſpeciale genus, de quo prædicetur. vt non lapis; hæc quidem dicitur tam de homine, quam de chimeta; vtrūq; namq; non eſt lapis: prima vero, vt talpa eſt cæca ſecundum genus: vel Franciſcus non ſcribit: & ſimilia de quib. aliqua habet D. Tho. 1. p. q. 33. art. 4. & plura Scot. in 1. d. 23. in fin. & d. 28. q. 1. ar. 1. & de his eſt cōſimile iudicium diuini intellectus, vt eas noſcat componendo, diuidendo, vt decet.

Pbſtatur.

9 Inſuper, quia non entia de ſe nihil ſunt, quæritur quo modo cognoſci poterunt; etenim *nihil* non poteſt eſſe terminus cognitionis. item etiam ſub negatione entis comprehenduntur entia rationis: de his verò videtur eadem ratio dubitandi, quoniam ens rationis nihil eſt; deniq; reſpectus, & relationes ſūt entia totaliter alterius, ſiuè ad alterum, quo igitur modo poterit cognoſci de ſe, ſine cognitione alterius.

Negatio cognoſcitur per poſitiuum.

10 Ad primum patet reſponſio ex iam dictis; etenim non cognoſcuntur directè, & per ſe, ſed indirectè, iudicio quodam diuiſiuo, ſiuè compoſitiuo. & cum dicitur, *nihil* non poſſe eſſe terminum cognitionis, verum de ſe, per ſe, & directè, quia eſt verè nihil: at indirectè, & gratia alterius bene poteſt: vnde eſt communis conſenſus, priuationes, & negationes cognoſci per ſuum poſitiuum: vt cæcitas mediante poſitiua viſione, qua ſubiectum eſt priuatū: ſic de alijs: vnde negationes cognoſcuntur per poſitionem: & priuatio per habitum oppoſitum.

Quomodo cognoſcat ens rationis.

11 Ad ſecundum de ente rationis, illud quoq; cognoſcitur non directè per ſe, ſed gratia entis realis. ex quo fit, vt Deus intueatur noſtram cognitionem, noſtrumq; actum collatiuum vnius obiecti cū alio: quo actu collatiuo cognito, ſcit Deus ex tali collatione inſurgere relationem rationis. vnde eſt commune axioma reſpe-

ctiuum cognoſci per comparatiuum, ſiue reſpectum cognoſci per comparationem. Noſcit etiam intellectum noſtrum quandoq; inaniter fingere, & chimerizzare; & id, videndo actus noſtri intellectus, ſic, & ſic ſe habentes, ex quorum inde habitudine reſultat ens rationis. & per hæc ſatisfit ſecundo, & tertio quęſito. in ſecundo namq; quærebatur de ente rationis, & iam eſt dictum, id noſcere per intuitionem intellectus noſtri, qui ens rationis cõcipit ſub quadam ſimilitudine entis veri, ſeu per quãdam comparationem ad ens verum: comparat namq; & ſimul coagulat intellectus quantum eſt ex ſe, caput leonis, caudam Draconis, aures Aſini, pedes Bouis, bracchia hominis, & ſimilia inter ſe: & comparationem hanc intelligit Deus: verum quia ſcit ex inde non poſſe inſurgere ens verũ, inde fit, vt intelligat eſſe ens rationis. & hæc de ſecundo. De tertio autem, cognito iam actu collatiuo facto ab homine ſequitur, vt cognoſcantur relationes rationis. De his D. Bonau. 1. d. 36. art. 3. q. 1. Durand. Richar. cæteriq; ſententiarij ibid. Alenſ. 1. p. q. 23. D. Tho. 1. p. q. 14. art. 10. & inſuper Scot. 4. d. 50. q. 3. §. Reſpondeo. & in 1. d. 23. atq; in 2. d. 6. q. 1. l. G. & alij.

Obſtatur.

12 Solum ſupereſt difficultas; quoniam ex dictis ſequitur Deum eodem actu attingere entia poſitiua, & negatiua: poſſibilia, & impoſſibilia: inde autem ſequi eodem prorſus modo cognoſcere entia, & non entia: entia poſitiua, & negatiua. & ita ceſſarent tot difficultates circa modum cognoſcendi non entia: probatur ſequela: quia eodem intellectus actu cognoſcit hæc omnia: non enim alio cognoſcit poſitiua, & alio negatiua. Reſpond. conceſſo antecedenti, negari conſequens: verum eſt namque per eundem numero actum attingere poſitiua, & priuatiua, ſicut eodem quoque actu attingere poſſibilia, & impoſſibilia; nihilominus non eodem modo attingit hæc omnia; poſitiua namq; attingit mediante poſitiua repræſentatione facta per diuinam eſſentiam intellectui Dei; quæ tamen negatiua, & impoſſibilia non ſic repræſentantur, cũm non ſint, ideoq; non attingit eodem modo, quo poſitiua. inſuper poſitiua repræſentantur directè ab ipſa eſſentia, non ſic negatiua. denique poſitiua cognoſcit directè, & per ſe, priuatiua autem, & negatiua indirectè, & ratione alterius, vt eſt dictum.

Poſitiua, et negatiua: poſſibilia, & impoſſibilia cognoſcit eod. actu, ſed non eod. modo.

Veritatem cognoſcit componendo, falſitatẽ diuidendo.

13 Et ita vltimo reſoluendum eſt de cognitione veritatis, & falſitatis iuxta adhibitos terminos compoſitionis, & diuiſionis. veritatem namq; cognoſcit componendo, falſitatem diuidendo: quod ſuadetur, quoniã veritas eſt adæquatio intellectus cum obiecto; igitur veritas conſiſtit in compoſitione: imo in compoſitione adæquata, & perfecta, ſiuè accidentalis ſit, ſiuè eſſẽtialis compoſitio: vt cum componitur prædicatum cum ſubiecto eſſentialiter, vt Homo eſt Animal rationale: ſiue componatur accidentaliter, vt homo currit. ſtante autem tali cõpoſitione à parte rei, ſtat etiam veritas tũ in re, tum in intellectu; qui componẽs terminos, ſicut à parte rei compoſiti ſunt, ſiue cognoſcens compoſitionem eodem modo, quo facta eſt, dicitur cognoſcere veritatẽ; quia verè adæquatur cum obiecto; & in adæquatione intellectus cum obiecto conſiſtit veritas.

Idipſum magis explicatur.

14 Ex oppoſitio autem, videns intellectus actu diuiſiuo diuiſionẽ prædicati à ſubiecto à parte rei, ſiue accidentalem, ſiuè ſubſtantialem (quæ tamen diuiſio dum ineſt, non deberet inesse) vtiq; tunc cognoſcit falſitatem: vt intelligens Deus Petrum nolle affirmare Hominem eſſe animal rationale; intuetur tunc diuiſionem falſo factam prædicati à ſubiecto, dum namque dicitur, homo non eſt animal rationale, falſo diuiditur prædicatum à ſubiecto. Conſimiliter, dum Deus intuetur compoſitionem factam, quę tamen non eſſet facienda, tunc falſum vtiq; videt, vt homo eſt animal rudibile, falſo enim prędicatum componitur cum ſubiecto.

His ergo modis falſitas, & error, ſiuè veritas cognoſcitur. quod amplius patet, ex dictis.

QVÆSTIO XV.

Vtrum, & quomodo cognoſcat malitiam, & peccatum.

Status quæſtionis.

1 Diſputatio non texitur de malo materialiter ſumpto, pro ſubſtrato peccati; ſed ſumpto pro formali; vt ſic autem eſt priuatio rectitudinis, quæ deberet ineſſe, & non ineſt. Malitia namque peccati priuat oppoſita rectitudine: ſiue ea ſit rectitudo naturalis, ſiue ſupernaturalis. & de tali malitia quæritur vtrum, & quomodo eam cognoſcat Deus.

Malitia opponitur bonitati, & cognoſcitur per habitũ oppoſitum.

2 Supponimus communem doctrinam, malitiam cognoſci per habitum oppoſitum: oppoſitus autem habitus eſt bonitas: verum quia duplex eſt in entibus bonitas, alia increata, vt Dei. & creata alia, vt Hominis, & Angeli: & vtriq; bonitati opponitur malitia, tum creatæ, tum increatæ, indagãdum eſt, vtrum malitiam cognoſcat quatenus opponitur bonitati creatæ, an quatenus opponitur increatæ, an verò quatenus opponitur bonitati, vtriq; Fuit ſententia Durandi cognoſcere, prout opponitur bonitati infinitæ, & increatæ. ſequitur Palacios in 1. diſt. 38. diſp. 1. & 2.

Malitiam cognoſci per oppoſitionem ad bonitatem increatam arguitur.

3 Suaderi poteſt cognoſcere eam per bonitatem ſuam increatã. Primo authoritate Dyon. 7. de diuin. nomin. vbi habet, *quemadmodum lux per ſuam cauſam, in ſe notitiam anticipatam tenebrarum, & informatam habet; quod non aliunde, quàm ex luce tenebras nouit*: eſt ſenſus, ſi Sol, ſiue lux cognoſceret ſeipſam, & tenebras, vtique tenebras non cognoſceret, niſi per ſuam propriam lucem: Deus autem eſt ſumma lux, *habitans lucem inacceſſibilem*; ergo omnes tenebras peccatorum cognoſcit per lucem increatam ſuæ bonitatis.

4 Secundo, malitia, & peccatum eſt receſſus à ſummo bono; hoc eſt Deus, ergo opponitur malitia ſummo bono & ſummæ bonitati: malitia autẽ cognoſcitur per cognitionẽ habitus, cui opponitur. Tertiò, Deus in ſe cõtinet omnẽ rationem bonitatis, itaut omnis habitus bonitatis ſit in eo; ergo nulla eſt malitia, quæ non opponatur diuinæ bonitati, & conſequenter omnis malitia erit noſcibilis per Dei bonitatem. Quartò, nulla ratio creata poteſt eſſe ratio vel cauſatiua, vel motiua diuini intellectus, & diuinæ cognitionis; ergo ſola ſua bonitas increata præſtabit hoc, & conſequenter malitiam nouerit per ſolam bonitatem increatam. Quintò, Artifex per ſuam artem, ſiuè per habitum ſuæ artis cognoſcit omnes errores, qui contingere ſolent in Artificibus vtentibus arte: vtpote Grammaticus per ſuam artem cognoſcit errores, incongruitates, atq; defectus contingentes in ſua arte, & ſic de alijs, ipſa autem Dei bonitas eſt ſuprema omnium bonitatum creatarum quodammodo ars, & idea, quia per ſuam bonitatem participatã cæteræ creaturæ ſuam poſſident bonitatem, ergo per eam cognoſcit. Deniq; Ariſt. 3. de an. *intellectus, qui non eſt in potentia, nõ cognoſcit priuationes*: mala culpæ ſunt priuationes: Dei autem intellectus non eſt in potentia, ſed ſemper in actu, ergo non cognoſcit mala culpæ. argumentum hoc deſtruit non ſolum modum cognoſcendi mala. verum & totalem malorum ipſorum cognitionem. *Confirmatur.*

5 His

Mala pęnę cognoſcit Deus, & mala culpę

5 His prælibatis reſpondemus ad quæſtionem per ſequentia capita. Prima eõclnſio optimè noſcit Deus mala pænæ. probatur præcipuè ex Scripturis, vt Amos 3. *ſi eſt malnm in Ciuitate, quod non faciat Dominus*. dnm autẽ facit, conſequenter cognoſcit, non enim Deus inſipienter agit; eſt namq; agens per voluntatem, & intellectum. locus vero prædictus ex communi Patrum ſenſu intelligitur de malo pænę; & hoc verè Deus facit. verè pænam cauſando, & infligendo. Quod ſi de malo intelligatur culpæ, pro *facit*, intelligitur *permittit*; etenim peccata non ipſe facit, ſed permittit: quidquid autem fit, de quocunq; malo intelligatur, ſufficit hoc, vt pateat, malum omne optimè noſcere Deum. Similiter prouerb. 15. *Infernus, & perditio coram Deo*.

Cognoſcit, & Mõſtra.

6 Sub malis vero pænæ comprehendũtur etiam mala naturæ, quæ vocari quoq; ſolent à Philoſophis *peccata naturæ*, quatenus ſunt defectus naturæ: huiuſmodi ſunt monſtra, & hæc inſuper cognoſcit Deus ſap. 8. *monſtra ſcit antequam fiant*. Ratio vero omniũ ea eſt, quia ſcientia ſua eſt infinita, atq; comprehenſiua, igitur omnia noſcit, ſiuè bona, ſiuè mala.

Mala pęnę neſcit ſciẽtia approbationis.

7 Quod ſi obſtaueris ex Habacuch 1. *mundi ſunt oculi tui, ne videant malnm, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. & Matth. 25. de fatuis, prauiſq; virginib. *neſcio vos, non noui vos*; dicendum eſt id intelligi de ſcientia *approbationis*, & hac mediante neſcit ea Deus; non enim approbat mala, ſicut nec eſt Author mali: non autem intelligitur de abſoluta, ſimplici, ac nuda malorum cognitione, ſiuè ſcientia viſionis. probatur ex Auguſt. ſuper Exo. l. 2. q. 152. & 183. qq. q. 60. dicente, *Deum per hanc ſcientiam ſcire, quæ illi placent, neſcire quæ diſplicent*: iam vero diſplicent mala, ideoq; hac ſcientia *approbationis* non dicitur ſcire. Confirmatur ex eod. qui addendo dicit, *Ars rectè dicitur neſcire vitia, cum improbat vitia*. de hac quoq; meminit Alex. Alenſ. poſt Patres, 1. p. q. 23. m. 3. art. 3.

Sciẽtia approbationis an ſit notitia ſimplicis intelligentię, an ſcientia viſionis.

8 Per hãc vero ſcientiam approbationis, ſiuè reprobationis aliter cognoſcit ipſe Deus mala, quam per notitiam ſimplicis intelligentiæ, & per ſcientiam viſionis: demonſtratur, quia per notitiam ſimplicem poteſt ſolummodo cognoſcere terminos rerum ſimplices, non ipſam terminorum eõnexionem, ſiuè diuiſionem, ergo non poteſt cognoſcere malitiam, vel quatenus adhæret actui, ſiuè componitur cùm eo: vel quatenus ſeparatur ab actu. Per ſcientiam etiam viſionis nil agit Deus, præterquam intelligere, & videre malitiam rei: ita vt per talem ſcientiam nihil influat in ipſam rem, neq: approbando bona, nec reprobãdo mala. inſuper viſionis ſcientia eſt potius ſpeculatiua, quam practica, ergo abſtrahit ab approbatione, & reprobatione, quæ pertinent ad praxim. deniq: ſcientia ipſa, & viſio præſupponunt res ipſas, igitur concipitur vt poſterior ad res ipſas viſas, non enim poteſt videri, quod non eſt, ergo per eam nil aliud facit Deus, quam bona, & mala videre, & conſequenter nec per eam approbat, nec reprobat res ipſas, item approbare, & reprobare ſpectat ad voluntatem, ſcientia autem omnis ſpectat ad intellectum. Ac demum ſi ad ſcientiam aliquo modo id ſpectat, id erit quatenus ſcientia habet rationem Artis, vt ſupra fuit dictum, & vt ſic, ordinatur ad opus: & ordinatio hæc erit, tum ſub ratione agendi, tum ſub ratione deſtruẽdi: itaut bona agat Deus per eam, & mala deſtruat: atque ſub ratione hac, dicatur habere ſcientiam approbationis circa bona, approbando: & ſcientiam reprobationis reprobando.

Mala culpæ pro ſubſtrato, in quo cognoſcit.

9 Secundo dicimus, mala culpæ, ratione materialis, atq; ſubſtrati, directè cognoſcit Deus in virtute ſuæ eſſentiæ diuinæ. hæc aperta eſt omnium: & circumfertur cum omnibus hucuſque dictis in præcedentibus de ſcientia Dei; etenim phyſica, & materialis entitas, ſiue ſubſtratum peccati, de ſe malũ non eſt; & cõtinetur virtualiter, eminenterq; in eſſentia Dei; ergo eius virtualitate ea cognoſcit: ſpectant nãque ad ſecundarium obiectum diuini intellectus: eiuſq; intellectus comprehendit ſingula, quæ ſic continentur in eſſentia diuina: hoc probatũ relinquitur in ſuperiorib. Ter-

Peccatum pro formali per quid cognoſcat.

10 Tertio dicimus, mala culpæ ſicut quoſcunq; defectus, & errores, deformitates, atq; obliquitates pro formali ſumptas cognoſcere Deum immediatè per habitum, & virtutem oppoſitam creatam. Aſſertum hoc, licet pleroſq; habet aduerſarios, nihilominus eſt planè vera, & communis. eſtq; Alenſis 1. par. q. 23. m. 3. art. 3. D. Bonau. 1. d. 36. art. 3. q. 1. Riccard. ibid. D. Tho. 1. p. q. 14. art. 10. & Scoti in 4. d. 50. q. 3. hæc concluſio probabitur poſt quartam propoſitionem.

Malitiam cognoſcit, prout opponitur bonitati creata immediatè: increata remotè.

11 Quarto dicimus, Deum malitiam cognoſcere ſolummodo mediatè, & remotè, ea ratione; qua opponitur ſuæ infinitæ bonitati. Concluſiones iſtæ ſunt inuicem connexæ, vnde fit, vt argumenta vnius deſeruiant ad probationem concluſionis alterius: concluſio ſequitur ex antecedenti: & vltra recenſitos accedunt Recentiores Bann. Molin. Valent. q. 14. punct. 7. Vaſq diſp. 62. cap. 2. Suar. de Attrib. lib. 3. c. 3. &c.

Prob.

12 Probatur verò ſic vtraque propoſitio. Priuatio non poteſt cognoſci, niſi per habitum ſui proprium, ſibi oppoſitum: ſed bonitas diuina nō ſic ſe habet, ergo. antecedens patet: probatur minor, priuatio cognoſcitur per habitum ſibi proximè oppoſitum: at bonitas creata opponitur proximè malitiæ creatæ: bonitas autem diuina opponitur non proximè, ſed remotè, ergo malitiam cognoſcit per ſuum habitum proprium ſibi oppoſitum.

13 Item malitia ſingularis cognoſcitur per oppoſitum habitum ſingularem diſtinctè, ſingulariter, & proximè; ſed bonitas in communi, prout cōmunis eſt bonitati creatæ, & increatę, opponitur quidem etiam malitiæ ſingulari, attamen vniuerſaliter: nec proximè, ſed mediatè, & remotè, ergo malitiam ſingularem cognoſcit per habitū ſingularem proximè, & immediatè.

Malitia creata non eſt infinita intenſiuè, ſed extenſiuè.

14 Inſuper malitia creata non eſt malum infinitum intenſiuè (licet quidem obiectiuè, & extenſiuè ſit infinita; primum quatenus eſt offēſiua Dei infiniti, & ſecundum, quatenus in damnatis durabit in æternum extenſiuè, prout loquitur Pſalmiſt. *ſuperbia corū, qui te oderunt aſcendit ſemper;*) ergo non poteſt cognoſci immediatè, & proximè per bonitatem diuinam: antecedens prob. aliàs daretur in entib. aliquod, quod eſſet ſummum, & primū malum, & omnino independens, atq; increatum, cum cæteris, quæ ſequuntur ad ſummitatem, & infinitatem alicuius: ſequeretur quoq; dari primum Deum malum, iuxta hæreſim Manichæi, vt optimè colligit Scot. in 2. d. 34. q. 1. cum ergo non ſit infinita intēſiuè malitia humana, ſiue angelica, non cognoſcetur propriè, & directè per Dei bonitatem, quæ eſt omnino infinita. Confirmatur, quia bonitas diuina excedit malitiā humanā, & angelicam, ergo nulla eſt adæquatio inter ipſas; eſt. n. illa infinita intenſiuè, hæc finita: at *ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci*, ergo cum in entitate excedit, excedet etiam in cognoſcibilitate. Adde hinc ſequi, quod oportebit dari bonitatem aliquam, quæ ex oppoſito adæquetur malitiæ contrariæ: ſed malitiæ creatæ adæquatur in opponendo ſola bonitas creata, ergo per iſtam immediatè cognoſcitur: & dum in entitate æquantur, æquabuntur quoq; in cognoſcibilitate.

15 Item malitia eſt deſtructiua oppoſitæ bonitatis: ſed non deſtruit bonitatem increatam, quia deſtrueret Deum, deſtruit autem bonitatē creatam, vt luxuris caſtitatem creatam, ergo cognoſcitur immediatè per caſtitatem creatam.

Malitia creata habet ſuam latitudinē, ſicut & oppoſita bonitas.

16 Præterea malitia creata habet ſuam latitudinem, itaut diſtinguatur in genericam, ſpecificam, numericam, tot namq; ſunt creatæ malitiæ, vt ſuis contineantur, & diſtinguantur, ac numerentur generibus, ſpeciebus, numeris; *oppoſitorum vero idem eſt iudicium*, ergo dum malitia tot capitibus diſtat à bonitate, neceſſe eſt, vt ex oppoſito, demus quoq; bonitatem genericam, ſpecificam, numericam, itaut reddendo ſingula ſingulis, genus malitiæ per genus bonitatis deſtruatur, & cognoſcatur: ſpecies malitiæ per ſpeciem bonitatis: & deniq; numerica malitia per numericam bonitatem; *quot namque modis dicitur vnum, tot dicitur & ſuum oppoſitum*: at bonitas diuina non diſtinguitur in genericam, ſpecificam, nu-

numericam, vnam, & alteram; cum ſit in ſeipſa omnino vna numero, & non plures; ergo directius cognoſcetur malitia per bonitatem creatam.

17 Dices, licet Dei bonitas vnica ſit in ſeipſa; tamen eminenter continet omnes alias creatas bonitates, genericas, ſpecificas, numericas. Reſpond. id totum eſſe verum: at per id, ſolùm concludi cognoſci mediatè, & remotè per bonitatem increatam, ipſa namq; æquiualenter eſt talis, & eminenter, at creata bonitas eſt generica, ſpecifica formaliter; ideoq; ad formalem oppoſitionem, atq; ad formalem, & proximam cognitionem magis conducit creata, & proximius; increata verò remotius.

18 Item arguitur. oppoſita debēt fieri circa idem ſubiectum: creatura eſt ſubiectum malitiæ; ergo eadem creatura erit ſubiectū bonitatis creatæ: ſed Deus eſt ſubiectum ſolummodo bonitatis, non malitiæ; ergo cognitio malitiæ fiet de rigore in eodē ſubiecto, immediatè per bonitatem creatam exiſtentem in eo; eadem namque angelica, & humana voluntas eſt ſubiectum immediatum bonitatis creatę, & malitiæ; ergo eadem voluntas erit ſubiectum cognitionis vtriuſq; immediatè, tùm malitiæ, tùm bonitatis creatæ. bonitas autem increata non inhæret voluntati creatæ, ſed admodum diſtat ab ea, ergo per eam mediatè, & remotè coguoſcetur malitia, error, & peccatum.

19 Inſuper in Deo non eſt virtus fidei, ſpei, pęnitentiæ, & ſimilium, ergo non pteſt intelligi malitia his virtutibus oppoſita, niſi per illud ſubiectum, in quo inſunt, vt eſt creatura. probatur conſeq. quia oppoſita fiunt circa idem ſubiectum.

Et ſic concludimus, per bonitatē creatam cognoſci immediatè, proximè, & directè; per bonitatem verò increatā, mediatè, & remotè, quatenus bonitas omnis creata eſt radius bonitatis increatæ, & bonitas increata venit eſſe participata à bonitate creata.

20 Aliqui abſolutè negāt cognoſcere, prout opponuntur bonitati increatę, ſed falluntur, etenim etiam opponuntur bonitati increatæ, ſicut voluntati increatæ, quia peccator facit contra diuinam volnntatem: ergo eſt reſpondendum iuxta 3. & 4. concluſ.

21 Argumenta verò ſoluuntur ex dictis. & primo ad Dionyſ. id non obſtat contra nos: ſicut namq; ipſe docet lucem cognoſcere, ex hypotheſi, ſeipſam, & per cognitionē ſui cognoſcere tenebras; ita nos concedimus mala cognoſci per habitum bonitatis oppoſitum: quæ bonitas eſt quodammodo lux, & peccatum tenebræ, iuxta Apoſtolum, *eratis aliquando tenebræ, nunc autē lux in Domino.* quod ſi Deus ipſe eſt increata lux, concluditur per bonitatem ſuam, cognoſci malitiam, remotè quidem, nō proximè ſicut proximè cognoſcitur per bonitatē creatam. Reſp. 2. per tenebras Dionyſium intelligere omnes creaturas, quę comparatione luminis infiniti, quod eſt Deus, *qui habitat lucem inacceſſibilem,* videntut eſſe tenebræ: ita D. Maxim. Decad. 8. c. 5. *Ad Dionyſ.*

22 Ad ſecūdum, cùm dicitur malitiam eſſe receſſum à ſummo bono, quod eſt Deus. reſpondendum primo non eſſe receſſum à Deo, tanquam ab habitu rectitudinis informante animā hominis, ſed à Deo, tanquam à fine. Reſpond. ſecundo, eſſe auerſionem à bonitate Dei, ſecundario, & remotè; primario autem, ac immediatè eſſe receſſum à bonitate creata, quæ eſt ſuus habitus oppoſitus. *Malitia eſt receſſus à Deo: quomodo?*

23 Ad tertium conceditur malitiam opponi diuinæ bonitati, ſed remotè; bonitati autem creatę immediatè, & proximè.

24 Ad quartum concedimus non moueri Dei intellectum à bonitate creata ad cognoſcendam malitiam; mouetur namq; à bonitate increata, ſiue à diuina eſſentia; non tamen propter hoc infertur cognoſcere malitiā proximè per ſuam bonitatem increatam: poteſt namq; cognoſcere per bonitatem creatam, abſq; eo, quod moueatur à bonitate creata, cognoſcet autē per bonitatem creatam proximè malitiam oppoſitam.

25 Ad quintum, nil contra nos; etenim per artem noſcit Artifex errores artis: & ita per bonitatem creatam cognoſcit Deus malitiam humanam.

eſt

Per artem dupliciter cognoſcitur error Artificis, ita & malitia, per duplicem bonitatem.

eſt autem ſimilitudo, vt ſicut error artis cognoſcatur ab Artifice per habitum artis, item per bonitatem cognoſcatur oppoſita malitia. item ſicut per regulas artis, & per congruitates ipſius cognoſcir errores Grammaticus, ita per rectitudinem, per regulam, per legem, ſiuè per oppoſitam bonitatem cognoſcatur malitia. Diſcrimen tamē aliquod interuenit, ſiquidem habitus artis eſt medium proximū ad cognoſcendos errores artis; bonitas autem diuina erit medium remotum, & bonitas creata medium immediatū, & proximum ad noſcendam malitiam. quòd ſi etiam de arte dupliciter loquamur, vel genericè pro habitu vniuerſali cū recta ratione agendi: vel pro habitu ſingulari, deſcendente ad hanc ſpeciē artis, vtputa pſallendi, canendi, & huius generis; Ars quidem primo modo ſumpta erit ratio cognoſcendi defectus, & errores, ſed remotè ſolummodo: ſumpta verò ſecundo modo erit ratio cognoſcendi directè, & proximè: & ita errores contingentes in arte canendi cognoſcentur duplici via, per artem quidem vniuerſaliter ſumptam, ſed remotè: per artem verò ſpecificè, & numericè ſumptam proximè; ita malitia omnis, & peccatum duplici mediāte bonitate cognoſcitur: mediante quidem bonitate diuina, quatenus ad omnes bonitates creatas ſuperior eſt, & eminenter eas continet, ſed remotè cognoſcet: mediantè etiam bonitate creata, ſed proximè.

Dei intellectus nūquā in potētia, ſed ſemper in actu.

26 Vltimum argumentum puerile eſt: loquitur autem Philoſophus de intellectu creato: Dei verò intellectus nunquam eſt in potentia, ſed ſemper in actu, attingens, & contingens omnia, & ſingula, poſitiones, ac priuationes, bona, & mala, vt ſupra.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Deus cognoſcat ſingularia ſecundùm omnem conditionem exiſtentiæ.

1 VBi actum fuit sup, de comprehēſione diuini intellectus, ibi etiam ſententias retulimus Philoſophorū de præſenti quæſito, liceat vero nunc eas ſolum attingere, ad hoc, vt ordinatè quæſtionem expediamus.

Auerrois ſententia.

2 Auerroes igitur 12. met. com. 15. affirmare videtur cognoſcere Deū res creatas ſolummodo in communi, non autem in ſpeciali: id vero explicari poteſt, vt ratio talis ſic cognoſcendi ſit omnino vniuerſalis, etenim res etiam ſpecificas, ſiuè indiuiduas ſi cognoſceret, cognoſceret eas ſub conceptib. communiorib. atq; abſtractiorib. & vniuerſalioribus, ea ratione, qua entia ſunt, vel ſub alijs conſimilib. cōceptibus.

Ariſt. opinio.

3 In hoc eodem errore fuiſſe etiā Ariſtotelem ait Greg. in 1. d. 35. q. 1. ita vt Ariſtoteles cenſere videatur Deum ſolūmodo ſemetipſum cognoſcere 12. met. t. 51. ait enim, de quibuſdam, nempè, infimis, atq; vilibus reb. Deū cogitare, abſurdum eſſe, meliuſq; eſſe non videre, quam videre.

Ex Hieronymo.

2 Hæc eadem aliquando videtur fuiſſe ſentētia D. Hieron. in c 1. Abac, ait namque, *abſurdum eſt, ad hoc Dei deducere maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotue moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo: quanti piſces in aqua natent: & qui*

de

de minorib. maiorum prædecedere debent. *Non ſimus tam fatui adulatores* Dei, *vt dum potentiam* Dei, *etiam ad minima detrahimus, in nos ipſos iniurioſi ſimus, eandem rationabilium, quam irrationabilium prouidentiam eſſe dicentes ex quo liber ille apocryphus ſtultitiæ condemnandus eſt, in quo ſcriptum eſt, quendam Angelum nomine lyri præeſſe reptilib. & in hanc ſimilitudinem piſcibus quoq. & arboribus, & beſtijs vniuerſis proprios in cuſtodiam Angelos aſſignatos*. Confirmari poteſt ex Paulo, dicente, *numquid Deo eſt cura de bobus*. ex quo magis corroboratur ſententia Hieronymi, dicentis, *non candẽ curam, & prouidentiam habere rationabilium, & irrationabilium*. Atque Auguſt.l.83. q. quæſt.46. *Deum nihil cognoſcere extra ſe*.

Quid Aureolus? 5 Imponitur quoq; Aureolo, quod aſſeruerit Dei cognitionem non terminari ad creaturas: vnde deducunt negaſſe Deum creaturas cognoſcere omnino, neq; in communi, neq; in particulari. ita Capreoh de eo in 1. d.35. q.2. At vero faciunt Aureolum peiorẽ Ariſtotele, Auerroe, atq; Ethnicis, ita vt quaſi cum antiquis ſtultiorib. penes Iob dicat, *cardines cæli perambulat, & noſtra non conſiderat*.

De fide omnia ſcire. 6 Nihilominus de fide eſt omnia, & ſingula, cum vniuerſalia, tum ſingularia, iuxta omnem conditionem indiuidualem ſecundum hic, & nunc, ſecũdum locum, & tempus, optimè cognoſcere Deum. & primo ex eodem Ariſtotele id probatur, quoniam l.1. de Anima t.80. & 3. metaph. t.15. contra Empedoclem oſtendit oportere Deũ cognoſcere omnia, & ſingula, quæ cognoſcuntur à nobis: at vero nos cognoſcimus etiam ſingularia, ergo id quoq; concedit Ariſtoteles. Item Clemens Alexandr.l.5. ſtromat. de Ægyptijs in hoc genere, ita ſcribit, *aures, & oculos ex materia præcioſa fabricantes conſecrant* Dijs: *hoc vtiq; tacitè ſignificantes quod* Deus *omnia videt, & audit.*

Ex ſcripturis. 7 Scripturæ etiam id vbiq; teſtãtur. Matt.10. *nonne duo paſſeres aſſe vaneunt, & vnus ex illis non cadet in terram ſine Patre veſtro: veſtri autem capillis capitis omnes numerati ſunt*: Eccleſ.16. *non dicas, à Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei commemorabitur, ecce cælum, & cæli cælorum, abyſſus, & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in cõſpectu illius, & cum conſpexerit illa* Deus, *tremore concutientur*. Prouer.16. *omnes viæ hominis patent oculis eius*. Paulus 4. ad Hæbr. *diſcretor eſt cogitationum, atq; intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius*. Deniq; vt alia loca omittã, aperta eſt Gregorij ſententia l.16. moral.c.15. *ſic ſumma regit, vt ima non deſerat: ſic imis præſens eſt, vt à ſuperioribus non recedat*. quæ ſentẽtia congruit cum illo pſal. *quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra*.

Communis Theologorum. 8 Eſt quoq; Theologorum communis, de qua re agunt Sententiarij in 1.d.35.36.39. Scotus ibidem, & alibi ſæpiſſimè cum ſequacibus, & Thomiſtæ cum D. Tho. 1.p.q.14. immo ratione naturali id oſtendi docet idem Scot.12. met. & D.Th.4. contra gent. cap.50. Durand.1.35. q.2. docet eam ex mente Ariſt. locis cit.

Ex rationibus. Suadetur autem breuiter. Dei ſcientia eſt infinita, ergo cognoſcit omnia, etiam ſingularia: dà oppoſitũ, & non eſſet infinita: item Dei notitia eſt comprehenſiua: de ratione comprehenſionis eſt nihil, relinquere incomprehenſum, ergo nullum eſt ſingulare, quod non intelligat. Accedit, quòd per viam comprehenſionis duo fiunt, vnum eſt, quod omnia cognoſcãtur. alterum, quod cognoſcantur modo perfectiſſimo, vnde eſt, vt non relinquatur quidquam non comprehensũ. Præterea, datur in creaturis cognitio ſingulariũ, cur igitur negabitur Deo: Inſuper Deus eſt ſupremus omnium Moderator, Gubernator, & Rector, diſtribuens ſingula ſingulis, prout rerum naturæ exigunt, ergo cognoſcit omnia, & ſingula: dà oppoſitum, & non benè moderabitur vniuerſum: inde namq; poſſet falli, & minus rationabiliter agere, vt opus eſſet: ſpectat namq; ad optimum Familiæ Moderatorem cuncta, & ſingula apprime cognoſcere, quæ ſpectãt ad ſuæ familiæ gubernationem. Item ipſe eſt rerum omniũ cauſa, ergo cognoſcit omnia; quomo-

do namq; cauſaret, niſi id, quod ſiendum eſſet, optimè ſciret; vel enim falleretur in cauſando, vel nuſquam cauſaret. Denique nouit eſſentiam ſuam, ergo nouit ſingula alia: conſeq. prob. quia in eius eſſentia continentur ſingula. Dices non ſufficere cognitionem eſſentiæ ſolius, quia ipſa repræſentat naturalia, non contingentia. Reſpondetur, vtrumque requiri, tum eſſentiã, tum eiuſdem Dei volũtatem; & in eo gnitione vtriuſque, dicitur completè Deus noſcere omnia. Non quidem ſola eſſentia ſufficit, quia ipſa de ſe ſola non cauſat ad extra, ſed requiritur concurſus, & determinatio volũtatis: qua determinatione iam facta à volũtate, repræſentat eadem eſſentia ſuo intellectui decreta diuinæ voluntatis, & ſic completè intelligit omnia: itaq; cognoſcit in vtraq; tũm in eſſentia, tũ in voluntate. Dubitare verò de hoc aliquando Scotiſtæ ſolent, quandoquidem Scotus modo ait, eſſentiã cauſare; modo volũtatem; modo verò vtrãq; ſed verius, & certius eſt, etiam de mẽte eiuſdem Scoti, vtramq; cauſare: & conſequenter in vtraq; Deum perſectè omnia ſcire.

Eſſẽtia vo lũs cauſat.

9 Quæ obſtare valent potiora, hæc eſſe poſſunt cõtra principale quæſitum. Primò, negare videtur id Ariſtoteles, vt patet ex loco recenſito: vbi etiam tandem cõcludit, dicens, *in Deo idem eſſe intelligens, & quod ipſe intelligit*. Verum ſit prima reſponſio, de Ariſtotele non eſſe curandum in hoc; etenim magis credendum eſt Theologis, quàm Philoſophis; teuelata namq; Theologia nõ innotuit omnib. ideoq; ipſis ſtãdum, qui è ſcripturæ fontibus, diuiniſq, reuelationibus ſacra arcana depromunt: ad plura autem attingere non valet naturalis Philoſophia. Reſpondendum ſecundò, poſſe Ariſtotelem ad bonum ſenſum deduci, vt eatenus negarit hæc inferiora cognoſcere, quatenus docere intenderit, ea nõ cognoſcere *motiuè* ex rebus ipſis; ſic nãque verè *vileſceret Dei intellectus*, ſi moueretur à rebus, cognoſcere tamen terminatiuè, vt Theologi docent.

Ariſtoteles explicatur

10 Secundò obſtatur, res cognoſcuntur in Dei eſſentia ſecundùm illud eſſe, quod habent in eadem eſſentia: ſed creaturæ nullum propriũ eſſe habent in Dei eſſentia. ergo. antecedens patet. prob. min. res, ſiue poſſibiles, ſiue actuales, non ſunt in ipſa eſſentia, ſed extra eam, vt conſtat. Reſpond. creaturas ſiue actu exiſtentes, ſiue in potentia, licet non habeant eſſe *formale* in Dei eſſentia, habent tamen eſſe eminentiale, & virtuale: ſecundùm primum eſſe non cognoſcitur in eſſẽtia, vt in eſſentia, ſed ſecundùm eſſe eminentiale, & virtuale, cùm ſic contineantur in eſſentia; non enim lapis eſt *formaliter* in diuina Eſſentia, ſed eminentialiter, & virtualiter.

Lapis non eſt formaliter in eſſentia Dei, ſed eminẽter, & virtualiter.

11 Dices, non habent eſſe formale in eſſentia, ergo non perfectè cognoſcit in eſſentia; prob. ſeq. quia perfecta cognitio terminatur ad eſſe rei formale; formale namque eſſe, eſt eſſe perfectum ipſius rei. Reſpond. negando ſequelam: quia ex dictis ſup. q.13. cũ quærebatur an cognitio Dei de rebus ſit abſtractiua, dictum fuit intuitiuam cognitionem vel eſſe de obiecto exiſtenti in propria exiſtentia; vel de exiſtenti, ſiue contento in aliquo continẽte illud eminentiori, & perfectiori modo: huiuſmodi eſt Dei eſſentia, quæ ſic continet creaturas, vt ex tali continentia, perfectiſſimè cognoſcantur, licet rebus ipſis deficiat eſſe formale, & reale, quapropter etiam non exiſtẽtes cognoſcit intuitiuè.

Intuitiua cognitio, vel in ſe, vel in perfectiori cõtinente.

12 Tertiò, eſſentia eſt medium admodum commune, & indifferens ad repræſentãdas creaturas, ergo nequit per eam cognoſcere ſingularia Deus. prob. anteced. ratio cognoſcendi adæquata debet adęquari obiecto cognoſcibili: ſed eſſentia non magis repræſẽtat vnum, quàm alterum cognoſcibile: Nec adæquatur creaturæ in repræſẽtando. Reſpond. eſſentiam adæquari omnibus cognoſcibilibus in repræſẽtando; hæc autem adæquatio poteſt eſſe, vel intenſiua, vel extẽſiua: loquendo quidem de extenſiua, veriſſimum eſt adæquari, quoniam ipſa repræſentat omnia cognoſcibilia; loquendo etiam de intenſiua; inſuper verum eſt adæquari, quoniam repræſentat adæquatè, & completè eam ſecundùm totam ſui perfectionem, & naturam intenſiuè, vt nil prorſus lateat diuinum

Eſſentia adæquata in repræſẽtãdo tum intenſiuè, tũ extenſiuè; licet non in entitate.

in-

intellectum: & ita ſtat quod erit perfecta, & adæquata ratio in repræſentando.& confirmatur,quia non magis repræſentat rem vnam, quàm aliam, ſed adæquatè, & completè omnia; tūc verò non eſſet adæquata ratio repræſentandi,quando repreſentaret vnum, & non aliud obiectum: ſeu quandò rē non repræſentaret ſecundùm omnem ſui perfectionem. licet autem nō adęquetur in entitate, *cum finiti ad infinitum nulla ſit proportio*, adæquatur tamen in repræſentabilitate.

Eſſētia eſt communis per illimitationē, nō autem per vniuerſalitatem confuſè.

13 Quartò, eſſentia eſt medium commune in repræſentando, ergo repræſentat confuſè; ergo non diſtinctè per eam cognoſcit Deus. prob.ſequ. quia commune confuſè ſe habet ad ea,ad quæ eſt commune, aliàs nō eſſet commune,& indifferens,ſed diſtinctū, & differens. Reſpond. diuinam eſſentiam in repræſentando, non ſe habere ad inſtar communis *vniuerſalis*; hoc namque commune, quod conuertitur cum vniuerſali, vtiq; habet rationem confuſi, ſiue in eſſendo, ſiue in repræſentando, cuiuſmodi eſt ipſum Vniuerſale, quod confuſè ſe habet, & indiſtinctè penes ſua ſingularia: non ſic eſſentia, quia diſtinctiſſimè continet,& repræſentat ſingula: vocatur autem commune per *illimitationem*: cum qua illimitatione ſtat continentia cōmunis per eminentiam, & virtualitatem: ideoq; erit eius cōmunitas, eminentialis,& virtualis,non autem communitas *Vniuerſalis*.

14 Denique obſtari poterit, Potentiſſima ratio cognoſcendi erit per eſſentiam, ſiuè per diuinam voluntatem, tanquam per omnium cauſam: ſed cognitio per cauſam eſt imperfecta cognitio, ergo. Argumentum hoc peculiarem exigit rationem cognoſcendi, ſed de ea actum eſt ſup. quæſt. 11.

15 Quod verò inſuper vrgeri poteſt, eſt circa rationem, & naturam contingentiæ; etenim contingens non eſt neceſſarium,ergo non ſcitur à Deo neceſſariò;ergo nec etiam eſſentia repræſentabit neceſſariò: quod ſi neceſſario ſcitur, igitur nō erit contingens, ſed neceſſarium: & eadem ratione ſequitur fore neceſſarium, ſi neceſſario ab eſſentia cōntinetur; at neceſſitas pugnat contra naturam contingentis.

Deus neceſſario ſcit contingentia explicatur.

16 Ad argumentū, quod amplius infra tractabitur, pro nunc reſpondetur Deum neceſſario ſcire omnia ſiue entia neceſſaria, ſiuè cōtingentia: neceſſitas autem hæc non eſt ex parte Dei,quia nullum ordinem dicit neceſſariò ad extra, ſed neceſſitas ſe tenet ex parte ſcientiæ, quæ quatenus infinita eſt, neceſſe eſt vt terminetur ad omnia: Item ſe tenet ex parte intellectus, qui quatenus eſt infinitus, neceſſario comprehendit omnia.Item neceſſitas ſciendi omnia procedit ex plenitudine, & perfectione ſui fœcundiſſimi intellectus. da oppoſitum, quod aliquid neſciat, & erit vtiq; imperfectus, vt creatura,& ignarus; igitur ad Dei perfectionem pertinet vt omnia ſciat, & indè ſequitur conſequenter, vt neceſſario omnia, etiam contingentia ſciat. Cùm tamen infertur, contingentia tunc euadere neceſſaria; negatur conſequens: ſed remanent in ſua contingentia; non enim mutant naturam ex eo, quod Deus neceſſario ea ſciat, ſed ſemper erunt contingentia: Nec etiam valet inferre, ſcibilia ſunt contingentia, ergo ſcientia eſt contingens, & conſequenter Deus non neceſſario ſciat ea; quia id ſequeretur quando ſcientia cauſaretur *motiuè* à contingentibus, vt in nobis, quorum ſcientia de contingentib. eſt contingens: at Dei ſcientia non cauſatur à contingentibus,ſolùm verò vocari poteſt ſcientia, contingens *terminatiuè*, vt quia eſt de obiecto, ſiue termino cōtingenti. At poſtquam per diuinæ voluntatis decretum res contingens ponitur in ſuo decretato eſſe, ſequitur vt Dei intellectus ob plenitudinem ſuæ infinitæ ſciētæ ipsā ſciat, noſcat, comprehendat. ſi quæ autem adhæret ipſi rei contingentis neceſſitas,ea erit in ſenſu compoſito, non diuiſo, quemadmodum; *omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, ex Ariſtot.* ſtat ergo neceſsitas ex parte ſcientis, non ex parte obiecti contingentis.

17 De ſententia Hieronymi actum fuit ſupra,vbi agebamus de comprehenſione ipſius Dei: vbi quoque

retulimus quid ſenſerit Auguſt. quæſt. 3. de ſcientia Dei.

18 Atq; in eodem loco diſcuſſum quoq; fuit vberius de mẽte Auerrois, & Ariſtotelis: ſed plura infra quæſt. vltima.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum per ſuam ſcientiam comprehendat infinita.

Quæſtionis ſtatus.

1 NOn eſt quęſtio vtrū detur, vel dari poſſit actu infinitum: ſupponit autem quæſtio ipſum infinitum: & id, vel in actu, vel potentia: qua ſuppoſitione facta, quæritur vtrum Deus per ſcientiam ſuam comprehendat tale infinitum.

2 Nec eſt opus exquirere, an poſſibile ſit infinitum: ſed ſuppoſito, poſſe dari infinitum, poſtulatur vtrum Deus comprehendat ſic infinitum. licet autem de actuali eſſe infiniti non cōcordent Doctores, nihilominus quia de potentiali conueniunt, ſaltem in multitudine infinitali ſingularium accidẽtalium, ideo inquiritur vtrum infinitū hoc, ſaltem in potentia, comprehendat vndequaq; & ſimultanee, actualiter, & ex omni parte ſimul, ſiue de toto ſciat, & intelligat ipſe Deus.

Sententia Aureolis.

3 Aureolus quidem in 1. d. 35. q. 2. Durand. in 1. d. 39. q. 2. & Almayn. in 3. d. 14. q. 1. negant cognoſcere ſic infinitum actu, ſed cognoſcere aiunt illud ſolummodo ſucceſſiuè, partẽ poſt partem: ita vt totum, quod cognoſcit, ſit finitum, & vltra id, remaneat amplius quid cognoſcere, quod quidem non cognoſcat ſimul cum partib. alijs, ſiuè præcedentib. ſiuè ſubſequentib. ſed de ſe ſolo: & omnia, atq; ſingula cognoſcat ordinatè in infinitum, ſecūdum infinitam ſeriem poſſibilem eorum: in terminis autem ſcholaſticis idem eſt, ac dicere non cognoſcere infinitum *cathegorematicè*, ſed *ſyncategorematicè*.

Pro ſententia negatiua arguitur.

4 Probari autem id poteſt, primo, Deus cognoſcit infinitum eo modo, quo eſt: ſed non datur infinitū in actu, ergo non cognoſcit actu infinitum: datur autem infinitum in potẽtia, ſucceſſiuè, ordinatè, & non ſecundum ſe totum ſimul, ergo non cognoſcet actu. minor patet, quia hominum, & Angelorū cogitationes, & affectiones erunt infinitæ in potentia, ſucceſſiuè quidẽ, & non omnes ſimul, ſed qualibet data, reſtabit aliam ponere, etenim Animæ, Angeli, & Homines poſt reſurrectionem durabunt in infinitum.

5 Secundò Deus id, quod poteſt ſcientia ſua comprehendere, poteſt etiam & facere: at non poteſt facere infinitum in actu, ergo nec comprehendere: dà oppoſitum, quod nō poſſit ſcire id, quod non poteſt facere, & erit ad inſtar creaturæ, quæ multa cognoſcit, ad quæ non poteſt potentia ſua ſe extendere: quod ſi comprehendere poteſt infinitum, quod nō poteſt facere, igitur plus poteſt ſcire, quam poſſit facere: at id videtur abſurdum, ſiquidem ſicut eſt ſapientiæ infinitæ, ita & infinitæ potentiæ, ſicut canit Eccleſia, *cuius ſapientiæ non eſt numerus, cuius potentiæ non eſt finis*.

6 Tertiò, ſequeretur continuum componi ex indiuiſibilib. prob. iam in continuo ſunt infinitæ partes proportionales, ſeu infinitæ diuiſiones in potentia: ſi partes iſtas omnes infinitas, in quas poſſet diuidi comprehẽderet; ſequeretur quod deueniret inde in cognitionem partium eiuſdem continui omnino indiuiſibilium, & ita reſta-

ſtaret, continuum componi ex partib. iſtis, quæ vltro non eſſent diuiſibiles: prob. quoniam iam cognoſcit omnes continui partes infinitas, in quas poteſt diuidi; ergo cognoſcet etiam vltra iſtas partes, nõ dari alias, in quas poſſit fieri diuiſio, quia iam ex ſuppoſito cognoſcit omnes; igitur reſtat vt in continuo nil amplius remaneat, quam partes indiuiſibiles: & quidem erunt omnino indiuiſibiles, quoniam iã cognitæ prius erant partes omnes diuiſibiles: & ita à primo ad vltimum, partes iſtæ indiuiſibiles component illud reliquum continuum.

7 Quartò, contra rationem, & naturam infiniti eſt, vt poſſit menſurari, & pertranſiri, alias eſſet finitum. Item vltimò, infinitum ea ratione, qua infinitum, eſt ignotum, quia ex 3. phyſ. *infinitum eſt, cuius quantitatem accipientib. ſemper reſtat aliquid vltrà accipere*; ergo etſi Deus Angelorum, hominumq; perpetuas cogitationes, affectioneſq; concipiat, nihilominus, quia infinitæ erunt, ſemper remanebit de eis, quid vltra cognoſcere.

Sententia communis affirmatiua probatur poſſe cognoſcere infinitum.

8 Nihilominus eſt in oppoſitum communis Schola Theologorum, ſuſtinentium cognoſci actu à Deo omnẽ rationẽ infiniti. Eam docuere D. Bonau. in 1. d. 39. artic. 1. q. 3. D. Tho. 1. p. q. 14. art. 10. Richard. eod. loco Diui Bonau. cæteriq; communiter. Nec lõgè eſt ab iſta ſententia Scotus; etenim in 3. d. 14. q. 2. L. M. docet defendi poſſe, Animam Chriſti Domini videre in Verbo obiecta ſecundaria actu, infinita, quæ videt Verbum: & hoc vel vnica viſione per infinitos reſpectus terminata ad infinita obiecta: vel infinitis viſionibus cauſatis in eius anima ab ipſomet Verbo. Concedit ergo infinitum videri ſimul actu à Verbo, immò ab anima eiuſdem humanati Verbi. Verum eſt tamen, quod Scotus idem circa inſinuationem infiniti in actu; ſeu in proceſſum ad infinitum, non eadem via progreditur; etenim negat infinitum proceſſum, etiam in potentia, in ordine ad multiplicationem ſpecierum, cùm in eis ponat ſtatum, & terminum, ita vt qualibet ſpecie ſubſtantiali data non poſſit tendi in infinitũ; de quò ſuo loco ſupra eſt actum: cùm tamen concedat inde multiplicationẽ ſingularium accidentalium in infinitũ. Concedit quoq; Deum ipſas actu cognoſcere. De multiplicatione ſpecierum in infinitum in potentia, negabit eas cognoſcere; non quidẽ quod Deus ad id impotens ſit, cùm ea ratione, qua concedit cognoſcere vnum, concederet etiam ex parte ſui poſſe cognoſcere, & reliquum: ſed aliundè id prouenire ait, quoniam implicabit dari proceſſum in infinitum in ſubſtãtiali multiplicatione ſpecierum: quod autem implicat eſſe, idem eſt, ac nõ eſſe quod vero non eſt, cognoſci non poteſt, ergo tale infinitum ea quidem ratione Deus non cognoſcet. Pariformiter etiam vnuſquiſq; ad quæſitum reſpondebit, quandoquidem qui aſtruunt dari poſſe infinitum in actu, dicẽt cognoſcere Deum infinitum in actu: qui verò id negant dari poſſe, negabũt quoq; Deum illud cognoſcere; quod namq, nec eſt, nec poteſt eſſe, cui etiam repugnet per omnem potentiam eſſe, vtiq; cognoſci non poteſt.

Scoti ſententia.

9 Sed accedamus ad principale intentum. quidquid ſit de particulari infinito, ſiuè id ſit infinitum in quantitate permanenti, ſiuè ſucceſſiua, ſiuè infinitum multiplicationis, tum ſpecierum, atque indiuiduorũ in ſpecie ſubſtantiali, ſiuè ſingularium in ſpecie accidentali, quidquid illud ſit, & quale ſit; ſupponamus modo dari infinitum, ſiuè id verum ſit, ſiuè falſum, & quæritur, ſuppoſito tali infinito, vtrum illud comprehendat Deus: dicendum quod ſic. & prob. dã oppoſitum quod non cognoſcat, ergo erit ignorans Deus: Prob. datur aliquod, in rerum natura, ex ſuppoſitione, nempè infinitum, ergo ſi id non cognoſcit Deus, ignorans erit Deus. Item quærò, Deus id non cognoſcit, quis ergo illud cognoſcet? ſi dixeris, creatura, ergo creatura erit ſapiẽtior Creatore: ſi dederis nec creaturam, nec Creatorem id ſcire, ergo erit aliquod in entib. quod à nemine ſcietur: Deus autem eſt ſupremus moderator Familiæ huius mundi, & ad optimum Familiæ Gubernatorem ſpectat cuncta ſuæ familiæ ſcire, ergo ſciet optimè hoc infinitum ipſe Deus. Adde, quòd ſi Deus id neſciet, quo-

mo-

modo nam tale infinitum adueniet in rerum natura; etenim cuncta creata aduenìunt per ſapientiam, & imperiũ ipſius Dei, *ipſe enim dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt*: igitur non poterit hoc infinitũ habere eſſe, quin ſciatur, & volitum ſit à Deo.

10 Inſuper poſt Iudicij diem cogitationes hominum, & Angelorum erunt infinitæ, quia durabunt in infinitum: quæro quidnam cognoſcit de illis Deus: Dices cognoſcere eas, quæ fuerunt, & quæ ſunt: cæteras autem futuras in potẽtia in infinitum cognoſcet inde ſucceſſiuè, pro quando erũt, non autem antequam omnes actu infinitæ ſint: Contra, primo, ergo Deus non cognoſcit futurum, patet, cogitationes quæ poſtea aduenient in infinitum, iam non ſunt præſentes, ſed futuræ, ſed has non cognoſcit, ergo nõ cognoſcit futurum. Secundò, igitur variabitur diuina cognitio, cùm modo ſit de obiecto, de quo prius non erat; non enim ſciebat cognitiones illas futuras, quia nondum erant, & modo cognoſcit eas, quia modo ſunt: tertio dabitur ſucceſſio in ipſa cognitione Dei: hoc ſequitur ex priori. quartò pugnat contra Auguſt. dicentem, *non aliter Deus nouit facta, quam fienda*: ſed fienda per ſe non nouit, ergo aliter, nouit fienda, quam facta. Quintò, dum non cognoſcit cogitationes illas in æternũ futuras, erit vtique earum neſcius, immo ignorans, & ita hi ignarũ reddunt ipſum Deum, quod repugnat fidei.

11 Item omnes illæ futuræ in infinitum cogitationes habẽt eſſe actuale, ergo cognoſcũtur actualiter à Deo, prob. anteced. habent eſſe in æternitate, quæ ſimul comprehendit, & menſurat omnia; nedum enim præterita, ſed præſentia etiam copulat & futura: at cognitiones iſtæ habent ſecum mẽſuram permanentem, continentem ſingula, & amplexantem omnia, quę in æternitate fient: ijſq; omnibus coexiſtet, quę pro quauis differentia temporis, ſiuè realis, ſiuè imaginarij, erunt. Denique ipſa Dei eſſentia, continet hæc omnia, ipſa namque repræſentat ſingula hæc diuino intellectui: quod ſi Dei cognitio deſumeretur à rebus, vt noſtra ſit, vtiq; deberet dici non ſimul cognoſcere ea, quia actu non ſunt: verum quia talis non eſt, ideò concedẽdum ſcire actualiter infinitatem omnem poſſibilem, tum futurarum affectionum, tum diuiſibilium partium in infinitum ipſius continui.

12 Hinc verò addendum, quòd (ex quo Dei eſſentia eſt ratio diuino intellectui hæc cognoſcendi) non quidẽ repræſentabit ea ſingillatim, modo vnum, modo alterum, ſed actu ſimul: Nec dicendum, quod inter eas, quæ infinitæ ſunt partes proportionales, ſeu cogitationes, oſtẽdat eſſentia hanc v.g. cogitationem, ſeu hanc v.g. partem proportionalem ſub ratione primi, & ſub ratione ſecundi, & ſub ratione vltimi, ſed omnia indiſcriminatim repræſentabit ſimul, & actu, præſcindendo à ratione vltimi, medij, & primi; ratio eſt, quia in infinito non datur primum, nec ſecundum, nec vltimum, aliàs non eſſet infinitum, ſed finitum, quia quod habet principium, mediũ, & finem, iam eſt finitum: vnde eſt vt in Continuo non detur prima pars proportionalis, nec ſecunda, nec media, & conſequenter nec vltima. & licet in cogitationibus detur prima, & ſecunda, quia iam inceperunt habere eſſe, nihilominus à parte poſt non dabitur medium, nec vltimum in enumeratione ipſarum, quoniam in æternum multiplicabuntur. *Eſſẽtia nõ repræſẽtat infinitum ſucceſſiuè intellectui diuino, ſed totũ ſimul.*

13 Et tandem principale aſſertum confirmat Auguſt. 12. de Ciuit. Dei c. 18. inquiens, *quamuis infinitorum numerorum nullus ſit numerus; non eſt tamen incomprehenſibilis ei, cuius intelligentiæ non eſt numerus.* & infra, *ſi quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis cognitione finitur, profecto & omnis infinitas quodam ineffabili modo, Deo finita eſt.* clariſsimè loquitur Auguſtin. oſtendens infinitum eſſe quidem in ſui natura infinitum; cæterum reſpectu omniſcientiæ Dei, eſſe omnino finitũ. quia vndequaque, atq; omni ex parte ſit comprehenſum. *Ex Aug.*

14 Argumenta autem ex dictis ſoluuntur, & ad primum conceditur maior. cum verò ais, infinitum non eſſe in actu; diſtinguunt Thomiſtæ, aut in ſeipſo, aut in æternitate: loquendo de primo, vtique in ſeipſo actualiter *Obſtatur.*

non

non eſt,niſi ſecundùm partes, vt contingit, præcipuè in infinitate numerali, & ſucceſsiua , in qua ſemper reſtat aliquid vlterius accipere, vt loquebatur Ariſtot. ſup. at loquendo de poſteriori, ſeu in æternitate, dicunt habere ſimul eſſe in actu,quoniam actualiter coexiſtit æternitati, tùm ſecundùm partes præteritas, tùm denique ſecundùm futuras , quoniam omnes hæ coexiſtent æternitati.

Infinitum qualiter præſens Deo.

15 Reſponſio hæc admittitur facillimè à Thomiſtis, exiſtimantibus cuncta Deum cognoſcere, quatenus præſentia ſunt æternitati: ſed aduerſatur Scotiſtis, dum id Scotus negat: Aiunt Aliqui, id Scotum non negare , nam aliud eſt loqui de cognitione , aliud de actualitate eſſendi ipſarũ cogitationum infinitarum Angelorũ: loquendo de primo, iam Scotus diceret eas cognoſci à Deo quatenus ſunt ſibi præſentes obiectiuali præſentia , de quo ſup. q.10. & in hoc differret à D. Thoma: cæterum non negaret, inquiunt, Scotus infinitas illas cognitiones habere eſſe actuale in æternitate; non enim diſputat, in quo habeant eſſe actuale,ſed per quid cognoſcantur: Verum aduerſatur apertè doctrinæ Scoti,vt vidimus loco citato:ideo reſpondendum vt ibi,cognoſci à Deo,non vt præſens æternitati, dum non eſt, ſed vt præſens præſentia obiectiuali, atque intelligibili ipſi Deo.

Infinitæ partes ſimul ſimultate obiectiuali non entitatiua.

16 Dices, illud eſſe actuale nõ eſt ſimul. Reſpond. Verum eſt non eſſe ſimul,cùm cognitiones infinitę non ſint ſimul; cæterum habent omnes præſẽtiam obiectiualem,qua mediante porriguntur ſimul diuino intellectui ſub ratione intelligibilis, quamuis in ſeipſis non ſint ſimul ſecundùm actuale eſſe: vnde licet non ſint ſimul ſimultate entitatiua, ſunt tamen ſimul ſimultate obiectiua.

17 Ad ſecundum reſpond. Deum poſſe facere infinitum , & ita conſequenter comprehendere infinitum. Reſponſio hæc valet pro iis, qui ſuſtinent poſſe Deum dare actum infinitum.

Infinitum cognoſcit Deus, ergo poteſt illud facere, an valeat conſequentia.

18 Quòd ſi tale infinitum actu negetur dari poſſe per Dei potentiã , negari poſſet hæc cõſequentia,cognoſcit actu, & ſimul Deus infinitum, ergo poteſt facere actu infinitum: negabitur inquam , quandoquidem Deus cognoſcit omnes, infinitaſque partes ſucceſſiuas temporis,ſeù cognoſcit ſimul partes temporis ſucceſſiuas , attamen non poteſt facere, vt temporis partes ſint ſimul : ſimiliter de motu ; quia tùm temporis,tùm motus partes ſunt eſſentialiter ſucceſſiuæ, aliàs non eſſet continuum ſucceſſiuum,ſed permanens: Deus autem non poteſt facere tempus, ac motum non eſſe ſucceſſiuum,quia deſtrueret naturam vtriuſque , & nihilominus ex parte ſui intellectus cognoſcit ſimul omnem partem temporis, & motus, itaut ſimultas ſtet ex parte cognoſcentis , & cognitionis,non ex parte cogniti: ita diceretur, cognoſcit Deus actu ex parte ſui infinitã multitudinẽ cõgitationũ , nihilominus non poſſent actu ſimul coadunari, & copulari infinitę numero cognitiones,quia à parte rei repugnet, ſicut repugnat à parte rei copulare , & coadunare ſimul omnes partes motus,& temporis, aliàs vtrumq; eſſet permanens,& ſucceſsiuum; quidquid tamen ſit de opinionibus infiniti, nihilominus ſiue per primam, ſiue per ſecundam reſponſionem, ſolutum eſt argumentum.

Infinitas partes ſucceſſiuas tẽporis cognoſcit ſimul ſimultate ſe tenente ex parte cognoſcentis, nõ ex parte cogniti.

In infinito non datur primum,et vltimum.

19 Ad tertium negatur deueniri ad indiuiſibilia;negaturq; componi ex indiuiſibilibus; etenim cognoſcit Cõtinuum non componi ex indiuiſibilibus , ſed cognoſcit conſtitui ex diuiſibilibus , & partes illas omnes cognoſcit ſub ea ratione, qua ſemper diuiſibiles in infinitum ſunt . quod verò vrges , quòd vltra partes diuiſibiles cognitas, non reſtat alia pars diuiſibilis, tu quidem admittis vltimam partem , ſeu admittis vltimum in infinito;at diximus in infinito nec dari primũ , nec vltimũ ; quapropter Deus videt vnãquamque partem continui diuiſibilẽ eſſe in infinitas partes proportionaler: vnde fit, vt non detur vltima diuiſionis pars, qua poſita,procedatur ad indiuiſibilia.

Infinitũ in quantitate ſi daretur, poſtularet menſuram quantitatiuam infinitam.

20 Ad quartum,& vltimum, dum primo dicitur,infinitũ non poſſe menſurari, loquendum eſt de infinito in magnitudine, & de menſura quantitatiua:

tiua: & quidem tale infinitum menſurari non poteſt quantitate, quæ ſit finita, & terminata, quia infiniti, & finiti nulla eſt proportio: niſi forſaſſe daretur aliqua quantitas infinita, ſeu menſura extenſiuè infinita, tunc enim infinitum adæquaretur quantiati menſuratiuæ infinitæ, & ita infinitum menſuraretur menſura infinita. cæterum loquendo de menſura intentionali, ſiuè intellectuali, quæ conſiſtit in adæquata comprehenſione, & cognitione ipſius infiniti, non repugnat poſſe mẽſurari: & ita diuinus intellectus, vtpote infinitus, vndequaq; comprehendet omnem naturam, & conditionem infiniti: idem namq; eſt ſic intentionaliter menſurare, ac adæquatè comprehendere, & perfectiſsimè ſcrutari, hoc autem ſoli Dei intellectui competit, vtpote infinito, non autem intellectui creato, vtpote finito. idem quoque dicendum de infinito in multitudine, vt menſuretur non menſura reali, ſed intentionali.

Infinitum mẽſuratur, et comprehenditur mẽſura infinita intẽtionali.

21 Conſimiliter ad id de pertranſiri. vtiq; infinita magnitudo pertranſiri non poteſt trãſitu phyſico, & reali, cæterum pertrãſiri poteſt tranſitu intentionali, ſeu intellectuali comprehẽdendo illud, vt facit Deus.

Infinitum non poteſt pertrãſiri: explicatur

12 Cùm denique concluditur, infinitum eſſe ignotum; dicendum eſt repugnare abſolutè vt infinitum de ſe ſit ignotum, ſeu vt ſit ignorabile, ſeu incognoſcibile; ratio, quia infinitum eſt ens, & conſequenter eſt verum: ens autem eſt obiectum intellectus, ergo infinitum eſt cognoſcibile. item veritas eſt obiectum adæquatum intellectus, ſiue ſaltem cõditio obiecti adæquati intellectus, vt vult Scotus; ergo erit cognoſcibile, & ita remanet infinitum non eſſe de ſe ignotum, ignorabile, & incognoſcibile: & conſequenter cognoſci de ſe poterit. quod verò non cognoſcatur, & iuxta Ariſtot. ſit ignotum, id prouenit ex imperfectione intellectus creati, quia cùm ſit finitus, & limitatus non poteſt adæquari infinito, nec conſequenter ipſum comprehendere, ſed ſemper in eius inueſtigatione remanebit aliquid vltra accipere, vt loquebatur Ariſt. Cæterum, quia Dej intellectus eſt vndequaque infinitus, hinc merito poteſt ipſum cognoſcere, immo adæquatè comprehẽdere, itaut nil de infinito remaneat, quod non comprehendatur ab ipſo Dei intellectu. loquebatur ergo Ariſtot. de intellectu creato, ratione cuius infinitum eſt ignotum.

Infinitum eſſe ignotũ. an ſit verum.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum ſcientia de creaturis ſit neceſſaria, immutabilis, & infallibilis.

1 EX dictis tum in hac, tum in prçcedẽtib. quæſtionib. deducitur primo, Deum ſcire neceſſariò omnem conditionem exiſtentiæ cuiuſcũque rei, tum neceſſariæ, tũn contingentis: Secundò, ſciẽtiam eius eſſe omnino inuariabilem, & immutabilem: atq; tertio eſſe prorſus infallibilem. Omnia patent ſingulariter ex toto decurſu vniuerſæ huius diſputationis per quçſtiones ſingulas agitatas: nec oportet amplius immorari in probationib. cùm abunde probata ſint ex ſcripturis, Patribus, rationibus, &c.

2 V. rum ſuperſunt ordinaria, & pau-

pauca, quæ aduerſus tria hęc capita obijci ſolent: recēſebimus autem breuiter, & ſoluemus.

Scientia de contingentib. an neceſſaria.

3 Incipiendo autem à capite neceſſitatis, in primis explicandum eſt qualis ſit neceſſitas iſta, an ſimpliciter, an ſecundùm quid: an abſoluta: an intrinſeca, an obiectiua, & extrinſeca.

Sententia D. Tho.

4 D.Tho. 1.p. q.14. art.13. ad 2. ait futurorum contingentium ſcientiam Dei eſſe ſimpliciter neceſſariam. Scotus ex oppoſito docet eſſe ſimpliciter contingentem, & ſecūdùm quid, neceſſariam, in 1.d.39.q.4.

Sententia Scoti.

5 Placet Scoti ſententia, vnde dicimus ſcientiam diuinam de cōntingentibus non eſſe abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid neceſſariam. ſuadetur breuiter, obiectum non eſt neceſſarium, ergo ſcientia de obiecto non eſt abſolutè neceſſaria: antecedēs patet, quia eſt contingens. Item ſcientia ſpecificatur, & menſuratur à ſcibili: at ſcibile contingens non eſt neceſſarium, ergo nec Dei ſcientia erit neceſſaria. Demum, ſciuit Deus ab ęterno Petrum curſurum: at poterat ſcire oppoſitum, dum poteſt non currere, ergo non eſt abſolutè neceſſaria. Confirmatur, Dei ſcientia eſt indifferens ad alteram partem contradictionis vt ad ſcire currere; & ſcire quòd poſſit Petrus non currere: ergo non eſt abſolutè neceſſaria.

Neceſſaria ex ſuppoſitione &c.

6 Hinc tamen dicimus eſſe neceſſariam ex *ſuppoſitione*: ſuppoſito namque decreto de curſu, vtiq; ſcit neceſſariò Deus curſum; quia neceſſariò ſcit Deus omnem definitionem ſuæ diuinæ voluntatis. Item eſt neceſſaria neceſſitate *immutabilitatis*; ratio, quoniam Dei decretum ſtat, & diuina voluntas non mutatur, ergo nec mutabitur Dei ſcientia de quacunque re decretata. Inſuper eſt neceſſaria *ſecundùm quid*, non *ſimpliciter*, nec neceſſitate *ineuitabilitatis*; patet, quia ſicut poſſet aliter euenire, ita & aliter ſcire. Eſt neceſſaria in entitate, & formaliter; etenim cognitio Dei eſt ipſe Deus: Itē neceſſitate cōſequentiæ, nō cōſequentis, quia obiectum non eſt ens abſolutè neceſſarium: neceſſitate denique in ſenſu compoſito, non in ſenſo diuiſo, iuxta illud, *omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe.* cæterum extrinſecè, & obiectiuè, atq; terminatiuē appellatur à Scotiſtis contingens: inter quos Rada 1.p.q.30.art. de quo & nos ſup.q.16.

Neceſſitas ſcientiæ an inferat neceſſitatem contingentib.

7 Dices, ſcientia eſt neceſſaria, ergo contingentia ſcita, erunt neceſſaria, & non contingentia. Reſpond. negando conſeq. quia neceſſitas eſt ſolummodo extrinſeca: quòd ſi eſſet intrinſeca, ſequeretur intentum: & ita ſcientia, quam Deus habet de diuina eſſentia, eſt neceſſaria in ſe intrinſecè, vnde & ipſamet eſſentia ſcita eſt intrinſecè neceſſaria: non ſic contingentes creaturæ.

Neceſſitas ſcietiæ Dei vnde?

8 Vnde autem proueniat talis neceſſitas in diuina ſcientia penes contingentia; fuit ſæpius in ſuperioribus repetitum: prouenit autem ex plenitudine perfectionis diuini intellectus: ex fæcunditate intellectus diuini: ex infinitate ſcientiæ Dei: ex comprehēſione diuini intellectus. vnde fit, vt neceſſariò omnia ſciat; aliàs quidquam, vt creatura, ignoraret: talis autem neceſſitas indicat ſummam perfectionē in Dei intellectu, quatenus errare nequit, nequit falli, impoſſibile eſt, decipiatur, aut quidquam, & ſi minimum, ipſum lateat. Hæc de capite neceſſitatis.

An immutabilis.

9 Circa caput inuariabilitatis, immutabilis eſt Dei ſcientia: ſed contra obſtatur, à contradictorio in contradictorium nō poteſt fieri tranſitus abſque mutatione: at Deus ſciens A, poteſt neſcire A, ergo poteſt mutari de ſciente in non ſcientem. maior patet; etenim ceſſante omni mutatione non poterit fieri, vt hoc nūc ſit verum, quod prius v.g. erat falſum. Secundò, Deus ante decretum non ſcit A, v.g. Petrum curſurum; poteſt tamen ſcire fore curſurum; quæro autem quæ potentia ſit illa diuini intellectus, aut actiua, aut paſſiua: nihil horum: prob. ſi paſſiua, ergo mutatur, quia ſubiectū mutatur cùm recipit formam, ad quā eſt in potentia paſſiua, vt materia: ſi actiua, ergo etiam mutatur, prob. potentia actiua naturalis nō poteſt agere poſtquam non egit, niſi agendo mutetur de non agente ad agentem: ergo ex omni parte mutatur: eſt autem Dei

intellectus potentia naturaliter agens. Tertiò, quidquid non eſt A, nec poteſt eſſe, poteſt incipere eſſe A; at Deus, v.g. non ſcit Petrum curſurum cras, poteſt autem ſcire fore curſurum, ergo poteſt incipere ſcire, & conſequenter mutari de non ſciente ad ſcientem. Confirmatur, ante decretum Deus nõ ſcit Petrum curſurum cras: poteſt autem inde ſcire; ergo poſt decretum incipiet ſcire; & conſequenter mutabitur.

Ad mutari quid requiritur.

9 Ad primum reſpondetur, quòd ad hoc, vt ſubiectũ aliquod mutetur, neceſſe eſt, quòd aliquando fuerit ſub forma oppoſita, & de hac tranſeat in alteram formam, ſub qua prius non fuerit, aliàs nulla erit mutatio: propter quod, *mutari eſt* aliter ſe habere nunc, quàm *prius*: *nunc* quidem indiuiſibiliter, *prius* verò diuiſibiliter: ita euenit in materia, quæ verè mutatur, dũ tranſit de forma in formam, & de priuatione formæ, ſub qua in tempore fuerit, & inde ad formam: itaut quãdo materia produceretur ſimul cũ forma, non diceretur mutari, quoniã in nullo inſtanti, ſeu tẽpore fuiſſet ſub priuatione talis formæ, vt docet Scot. in 3. d. 2. q. 3. ad vlt. ad propoſitum autem, nulla mutatio in intellectu Dei, quia nunquam tranſijt de non ſciente ad ſcientem; cùm in nullo inſtanti fuerit ſub negatione ſcientis, ſeu ſub forma oppoſita ſcientiæ curſus Petri: ſed ſemper ſciuit &c. Cùm additur, quòd ante decretum neſciuit. Reſpond. committi fallaciam arguendo ab abſtractione præciſiua ad diuiſam; etenim ante decretum non dicitur *neſcire*, nec *ignorare*, ſed non dicitur, ſeu non intelligitur *ſcire*; ratio, quia ante decretum nil erat determinatum de curſu Petri dum ergo nõ erat quid de Petro certum, nec vtiq; poterat quidquam determinatè, niſi neutraliter ſolum, vt ait Scot. ſcire: at *ante*, & *poſt* in diuinis non ſũt prius, & poſterius tempore, ſed naturâ, ergo nulla mutatio in ſcientia Dei.

Intellectus eſt potentia actiua.

10 Ad ſecundum, intellectus Dei eſt potentia actiua. Cùm arguis demutari, quia quod prius non egit, & inde agit, mutatur, Reſp. verum de eo, quod ad agendum habuit quidem omnia neceſſario requiſita; nã hoc ſi non egit tunc, & inde aget, vtiq; mutatur: quod verò prius requiſita non habuit, ob quod non egit, & nunc agit, quia nunc habet, non dicitur mutari: ſic ſe habet Dei intellectus; etenim ante decretũ non erat determinatum, Petrum fore curſurum; ideoq; Dei intellectum non non ſciuiſſe tunc fore curſurum, deficiebat namq; determinatio diuinæ voluntatis requiſita: at poſita iam determinatione, ſtatim ſcit: nec tamen dicitur inde mutari: Accedit quod diximus de abſtractione præciſiua, & diuiſiua &c. Accedit etiam, quod iſta non ſunt ſigna *in quibus*, quia in nullo inſtanti verũ erit dicere Deum aliquando neſciuiſſe: ſed ordo talis eſt, vt præcedat decretum, ordine naturæ: & inde ſubſequatur ſcientia de curſu Petri.

Incipit, & deſinit, ibi, vbi ſucceſſio.

11 Ad tertium, verum vbi interuenit ſucceſſio oppoſiti ad oppoſitũ; ibi namque reperitur *incipit*, & *deſinit*, nulla tamen ſucceſſio in Dei intellectu, nec actus ad actum; nec ignorantiæ ad ſcientiam, ſed ab æterno nouit omnia ſimul. Ad illud de decreto, iam dictum non eſſe inſtans illud inſtans *in quo*, itaut aliquando neſciuerit: ſed talis ordo neceſſariò requiritur, & non eſt ordo temporis, itaut tempore antecedenti præfuerit ſub neſcientia, ſed naturæ: at hoc non infert mutabilitatem.

An infallibilis.

12 Circa caput certitudinis, & infallibilitatis arguitur ex Philoſ. 1. Periherm. *In futuris* contingentibus nõ eſt determinata *veritas*; ergo nec determinata, certa, & infallibilis cognitio; prob. conſeq. ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci: at Petrum fore cras ſeſſurum, non eſt determinatum, cùm ſit contingens, ergo nec certò ſcietur. Confirmatur ſi haberetur certa notitia de futuris contingentibus, iam non oporteret conſiliari, & negotiari: ita .n. arguit Philoſophus, quòd ſi eſſet de contingentibus determinata veritas, nõ oporteret negotiari. Secundò, potentia Dei ſi eſſet limitata ad vnam partem, eſſet imperfecta; quia ſi Deus poſſet hoc, & non eius oppoſitum; ſequeretur fore potentiæ limitatæ: ergo ſi ſciat vnam partem contradictionis, & non aliam, nõ eſſet omni-

niſciens,ſed ſcientiæ limitatæ. Tertiò, Deus ſcit me ſeſſurum cras: at potero non ſedere cras:ergo poterit falli ſciētia Dei;prob.conſeq. ſicut ad duas de ineſſe ſequitur concluſio de ineſſe; ita ad vnam de ineſſe,& alteram de poſſibili,ſequitur concluſio de poſſibili:ergo poſſibile eſt diuinam falli cognitionem, quia poſſibile eſt, me non ſedere cras. Quartò, nouit ab æterno me ſcripturum fore: at non ſcripſi ab æterno,ergo fallitur ſcientia Dei.

De futuris contingentibus quomodo determinata veritas.

13 Ad primum ait Scot. in 1. d. 39. q.vn. lit.P.nō reperiri conſimilem veritatem in contingentibus de præterito,præſenti, & futuro; ſiquidem in præterito cōtingenti, & præſenti: iam reperitur veritas determinata; quia verè fuerunt,& ſūt à parte rei,reddēdo ſingula ſingulis, itaut in poteſtate ſuarum cauſarum non amplius ſit non ponere in eſſe, quia iam poſita ſunt in eſſe: prius tamen in earum facultate id erat, at nunc non eſt, quia iam ſunt poſita extra cauſas ſuas &c.at contingens futurum, adhuc ſiſtit in poteſtate ſuæ cauſæ, vt ponatur, vel non ponatur in eſſe: & hinc venit, vt benè poſſit homo de ijs negotiari, & conſiliari, ſunt namq; indifferentia ad vtrāque partem,ergo poſſumus negotiari.

Idem.

14 Reſpondemus inſuper, cōtingentia conſiderari, vel intrinſecè, vel extrinſecè: primo modo non ſunt determinata ad alteram partem contradictionis, aliàs eſſent neceſſaria: ſecūdo modo ſunt determinata iam à decreto diuinæ voluntatis ad alteram partem infallibiliter euenturam. loquendo de primo, nulla ſtat implicantia,vt poſſimus negotiari,immo negotiari, & conſiliari poſſumus,quia non ſunt de ſe ad alteram potius, quā partem aliam determinata; loquendo de ſecundo dicimus, quod vel innoteſcit quidnam decretauerit diuina volūtas de contingenti futuro,vel ignoramus: ſi demus primū, contenti eſſe deberemus de voluntate Dei,& conſiliū omne in oppoſitū erit inutile,*Cōſiliū meū ſtat,& voluntas mea fiet.* ait per Iſa.46. loquēdo de ſecūdo,vtiq;poſſumus cōſiliari, & negotiari,quia neſcimus adhuc, quid foret &c. cæterum redeundo ad ſcientiam Dei, ipſa erit infallibilis, quia per eam cognoſcit quid vltimato fiet de contingentibus, dum autem curſus Petri eſt determinatus, optimè nouit vltimam determinationem de tali curſu Petri.

15 Ad ſecundum, aut loquimur de poſſibili, aut de facto, de potentia, & ſcientia: & quidem de potētia Dei, quòd illa de facto ſit vnius, & non alterius non eſt imperfectionis in ea: quia nunc producit hic calorem, & non frigus,at hoc non eſt imperfectionis in ea: ſi autem poſſet ſolùm creare frigus,& non calorem,vtiq, eſſet limitata,& imperfecta:ita de ſciētia, quod Deus ſciat me nunc ſcribere, & non ſciat oppoſitū (quia non eſt verū oppoſitū) nō eſt imperfectionis in ſcientia,quia quod nō eſt, non poteſt ſciri: nec ſciri poteſt falſum, etenim falſum eſt me nunc non ſcribere:ſi verò ita ſciret me ſcribere,vt non poſſet etiam ſcire me habere potentiam ad non ſcribendum, ſeù ad poſſe nō ſcribere, hoc eſſet imperfectionis in eius ſcientia: at quia ſcit vtrumq; ideo eſt infallibilis eius ſcientia.

16 Ad tertium negatur conſequens. ad probat.illa de poſſibili nōn erit quòd Dei ſcientia poſſit falli, ſed quod Deus poſſet ſcire oppoſitum, ſi eueniret: verum quia vna cum ſeſsione ſtat potentia ad non ſedendum, Deus ſcit vtrūq; tum ſeſsionem, tum potentiam ad ſurgendum à ſeſsione.

Ad tertiū.

17 Ad quartum, nouit ab *æterno* me ſcripturum,ſed non pro *æterno*:nouit ab æterno, quia tunc perfectè nouit omnia,etiam antequam fierent: attamen non voluit hæc pro æterno, ſed pro tempore fieri, ideoque nouit ſcirptionem pro tempore, non pro *æterno*,fieri,ſiue ab *æterno.*

Nouit omnia ab æterno, ſed pro æterno.

DISPVTATIO XVII.

De Prouidentia Dei.

QVÆSTIO I.

De Vocis *Prouidentiæ* Ethymologia.

1 CVm à Theologis Prouidentia diuidi ſolet in naturalem, & ſupernaturalem, iuxta materiam, & finem ordinis naturalis, & ſupernaturalis: de vtraq; agendum: prius autem de prouidentia ordinis naturalis. Incipiamus verò à vocis Ethymologia,

Ethymologia prouidentiæ à Præ, Porro, Procul

2 *Prouidentiæ* vocis Ethymologia multiplex eſt: & quidem *prouidere* nō ſimplex, ſed compoſitum verbum eſt: componitur autem ex *pro*, & *video*, ſeu *videre*: ita vt inde inſurgat, *prouideo*, ſeu *prouidere*. ly autem *pro* idem ſignificare ſolet, ac *præ*: hoc vero id importat, ac *ante*: vnde *prouidere*, ſeu *præuidere* idem eſt, ac ante *videre*: Verum quia Deus ab æterno cuncta præuidit, ac peroptimè præcognouit antequā fierent, hinc appellatur Dei præſcientia, *præuidentia*, ſeu ſic *prouidentia*: vnde Tullius lib. 2. de Iuuenti: *prouidentia*, inquit, *eſt*, *per quam futurum aliquod videtur antequam factum ſit*. atque Iſidorus l. 10. ethimol. lit. P. de Deo ait, *incertorum præuidet caſus*. Item ly *pro* importare ſolet idem, ac *procul*, ſeu à *longè*: & ita de Deo dicimus, vt res etiam à *procul* videat, quatenus exiſtens in cælo, ita Pſal. 57. *quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra*. Idem quoque *pro* ſignificat *porro*: eſt vero idem *porro*, ac *procul*, vnde Maro Æneid. 6. *quæ ſunt ea flumina porro?* & Boet. 5. de conſolat. proſ. 6. de Deo, inquit, *porro à rebus infimis conſtituta, quaſi ab excelſo rerum cacumine cuncta proſpiciat*. Idemque Iſidorus *porro videns, quoniam incertorum præuidet caſus*. igitur idem eſt, ac à longè videre, prout loquitur pſalmus.

An verum ſit Deum à lōge videre.

3 Ergo *procul* hoc, ſiuè *porro* diſtantiam dicunt. Verùm quomodo fieri poterit vt dicatur Deus *procul*, & à *longè*, ſiuè etiam è diſtanti à terra cęlo, res, quæ in terris aguntur, videre? ratio namque dubitandi ea eſt; ſiquidem Deus à creaturis non diſtat, ait enim Paulus penes Lucam Actor. 8. *nōn lōgè eſt ab vnoquoque noſtrū, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*: Itē Deus eſt magis præſēs mihi, atque intimius, quam ego mihi ipſi, cum mea ab ipſo pendeat vita, inquit Scot. in 2. d. 1. q. 2. dum quoque per immenſitatem eſt vbique, nulla res eſt abſque præſentia Dei: Ac demum, dato, quod defineret eſſe præſens huic Aulæ Deus; rueret ipſa aula, ac deficerent cuncta, ceſſante ipſa præſentia Dei: dum igitur conſeruatur in ſuo eſſe Orbis, ſignum eſt, eſſe vnicuique eius parti præſentem Deum: quorſum ergo dicitur *procul*, *porro*, ſeu à longè videre, & ex diſtanti, quoque res intueri iuxta locutionem Pſalmi?

4 Reſpondetur de diſtantia duplici eſſe diſtinguendum: Alia namque eſt diſtantia localis, alia durationis: lo-

quen-

Diſtantia localis, & durationis: per primã à nulla creatura diſtat Deus: per ſecundã ſic.

quendo de prima, concludit argumẽti diſcurſus,& vt ſic verum eſt, à nulla re Deum localiter diſtare: prout demonſtrauimus ſup.diſputat. de immẽſitate Dei:& ita Paulus,&c.at loquẽdo de diſtẽtia durationis, vtique Deus diſtauit,& diſtat à plerique rebus; patet, quoniam creaturæ non fuerunt ab æterno,acceperunt habere eſſe, & durationem in tempore,& plura nunc nõ habent eſſe,quæ tamen erunt ſucceſſiuè pro futuro tempore:atque res vnaquæque ſuam habet durationem, ſiuè œuum, ſiuè tempus, ſiuè inſtans; quo conceſſo, verum erit, quod Deus diſtauit per æternitatem ab earum æuo, & tempore. & nunc quoque diſtat ab illis,quæ nunc non ſunt, ſed erunt pro futuro tempore: ex hac autem diſtantia benè concluditur eas cognouiſſe ab æterno,ſicque *à longè*, & *procul*, quatenus inter Deum,& creaturas interceſſit æternitatis diſtantia, ſeu diſtantia durationis, & pro futuris intercedet etiam tanta durationis inſtãtia,quanta nota,& volita eſt ipſi Deo. & ita loquitur Pſalmus. Vel ſenſus eſt vt indicet Dei ſcientiam eſſe infinitã, ac proinde dato, quod non eſſet præſens alicui creaturæ; nihilominus perfectiſſimè cuncta cognoſceret, non ſic ipſa creatura,quæ à longè res, vel non percipit, vel minus aptè, & cum errore cognoſcere ſolet.

5 Demum *prouidere* idem importat,ac exactam *curam* de re aliqua habere,ipſique,quæ opus, vel ad conſeruationem ſunt, vel quę ad operationẽ ſpectant,apprimè adaptare; ita Sap.8. *quando præparabat cælos aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos*; *quando appendebat fundamenta terræ*, *&c.* concludit autem inde diuina Sapientia, *Cum eo eram, cuncta componens.* & c.6. *in omni prouidentia occurrit illis:* & 12. *non eſt alius Deus, quam tu,cui eſt cura de omnibus*. & paſſim infra.hinc ergo, idem eſt prouidere,ac de re aliqua curã habere. de quo amplius infra quæſt.3. *Idem, ac curam habere.*

6 A primo autem ad vltimum,vox *prouidentia*, ſeu verbum *prouidere* tria indicat,1. *prouidere*. 2. *procul* videre. & 3. *curam* habere. Exemplis rem explicat Cicero,Medici,Imperatoris, Ruſtici.Medici in medendo. Imperatoris in inſidias Inimicorum declinando. & Ruſtici in futuræ tempeſtati,pro agro excolendo, occurrendo. omnes autem,& præuident,curant, & cũcta pro viribus diſponendo, prouident. ait enim, *Medicus morbum ingraueſcentem ratione prouidet. inſidias Imperator. tẽpeſtates gubernator,&c.* l.1.de diuinat. *Prouidẽtia tria munera.*

QVÆSTIO II.

Vtrum detur Prouidentia.

Prouidẽtiã qui negarint.

1 PRouidentiam negarunt pleriq; ex Philoſophis, & quidẽ Democritus, & Epicurus omnia Fato attribuunt: cuncta ex atomorum concurſu fieri exiſtimantes: ac proinde prouidentiæ, etiam nomen deriſerunt, itaut eam per ludibrium appellaſſent *Anum fatidicam*, penes Tull.2. de nat. Deo. fuerunt & Alij,qui non abſolutè, ſed reſpectu, & ordine aliquorum particularium,prouidentiam negabant: vtpote aientes, ſolas res incorruptibiles,& immortales cadere in Dei prouidentiam, vt ſubſtantiæ abſtractæ,ſpecies rerum,& genera, non tamen ſingularia, & indiuidua,ſunt enim hæc corruptibilia. ex

his

his fuit Comment. 12. met. cap. 52. 52. Addunt & alij Ariſtotelem, de quo Clemens Alexandrinus l. 4. ſtrom. ita ſcribit, *Ariſtoteli venit in mentem vſq; ad Lunam deducere prouidentiam ex hoc pſalm. 35. Domine in Cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes*: ſupponit verò Clemens, tùm ipſum, tùm Græcos antiquiores Philoſophos multa deſumpſiſſe ex ſcripturis. de qua re ſup. diſp. 1, q. 1. & tom. 2. diſp. 1. q. 4. idem de Ariſtot. ſenſit Theod. l. 6. de cur. affect. Græc. & Ambr. lib. 2. offic. c. 13. quid verò ſenſerit ipſe Ariſtot. in ſpeciali de diuina cognitione erga creaturas, fuit examinatum ſup. diſputat. de ſcientia Dei quæſt. 3. Vlterius autem procedendo, Plato, penes Nemeſ. l. 8. phil. cap. 3. ſenſit ſolas res vniuerſales, ſicut & incorruptibiles, in prouidentiam Dei cadere, ſaltim immediatè, res verò inferiores, ac corruptibiles, in prouidentiam ſubſtantiarum abſtractarum, ſeù Angelorum: actiones tamen humanas in prouidētiam Dæmonū. Demum Cicero 2. de diuinat. diſputans cum Quinto Fratre abſtulit à Deo prouidentiam actuum humanorum, exiſtimās ignorare Deū quid certo ſit futurū, vt refert D. Aug. 5. de Ciuit. Dei c. 9. de quo idem Auguſtinus ſubdit, quòd, *Cicero dum homines facit liberos, facit ſacrilegos.* exiſtimans prouidentiam pugnare cum libertate: licet lib. 3. de nat. Deor. magis inclinet ad ſententiam Balbi ſtatuentis, quam Cottæ negantis prouidentiam. de Ariſtotele quidem Naziauz. orat. 1. de Theol. ait, *prouidentiā Ariſtotelis eſſe per paruā; etenim valde anguſtis finibus circunſcribit ipſam prouidentiam Dei*; ſi namq; Deum cognoſcere, & prouidere docet ea ſolūmodo, quæ intra cęlum, & nubes continētur ex relato teſtimonio Clementis, *veritas tua*, id eſt, *ſcientia tua, vſque ad nubes*, vtique perparua, & anguſta eſt penes ipſum prouidentia Dei: Accedit dictum inſipienſium penes Iob. 22. *nubes latibulum eius: & circa cardines cœli perambulat, & noſtra non conſiderat.*

Quid Ariſtot. · *Quid Plato.* · *Quid Cicero.*

Prouidētiā dari de fide eſt.

2 Nihilominus de fide eſt dari prouidentiam in Deo: etiam circa minima quæque. patet pſalm. 148. *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarū, quæ faciunt verbum eius.* 1. Petr. 5. *omnem ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis.* Sap. 8. *attingit à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterq; diſponens omnia.* & cap. 12. *non eſt alius Deus, quàm tu, cui eſt cura de omnibus.* Matt. 10. *vnus paſſer non cadit in terram ſine Patre veſtro*; & vt plura linquā ibid. *capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*: atque Sap. 6. *æqualiter eſt illi cura de omnibus, puſillum, & magnum ipſe fecit.* hoc denique Concilia, hoc Patres, hoc ipſa experientia Credentium concludunt; ait enim nobis Chriſtus Matt. 6. *reſpicite volatilia cœli, quia non ſerunt, neque metunt, & Pater veſter paſcit illa, quanto magis vos modicæ fidei*: alludēs ad illud pſalm. 54. *iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Sap. 14. *tu autem Pater, prouidentia ab initio cuncta gubernas, &c.*

Ad eūdem Artificem ſpectat opus efficere & perficere.

3 Item ratione confirmatur, ſiquidem ad quem Artificem ſpectat opus efficere, ad eundē pertinet opus idem perficere, gubernare, & conſeruare ne pereat, aliàs fruſtranea eſſet, & inutilis eius effectio: eſt autē Deus cauſa vniuerſalis, & ſuprema cunctorū, ergo ea, quæ egit, itidem gubernat, conſeruat, atque ad conſeruationem neceſſaria prouidet. Inſuper omnis ordinatè agens, dirigit ea, quæ agit ad finem: finis autem haberi nequit ſine prouiſione mediorum ad finem: eſt verò Deus ordinatiſsimus agens, ergo dum cuncta in deſtinatos dirigit, ſiue proximos, ſiue remotos fines, vtiq; de medijs prouidet, vt conſequantur finē. Demum, eget creatura Deo, nedum vt recipiat eſſe ab eo, verum vt concurſum, & virtutem, ac dependentiam habeat ab eodem Deo in ordine ad operandum, patet etiam ex principijs Ariſt. quia *cauſa ſecunda in tantū agit, in quantum mouetur à prima*; ergo deficiente prouidentia Dei, qua de virture, & concurſu prouidet ipſi creaturæ, vtique non operabitur creatura, eritq; creatura inutilis, fruſtranea, & omni ſuo fine deſtituta.

4 Argumētum hoc deſumitur ex Ambroſ. offic. cap. 13. *Quis Operator*, inquit, *negligat operis ſui curam? quis deſe-*

deſerat, & deſtituat quod ipſe condendũ putauit? ſi iniuria eſt regere, nonne eſt maior iniuria feciſſe? Cùm aliquid non feciſſe nulla iniuſtitia ſit: non curare quod feceris, ſumma inclementia. & Daſcen. 2. de fid. Orth. cap. 29. *Neceſſe eſt eundem eſſe eorum, quæ ſunt, & Factorem, & Prouiſorem; nam neque decet, neque conſequens eſt alium factorem eſſe eorum, quæ ſunt, et alium Prouiſorem: ſic enim imbecillitati, debilitatiq; vterq; ſubiaceret.*

5 Item ad particularem, & priuatiuam particularis miniſterij perſonã ſpectat illius ſolummodo priuati miniſterij curam gerere; non enim ad altiora ſe extendit virtus eius: ergo ad vniuerſalem totius Orbis Rectorem ſpectabit ipſius totius Orbis regimini incumbere: ſiue autem & ad plures effectus cauſas adhibeat ſecũdas, ſiue pleroſq; immediatè producat, etiam eius comperitur prouidentia, dum influxum imprimit tùm in effectus, tùm & in ipſas cauſas ſecundas; hæc enim in tantum agunt, in quantum mouentur à prima.

Obſtatur. 6 Obſtatur, indignum videtur vt Deus ad hæc inferiora proſpiciat, & minima quæq; ac viliſſima gubernet; ait enim Aug. Enchirid. cap. 12. *melius eſt intellectũ quædam neſcire, quàm ſcire, vt ſunt vilia*: ergo ſi melius eſt vt hęc Deus neſciat, nõ vtiq; prouidebit, quia quod neſcitur non prouidetur.

Occurritur 7 Reſpondet idem Aug. qui in pſal. 148. ita ait, *Attendat charitas veſtra: quis diſpoſuit membra pulicis, & culicis, vt habeant ordinem ſuum, habeant vitam ſuam, habeant motum ſuum? Vnam beſtiolam breuem, minutiſſimam conſidera, quam volueris: ſi conſideres ordinem membrorum ipſius, & animationem vitæ, qua mouetur, vt pro ſe fugiat mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat moleſtias, exerit ſenſus diuerſos, viget in motu congruo ſibi: quis dedit aculeum culici, quo ſanguinem ſugeret? quam tenuis fiſtula eſt, qua ſorbet: quis diſpoſuit iſta? quis fecit iſta? expaueſcis in minimis? lauda Magnum. Qui fecit in Cælo Angelum, ipſe fecit in Terra vermiculum.* Accedit Cyrill. Alexandr. qui lib. 5. theſaur. cap. 2. ſic ſcribit, *ſi putatis indecens ad minima quæq; Dei prouidentiam deſcendere, erubeſcatis aliquantulum quæſo audientes Chriſtum, Nonne duo paſſeres &c.* indeque, *ſuperbiæ certè vitium Deo inijcere conamini, cùm dicatis non eſſe decens, vt minimarum rerum creator ſit: ipſe autẽ omnium creator eſt, etiam minimorum, & omnibus prouidet, & ſe propter miſericordiam ſuam participabilem præbet.*

8 Arguitur indiuidua corruptibilia non ſunt intenta à Natura, quia ſi Natura intenderet, non ſineret ea corrumpi, ſicut ſpecies per ſe intenduntur à Natura, quia ſunt incorruptibiles: ergo ſpecies, non autem indiuidua, cadunt in prouidentiam Dei. Reſpond. licet indiuidua (de corruptibilib. loquimur) non ſint intenta per ſe primo à Natura, ſunt tamen intenta per ſe ſecũdo, ad conſeruationem ſpeciei, vnde remanet, etiam illa cadere ſub prouidentiam.

9 Obijcitur, nedum vileſcere, ſed & ſordeſcere videtur diuina prouidẽtia, atq; veluti fœdari, & inſici, deſcendendo ad hæc fęda, & ſordida. *Obſtatur.*

10 Verùm rſpondet ad hoc Nemeſius lib. de facultat. Anim. c. 44. ita inquiens, *Aut ob ſuperbiam Deus imperium, & gubernationem rerum ſingularum deſpicit (quod dictu abſurdiſſimum eſt) aut ſicut ipſi loquuntur, quòd inquinationem deuitet: quod ſicut radij ſolares vim habeant attrahendi humorem omnem, negant inquinari Solem, eiuſq; radios, cum cœno lucem inferunt; ſed integros, & ab omni ſorde puros manere dicunt: quomodo Deum rebus humanis profanari exiſtimant?* Anaſtaſius inſuper Synaita lib. 2. de rect. fid. dogmat. ſic ait, *Deum etiam Solem nonnihil fœtoris colligere ex iſtis corporibus, non continuo ſequaretur Deum contrahere vel tantillum contagij; nunc autem cùm Sol, perinde, ac cætera corpora, paſſionibus obnoxius ſit, nec tamen quidquid corrodat ſordium: qua fronte dixeris, Deum eiſdem ſubiacere, & eſſe participem, cùm ab his ſit longiſſimè ſeiunctus.* *Reſpondetur.*

11 Obſtatur, Prouidentia eſt pars prudentiæ: at prudentia eſt conſiliatiua ex 6. Ethic. conſultatio requirit diſcurſum: diſcurſus non eſt in Deo, ergo nec prouidentia. Reſpond. diſcurſum, *Obſtatur.*

ſicut & cæteræ imperfectiones interuenientes in conſultatione, vt ignorãtia, & huiuſmodi ſunt paſſiones intellectus creati, qui diſcurſu eget, & conſultatione ob frequentem rerum expediendarum ignorantiam: Deus autem non indiget externo Conſiliario, ait enim Apoſt. Rom. 10. *Quis Conſiliarius eius fuit?* & cùm ſit ſapientiſſimus, *omnia operatur ſecundùm conſiliũ voluntatis ſuæ*, ex eod. Epheſ. 1. cæterũ eſt in eo Prouidentia, & Prudentia, demptis tamen imperfectionibus.

Obſtatur ex Hier. Paul. Aug. Iob.

12 Arguitur, quia Hieronymus oppoſitum ſentire videtur: ſiquidem in Habacuch. 1. ſic ait. *Abſurdum eſt ad hoc adducere Diuinam Maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotue moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo: qui piſces in aqua natent: & qui de minoribus maiorum prædæ cedere debeant.* Accedit Paulus 1. Corin. 9. *Numquid Deo eſt cura de Bobus?* & Iob 27. *Cardines Cæli perambulat, & noſtra non conſiderat.* Ac Auguſt. lib. 83. q. quæſt. 46. *Deum nil cognoſcere extra ſe?*

Deo nõ eſt æqualis prouidẽtia de omnib.

13 Reſpondetur nec Paulum, nec Hieronymum negare prouidentiam, ſiuè de culicibus, pulicibus, & muſcis: ſed comparatiuè loquuntur; quandoquidem maiorem prouidentiam, nobilioremq; habet curam Deus de Hominibus, quàm de Bobus, cæteriſq; irrationabilibus, atque inſenſatis rebus: vt ſicut Homo nobilior eſt cũctis animalib. ita & Dei prouidentia de ipſo ſit præſtantior, quã prouidentia, quam habet de inferiorib. Cæterum ipſi eſt cura de omnibus. Apertè id docet idè Hieron. ſubdit namque: *Non ſimus ita fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius, etiam ad ima detrahimus, in nos iniurioſi ſimus, eãdem irrationabilium curam Deo eſſe dicentes.* notandũ ly, *Eandem*, quo ex eodem conſtat, non negare prouidentiam; etiam de minimis, ſed docere non *eandem*, ſed maiorem de homine, quàm de cæteris habere prouidentiam Deum. Et ita exponitur Paulus, vt nõ ſit *tanta* cura de Bobus, *quanta* de Hominibus. Ad illud Iobi, non ſunt verba Iobi, ſed quórundam ſtultorum negantium prouidentiã, & ita contra Deum obloquentiũ. Et ad Auguſt. loquitur *motiuè*, docens non deſumere Deum cognitionem effectiuè à creaturis. vide ſup. diſp. 16. q. 3. num. 9. 10. &c.

Vilia, atq; minima, ſpinæ, & ſerpentia, an ſub prouidentia Dei.

14 Obſtatur, plura ſunt in vniuerſo prorſus inutilia: vt muſcæ, pulices, culices, & ſimilia: Immo infeſta hominibus, vt recenſita: atq; venenata ſerpentia, vepres, ſpinæ, & huius generis: dum ergo nullo ſunt vſui, minimè digna erunt diuina prouidentia. Reſpondetur primo ex Ariſtot. ea pertinere ad perfectionem eſſentialem vniuerſi, quia ſi ſpecies aliqua deficeret, eſſet minus eſſentialiter perfectum vniuerſum. Verum, id de perfectione eſſentiali eſt falſum, quia hæc pertinent ad ſolam perfectionem accidentalem Vniuerſi. Dicendum ſecundo non eſſe inutilia, etenim vel ad pœnam peccati deſeruiunt, vel ad virtutum exercitia, vel ad alia, quæ ignoramus ex Auguſt. 3. de Gen. ad lit. c. 17. Tertiò, quidquid ſit de hoc, pertinent tamen ad ornatũ ipſius vniuerſi. Quartò ad exercitium patientiæ, & virtutis, ſiuè ad vindictam peccati, vt Gen. 3. *ſpinas, & tribulos germinabit tibi*, quamuis namq; etiam ante peccatum terra produxiſſet ſpinas, ex Auguſt. 3. ſuper Gen. ad lit. c. 18. negantibus ex aduerſo Baſil. homil. 5. in exam. Ambroſ. Beda, Rabano, vnde Roſa, ex eis, orta fuiſſet abſq; ſpinis; nihilominus iam ex textu patet datas fuiſſe ſpinas, veluti in pœnam peccati. Demum dicẽdum, etiam minima quæque deſeruire, vt inde innoteſcat gloria Dei, *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Prou. 16.

QVAE-

QVÆSTIO III.

Prouidentia quid ſit: & vtrum pertineat ad actum intellectus, an voluntatis.

Prouidentię definitio.

1 PRouidentia ſit ex Damaſceno deſcribi poteſt: ipſe enim lib. 2. de fid. Orthod. cap. 29. ſic ait, *Prouidentia eſt, quæ ex Deo eſt, in ea, quæ ſunt, cura:* Iterum verò de ea loquens, inquit, *Prouidētia eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ sūt, conuenientem gubernationem ſuſcipiūt.* Supponit verò prouidentia rem ipsā, ſeu ſubiectum, in quod cadere debeat; quia prouidentia de Homine præſupponit creationē Hominis: & prouidētia de toto Orbe præſupponit Orbis ipſius conſtitutionem: quomodo namque effectum ſuum ſortiri poterit, niſi præparetur ſubiectum, circa quod prudens, & prouidus v. g. Paterfamilias agere intendat; ſic Deus de cunctis; Et hinc meritò creatio primum locum obtinet, ſequitur inde conſeruatio; at hæc ritè fieri nequit ſine prouidentia, per prouidentiam namque, *omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt*, ait Damaſcenus.

Prouidētia diſpoſitio, & gubernatio differunt.

2 Quæri autem poteſt quomodo differat prouidentia à gubernatione, & diſpoſitione, & vtrum ſint idem. Reſp. non eſſe prorſus idem; quandoquidem prouidentia eſt actus immanens. gubernatio actus tranſiens. ratio, quia gubernatio eſt exequutio externa eius, quod prouiſum eſt in mente intra. Diſpoſitio etiam, ſi actiuè ſumatur, erit actus immanens, vt prouidentia. ſi paſſiuè, erit tranſiens, vt gubernatio.

Prouidētia quoad quid rei, et quoad quid nominis.

3 Prouidentiam dupliciter conſideramus, vel quoad quid nominis. vel quoad quid rei. loquendo de primo, iam quæſtione prima diximus quid importetur per nomen. ex qua deducitur, indicare præcipuè actum intellectus, ſumpta ethymologia *à procul*, ſiuè *porro* ſiuè, *à præ*, & *videre*, vt ibi deduximus; loquendo autem de ſecundo, importat vtrumque actum, & intellectus, & voluntatis, ita in confeſſo eſt apud omnes, vt amplius patebit. ſiue namque loquamur de prouidentia naturali, ſiuè ſupernaturali, ad vtrāque concurrit vterque actus, tum diuini intellectus, tum voluntatis diuinæ, eſt namque Deus agens per intellectum, & voluntatem, & per actus vtriuſque potentiæ conducit efficaciter, atque ſuauiter rem vnamquamque ad ſuum finem. In ſpecie autem id docuit Alenſis p. 1. q. 26. memb. 2. *prouidentia*, inquiens, *ſpectat ad ſapientiam, & bonitatem. & importat quod eſt ſciētia, & voluntatis ſecundum differentes rationes. Ratione videntiæ importat cognitionem. ratione cauſalitatis, gubernationis, & regiminis dicit bonam Dei voluntatem.*

Importat vtrumque actum, intellectus; et volūtatis.

In quonā principalius conſiſtat, vera ſcientia.

4 At quæſtio oritur quinam ex his actibus ſit præſtantior: ſeu in quo eorum conſiſtat principalius prouidētia, in actu intellectus, an voluntatis, prima ſententia eſt D. Thomæ 1. p. q. 22. art. 1. conſiſtere in actu intellectus formaliter, ſed connotatiuè in actu voluntatis idem habet Alenſis 1. p. q. 28. mem. 1. art. 2. Richar. in 1. d. 41. art. 1. q. 2. Secunda eſt eorum, qui eam collocant formaliter, & primo, ac per ſe, in vtroque actu. Durandus collocat

eam in actu intellectus practici directè; vnde indirectè reponit in actu voluntatis. vel ſub alijs terminis: Alij, quod in *recto* ſignificat actum intellectus, & in *obliquo* actum voluntatis.

Arguitur conſiſtere in actu intellectus.

5 Arguitur vero pro opinione D. Thomæ primo, prouidentia eſt pars prudentię: ſed prudentia eſt virtus formaliter intellectualis, ergo primo, & formaliter ſpectat ad actum intellectus. Minor eſt Ariſtotelis, qui 2. ethic. c. 6. enumerando habitus intellectuales, ait eos eſſe, *intellectum*, *ſapientiam, ſcientiam, artem*, *& prudentiam.* Secundo. Prouidētia penes Scripturas appellatur *ſapientia*, atque ita canit Eccleſia, *ò ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodijſti, attingens à fine vſque in finem, ſuauiter, efficaciterque diſponens omnia.* Tertiò *prouidere* idem eſt, ac *præuidere* at præuiſio eſt formaliter actus intellectus. Quartò *prouidere* eſt ordinare res in finem, & media ad finem: talis autem ordinatio, & directio eſt formaliter actus intellectus. Quinto Boet. de conſolat. Proſ. 6. *prouidentia eſt ratio diuina in ſummo omnium Principe conſtituta*. at ratio eſt operatio intellectus. Item Dionyſ. de diuin. nom. c. 2. *Deitas proſpicit cuncta prouidentia mirabili*: at proſpicere eſt actus intellectus. Verum quia ad præuiſionem finis, & mediorum ad finem, habitam per operationem intellectus, cōcurrit quoque diuina voluntas, ex cuius imperio cuncta ponuntur in eſſe, & exequutioni mandantur, vt habeatur finis, hinc prouidētia indicat quoque actum voluntatis, ſed connotatiuè, indirectè, & in obliquo.

6 Addunt Thomiſtæ conſiſtere in actu intellectus, ſequente decretum diuinæ voluntatis, qui actus appellatur *imperium*, quo mediante intellectus per modum intimationis executioni mandat ea, quæ ſunt decretata, & præfinita à voluntate.

Oppoſita ſententia, directè dicere actum voluntatis

7 Oppoſitam ſententiam tuentur Scotiſtæ, ita vt de principali ſignificato dicat actum voluntatis. eliciunt ex Scoto tum in 1. d. 40. q. 1. §. *Ad iſtam*: tum ibid. d. 46. q. 1. tum d. 44. q. 1. tum alibi, quatenus vniuerſa ad extra, pendere docet à Dei voluntate, &c. eſt etiam D. Bonau. in 1. d. 40. q. 2. art. 1. Henric. quodlib. 4. q. 19. Ariminenſis ibid. q. 1. art. 1. Vaſq. p. 1. diſp. 87. c. 3. & Suar. l. 1. de prædeſt. c. 17. fauet magis huic ſententiæ.

8 Probatur vero ſic, ſi in actu intellectus conſiſteret directè, quæro quinam eſſet actus ille, vel quidem notitia antecedens decretum, vel ſubſequens: non ſecunda, quia iam reperit prouiſionem factam, talis autem notitia eſt ſcientia viſionis, at hæc præſupponit decretum: nec prima, quia illa eſt ſcientia naturalis, ergo neceſſario Deus ageret ad extra: Item per illam non cognoſcuntur complexiones, & decreta, ſed termini ſimplices: ergo, &c. Item prouidentia prout pertinet ad intellectum, potius appellanda venit *præuidentia*, quam *prouidentia*; probatur, quia intellectui competit videre, ſeu præuidere, ſiuè antecedenter videre: habere vero curam de præuiſis, & circa præuiſa, pertinet ad voluntatem, ergo de principali ſignato prouidentia, vt prouidentia eſt, ſignat actū voluntatis. Inſuper, voluntas eſt, quæ determinat, definit, ſtatuit, decretat, imperat, & huiuſmodi: at de eſſentia prouidentiæ hæc ſunt, reddere vnicuique, quod proprium, quod congruum, quod concedens eſt, & imperare, vt res vnaquæque debito ordine, ac ſitu, & fine diſponatur: hæc autem primo, & per ſe, & formaliter ſpectant ad actum voluntatis, ipſa namque facit hęc omnia. Rurſus Damaſcen. vbi ſup. c. 29. prouidentiam definit per voluntatem, inquiens, *prouidentia eſt voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congrueque gubernantur*. Atque Iſa. 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Accedit ad hoc Nemeſius lib. de facultatibus anim. c. 43. vbi approbat definitionem prouidentiæ, qua dicitur, *prouidentia eſt Dei voluntas*, *per quam omnia, quæ ſunt, aptè gubernantur*. Præterea Auguſt. lib. de prædeſt. ſanct. c. 10. *prædeſtinatio*, inquit, *eſt gratiæ præparatio, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt: poteſt autem ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia: prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus: ſed præſciuit etiam quæ non eſt ipſe facturus.* Prædeſtinatio autem eſt quędam ſupernaturalis prouiden-

Probatur.

dentia: at poteſt ſtare præſcientia ſine prædeſtinatione, ſeu ſine ſupernaturali prouidentia ex Aug. ergo prouidẽtia non eſt directè, & principaliter actus intellectus ita & nos multa ſcimus, & pręſcimus ſine prouidentia de illis.

9 Rurſus probatur ratione, prouidere alicui eſt habere *curam* de eo: igitur prouidentia eſt *cura* de rebus: at *cura* eſt actus volũtatis præcipuè: probatur maior Sap. 6. vbi dicitur, *æqualiter eſt illi cura de omnibus*. Paul. Rom. 10. *nunquid Deo eſt cura de bobus?* 1. Petr. 5. *ipſi eſt cura de vobis.*

Curæ *Ethym.*

10 Accedunt Patres, etenim de prouidentia ſub nomine *curæ* ſæpè diſcurrunt: vnde Chriſoſt. 1. Timoth. 5. homil. 14. *curæ nomine prouidentiam animæ, corporiſque Apoſtolus ſignificat*. Damaſcenus ſup: *prouidentia eſt in ea, quæ ſunt, cura*. atque Hugo de Sanct. Victor. lib. 1. de Sacram. p. 2. c. 19. *prouidentia eſt cura eorum, quæ exhibenda ſunt ſubiectis*, &c.

11 Confirmatur ex Ethymon ipſius *curæ*, idem namque indicat *cura*, ac *cor vrens*. hincque Iſidor. l. 1. de Verb. different. num. 175. apponens differentiam inter *diligentiam*, & *curam*, ait, *inter curam, & diligentiam hoc intereſt, quod cura cruciatum habet, qui commoueat; diligentia rerum adminiſtrationem*. Conuenit vero hoc prouidentiæ efficaci, dum namque voluntas efficax eſt, veluti cruciatum patitur donec opus perficerit; atque huc referri poteſt illud Chriſti Domini *baptiſmo habeo baptizzari, & coarctor donec perficiam*: quia tantopere curabat opus humanæ ſalutis.

Imperium ſub ratione actus intellectus, an admittendum.

12 Circa autem actum illum intellectus, qui vocatur à Thomiſtis *imperium*: id non placet; & quidem imperare non eſt munus intellectus, ſed volũtatis, quoniam ipſa eſt *Regina in toto regno Animæ*; ipſaque imperat tum cęteris corporeis potentijs, tum eidem intellectui, vt modo intelligat, modo ab intellectione deſiſtat: modo intelligat hoc, modo illud: intellectui autem minimè competit imperare, ſed ſolum proponere, & inueſtigare media, & huiuſmodi. Item ſuperfluum eſt tale imperium per modum *intimationis*, probatur, ſufficit, vt ad iudicium præuium intellectus ſubſequatur affectus efficax voluntatis, qui ſi ſubſequetur, vtique talis voluntatis efficacia erit ſufficiens, vt inferiores potentiæ executioni mandent. quod ab intellectu fuerit præmeditatum, & à voluntate ordinatum. Inſuper voluntas quoque ipſamet melius intimationem hanc faciet, quam intellectus, ſiquidem *intimare* eſt veluti imperare, at imperare eſt proprium munus voluntatis. Rurſus poſt intellectus præmeditationem, & iudicium, ſubſequitur voluntatis operatio: quæ voluntas ſi efficax eſt, nil vltra exquiritur, quam eiuſdem voluntatis influxus per modum imperij in potentias exequutiuas inferiores: ad ſummum vero, intellectus poſt efficacem affectum voluntatis, nil illud agere poterit, quam proponere exequutiuis potentijs tale eſſe voluntatis imperium: & ſi Thomiſtæ per tale imperium per modum intimationis intelligant hoc, ſumus cum eis, & erit doctrina communis; quia talis eſt ordo, & ita currit in nobis: ſi tamen per intimationem, aliud intelligant, vtpotè verum imperandi actum, diſcrepamus ab eis; non enim intellectui competit imperare, ſed voluntati. Denique in ordine ad Deum, non datur in eo tertia potentia exequutiua diſtincta à voluntate, vt ſuo loco deduximus. nec ſunt in eo potentiæ exequutrices inferiores, veluti in nobis, ergo nec habebit intellectus cui imperet. Rurſus nec Dei intellectus voluntatem præcedit dirigendo, & regulando, vt iam diſputat. de ſcientia Dei demonſtrauimus, præcedit autem ſolummodo præoſtendendo, ergo ſi non dirigit, minus ſuæ diuinæ voluntati imperat. Accedit quod imperium, & inſinuatio non aptè Deo conuenit in ordine ad ſe ipsũ; non enim dicitur Deus ſibi imperare, ſed creaturis.

Prouidentia in recto dicit actũ volũtatis: in obliquo intellectus.

13 Circa inſuper nomen ipſum prouidentiæ iam diximus duo in ipſo inſinuari, alterum eſt *prænotio*, ſeu *præuidentia*, vel *præſcientia*: alterum *cura*, ſeu *prouidentia*. De primo nulli dubiũ, eſſe formaliter, & in recto actum intellectus: de ſecundo quoque concedendum eſt eſſe actum voluntatis, vt eſt oſtenſum; Verum quia prouidere

indicare videtur magis primo, & in recto *curam*, quam prænotionem, hinc ex dictis concludimus in *recto* importare actum voluntatis, & *in obliquo*, intellectus.

Prouidẽtia an ſcientia approbationis: affirmat Gonſalez, improbatur.

14 Oritur lis inter Thomiſtas, dato penes eos, prouidẽtiam dicere formaliter, & in recto actum intellectus, quæritur vtrum ſit ſcientia viſionis, vel quid aliud, ipſa prouidentia. Reſpondet Gonſalez in 1. p. diſput. 63. art. 1. ſect. 2. eſſe ſcientiam approbationis. nec tamen id probat. Sed contra arguitur, quoniam ſcientia approbationis non facit res ipſas, non diſponit, non prouidet de eis, ſed tantũmodo approbat res iam diſpoſitas, & prouiſionem iam factam. ſed prouidẽtia antecedit res ipſas, quoniam eſt cauſa earum, approbatio autem ſubſequitur decretum de diſpoſitione, & prouiſione, ergo prouidentia non erit ſcientia approbationis.

An ſciẽtia viſionis. Affirmãtes improbantur.

15 Alij aiunt eſſe ſcientiam viſionis. ſed contra, per ſcientiam viſionis Deus nil aliud facit, quam videre decretum, & prouiſionem iam factam de creaturis, etenim viſionis ſcientia ſubſequitur ad decretum. ergo nec erit prouidentia ſcientia viſionis. Itẽ ſcientia viſionis eſt veluti quidam intuitus ſpeculatiuus, ſeu contemplatiuus rerũ iam diſpoſitarum, & prouiſionis actæ de ipſis à Deo. ergo per eam nulla fit prouiſio, ſed contemplatur prouiſionem.

Nec erit notitia ſimplicis intelligentiæ.

16 Minus dici poſſet eſſe notitiã ſimplicis intelligentiæ. patet ex diſputat. de ſcientia Dei, quia per ipſam nil operatur Deus, niſi terminos ſimplices conſiderando. connectere autem, & copulare in ordine ad decretationẽ & prouiſionem de eis, ſpectat ad diuinam voluntatem. Item illa eſt ſcientia naturalis, & neceſſaria, ergo res ad extra prodirent neceſſario, & Deus non ageret, nec prouideret liberè. Demum illa non eſt cauſa rerum, vt ſupponimus ex diſputat. de ſcientia Dei, ergo nec erit prouidentia.

Notitia ſimplicis intelligẽtiæ practica, eſt actus prouidentiæ.

17 Si quis vero actus intellectus erit prouidẽtia in recto, dicimus quod erit ſcientia ſimplicis intelligentiæ practica: non quidem illa, qua cognoſcitur ſpeculatiuè finis, ſed qua cognoſcuntur practicè media congruentia ad finem, hæc aſſertio differt ab antecedenti, non enim abſolutè erit notitia ſimplicis intelligentiæ ſpeculatiua, ſed quatenus per talem ſcientiam ſcit Deus practicè, qualia media ſint conuenientia ad finem. Ratio quia ſcientia ſimpliciter ſpectata in ſe abſolutè in ordine ſimpliciter ad finem, eſt ſolummodo ſpeculatiua: at ſpectando eã quatenus de medijs cogitat congruẽtibus ad aſſequendum finem, erit practica: ergo vt ſic erit pars prouidẽtiæ. Præcedens aſſertio fuit improbata, quia loquitur de notitia ſimplicis intelligentiæ ſolummodo terminorum ſimplicium: & quatenus eſt ſpeculatiua: hæc vero loquitur de ea, quatenus eſt de complexione (ſaltem poſſibili) ſed practica.

Quid dicerent Scotiſtæ.

18 Hæc dicta ſint ad morem Thomiſtarum; quoniam penes Scotiſtas quæſtio iſta nullum locum habet; etenim in voluntate collocant prouidentiam in recto. Nihilominus tamen ipſi quoque reſpondere coguntur cuiuſnã actus intellectus ſit prouidentia; ſiquidem etſi eam collocant in voluntate directè, & in recto, collocant tamen etiam in actu intellectus in obliquo; non enim negare poſſunt prouidentiã complecti vtrumq; actum, tùm voluntatis, tùm intellectus: igitur ex ea parte, qua includit actum intellectus, quid dicerent?

Idem dicẽdum à Scotiſtis.

19 Reſpondemus, vt nuper, actum illum intellectus forè ſciẽtiam ſimplicis intelligentiæ: non qua res abſolutè, & nude concipiuntur, ſed qua conſiderantur tanquam media *poſſibilia*, idonea, & practicè cõueniẽtia ad finẽ, ſeu ſaltem non inconuenientia. Dices ad voluntatis decretum ſpectat adaptare media ad finem, ſcientia hæc antecedit decretum, ergo non poſſunt per eam ſciri quæ cõgruant fini: Reſp. aduertenter dixiſſe, tanquam *poſſibilia*, etenim aliud eſt loqui de medio ſub ratione *poſſibilis*, & aliud de medio prout actualiter ordinato ad finem: loquendo de ſecundo currit argumentum, idque dum pendet à decreto non poteſt ſciri antecedenter ad decretũ: at loquẽdo de primo, poteſt ſciri, quia Deus optimè nouit, etiam ante decre-

tum,

tum, vtrum poſſibile fuerit, mundum creari, vel non: & vtrum ſic, & ſic creari: & vtrum poſſibile fuerit talia, & talia media adhibere ad rem hanc apte producendam, vel illam, quo ſtante reſtat noſtra poſitio eſſe ſciētiam ſimplicis intelligentiæ, non qua res cognoſcat abſolutè, & ſpeculatiuè, ſed qua eas cognoſcat practicè, veluti media ad finē: & qua cognoſcat ea eſſe media (non determinatè, & veluti actualia) ſed qua præcognoſcat tanquam poſſibilia, vt applicentur ad finem, & nullum reſultare incommodum vt poſſint applicari ad finem.

Prouidētia nomen non ſimplex, ſed compoſitū. 20 Ad oppoſita autem reſpondēdo, dicimus ad primum, *prouidentia* nomen non eſſe ſimplex, ſed compoſitum ex duobus actibus, quorum alter eſt voluntatis, alter intellectus, vt diximus; & hinc fit, vt ratione actus intellectus ſit pars habitus intellectualis, ratione autem actus voluntatis ſit habitus ſubiectatus in voluntate: hic autem actus erit principalior, nō ille: actus intellectus importatur per verbum *Prouidere*, actus voluntatis per *Prouidere*, quod idem eſt, ac curam habere, & ſingulis ſingula, vt fas eſt, diſtribuere, & accommodare.

21 Ad ſecundum de ſcripturis, prouidentia appellatur quidem ſapiētia, ſed in obliquo. *Prouidētia ſapiētia in obliquo.*

22 Ad tertium, prouidere idem eſt, ac præuidere in *obliquo*, in recto autem idem eſt, ac prouidere, ſeu curam habere.

23 Ad quartum idem eſt ibi *ratio*, ac ordo definitus, ac præſtitutus à voluntate. & hinc Scotus docet ordinare non eſſe opus ſolius intellectus, ſed etiam voluntatis in 2.d.6.q.1. & quodlibet. 17. quoniam etiam voluntas eſt potentia collatiua mediorum ad finē, & hoc eſt ordinare ea ad finem ex. 1. d.45.q.1. ad Argum. & d.16.q.2. ac in 2.d.6.q.1. *Ordinare nedum per tinet ad intellectum, ſed ad voluntatem.*

24 Ad Dionyſiū, interuenit quidem in prouidentia actus proſpiciendi, at non conſiſtit in eo principaliter, & in recto, ſed in actu voluntatis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Prouidentia non ſolùm verſetur circa media, ſed etiam circa finem.

Sententia Aliorum.

1 Res nō eſt valde agitata, ideo breuiter expedietur. Non eſſe autem prouidentiam de fine, ſed ſolummodo de medijs ad finem ſentit Suar. l.1. de prædeſt. cap.5. num. 17. & cap. 18. num. 12. atque Vaſqu. 1. p.d.97. c.4. adduci etiam poteſt Dur. qui in 1.d.41. quæſt.2. ait, *prædeſtinationem non eſſe de fine, ſed de medijs ad finem*: idem verò ſentiret de prouidētia, cùm prædeſtinatio ſit pars eius. Adſtipulatur quoque hoc D. Tho. is enim 1.par.q.22.art.1.inquit, *prouidētiam præſupponere voluntatem finis.* & ſuadetur, ſiquidem prouidentia eſt ratio ordinis mediorum ad finem; ergo pertinet ad media, non ad finem. Item per prouidentiam procuratur aſſecutio finis, non autem ſimpliciter finis, demū ſemper videtur præſupponi ad prouidētiam ipſe finis, indeq; ex amore finis mouemur ad media ad finem: Ex Scotiſtis Smyſing. tr.3. d.6. nu.29. t.1. ait abſolutè *prouidentiā eſſe de medijs, & de fine*: non autem aliter probat, licet multa inſumat, niſi ad hominem, ex dictis Suarij: & vt ſummum ex hoc, quia prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ, at prædeſtinatio ex Suar. eſt

de

de fine, ergo & prouidentia inſuper de fine.

Prouidĕtia ordine intĕtionis nō eſt de fine, ſed ordine exequutionis.

2 Nos inter has ſententias mediando dicimus, quòd loquendo de fine ordine *intentionis*, nullatenus prouidentia eſt de fine: loquendo ordine *executionis*, erit vtique etiam de fine. prob. diſcurrendo de vniuerſo fine, tū naturali, tum ſupernaturali, qui eſt gloria, & beatitudo. loquendo quidem de primo, vnaquæque res à natura, & ab Authore naturæ, eſt deſtinata ad ſuum naturalem finem, vtpote lapis ad centrum deorſum, leuia ad ſurſum: talis hæc deſtinatio in actu primo, indita fuit lapidi abſque quidem procuratione medij ad finem, ſufficiebat namque Authori naturæ lapidem cōdere cum ſua grauedine, qua à natura haberet facultatem, & actum primum, ſiue inclinationem ad centrum: quod verò reducatur in actum ſecundū, & actualiter deſcendat, opus eſt prouiſione vlteriori, vt impedimenta amoueantur impedientia deſcenſum, & cuncta ritè diſponantur ad deſcenſum: hæc quidē appellatur vera prouidentia, cogitat .n. de medijs aſſecutionis finis. Inſuper prædeſtinat Petrum Deus ad gloriam: in hac, vſque modo, nulla includitur cauſa mediorum ordine intentionis; prædeſtinat enim gratis, & ſine meritis: quod verò in tempore Petrus aſſequatur gloriam, vlteriori indiget adiutorio, ac propterea prouidentia eget ſuperna Dei præparantis illi gratiam, ac cætera media, vt executionis ordine applicetur ei finis.

Prouidĕtia ſtrictè ſumpta eſt ſolū de medijs.

3 Et ita quidem eſt, prouidentia enim, ſeu prouidere ſi ſtrictè, & in rigore ſumatur, nō indicat, niſi relationem ad media: communiter enim ſcimus, quòd cùm de prouidendo agimus, vtique ad media reſpicimus. belli Dux de militibus prouidet, indeque militibus arma, equum, & huius generis parat: at prouidentia hæc iam belli intimationem, vel publicationem ſupponit: ita in ſingulis, etiam ordinis ſupernaturalis. Argumentum verò de prædeſtinatione optimum eſt; etenim ordine intentionis ab omni abſtrahit medio & cauſa; ordine verò executionis ordinem dicit ad media, & opera; hinc fit vt prima non appellanda veniat in rigore prouidentia, ideoq; appellatur communi ſenſu, *deſtinatio, prædeſtinatio, decretum dandi gloriam abſolutè*, abſtrahendo à medijs: ſecunda verò appellari verè poſſit ſupernaturalis prouidentia, dum de medijs prouidet Deus, quib. prædeſtinatus prouidè, & aptè gloriam conſequatur in tēpore. & hæc videtur eſſe aperta ſententia D. Tho. dum ſupra aiebat, *prouidentiam ſupponere voluntatem finis*: qui ſi de fine in intentione loquatur, vtiq; ſumus cum eo: cæterum de executione loquendo, voluntas exequens non abſtrahit à ratione, & ordine mediorum ad finem. hoc ipſum confirmant argumenta initio relata, quia prius mouemur ab amore finis, qui eſt in intentione, inde pergimus per media (quod ſpectat ad prouidentiam) ad aſſecutionē finis. Inſuper per prouidentiam prædeſtinatus nō facit ſibi ſimpliciter, & abſolutè finem, finis .n. nempe gloria, eſt iam ſibi ab æterno aliunde paratus à Deo gratis ordine intentionis: facit autem ſibi prædeſtinatus conſecutionem finis, id verò per prouidentiam mediorum ad finem. Demum lapis non facit ſibi centrum vt finis; is namque eſt ſibi à natura paratus; ſed dum in actū exit aſſecutionis finis, parat inde ſibi externum agens media ad aſſecutionem finis, quapropter vt ſic, & non alio modo prouidentia erit de fine.

Prouidĕtia eſt de fine, mediatè, non proximè.

4 Vel dicamus, prouidentiam eſſe etiam de fine, ſed immediatè, nō proximè, quoniam immediatè, & proximè eſt de medijs, per quæ habetur finis: & ita reconciliantur ſcientię.

Prædeſtinatio an pars prouidentiæ.

5 Ad rationem in oppoſitum, prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ ſpectata prædeſtinatione ordine executionis, vt ſic enim prædeſtinatio includit prouidentiam, & prouiſionem mediorum ad finem, dum gloria non confertur actualiter ſine medijs; cæterum ſpectata ordine intentionis, præſcindit à prouidentia vt ſic ſumpta, ratio eſt allata, quia prædeſtinatio ordine intentionis non habet cauſam, & merita, cùm fiat gratis; prouidentia autem de ſe indicat, & dicit ordinem ad media, & cauſas.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum aſſecutio finis ſit de intrinſeca ratione prouidentiæ.

Sententia affirmatiua Caet.

ASſecutionem finis omnino neceſſariam poſtulat ad prouidentiã Caetanus 1.par.q.22. artic.1.& probat id, ſiquidem fruſtraretur Dei prouidentia,ſi media nõ attingerent infallibiliter finem. Item impediri poſſet ipſa, alioqui infinita prouidentia Dei. Rurſus canit Eccleſia in quadam Collecta, *Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur*, Domin. 17. Penth. ac demum, de Dei prouidentia Sap. 8. *attingit à fine vſque in finem fortiter, ſuauiterq; diſponens omnia.* ex his concludendum videtur aſſecutionem finis eſſe de ratione intrinſeca prouidentiæ.

Non eſſe de eſſentia prouidẽtiæ aſſecutionẽ finis.

2 Verum ſententia hæc nedum falſa videtur, verum experientię quoq; contraria eſt, atque diuinis ſcripturis. ita Dur.in 1.d 39.q.3.& d.40.q.1. Capreol.d.40.q.1.art.1. Marſil. q.41.ar.1. Ferrar. 3.contrag.c.94. Vaſq. 1.p.diſp. 87.c.4. Molin.1.p.q.22.diſp.2.art.1. & quidem act.apoſt.c.7.dicitur, *dura ceruice,& incircumciſis cordib. vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Item Eſa.65. *expãdi tota die manus meas ad populum non credentem,& contradicentem mihi.* Inſuper Matt.20. *multi ſunt vocati, pauci vero electi*: ex cœna etiam, quam fecit Pater ille familias deducitur plurimos non iuiſſe ad eam,& ſi fuerint cõuitati, multi namque ſe excuſabant, alter *vxorem duxi*: alter *iuga boum emi, eo probare illa*,& huiuſmodi. Paſſio itẽ Chriſti Domini fuit pro ſalute omniũ prouiſa, at multi peribunt, ſicut & perierunt. plenæ inſuper ſcripturæ ſunt huiuſmodi exẽplis, in quib. Deus prouidet de vocationis, & excitationis gratia, vocando peccatores: prouidet de Miniſtris tũ diuini Verbi, tùm Sacramentorum: per ſe non ſtat vocare omnes, *conuertimini ad me in toto corde veſtro*,& nihilominus prouidentia hæc diuina ſuo quãdoq; fine fruſtratur, ergo nõ eſt de neceſſitate prouidẽtiæ applicatio finis. Deſtruit quoq; ſentẽtia hæc diſtinctionẽ Theologicam de vocatione.ſeu gratia ſufficienti, & efficaci; prob. vocatio namque cõuerſionis eſt effectus ſupernaturalis prouidentiæ; at datur vocatio, & gratia inefficax, quæ ſit ſolummodo ſufficiens, & contradiſtincta ab efficaci, ergo dabitur prouidentia alioqui efficax, & inefficax, ſeu ſolummodo ſufficiens, & ſuo fine fruſtrata. Reprobos vocat per ſuã gratiam Deus, at non conuertuntur, ſed finaliter pereunt, prouidet nihilominus eis de medijs ad ſalutem, & ad finem. Demum Medicus toto niſu curam Infirmi gerit, exoptatq; eius ſalutem, attamen pereunt multi, & prouidus Medicus ſuo fine fruſtratur. ſic Agricola, ſic miles, ſic in vniuerſum experientia docet, vt colendo agros, gerendo bellum, domeſticam ſiuè publicam rem gubernando, ſæpè fine fruſtrentur; quapropter concludimus nõ eſſe de ratione prouidentiæ aſſecutionem finis.

3 Hinc vero dicimus, quod loquendo de prouidentia voluntatis ſigni, non eſt de eius eſſentia aſſecutio finis, quia eſt voluntas inefficax; loquendo de prouidentia volũtatis be-

neplaciti ſemper adimpletur, quia eſt voluntas efficax.

Prouidētia humana quare fruſtratur, quandoque et quare diuina.

4 Quòd ſi quæras, quænam ſit ratio huius, etenim videtur tantopere diuinæ prouidentiæ derogari. vel enim Creator in ſua prouidētia de pari curret cùm creatura, & ita ſicut Medici, Agricolæ, Militis, ſiuè Patrisfamilias prouidentia fruſtratur quandoque, ita fruſtrâda veniat prouidētia Dei, quod maximæ foret iniuriæ Dei. Reſpondetur eſſe diſparem rationem inter prouidentiam Creaturæ, & Creatoris; & quidem illa fruſtratur ex impotentia, & imperfectione creaturæ, iſta fruſtratur aliūdè, vt dicemus. Declaratur primū, peritiſſimus Medicus totū conatum adhibet, toto ſtudio nititur, totoque deſiderio anhelat, vt ſanitatem Infirmo cōferat. itidem agit miles, Agricola, Pater familias in genere ſuo. & nihilominus, ſiuè ex impedimēto cauſarum inferiorum, ſiuè cæleſtium, ſæpius contingit fine ſuo fruſtrari. defectus inde non tribuitur Agricolæ, aut medico, prouenit vero aliunde, habent namque voluntatem quantum eſt ex ſe ardentiſſimam pręſtandi, & aſſequēdi hæc omnia: Aliud autem reperitur in his, nempè impotentia; ſunt enim limitatæ virtutis, & finitæ, ob quod ſupplere non poſſunt, quæ deſunt, nec impedimētis omnino obſtare, quæ à proprio fine ſuas artes declinant.

5 Declaratur ſecundùm, fruſtratur quidem quandoque prouidentia Dei, at fruſtratio hæc non prouenit ex impotentia Dei, non enim deſunt Deo infinitæ viæ ſaluandi homines, & infinita media deducendi res in deſtinatos fines, tùm ordinis naturalis, tùm ſupernaturalis, ſed fruſtratio prouenit aliunde; etenim *Deus fecit hominem liberum*, inquit, Eccle. 15. *& reliquit eum in manu conſilij ſui.* hoc ſtante, *Deus*, inquit Mayron. in 2. d. 43. q. 4. *vult pactum tenere*, nempè pactum, quòd egit cùm creaturis, præſtāndi concurſum eis, & non impediēdi eas: hinc fit, vt licet ſupernaturalis prouidentia Dei velit huic beatitudinem, & media parare gratiæ, & vocationis, quia tamen iſte vocationi renuit conſentire, Deus non impedit illum, vnde fit vt fruſtretur ipſa gratiæ, & vocationis diuinæ prouidētia. Item Auguſtinus ait, *Deus res, quas condidit taliter adminiſtrat, vt ſuos motus agere ſinat.* Rurſus ad Deū, tanquam ad ſupremum Orbis conſeruatorem, ſpectat rem vnamquamq; cōſeruare in ſuo eſſe, in ſua libertate, & virtute agendi, nec tenetur oppoſitum impedire: ſi verò contingat cauſam ſecundam vel nolle, ſi libera eſt, vel non poſſe, ſi naturalis eſt, ſtante impedimēto, cooperari cauſæ primę, vtique cauſa prima fruſtrabitur, at fruſtratio hæc non indicat imperfectionem in cauſa prima, ſed indicat optimā Orbis moderationem, quæ in eo conſiſtit, vt cōcurſum ſuum præbendo, non impediat, nec impedimenta remoueat, quin potius ſinit, ſuo modo, cauſas ſecundas operari: poſſet quidem impedire, vel impedimenta amouere, at id de lege ordinaria non facit: fruſtratur igitur, quia ſic fruſtrari permittit, nō autem, quia impotens ſit, vt media amoueat ipſius fruſtrationis: ſic namque, ſinendo cauſas ſecundas operari, & non impediendo eas, oſtendit nolle curſum impedire creaturarum.

Prouidētia finis duplex: particularis, & vniuerſalis: illa quādoque fruſtratur, hic nuſquam.

6 Quamuis hæc optimam contineant doctrinam; nihilominus exactius declarando, vlterius dicimus, duplicē conſiderandum finem circa Dei prouidentiam: alterum vniuerſalem, & vltimum, alterum particularem: hinc dicimus prouidentiam fruſtrari quandoque fine particulari, nuſquam tamen fruſtrari fine vltimato, & vniuerſali. Vniuerſalis finis eſt ipſe Deus, qui eſt omnium vniuerſorum finis: vniuerſalis hic finis, in caſu noſtro, ſtat in oſtenſione bonitatis ſuę, ſicut & miſericordiæ, iuſtitiæ, ſapientiæ, cæterorumq; attributorum Dei: hinc fit, vt dum Deus vocat reprobum, prouidetque illi media ad ſalutem, fruſtratur quidem talis prouidæ vocationis finis, ſed particularis, vtpote conuerſio, & ſalus iſtius particularis: attamen non fruſtratur finis vltimatus, & vniuerſalis; nā oſtenditur inde amplitudo miſericordiæ Dei, qui quantum eſt ex ſe teſte Paulo Rom. 4. *vult omnes ſalus fieri*: itaut meritò dicat per os Oſæ. 13. *perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxiliū tuum*: & oſtenditur inde diuina iuſtitia, vt meritò à Regno eum excludat, dum

dum per vocationis gratiam noluit reprobus diuinæ prouidentiæ conſentire; totum hoc fundamentum habet in Apoſt.Rom.8. *volens Deus notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*; eſt namq; Deus finis omnium, & omnia ad oſtenſionem ſuæ bonitatis,& iuſtitiæ, cęterarumq; perfectionũ agit,nec hoc fine fruſtratur, iuxta id, *vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus, impium quoq; ad diem malum*,prou.16.

Qualis prouidẽtia ſit infallibilis.

7 & hinc ad oppoſita dicimus,talem prouidentiæ modum, atque ordinem,infallibilem eſſe, qui à voluntate manat Dei efficaci, & beneplaciti; de hoc enim loquitur Eccleſia, *Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione nõ fallitur*;ratio elicitur inde,*quia attingit à fine vſque in finem,fortiter, & ſuauiter diſponẽs omnia*: talis autem *fortis,ſuauiſq; diſpoſitio* eſt prouidentia efficax; cęterum vbi affectu ſimplicis complacentię,vt voluntate ſigni,atq; inefficaci vult Deus,vtique prouidentia talis finem non aſſequitur; totum autem hoc pendet ex Deo nolente curſum cauſarum ſecundarum impedire, ſed ſinere eas agere vt libet, vt diſpoſitæ ſunt,ſiuè aſſequantur,ſiue minimè cõſequantur ſuum finem:totum verò id, iuſto ſuo, ac profundiſſimo iudicio agit,dum *operatur omnia ſecundùm cõſilium voluntatis ſuæ*.

Prouidẽtia efficax, & inefficax.

8 Vnde concluditur,quòd loquẽdo de prouidentia inefficaci: hæc fruſtrari ſolet à ſuo fine: ſicut & gratia inefficax, fruſtratur quoque à proprio fine: loquendo autem de prouidentia efficaci, nequaquam à fine fruſtrari poterit,ſicut nec fruſtrabitur ipſa gratia efficax.

Aluarez ſibi inconſtans,prius aduerſarius, tandem cõſentit nobiſcum.

9 Aluarez de auxil.diſput.30. ex profeſſo improbat negantes finis aſſecutionem eſſe de ratione prouidentiæ:propter quod sẽtit cum Caetano, & Bannes: at in ſolutione inde argumentorum num. 6. diſtinguit, nec firmiter perſiſtit in anteriori aſſertione: ait namque,quòd vel loquimur de voluntate ſigni, vel de voluntate beneplaciti:vnde infert, quòd ſicut in Deo eſt voluntas ſigni, & beneplaciti; ita in eodem Deo alia eſt prouidentia, qua, voluntate ſigni, ordinat res in finem:& alia eſt prouidentia, quas res in finem ordinat voluntate beneplaciti:loquendo de prima, nõ ſemper,ait, aſſequi ſuum finem:loquendo de ſecũda,ſemper,inquit, conſequitur debitũ finem.hæc ille. patet verò nobiſcum ſentire, licet in corpore ſentiat cum Caet. & nihilominus aduerſari quoq; ſibimetipſi, qui initio abſolutè pugnabat pro ſententia affirmatiua: mutauit autem ſententiam vt locum recenſendum ſaluet D.Thomæ.

D.Tho. affertur pro negatiua ſententia.

10 Ipſe namq; D.Tho. de Verit. q.6.artic.1.& in 1.d.40.ar.2.ſic loquitur: *In qualibet ordinatione ad finem duo poſſumus conſiderare: ipſum ſcilicet ordinem, & euentum ordinis; non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem conſequuntur: prouidentia ergo ordinem in finem reſpicit tantum, vnde per Dei prouidentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur, ſed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum,& euentum ordinis:vnde non eſt,niſi eorum, qui gloriam conſequuntur*. ex his autem verbis ſtatuit D.Tho. differentiam inter prouidentiam, & prædeſtinationem; itaut illa non ſemper aſſequatur finem, iſta verò ſemper adipiſcatur finem. qui quidem textus aduerſatur tùm Caetano,tùm Bannes, tùm ipſimet Aluarez initio ſuæ deciſionis.

De D.Th. variæ reſponſiones: refutatur: expoſitio Aluarez approbatur, & faceſſit pro nobis.

11 Affert verò Aluarez reſponſionem Bannes 1.p.q.22. art.1.dub.1. inquiens loqui D.Thomam de prouidentia humana. At meritò impugnat eum Aluarez, apertè namque loquitur D.Tho. de prouidentia diuina, vt legenti patet. Affert inde reſponſionẽ Caetani, vna cum eod. Bann. D.Thomam mutaſſe ſententiam in 1. p. q.22. ar.1. Verum,ſubdit idem Aluarez, poteſt dici melius, diſtinguendo,aliam eſſe prouidẽtiam, qua,voluntate ſigni Deus res ordinat in finem:aliam,qua, voluntate beneplaciti:illa non ſemper impletur,hęc ſemper ſortitur ſuum finem: ſicq; reſpondet ad locum oppoſitum D. Tho. Patet verò hanc eſſe noſtram ſententiam, cùm iam dicebamus, prouidentiam efficacem ſemper ſortiri finem,inefficacem verò fruſtrari, ſaltim particulari fine: idem autem eſt, ac voluntate ſigni, vel beneplaciti ſpectare ipſam prouidẽtiam. Et nouiſ-

ſimè accedit ex iiſdem Thomiſtis Gõſalez, qui 1. par. tr. 2. diſput. 65. ſect. 3. hoc ipſum docet, inquiens, prouidentiam, quæ præſupponit voluntatem antecedentem, non eſſe infallibilem: eſſe verò infallibilem prouidentiam illam, quæ ſupponit voluntatem conſeqnentem.

QVÆSTIO VI.

Vtrum caſus, & fortuna ſint etiam à Deo, & cadant ſub prouidentiam Dei.

Sireni opinio.

1 SIrenus lib. 4. de prouid. c. 16. docet effectus fortuitos, comparatione Dei, eſſe ſimul fortuitos, & non fortuitos: caſuales, & non caſuales: intentos, & minimè intentos: exemplo rem illuſtrat, Ouis, & Lupi; quod namq; Ouis rapiatur à Lupo, id euenit pręter intentionem Dei: quatenus Deus operatur Ouem: ſicq; talis effectus erit caſualis: quatenus verò ipſe Deus operatur per Lupum, non eſt caſualis, ſed per ſe intentus effectus à Deo.

Pennotti ſententia.

2 Pennottus lib. 5. Propugnac. c. 7. ait effectus eſſe quidem fortuitos, & caſuales reſpectu primariæ intentionis primæ cauſæ, quæ eſt Deus: non autem comparatione ſecundariæ intentionis ipſius Dei, quatenus concurrit cum cauſis ſecundis; ratio primi, quia Deus de primaria intentione ſua ſemper intendit bonum, integrum, ac perfectum; ergò quòd non talis ſortiatur effectus, id præter intentionem primariam erit ipſius Dei; & conſequenter caſuale: ratio ſecũdi, quia cauſæ ſecundæ iam diſpoſitæ ſunt ad talẽ effectum, vtpotè monſtruoſum, cùm vero Deus non impediat curſum cauſarum ſecundarum, ſequitur, vt hac ſecundaria intentione velit effectus fortuitos: citatque in ſui ſententiam D. Thomam q. 23. de verit. art. 2. ita dicẽtem, *de prima intentione naturæ eſſe, quod animal perfectum producatur; ſed quod producatur animal imperfectum, eſt ex ſecunda intentione naturæ, quæ, ex quo non poteſt propter ſuam perfectionẽ tradere formam perfectiorem, tradit ei id, cuius eſt capax.*

Arguitur pro parte affirmatiua.

3 Quicunque vero ſint huius ſententiæ Auctores, probari ſic poteſt effectus caſuales, & fortuitos non ſubeſſe prouidentiæ Dei, ſed productionẽ eorum eſſe etiam à Deo. Primò, ex Boet. l. 5. de Conſol. Prol. 1. *caſus eſt inopinatus rerum euentus ex cauſis concurrentibus ob aliud inceptis.* ſed tum concurſus cauſarum, tùm incæptio eſt etiam à Deo, ergo etiam caſus eſt à Deo: igitur datur etiam caſus fortuitus in ordine ad Deum. Secũdò, Deus eſt cauſa tùm entis per ſe, tùm per accidens: caſus fortuitus habet pro principio cauſam per accidẽs, ergo etiam eſt à Deo. Tertiò quandocũq; diuerſæ cauſæ cõcurrunt ad aliquẽ effectũ, neceſſe eſt vt per aliquam vnam primam cauſam ſimul ordinentur, & coniungantur: at prima cauſa eſt Deus, ergo ipſe erit primaria cauſa coniungens cauſas ſecundas ad caſualem inuentionem, v.g. theſauri, præter intentionem cauſarum ſecundarum. Quartò, potentior eſt cauſa per ſe, quàm cauſa per accidens: ſed cauſa per ſe non poteſt agere abſque auxilio, & concurſu Dei, ergo multo minus cauſa per accidens: at caſus, & fortuna ſunt cauſa per accidens ex 2. Phyſ. tr. c. 57. ergo erũt à Deo. Quartò, fortuitum eoipſo

Caſus quid ex Boet.

eſt

eſt fortuitum, quia eſt ab Agente intendente aliud, vt inuentio theſauri: at intendere aliud, ſicut & inuenire theſaurum, bonum eſt, bonum autem eſt à Deo, ergo. Sextò, miraculum eſt à Deo, ergo & caſus fortuitus: prob. conſeq. ſicut caſus fortuitus euenit præter intentionem Agentis (intendit namq; Colonus fodere terram, ſcindere arua, non autem adinuenire theſaurum) ita miraculoſus effectus euenit præter ſolitum curſum Agētis naturalis. Argumenta hæc penes D. Bonauent. & Richardum infra citandos.

Caſus fortuitus non daturreſpectu Dei.

4 Nihilominus dicendum eſt, nullum dari caſualem effectum, ſiue effectum fortuitum reſpectu Dei, ſed caſum omnem, cunctoſq; effectus fortuitos, eſſe quidem fortuitos reſpectu cauſarum ſecūdarum. Aſſertio eſt cōmunis, Diui Bonau. in 2.d.37. art.2.q. 2. Richar. ibid. q.2. art.4. D. Tho. 1. p. q.19. art.4. Scoti in quodlib. q. vlt. cæterorumq; communiter. Et hinc deducitur primò, effectus omnes cadere in prouidentiam Dei, etiam caſuales, & fortuitos: deducitur ſecundò, effectus fortuitos eſſe, & caſuales reſpectu cauſæ particularis, non autem reſpectu cauſæ vniuerſalis, vt eſt Deus.

Caſus fortuitus eſt à cauſa per accidens.

5 Probatur autem: caſus fortuitus non habetur, niſi á cauſa per accidens ex 2. Phyſ. cap.5. at ſi in ordine ad Deū daretur caſus fortuitus, Deus eſſet cauſa per accidens: ſed omnis cauſa per accidēs reduci debet ad cauſam per ſe, quæ ſit principalior, & nobilior, quàm cauſa per accidens, ergo Deus reduci deberet ad cauſam priorem, & nobiliorem ſe: ſicq; non eſſet prima independēs, ac nobiliſſima omnium cauſa. Item caſus, & fortuna accidūt ex defectu præcognitionis, ideoque inuentio theſauri euenit præter intentionem, & præcognitionē fodiētis terram: at Deus omnia ab æterno præcognouit, non ergo dabitur caſus penes eum: aliâs oportet ignarum facere Deum. Inſuper cauſa particularis poteſt fruſtrari à ſuo effectu, quoniam impediri poterit ab alia cauſa vincente: at Deus à nemine poteſt impediri: ergo non eſt poſſibile effectum aliquē ſubtrahi à prouidentia Dei. Rurſus ſi fodiens terram præſciret ibi eſſe theſaurum, non tamen intenderet, nec vellet inuentionem eius, talis adinuētio nō eſſet caſus, nec fortuna, ſic Ariſtot. 2. Phyſ. cap.5.6. & ſeq. ratio, quia caſus eſt *inopinatus euentus*: quod ſi reſpectu cauſæ ſecundæ nō eſſet caſus, quia præſciret, minus erit reſpectu cauſæ primæ, quæ perfectius id nouit, quam cauſa ſecunda. Exemplo item res declaratur, quo vtitur D. Th. duorum ſeruorum, quorum acceſſus v. g. ad eundem locum, ſeparatim pergentium, erit caſualis reſpectu eorū, quia ignorabat vnuſquiſq; de acceſſu alterius: attamen non erit caſualis reſpectu Domini, qui ſcienter eos ad locum illum deſtinauit: ratio vtriuſq; quia in ſeruis aderat ignorantia, & propterea caſus ibi adfuit fortuitus, cùm caſus ſit *inopinatus euentus*. quæ tamen ignorantia nō erat in Domino, cùm totum id præſcierit, & conſultò ad locum illū eos deſtinauerit: pariformiter dabitur inopinatus euentus, & ignorantia penes ſodientem terram in adinuentione theſauri: in Deo autem dabitur perfectiſſima præcognitio, etiam ab æterno, talis theſauri ibi deliteſcentis: igitur dum cum fodiente concurrit ad fodiendum, optimè ſcit ibi eſſe theſaurum (fodiente licet ignorante) & cōſequenter non erit penes Deum adinuentio hæc, *inopinatus euentus*, ſed verè præſcitus, præcognitus, & præuiſus, quapropter nullo modo penes Deum erit caſualis.

Caſus fortuitus eſt ex defectu præcognitionis.

Theſauri præcogniti, at noliti ad inuentio non eſt effectus fortuitus.

Mōſtra cadunt ſub prouidentiam Dei quoad materiale.

6 Aſſertio citata locum habet etiā de Monſtris, itaut etiam iſta cadant in prouidentiam Dei. ita D. Bonau. in 1. d.95. dub.6. Circa monſtra verò conſideramus vel ſubſtratū, vel deformitatem, ſiue formalitatē: de primo nulli dubium cadere in prouidentiam Dei, quia materiale, & ſubſtratum eſt entitas poſitiua, & realis, callens ſua bonitate traſcendentali, ergo eſt quoq; à Deo, & ſic non erit caſuale, & fortuitum reſpectu Dei,

Etiā quoad formale.

7 Circa verò formalitatem, quæ conſiſtit in negatione conformatiuitatis ad regulas Naturæ, quatenus degenerat à perfectionē naturæ, verum etiam cadat ſub prouidentiam Dei, vel ſit caſuale, & fortuitum: reſpondet idem Seraphicus Doctor, etiam ſic

cadere in Dei prouidentiam: ſed cur ita ſinit Deus res euenire, atq; à Naturæ recto tramite deuiare? Reſpondet; id facere *ad vindictam, vel ad miſericordiam.* Sed obſtatur, quia deuiant Monſtra à fine Naturæ, cuius finis eſt facere omnia completè, & ordinatè: Reſpondet, inquiens, quòd *quamuis Deus non faciat contra ordinem in finẽ, facit tamen contra ſolitum curſum naturæ,* ſenſus eſt, quod non facit contra finem intentum ab Agente vniuerſali, licet deuient à ſolito curſu Naturæ.

Probatur. 8 Et hinc dicimus Monſtra, etiã quoad deformitatem, eſſe intenta à Deo: ita D. Bonau. Cõfirmatur, ſi peccatũ pro formali, eſt permiſsũ à Deo, eo magis monſtrum pro formali, nedum permiſſum, ſed intentum erit, & volitum à Deo: differt vtiq; formalitas peccati à formalitate mõnſtri: illa namq; opponitur gratiæ, hæc opponitur Naturæ: illa priuat hominem gratia Dei, hæc de ſe non facit hoc; non enim claudicatio, aut cæcitas reddunt hominem de ſe inimicum Deo: illa eſt verè peccatum, hęc vocatur ſolùm defectus Naturæ: vnde fit, vt cùm illa deformitas ſit intrinſecè mala, non dicatur eſſe volita à Deo, ſed ſolũ permiſſa: hæc verò, quia non eſt intrinſecè mala, quia non opponitur gratiæ, nedum erit permiſſa, ſed verè volita à Deo: probatur item, quia Deus verè voluit claudicationem Iacobi, immo & Angelus iuſſu Dei, *tetigit neruum femoris eius, & emarcuit* Gen. 28. hucque ſpectat illud Eccleſ. 11. *bona, & mala: vita, & mors: paupertas, & honeſtas à Deo ſunt.* Iſa. 45. *Ego Dominus, & non eſt alter: formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* Amos 3. *Si erit malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit.* atque Eccleſ. 45. *fecit illis Monſtra.* Accedũt Auguſt. 16. de Ciu Dei cap. 8. & lib. 3. de Trinit cap. 2. atque Scholaſtici in 1. d. 45. cum Magiſtro: & nouiſſimè Ruiz de prouid. d. 1. ſect. 8.

Peccati, & monſtri formalitas valde differũt.

Ex ſcriptu ris.

Ex Auguſtino. 9 Apertiſſima eſt autem Auguſtini ſententia libro citato de Trin. inter cætera inquiens, *Non ſolùm facit ea, quæ perſeuerantia conſuetudinis admirationem amiſerunt; ſed etiam ea, quæ propter raritatem, & inſolitum euẽtum, mira videntur, vt ſunt defectus luminarium & terræmotus, & monſtruoſi Animantium partus, & his ſimilia: quorum nihil fit ſine voluntate Dei, ſed pleriſque non apparet &c*

10 Verum quia, caſus eſt *inopinatus euentus*, & minimè præſcitus ab Agente: dum verò Deus & præſciuit monſtra, & voluit ea, hinc mõſtrorum productio, ſiue ex defectu, ſiue ex ſuperabundantia, atque exceſſu materiæ proueniat, nullo modo dicetur caſualis reſpectu Dei, ſed ſolummodo reſpectu cauſarum ſecundarum: quod pręſciuerit ea, vltra dicta, patet Sap. 8. *ſigna, & monſtra ſcit, antequam fiant.* quod voluerit, claruit Eccleſ. 45. *fecit illis Monſtra,* vnde elicitur, quod tùm caſus omnes fortuiti, tùm verò monſtra, cadant ſub prouidentiam Dei.

11 Quamuis autem non detur caſus fortuitus penes Deum; nihilominus, etiã fortuiti euentus ſubſunt prouidentiæ Dei. Aſſertio eſt communis caſibus, & monſtris. pro omnibus verò adſunt confirmationes ex Patribus petitæ: & quidem Aug. lib. 83. q. quæſt. 24. ait, *Quidquid caſu fit, temerè fit: quidquid temerè fit, non fit prouidentia: ſi ergo caſu aliqua fiunt in Mundo, non prouidentia vniuerſus Mundus adminiſtratur.* inde verò concludendo inquit, *Nihil igitur caſu fit in Mundo.* Arguitiuè loquitur Auguſt. ſi namq; quidquã temerè, ideſt inopinante Deo, caſualiter, ac fortuitò quid euenit in ordine ad Deum, itaut ſit talis euẽtus inſcius Deus, ergo facilè inde colligitur *non vniuerſum Mundum*, ſeu non totum Mundum gubernari à Deo, ſed partẽ ipſius Mundi cadere ſub prouidentiã Dei, non autem euentus illos fortuitos, & caſuales, ſicq; non totus Mundus gubernaretur à Deo.

Caſus fortuiti cadũt in prouidẽtiam Dei.

Arguitur ex Aug. ergo nõ totus Mũdus gubernatur à Deo.

12 Idem lib. 5. ſuper Gen. cap. 21. *Nihil tàm videtur caſibus volui, quàm omnes iſtæ procelloſę, ac turbulentæ qualitates, quibus cęli huius inferioris, quod non immeritò, etiam terræ nomine deputatum eſt, facies variatur, & vertitur: ſed cùm Pſalmus ait, Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis, quæ faciunt verbum eius, ſatis oſtendit earum quoq; rerum ordinem diuino ſubditum imperio &c.* Diuus inde Proſper lib. ſent.

Ex Patrib.

ex

ex Auguſtin.ſententia 271. ſic ſcribit, *Cùm Saluator dicit.vnum paſſerem non cadere in terram, ſine voluntate Dei: & quod fænum agri, quod poſt paululum, mittendum eſt in clibanum, ipſe tamen formet,ac veſtiat; nonne confirmat, non ſolum iſtam mundi partem rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verum etiam viliſſimas eius, abiectiſſimaſq; particulas diuina prouidentia regi; ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum cauſas comprehendere non poſſumus,affirmemus.* Anſelm.in Elucidario, *Accidit aliquid caſu? nihil omnino, ſed ordinatione.* reſpondet namq; Interrogāti vtrum accidat aliquid caſu? & ait, *nihil omnino, ſed omnia euenire ex diuina ordinatione.* Indeq; ſubdit, *Caſus nihil eſt: ſcriptum eſt autem, nihil in terra ſine cauſa fit.* Iob. 5. Ac demum Boet.vbi ſup. *Quis coercente cuncta in ordinem Deo, locus eſſe vllus temeritati reliquus poteſt?*

13 Ex his conſtat primò nullatenus eſſe admittendū caſum penes Deū quacunque intentione ſpectatum, ſiuè primaria, ſiuè ſecundaria, contra Pennottum: quia caſus eſt euentus inopinatus.& nullatenus præſcitus:at Deus etiam ſpectando ſuam primariam intentionem, optimè præſciuit tales effectus,ergo nec erunt, vt ſic,caſuales. Dices,non eueniunt ſecundùm primariam intentionem,ſeu volũtatem Dei, quæ eſt,vt effectus prodeant perfecti, Reſpond.per accidens eſſe,vt eueniat, vel non eueniat effectus iuxta voluntatem Agentis, ad hoc vt ſit, vel non ſit caſualis,patet,quia vt eſt dictum, ſi quis ſciat ibi eſſe theſaurum, & terrā fodiat, attamen nolit ad inuentionem theſauri,immo,& diſpliceat, inuentio non erit fortuita,& caſualis, præcedit enim ſcientia de theſauro, ſic quamuis effectus aliter prodeat, quā Deus, vt Conſeruator naturæ, intendat,nihilominus, quia talem euentum per optimè prænouit,non dicetur fortuitus, eſt enim per accidens ad caſum fortuitum,vt aliter eueniat, quam Agens velit,requiritur autem eſſentialiter ad caſum,ignorantia ipſius euentus, & hinc eſſentialiter,& per ſe dicetur fortuitus.

Contra Pēnottum.

Ad caſum fortuitum requiritur eſſētialiter ignorantia euentus.

14 Conſtat etiam ſecundò contra Sirenum, nec eſſe caſualem occurſum Ouis ad lupum,in ordine ad Deum; ratio,quia occurſum illum Ouis, iam Deus prænouit:ſicut etiam & prænouit aduentum lupi: quapropter ſtante præcognitione vtriuſque, tùm occurſus, tùm aduentus, non poteſt eſſe ex parte Dei effectus caſualis.erit autem caſualis ſemper ex parte Ouis. & aliquando ex parte lupi: primū patet, quia abhorret Ouis ſemper à lupo,nec vnquā præmeditatur velle occurrere illi: & ſecundùm etiam patet, licet nāque naturaliter ſit deprædator, & rapax, non tamen ſemper præcognouit vbi caulas incolant oues: igitur caſu quandoque, & inopinatè vel oui occurrit,vel incidit in caulas, ſæpius autem præmeditanter irruit in eas.

Aduerſus Sirenum.

15 Argumenta oppoſita nil probant,immo fauent ijs,quæ diximus.Et quidem dum dicitur concurſum cauſarum eſſe etiam à Deo,vt in primo argum. reſpondendum, eſſe quoque à Deo,ſed non *inopinatè*,immo *ſcienter*: quòd ſi ſcienter, ergo non eſt caſus in ordine ad Deum.quia inopinatio facit caſum: vnde erit effectus, inopinatus quidem in ordine ad cauſas ſecundas, non in ordine ad Deum,& conſequēter caſualis in ordine ad illas, non in ordine ad Deum:in ordine quidem ad cauſas ſecundas erit fortuitus,quia ipſæ concurrunt in opinatè, & inſcienter.

Concurrit Deus ad caſum, ſed ſcienter, ideoq; non eſt caſus fortuitus penes eum.

16 Ad cætera argumenta, vnica reſponſio ſufficiat, Deum eſſe quidem cauſam per ſe,independentem, ad quā reducantur cæteræ concauſæ,cæteraſque non poſſe agere ſine eo,ipſumque concurrere cum cæteris ad effectum fortuitū, eſſeque cauſam effectus fortuiti,totum hoc concedatur; Cùm vero infertur, ergo dabitur caſus fortuitus reſpectu Dei,negatur conſequens; Dū ais,Deus eſt cauſa eius, ergo &c. Reſpond.eſſe quidem cauſam, ſed non cauſam inopinatam,immo eſſe cauſam præuidentem,& præſciam,ac nō ignaram talis euentus: quod ſi talis cauſa eſt,ſequitur,vt non detur reſpectu Dei caſus,& fortuna: quia tamen cauſa ſecunda eſt cauſa inopinata, & ignara euentus, ideo penes hanc dabitur caſus,& fortuna. Item dicendum cum Bo-

Concurrit Deus ad caſum fortuitum,ſed ſcienter,nō inopinatè; non ſic cauſa ſecundæ.

Effectus eſt à Deo, ſed non vt fortuitus ex Bonau.

Bonau. effectum talem eſſe quidem à Deo,ſed nō quatenus caſualis, & fortuitus; ratio,quia vt ſic, dicit negationem,& defectum intentionis in cauſa: at Deus nihil agit inopinatè.

Miraculi, et caſus fortuiti differentia.

18 Ad illud de miraculo, negatur paritas; etenim miraculum non eſt effectus inopinatus, ſed intentus, vult namque,& intendit Deus miraculum, quod facit: at caſus fortuitus eſt ſemper inopinatus, & minimè intentus. Item differunt,quia caſus euenit præter intentionem: Miraculum verò,præter ſolitum curſum,ita vt ſit ſupra curſum Naturæ. Verum quia nullum iſtorum euenit præter intentionem Dei, hinc nihil in ordine ad Deum eſt caſuale. Vnde concluditur habere prouidentiam,etiam de caſu,& fortuna.

QVÆSTIO VII.

Vtrum mala culpæ, & pęnę cadant ſub prouidentiam Dei.

Status quęſtionis.

1 Quæſtio non eſt de peccato pro materiali ſūpto, ſeu pro ſubſtrato,ſed pro formali: de primo namq; res clara eſt, cadere in prouidētiam Dei;etenim de ſe mala non eſt entitas illa poſitiua, ſubſtrata peccati: igitur loquendum de formali, vtrum cadat ſub prouidentiam Dei.

Peccatū dupliciter intelligi poſſe cadere ſub prouidentiam.

2 Aduertimus verò dupliciter intelligi poſſe aliquid cadere ſub prouidentiam Dei: primo,tanquam principaliter, per ſe directè, & primaria intentione intentum à Deo: ſecundo, tanquam intentum indirectè, propter aliud, ſiue in ordine ad aliud.

Peccata nō cadunt in prouidētiā ex primaria intētione Dei: principaliter, & per ſe.

3 Hinc autē primo dicimus, peccata nequaquam cadere ſub prouidentiam Dei ex primaria eius intentione,principaliter, & per ſe. Aſſertio eſt communis, & de fide. Apertè autē traditur à Concil. Trid. ſeſſ.6. can. 6. vbi ſic habetur, *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate Hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, per ſe, adeout ſit proprium eius opus, nō minùs proditio Iudæ,quàm vocatio Pauli; Anathema ſit.* Probationes aliæ, neceſſariæ non ſunt, cùm Deus non ſit Author mali: Eſt ſanctus,& impeccabilis per naturam: Recederet à ratione recta,cùm tamē voluntas eius ſit inobliquabilis, & indefectibilis: & huiuſmodi, immo recederet à ſemetipſo, peccare namque eſt recedere à Deo, ſiue à gratia Dei, & hinc Deus vel odiſſet ſeipſum,vel recederet à ſeipſo &c. Accedit, quod eſſet incidere in hæreſim Manichæi apponentis Deum vnum malum, qui eſſet principium,& Author mali &c. Peccata ergo nequaquam cadunt ſic in prouidētiam Dei, non eſt enim Deus malus, ſed abominatur malum, & punit malos. & hinc deducitur non cadere in prouidentiam Dei *effectiuè*.

Peccata cadūt in prouidentiam Dei permiſſiuè, & in ordine ad aliud.

4 Secundo dicimus, Peccata cadere ſub prouidentiam Dei *permiſſiuè, indirectè, & in ordine ad aliud.* Explicatur aſſertio,quoniam permittit peccata in ordine ad bonum: vtpote in ordine ad bonum pænitentiæ:in ordine ad bonum ſuæ diuinæ miſericordiæ:atque in ordine ad bonum ſuę diuinæ iuſtitiæ; etenim ex peccatorum permiſſione elucēſcit inde, ac demonſtra-

ſtratur Dei iuſtitia, Dei miſericordia, Peccatoris pęnitentia, vna cum cæteris bonis alijs,de quibus paſſim. Hinc verò fit, vt ſit vera aſſertio cadere in Dei prouidentiam,ſed indirectè, & in ordine ad aliud.

5 Probatur in primis auctoritate Scholaſticorum, qui in 1. d.46. id docent:vbi præcipuè D.Bonauent.& D. Tho.d.39.q.2.art.2.& 1.par.q.22.art. 2.ad 2.Scot.2.d.39.q.vn. §.*Ad quęſtionem tertiam* & in 4. d.49. q.7. in fine. Singulariter verò Alexander de Alenſij 1.p. q.36.mem.4. art.1. ait, *malum eſſe ſub prouidentia Dei, non tanquam ab illa factum,ſed tanquam ordinatum.* D.Tho. cit.diſt. *malum ſubiacere prouidentiæ Dei,tanquam pręſcitum, & ordinatum,non tanquam intentum.*D.Bonau.art.1. q.5. *malum eſt ordinabile ad bonum.*Durand.in 1.d.39.q.3.ar.2 *mala cadere ſub prouidẽtiam Dei.* Richar. ibid.art.2.*mala ſubiacere diuinæ prouidentiæ.* idem ait Aureolus in 1. d. 40. art.3.

6 Confirmatur ex Scripturis, & quidem apertiſſimum eſt teſtimonium de Chriſto Domino Actor. 4. vbi habetur, *Conueniunt verè in Ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pilatus cum Gentibus, & Populis Iſrael, facere ea, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Nota *Conſilium tuum*, conſilium autem eſt ipſamet prouidentia, vel viam ſternit ad prouidentiam.Ibidem cap.2.*Hunc definito conſilio, ex præſcientia Dei traditũ per manus iniquorum affligentes, interemiſtis.* ſunt autem verba de eodem Chriſto addicto Paſſioni. Item ex Paulo ad Theſſalonic.2. *Mitte eis Deus operationem erroris, vt cadant mendacio.* lib. 2.Reg. cap.16. *Dominus præcepit Semei,vt malediceret Dauid.* Iſa.13. *Ecce ego ſuſcitabo contra vos Medos.* 3.Reg. 22. *Decipies,& præualebis:vade,& fac ita.* Habac.1. *Suſcitabo Caldæos, Gentem amaram.*Iſaias inſuper.63. *Quare errare nos feciſti de vijs tuis : induraſti cor noſtrum,ne timeremus te.*ac Pſal.43. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Planè autem conſtat ſermonem fieri de peccato pro formali, prout Dei offenſiuum eſt : ad quod tamen ſe habet *permiſſiuè*; vniuerſæ namque loquutiones ſcripturarum exponendæ veniunt *permiſſiuè*; ex ſententia communi Theologorum, præcipuèq; *D.* Damaſc. qui lib.4. de fide Orthod. c.20. ait, *Illud ſcire oportet in ſcripturæ more poſitum eſſe,vt Dei actionem,permiſſionem illius appellet, ſiue Dei permiſſionem,eius actionem nominet.* idem habet Chryſoſtom. homil. 36. in Matt. hoc autem modo explicandæ veniunt ſcripturæ recenſitæ: ſicut & illa de Ioſeph Gen. 25. *non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* ſicut & Exod. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Iſa.6. *excæca cor Populi huius,vt videntes non videant &c.* Rom. 1. *tradidit illos in reprobum ſenſum*; quæ loca vltra modum recenſitum,explicanda veniunt etiam, *negatiuè*, non *poſitiuè*. vtpote quatenus ex iuſto iudicio Dei, denegando eis maiora auxilia gratiæ, remaneat vt inde cadãt in reprobum ſenſum,ſicq; loquitur Auguſt.inquiẽs, *non excæcauit impertiendo malitiam, ſed non impertiendo gratiam.*quo denique ſpectat illud Exod.9. *In hoc excitaui te, vt oſtenderem fortitudinem meam in te.* quæ verba explicans Auguſt.ait,*permiſiſſe Deum indurationem Pharaonis ad hoc, vt magis contra eum diuina oſtenderetur iuſtitia,vel Dei magis reluceret omnipotentia.* quidquid autem ſit,(de qua re magis in mat. de gratia) ex citatis locis conſtat D um permiſſiuè ſe habere in ordine ad mala,& peccata.

Pręcipere facere, indurare, *in ſcripturis, quandoque intelligitur* permiſſiuè.

7 Confirmatur inſuper principale intentum ex Patribus:Cyrillus Hieroſolym. Catech.8. *ò ſapientiſſimã prouidẽtiam, quæ malum etiam propoſitum in ſalutis occaſionem conuertit.* Clemẽs Alexandr.lib. 1. ſtrom. *Maximum eſt diuinæ prouidentiæ argumentum non ſinere, vt vitium inconducibile maneat, & inutile.*Baſil.hom.9. *Prouidentia rerum humanarum diſpenſator Deus vtitur ad noſtram exercitationem malignitate Dæmonis, quemadmodum Medicus viperæ veneno.* Hugo de Sancto Victore lib.1.de Sacram.p.2. cap.19. *ſecundùm vniuerſalem prouidentiam cũctorum, non ſolùm ſuis, quæ bona fecit, ſed alienis quoque,quæ ipſe non fecit mala,ſed permiſit, quod debitum eſt, diſpẽſat,*

ſat; vt nihil in Regno ſuo iuſtam ordinationem euadat; nam & ipſa iniquitas ex hac prouidentia ſtipem habet, & non potuit, vel ipſa malitia in obliuionẽ venire apud Prouiſorem omnium. Gregor. 33. Moral. c. 13. vel 18. 19. *ſecreto ergo diſpenſationis ordine vnde ſæuire permittitur iniquitas Diaboli, inde perficitur benignitas Dei.* Ac demum Auguſt. qui lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 16. ita ſcribit, *Quid eſt ſecũdùm Euangelium* Rom. 11. *inimici propter vos, niſi quod eorum inimicitia, qua occiderunt Chriſtum, in Euangelio ſine dubitatione profecit? & hoc oſtendit ex Dei diſpoſitione veniſſe, qui benè vti nouit etiam malis, non vt ei proſint vaſa iræ, ſed vt ipſo eis benè vtente, proſint vaſis miſericordiæ.* Et in pſal. 7. exponens illud, *Et in eo parauit vaſa mortis*, inquit, *Diuinæ prouidentiæ etiam iſta diſpoſitio tribuẽda eſt, non quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat cùm peccauerint.* Atq; Enchirid. c. 11. *Deus omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus, niſi vſqueadeo eſſet omnipotens, & bonus, vt benè faceret, etiam de malo.* Et prius Dionyſius de diuinis nomin. 24. *Quin etiam ijs, qui mali euaſerunt, ad eorum, vel priuatum, vel cõmunem vſum, prouidentia benignè vtitur.*

Rationibus

8 Accedunt rationes, Malefactores deſtinantur ad ſupplicia: at deſtinantur, & ordinantur ad ea ob crimina: ergo peccata cadunt ſub prouidentia. Confirmatur, Malefactorum punitio, bona eſt; quia conformis punitiuæ iuſtitiæ: Rurſus, Auguſt. in lib. cit. *omnis pœna eſt ordinatiua culpæ:* Item ex eod. lib. Confeſſ. cap. 12. *iuſſiſti Domine, & ita eſt, vt omnis inordinatus animus pœna ſit ſibi.* Idem in Enchirid. *Malum benè ordinatum, et ſuo loco poſitum, eminentius commendat bonum.* atque lib. 1. Retractat c. 25. *omnis pœna iuſta eſt.* & tertio de lib. arbitr. *neque enim ad momentum eſt dedecus culpæ ſine decore iuſtitię.*

Malum affert decorẽ vniuerſo ex Auguſt.

9 Inſuper malum affert decorem ad Vniuerſum: ergo eſt propter vniuerſi decorem, prouiſum: Antecedens eſt Auguſt. 11. de Ciuit. Dei cap. 23. *ſicut pictura cum colore nigro, ſuo loco poſito, pulchrior eſt; ità vniuerſitas rerum ex peccatoribus eſt pulchra.* Præterea, omne meritum ordinatur ad præmiũ: ergo demeritum ordinatur ad pęnam: ordinatio autem ad pęnam, bona eſt.

An dicatur prouidere peccata.

10 Quamuis autem ſub prouidẽtiam cadant ſic peccata; tamen non eſt aſſerendum, Deum prouidere peccata; ratio, quia videretur eſſe verè effector peccati: igitur dicẽdum, Deum præuidere, & præſcire ipſa peccata. ita Aureol. in 1. d. 40. art. 2. & Vaſq. 1. p. diſp. 87. num. 27. in fin. Dices, iam eſt probatum habere prouidentiam de peccatis, & cadere ſub prouidentiam peccata, ergo verè prouidet peccata. Reſp. habere prouidentiam de peccato, non quidem vt fiat, ſed vt puniatur, & ordinetur ad bona, de quib. diſcuſſum eſt.

Obſtatur.

11 Obſtatur, *Malum eſt priuatio modi, ſpeciei, & ordinis:* ex Auguſtin. de de Nat. 60. cap. 4. quem admodum ex ex oppoſito bonum conſiſtit in *modo, ſpecie, & ordine* ex eodem: ergo falſum quod peccatum habeat ordinabilitatem ad bonum. Reſpondet D. Bonau. peccatum eſſe quidem priuationem ordinis, ſed ordinis particularis, non autem vniuerſalis, prout ſubeſt diuinę prouidentiæ. Dicimus ſecundo peccatum, ſeu malum eſſe quidem priuationem ordinis, & boni, quantum ex ſe; etenim malũ de ſui natura eſt deſtructiuum boni: at quantum eſt ex parte vniuerſalis prouidentiæ Dei, ordinatur etiam ad bonum: ſiue iuſtitiæ, ſiue miſericordiæ &c. nam ait Auguſt. *non putetis malos gratis eſſe in mundo; omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur, aut vt per eum bonus exerceatur.* ſuper pſal. 54.

Occurritur

Malum eſt priuatio ordinis: declaratur.

Obſtatur.

12 Arguitur, ad optimum Prouiſorem pertinet, quantum poteſt, omnem defectum repellere, impedire, omne excludere malum: Deus id non facit; ergo vel non eſt vniuerſalis prouiſor, vel erit impotens. Reſpond. antecedens eſſe verum de Prouiſore particulari; hic quidem tenetur quantum poteſt, impedire, tollere defectus, mala &c. non autem de Prouiſore vniuerſali, cuiuſmodi eſt Deus; ratio, quia mala, quæ permittit, ordinat in bonũ: & hinc permittit Perſecutiones Tyrannorum, vt eluceſcat charitas, ardor, & patientia Martyrum; ſicq; de cæ-

Occurritur

Prouiſor particularis, nõ vniuerſalis, tenetur impedire omne malum.

cæteris: hoc quoque locum habet in ipſa Natura, etenim in Vniuerſo accidunt *corruptiones*, at natura intendit corruptionem in ordine ad generationem: vnde ex malo corruptionis elicit natura bonum generationis: & hinc, non eſſet vita Leonis, inquit D.Tho. ſup. ſi nõ eſſet occiſio animalium: nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio Tyrannorum.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum mala pęnæ cadant in Prouidentiam Dei.

Arguitur pro negatiue.

1 Conſequẽter ad mala culpæ quærimus, an etiam mala pęnę cadant ſub prouidentiam Dei. Videtur quod non: Primo Deus non eſt cauſa peccati, ergo nec in eius prouidentiam cadunt mala pęnę: antecedens patet: prob. conſeq. pæna à Deo non infertur, niſi præceſſerit culpa: ergo ſi efficaciter vult Deus pęnam, efficaciter quoque antecedenter malum culpæ. Secundo contra naturam diuinæ clementiæ, & pietatis eſt cauſas connectere ad interfectiones, ruinas, mortes, & huiuſmodi; vnde dicere prouidiſſe Deũ de Graſſatoribus, vt Itinerantes interficiant, bonis, ac vita expoliant: mare intumeſcere faciat, adeo vt Trãſmeantes ſuffocentur in aquis: Infanteſq; in lucem viui non prodeant, ſed abortiui depereant, hæc, & huius generis, diuinæ derogare videntur pietati, & clementiæ. Denique, ſiue Natantium in aquis ſuffocatio: ſiue aliorum repentina, & inopinata mors, ſunt effectus peccati, ſiuè proprij, ſiuè ſaltem Adæ: quod ſi effectus ſunt peccati, peccatum autem nõ prouidet Deus, ſed præuidet, nec eſt cauſa eius effectiua, ſed permiſſiua, ergo nec conſequenter prouidentiam habebit de pęna, ſed permiſſiuè ſe habebit: ita Molin. 1. p. q. 22. art. 2.

Deus dupliciter vult aliquid fieri: vel nullo alio præſuppoſito, vel aliquo præſuppoſito.

2 Supponimus Deum duplici modo velle aliquid fieri: primo, abſolutè, & nullo alio præſuppoſito: ſecundo, ex ſuppoſitione alicuius antecedenter præſuppoſiti: primo modo voluit creare Mundum: quem quidem creauit, nulla altera creatura antecedenter præſuppoſita: ſecundo modo voluit Verbum incarnari, ſaltem, in carne paſſibili, præſuppoſito Adæ peccato.

Malũ pænæ de ſe ſolo non eſt volitum à Deo.

3 Hinc duo dicimus, primò, malũ pænæ, qua malum eſt, in ſenſu reduplicatiuo, de ſe ſolo ſpectatum nequaquã Deus vult. Probatur, terminus, atque obiectum diuinæ voluntatis eſt bonũ: at malum, qua malum, non eſt bonum: ergo non vult illud Deus. Item malũ, vt malum, deſtruit omnem rationem boni; ergo deſtruit omnem rationem appetibilis. Inſuper malum qua malũ, eſt deſtructiuum naturæ. & mors: malum namque pænæ eſt deſtructiuum naturæ, vt eſt ſupplicium deſtruens vitam, & naturam; malum vero culpæ eſt deſtructiuum virtutis: at Deus nequit velle, quæ deſtructiua ſunt naturæ, & virtutis. remanet ergo, vt malum de ſe ſolo ſpectatum, nequeat velle Deus. Accedit, quod Deus non intendit deſtruere, ſed conſeruare, quantum eſt in ſe, naturam: non ergo vult malũ, cùm ſit deſtructiuum naturæ: & per conſequens, vt ſic, non eſt terminus prouidentiæ Dei. Ruiz de Prouid. diſpur. 2. ſect. 7. prob. & Scripturis. Ezechiel. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors Impij* dicit *Dominus.* & c. 33. *Nolo mortem Impij*. Sap. 1. *Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum: creauit enim, vt eſſent, omnia: & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum,*

& non eſt illis medicamentum ex terminis.

Malum pœnæ in ordine ad iuſtitiam vult Deus.

4 Dicimus ſecundò, malum pœnę, ſpectatum in ordine ad alterum, & vult Deus, & cadit in prouidentiam Dei. eſt communis: ſenſus eſt, quia, licet pœna de ſe ſola ſpectata, mala ſit, nihilominus, quatenus, *eſt ordinatiua culpæ*, iuxta locutionem Auguſtini, vtique bona eſt, & vt ſic eſt intenta, & volita à Deo. Probatur, Amoſ. 3. *ſi eſt malum in Ciuitate, quod non faciat Dominus*, quod communiter exponitur de malo pœnæ in ordine ad punitionem. Deuter. 32. *Congregabo ſuper eos mala*. 2. Reg. 12. *ſuſcitabo ſuper te malum*. & c. 11. & 36. *Adducam ſuper eos omne malum, quod loquutus ſum.* Eccleſ. 1. *bona, & mala, vita, & mors: paupertas, & honeſtas à Deo ſunt.* Iſa. 45. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creãs malum*. plenęque ſunt ſacræ paginæ huius argumẽti, quoties ad vindictam prouocari recẽſetur Dominus. Aſſertio probata amplius remanet ex quęſtione præcedenti; ſi namque malum culpæ eatenus cadit in prouidentiam Dei, quatenus ordinatur per pœnam, ſiuè ad pœnam, vt explicauimus; eatenus quoque mala pœnę cadent in prouidentiam Dei, quatenus per ea vindicatur culpa, oſtenditur iuſtitia, & miſericordia Dei, ac cætera, vt ibi.

Malum pœnæ nõ vult antecedenter Deus, ſed conſequenter.

5 Dicimus tertiò, malum pœnæ Deus non vult de ſe antecedenter, ſed præſuppoſitiuè, & conſequenter: nempè, præſuppoſita culpa. Aſſertio hæc eſt eadem cùm præcedentibus: habetque eadem fundamenta, cùm pręcedẽtibus. Et confirmatur ex *D.* Tho. 1. p. q. 19. art. 9. quia malum pœnæ, formaliter loquendo, non eſt volitum à *Deo*, quia non eſt appetibile ſub ratione mali; ſed quatenus coniunctum, cùm bono iuſtitiæ, &c. & probat abundè *D.* Bonau. in 1. d. 46. art. 1. q. 2. 3. 5.

6 Hinc infertur, ſiuè graſſationes latronum, ſiuè natandum in aquis ſuffocationes, vel huiuſmodi ærumnas nõ eſſe extra prouidẽtiam *Dei*: vnde Auguſt. in Pſal. 148. *quidquid ergo hic accidit contra voluntatem noſtram, noueris non accidere, niſi de voluntate Dei, de prouidentia ipſius, de ordine ipſius: & ſi nos non intelligimus hoc, quare fiat, demus hoc prouidentiæ ipſius, quia non fit ſine cauſa, & non blaſphemabimus*. Confirmatur ex 3. Reg. vlt. *vir quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem Iſrael*. Et tamen illa mors fuit volita à *Deo* in punitionem Achab.

Qui vult conſequens non eſt neceſſe, vt velit antecedens.

7 Ad primum, conceſſo antecedẽti, negatur conſequens. Ad probationem negatur quoque conſequens; poteſt namque velle conſequens ſine antecedenti, quia antecedens, quod eſt malum culpæ, eſt de ſe malum at conſequens, quod eſt malum pœnæ, eſt bonum, quia oſtenſiuum ſuæ diuinæ iuſtitiæ. Reſpondetur etiam ſufficere, quòd antecedens permittat ſolummodo: qua ſtante permiſſione, vult inde malum pœnæ. Item reſpondetur in genere, non eſſe neceſſe, at qui vult conſequens, velit etiam & antecedens, exemplum dat Scotus, quia poſſum velle Epiſcopatum, non tamen volendo Sacerdotium: (hoc autem dictum ſit metaphyſicè abſtractione pręciſiua, non diuiſiua ad mentem Scoti in alia materia, etenim Epiſcopatus poſtulat Sacerdotium: cæterum reſponſiones aſſignatæ ſoluunt argumentum.

Deus prout abſolutus Dominus poteſt de creatura agere quidquid maluerit.

8 Ad ſecundùm, dicendum primò, Deum habere abſolutum dominium creaturarum, proptereaque poſſe de eis agere quidquid ei libuerit, ſiuè vitam impertiendo, ſiuè mortem. Reſpondetur ſecundò, quod ſua clementia, quantum eſt de ſe, nõ intendit mala hæc, antecedenter, vt probant Scripturæ primæ aſſertionis: ſed benè intendit ea conſequenter, tùm Dei clementia, tùm vero iuſtitia: clementia quidem, ne in peiora ruant, neue damnationem maiorẽ peccatores ſibi mereantur: Iuſtitia etiam, quia tale eſt Iuſtitiæ punitiuæ debitum, vt culpam ordinet, & dirigat ad vindictam, & pœnam, quo fit, vt graſſatorum inſidijs, latronum incurſibus, Inimicorum inſecutionibus, aquarumue ingluuie in tranſmeantibus, vtatur Deus, vel ad vindictam peccati, ſi quis eo tempore in peccatis fuerit: vel ad maiorem patientiæ accretionem, vel ad vberius meritum, vel ad reliqui alicuius criminis purgationem, vt ex hinc purgatus

Via-

Viator;citius euolet ad patriam.

9 Ad tertium reſpondetur ex dictis. Et ad id, non prouidet peccatum, ergo nec prouidentiam habet de pœna peccati; conceſſo antecedenti negatur conſequens, ratio, quia peccatũ eſt malum, pœna autem peccati, vt eſt dictum, eſt bona.

QVÆSTIO IX.

Vtrum proſpera impiorum, & aduerſa hominum fortuna piorum, cadat ſub prouidentiam Dei.

1 QVæſtionẽ hãc prætactam reperimus etiam in diuinis ſcripturis, ſiquidẽ Hierem. 12. dicitur, *Iuſtus es Domine ſi diſputem tecum: verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur? benè eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt, & faciunt fructũ: prope es tu ori eorum & longe à renibus eorum, & tu Domine noſti me, vidiſti me, & probaſti cor meum tecum &c.* Ita quoque penes Habacuch 1. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces, deuorante impio iuſtiorem ſe.* Iob. 21. *quare impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatiq; diuitijs.* Ex hinc autem Hæretici paſſim, atque Antiquiores plures ex Philoſophis, diuinam inficiabantur prouidentiam.

Reſponſio difficilis viſa Dauidi.

2 Quæſtio, grauis quidem viſa eſt nedum Philoſophis, verum & ſapiẽtiſſimo Dauidi, vnde ad eam reſpondens ait, *Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc; labor eſt ante me.* laborare ergo fatetur, & inſudare Dauid in rei huius inueſtigatione: Addit proinde tamen, eouſque in id inſudare, quouſque introeat ſanctuarium Dei, & inde intelligentiam exhauriat: inquit enim, *labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuariũ Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum.* Pſalm. 57. Quæ quidem verba ponderans Sanctus Pater Auguſtinus, ita ſcribit: *Ante faciem meam laborem quẽdam, quaſi inextricabilem video, vt cognoſcam, quomodo & iuſtus ſit Deus, & res humanas curet; & non ſit iniquus; quod peccantes, & ſcelera facientes fælicitatem habeant in hac terra, pij verò, & Deo ſeruientes, in tentationibus plerumq; & in laboribus fatigantur: Magna difficultas eſt hoc ſcire: ſed donec introeam in ſanctuarium Dei, & intelligã in nouiſſima, non in præſentia &c.* Eccleſiaſtes quoq; cap. 9. incertum hoc eſſe ait, inquit enim: *Omnia in futurum reſeruantur incerta, eoquod vniuerſa æquè eueniant iuſto, & impio; bono, & malo: mundo, & immundo: immolãti victimas, & ſacrificia contemnenti: ſicut bonus, ſic & peccator: vt periurus, ita & ille, qui verum deierat: hoc eſt peſſimum inter omnia, quæ ſub Sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt.* Inferius autem ſubdit, *Verti me ad alia, & vidi ſub Sole, nec velocium eſſe curſum: nec fortium bellum: nec ſapientium panem: nec Doctorum diuitias: nec Artificum gratiam, ſed tẽpus, caſumq; in omnibus.* vbi Hieronymus, *hæc autem fiunt, quia incerto ſtatu feruntur omnia &c.*

Retributio omnium in futuro iudicio.

3 At nihilominus, etiam & de his datur Dei prouidentia: afferamus autem ſingula ex Patrum reſponſis capita: & in primis Clemens Papa ait, ita in præſenti vita quidem multoties aduenire, cùm tamen diuina prouidẽtia hæc omnia transferat, ſiue punitio-

nem malorum, ſiue prœmiationem bonorum ad finale iudicium: inquit.n. *Hoc ipſum, quod in præſenti vita non redditur vnicuiq; pro actibus ſuis, fidem indubitatam facit ſcientibus, Deum eſſe iuſtum, quod iudicium erit.* lib. 3. Recognit. Chryſoſt. hom. 9. ſuper 2. Corinth. 4. *Vbi igitur qui benè hic operati fuerint bonis fruentur? vbi autem mali contrarijs, niſi futura ſit vita quædam poſt hãc, & retributio?* Cyrillus Hieroſ. Catecheſ. 18. *Perſpice,* inquit, *iſtud, multi homicidæ in lecto impune defuncti ſunt, vbi igitur Dei iuſtitia? ſæpè autem qui homicidia quinquaginta patrauit, ſemel tantùm capite plectitur, vbi igitur illorũ quadraginta nouem, pęnas dabit, niſi poſt hanc uitam fuerit iudicium, & retributio?* Ac demum, quamuis dixerit Hieronymus, *incerto ſtatu feruntur omnia,* inde tamen ſubdidit, rationem reddẽs, *non eſt in præſenti retributio meritorum, ſed in futuro.*

4 Singulariter verò ad ſpecialiores Patrum rationes deſcendendo, inquit Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei c. 8. *Placuit diuinæ prouidentiæ præparare in poſterum bona iuſtis, quibus non fruerẽtur iniuſti, & mala impijs, quibus non excruciabuntur boni:* retributionẽ ergo Auguſtinus refundit in poſteriorem, non in præſentem vitam. Item ſubdit, *Iſta temporalia bona, & mala vtriſq; voluit eſſe communia; vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur; nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunq; afficiuntur.* ergo ad exercitationem virtutis deſeruiunt hæc omnia. Hinc Iacob. epiſt. cap. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientiã autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.* & Chriſtus Dominus Matt. 5. *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis Homines &c. gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cęlis:* atque Paulus 2. Cor. 4. *momentaneum hoc, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* ex omnibus ergo ſpes bonis confertur ad prœmiũ æternum. & Io. Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum.*

Variæ ex ſcripturis, reſponſiones.

5 Dauid Propheta pſal. 15. id bonis accidere, ſiue malis, vt inde feruẽtius Deũ exquirant, *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* Item vt habitus vitioſi purgentur Pſalm. 13. *Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt.* & 25. *proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* atque Iudith 3. *Hæ ſunt Gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelẽ &c. vt haberent conſuetudinẽ patiendi.* Gregorius ne forte adeo delectentur iuſti hac vita, vt obliuiſcantur æterna, *Via quippe eſt vita præſens, qua ad Patriam tendimus, & idcirco hic occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Electis ergo ſuis ad ſe pergentibus Dominus huius Mundi iter aſperum facit, nedum quiſq; vitæ præſentis requie, quaſi viæ amænitate paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiſcatur quod deſiderabat in Patria.*

6 Idemq; Auguſt. ad exercitationem bonorum adeſſe perſecutionem, & vitam improborum: ita in pſal. 54. *nec putetis gratis eſſe in hoc Mundo malos, & nihil bonis de illis agere Deum: omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur: aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.* Boni inſuper omnia in bonum conuertunt, etiam mala, trahentes inde bonum, iuxta Apoſt. Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* vbi Gloſa, *etiam mala, etiam peccata;* inde namq; vel pro peccatoribus exorant, vt conuertantur à malo: vel miſericordiam diuinam extollunt, quatenus tantopere expectat ad pænitentiam improbos, & malos; vel demum inde infinita Patris æterni charitas elucet, vt ſtãte peccato Adæ miſerit Vnigenitum ſuum in Mundum, vt per Incarnationem, & mortem redimeret humanũ genus ab omni malo: hinc Eccleſia in Præfatione Sabbati Sanct. *O fęlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Remptorem: ò neceſſarium Adæ peccatum &c.* fęlicem appellat culpam, non gratia ſui, cùm peccatum infęliciſſimos potius reddat peccatores, ſed *occaſionaliter,* & gratia alte-

Ex Patrib.

alterius, quatenus occaſione inde deſumpta, Filius Dei, vel abſolutè in Mundum venit, vel venit ſaltem vt paſſurus, & moriturus, iuxta varios dicēdi modos D. Thomæ, & Scoti. *Neceſſarium* quoq; appellat peccatū, vt inde occaſionē ſumpſerit Deus ad oſtēdēdā potentiā, ſapientiā, & amorem, quo homines redimeret à peccato, ſubdit .n. *quòd Chriſti morte delendum erat.*

7 Bona autem malis in hac vita permittit, vel vt hic præmia recipiant eorum, quæ aliquando fortaſſe egerunt bona. Hinc Auguſtinus docet Romanis antiquioribus principatum à Deo pręſtitum fuiſſe Mundi, glorias, atq; huius ſæculi diuitias, propter bona moralia, quæ fecerunt. Hinc quoq; de Epulone dicitur, & de Lazaro, *Fili recordare, quòd recepiſti bona in vita tua, Lazarus ſimiliter & mala: nunc autem ille conſolatur, tu verò cruciaris.* vel permittit, vt ex tribulatione conuertantur, & pęniteant: *Contere brachium peccatoris, & maligni, quæretur peccatum illius, & non inuenietur.*

Vel permittūtur hæc, vt humilius viuant, neue cęteros in ſuperbiam elati, deſpiciant: vnde de ſeipſo Paulus ait, 2. Cor. 15. *ne magnitudo reuelationū extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* & Bernard. ſerm. 54. in Cant. *vt feruentius reſurgant, & cautius viuant,* idemq; Apoſtolus Rom. 18. *ſiquis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, Vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu humilitatis &c. Conſiderans teipſum, ne, & tu tenteris &c. qui videtur ſtare, videat, ne cadat &c.* Idemque Auguſtinus, *audeo dicere, ſuperbis vtile eſſe incidere in aliquod apertum peccatum, vt iam ſibi diſpliceant, qui ſibi placendo ceciderant.* lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 13. & Damaſcenus penes Alensē 1. p. q. 40. m. 3. *conceditur quis in nefariam incidere operationem, & elatus, in adulterium; vt ex caſu humilietur.*

8 Ad argumenta ergo finaliter reſpondendo, vltra dicta, concludit Auguſtinus inquiens, *licet mala, in quantū mala, non ſint bona, tamen bonum eſt, vt ſint bona, & mala.* Et inſuper, *melius iudicauit Deus de malis bona facere, quā nulla eße mala permittere.* lib. Enchyrid. cap. 27. 69. &c. & de Ciuit. Dei lib. 11. cap. 18. *Deus malis hominum volūtatibus vtitur benè; nec .n. aliquem malorum eſſe permiſiſſet, niſi ſimul præſciuiſſet, quibus eos bonorum vſibus accommodaret.* Et Origen. ſuper Num. 22. *Nos dicimus diuina ſapientia omnia ita diſpoſita eße, vt nihil ſit ocioſum, malū, vel bonum: malitiam tamen non fecit, quam tamē ab Alijs inuentam, cùm prohibere poſſit, non prohibet; vtitur enim ea ad cauſas neceſſarias; per ipſos enim, in quibus eſt, probat eos, qui ad gloriam tendunt: ſi enim perimeretur malitia, non eßet qui contradiceret virtutibus; virtus autem ſi contrarium non haberet, non clareſceret.*

9 Linquimus errorem Manichæorum adſtipulantium duos Deos, alterum bonum, malum alterum primum largitorem bonorum, Authoremq; *bonæ fortunæ*, ſecundum, largitorem malorum, *malæq; fortunæ*: atq; ille, cui demandetur cura *de bonis*, & hic, cui cura deſtinetur *de malis*. *Manichæorum error de Deo bono, & malo*

10 Similiter & tot Antiquorum Deos, ac Deas, quibus ſpeciatim cura inſideret de ſingulis, ſiue bonis, ſiue malis, occurrentibus hominibus: de ijs autem ſic ſcribit Auguſt. lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 21. *Opi Deæ commendare naſcentes: Deo Vagitano vagientes: Deæ Cuminæ iacentes: Deæ Ruminæ ſugentes: Deo Statilino ſtantes: Deo Adeone, adeuntes: Abeone abeuntes: Deæ Menti, vt bonam haberent mentem: Deo Volumno, vt bona vellent: Dijs Nuptialibus, vt benè coniūgerentur: Dijs Agreſtibus, vt fructus caperēt: Marti, & Bellonæ, vt benè belligerarent: Deæ Victoriæ, vt vincerent: Deo Honorino, vt honorarentur: Deæ Pecuniæ, vt pecunioſi eſſent.* & infra: *Inuocanda propter feſſos Diua Feſſonia: propter hoſtes depellendos Diua Pellonia: propter ægros Medicus, vel Apollo, vel Aſculapius, vel ambo ſimul, quādo eſſet grande periculū.* *Ethnicorū error de pluralitate Deorum, quibus cura omniū erat ſingulariter demandata.*

11 At hæc, inania ſunt: etenim omnia cadūt ſub prouidentiā Dei, & falſa ſunt quæ dicuntur de tot Dijs: vnde Pſ. 52. *in manib. tuis ſortes meæ.* Iſa. 45. *Ego Dominus; & nō alter, formans lucē, & creans tenebras; faciens pacē, & creās malum.* Et Eccl. 1. *bona, & mala, vita, & mors; paupertas, & honeſtas à Deo ſunt.*

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Vtrum vniuerſis Paruulis fuerit à Deo prouiſum de ſufficienti auxilio ad ſalutem.

1 CVm in præcedenti diſput. actum fuerit de Prouidentia ordinis naturalis, agendum ſequitur de Prouidentia ordinis ſupernaturalis: in primis autem quærimus, vtrum vniuerſis paruulis prouiderit *Deus* de auxilijs ſufficiẽtibus ad ſalutem.

2 Dura admodum proponitur de re hac ſententia, minimè ſufficientia præſtita fuiſſe ad ſalutem auxilia paruulis pluribus decedentibus; nõ.n. ſaluantur omnes, nec omnibus, in proximo, ſubueniri poteſt per quemcumq; ſecundarum cauſarum ordinem applicandarum ad opus ſalutis. Quapropter docent hi, quibuſdam fuiſſe efficaciter quidem de ſalute prouiſum, ijs nempè qui ſalui fiunt: quibuſdam inſuper fuiſſe prouiſum ſufficiẽter per ordinarium ſecundarum cauſarum concurſum, non tamen applicatarum de facto ad Baptiſmi collationẽ, quæ nihilominus ad id coaptari potuiſſent, ſi voluiſſent: quibuſdã deniq; nec efficaciter, nec ſufficiẽter fuiſſe vnquã de ſalute prouiſum: & ij ſunt, ad quorũ Baptiſmũ impoſſibile fuerit omnino peruenire: vel quia in materno vtero perierint: vel iã natis, quatenus Miniſter, vel aqua, vel quid aliud defuerit, quominus baptiſmi lauacrũ receperint: ac cedente ſæpius, vel parentium incuria, vel aduerſo affectu ad Sacramentum baptiſmi: Concludunt autem inde hos fuiſſe omni ſufficienti, ad ſalutem, auxilio deſtitutos: ſicque Deo placuiſſe, vt inde puniret eos ſubſequenter, ad primi Parentis culpam originariam, quam, & ipſi contraxerunt. inter hos ſententiam hanc defendunt Vaſqu. in 1. par. t. 1. diſp. 96. c. 23. Gregor. in 1. d. 46. q. 1. refertque plures, de quibus tamen non adeo conſtat ſecum ſenſiſſe.

Sententia affirmātiū, denegari aliquibus omnia auxilia ad ſalutem.

3 Probant autem id D. Auguſt. quibuſdam authoritatibus, & primo epi. 105. de his ſic loquitur, *quid dicam de inopinatis, & repentinis innumerabilib. mortib. quibus etiam Religioſorum Chriſtianorum præneniũtur, & baptiſmo præcipiuntur infantes, cum è contrario ſacrilegorum, & inimicorum Chriſti aliquo modo in Chriſtianorum manus venientes, ex hac vita non ſine baptiſmi Sacramento emigrant.* Vbi reddens inde rationem de hoc, nullam inuenit, propter quod tota refundenda erit in diuinũm iudicium: ſic namquè ſubdit: *quæ tandem hic merita præceſſerunt. ſed ſi eorumdem cogitaueris paruulorum, nulla ſunt propria, vtriuſquè maſſa cõmunis, ſi parentum attenderis, bona ſunt illa, quorum filij repentinis mortib. ſine baptiſmate perimuntur.*

4 Expreſſius idipſum docet epiſ. 107. *Cum multis*, inquit, *non detur paruulis Chriſti gratia baptiſmalis, ſine illa pleriq. moriuntur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, feſtinantibuſq; parentib. miniſtris quoque volentib. & paratis, Deo nolente non detur.* vbi in Deum refert huiuſcè repentini euentus cauſam: ipſumque, edocet, in cauſa fuiſſe, vt etiã paratis Miniſtris ad baptiſmi collationem, parentibuſq. id affectantibus, non ſubſequatur euentus.

5 Probãt, & rationibus, prior fuit Dei voluntas huiuſmodi pueris negare ad ſalutem media, quam fuerit cuiuſ-

iuſcumque externæ cauſæ apparatus, & ſi inde impeditus: igitur non niſi ad Dei occultam voluntatem erit id referendum, prob.antec. iſtorum damnatio eſt à Deo volita tamquam finis; igitur prius intenta, quàm præuideatur mediorum coordinatio impedita.

6 Probari iterum poſſet, non poterit ex hoc iniuſtitiæ argui Deus, quod paruulos præmaturæ decedentes auxilio deſtituerit ſalutis, nullo etiam habito recurſu præuiſionis defectus cauſarum ſecũdarum, ergo nulla implicantia inde ſequitur, vt in ſolum diuinum transferamus iudiciũ, alioqui occultiſſimum iſtorum damnationem. totus diſcurſus inde patet, ex quo ipſi nulli debet.

7 Vlterius ſolum originariũ peccatum, quod pueri iſti contrahunt, eſt ſufficiens ratio ad ipſos perdendos, ac prorſus deſtituendos ſufficienti auxilio ſalutis: ergo ipſorum damnatio in hoc iudicium referri debet; antec. patet; hæc namque ex D. Auguſtin. eſt cauſa damnationis puerorum, ergo habita relatione ad primariam culpã, inde verè potuit Deus occaſionem ſumere denegandi eis vniuerſa media ad ſalutem requiſita, atque ſufficientia auxilia.

8 Suaderi etiam poterit ratione quidquid ſe habet independenter à cauſa ſecunda, totum refundi debet in cauſam: at repentina mors puerorum, præſertim in vtero antequam naſcantur ad lucem, nullo pacto à cauſis ſecundis dependet, ita vt oppoſitum per ſecundas cauſas potuerit euenire, igitur tota perditionis ratio refertur in Deum: maior eſt veriſſima; ſiquidem ad creationis opus, ideo negamus poſſe aliquo pacto creaturam, quia totaliter dependenter ſe habet creatio, & annihilatio à Deo: ergo cum parentes prouidere non potuerint ne puer in vtero moreretur, damnationis ratio erit à Deo.

9 Item vniuerſa, & ſingula ad ſalutem applicabilia media à Deo depẽdent: atqui agitur hoc in loco de medijs ad puerorum ſalutem applicabilib. eaq; non præparantur à Deo: igitur originaria damnationis cauſa erit à Deo: maior de ſe euidens eſt: & minor patet ex effectu negationis baptiſmi: quod ſi media ſufficientia, & cõgrua, fuiſſent à Deo ordinata, & diſpoſita, iam ſalutis conſequutus fuiſſet effectũ is qui in vtero prænaturè obijt.

10 Aſtruitur quoq; ex inconuenienti, quod contra Catholicos retũdi poſſet ab hæreticis. eſt namq; axioma catholicum, neminem in ſpiritualib. puniri propter peccata parentum: & ſi namque Deus adeo Zloetes fuit, vt aliquando Deuteronom. 5. iratus dixerit, *Ego ſum Deus æmulator, reddens iniquitates Patrum in filios*, &c. punitio nihilominus illa, temporanea extitit, ac corporalis, non autem ſpiritualis, cùm *ſola anima, quæ peccauerit, ipſa punietur*, quo ſtante, tanquam veriſſimo, & recepto ab omnib. conſequens eſſet vt propter parentum peccata, & Miniſtrorum culpas, cæterorumq; Adſtantium, ad quos de ſalute ſpectabat puerorum, dicendus eſſet Deus peccata puniuiſſe paruulorum.

11 Deniq; ea eſt ſufficientis auxilij ratio, ac natura, vt eo poſſit is, qui habet operari, atq; ad id perducere opus, ad cuius gratiam, auxiliũ ſumpſit, non.n.auxilium fruſtra datur, neq; Dei dona debent eſſe otioſa: ſed nullo pacto potuit puer in vtero mortuus tali vti auxilio, cùm nec parentum diligentia, nec Medicorum cura, neq; Adſtantium ſollicitudo, neq; externa concurrentium ritè facta præparatio, vllo modo profecerit: non igitur benè inferri poterit recepiſſe paruulos omnes, ſufficiens auxilium ad ſalutem.

12 Contraria nihilominus ſentẽtia, & magis verior, magiſq; diuinæ cõſona apparet pietati, nulli.ſ.paruulo denegata fuiſſe ſufficientia ad ſalutem auxilia, quibus ſaluarentur, ſi ipſis debita media applicarentur: ac per Deũ non ſtetiſſe, vt vnicuiq; talis fieret remediorum applicatio ad ſalutem. Inter cæteros Suar.lib.4. de Prouid. c.4. p.1. Bellarm.l.2.de Grat.c.5. Gregor. de Valent.t.2.diſput.8. quęſt.3.punct. 4. §. *octauum argumentum*, ac Vega lib.5.in Concil.Trident.c.6. Duo autem aſſerimus, primum eſt, omnibus prouidiſſe Deum ſufficientia auxilia, etiam decedentib. in vtero: alterũ erit non omnib. pueris æqualiter prouidiſſe

Oppoſita ſententia defenditur nulli paruulo deeſſe auxilia ad ſalutem.

ſe

ſe de remedio, ſed abundantius alijs, minus abundanter nonnullis alijs de remedio prouidiſſe ſalutis: quod idem eſt, ac dicere, efficaciter alijs, ſufficienter vero aliquibus alijs auxilia præbuiſſe ſalutis.

Primum iſtorum ſic declaratur, vt prouident de remedio, vel proximè per Miniſterium parentum, inſpirando eis, vt ad lauacrum regenerationis paruulos adducant: vel tempus præſtando vitæ, quouſq; ad effectum vſq; ducantur baptiſmi percipiendi. vel deniq; eà omnia per ſuam ordinariam, vel abſolutam potentiam ex miraculo, prouidendo, quæ aptiora forent ad baptiſmi lauacrum ſuſcipiendum. Præparatio hæc, proxima dicitur, qua parentes, atq; ij, quibus eſt cura de paruulo, aptè poſſint, ſi velint, paruulo cooperari ad ſalutem. Doctrinam hãc ex D. Proſpero elicimus lib. 2. de vocat. gent. c. 8. vbi in ſubiecta materia de paruulis ſic loquitur, *Non irreligioſè arbitror credi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationib. qua vtiq; ſi benè eorum vterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur*. hæc ille, quo in loco cùm non poſſint ipſimet paruuli ſibi ipſis prouidere, alijs tamen, quibus ipſorũ eſt cura demandata, contulit Deus ſufficiẽtia, quæ ipſis applicare poſſent, auxilia, ad ſalutem, ſi voluerint. quorũ etiam adeo ſpectatur cura, & incuria, vt per ipſos proximè ſtet, quo ſaluentur, vel damnentur: ac ideo ſubiungit idem Proſp. *omnium namq; exordia paruulorum, totaq, illa principia necdum rationalis infantiæ ſub arbitrio iacẽt voluntatis alienæ, neq; vllo modo eis, niſi per alios conſuli poteſt, & conſequens eſt illos ad eorum pertinere cõſortium, quorum vel recto, vel prauo reguntur affectu*. habemus igitur ex hac ſententia primariam, atq; proximam diſpoſitionem, à diuina pendentem diſpenſatione in parentib. ſtam, & Miniſtris, cæteriſq; ad id neceſſario concurrentib, quæ ſi applicarentur, certo fieret paruulorum per lauacrum regeneratio. Media hæc, vtpotè ſolertiæ parẽtum, Miniſtrorum, cæterorumque applicãdorum, ſi velint, ſemotis impedimẽtis, appellanda veniũt media proxima.

13 Et rationi id quam maximè congruit; ſiquidem *Deus, & natura non deficiunt in neceſſarijs*, teſte Ariſt. at ex ſuppoſitione communis, & vniuerſalis Redẽptionis, vt etiam paruuli poſſint reparari, diuino indigent auxilio, cùm ex ſe nullus poſſit ad ſalutem ſibi ſternere viam, igitur Deus non deficit in præparando pueris hac primaria via, ea quæ ad ſalutem ſibi neceſſario conducunt, vt parentũ, Miniſtrorumque miniſteria, & huiuſmodi.

14 Alter præparandi ordo eorũ, quæ ad ſalutem ſunt, pueris neceſſaria, in eo ſitus eſt, vt Deus produxerit cauſas ſuperiores, atq; item inferiores, quibus poſſit infans peruenire ad vitam per incolumẽ egreſſum ex vtero Matris: idq, fiet, vel ſufficienter materiam diſponendo, ne naſcatur monſtruoſus, & deformis. prouidendo inſuper de Medicorum, atq; medicaminum virtute, & ſolertia, vt infirmis occurrere poſſint prægnantibus: & vltro, commune faciendo per præuiam aliorum experientiam, ſiuè per naturale rationis dictamen, vt Mater congruo inceſſu, aptoq; ſitu, cibiſq; apprimè cõuenientib. vtatur, quo minus infanti noceat, quem geſtat in vtero. ordo hic, & diſpoſitio iſta, tùm primarij, tùm ſecundarij modi, quos tradidimus, ſufficiens reddit adiutorium Dei, vt his omnib. exequutioni mãdatis, nec puer decedat in vtero, nec cum viuus egreditur, immaturè moriatur abſq; baptiſmate.

Deus cauſas ſecundas præparat in ordine ad puerum.

Probatur autem principale intẽtum: Et quidem Paulus 2. Timot. 2. ait, *Deus* vult omnes homines ſaluos *fieri*. loquutio autem hæc eſt vniuerſalis, ergo complectitur etiam paruulos; conſequentia confirmatur ex Auguſt. dicente, Numquid paruuli, homines nõ ſunt, vt non pertineant ad id, quod dictum eſt, *vult omnes homines ſaluos fieri?* Reſpondent aduerſarij, verba Pauli intelligi de Adultis, & probant, quia ſubdit Paulus, *Et ad* agnitionem veritatis *venire*: At *venire* non competit, niſi Adultis. Verum aperta eſt fuga reſponſio iſta: & quidem etiam paruuli dicuntur ad agnitionem veritatis venire: qui licet proprijs pedibus

bus ad Eccleſiam non veniant, veniũt tamen pedibus aliorum, vtpotè parentum aſportàtium paruulos ad ſacrum fontem baptiſmatis. *qui vero per alium facit, per ſeipſum facere videtur:* hoc currit de aduentu quidem phyſico, & materiali: quòd ſi de aduentu loquamur ſpirituali, & morali, etiam dicuntur paruuli venire per ſeipſos, quia veniũt ad agnitionem veritatis per fidem, quæ licet in eis non ſit actualis, eſt tamen habitualis: vel ſi etiam de actuali ſit ſermo, veniunt quoq; per fidem actualem Parentum, interroganti namque Parocho N. *credis in Deum: vis baptizari?* reſpondét pro eo Parentes, *credo, volo baptizari.* & Aug. lib. 4. in Iulian. ait, *etiam paruulos venire, & ſi nõ per fidem actualẽ, tamen per habitualẽ.*

16 Præterea, Chriſtus eſt Redemptor omnium, ergo paruulorum: antecedẽs eſt Apoſtoli, *Vnus eſt Deus, vnus & Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* & Rom. 5. ſicut per vnius delictum in omnes homines, in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. ſunt autẽ paruuli, etiam homines: aliàs non fuiſſet Chriſtus Redemptor paruulorum. Reſpõdent appellari Chriſtum redemptorẽ omnium, non quòd paſſionem obtulerit pro omnibus, ſed quoniam ſufficiens illa erat ad ſaluandos omnes. Reſpõdent ſecundò, quòd licet Chriſtus paſſionem applicaſſet pro omnibus, nihilominus Pater non eam acceptauit pro omnibus.

Chriſtus eſt Redemptor omniũ, ergo, & paruulorum.

Obſtatur.

17 Contra primam reſponſionem arguitur: primò, quia ea eſt contraria omnibus Patribus, & Theologis: ſecundò, quia eſt contra loca recenſita Pauli, præcipuè cùm dicit, *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus:* ly autem *dedit*, indicat actualem applicationem ſui ſanguinis pro omnibus. ita quoq: verba ſubſequẽtia, *ſicut per vnius iuſtitiã in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* vbi iuſtitia Chriſti impenditur, & applicatur in iuſtificationem hominum. Tertiò aduerſatur rationi, quandoquidem non eſt appellandus Captiuorum redemptor, homo ille, qui potens quidem ſit, & diues ad redimendum, ſed ille, qui diuitias, valoremq; ſuum actualiter applicat ad redemptionẽ: ſic namq; ditiſſimus quiſq; Princeps in Italia commorans appellari poſſet redemptor Captiuorum ſub turcico imperio luctitantium: is verò erit verus redemptor, qui diuitias, ac ſingula, quæ neceſſaria ſunt, ad redimendum, eo transfert, & actualiter applicat: igitur ſi demas actualem ſuæ paſſionis applicationem à paruulis, iam non erit dicendus eorum redemptor, & conſequẽter non erit redemptor omnium, contra loquutionẽ Apoſtoli. Item Deus voluntate quadã ſimplicis complacentiæ, ſeù velleitate, vellet etiam ſaluari Dæmones, ſi poſſibile eſſet, quia *nihil odiſti eorum, quæ feciſti* Sap. 8. at ſi paruulis non applicaſſent paſſionem, paruuli eſſent inferioris conditionis, quàm Dæmones. Confirmatur, quia *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis &c.*

Occurritur

Redẽptor Captiuorũ

non eſt qui ſolum potens eſt ad redimẽdũ, ſed qui de facto redimit.

18 Contra ſecundam reſponſionem, inaudita doctrina hæc eſt: & quidem, Pater æternus ideo Filium ſuum miſit in Mundũ, vt ſaluet Mundum: et go eadem, quæ fuit voluntas Chriſti pro ſaluandis paruulis, fuit & Patris. Item non minori amore amauit Pater homines, quã Chriſtus: quòd ſi diuinitatẽ ſpectemus, eodem prorſus amore amauit Pater, & Verbum: quod ſi humanitatem, vtiq; maiori, etenim amor Dei Patris maior fuit, amore humanitatis, vt patet: at Ioannes dicit, *ſic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret.* c. 3. ergo ſi Chriſtus dilexit, dilexit, & Pater: dilectio autẽ tendebat in redemptionem, quia *probatio amoris, exhibitio eſt operis.* ait Gregor. & quartò ſequitur inde Chriſtum contraria deſideraſſe voluntati Patris ſecundùm portionem ſuperiorem, vel ſecundùm qua Deus eſt: probatur, Chriſtus ſecundùm portionem ſuperiorem conformabatur Patri: & qua Deus eſt, vult idem, quod Pater: at Chriſtus voluit ſe offerre in redemptionem pro omnibus, ergo hoc ipſũ voluit Pater. Confirmatur, *Ego quacũque voluerit Pater facio ſemper* Io. 18. dum igitur concordes ſunt in voluntate hac, falſa reſponſio, aliàs Chriſtus

Chriſtus, & Pater æternus cõcordes ſunt in ſalutem hominum, ille in offerendo merita, iſte in acceptando

diſcordaret, vt ſic, à Patre, & Pater à Chriſto. Quintò, inter Patrem, & Chriſtum intercedit pactum, Chriſti offerendo, Patris acceptando: id autem eſſet contra pactum. Sextò fieret iniuria Chriſto Domino ſi non acceptaret, dum pactum ſtat offerendi, & acceptandi.

19 Demum, arguitur, volens finē, vult & media ad finem: at Deus, teſte Apoſtol. vult omnibus ſalutem, quia *vult omnes homines ſaluos fieri.* ergo quantum eſt de ſe vult quoq; pueros ſaluari, neminemq; antecedenter damnari. Reſpondent maiorem eſſe falsā, exemplū afferunt de proijciente merces rēpore naufragij in Mari; etenim veller non proijcere, nollet proijcere, & nihilominus media non adhibet ad ſaluandas ipſas merces: ita licet Chriſtus voluerit ſalutem paruulis, attamē media non applicat omnibus ad ſaluādos eos. Quidquid ſit de impugnationibus cæterorum, nihilominus dicendum, quòd Mercator proijciendo, voluntate quidem conditionata proijcit, non abſoluta, inquit Scot. voluntate ſubſequente, non antecedente, dicam ego: etenim abſolutè vellet merces retinere, nec vellet expoliari, quod ſi proijcit, catenus proijcit, quatenus ſaluare nequit merces ſimul, & vitam, vnde, proijciam, inquit, ſi aliter ſaluare vitam non potero. ſic Chriſtus, voluntate quadam antecedenti vult pueros ſaluari, quia quantum eſt de ſe vult omnes ſaluos fieri: attamen voluntate ſubſequente non vult, quatenus impedimenta obſtant, ne editi in lucē ad baptiſmum perueniant, ergo per Chriſtum non ſtetit, vt ſaluentur.

Voluntate antecedenti paruulos non excludit à Regno, ſed cōſequenti.

20 Et hinc corollariè deducimus, voluntate antecedenti voluiſſe Deum paruulis omnibus ſalutem: voluntate tamen ſubſequenti denegaſſe aliquib. eam: Vtraque pars remanet probata ex dictis. Et hoc decet pietatem diuinam: quæ neminem à Regno excludit Cælorū quantū eſt ex parte ſua: defectus ergo omnis refunditur in creaturam: quæ aſſertio ex iiſdem quoq; fulciri poteſt probationibus, quib. probatur cauſam reprobationis Adultorum prouenire ex parte eorum: licet probatio de paruulis aliquatenus differat ratione mediorum; etenim in Adultis eſt peccatum actuale: in paruulis originale, vna cum cæteris impedimentis cauſarum ſecundarum, ne vel partus edatur in lucem, vel ne iam editus, ducatur ad baptiſmum.

Cur nō prouidet de remedys opportunis.

21 Verùm difficultas vrget: ſi per Deum non ſtat, vt ſaluentur, cur non prouidet de medijs: nempe, vt in lucē prodeant: ne in vtero decidant: vt iam exorti, ad baptiſmum perueniant: cur abortum non impedit, cur media, ſiuè particularium, ſiuè vniuerſalium cauſarum non impertit, vt fęliciter perueniant ad ortum, ad vitam: hinc namq; facilè arguitur, à Deo prouenire hæc omnia; nam ex capite cauſarum ſecūdarum nequaquam, vel incolumis naſci, vel iam natus ad ſacrum lauamen adduci poteſt, vnde & decidens damnabitur, igitur cauſa huius refunditur totaliter in Deum.

Deus præparauit cū illis remedia opportuna ad ſalutem.

22 Sed Reſpondetur primo, iam Deum præparaſſe media, quibus ritè applicatis, poſſent pueri, & incolumes naſci, & ad baptiſmi lauacrum perduci: præparauit cauſas ſuperiores, atq; inferiores, quæ conducere poſſent ad ortum pueri; Inſpirauit Parentibus, vt exortum iam puerum ad ſacrum fontē adducerēt: præparauit Miniſtros, materiam, ſingulaq; ad lauacrum Pueri neceſſaria: præceptum inſuper, & intimationem per ſacros Præcones dedit de baptizando ipſo Puero: hæc, cæteraq; diſpoſuit, atq; parauit Deus. Reſpondetur ſecundò, quòd ſi vel cauſæ ſecundæ impeditæ fuerint, ne incolumem ad vitam producant puerum: nene iam natum ad lauacrum baptiſmi perducant, hinc duo quidem deducuntur, primum eſt, per Deum nō ſtetiſſe, fecit enim quātum erat ex ſe: ſtetiſſe autem per ipſas cauſas ſecundas, iam impeditas: ſecūdum, quod ſi puer damnatur, id non ad voluntatem Dei refundendum eſt antecedentem, quia iam ex ſe antecedēter præparauit omnia; ſed ad voluntatem eius ſubſequētem; præuiſa namq; vel Parentum, Medicorum, Miniſtrorum incuria, vel cæterarum cauſarum præuiſis impedimentis, inde puerum damnat, veluti in originali macula decedentem iuxta ſui iuſtum decretum, *niſi quis renatus fuerit*

fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in Regnum cælorum. Vel tertio inde ſequitur, non præſtitiſſe his paruulis auxilia illa efficacia, quæ cæteris præſtat, qui ad lauacrum perueniunt baptiſmi, cæterum præſtitit iiſdem auxilia, aliunde ſufficientia, quæ ſi applicata fuiſſent, ad lauacrum ipſi quoque perueniſſent baptiſmi.

Deus cur impedimẽta cauſarũ non aufert

23 Quod ſi quæras, vnde eſt, vt Deus non abſtulerit impedimenta illa cauſarum ſecundarum; etenim ſi abſtuliſſet, iam ad baptiſmum perueniſſent: Reſpond. Deum non teneri auferre talia impedimenta; quòd ſi quãdoq; aufert, id miſericorditer præſtat: quòd ſi non aufert, iuſto iudicio, id agit; vnde Paulus, cuius vult, *miſeretur, & quem vult, indurat;* eſtq; in Puero ſufficiens ratio perdendi eum, nempé peccatum originale. Item Deus conſeruare vult cauſas ſecundas in ordine ſuo, & virtute ſua, itaut eas non impediat in operando: ait namq; Auguſt. *Deus, res, quas condidit, taliter adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat* lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. cum verò cauſæ ſecundæ taliter diſpoſitæ ſint, vt vel ortum pueri impediãt, vel aliquid aliud; Deus, veluti Conſeruator Naturæ, earum curſum non impedit, ſicut nec impedire tenetur: quòd ſi impedimenta talia quandoque aufert, id miraculosè contingit, Deus autem non tenetur facere miracula, ea verò facit, quandocunq; ſuæ infinitæ ſapientiæ, & miſericordiæ viderit expedire.

Auxilia ſufficientia non omnib. pueris præſtãtur æqualiter.

24 Secundum autem, quod initio huius articuli aſſeruimus fuit, non æqualiter pueris omnib prouiſum fuiſſe de ſufficienti ad baptiſmum auxilio ad ſaluari. res planè ita vera eſt, & ita conſtat, ſicut negari non poterit auxilia adultorum non æqualiter ſibi præbita eſſe à diuina pietate, quæ ſingulis elargitur, & diuidit prout vult. Antequam vero id probemus: totam inde deducimus quæſtionis amplectendam deciſionem, paruulis in vtero pereuntib. fuiſſe quidem à bonitate diuina ſufficientia elargita auxilia ad ſalutẽ, attamen, non ea fuiſſe ita congrua, ita apta, ita etiam diſpoſita, nec ita abundantia, & proxima ad ſalutem, vti cæteris eadem elargitur, qui ſalui fiunt; quod namq. per ipſum non ſteterit vt omnes ad baptiſmu lauacrum peruenirent, id ſummam decet Dei clementiam, ac bonitatem, nec non optimum cuiuſcunq; procurandæ ſalutis modũ, & ordinem: quod vero iidem ad baptiſmi gratiam non peruenerint, inde ſolum colligitur ſufficientia Dei auxilia, præparata, alioquĩ, vel in cauſis proximis, attamen impeditis, vel in cauſis vniuerſalib. ſed minus efficacib. ad completè operandum, non extitiſſe ita extraordinaria, & ita congrua, vt in rationem inde tranſierint efficacis adiutorij coniungibilis cum effectu ſalutis; eſt. n. inter ſufficientia auxilia reperire gradus, ſicut quoq; gradus reperiuntur inter auxilia efficacia: ſicut namque inter electos, qui efficaciter ſalui fiunt, alteri intenſius, & efficacius collatum extat auxilium, & alteri minus intenſum, licet omnino efficax, ea ſolũ ratione, qua alteri maiora, alteri minora fuerint collata dona, ob quod vnus eſt ſanctior altero, (licet in genere auxilij efficacis, nulla ſit inter electorum ſalutem diſcrepãtia, cùm omnes iam effectum adipiſcantur ſalutis, quæ ſalus ab efficaci pendet auxilio:) ita quoq; inter plurimos, quib. ſufficientia præſtantur auxilia, eſt neceſſario colloeanda diſtinctio, vt alteri cõferatur maius, alteri minus intenſum auxilium, in ordine tamen ad ipſa ſufficientia auxilia: licet rationem ſufficientis in vniuerſum non excedant. quapropter, ſint duo ex pueris, quorũ ambo abſq; baptiſmo intereant, alter tamen in vtero decedat, & alter extra iam natus, intereat: nulli quidem efficax fuit præſtitum ad ſalutem auxiliũ: ſed ambobus ſolummodo ſufficiens: at vero huic, qui iam viuus exiit, licet inde mortuus, maiora dicendum fuiſſe præſtita ſufficientia ad ſalutem auxilia, quia iam ortus fuit incolumis, addictus etiam parentum, ac miniſtrorũ curæ, quibus de ſua ſalute agere incũbebat: ei autem, qui nec viuus exiit, ſed in vtero obiit, minora inquimus præparata auxilia ad ſalutem: vt quia nec natus, nec viuus exiit, quo ſibi de baptiſmo proximè potuerit prouidere. ergo in ſufficientib. auxiliis dantur gradus, quibus alter alteri præeſt in

maiori, minorìue auxiliorum, ac donorum applicatione.

25 Probemus vero hoc totum in vniuerſum de ſingulis, vt inde magis appareat veritatẽ habere in caſu noſtro. D.Proſp.l.2.de vocat.gent.c.10. ſic ait, *elaboratum eſt, quantum Dominus adiunit, vt non ſolum in nouiſſimis dieb.ſed etiam in cunctis retroactis ſaculis probaretur gratiam Dei omnibus hominib.adfuiſſe prouidentia quidem pari, & bonitate generali,ſed multi modo opere diuerſaq; menſura: quoniam ſiuè occulta,ſiue manifeſtè,ipſe eſt*, vt Apoſtolus ait,*ſaluator omnium hominum, & maximè fidelium*. hæc ille. ſtat igitur vniuerſaliter omnib.prę̨ſto adeſſe Deũ per adiutoria ſua,ſaltim ſufficientia,at hoc multimodo opere; diuerſaq; menſura,quia inter ſufficientia adiutoria dantur gradus.Hoc ipſum inferius cõfirmat addendo, in ipſis quoq; fideliũ populis non eadem omnib. nec paria conferuntur, & ante vlla humanorum pondera meritorum: diſſimillima diuinorum menſura eſt munerum.hęc ille.

1.Timot.4

26 Suus quoq, Magiſter Auguſt. de bono perſeu.c.8.ſic ait,*ex duob. cur iſte vocetur,vt vocantem ſequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem ſequatur,inſcrutabilia ſunt iudicia Dei*. infertur igitur,quòd ſicut in Adultis reperitur diſparitas, ita in infantibus in ordine ad auxilia erga baptiſmum.Confirmat Paulus Rom.9. cuius *vult,miſeretur, & quem vult indurat*:atque Pſalm.147.*Non fecit taliter omni Nationi,& iudicia ſua non manifeſtauit eis*.At denique idem Auguſt. lib.de Prædeſt.ſanct.c.14. *Quare alijs conceditur,vt ex vita huius periculis,dũ iuſti ſunt,auferãtur,alij vero iuſti, donec à iuſtitia cadant,in iiſdem periculis, vita productiore teneantur,quiscognouit ſenſum Domini?* ita & de pueris.

27 His autẽ ſuppoſitis,ſicq; probatis,& declaratis, facillimum eſt cõtrariæ ſententiæ oppoſitionibus ſatiſfacere:& primo ad primum Auguſtini locum, dicimus Puerorum damnationem eſſe quidem in diuinum iudicium referendam: nihilominus non ait D. Auguſt. nulli iſtorum fuiſſe vnquam de remedio, aliquo modo prouiſum, ſed ſolummodo concludit,quòd denegata iam paruulis propter impedimẽtum cauſarum ſecũdarum,ſiue Parentum, ſiue Miniſtri, ſacri baptiſmatis applicatione, iuſto inde iudicio Dei pueros puniri, conſequenter tamen, damnatione æternali:enimuero quantum eſt ex parte bonitatis diuinæ non negat Aug. antecedenter præparaſſe paruulis ſufficientia ad ſalutem auxilia.Item reſpond.velle Auguſtinum, quòd ijs, qui ſine baptiſmo moriuntur, non fuerint media, ita efficaciter collata, ſicut ijs, qui baptizantur: vnde his gratia fuerit collata efficax,illis verò ſufficiens: eadem quoq; applicanda reſpõſio ad auctoritatem eiuſdem ex epiſt.105. *Deo nolente,non fuiſſe paruulis applicatum baptiſma*:nõ quidem Deo antecedenter nolente: ſed ſubſequenter ad præuiſionem impedimentorum cauſarum ſecũdarum.

Auguſtin. exponitur.

Baptizatis media fuerunt applicata efficaciter, non baptizatis, ſufficienter

28 Ad priorem probandi rationẽ negamus antecedẽs:*non enim eſt prius Deus vltor, quàm homo ſit peccator*, ex Auguſt. prius igitur ex ſe ſufficienter voluit, tùm puerum ſaluare, tùm verò ſufficientia, *vtcunq;* præbere mẽdia,& inde, præuiſis iam medijs,veluti minus aptis, & congruis, nec congruenter applicatis, voluntas in eo fuit vltimato damnandi. Ad probationem verò anteced. volita fuit iſtorum damnatio tanquã finis, ergo media præuiſa poſt volitionem finis, quia agens ordinatè prius vult finem, quàm media ad finẽ: Reſpondeo Agens voluntate inefficaci prius velle finem, quàm media: voluntate autem efficaci prius velle media ad finem, quàm finem ipſum,ita in ſubiecta materia,Deus eſt ordinatiſſimum agens, nulli igitur ex ſe ſolo vult damnationem vltimatè, & antecedenter,niſi media prę̨uiderit:vnde ex parte ſua non intendit pueri damnationẽ, ſed eam vult conſequenter ad præuiſionem deficientiæ applicationis mediorum ad baptiſmum,tamen media quantum eſt ex parte ſui,ipſe prę̨parat ſufficienter,vnde dãnatio fuit volita *vt finis*, non antecedenter, ſed ſubſequẽter ad deficientiam mediorum.Item Axioma illud habet aliam expoſitionem,de qua alibi,etenim loquendo de Agente,in cuius virtute & eſt finis, & media ad finem,verum eſt, quod prius

Agẽs prius vult finẽ, quàm media ad finẽ declaratur

vult

vult finem, quàm media: at hoc non militat in reprobatione, quia ex Aug. *Deus non eſt prius vltor, quàm homo ſit peccator.* ſed locum habet in prædeſtinatione.

Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur.

29 Ad quartum, & quintum concedimus totum diſcurſum, non poſſe Deum de iniuſtitia argui, ſi quemquã immediatè dãnat; etenim nulli eſt debitor: aſſumimus quoq; verum eſſe, quòd in ipſis paruulis ſufficiens reperitur damnationis cauſa, vt culpa originalis: nihilominus diuinæ munus bonitatis, hoc eſſe ſolet, *nullum prorſus deſerere*, vt inquit Aug. *niſi prius ipſe deſeratur*: quapropter ex parte miſericordis voluntatis ſuæ, præparat vnicuiq; etiam in vtero exiſtenti, ſufficientia ad vitam, & ſalutem auxilia, quæcunq; ſint illa, quantum eſt ex ſe; quamuis media illa aliunde non fuerint efficacia.

Cauſis ſecundis præſtita virtus ad incolumẽ partũ edendum.

30 Ad ſextum, & ſeptimum dicimus concedendo maiorem, & negando minorem ſexti argumẽti; ſiquidem cauſis ſecundis verè fuit à Deo præſtita virtus *ſufficiens*, qua puerum educere potuiſſent viuum ad lucem: ea autem conſiſtit vel in Medicorum peritia, debitaq; medicaminum applicatione: vel in eiuſdem Matris gubernatione, vt à noxijs abſtinendo, partũ non impediat, quominus properet ad lucem: vel in Adſtantium ſolertia, ac diligenti cura, vel deniq; in cauſis ſuperioribus, & vniuerſalibus, quarum curſus, licet immediatè regulari nequeat per cauſas inferiores, poterit tamen id præſtari mediatè, vel ſ. agendo circa paſſum, & materiam proximam; vel cauſarum inferiorum alterãdo curſum, ex quo ſuperiorum cauſarum actio contemperetur ad partum; vel Deum exorando, ne curſus debitus cauſarum ſecundarum immediatur: ergo ex parte Dei non ſtetit parare media, licet aliunde eadem media fuerint impedita naturaliter.

Deus punit iniquitates Patrum in filijs, declaratur.

31 Ad octauum reſpond. ſi ex Parentum incuria moriatur Infans, ob cuius immaturam mortem non baptizetur, nequaquam [ipſius] damnationem prouenire ex actuali Parentum peccato, quaſi Parentum peccatum, & malitioſam alioqui negligentiam, atq; incuriam puniat Deus ſpirtualiter in filios; etenim Parentum peccata punit Deus in filijs ſolummodo corporaliter, & temporaliter, non autem ſpiritualiter, ex communi illius loci interpetratione; nam (ſpiritualiter loquendo) *Anima, quę peccauit; ipſa morietur*: In caſu autem noſtro, Parẽtes, & Miniſtri deſides, ſolummodo occaſionaliter ſe habent, dum ex eorum incuria non perueniunt Infantes ad baptiſmum: quod ſi ex praua id agunt voluntate, maiori peccato ligantur, dum Infantem voluntariè priuant lauacro baptiſmatis.

32 Ad nonum, & decimum, auxilia quidem fuerunt ſufficientia: quæ ſi applicata fuiſſent, cooperante Deo, ad gratiam perueniſſent baptiſmi: Dices, nullo pacto poterant humanitus applicari. Reſpond. quòd ex hoc concoluditur, auxilia illa fuiſſe ſolùm ſufficientia, non efficacia.

QVAE-

QVÆSTIO XI.

Vtrum Deus ſemper prouideat de auxilijs excitantibus ad conuerſionem; ad legem implendam, ad tentationes vincendas, & ad peccata vitanda.

1 De ſingulis capitib. agemus, & ordinatè: Primò autè de Conuerſione, inde de cæteris.

Non datur momentis ſingulis excitatio ad conuerſionem.

2 Dicēdum, ergo primo: excitationem ad conuerſionem non fieri momentis ſingulis in peccatorib. Ruardi Taper. in artic. 7. Lonanienſ. Roffenſis in refutat. ar. 36. Lutheri. Abulenſis in c. 4. Exo. q. 12. Adrian. Pap. de Pænit. q. 3. Caetan. Ientac. 1. q. 8. Vega non diſtat. l. 13. in Conc. & c. 19. Bellarm. l. 2. de grat. c. 6. Vaſq. 1. p. d. 96. c. Valēt. t. 2. d. 8 q. 3. punc. 4. Fundamentum autem huius aſſertionis præcipuum, id eſſe poterit, quia ſingulis momentis tale excitationis auxilium non experitur in ſeipſo peccator: igitur non ſemper excitatur à Deo. At affertur continuo euaſio, quod. ſ. excitet momentis ſingulis Deus ipſum, nihilominus alio abſtractum, alioq; illectum peccatorē excitationem non percipere: impedit namq; perfectā excitationis intelligentiam, variorum ſimul occurſus obiectorum præſentatorum potentiæ, quo minus perfectè percipiat excitationem, iuxta poeticum illud

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Euaſio eluditur.

3 Hoc vero iſtorum effugium impugnatur ſuppoſitione facta de excitantis gratiæ, atq; præuenientis auxilio; ſiquidem, excitatio eſt actus quidā vitalis intellectionis, & volitionis: inſuper alicuius alterius ſenſibilis paſſionis, vt terroris, timoris, ſpei, gaudii, ac ſimilium in ſenſu fundatarum paſſionum circa ea, quæ ſupernaturalis ſunt ordinis: Item non defuerunt, vt potè Domin. Sot. lib. de nat. & grat. c. 16: Molin. diſp. 43. & Bellar. ſupra: dicentes ad actiones vitales excitantis gratiæ concurrere potentias etiam actiuè, nedum receptiuè, ac paſſiuè: vel ſaltem pullulare operationes illas à potentiis, dato quod completa in iiſdē denegetur productiuitas: quidquid tamen ſit de actiuitate, contenti pro nunc de paſſiuitate, ſic arguimus, excitatio fienda ad pænitentiam, erit actio intellectus, voluntatis, ac cæterorum penè ſenſuum ad pænam perferendam deſeruientium: ſed actiones hæ recipi nequeunt, abſq; eo quod ſimul circa ipſarum receptionem aduertamus: at non ſemper in nobis talis immiſſionis reperitur aduertentia, & experimentum; non ergo ſingulis momentis excitamur ad conuerſionem.

4 Confirmatur, non poteſt actio vitalis nominari, niſi inſuper ad ipſam actiuè (ex ſententia Aliquorum) ſe habeat facultas ſic excitata, quidquid ſit de Scotiſtis, contentis ad operationē vitalem, ſola receptiuitate) igitur cùm nedum paſſiuè, verum etiam actiuè ſe habeat facultas ad hæc, difficile eſt aſſerere excitationem hanc non ſingulis momentis percipi à peccatore ſi immitteretur.

5 Dices: ex ratione, qua operationes quamplurimas elicimus, quas tamen minimè percipimus, nec experimur in nobis eſſe, quia fortaſsè aliis intenti, minus apti ſumus, & idonei ad per-

percipiendum; igitur eadem ratione eueniet, vt quouis modo ſe habeat homo circa excitantem gratiam, nō ſemper motus illos percipiat, aut experiatur.

6 Contra non ſemper profunda occurrit peccatori internatio circa obiecta magis motiua; immo ſæpius otio vacamus, vel nulli, vel ſaltem non adeo vrgenti incumbimus negotio, & operationi: immo longo in aliquib. euenit temporis ſpatio, vt vacantib. otio, curis omnib. ſublatis, atq; minus circa alia ſe occupantib. nulla momētis ſingulis excitationis diuinæ fiat immiſſio, vt experientia teſtatur, alias ſētiretur; igitur, non ſemper illuminatur peccator ad conuerſionem.

7 Scripturæ hoc ipſum teſtantur, Eccleſ.7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poteſt corripere, quem ille deſpexerit.* deſpici autem à Deo peccatorem, eſt non habere ab eo gratiam excitantem ad pænitentiam. Ioann.12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Ioann.6. *Nemo* poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit *illum*. Pſal.94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* vbi Dauid tempus determinat diuinæ vocationis, &c. quod ſi quotidie immitteretur excitatio, non dixiſſet *hodie*, &c.

8 Et confirmatur in ſigni loco Iſa. c.6. vbi quo tempore ad prædicandum fuerat directus Iſaias, dixit ei Dominus: *vade, & dic populo huic, excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videant oculis ſuis, & aurib. ſuis audiant, & corde ſuo intelligant, & conuertantur, & ſanem eum.* quo in loco iam expreſſa eſt Domini ſententia, qua populo illi noluit ad conuerſionem auxilia præſtare: ita vt quāuis per Iſaiæ prædicationē fuiſſent ad pænitentiam excitandi, aggrauatis nihilominus aurib. obdurato corde, clauſiſq; intelligentiæ oculis minimè ex diuina punitiua ſententia, ſaltem tunc temporis auxilia receperunt ad pænitentiam.

9 Expreſſus quoq; extat tex. Mat. 11. & c.16. de Sydoniis, ac Tiriis: de quibus iam fuerat præuiſum fore conuertendos ſi vocarentur ad pænitentiam; quibus tamen, ſaltem tunc temporis, excitatio non fuit collata ad conuerſionem.

10 Diuus quoq; Paul. 1. Timot. 2. id ipſum docet pro loco, & tempore excitationis gratiam elargiri: ac propterea inſtanter, admonendos, corripiendoſq; edocet peccatores: reddēſq; rationem ait, *nequando Deus det illis pænitentiam ad cognoſcenda peccata, & reſipiſcant à Diaboli laqueis*: ex qua loquutione iam patet non ſemper talem adeſſe vocationem.

11 Ac deniq; Gregor. 10. mor. c. 4. aſſerit, ideo Cain non potuiſſe pænitentiam agere, quia Deus dereliquerat eū: ita eius immenſa exigente malitia. hinc quoq; Paulus *traditos quoſdam* commemorat in *reprobum ſenſū*. quid verò eſt hoc, niſi taliter derelinqui, vt ſaltem non momentis ſingulis excitationem recipiant ad conuerſionem.

12 Miſſa facio ea, quæ Bannes edocet verbum *dare*, ſi relationem dicat ad *recipere*, non quidem ſingulis momentis gratiam excitationis dare; ſi verò à tali abſtrahat reſpectū, ſemper quidem conferre gratiam. id quidem eſt gratis dictum: cum tamen, ſiue ſic, ſiue altero ſumatur modo verbum illud, iam plenè conſtat, nec gratiam ſemper recipi à peccatore, nec itidem ſemper in eo fieri excitationē ad conuerſionem, vt ſcripturæ, & Patres docent. *Reſponſio Bannes.*

13 Præcipuè verò D. Fulgent. lib. de Incarn. & grat. Chriſt. c. 17. vbi ait, *vt homo in Deū credere incipiat, à Deo accipit pænitentiam ad vitam; ita ut credere omnino non poſſit, niſi pænitentiam dono Dei miſerantis acceperit*: infra vero, *Re vera Deus quibus voluerit, dat pænitentiam, ad cognoſcendam veritatē.* Ex his conuincitur Bannes, quia dare, & recipere dicunt correlationem, at Fulgentius docet, Deum non omnib. dare, ſed quibus voluerit, ergò &c.

14 Dices, ſi nōn ſemper confert Deus auxilia ad conuerſionem, quando igitur ea confert? Reſpondendum vniuerſaliter, tunc conferre, quando ſuæ expediens iudicauerit eſſe pietati. Item, quādo peccatori periculum imminet *Quādo nā Deus pænitētiam inſpirat?*

minet mortis, diuinæ tunc pietatis, & miſericordiæ ſinum aperire Deum probabile eſt. Quando inſuper præceptum vrget vel communicandi, vel celebrandi, vel ſacra aliàs adminiſtrādi, inſpirare Deum, piè credēdum eſt, exiſtenti in peccato, conuerſionem ad pœnitentiam. Et quando deniq; opportunitas occurrerit auxilij ſui; hinc propterea adiecit Dauid, *Adiutor in oportunitatibus, in tribulatione.* pſalm. 121.

Adultis ſēper datur gratia ad legem implendam.

15 Dicendum ſecundò, Adultis omnibus ſemper pro loco, & tempore, Deum prouidere de auxilio ſufficienti ad legem implendam, peccata vitanda, tentationeſq; vincendas. Bellarmin. vbi ſup. cap. 7. Vaſq. diſp. 97. c. 4. Valent. loc. cit. Perrer. in c. 12. Exod. contra Vega. lib. 13. in Conſ. cap. 13. contra Abulenſem, Henricum, alioſq; quæſt. ſequ. afferendos. & probatur ſcripturis, Eccleſ. 15. *Non dixeris, per Deum abeſt, quæ enim odit, ne feceris: nō dicas, ille me implanauit; non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Et Chriſtus Dominus in orando nos petere docuit, *Ne nos inducas in tentationem*: quod ſignū eſt, paratum eſſe Deum cunctis prouidere de auxilio ad vincendas tentationes.

16 Probatur ex Patribus, Innocentius in epiſt. ad Concil. Carthag. ita ſcribit, *Quotidiana ille præſtat præſidia, quibus, niſi freti, confiſique nitamur, nequaquam humanos vincere poterimus errores.* Nota ly *Quotidiana*, vnde infertur ſemper prouidere de auxilio circa recenſita. D. Leo ſerm. 16. de Paſſione Dom. *Iuſtè inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.* ſi ergo præcipit, legē dādo, cōfert & auxilia pro lege implenda. Chryſoſt. hom. 16. ſuper Hebr. *Non potes dicere, non poſſum: neque accuſare Conditorem; ſi enim impotentes nos fecit, & inde imperat, culpa eius eſt. omnes poterunt, ſi voluerint, habemus quippe Cooperatorem, & Coadiutorem Deum.* Atq; Oroſius Apolog. pro lib. arbitr. *Euidentiſsimè declaratum eſt, nemini hominum deeſſe adiutorium cùm ſeductor inſiſtat, & inſit infirmitas.* Auguſtinus ſuper pſalm. 56. *ſi conſideras infirmitatem tuam, deficis in præcepto, confortare in exemplo: ſed etiam exemplum multum eſt ad te: adeſt ille, qui præbuit exemplum, vt præbeat, & auxilium.* Hieron. ad Cyprian. *Nihil boni operis agere poteſt abſq; eo, qui ita conceſſerit liberum arbitrium, vt ſuā per ſingula opera, gratiam non negaret.*

17 Probatur & ratione, Non poteſt homo viribus naturæ legē implere, peccata vitare, ac tentationes euincere *ſicut oportet in ordine ad ſalutem æternam*: vt loquitur Concil. Trident. ergo vt hæc omnia præſtet, de auxilio gratiæ ſuæ ſemper prouidet illi Deus.

18 Probatur ſecundo, deficiente auxilio gratiæ Dei, ſuccumberet homo preſſus tentationibus: tunc autem non imputaretur homini, tranſgeſſio, ergo vt ei imputetur, neceſſe eſt dicere, Deum ſemper prouidere de auxilio gratiæ ſuæ. Confirmatur *nemo peccat in eo, quod euitare non poteſt*: at non poteſt ex ſe viribus proprijs ſuperare, euincere, obſeruare, ergo non imputaretur ei in peccatum tranſgrèſſio legis, ſuccumbere tentationi, & in peccata quotidie ruere; ſed imputatur ei, ergo ſignum eſt, quod adimplere potuit, euincere potuit, Diaboli inſidias declinare potuit, adſtante ſibi auxilio gratiæ Dei.

Auguſtinus commentariis ſententia de Pharaone.

19 Sunt qui reſpondeant non imputari peccatori ſi cadat: ita colligunt ex Auguſt. qui c. 26. in expoſit. quarundam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos, loquens de Pharaone ait, *Non ergo illi hoc imputatur, quod tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* Verum Valentia q. 3. punc. 4. §. 1, & Molin. in concord. q. 14. art. 13. diſput. 10, atque Bellarm. vbi ſup. aiunt Auguſtinum mutaſſe ſententiam. & ſi Vaſquez dicat perſeueraſſe in oppoſita ſententia. Et quidem adſunt aperta loca in oppoſitum, eiuſdem Auguſtini, etenim lib. de prædeſtin. & grat. c. 14. de Pharaone ſcribens, inquit, *Patientia Dei valere ei debuit ad ſalutem, qua inferens iuſtū, meritumque ſupplicium, miraculorum verbera crebra denſabat: numquid non potuit, ſicut flagellis cedent expulit Po-*

pu-

pulum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoſcere? Ibi quoque c. 15. de Pharaone, & Nabuchodonoſore loquens, inquit, *Hic manum Domini ſentiens,* (nempè Nabuchodonoſor) *in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: Alter,* (nempè Pharao) *libero cõtra Dei miſericordiſſimam charitatẽ, pugnauit arbitrio*. ex his igitur locis liquido conſtat Auguſtinum mutaſſe ſententiam: ergo ex eius ſententia poterat Pharao credere adiutus auxilio Dei.

Nabuchodonoſor, & Pharaonis differentia.

20 Et qnidem ſi peccatum non imputaretur, poſſent ad libitum, laxato freno, impunè peccare. Prodeſſet illis ſua ipſorum obduratio: Item ſequeretur inde iniuſtè puniri, ac meritò conqueri poſſent de diuina, ſiuè de humana punitione, & iuſtitia peccatores, dicerent namque, non potuiſſe nõ peccare, ob idque iniuſtè puniri: ac demum de his dici poteſt eos iam in termino eſſe conſtitutos; ſiquidem qui nec amplius peccare poſſunt, nec retractari à malo, iam ſunt in termino, vt Beati, & Damnati: ergo & hi iã Viatores, eſſent vtique in termino. hinc verò tandem elicitur his non denegari auxilia ad conuerſionem; etenim ex dictis poſſunt conuerti, ergo & auxilia habent conuerſionis, non enim conuerſio fieri poteſt, *vt oportet*, ſine ſpeciali auxilio Dei; quo fit, vt ſi non cõuertantur, non id ſit tribuẽdum Deo, qui nulli deeſt prouidere de auxilijs gratiæ ſuæ, ſed tribuendum peccatori nolenti cooperari vocationi gratiæ Dei. Porro, ſubdit Vaſq. ſi tanta polleret libertate peccator, vt impune peccaret, & impotens eſſet ad agendũ oppoſitũ, nequaquam de eo verificari poſſent verba Pauli dicentis, *theſaurizas tibi iram in die iræ ſecundùm duritiem tuam, & impœnitens cor.* Roman. 2.

Obduratio quomodo imputatur peccatori.

21 Dices, licet non tribuatur peccatori, quia obduratus eſt; vt loquebatur Auguſt. tamen tribuitur ei, quatenus ſe indignũ præbuit vocationis, & excitationis Dei; ob quod meritò Deus deneget illi gratiam conuerſionis, & vocationis. Reſpondet Vaſq. d. 97. c. 4. minimè tribuendã eſſe peccatori negationem talis auxilij Dei, vnde, & Deus nequaquam auxilium tale ſibi denegabit; ratio, quia ſi peccator ſciret, qnòd peccando, Deus illum priuaret vlteriori gratia ſua, & id animaduertendo, peccaret inſuper nihil curans de obduratione futura, quam fortaſſe præuiderit, & certò ſciuerit fore ſequuturam, & minimè curaret, id qnidem curreret, etenim voluntariè id promereretur: at peccando, id non animaduertit, non cogitat, immo è cõtrario ſperat de miſericordia Dei, proinde fiet; vt non dicatur eſſe in cauſa, quare Deus deneget illi auxilium gratiæ ſuæ, ſic Vaſquez.

22 Dices, denegationem vlterioris adiutorij eſſe pœnam peccati, inquit enim Auguſt. ſup. in expoſit. propoſit. epiſt. ad Rom. *Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, pœna peccati eſt.* igitur negat vndequaq; Deus auxilia gratiæ ſuæ. Reſpond. negare ob id auxilia maiora, tunc, & efficaciora, nunquam tamen pro loco, & tempore diuina, & infinita illa Dei clementia denegat auxilia ſufficientia ad ſalutẽ, vt in quæſt. 14. habebimus ex profeſſo. Item quòd peccator auxilia talia non habeat, nõ imputatur Deo, ſed ſibi ipſi, qui indignum ſe præbet auxilijs gratiæ Dei: vnde Oſeæ, *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuũ.*

Denegatio auxilij vlterioris tribuitur peccatori.

23 Obſtabis, ex iiſdem oppoſitis locis Auguſtini, tùm etiam, quia Deus dicitur excæcare, obdurare Exod. 9. Matt. 13. Rom. 1. idem vero eſt, ac auxilia ad conuerſionem denegare. Reſponſio eſt, non quòd Deus auxilia denegat taliter excæcatis, & obduratis ſufficientia, ſed quod auxilia deneget maiora, & efficaciora, vt Bellarminus reſpondet cap. 8. & Gregor. de Valent. tom. 2. diſput. 8. q. 3. punct. 4. §. Ad quintum Auguſtini: Verùm de hoc quæſt. 14.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Deus prouiderit omnibus de auxilio vitandi omnia peccata venialia.

Nullũ eſſe abſque veniali.

1 IMpoſſibile autem omnino eſſe vitare peccata, ſaltẽ venialia, inde primum probari poteſt, quod nemo, etiam iuſtus, in hac vita, degit ſine veniali. ſuadetur primum ex ſcripturis Eccleſ.7. *non eſt homo, qui non peccet:* Iob.37. *in manu hominis ſignat, vt ſciat omnis homo infirmitatem ſuam.* Dan.9. *peccauimus, iniquitatem fecimus.* & 3. in multis offendimus omnes. 1.Ioan.1. *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Probatur inſuper ſecundo ex Concil. Palæſtin. vbi Patres ita ſanxerũt, contra Pelagium, *fateatur filios Dei vocari poſſe illos, qui quotidie dicunt dimitte nobis debita noſtra: quod vtiq; non veraciter dicerent, ſi eſſent ſine peccato.*

Occurrit Pelagius.

Effugit Pelagius, dicendo, ſcripturas loqui in perſona totius Populi, à quo non deeſt aliquale peccatum, at non de perſona particularis iuſti, à quó longe eſt omne, etiam veniale peccatum: Inſuper, cùm Ioannes dicit, *ſi dixerimus quia peccata non habemus, nos ipſos ſeducimus*, id, inquit Pelag. *non veritatis ergo, ſed humilitatis gratia, iuſtus ipſe dicit:*

Retũditur.

Verùm primum retunditur, ſiquidem Daniel cùm dixiſſet in perſona Populi, *peccauimus, iniquitatẽ fecimus*, ſubdit inde in perſona propria, *Cùm orarem, & confiterer peccata mea:* ex quo deducitur, ipſũmet, alioqui probum, & iuſtum, confiteri ſe, etiam vt verè, ſaltem venialiter, peccatorem. Secundum verò ex eodem Concil. redarguitur, quia debuiſſet Ioannes dicere, *ſi dixerimus quòd peccatum non habemus, nosipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt*; at verò dicit, *nosipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, ergo non eſt qui nõ peccet in hac vita. Tertiò Concil. Trid. ſeſſ.6.can.11. ait, *Filios Dei in hac mortali vita, quantumuis ſanctos, & iuſtos, in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiã venialia dicuntur, peccata quandoq; cadere, nec propterea deſinere eſſe iuſtos.* Quartò, idẽ Trid.can.23. anathematizat dicentes, *poſſe iuſtificatum peccata omnia, etiam venialia vitare, abſque ſpeciali priuilegio Dei.* Ac demum ſi dixeris, Virginem exceptam ab hac lege fuiſſe, at quomodo ſtare poterit vt caruerit omni veniali, ſi ipſamet quotidie dominicanam orationẽ recitando aiebat, *dimitte nobis debita noſtra*; ergo & debitum ipſa quoque habebat peccati venialis, igitur auxilium ad vitanda peccata venialia nemini datur.

Arguitur pro parte oppoſiti.

2 Ex altero verò capite arguitur, ſi negatur auxilium, ergo neceſſariò ruit iuſtus in veniale; conſequentia tenet; non enim peccata vitantur ſine Dei auxilio. Item ſi neceſſariò ruit, ergo non imputatur ei veniale; prob. ſeq. *nemo peccat in eo, quod euitare non poteſt:* vitari quidem poſſunt omnia venialia, ſed cum auxilio Dei; id verò conceditur minimè, vt eſt dictum, ergo non imputantur ipſa venialia.

An alicui priuilegiũ datũ de vitãdo omni veniali.

3 Videndum verò eſt, vtrum alicui, ſeu aliquib. conceſſum fuerit priuilegium vitandi omnia peccata venialia. Argui poſſet nulli vnquam tale pri-

Arguitur minime datum.

priuilegium datum. prob.ſi alicui fuerit conceſſum, vtique Beatiſſimæ Virgini: at arguitur in oppoſitū; & quidē Chryſoſt. homil.20. in Ioan.& 45.in Matt.Iræn.l.3.cap.18. Euthym.in 2.c. Ioan.atq; Athanaſ.ſerm.4. contra Arrian. aiunt, peccaſſe ipſam aliquando venialiter, præſertim cùm peteret conuerſionem aquæ in vinum, *Fili vinum non habent*, Ioan. 2. vbi inani gloria ſubductam,vt oſtentationē faceret ſe Filium habere miraculorum patratorem,aiūt,ita dixiſſe: ſicut etiam Matt. 12.& Marc.3 .ac Luc.8. *Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te*,volens inde ſe tanti Filij Matrē populo oſtentare.ex quib,colligunt prædicti Patres ipſam peccaſſe aliquando venialiter.

Patres aliqui ſenſerunt Virginem peccaſſe venialiter.

Accedit & Gregor. Arimin. idem docens, non caruiſſe Virginem peccatis venialib. in 2.d.30.q.2.art.1. Quod ſi Virgini conceſſum non extitit omni carere veniali, minus conceſſum videtur Alijs,inter quos dubitari fortaſſe poſſet, vtpotè de Hieremia, & Baptiſta; at ſi Virgini priuilegium hoc non datur, minus conceſſum dici deberet Hieremiæ, & Baptiſtæ.

Virgini priuilegium collatum, immunem fuiſſe ab omni veniali.

3 Nihilominus, Primò dicimus, vtiq; priuilegium,omne vitandi veniale,iam perſonæ alicui extitiſſe conceſſum: ea verò eſt Beatiſſima Virgo. ita iam definitum eſſe, docet Vega in expoſit.Concil.Trid.l.14.cap.18. definitum inquit, in Concil. Claramontano ab Vrbano II. De hac re loquitur Conc.Trid.ſeſſ.6.canon.23. inquiens, *neminem poſſe, etiam peccata venialia, vitare ſine ſpeciali auxilio Dei, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia.* id quoque fatentur Patres omnes, atque Scholaſtici, eſtq; communis ſēſus fidelium, & totius Eccleſiæ. & ob id Aug.lib.de nat.& grat.c.36. ait, *de Beata Virgine, Cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam habere volo quæſtionem*.ibiq; apertè oſtendit, vtens præfata Ioannis ſententia; omnes habere aliquale peccatum,ipſa excepta Beatiſſima Virgine.& ita de Virgine concludimus caruiſſe nedum originali, verumetiam mortali,& veniali.

Reſponſio D.Thomæ

4 Ad Patres verò in contrarium, ait D.Tho.1.2.q.109.ar.4 ad 3.Chryſoſtomum hac in re exceſſiſſe, ideoq; erraſſe: quod dicendum eſt quoq; de Alijs idipſum ſentientibus. Dices,cur ergo Chriſtus Matri reſpondit, *quid mihi,& tibi mulier, nondum venit hora mea*; ergo reprehenſa fuit à Chriſto, Virgo, ergo ibi, ſaltim venialiter peccauit.Reſpondet D.Thom. per verba illa non quidem cohibuiſſe Chriſtum, inordinatum inanis gloriæ motum Virginis,qui nullus erat,ſed illum,qui ab Alijs potuiſſet ſuſpicari.

ad Patres oppoſitum ſentientes

Hanc expoſitionem impugnat Vaſq.3.p. t.2.d. 120.quia,inquit,nullatenus Virgo nec verbis, nec factis dedit vnquam occaſionem ſimilia alijs ſuſpicandi. Verùm impugnatio hæc non currit, ſiquidem reperitur ſcandalum paſſiuum, tùm puſillorum, tùm ad inſtar Phariſæorū, qui gratis,& vlla abſque ratione ſcandalum capiunt vbi nullum eſt ſcandalum,prout de ipſis Phariſæis ſcandalizantib. de Chriſto,loquitur ipſe Chriſtus, Matt. 13. 15. Marc.14. Ioann. 6. quòd ſi de Chriſto ſcandalizabantur Phariſæi, de quo certum erat nullum habuiſſe peccatum, facilius ſcandalizari potuiſſent de Virgine: at hoc appellatur ſcandalum Phariſæorum.

Vaſquez impugnās D.Thomā, redarguitur.

5 Ad illa etiam verba reſpondet Iuſtin. Mart.queſt.136. Tet. Epiphan. hær.51.& Euthym.in Ioan.2. *quid mihi,& tibi mulier*,inquiēs,nec ad ipſam, nec ad Chriſtū pertinuiſſe de vino; id enim munus erat Archytriclini: Et quidem expoſitio optima eſt;nō enim ad Conuiuas,ſed ad Conuitantem ſpectat prouidere,& parare quæ neceſſaria ſunt ad conuiuium. Vel, *quid mihi, & tibi*;nempe,non dum tempus eſt faciendi conuerſionem aquæ in vinum: expectemus aliquantiſper,donec vinū de toto deſit,tunc enim neceſſitas vrgebit magis,& miraculum erit patentius, & tunc quidem erit hora,etenim hucuſq; hora non eſt, ſeu *nondū venit hora mea*. Vel vt oſtēderet miraculorū virtutem non à Matre Chriſtum accepiſſe,ſed à Diuinitate habuiſſe, ideoq; dixerit, *quid tibi, & mihi Mulier*, ideſt miraculi huius virtutem non tu mihi, ſed Pater communicauit: quæ verba non ſint Virginis reprehenſiua, ſed Commenſalium, *inſtructiua, & infor*-

Virgo an reprehenſa à Chriſto in Cōuiuiū

matiua,inquit Aug.tr.8.in Ioan.Greg. lib.8.regiſtr:Bed.in Ioan.2. Vel, quod miracula perpretaturus erat Chriſtus non ratione cognationis,& ſanguinis, non ad nutum hominum, ſed ad nutũ Patris,ac diuinæ voluntatis; quæ quidem, & ſimilia, licet optimè ſciuerit Beatiſſima Virgo,erat enim peroptimè inſtructa de diuinis myſterijs; tamen Chriſtus dixerit ad inſtructionem cæterorum ex Niſſen. orat. in Apoſt. ibi,*& erat ſubditus illis*. & Bernar. ſer. 1.& 2.d.1. Epiph. Non deſunt qui dicant,nonniſi ſimulatè Chriſtum ita loquutum, quaſi ſimulando Virginis reprehẽſionem,vt Maldon.penes Vaſq. c. 4. quem tñ merito impugnat, quia mendacium ibi foret in Chriſto, data ſimulata illa reprehenſione.Quidquid autem ſit,varia enim ſunt Patrũ gloſſantium placita; cùm hoc tamen concludimus nequaquã ibi, aut alibi peccaſſe venialiter Virginem. De Gregorio Ariminenſi, non mirum ſi ita ſenſerit,etenim,dum peccato originali eã commaculauit, multo liberius id ſenſerit de peccato veniali:ex illo namq; tanquam de radice prodeunt venialia. Et denique ad id,de oratione dominica, *dimitte nobis &c.* Reſp. verba hæc protuliſſe nõ in perſona propria, cùm nullum haberet debitum diuinæ vindictæ, ſed in perſona cæterorum, iure meritò dicentium, *dimitte nobis debita noſtra*. Item dicebat ea in perſona Eccleſiæ, orando pro ea. Hæc de Virgine.

Vtrum priuilegiũ vitandi venialia conceſſum aliquib. alijs, reſponſio Vaſquij.

6 Circa alios, vtrum priuilegium hoc conceſſum quoq; fuerit Aliquib. alijs:Vaſquez cap.vlt. ait hoc aſſerere, eſſe erroneum, atque in Concil.Mileuit.& Trid.damnatum. In ſpeciali autem de Ioanne Baptiſta, cui dicũt aliqui priuilegium hoc extitiſſe conceſſum,ſubdit,*hoc dicere, licet non ſit erroneum,eſſe tamen temerarium.*

Quid de Hieremia, & Baptiſta, ex Patribus.

7 Cæterum de Hieremia,& Baptiſta] ferũt plurimi caruiſſe veniali peccato;dum namq; priuilegium ſanctificationis receperunt in vtero,tribuunt illis priuilegium quoq; eximendi eos à veniali. id indicant Athanaſ.4. contra Arian.ac Ambroſ.l.2.in Luc.Gregor.3.moral.cap.2.de Ioanne,& Beda in feſto decollat.Ioann. Bapt. Confirmant hoc ipſum Alij ex eo; quod de Ioanne canit Eccleſia, *ne leui ſaltim maculare vitam,famine poſſes*.ita ſentit Abulenſ.in cap.14.Matt.quam ſentẽtiam ait, ſuo fuiſſe tempore communem.recipit eam Galatin.lib.7. de arcan. cap.9. Cathar. de Chriſt.prædeſt. ſententiam etiam hãc *nulla dignam eſſe cenſura*, ait Suar.3. par.tr.2.d.24.ſect. 4. licet Medina 1.2. quæſt. 109. art.8. in fin. concludat ſecurius eſſe aſſerere priuilegium hoc ſoli conceſſum fuiſſe Beatiſſimæ Virgini. Ad ſcripturas verò in oppoſitum,& Patres,loquuutur via,& lege ordinaria, præſcindendo à priuilegio, & ſpeciali præſeruatione.

Suarij, & Medinæ tẽ poraneum.

Quid de impotentia vitãdi omnia venialia? Reſpõſio Smyſingi, ſed refellitur.

8 Sed quid dicendum de impotẽtia vitandi venialia,non n.hoc ſpeciale auxilium dat frequenter Deus, ſed vel ſoli Virgini,vel pauciſſimis. Item Deus non præcipit impoſſibilia; ait enim Ioannes,*mandata eius grauia non ſunt*: Nec ipſe Deus deficit in neceſſarijs,tùm in naturalibus,tũ in gratuitis,hic verò videtur deficere. Reſpondet Smyſing.tr.3.d.6.num.154. quod in non neceſſarijs ad ſalutẽ Deus præcipit aliquid impoſſibile, non autem vitare venialia eſt neceſſarium auertens ab æterna ſalute, ideo nõ mirum ſi deneget talia auxilia communiter. Verùm ex hac reſponſione ſequitur primo vt ipſis non imputetur peccatum; prob. *nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt, nec per ſe, nec per auxilium gratiæ Dei*. item peccando ſequitur vt non peccent; nam in neceſſarijs non meremur neq; demeremur. Demũ ſuperuacaneè vetat venialia;ſi nãque auxilia nõ præſtat ad vitandũ,cur vetat venialia. Inſuper punit peccata venialia:pęna autẽ pręſupponit culpã: quod ſi punit, nõ quidẽ pro tranſgreſſione præcepti impoſſibilis ad adimplẽdum,punit,ſed præcepti poſſibilis.

Impotẽtia ad vitanda venialia non eſt phyſica,ſed moralis.

9 Ideo dicimus,verè nobis imputari hæc peccata; ratio, quia cauſa vt ea non vitemus nedum prouenit ex denegatione auxilij Dei,ſed ex noſtræ etiam imbecillitate naturæ, & parum diſpoſita voluntate ad Deum ex toto corde amandum:ſtante autẽ praua inclinatione naturæ,ſtante fomite,durãte rebellione ſenſuum,& volũtate minus,

nus,vt fas eſt,repugnante, ſeqnitur inde vt indigni reddamur hac ſpecialiori gratia Dei, & conſeqnenter ruamus, vt inde verè nobis impntetur peccatum. Dices,hinc conſurgit impotentia quædam tum ex denegatione auxilij, tum ex imbecillitate naturæ,mediante qua impoſſibile eſt, vt vitemus peccata, ſtante antem tali impotentia, non imputandum venit peccatum, qnia nō peccatnr in eo, qnod qniſqnam enitare non poteſt. Reſp.impotentiam hāc non eſſe phyſicam,ſed moralem:remanet quidem potētia phyſica, deeſt moralis,quæ conſurgit ex vtroq; vt eſt dictum; ratio vero cur deſit ipſum auxilium Dei,eſt ipſa voluntatis imbecillitas,tepiditas,negligentia,& minus ferués amor erga Deum,dum namq; ponitur obex ad vlteriorem gratiam, indignus eſt homo adiuuari ſpecialiori gratia Dei, vt dictum fuit q.11. & 12. & dicetur amplius q. 14.

Impotētia hac verè nobis tribuitur.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Deus Infidelibus Prouiderit de auxilijs gratiæ ad ſalutem.

Gratia auxilia proxima non dātur ſingulis infidelibus.

1 DE Infidelibus vero loquendo, de duplici diſtinguēdum eſt gratiæ auxilio, proximo, & remoto. Hinc vero dicimns, gratiæ auxilia proxima non dari qnibuſcunque in vniuerſim infidelib. de facili patet, tum quia non omnes conuertuntur,conuerſio enim eſt effectus gratiæ proximns,ergo non omnes habent gratiæ auxilia proxima; tum etiam,quia in infidelitate plurimi permanent;at pugnant gratię anxilia proxima efficacia vna cùm permanentia in infidelitate, quia teſte Anguſt. ad ſimpl.q.2.*hac gratia*, nempè proxima, & efficax *à nullo duro corde reſpuitur*: tum tertio, quia plurimi damnantur. tum quartò, quoniam non omnes audiunt verbum Dei: licet namqne *in omnem terram exierit ſonus eorum*, nihilominns plurimi ex Paganis ignorāt hoc verbum Dei, ſi deſint Concionatores; quos ſi acceſſerint,vel abijciūt, vel martyrio afficiunt, vnde iuſto iudicio Dei priuati remanent qnamplurimi proximis, efficacibuſq; auxilijs ipſius gratiæ Dei. Demum ſi ipſum proximum gratiæ auxilium non ſemper habent fideles, vtique indigniores ad id habendum ſemetipſos reddunt ex ſna infidelitate Infideles. Si inſuper, ijmet fideles obſiſtunt quandoque ſacri Verbi Præconibus, ait enim Dominus Ezech. 3. *Domus Iſrael nolunt audire me*;qnanto minus audient Infideles,eo magis,quo Prædicatores, vel non recipiunt,vel morte afficiunt.

2 Dicimus vlterius, loquendo de auxilijs remotis, ea quidem dat Deus omnibus Infidelib. Quod ſi poſtulaueris, qnænam illa ſint, dicendum ea ex multiplici capite pendere:capita vero hæc ſunt petenda, tum via creationis, tum conſeruationis,gubernationis, tū vero ex capite legis naturæ,qnæ communis eſt fidelib.& Infidelib.hæc quidem ſi agnouerint, ac benè ijs vſi fuerint,maiora dabit Deus illis incremēta gratiæ, vt conuertantur. Et quidem ex capite creationis, & gubernationis Orbis,atque prōuidentiæ huius Orbis cognoſcere poterunt Creatorem, & Conſeruatorem, atque naturæ benefactorem Deum: cui creationis,atque gu-

Auxilia remota dantur omnib. infidelib.

Auxilia remota quænam ſint.

gubernij beneficia rependere tenentur ſeruitutis, cultus, & amoris. hanc viam docuit Apoſt. Rom. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. ſempiterna quoque virtus eius, & diuinitas, ita vt ſit inexcuſabiles.* & Pſalmiſta 18. *cæli enarrant gloriam Dei.* ex capite etiam luminis naturalis, ſeu naturalis dictaminis rationis, eodem teſtante, *ſignatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Ipſa quoque lex naturæ indita eſt *in cordib. omnium,* quæ docet nemini fienda, quæ nobis nolimus fieri, de qua Chriſtus, quod tibi non vis alteri ne feceris, & quod tibi, rationabiliter, fieri vis, alteri, rationabiliter, feceris. hęc, & huius generis capita ſunt omnib. communia; quapropter auxilia huiuſmodi Deus nulli denegat ex Infidelib. quib. ſi benè vtantur, non deerit inde Deus auxilia præſtare proxima conuerſionis, & gratiæ. Patet etiam ex dictis q. 10. 11. 12. 13. 14.

Ex Chryſoſtomo.

3 Comprobemus hæc ex Chryſoſt. qui homil. 7. in Ioann. ita ſcribit, *gratia in omnes diffuſa eſt: non Iudæum non græcum, non Barbarũ, non Scytham, non liberum, non ſeruum, non virum, nõ mulierem, non ſenem, non viuentem effugit, & dedignatur: omnibus adeſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore aduocat: qui autẽ eius munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent.* Diuus etiam Proſp. l. 2. de vocat. Gent. ait, *neque ob hoc excuſabiles ſunt nationes, quæ alienatæ à conuerſatione Iſrael ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hac abundantia gratiæ, quæ nunc vniuerſum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit; adhibita enim ſemper eſt vniuerſis hominib. quædam ſuperna menſura doctrinæ, quæ & ſi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, ſufficit tamen* ex Dionyſ. de cæl. Hierarch. c. 9. *radius,* inquit, *ille diuinus, vnus, ac ſimplex eſt, eodemque modo ſe habet ſuper omnia ſemper explicitus; nempè enim, & alijs gentib. ex quib. & nos ad immenſum, & infinitum diuini luminis pelagus, quod paratum ſemper eſt, & patet omnibus ad participandum ex præterita erroris cæcitate reſpirauimus.*

Quid de Puero enutrito in ſyluis, an ſaluabitur?

4 Hæc tandè adaptamus ad puerum enutritum in ſyluis: qui omni magiſterio fidei deſtitutus, habet nihilominus naturale mentis lumen; quod ſignatum ait Pſalmiſta ſuper omnes: quo mediante noſcens legem naturæ, ſi ea adimplet, inde immittet ei Deus vlteriora auxilia: ſiuè Prædicantem Prophetam, ſiuè Magiſtrum docenté, ſiuè Angelum illuminantem, ſiuè quo ſibi magis placuerit modo, vt ipſum deducat ad conuerſionem, & ſalutem: vt tum Scotus in 1. q. prol. docet, tum D. Tho. & vniuerſim Theologi. hoc totum confirmant, quæ diximus ſup. ex Scripturis, & Patrib. de adultis, & fidelib. quæ etiam confirmabuntur ex dicendis quæſt. ſequenti, & conſonat Alenſis 3. p. q. 69. m. 3. ar. 1. D. Bonau. in 3. d. 25. ar. 2. q. 2. ac D. Tho. q. 14. de ver. art. 11. Accedit optimum Scoti axioma, de quo in 2. d. 37. lit. T. dicentis, *quidquid Deus dat antecedenter, dabit etiam conſequenter quantum eſt ex ſe, niſi per creaturas ſteterit, quin daretur.* igitur dum Deus dat antecedenter legem naturæ, & lumen naturæ infidelib. immo dona naturæ, vt docet idem Scot. in 1. d. 46. q. vn. vtique daret quoque ſubſequentia auxilia proxima ad conuerſionem, ſi benè vterentur ipſis auxilijs remotis.

QVAE-

QVÆSTIO XIV:

Vtrum aliquibus magnis peccatoribus Deus deneget omnino auxilia gratiæ ſuæ.

ARTIC. I.

Aſſertur ſententi affirmatiua, & impugnatur.

Sententia affirmatiũ deuegari aliquibus omnino auxilia gratiæ Dei.

1 EVit ſententia, nonnullorum, dicentiũ deuenire quandoque hominem ad tantam peccatorũ grauitatem, ſiuè ad tam magnum cumulum, vt indignus prorſus reddatur omni auxilio gratiæ Dei, ac inde Deũ deſerere prorſus illum, ita vt nullatenus amplius immittat ei dona gratiæ ſuæ, qua ad pænitentiam eum reuocet, & ad viam ſalutis. hi ſunt Abulenſ. ſup. c.4. Matt.6.12. Roffenſ. contra Luth. ar.26. Caeran.c.19. Ioann. Gregor.1.d. 46.q.vn. Ruard. Tapper in ar.7. quibus adſtipulatur Henric. quol.8. q.5. licet ſub dubio. Probant vero ex ſequentib. Scripturæ locis, dixit Chriſtus Ioann.12. *propterea non poterant credere, quia dixit Iſaias, excæcauit oculos eorũ, & indurauit corda eorum.* Eccleſ.7. *conſidera opera Dei, quod nemo poterit corripere, quem Deus deſpexerit.* Pſal.8. *nõ audiuit populus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi, & dimiſi eos ſecundũ deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionib. ſuis.* Iſa.5. *nunc oſtendam vineæ meæ quid faciam illi, auferam ſepẽ eius, & erit in direptionem, & diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam, & non putabitur,* &c. Ierem.7. *proijciam eos à facie mea, ſicut proieci omnes fratres veſtros, tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.* Matt.11. & Act.16. habetur, *q; ſi in Tyro, & Sydone facta fuiſſent ſigna, quæ facta fuerant in Bethſaida, & Corozain, pænitentiam egiſſent,* attamen talia ſigna nec facta fuerunt in eis. Hæbr.12. de Eſaù *non inuenit pænitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eum.* 2. Machab.9. de Antiocho, *orabat hic ſceleſtus ad Dominum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus.* Actor.14.17. *Deum in præteritis generationib. permiſiſſe Gẽtes ingredi vias ſuas, atque deſpexiſſe priora tempora.* Amos.5. *ſuper tribus ſcelerib. Moab, & ſuper quatuor non conuertam eum.* Ioann.5. *eſt peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt roget quis.* Matt.12. *qui dixerit verbum in Spiritum ſanctũ, non remittetur ei, nec in hoc, nec in futuro ſæculo.* Hebr.6. *impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt. & prolapſi, rurſus renouari ad pænitentiam.* & c.10. *voluntariè enim peccantib. nobis poſt acceptã notitiam veritatis, iam non relinquitur Hoſtia pro peccatis.* ac denique Auguſ. ep. ad Rom. propoſ.126. de Pharaone, nolente Deo obedire ad dimittendum populum, ait, *inobedientiam talem non imputari Pharaoni in peccatum, quandoquidem non habebat auxilium tale, quo potuiſſet cor eius emolliri, dimittere populum, atque Deo obedire.* Accedit Fulgent. l.1. ad Monim. c.13. *iuſtè deſeritur à Deo, qui deſerit Deum.* his ergo, & cõſimilib. capitib. probant denegare aliquib. magnis peccatorib. ad certum numerum peccatorum deuenientib. omnino auxilia conuerſionis, & gratiæ ſuæ.

ARTIC. II.

Statuitur probabilior, & communior ſententia de præſenti quęſito.

Sententia negatiua probabilior.

1 SEntentia hæc,veluti duriſſima viſa eſt Theologis cæteris, ac maximè derogans infinitæ pietati, & miſericordiæ Dei; quapropter oppoſitum ſtatuunt, prioremque omnino relinquunt,& abijciunt. hi ſunt Alenſ. 1.p.q.36.m.2.Gerſon de reg.mor. Alphab.24.Scot.2.d.37. q.vn. D.Bonau. 1.d.46.q.1.ar.1.& ibid. Durand.OKã, Gabi.Maior, cæterique communiter ſententiarij. Accedit Vega l.13.c.13. in Conc.Trid. Bellarm. l.2.de grat. & lib.arb.per plura capita, ac recentiores, Molin.1.p.de concord. diſp.10. Vaſq.1.p.d.97.Valent.& alij vnanimiter.hanc & nos amplectimur,& ſuadebimus breuiter ex ſequentib.

Probatur rationibus.

2 Probatur vero primo ratione, inde authoritate. & primò Deum non denegare auxilia gratiæ ſuę,etiam magnis peccatoribus,eſt valdè conſentaneum rationi; probatur, alias ſequeretur peccatorem,alioqui viatorem,eſſe in termino ſimul,& in via: ea vero nõ copulantur ſimul via, & terminus, vt patet, ſolus enim Chriſtus Dominus erat viator, & cõprehenſor: prob.ſeq. iſti tales ex oppoſita ſententia nõ poſſunt conuerti, nec mereri vitam æternam,deficiente ſibi ex tali ſententia, gratia Dei;ergo ſunt ſimul in termino, & in via:conſequens patet,in termino namq; exiſtentes,ſiuè Beati,ſiuè damnati,nec merentur amplius,nec demerentur:deſtruit ergo hæc ſententia ſtatum viæ.Inſuper tempus mortis eſt tẽpus claudens omnino portas meriti ad ſalutem: adhuc vero hi peccatores viuunt, cùm ergo nondum venerit tẽpus mortis, cur occluditur eis via ſalutis? Item inde ſequitur malitiam hominum,quantumuis impiorum, ſuperexcellere miſericordiam Dei: at id eſt cõtra illud, quod canit Eccleſia,quod Deus,ſiuè Dei miſericordia *eſt præſtabilis ſuper malitia hominum*; ergo inferior erit miſericordia Dei ad malitiam hominum:at illa eſt infinita,hæc finita: quòd ſi malitia excreſceret in infinitum, vtique Dei miſericordia eſt infinities infinitior omni infinita malitia creaturarũ. Inſuper impius ille Cain deſperans de fratricidio dixit, *maior eſt iniquitas mea, quàm, vt veniam merear*: cuius blaſphemiæ ſenſus eſt, *maior eſt iniquitas mea, quàm miſericordia Dei*. at ſicut impia fuit locutio,ita mẽdax,temeraria,& canita,eo quia in infinitũ exuperat miſericordia Dei omnes iniquitates hominũ. Rurſus æternus Pater ſanguinem Filij acceptauit pro omnib. quãtũuis grauiſſimis peccatorib. & ſi peccata hominũ maiora forẽt,quã fuiſſẽt,quã fuerint,ſint,& futura ſint, vtique æternus Pater acceptaret pro eis,ſi additio fieri poſſet peccatorum ad numerũ iam præconceptum à mente diuina,acceptaret inquã paſſionem Filij,etiam pro his,ſicut acceptauit pro illis. Accedit quòd ſanguis, & paſſio Chriſti eſt infiniti valoris, vndequaque velis infinitatem admittere ex quouis capite, ſiue ratione ſuppoſiti, ſiue ratione acceptationis, iuxta varia placita;non ergo malitia hominum exuperat infinitum pretium paſſionis,& ſanguinis ipſius Filij Dei. Vel etiam experientia ipſa id comprobat,tot magni peccatores cõuerſi id indicant, en Latro,en Magdalena, Matthæus, Centurio, Saulus perſequens Eccleſiam Dei: tot blaſphemi, tot impij,tot hæretici, hæreſiarchæ,& Sectarij,vt hiſtoriæ enarrant,iam conuerſi,accedente ad eos gratia,& miſericordia Dei. ſententia igitur hęc veluti magnificans,vt decens eſt, miſericordiã Dei, eſt verior & amplexanda, eſt enim humana malitia inferior, & minor ipſa infinita pietate, & miſericordia Dei.

Miſericordia Dei infinitior omni malitia hominum.

Probatur auctoritate

3 Authoritate probatur, & primò ex ſcripturis, Prouerb.9. dicitur, *Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem ſuam,in capite turbarum prædicat, in foribus portarum profert verba ſua, dicens, vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam. cõuertimini ad correptionem meã:*

en

en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea; quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omnẽ conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſanabo, cum vobis id, quod timebatis aduenerit. Hic ſapientia Dei docet quòd ex parte ſui non deeſt vocare omnes, quòd ſi inde quis damnetur, ipſi quidem reprobo imputetur, cùm noluerit vocanti ſapientiæ correſpondere. Apertius hoc idem habetur per Ezech. vbi c. 33. loquens Deus cum Propheta ait, *Tu ergo fili hominis dic ad domum Iſrael, ſic loquuti eſtis, dicentes, iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus, quomodo ergo viuere poterimus? dic ad eos, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat, Conuertimini à vijs veſtris peſſimis.* Textus hic profectò ſoluit, & enodat noſtrã quæſtionem, atq; tantoperè diuinam commendat miſericordiam, vt nemini quantumuis magno peccatorũ deſperandũ ſit de Dei miſericordia. Inſuper Act. 15. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus ſēper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* Ecce quomodo, & ſi duri fuerint ceruice homines illi, nihilominus non ceſſabat Spiritus ſanctus eos illuminare. Item Hier. 18. *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* ecce quomodo in tanta Peccatorum contradictione, & obduratione nõ quidem ceſſabat Deus expandere manus gratiæ ſuæ ad conuertendos eos. 1. Timoth. 4. *Paulus ait, quòd Chriſtus eſt ſaluator omnium, maxime fidelium.* & 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* ac 2. Philip. 3. *nõ vult aliquem perire, ſed omnes ad pænitentiã conuerti.* Matt. 5. *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtum, & iniuſtum.* ac deniq; ex tot multis, quæ adduci poſſent, Ioan. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.*

4 Ex Patribus, de quibus ſupra, afferamus Aug. is enim l. de prædeſt. & grat. cap. 14. de Pharaone agens, inquit, *Patientia Dei ei valere debuit ad ſalutem; quòd differens iuſtum, meritũq; ſupplicium, miraculorum verbera crebra denſabat: numquid non potuit ſicut flagellis cadens, expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoſceret?* en quomodo non obſtante Pharaonis duritie, non tamen ceſſabat ex parte ſua conuertere illũ Deus. Idem inſuper Proſper 2. de vocat. Gent. 25. ait, *Deo autem placuit hanc multis tribuere, & illam à nemine, nempè gratiam, ſubmouere.* atque Fulgentius vtens Medici exemplo epiſt. 7. ſic ſcribit, *ſicut Medico nulla incurabilis eſt plaga, ita neque aliquo tempore, caleſtis poteſt deficere medicina.* Accedat vltimò pulcherrimma Clementis Alexandrini ſententia ad hoc, qui Orat. exhortat. ad Gent. explicãs illud Pſal. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius,* ita ait, *Audite qui eſtis longe, & qui eſtis prope, nullis celatum eſt verbum: lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus, nullus eſt in verbo Cymmerius.* Populi autem Cymmerij ſunt ij, qui noctem patiuntur ſemeſtrem. ex hinc indicat Doctor ſanctus nulli deeſſe lumen diuinæ gratiæ etiam magnis, eximijsq; peccatoribus, ſeu ijs, qui longè etiam ſunt à conuerſatione fidelium.

5 Ex dictis elicitur veriorem eſſe hanc ſententiam, vtpote rationi, ſcripturæ, Patribus, magis conſentaneam, adeout oppoſitam veluti duram, & à communi Theologorum placito deuiantem, temeritatis nota, aliqui inurant, vt Vaſquez, pluresq; alij. *Sententia oppoſita, temeritate inuritur ab Aliquibus.*

ARTIC. III.

Satisfit argumentis in oppoſitum.

1 AD oppoſita verò reſpondendo, relictis plurimis, quæ Alij ad longum congerunt, breuiter dicimus. & primò ad illud Ioan. *quod non poterant credere;* reſpondet Aug. tract. 53. in Ioan. *quod ideo non poterant credere, quia nolebant; malam quippe voluntatem eorum prauidit Deus;* igitur poterant quidem credere, quãdoqui- *Cur nõ poterant credere: explicatio Aug.*

dem habebant Dei auxilium, nihilominus quia obſtinati erant, & obdurati, ideo non credebant; & hinc fit, vt ſtante eorum obduratione, verum ſit, quod non poterant credere; loquitur enim Ioannes ſuppoſita praua voluntate eorum. Pariformiter reſpondendum eſſet de obduratione Pharaonis, *induratum eſt cor Pharaonis, ideo non dimittet Populum, nec audiet vocẽ Dei.* quòd ſi Scriptura dicit de Deo, Exo. 47. *ego indurabo cor Pharaonis*; loquitur præſuppoſitiuè; etenim ſuppoſita omnino duritie, & obſtinatione Pharaonis nolentis omnino dimittere, Deus permittit ipſum permanere in voluntaria obduratione ſua; cæterum poterat, ſi voluiſſet, ſtante diuina intimatione per Moyſen, & per ſigna, vt loquebatur Auguſt. Obdurare autem dicitur Deus *negatiuè*, negãdo, & ſubſtrahẽdo auxilia emollientia cor Pharaonis, quandiu ipſe Pharao in cauſa fuit, vt ſibi auxilia ſubtraherentur maiora. Reſpond. ſecundò, impotentiam illam non fuiſſe phyſicam, ſed fuiſſe moralem, habebat namque deprauatam voluntatem credendi, ex qua deprauatione ſequitur impotentia moralis. & hinc dicit Apoſt. Rom. 1. *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, & deſideria cordis eorum*; Deus autem teſte Auguſt. *neminem deſerit, niſi prius deſeratur ab homine*, quæ doctrina de impotẽtia morali, applicari poteſt ad multa, & inde explicari poſſunt plures ſcripturæ, & Patres. Plura autem dicta fuerunt de Pharaone ex Augu. quæſt. præcedenti.

De Eſaù, Anthioco.

2 Ad illud de Eſaù, & Anthioco eſt communis Patrum, & Scholaſticorum ſenſus, quòd non poterat ille locum inuenire pœnitentiæ, & hic non poterat conſequi miſericordiã à Deo, eatenus, quatenus eorum lacrymæ, & orationes non procedebant ex amore Dei, & feruore charitatis; erat enim pœnitentia eorum ficta, & apparens; non enim dolebant propter Deum offenſum, ſed propter damnum temporale, ſiuè propter amiſſionem primogenituræ vt Eſaù, ſiuè damnationis æternæ vt Anthiocus, aliaq; incommoda, reddendo ſingula ſingulis.

De Syrijs, et Sidonijs

3 Ad illud de Tyrijs, & Sidoniis dicendum non caruiſſe aliunde auxilio ſufficienti ad ſalutem: ſed priuatos fuiſſe auxilio maiori, & excellentiori, & hoc ex iuſto iudicio Dei; indigni.n. erant tali maiori auxilio: neceſſaria verò auxilia, & ſufficientia iam habebant.

De Amos.

Ad illud de Amos, ait ibid. Hieron: quòd ſola impœnitentia in cauſa fuit, & eſt, vt Deus inde Iniquis non parcat; vnde ex eorum præuia obſtinatione indigni prorſus reddũtur maiorib. gratiæ auxilijs.

De Gentilibus.

Ad illud de Gẽtilibus ingredientibus vias ſuas, dicẽdum nõ quidem deſtitutos fuiſſe gratia neceſſaria ad ſalutem; ſed non habuiſſe tanta gratiæ dona, quanta aliquæ aliæ Nationes ſpecialiores; carebant enim Prophetis, nec habebant legem ſcriptam; ex quo tamen obiurgantur ab Apoſt. Roman. 1. *quod cùm Deum cognouiſſent, non ſicuti Deum glorificauerunt*; at ex hoc aſſerendum habuiſſe etiam auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Ad illud de peccato ad mortem

4 Ad illud Io: *de peccato ad mortem*, cùm ait, *non pro eo dico, vt roget quis*, exponit Ambroſ. quod eſt tanta acerbitas, & grauitas huius peccati *ad mortem*, vt non ſufficiat in orando vnuſquiſq; ordinarius Homo ad Deũ placandum, ſed requiratur *Vir aliquis ſanctitatis eximiæ*, qui placare valeat Deum. Subdit Vaſq. non propter hoc prohiberi vnumquemq; pro tali peccato orare. Vel dici poſſet, & exponi de Anathemate, & excommunicatione, nõ enim poſſumus pro Excommunicatis publicè orare.

Quid ſit peccatum ad mortem

Quid verò ſit peccatum iſtud *ad mortem*, ait Caetan. eſſe peccatum in Spiritum ſanctum. Auguſt. lib. de corr. & grat. cap. 12. ait, eſſe peccatum *finalis impœnitentię*, vt cùm peccator decidit impœnitens ex hac vita. ſubdit Hieron. lib. 2. in Iouin. eſſe *peccata grauiora, quæ difficulter remittuntur propter eorum grauitatem, & ſæpè puniuntur pœna æterna.*

Peccatum in Spiritũ S. quid.

5 Ad illud de peccato in Spiritũ ſanctum reſpondet Chryſoſt. ibid. indicari maximam difficultatem remittẽdi illud. Quid verò ſit peccatum iſtud, Alij aiunt eſſe *impugnationem veritatis cognitæ*, atque miraculis, ſiue Spiritus ſancti teſtimonio, & ſignis confirmatæ, prout hoc peccato peccabant Iu-

Iudæi, cùm de Chriſto Domino aiebât, *in Bebelzebub Principe Dæmoniorum Dæmonia eijcis*, cùm tamen idem Chriſtus aiebat, *opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me*: ſicut & eadem opera ſignis, & virtutibus confirmabant. Alij *inuidiam eſſe fraternæ charitatis*. Alij denique *finalem eſſe impœnitentiam*, qua peccator impœnitens decidit, & obduratus, ex hac vita. Cur verò vocetur potius contra Spiritum ſanctum, peccatum iſtud, quàm contra Filium, & Patrem; ideo, quia peccati remiſſio, licet ſit communis perſonis omnibus, tamen appropriatur Spiritui ſancto; quia bonitas, charitas, & miſericordia eſt appropriata Spiritui ſancto: peccator verò impœnitens negat in Spiritu ſancto adeſſe vel potentiam, vel voluntatem, & pietatem remittendi ſibi peccatum, ideo quã maximè offendit Spiritum ſanctum. ita Scot. in 2.d.43.q.1.

Impoſſibile quandoq; idẽ, ac difficile.

6 Ad id quod dicitur, *quod impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, &c.* reſpondet Aug. Chryſoſt. Ambr. Paulum loqui de *iteratione baptiſmi*; eſt .n. Sacramentum irreiterabile; ſemel namq; ſumitur, itaut, qui poſt baptiſmi ſuſceptionẽ peccauerit, non expectandum ei erit, vt purgetur per nouam, & iteratam ſuſceptionem alterius baptiſmi, ſed per lauacrum aliud erit expiandus, vtpotè per Sacramentum pœnitentiæ; alias verum eſſet, quod ait Apoſt. *rurſus crucifigentes Chriſtum in cordibus ſuis*. Reſpondetur ſecundò ponderando verbum illud *impoſſibile*, abſtrahendo, ſiuè abſtractiuè loquendo, quod in politicis, & moralibus idẽ ſonat *impoſſibile, ac valdè difficile*, & è conuerſo, quod namq, admodum difficile redditur, id impoſſibile appellare ſolemus: eſt autem impoſſibilitas hæc; moralis, quæ attentis hic, & nunc, & vario genere rerũ, reddit rem impoſſibilem, ſeù valdè difficilem; hoc modo dixit Chriſtus de diuite Matt. 19. *Diues difficile intrabit in Regnum cælorũ*: inde autem ſubdit, *apud homines impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*: ex quo colligitur id quod diximus, quòd moraliter loquendo, impoſſibile, idem eſt, ac valdè difficile, & è contra; non eſt autem impoſſibilitas phyſica, quæ doctrina poterit in multis deſeruire, ſed moralis.

7 Ad id de *voluntariè peccantibus*, &c. Reſpondet Chryſoſt. cùm cæteris, quòd pro mundando, & ſaluando peccatore non eſt neceſſe, vt iterum crucifigatur Chriſtus, ſeu tãquam Hoſtia pacificationis iterum offeratur cruenter in Altari Crucis; id enim ſemel fuit factum; Chriſtus namq; ait Paul. Rom. 6. *ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt*, & infra, *quod .n. mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel*: alias diceret Apoſt. vt ſup. *iterum crucifigentes Chriſtum*; ſufficit ergo ſemel ſe obtuliſſe Patri cruẽter in Cruce, ad hoc, vt peccatum expiaſſet generis humani. inde vero quotidie offertur in Eccleſia in Altari, ſed *ſacrificio incruento*, vt Tridentinum loquitur Concilũ. Ad illud Aug. reſpondet Vaſq. verè Auguſt. fuiſſe talis ſententiæ, at melius dicamus cùm Scoto 1.d.41.q.1. & Bellar. Auguſtinũ hæc, & ſimilia retractaſſe. lib. 1. retract. cap. 23. 3. de prædeſt. Sanct. de quo ſup. q. 11. *Ad id de voluntariè peccantib.*

8 Vniuerſaliter vero, tum pro adductis, tum prò adducendis alijs in contrarium, reſpõdendum vltra dicta, ideo Deum denegare quandoq, ſua auxilia, quia tales, indignos ſe prorſus reddunt ſuis maioribus auxilijs; Deus enim ex Aug. *neminem deſerit niſi prius deſeratur*; cæterum ex parte ſuã paratus eſt dare omnibus, atq; cum Oſeæ 13. *perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Vlterius denegat dona ſua, quandoq, in pœnam peccati, permittit namq; peccatum in pœnam antecedentis peccati, de qua re Sco. 2.36. q. vn. & in 4. d.46.q.4.

QVÆSTIO XV.

Vtrum Scotus negauerit prouidentiam auxilij ſpecialis, gratiæ præuenientis,& excitantis.

1 DE cōuerſionis principio loquens aliquando Scotus, id pendere, ait, à *cōmuni influētia Dei*: ita expreſsè habet in 4.d.14. q.2. ſub lit.M. vbi ſic loquitur, *Sciendum, quod peccator in peccatis exiſtens, poteſt ex naturalibus cum communi influentia cōſiderare peccatum commiſſum, vt offenſiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auerſiuum à Deo, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum ſupplicij, & ſub multis talibus rationibus: & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarū rationum, vel ſub multis, illud peccatum ſic conſideratum deteſtari: & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ. Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circumſtantionata circumſtantijs moralibus debitis; non eſt enim veriſimile, quod neceſſe ſit propter peccatum iſtud remanens, actum quemcunque circa peccatum commiſſum eſſe defectiuum in aliqua circumſtantia morali: iſte autem motus dicitur attritio, & eſt diſpoſitio, ſiue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in vltimo inſtanti alicuius temporis, in quo tempore iſta attritio durauit.* hæc Scotus. Conſimilia inſinuat in 2.d.7. q.vn. lit.I.

2 Ex hinc Theologi plures deducunt negaſſe Scotum prouidentiam ordinis ſupernaturalis gratiæ præuenientis, & excitantis ad cōuerſionem, ac proinde docuiſſe ſufficere prouidentiam ordinis naturæ, ita vt poſſit peccator conuerti cùm communi influentia ordinis naturæ, qua Deus cū rebus cæteris, in ordine naturæ, concurrit ad operationes ipſius propriæ naturæ exercendas: Vnde & deducunt poſtmodum cōſequenter Scotum, vel Pelagianum, vel Semipelagianum eſſe, ſiuè in Reliquias Pelagianorum, atque in errorem Maſſilienſium incidiſſe: hi ſunt Gregor. Arimin. in 2.d.26.27.28. Vaſq.1.p. diſput.91.c. 10. Sotus in 4. d.14.q.2.art.5. & lib.1.de nat. & grat. c.2.& 19.& lib.2.c.3. pluresque alij.

3 Verum duo nos modo præſtabimus: Primum erit oſtendere, nequaquam negaſſe Scotum motionem gratiæ excitantis, & præuenientis, immo apertè eam admiſiſſe, ſecundò demonſtrabimus Scotum apertiſſimè inuehi contra Pelagium, confutando eum circa neceſſitatem gratiæ.

4 Quoad primum, in primis extat inſignis locus Scoti in 2.d.5. q.1.S. *In iſta quæſtione*: lit.A. vbi ſic loquitur, *Per hoc, quod aliquis præuidetur benè vſurus accepto* (nempè auxilio Dei) *nō meretur accipere illud; tunc enim poſſet homo mereri primam gratiam, & tunc gratia non eſſet gratia, quia eſſet ex meritis*. locus ille ſufficiens eſſet ad obſtruenda ora taliter obloquentium de Scoto: cùm apertiſſimè pateat, quam catholicè loquatur de gratia: & quam conſequenter loquatur ad Paulum dicentem, *ſi gratia ex meritis, iam non eſt gratia*; vtitur vero Scotus loco hoc Pauli, vt & ipſe cum Paulo doceat neceſſariam omnino eſſe præuenientem gratiam, quandoquidem aliter tenendo ſequeretur, inquit, *quod poſſet homo mereri primam gratiam*: cum vero neget Scotus poſſe mereri de ſe primam gratiam, apertiſſimè docet principium me-

meriti eſſe à præueniente gratia: non ergo Scotus vſque modo ſentit cum Pelagianis, ſiuè ſemipelagianis.

5 Vlterius adeſt, & locus alter in eod.2.d.9.q.2.§ *Contra quartum Artic.* ante lit. A. vbi ſic ait, *Non videtur, quod diſpoſitio illa ad formam merè ſupernaturalem poſſit cauſari ab Angelo, quia licet ad formam immediatè producibilē à Deo, cooperante tamen communi curſu naturæ, poſſit aliqua cauſa naturalis diſponere, ſicut de corpore organico reſpectu Animæ intellectiuæ; ad formam tamen omnino ſupernaturalem, non cooperante communi curſu naturæ, quod diſpoſitionem immediatam agens naturale poſſit producere, videtur inconueniens.* hæc ille. Inſignis eſt locus iſte, declaclarans mentem Scoti, quam longè fuerit ab ipſis, ſiuè *ſemi*, ſiuè integris *Pelagianis.* diſtinguit namque Scotus de duplici forma immediatè prouenien̄te à Deo: de Anima quidem intellectiua, & de forma gratiæ: de illa loquens, ait, *cauſam ſecundam naturalem, cooperante Deo, cum communi curſu naturæ, poſſe ad illam diſponere,* vt pote organizando corpus, ad cuius completam organizationem, veluti ad præuiam diſpoſitionē, introducitur inde à Deo forma ipſa Animæ: at de forma gratiæ loquens, omnino negat poſſe agens naturale diſpoſitionem aliquam inducere: & ideò in principio prædicti articuli inquit, *Non videtur, quòd diſpoſitio illa ad formam merè ſupernaturalem poſſit cauſari ab Angelo.* ergo apertè fatetur Scotus non poſſe hominem viribus naturæ ſe præparare ad gratiam, quæ eſt forma ſupernaturalis.

6 Item in 3.d.19.q.vn. §. *Præterea.* ante lit. A. ſic loquitur, *Quæro à te vtrū Chriſtus tantum meruit, quod habentes gratiam, & quomodocunque, & vndecūque hoc eſſet, haberent gloriam ex meritis Chriſti, & ſi hoc ſolum, igitur non meruit nobis primam gratiam baptiſmalem in nouo Teſtamento, nec gratiam datam in ſacrificijs, & Circumciſione in veteri teſtamento, quod eſt falſum; quia vnde veniret nobis gratia illa prima? Oportet igitur dicere, quod meruit nobis gratiam primam, qua coniuncti eſſemus ſibi: igitur meruit, vt non coniuncti coniungerentur ſibi: & in hoc potiſſimum conſiſtebat meritum; igitur non ſolū meruit, vt coniuncti vlterius cooperentur ei, & tandem glorificentur, ſed meruit, vt non vniti, vnirentur, etiam qui nunquam ſe diſpoſuerunt:* Vide quomodo expreſsè docet primam diſpoſitionem ad gratiam non poſſe eſſe ex nobis, præcipuè interrogando, *Vnde veniret nobis gratia illa prima?* quaſi diceret, ſi non venit à Chriſto, vnde ergo? à nobis? id autem omnino negat: atque inuehitur contra quoſdam dicentes, Chriſtum meruiſſe gratiam ſolummodo illis, qui ſe ad eam diſpoſuerunt: at hoc oſtendit falſum eſſe, non enim datur talis naturalis diſpoſitio; indeque infert dicendo, igitur non meruit nobis gratiam baptiſmalem, nec gratiam collatam in alijs ſacrificijs; nec in veteri teſtamento gratiam Circumciſionis, quandoquidem, nec veteres in veteri teſtamento, nec nos in nouo poſſumus noſmetipſos diſponere ad primam gratiam; Subſequuntur & verba alia ibidem: habetur enim, *Item ſi diſpoſitio eſt neceſſaria, aut ergo ex parte Dei, vt Agentis, aut creaturæ, vt patientis, ſi ex parte Dei, ergo non fuit cauſa ſufficiens: ſi ex parte creaturæ, ergo gratia non eſt gratia; ſi ex meritis reddatur recipientis.* hic apertius negat dari diſpoſitionem ex proprijs viribus ad primam gratiam. licet autem verba hæc vltima ſignentur ibi ſub additione, nihilominus licet talis eſſet, tamen conformis eſt ad textum præcedentem, & confirmatio eiuſdem: factaq; fuit ab ijſdem Scoti Interpretibus, veluti cōſentanea ipſi Scoto: quòd ſi altercatio circa eam oriatur, nec curabimus de ea, etenim habemus loca aperta Scoti, & præcipuè textum nuper recenſitū, quibus apertè negatur diſpoſitio ad gratiam.

7 Rurſus in 2.d.7.q.vn. paulò ante lit. O. inquit, *Dico, quòd ad reſiliendū meritoriè requiritur aliquid principium à voluntate, puta gratia, quam Angelus malus non poteſt ex ſe habere.* Et paulò ſupra, *ſicut Deus illum gratificat, cui diſpoſuit dare gratiam, ita illum non gratificat, quem dereliquit:* ecce qualiter docet creaturam non poſſe ex ſe habere gratiam, nec poſſe conuerti meritoriè ſine gratia.

8 In

8 In 4.d.22.q.1.ſub lit.I. §. *Secundum corollarium eſt*, inquit, *illa, quibus reſpondet magnus gradus gloriæ, dum ſunt mortificata, non poſſunt mereri minimam gratiã.* docet hic Scotus, quòd peccator in peccatis exiſtens, licet multa habuerit merita, quia tamen remanent per peccatum mortificata, nõ poſſunt opera illa mereri, nec quidem *minimã gratiam.* Vide quomodo apertè docet non poſſe de ſe mereri, nedũ gratiam, ſed nec *minimum gradum gratiæ.* & ſubdit rationem, inquiens, *alioquin meruiſſet, vt reſurgeret per primã gratiam &c.*

9 Ibidem paulò infra ſic habet: *Nec tamen credo, quòd merita mortificata omnino nihil faciant in acceptatione diuina ad primam gratiam dandam huic lapſo, quia & ſi ſecundùm ſtrictam iuſtitiã iſte inimicus Dei non ſit dignus de propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam, tamen excellens miſericordia Dei propter præcedentia merita, licet mortificata, citius dat gratiam ad reſurgendum: vnde ſicut credo, quòd perfectior grauius cadit propter maiorem ingratitudinem, ita credo, quòd cæteris paribus, citius reſurgat propter Dei benignitatem, merita prędicta ad hoc aliqualiter acceptantem: vnde aliquando audiui de viro prius valde perfecto, & poſtea profundiſſimè lapſo, cùm propter facinora ſua eſſet morti adiudicatus, miſericordiſſimè viſitato, perfectiſſima pænitentia ſibi ſubito inſpirata eſt.* Multa habet hic Scotus, refundens conuerſionem in miſericordiam Dei, pænitentiam inſpirantis. Et quidem docet merita mortificata non mereri *ex iuſtitia* gratiam ad reſurgendum: docet inſuper, quod ſi Deus acceptat, id ex ſola *miſericordia* facit: & deniq; ait, pænitentiam peccatori ex miſericordia Dei inſpirari. ex his verò apertè negat merita naturæ, negatq; poſſe peccatorem in peccatis exiſtentem ex viribus Naturæ reſurgere ad pænitentiam.

10 In 1.d.17.q.2.ſub duplici I.&c. inquit, liberum arbitrium poſſe conſiderari tripliciter, primò prout actus eſt à libero arbitrio nudè conſiderato: ſecundò, prout gratia informato: & tertiò, prout eſt à libero arbitrio à Spiritu ſancto moto: Primo modo nõ eſt dignus præmio: ſecundo, & tertio modo eſt condignus proemio.

11 In 1.d.44.q.vn. paulò ante lit. F. inquit, *Poteſt Deus eum*, .ſ. peccatorem, *gratia ſua præuenire, ſicut expræueniret aliquem, ne faceret homicidium.* Expreſsè hic meminit de gratia *præueniente.*

12 In 4.d.20. q.vn. lit.A. ſcribit, *Deus ſemper potens eſt, etiam in morte, præmiare quibus placet: cùm ergo opus ſit non Hominis, ſed Dei fructuoſam pænitentiam, inſpirare, poteſt eam &c.* locus hic apertiſſimè oſtendit non eſſe opus hominis, ſed Dei fructuoſam pęnitentiam: vnde vel aduerſabitur loco ab Aduerſarijs recenſito, vel locus ille per hunc declarandus, aut corrigendus eſt: ſed de hoc infra.

13 Et vt multa linquam: inſuper in 2.d.7.q.vn. ſupra lit.M. inquit, *Impoſſibile eſt eos, nempe malos Angelos, benè velle, quia impoſſibile eſt Deo (de potentia dico ordinata) eis dare gratiã.* vnde à primo loco ex recenſitis, vſque ad hunc vltimum, fatetur Scotus neceſſitatem gratiæ præuenientis, *ſine qua*, inquit, *impoſſibile eſt peccatorem benè velle.*

14 Vſque modo patet Scotum admittere neceſſitatem auxilij præuenientis, nec poſſe hominem ex ſe ſolo viribus naturæ ſe diſponere ad gratiã: & hinc duo ponit Scotus, primo admittit gratiæ præuenientis neceſſitatem: ſecundò confutat, ſaltem tacito,

15 At fortaſſe deſiderabis expreſſiorem de re hac locum, vt nedum re, verùm & nomine confutet hæreſim Pelagianam: Contentus vtique ero, & in hoc etiam Aduerſarijs morem geram: afferamq; Scoti locum, in quo aperto Marte, re, & nomine confutat errorem pelagianum. Eſt autem locus in 1.d.18.q.2.art.2.ſub lit.Mm. vbi ſic ſcribit: *De ſecundo articulo dico, quòd Deus de potentia abſoluta benè potuiſſet acceptare naturam beatificalem, acceptatione ſpecali prædicta, exiſtentem in puris naturalibus: ſimiliter actũ eius, ad quem eſſet inclinatio eius merè naturalis, potuiſſet acceptare, vt meritorium: ſed non creditur ita diſpoſuiſſe, quod naturã puram, vel actum eius ſic acceptet,* quia

quia actum ex puris naturalibus eſſe meritoriam, appropinquat errori Pelagij. Quid clarius pro vindicando Scoto ab impoſturis? quid amplius deſiderari poterit? En Scotus apertè fatetur ex locis prædictis neceſſitatem gratiæ præuenientis: & apertè etiam inuehitur contra Pelagium, inquiens, *Actum ex puris naturalibus eſſe meritorium, appropinquare errori Pelagij.* Adeat nunc Dominicus Soto, adeat Valentia, adeat Vaſquez, & quiſquis alter Impoſtor, & legat, videat, quantopere Scoto detraxerint, vt Scotum appellauerint Pelagianũ. Quid quæſo in cauſa fuit tanti erroris? Malitia? ignauia? nil horum de tantis viris ego dixerim, abundemus autem in fraterna, & religioſa charitate.

16 Dices, mutauit inde Scotus ſententiam: At ſi ais mutaſſe ſententiam, cur non potius locis, in quibus mutaſſe ais ſentẽtiam, inniteris, quàm loco, vbi oppoſitum, inquis, docere in fauorem Pelagij? Item vnde noſti mutaſſe ſententiam: fortaſſe ex locis, quos hucuſque recenſui? quod ſi legiſti, cur non adhæſiſti, & cur ex locis iſtis, cum Catholicis Scotum ſentire, non affirmaſti? Vel profectò loca hæc nõ percurriſti: graue crimen eſt, iudicium in re graui ferre, cauſa minus benè cognita, diſcuſſa, & ventilata.

17 Dices mutauit Scotus ſententiam; etenim in 1. 2. & 3. ſententiarum gratiam faſſus eſt præuenientem, confutauitque ſingulariter, & nominatim Pelagium: at in 4. faſſus eſt oppoſitum, vnde mutauit fortaſsè opinionem: At falſum eſt hoc dicere: vnde nequaquã aſſentior, quòd Scotus mutauerit ſententiam, quod mox demonſtrabo.

18 Dices, illa doctrina Quarti, fuit eius vltima voluntas, ergo mutauit in Quarto ſententiam: Reſpondendum non fuiſſe locum illum diſtinctionis 14. vltimum, quandoquidem egit de eodẽ Dei auxilio ſubſequenter in eodem Quarto diſtinct. 20. q. vn. lit. A. & diſt. 22. q. 1. ſub lit. I. vt retulimus: & in ipſis apertè faſſus fuit neceſſitatem gratiæ: nõ ergo locus ille Quarti fuit eius vltima voluntas.

19 At deſcendamus ad principale intentum, ſi non mutauit ſententiã, alterum iſtorum ſequetur, vel fuiſſe ſibi contrarium: vel ſaltem in loco illo diſt. 14. conſentit cùm Pelagio. explicandus eſt ergo locus ille Quarti.

20 Aiunt aliqui primò, Scotum loqui de gratia habituali, non actuali: ita vt aſſerat non eſſe neceſſariam gratiam *habitualem*, cùm tamen non excludat *actualem*. ita Delphinus tract. de Iuſtifi. Vgo Cauellus in Scholio ad prædictum locum. & Ruiz t. 2. diſp. 6. q. 3. dub. 7. num. 220. de omnibus Doctoribus antiquioribus loquendo, eſtque communis ſententia Scotiſtarum. Et vtique, dum de diſpoſitione agitur ad formam, iam diſpoſitio non eſt forma habitualis, cum ipſa ſit via ad formam: agit vero Scotus ibi de diſpoſitione. Gloſa iſta placet: attamen vlterior, vberior, & textui vicinior, ac cõſentanea magis, expoſitio exquiritur.

21 Aretinus ad eum locum atque Vega de Iuſtificat. q. 11. docent Scotum loqui de intellectu, non de voluntate: ita vt poſſit quidem intellectus credere abſq; ſpeciali gratia, non autẽ voluntatem poſſe operari, &c. Sed vtrum hoc ſit ad mentem illius loci Scoti, apertè patet non eſſe ita; quandoquidem Scotus cõiungit ſimul motum intellectus, & voluntatis: eodemque prorſus diſcurſu cõplectitur vtrũque, inquiens, *poſſe conſiderare*, &c. hoc eſt actus intellectus: indeque pergit, *Et poteſt voluntas*, & hoc eſt actus voluntatis. ergo non excludit actum voluntatis. Et confirmatur, quoniam infra ſubdit, *quod difficile eſt ſaluare, non eſſe Deum acceptatorem perſonarum, niſi ponamus diſpoſitionem talem ex parte peccatoris*: ergo non videtur ad mentem Scoti expoſitio iſta. idem cũ Vega ſentit Angles in 4. de eſſent. pænit. quæſt. 1. art. 6. *Explicatio Aret. impugnatur.*

22 Vulpes t. 2. ſuper primum diſput. 38 art. 7. num. 7. ait loqui Scotum de homine fideli, habente fidem infuſam, qua mediante poterit de cõgruo gratiam ſacrificantem promereri. *Explicatio Vulpes.*

Verum aduerſatur ei locus apertus Scoti in eod. 4. d. 14 q. 1 3. ſupra lit. B. vbi ſic habet, *Alia regula reſpiciens peccatum deteſtandum, tantummodo eſt nota ex reuelatione .ſ. quod peccatum eſt deteſtandum, inquantum eſt Dei offenſiuum* *Impugnatur primo.*

ſiuum: vel inquantum auerſiuum à Deo: vel impeditiuum acquiſitionis beatitudinis: vel inquantum inductiuum finalis miſeriæ: & ſub iſtis rationibus correſpondet huic regulæ aliqua iuſtitia in voluntate. Non poteſt ergo intellectus conſiderare peccatum ſub iſtis conditionibus ſine iuſtitia, ſeu gratia in voluntate: Aliud namque eſt loqui de conſideratione peccati in ſe, aliud de peccato, prout auerſiuo à Deo, & ſub prædictis conditionibus inuoluto: hoc ſecundo modo, docet Scotus requiri iuſtitiam in voluntate.

23 Item aliũde impugnatur, quoniam ex Concil. Trident. ſeſſ. 9. can. 3. *ſi quis dixerit, poſſe hominem ſine ſpeciali gratia Dei, credere ſicut oportet, in ordine ad ſalutem, anathema ſit:* ergo nõ ſufficit ſola fides in intellectu credentis. Reſpondet Vulp. Concilium loqui de fide acquiſita, non infuſa; quoniam confutatur ibi error ſemipelagianorũ aſſerentium per actum fidei acquiſitæ, hominem gratiam promereri. Verum, reſponſio extorquet Concilium; quãdoquidem duo damnantur ibi, primũ, quòd fides acquiſita ſit principium iuſtificationis: & ſecundum, quod fides, quæcunque ſit, negata tamen ſpeciali motione Spiritus ſancti, poſſit eſſe principium credendi *ſicut oportet* in ordine ad iuſtificationem: non intẽditur autem ſolummodo primum à Concilio, ſed inſimul & ſecundum: & hæc eſt ſententia communis Theologorum, vt loquentes de fide quacunq; ſiue acquiſita, ſiuè infuſa, doceant eam non eſſe ſufficiens principium iuſtificationis, & vt oportet, ſine ſpeciali motione. Et hinc rurſus arguitur inferendo, non fore differẽtiam inter duos Credentes fideles, quorum alter ſit in gratia, alter in peccato; at differunt ad modum, ſiquidem in gratia exiſtens, & à gratia motus, credens, vtique credet *vti oportet, in ordine ad gratiã maiorem:* in peccato autem perſiſtens, atq; ſpeciali motione Spiritus ſancti priuatus, credet, at non *vt oportet ad iuſtificationem*. Non ergo quadrat textui Scoti explicatio illa, non enim talis credulitas valebit ad iuſtificationem, tũm quia vt valeat, expoſtulat iuſtitiã in voluntate Scotus; tũm quia aduerſatur Concilio Tridentino.

24 Ideo aliter reſpondemus, & duo dicimus, Primò Scotum non negare neceſſitatem auxilij præuenientis; & ſecũdò, Scotum in prædicto loco Quarti admittere quoque eamdẽ gratiam præuenientem: Primum iam per quindecim loca ipſius Scoti demonſtrauimus: & ſecundum nunc etiã apertè de eius mente oſtendemus.

25 Igitur dicendum in prædicto loco nõ negaſſe Scotum auxilium gratiæ præuenientis: Et quod ita ſit, eſt aduertendũ, auxilia gratiæ præuenientis vocari à Scoto *auxilia cõmunia, ſeu adiutoria communia antecedentia ad ſalutem*; idem autem eſt, *communis influentia in ordine ad iuſtificationem*, ac *adiutoria communia in ordine ad ſalutẽ*, ergo dũ ait, poſſe hominẽm *cum communi influentia &c.* idem eſt dicere penes Scotum, ac poſſe hominem cũ auxilio gratiæ præuenientis, & excitantis. quod verò penes Scotum, idem ſit *Adiutorium commmune*, ac *auxilium gratiæ Dei*, probatur ex 1. d. 46. q. vn. ad argum. vbi exponens locum illum Apoſt. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, 1. Timo. 2. ſic ſcribit, *Vult omnes homines ſaluare, & ſaluos fieri, quãtum, ſ. eſt ex parte ſui, & voluntate antecedenti, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem.* Notandum in primis, docere, Deum habere volũtatem antecedentem ſaluandi: ſecundò docere, quod Deus vnà cum tali voluntate dat *adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem*. Vbi ſi quæras, adiutoria iſta communia, cuiuſnam generis ſunt penes Scotum, naturalis, an ſupernaturalis? reſpondebit Scotus eſſe generis ſupernaturalis, quia ait eſſe *adiutoria ſufficientia ad ſalutem*, ergo ſunt ordinis ſupernaturalis: & cõfirmatur, quoniam non dixit Scotus Deum dare *adiutoria communia* abſolutè, & ſimpliciter tenta, ſed quatenus *viam ſternunt ad ſalutem*, & propterea talia adiutoria communia appellat *adiutoria ſalutis, & ſufficientia ad ſalutem:* Ex quo diſtinguit Scotus de duplici genere adiutorij communis, Alia namque ſunt adiutoria communia ordinis naturalis, & minime ſufficientia ad

Explicatio Authoris.

ad ſalutem: Alia generis ſupernaturalis, ac proinde ſufficientia ad ſalutem: loquendo de primis, nequaquam ea admittit Scotus, immo improbat in locis recenſitis, docetq; eſſe errorem Pelagij aſſerere per illa hominem ſaluari: loquendo de ſecundis, aſſerit ea eſſe ſufficientia ad ſalutem. Id ipſũ repetit paulò infra, inquiens, *Deus vult iſti illa adiutoria communia ad ſalutem.* Notandum autẽ quod dum loquitur de iſtis adiutorijs communib. primo loco dixit, *adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem*, & ſecundo ſubdidit, *adiutoria communia antecedentia ad ſalutem*: quo oſtenditur apertiſſimè auxilia illa communia Scoti pertinere omnino ad genus ordinis ſupernaturalis; primò, quia ait eſſe *ſufficientia ad ſalutem*; ſecundò, quoniam inquit eſſe *antecedentia ad ſalutem*: & tertiò, quãdoquidem ea promanant à voluntate Dei *volentis ſaluare omnes*, dicit enim id conſequenter ad locum recenſitum Timothei, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*: habemus ergo à primo ad vltimum, per auxilium commune, ſeu adiutorium commune Scotum intelligere auxilium ſpecialis gratiæ præuenientis.

26 Stante hac aperta mente Scoti, facile eſt deducere ſenſum loci citati Quarti ſententiarũ. Cùm ergo in Quarto dicat, *cum communi influentia Dei*, idem eſt penes Scotum, *communis influentia*, ac *adiutorium commune*: at per adiutorium commune intelligit auxilium gratiæ præuenientis, in Primo ſentent. ergo per communem influentiam, intelligit quoque auxilium gratiæ excitantis in Quarto ſentent. Cõfirmatur, quoniam adiutorium cõmune in Primo, docet dari *in ordine ad ſalutem*; ergo communem influentiam in Quarto, dari docet *in ordine ad iuſtificationem*: ergo tùm in Primo, tùm in Quarto, vtraque *communitas* eſt communis auxilij excitantis, quo Deus influit in ordine ad iuſtificationem, & ſalutem.

27 Confirmo hoc ex alio contextu eiuſdem Scoti; ſiquidem in 2.d.9.q. 2. ante lit. A. ait, *Ad formam tamen omnino ſupernaturalem, non cooperante communi curſu Naturæ, quòd diſpoſitionem immediatam agens naturale poſſit producere, videtur inconueniens.* In Quarto verò, loquens de influentia, non appellat *influentiam Naturæ*, nec communem curſum Naturæ, ſed *communem influentiam Dei*: quo fit, vt longe diſtet mens eius à Pelagio, quia Pelagius ait poſſe hominem ſe præparare cum communi *curſu Naturæ*. Scotus hoc negat, inquiens eſſe *inconueniens* in ſecundo: igitur dum communem influentiam admittit in Quarto, non admittit influentiam *Naturæ*, ipſum namque locis recenſitis improbat: admittit vero communem influentiam Dei, inquiens, *cum communi influentia Dei*: at influentiam Dei, Scotus in Quarto eſſe, veluti diſtinctam ab influentia *Naturæ*, ſeu à communi curſu Naturæ; ergo à primo ad vltimum, per communem influentiã Dei, intelligit ſpeciale auxilium Dei: eſt itaque locus ille ſecundi valde diſtinctus à loco Quarti, & vt diſtincti, ſunt diſtinctim, & vt minimè inſimul conuenientes, explicandi, aliàs Scotus contradiceret ſibi ipſi. Concludimus ergo Scotum in loco Quarti per *communẽ Dei influentiam*, intelligere ſpeciale auxilium gratiæ Dei.

28 Verum occurrit difficultas, quare Scotus vſus fuit nomine *communis influentiæ*; præbuit namq; occaſionẽ tantopere dubitãdi de ſua mente; Accedit, quod in locis alijs expreſſè nominauit *gratiam*, cur ergo tacuit hic nomen gratiæ, vſus voce *influentiæ communis*? Reſponderi poteſt appellare *communem*, prout contradiſtinctã à gratia *specialiori*; etenim aliquibus ſpecialiter electis, vltra gratiam ordinariam, & communem, quæ cæteris datur, confertur inſuper gratia ſpecialior, efficacior, & excellẽtior, vt Apoſtolis, Beatiſſimę Virgini, Chriſto Domino. *Cur Scotus vſus voce* cõmunis influentię. *Reſponſio.*

29 Verum germana interpretatio hæc videtur, vt Scotus loquatur conſentaneè ad locutionem Apoſtoli: Apoſtolus autem ait, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; hunc vero locũ explicans Scotus loco citato Primi, explicat conſimiliter per terminũ importantem *communitatem*, & *vniuerſalitatem*, inquiens, *Deus dat omnibus* *Reſpondetur aliter.*

 adiu-

adiutoria communia: & benè quidem, quia dum Deus vult ſaluos fieri *communiter omnes*, ergo dat adiutoria *communiter* omnibus: item, quia adiutoria communia ad ſalutem ſunt adiutoria gratiæ, hinc eſt vt ea vocet adiutoria communia. Conformiter ad hoc loquitur in Quarto, vt ſpectata voluntate communi Dei volentis ſaluare, & iuſtificare omnes per adiutoria communia *antecedentia*, *& ſufficientia ad ſalutem*, vt loquitur in primo, proinde conſequenter ſibimet loquitur Scotus in Quarto, dicendo, *Peccatorem poſſe cum communi influentia Dei &c.*

Reſpondetur tertio. 30 Item communis influentia diſtinguenda eſt, alia namque eſt ordinis Naturæ, alia ordinis gratiæ: Scotus nō loquitur de prima, vnde impugnatus remanet Greg. de Arim. cæteriq; perperam ſentientes de Scoto; etenim influentiam hanc, quæ eſt communis curſus Naturæ apertè impugnauit Scot. loco Secundi recenſito, alijſque, vt ſup. ipſa namq; eſt communis tum hominibus, tum Brutis, tumq; cæteris in ordine ad ſpectantia ad curſum Naturæ: loquitur ergo Scotus de ſecunda, quæ eſt influentia communis, ordinis gratiæ, vt expreſsè patet ex loco Primi, interpretando Apoſtolum: Eo magis, quo eam non appellat *communem influentiam Naturæ*, ſed *communem influentiam Dei*: diximus autem penes Scotum differre hæc inter ſe.

Reſpond. quarto. 31 Et meritò appellat *communem*, quia datur cōmuniter omnib. patuit enim quæſtionibus antecedentib. dari Infantibus, Adultis, neminemq; deſtituere Deum de gratia ſua, quantum eſt ex ſe; igitur hinc appellatur communis: quo quadrat illud Petri, Act. 15. *In veritate comperi, quod non eſt Perſonarum acceptator Deus.* Vel *communem* appellant Alij, non quæ cunctis, etiam inſenſibilibus datur creaturis, ſed quæ datur *Eccleſiæ* ſiue hominibus in ordine ad ſalutem: Et quidē de Eccleſia, ipſa ſemper eſt in gratia Chriſti, quia ſemper eſt vnita proprio Sponſo Chriſto.

32 Et ita apparet non eſſe dubitandum de Scoto circa neceſſitatem auxilij præuenientis; aperta enim ſunt plurima eius loca: quod ſi locus ille Quarti obſcurus redditur, remanet tamen per contextus alios eiuſdem Scoti apertiores dilucidatus.

33 Euenit tamen, vt de D. Thoma Expoſitores dicant eum negaſſe aliquando neceſſitatem ipſius auxilij: referente tum Caietano, tum Suarez, tum Ruiz, tum expoſitoribus cæteris, quod ego, præ reuerentia tanti Doctoris, nec referre auderem; Ait enim in 2. d. 5. q. 2. art. 1. *ſed iſtam gratiam ponere, non videtur neceſſarium, niſi ipſa libertas arbitrij gratia dicatur*: indeq; concludit, *Dicendum, quod ad eliciendum actum conuerſionis, ſufficit liberum arbitrium, quod ſe ad habendam gratiam per hunc actum præparat, ac diſponit*: Et in 2. d. 28. q. vn. art. 4. ita ſcribit, *Non oportet, vt actus, quibus homo ſe ad gratiam præparat, ſint naturam humanam excedentes, ſicut enim natura humana ſe habet in potētia naturali ad gratiam, ita actus virtutum moralium ſe habent, vt diſpoſitiones naturales ad ipſam: vnde non exigitur lumen gratiæ præcedēs.* & paulò poſt; *Ideo alijs conſentiendo, dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendum, ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare.*

D. Thom. quidnam in ſententijs ſenſerit de gratia Dei.

34 Profectò nō ita loquitur Scotus, vt eſt viſum; quòd ſi ſic loqueretur, quomodo non acrius aduerſus eum inueheretur Dominicus Sotus, Vaſquez, pluresque? etenim ſi dum verba aliqua, obſcura tamen, & eorum ingenijs minus peruia, in Quarto protulit, tam acriter contra eum pugnarūt, quid nō iniuriæ laxato calamo, ac demiſſis habenis, in Scotum ventilarent?

Sententia quorūdam D. Thomã mutaſſe ſententiam.

35 Sed ſi hæc in D. Thoma legerunt, quæ non in Scoto, quid quæſo de D. Thoma dicunt? aiunt mutaſſe ſententiam, ſic Soto lib. 2. de nat. & grat. cap. 3. Caetan. 1. 2. q. 109. artic. 6. Capreol. in ead. diſt. 28. q. 5. nu. 5. Suar. lib. 2. de prædeſt. cap. 7. cæteriq; communiter. Ruiz de prædeſt. tract. 3. diſp. 21. ſect. 2. &c.

Refellũtur 36 Sed vide quænam ſaluanda via eſt hæc, D. Thomã, & vtrum in laudē vergat D. Thomæ; Et quidē ſi per eos mutauit in Sũma ſententiã D. Th. igitur ex eorũ ſentẽtia incidit aliquando vtpote in ſententijs, in errorem Pelagij, & Maſſilienſium D. Thomas: ſed

vtrum

vtrũ talis honor debeatur D. Thomæ, ſenſiſſe in ſententijs cũ Pelagianis, videant citati Thomiſtæ: Ego nequaquã de tãto Doctore id ſenſerim, tũ ob ſui inſignem ſanctitatẽ, tũ ob ſapientiam: igitur ipſi faciunt aliquãdo D. Thomã ſaltem tacito ſemipelagianum: vel ſaltim hoc effugere non poterunt, vt faciant ipſum Angelicum Doctorem doctrinæ Auguſtini ignarum; quaſi nõ inſpexerint, ſiue D. Thomas, ſiue antiqui Theologi libros Auguſtini de prę deſtin. ſanct. & de bono perſeuerantię, in quibus error confutatur Semipelagianorum. vtrumque autem vergit in dedecus D. Thomæ. Ipſumq; dedecus inurit, tacito, Suarez, tum Scoto, tum cæteris antiquioribus Theologis, tum Diuo Thomæ, inquiens non animaduertiſſe ipſos in errorẽ impegiſſe Semipelagianorũ. Hoc ego nec de Scoto, nec de D. Thoma dicam, præ reuerentia amborum.

Senſus Authoris de D. Thoma.

37 Sed quid? qualis ergo erit ſenſus in Sententijs D. Thomæ? In honorem tanti Doctoris, mutaſſe ſententiã non admitto, ne aſſere cogar, vel ignarum extitiſſe aliquando Auguſtini, vel in Maſſilienſes incidiſſe D. Thomam: ſed dicendũ in Sententijs D. Thomam negaſſe gratiam quidem *habitualem*, quæ in ſubiecta materia, de qua agebat, neceſſaria non erat: non tamen negaſſe auxilium gratiæ *præuenientis actualis*. licet verò poſtea in Summa magis explicitè de vtraq; gratia fuerit loquutus, non tamen in Sententijs negare intendit gratiam *actualem*, ſed *habitualem*: & ita nec Auguſtini ignarus, nec in Maſſilienſes incidiſſe cenſebitur D. Thomas. Dices potuiſſe nõ legere tunc Auguſtinum, quem tamen inde perſpiciens, mutauerit ſententiã: At hinc non effugies, ipſum tunc temporis, incidiſſe, ſaltem inaduertenter, in errorem Marcilienſium, quod non anſerim, in amorem D. Thomæ.

De Scoto idem.

38 De Scoto conſimiliter dixerim, nec mutaſſe vnquam ſententiam; cùm benè perſpexerit doctrinam Auguſtini: item negaſſe eo tunc, vel alibi, neceſſitatẽ gratiæ *habitualis*, pro ſubiecta materia, de qua agebat, cùm tamẽ nõ negauerit neceſſitatẽ auxilij *actualis*. agebat enim tunc de diſpoſitione, quæ non eſt forma habitualis.

39 Eſſent & loca alia recenſenda, & explicanda eiuſdem Scoti, vtpotè, de fide, & dilectione Dei ſuper omnia &c. in quibus conſimiliter carpitur à plerifque: hæc ſufficiant pro nunc, quæ diximus; etenim ea poſtulant vberiorem tractatum, de qua re ſuo loco.

DISPVTATIO XVIII.

De Iuſtitia Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum in Deo ſit iuſtitia, cæteræq; virtutes morales.

Iuſtitię virtus reperitur in Deo

IVſtitiã in Deo reperiri docet apertè Pſalm. 10. *iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit.* de qua re cum Magiſtro Scotus, & ſententiarij in 1. d. 46. q. 1. & D. Tho. cum ſequacib. 1. p. q. 21. ar. 1. Probatur vero, iuſtitia eſt perfectio ſimpliciter; at ex Anſel. *perfectio ſimpliciter melior eſt ipſa, quam non ipſa in quocunq;* ergo debet eſſe formaliter in Deo. Item quicquid perfectionis eſt in Creatura apponendum eſt in Creatore, ſemotis imperfectionib. eſt vero perfectio iuſtitiæ, in creatura, ergo & in Deo. Inſuper in creatura, iuſtitia, reperitur per participatione, quia iuſtitia creata eſt participatio quædam iuſtitiæ increatæ ergo debet reperiri in aliquo per eſſentiam: is vero eſt Deus: prob. conſequ. Deus eſt iuſtus per eſſentiã, creatura per participationem. Rurſus perfectio reperta in creatura eſt admixta plurimis imperfectionib. vt finiti, limitati, dependentis, accidentalis, informãtis, qualitatis, ſeparabilis, augmentabilis, remiſſibilis, & huiuſmodi; ergo reperiri debet in aliquo, ſemotis omnib. hiſce, & conſimilib. imperfectionib. at in Deo ſolummodo reperiri poteſt vt ſic, ergo licet in creatura reperiatur iuſtitia, ſub talib. imperfectionib. in Deo tamen reperietur omni ſemota imperfectione: eritque independens, infinita, illimitata, & huiuſmodi. Demum virtutes morales reperiũtur in creaturis, ergo & in Deo, ſemotis imperfectionib. quapropter virtus iuſtitiæ non erit deneganda Deo.

Virtutes morales vtrũ in Deo. ſententia Scoti.

Circa hanc vltimam probat. dũ quæri ſolet, vtrum in Deo ſint virtutes morales, Scotus dubius eſt, vt patet tum in 3. d. 33. tum in 4. d. 46. q. 1. 2. docetque, ea ratione, qua imperfectionem ſecum ferunt, non eſſe in Deo: aliunde vero eſſe poſſe, ſemotis imperfectionib. vtpotè virtutem temperantię, & fortitudinis, non quidem quatenus verſantur circa paſſiones appetitus ſenſitiui, hi enim non ſunt in Deo, nec in Angelis; ſed in vniuerſali, quatenus Deus, & Angelus velint moderationem paſſionum in ſubiecto apto nato, & capaci, prout in nobis; velintque effrænationem paſſionum timoris, & intemperantiæ, & huiuſmodi in nobis, per virtutem temperantiæ, & fortitudinis, exiſtentem in Deo, & Angelis: ſiuè clarius, ponendæ ſint virtutes morales in Deo, & Angelis non ſub ratione paſſionis, ſed actionis. quę etiam loquendi formula eſt eiuſdem D. Tho. citati: in quo non videntur diſcrepare hi Doctores. Item poteſt Angelus frequenter exercere actus, quibus

bus velit moderari paſſiones ſi extarent; ex tali autem frequentatione, licet nulla in eis extaret paſſio, produceretur tamen in ipſis habitus. Inſuper non eſt neceſſe, vt intellectus ſit coniunctus ſenſui, vel ipſi rei, quæ ſit adæquatum, & vltimatum ſubiectum paſſionis, ad hoc vt poſſit acquirere virtutem, & generare habitum, prob. poteſt in me, ſicut & in quouis paupere, produci habitus liberalitatis, licet in parte ſenſitiua nulla reperiatur pecuniæ ſiuè poſſeſſio, ſiuè paſſio; etenim frequenter diſcurrendo intellectualiter dicimus, quòd ſi pecuniæ adeſſent, & theſauri, benefacerem cunctis, eleemoſinas elargiendo, theſauros diſpenſando, &c. ex frequentatione, & repetitione horum actuum mẽtalium poſſet produci in me habitus liberalitatis; licet aliunde ratione Status religioſi, implicet talis liberalitas: ſufficit autem liberalitatis materiam, vtpote theſauros, præſentari in mente, & in phantaſmate, abſque eo, quod inſit in parte ſenſitiua, manu, vel burſa poſſeſſiuè. Ruſus poteſt Angelus, immo & Deus, habere notitiam practicam de praxi elicienda ab altero, vtpote ſi Deus vellet, atque Angelus, me de peccatis dolere, & ipſum Deum amare: notitia tum Dei, tum Angeli eſſet practica, vtpote regulatiua meæ praxis, ſiuè doloris, ſiuè amoris: & nihilominus nec in Deo reperitur triſtitia, nec dolor, ſicut nec in Angelo bono, & beatis, ceſſat enim triſtitia, mæror, & dolor. Inſuper ſi fuiſſet creatus Angelus in puris naturalib. vtique potuiſſet produci in ipſo habitus virtutis moralis ex frequentatis actib. nõ quidem circa paſſiones proprij appetitus ſenſitiui, cùm nullus in eo ſit, ſed circa paſſiones in vniuerſali, per intellectũ ſibi oſtenſas: quibus ſtãtib. electionib. produceretur habitus. hæc omnia docet ibi Scot.

3 Verùm, quia Scotus eſt problematicus, & alteram etiam tuetur partem, ideo ſoluere oportet argumenta prædicta. & quidem circa Deum, quòd ſit problematicus, patet primò ex loquendi modo; ſiquidem in 3. ſub litt. L. aic, *hæc modo poſſet conſequenter poni in Deo eſſe rationem virtutum moralium*, ex quo modo non loquitur abſolutè, ſed dubitatiuè, per verbum, *poſſet*. Itẽ paulò infra, ſubdit, *aliter ſi non placeret ponere in eis virtutes morales*: loquitur autem de ambobus, Deo, & Angelis; vnde ſoluit argumenta pro vtraque parte pugnantia. & in 4. litt. M. inquit, *vtrum tamen iuſtitia ſit virtus diſtincta formaliter à voluntate, quaſi regula eius, vel tantummodo ſit voluntas ſub ratione primæ regulæ ſeipſam determinantis, dubium; quia ſi ſecundum ponatur, magis ſoluitur ratio, quia non eſt ibi ſub ratione virtutis moralis*. Ecce quomodo, modo ait, modo negat virtutes morales in Deo. Ad ſummum vero concedit, quòd ſi virtutes in eo ſunt huiuſmodi, non vtique ſunt ſub ratione imperfectionis cõnotatæ in nobis; *ſicut patet*, inquit, paulò ſup. lit. M. *in exemplo adducto de temperantia; illud enim requirit in natura temperata, poſſe eſſe aliquam delectationem immoderatã, & hoc eſt imperfectionis, & propter hoc magis propriè ponimus ibi iuſtitiam, quã temperantiam; quia illa non requirit aliquem exceſſum in paſſione, vel aliquam talem imperfectionem, ſicut requirit temperantia*.

Scotus problematicus

4 Patet amplius ex inde eſſe problematicum, ex quo ſoluit argumenta in oppoſitum; ſiquidem ſoluit argumentum de habitu Angeli; etenim negat ex frequentatis electionib. rectis generari habitum in eo; nam habitus generatur ex actu virtutis, qui ſit *circa arduum, & difficile*: non eſt autem virtus difficilis, niſi habenti appetitum ſenſitiuum, qui natus ſit ferri in oppoſitum; caret vero hoc pondere Angelus. Et quidem nos grauamur hoc pondere; *corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam*. Eccl. 15. Vel poteſt aliter, inquit, reſponderi, quod habitus non generatur ex quacunque volitione, ſed ſolummodo ex volitione efficaci, non autem ſimplici, ſeu ſimplicis complacentiæ; vnde Philoſophus 3. Ethic. c. 5. ait, *voluntatem*, nempè ſimplicem, ſeu ſimplicis complacentiæ, *eſſe impoſſibilium, non autem electionẽ, ſeu voluntatem efficacem*; quia nemo eligit impoſſibilia: & volumus tãtummodo inefficaciter, & complacenter impoſſibilia. Hinc applicat, & ait, ſo-

Habitus, ex quibus actibus generatur.

Ex quanã volitione generatur habitus.

Volũtas an in poſſibilium.

lum-

In quibuſnam generatur habitus.

ſolummodo in habente appetitum annexum ſenſitiuum poſſe produci habitum, quia voluntas nata eſt efficaciter, ſi vult, moderare, frænare, & dirigere appetitum ſenſitiuum; & hæc volitio poteſt eſſe efficax: in Angelo vero inefficax erit voluntas moderandi, ſiquidem caret appetitu ſenſitiuo, ex volitionib. autem, actibuſque remiſſis, alioqui inualidis, tepidis, tenuibus; & ineficacib. deficiente etiam eorundem actuum frequentatione, nõ generatur habitus, & ita non erit in eo virtus moralis.

Ariſtoteles an poſuerit virtutes morales in Deo, et Intelligentijs

5 Patet quoque eiuſdem Scoti ambiguitas ex ſolutione rationum alterius partis: arguitur enim 10. Eth. c. 10. *Inconueniens eſt*, inquit Phil. *laudare ſubſtantias ſeparatas ex operatione virtutum*, ergo nec in Deo, nec in Angelis eſt virtus moralis. reſpondet ſub litt: L. ideo negaſſe Ariſt. habitus, nempè virtutum acquiſibiles, quia aiebat Deum, & Intelligentias eſſe naturaliter beatos.

Vrtus non variatur variato ſubiecto.

6 Adeſt; & argumentum aliud tacitum penes eundem Scot. quod tamen expreſſius, & clarius conficiunt; Aduerſarij: eſt autem hoc; virtus moralis, vtpote temperantię, fortitudinis, ſicut & iuſtitiæ, & quæuis alia; non inclinat abſolutè quocunq; modo, & in quocunq; ſubiecto ad iuſtè, & temperatè viuendũ, ſed inclinat in eo ſubiecto, in quo eſt: at Deo deeſt sẽſus, & in Angelis, ergo non erit in eis; appetitus enim ſenſitiui ſunt illi, in quib: reperitur paſſio, & contrahiẽtia ad bonum. Reſpondet Scot. nõ variari rationem virtutis per variationem ſubiecti; etenim honeſtatis virtus non variatur in ratione virtutis; eo quod eſt in Petro, & Antonio, eſt namq; eiuſdem rationis ex genere ſuo, ex genere talis virtutis; ſicut enim ambo ſunt honeſti, ita ratio formalis honeſti eſt eadem ſpecificè in ambobus, ergo quòd temperantia ſit in Petro frænans appetitum proprium ſenſitiuum; ſiue ſit in Angelo frænans non proprium; ſed Petri appetitum ſenſitiuum; non propter hoc variatur eorum virtus temperantiæ. vnde Scotus, ait, *per mihi, & tibi; non variatur ratio virtutis*.

Obſtatur.

7 Arguunt inſuper Valent. Medi. Alijque, inde ſequi in Matre impudica reperiri virtutem continentiæ, prob. vult namque v.g. impudica Mater, vt filia viuat pudicè; & nihilominus ex hoc deſiderio, ſiue etiam imperio, & directione, tum imperando, tum dirigendo, vt viuat pudicè ipſa filia, non generatur in matre impudica virtus pudicitiæ. Reſpondet Scot. ex data reſponſione de Angelo, quòd habitus nõ producitur ex quacunque volitione; ſed ex volitione abſoluta, & efficaci: ſi namque impudica mater efficaci affectu complaceret ſibi in virtute pudicitiæ, quam filiæ affectat, vtique & ipſa ex tali efficaci imperio produceret ſibi virtutem pudicitiæ; verum quia id non efficaciter cupit, hinc remanet in ipſa impudicitia. Ratio vero, quod nõ efficaciter filiæ pudicitiam affectet, ea eſt, quia ſi ita eſſet, vtique & mater ipſa procuraret toto conatu eſſe pudica; impoſſibile enim eſt efficaciter affectari in alio, niſi efficaciter affectetur in ſeipſo: videtur quidẽ aliter eſſe, ſed nõ eſt: impudicus namq; Pater videtur efficaciter velle filium pudicè viuere, dum ei vel viam parat, vel impedimenta remouet, occaſiones tollit, ac cætera procurat, quę filio conducat ad caſtitatem; at vero hæc, ſolummodo apparentia ſunt, non vera media; primum namque incipiendum eſt à ſeipſo, præbẽdo exemplum pudicitiæ, quia magis mouent exempla, quam verba: ſtante namque efficacia in ſeipſo penes ſeipſum, reddi poterit efficax penes alterum, & ita generabit habitũ in ſemetipſo. Reſpondetur quoq; ideo non generari habitum, quia fortaſſe vellet alio titulo filiam caſte viuere, quam titulo virtutis moralis: vt ſi vellem abſtinere à cibo, & potu, non quidem gratia virtutis temperantiæ, ſeu pænitentiæ, ſed vt ex bonorum, ac diuitiarum exuperatione, ſoluere poſſim debita Creditorib. non tamen ex tali parſimonia generabitur in mẽ virtus abſtinentię, ſeu ieiunij, qualis ſolet eſſe ſpectans ad virtutem moralem, ſed alterius virtutis actum agam, vtpote iuſtitiæ, quæ præcipit ſoluendum, & reddendum eſſe vnicuique ius ſuum.

Occurritur (beside "Reſpondet Scot. ex data reſponſione de Angelo")

Iuſtitia Dei an infuſa, an acquiſita.

8 Quæres, Iuſtitia hæc in Deo, eſt re ſibi infuſa an acquiſita? Reſp. neutrum

trum illorum: non infuſa cùm non habeat ſuperius à ſe, à quo ſibi infundatur: nec acquiſita, quia aliquando caruiſſet tali perfectione, ante acquiſitionem: Dicendum autem eſſe ſibi connaturalem, & identificatam realiter.

Valēt. Medina errāt in intelligētia Scoti

9 Ex his claré conſtat, hinc inde à Scoto diſputatis, & ſolutis, Scotū fuiſſe problematicum: vnde fallitur Medina, qui 1.2.q.61.art.5. atque Valent. t.1.d.5.q.4.p.3. aiunt Scotum abſoluté ſenſiſſe eſſe virtutes morales in Angelis, & Deo: concedit namque virtutes morales in ipſis, prout abſtrahunt ab imperfectione: negat cum imperfectionib.

Teperātia, Prudentia, Fortitudo, Iuſtitia. Liberalitas, quid in Deo.

10 Hinc Prudentiæ virtus in Deo eſt ipſa diuina mēs, qua decernit quid, & qualiter ſit agendum, ipſe Deus. Temperantia eſt quædam conformatio diuinæ intentionis, & voluntatis ad ſeipſum, tanquam ad primam regulam inobliquabilem, & infallibilem; quemadmodum in nobis temperantia eſt conformatio appetitus ſenſitiui, ſiuè volitiui cùm recta ratione. Fortitudo in Deo eſt eiuſdem Dei ſtabilitas, firmitas, atque immutabilitas. Iuſtitia eſt obſeruatio diuinæ legis, qua Deus cūctis diſponit reddendum eſſe ius ſuū. Hæc, veluti ſic inſpectata reperiuntur in Deo abſque imperfectione. liberalitas eſt in Deo; etenim eſt liberaliſſimus tum Donator, tū Remunerator, &c. agemus autem de ſingulis quæſt. ſeq.

Virtutum aliæ conſiſtunt in actione, aliæ in paſſione.

11 Vt vero de ſingulis concludamus, ex virtutib. aliæ conſiſtunt in actione, & paſſione: aliæ in ſola actione: primæ imperfectionem indicant, vt triſtitiam, rebellionem ſenſuum, ſiuè voluntatis repaſſionem: & huiuſmodi virtutes vt ſic, longe ſunt à Deo; hinc dum in eo iram ponimus, & vindictā, ac iuſtitiam, præſcindimus à paſſione, ſiue triſtitiæ, ſiue mæroris, habet enim hæc Deus, quantum ad poſitiuum, non quantum ad conſequentem paſſionē:

Iraſci dicitur Deus, ſecundùm effectū, non ſecundùm affectū. Vel eſt locutio figuratiua.

vt cùm dicitur *iratus eſt Dominus, ne in furore tuo arguas me, exardeſcet ſicut ignis ira tua*: quorum ſenſus eſt, eſſe nec in Deo ſecundùm *effectum*, non ſecundùm *affectum*: quæ eſt expoſitio D. Thom. & communis: vel ſicut ait Scot. loquitur *figuratiué* Scriptura, eſt enim *figuratiua loquutio*, ſicut & Scriptura vtitur figuris. Vel eſt in eo *Ira* quantum ad *habitum*, non quantum ad ſubſequentem *paſſionem*: per *habitum* vero intelligitur virtus ipſa, atque attributum diuinæ iuſtitiæ. ſicut de pænitentia, cùm ait; *pænitet me feciſſe hominem*, loquitur *figuratiuè*. & ſic de cæteris, ſumendo virtutes non propriè, ſed metaphoricè; vt quæſt. ſequenti ex profeſſo.

Virtutes, quæ nō inſunt Deo formaliter, inſūt in eo exemplariter.

12 Et hinc eſt, vt virtutes, quæ nō poſſunt ineſſe Deo formaliter, inſint in eo exemplariter, ſeu idealiter, inquit Scot. veluti idea, & exemplar, continens eminēter, atque perfectiori modo illud idem, quod imperfecté eſt in Creatura ratione ſubiecti, & materiæ virtutum; vtputa Temperantia eſt circa concupiſcentias, & audaciam: Fortitudo circa timorem: Manſuetudo circa iram; hæc imperfectionem connotāt ratione appetitus ſenſitiui ſubiecti paſſionibus concupiſcentiæ, timoris, & ſimilium: & vt ſic non ſunt formaliter in Deo; quia tamen Dei eſſentia eſt *ſpeculum ſine macula, & candor lucis æternæ*: & teſte Nazianz. *Prima Trias Virgo eſt*; quia etiā nullis vel timoris, vel iræ, vel huiuſmodi paſſionibus ſubiacet Deus, hinc non eſt priuandus perfectione virtutum harum, & cōſimilium, abſtractis imperfectionibus, & propterea eminentius reperiuntur in eo, ac veluti in noſtrarum virtutum exemplari, & idea. De hoc Auguſt. lib. 1. de mor. Eccleſ. cap. 6. ait, *Anima ſequendo Deum fit compos virtutis, atque ſapientiæ: quem ſi ſequimur, bené, ſi aſſequimur, non tantum bené, ſed etiam beaté viuemus.* Aliæ verò virtutes, quæ conſiſtunt in operationibus, ſemotis paſſionibus, vtputa circa donationes, elargitiones ad extra &c. ſūt quidem formaliter in Deo, vt Iuſtitia, liberalitas, Magnificentia; ſunt namq; non in parte ſenſitiua, tanquam in ſubiecto, ſed in voluntate, ac propterea poſſunt formaliter ineſſe Deo: & ita erit Deus iuſtus, liberalis, magnificus: non tamen hæc Deo competunt iuxta actiones ciuiles, & politicas, ait enim Phil. 1. Ethic. *ridiculum eſt laudare Deū ſecundùm virtutes politicas*; hæ namq; eueniunt in conuerſatione politica

cum

cum hominibus, ſed competunt Deo quatenus ei conuenientes ſunt.

Obſtatur. 13 Obſtatur aduerſus dicta; non ponitur temperantia, & fortitudo in Deo, niſi metaphoricè, ergo nec propriè ponetur in eo iuſtitia. *Reſp.* Reſpond. negando paritatem; quia illæ reſpiciũt pro ſubiecto ſenſum, & Animam: Item reſpiciunt pro obiecto paſsiones moderandas: in Deo non eſt ſenſus, ſed voluntas erit iuſtitiæ ſubiectum & iuſtitia nõ requirit talem exceſſum paſſionum moderandarum, inquit Scot. quapropter iuſtitia eſſe poterit abſq; imperfectione.

Obſtatur. 14 Obſtabis, ſequi inde iuſtitiam habere regulare diuinam voluntatem in operando, & ita voluntas erit regulabilis; probatur ſeq. nam habitus ponitur in potentia vt inclinet, determinet, & regulet eam. eſt verò imperfectionis, Dei voluntatem fore regulabilem. *Occurritur* Reſp. nequaquam regulari à iuſtitiæ attributo: ſufficit verò preoſtendi à diuino intellectu quid ad intra ſit agendum, vtpote quod Deus ſit amãdus, quo oſtenſo, ipſamet voluntas ſtatim amat, & regulatiuo non indiget, quia de ſe ſummè recta eſt, & ſemetipſam determinat ad amandum. multo minus eget regulatiuo ad extra, quia ipſa eſt prima regula operandi ad extra, vt dicetur.

15 Obſtatur, Deus nulli eſt debitor ex iuſtitia, cur ergo ponimus iuſtitiam? Reſponſio patebit ex propria quæſt. infra q.4.

16 Obſtabis, ſi verè eſt iuſtitia in Deo, ergo cùm cognoſcit v.g. debere ex iuſtitia præmiare Caium, non poterit non præmiare illum, & ita aget neceſſario ad extra: vel agendo oppoſitum, erit iniuſtus. Reſp. vtrumq; poſſe agere, & ſemper iuſtè, expendendo ſiue potentiam ordinatam, ſiue abſolutam: ſi namque præmiat, iuſtè agit; ſi non præmiat, non iniuſtè agit; quia nemini debet quicquam, & nulli tenetur, niſi ſibi ipſi, vt dicetur. cæterum de his infra in propr. quæſt.

QVÆSTIO II.

De Virtutibus moralibus in ſpecie, Vtrum ſingulariter reperiantur in Deo.

EGimus præced. q. de *Virtute* in ſe, & in genere, Vtrum reperiatur in Deo: nũc verò agendum in ſpecie, & ſingulariter diſcurrendum, Vtrum reperiãtur in eo, iuxta ſingulas ſpecies.

Virtutes intellectuales an in Deo. 2 Incipiendo autem à virtutibus intellectualibus, dicimus eſſe in Deo, *Intellectum, Sciẽtiam, Sapientiam, Prudentiam, & Artem*: qui appellantur habitus intellectuales. *Intellectus*, qui eſt habitus principiorum, eſt in eo, quo mediãte cognoſcit principia, & quidditates rerum. Per ſcientiam inde cõcluſionem &c. Vnico autem actu hæc omnia eueniunt, & abſque diſcurſu, vt patuit agendo de ſcientia Dei. Diſtinguuntur verò obiectiuè, vt ille ſit principiorum, hęc concluſionum, ex Ariſt. ſic de Alijs. Cæterum an ſit in eo ſub ratione habitus, & quomodo, viſa sũt omnia in diſp. de ſcientia Dei.

3 Prudentia eſt in eo, at non *Monaſtica*, quæ ordinat operationes ad commodum, propriumq; finem conſequendum & nondũ habitũ. Deus autem non ordinatur ad aliquid aliud extra ſe: nec aliqua perfectione orbatur, quam conſequi ſperet, nec bono vllo, ad quod aſpiret, cum ſui eſſentia *Prudentia vtrum & qualis in Deo.*

tia ſit pelagus infinitæ perfectionis ex Damaſc.ſed erit *œconomica*, & *Politica*,in ordine ad totum Vniuerſum.

An Eubolia: Synesis Gnome: Ratio.

Nec eſt in ipſo *Eubolia*,quæ eſt virtus ad conſultandum de agendis; Deus namque non indiget Conſiliario,dicẽte Apoſtolo, *Quis Conſiliarius eius fuit?* Rom.11.& Damaſc.l.2. fid.orth. c.22. *Non conſultat Deus;nam ignorantiæ eſt conſultare; de eo enim, quod cognoſcitur, conſultat Nemo.* eſt autem in Deo *Syneſis, & Gnome*: illa eſt virtus ad benè iudicãdum iuxta legem communem: & iſta ad benè iudicandum in particulari ſecundùm rationem naturalem. Vtrum adſit *Ratio*, affirmat Dionyſ.de diuin.nomin.c.7. *Ratio,atq; Cognitor laudatur*: & Damaſc.l.1. fid. Orth.c.15. *Dicitur ratio, & rationalis, ſapientia,ſapiens, intellectus, & Intelligens.* Collocetur autem in Deo abſq; imperfectione diſcurſus, prout *ratiocinatio* ſolet diſcurſui inniti: & prout ſolet eſſe proprium hominis,qui propterea appellatur animal rationale: Cæterum ſumẽdo *Rationem* quatenus cuncta Deus *rationi conſentanea* facit; cunctaq; *rationabiliter* operatur: ſiue vniuerſa intelligit eo *rationis* ordine, & mẽſura, quo intelligibilia ſunt,abſque ignauia, abſque errore, itaut nec à *ratione* vnquam deuiet,nec quidquã contra *rationem* ſiue operetur, ſiue meditetur,ſic Sancti Patres admittunt *rationem* in Deo.Negat hoc de *ratione* Smyſing.tract.3.diſp.4.nu.113.ſed immerito,& contra Patres; nec tamen rationem aſsignat.

Vtrum ſolertia.

4 Circa *ſolertiam*, vtrum in Deo ſit,negat idem ibidem, nec inſuper aſſignat rationem: Verum,non eſt negãda à Deo: & quidem, ſignificat *ingenioſitatem, ſolicitudinem, diligentiam, dexteritatem* in agendis. hinc Tull. 1. de leg. *Artes verò innumerabiles repertæ ſunt, docente Natura, quàm imitata Ratio, res ad vitam neceſſarias ſolerter conſequuta eſt.* Idẽ 6.in Verr. *Tu illius æris temperationem, tu operum lineamẽta ſolertiſſimè perſpicis.* Ex hinc duo ſolertiæ munera indicat Tullius, parare quidem neceſſaria ad vitam:& diligenter intueri, etiam ipſa rerũ lineamenta, vtrumq; verò competit Deo, qui *ſcrutator eſt cordium, & humilia reſpicit in cælo,& in terra*, nihilq; eum latet: atque potens eſt parare,& prouidere quæ neceſſaria ſunt ipſis creaturis,vnde *dat eſcam omni carni,et pullis coruorum inuocantibus illum &c.* quod ſi imperfectio aliqua in nomine ipſo ſolertiæ includitur, remoueatur, vt ſic,à Deo, & attribuatur ſolertia, ſemotis imperfectionibus.

Vtrũ memoria.

5 Sed & vtrum *Memoriam* attribuemus ei? videtur non eſſe attribuẽda. At in contrarium obſtant Scripturæ,vt Gen.8. *Recordatus eſt Dominus Noë*: Pſal 8. *Quid eſt Homo, quod memor es eius?* 113. *Dominus memor fuit noſtri.* 19. *Memor ſit omnis ſacrificij tui.* & 110. *Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui.* Hier.14. *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam*: ſicut ex oppoſito, Oſeę 1. *Obliuione obliuiſcar eorum.* Ezech.18. *Omnium iniquitatũ, quas operatus eſt,non recordabor.* & infra, *Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat,nõ recordabuntur.* Pſalm.41. *Quare oblitus es mei*:& 12. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem.*

6 Cæterum dicẽdum, *Memoriam*, nonniſi impropriè competere Deo: ita expreſsè Gregor lib.17. Mor. c.2. *Recordari Deus,nequaquam propriè dicitur, qui enim obliuiſci non poteſt, quo pacto recordari poteſt?* arguit autem philoſophicè, quia *oppoſita habent fieri circa idem ſubiectum*: at non cadit in Deum obliuio, ergo nec propriè memoria. Probatur inſuper, Deo nihil eſt præteritum, etenim etiam præterita,ſunt ſibi præſentia obiectiuè. Item reminiſcentia ſupponit aliquando interruptam intelligentiam obiecti, de quo habenda ſit memoria:prius namque v.g. non cogitabam de tranſactis temporibus,nunc verò in mentem redeunt,recogito,& reminiſcor.Inſuper reminiſci ſit cum diſcurſu.hæc,& ſimilia inuoluunt imperfectionem:& hinc eſt, vt non propriè ſit in Deo admittendã memoria.Negauit abſolutè memoriam Aureol.in 1.d.35. par.1.ar.3. fauetq; Alenſ.1. p.q.23. m.1. Quo tamen fit, vt aliunde admittamus in eo memoriam, ſed metaphoricè, & impropriè:& ita loquuntur citatæ ſcripturæ. Ratio,quia nihil eſt, quod lateat diuinã intelligentiam, nihilq; ignorat:

Verum quia memoria eſt de præteritis, noſcit autem perfectiſſimè Deus, etiam præterita, hinc eſt,vt hac ratione admittamus memoriam, ſemotis tamē imperfectionib. recenſitis. Quēadmodum ex oppoſito, ſimiliter impropriè, & metaphoricè dicitur admitti obliuio in eo: obliuiſci autem tunc dicitur, non quod non recogitet, non quod non intelligat, non quod ignoret, ſed quia non miſeretur, ex Auguſt.tr.4.in lib.de Eſſentia Diuinitatis, vbi ait, *Obliuiſci dicitur Deus,dū quibuſdam peccatoribus non miſeretur.* & Gregor. vbi ſup. *Miro modo prauorum vitam & intuetur, & obliuiſcitur; quia quos per diſtrictionem ſententiæ iudicat,quantum ad memoriam miſericordiæ, ignorat.* loquuntur etiam ſcripturæ more humano,vt dicatur Deus,ſiue recordari, ſiue obliuiſci, more humano, explicant enim ſcripturæ memoriam,& obliuionem, nō quod propriè in eo ſit,ſed more humano. De ſingulis autem loquens idem Gregor. l.32. Moral.c.6.ita ait, *Dei memoria nec obliuione rumpitur, ne recordatione ſarcitur, ſed dum aliqua deſerens permittit, more hominum obliuiſci dicitur: & cùm poſt longum tempus quæ voluerit viſitat, noſtræ mutabilitatis conſuetudine, recordatus vocatur. quo enim pacto Diuinitatis eius vim obliuio diſſipat,cui ipſa quoque laudabilis memoria eſſentialiter concordat? quomodo Deus præteritorum reminiſcitur, cum ipſa, quæ in ſemetipſis prætereunt, eius nutui ſemper præſentia aſſiſtunt?*

Obliuio in Deo quid indicat.

7 Ex his tranſimus ad alia: & Primò, in Deo non eſt poſſibilis actus Virtutis includentis ſubmiſſionem, humiliationem,adorationem, reuerētiam,obedientiam,& huiuſmodi, vnde formaliter nec erit *Religio*, prout cultum indicat, & adorationem ſuperioris Numinis; etenim ipſe eſt verus Deus,ipſiq; debetur actus Religionis, adorationis, latriæ &c. hinc Hebr. 6. dicitur *Deum nō habere maiorem*.Sap. 12.*Non eſt alius Deus,quàm tu*;Pſalm. 49. *Deus Deorum* appellatur, & 112. *Excelſus ſuper omnes Gentes Dominus: Quis ſicut Dominus Deus noſter*, quapropter dum ſuperiorem non cognoſcit, nulli debet actū Religionis, adorationis,cultus,Voti obedientiæ,& ſimilium. Dices,ſaltem Verbum debet Patri actum obedientiæ, adorationis, reuerentiæ, cùm ab ipſo generetur:& Spiritus ſanctus idipſum debebit Patri,& Filio,dum ab ipſis ſpiratur. Reſpond. nequaquam; ratio, quia actus humiliationis,Religionis,adorationis, obedientiæ, & huius generis,ſupponunt diſtinctionem, & inæqualitatem Naturæ in Adorante, & obediente,in ordine ad Adoratum, & cui præſtetur obedientia,& cultus,itaut Alter ſit inferior,Alter ſuperior, at Perſonæ diuinæ ſunt inuicem conſubſtantiales, habentq; eandem Naturam, ſuntque æquales, ideóq; Deus;hinc ceſſat talis adoratio, cultus &c. benè creatura id præſtat,cùm ſit inferioris naturæ ad ipſum Deū.Dices,Ioann.14.ait Chriſtus, *Pater maior me eſt.* Reſpondetur, vel namq; loquitur de Chriſto quoad Diuinitatem,vel quoad humanitatem: primo modo, idem indicat, maiorem eſſe Patrem, ac Patrem eſſe principiū productiuum Filij: non autem indicat maioritatem Naturę,ſeu perfectionis; quia ſunt conſubſtantiales, vt ipſe Chriſtus dixerat Ioan.10. *Ego, & Pater vnum ſumus*, quod omnes, præcipuè Auguſt.explicant de vnitate eſsēciali Diuinitatis: eodemq; ſenſu currit illud alterum, *Caput Chriſti Deus*, ideſt Pater eſt principium Filij:ſecundo autem modo, Patrem eſſe maiorē Chriſto,verè competit ratione humanitatis, quæ omnino inferior eſt ipſo Patre, ipſaque Diuinitate, atteſtante Athanaſio in ſymbolo de Chriſto, *æqualis Patri ſecundùm Diuinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.*

Vtrum Religionis actus.

8 De Iuramento, an ſit in Deo; videtur quòd ſic; etenim Iſa.14.*Iurauit Dominus exercituum.* Pſal.109. *Iurauit Dominus,& non pænitebit eum.*& 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatē.* & paſſim alibi in Scriptura,vt Sap.12. Gen.20.50. Exod.23.33.1. Num.11. 14. Deuteron.10.30.31.4.1.2.29.&c. Verùm, aſſerendum competere ei,dēptis tamen imperfectionibus: & iurare adaptando ſe conſuetudini humanæ. Ratio primi eſt, quia iuramentum eſt actus Religionis, ſiue latriæ; igitur præſupponit aliquod Numē ſuperius,

An Iuramentum.

per

per quod iuretur: at Deus non habet ſuperiorem ſe:nec eſt alter Deus,præter ſemetipſum. Item iuramentum fit inuocando in teſtem, aliquam certiorem veritatem;at Deo nil certius,ſupponeretur namq; Deum inuocare debere in teſtem, aliquem, qui eſſet veridior, & certior, atq; infallibilior ſeipſo. Quòd ſi ab his imperfectionibus præſcindamus, admittemdum erit iuramentum in Deo. Et ad obiecta dicendum, Deum iurare non per aliquã veritatem maiorem, vel certiorẽ ſeipſo;ſed iurare per ſemetipſum, tãquam per primam, veriſſimam, infallibileq; ac ſummã Veritatem, & ita paſſim in ſcripturis,vt Gen.20. *Per memetipſum iuraui,dicit Dominus*: ſicq; intelligẽdæ ueniunt citatæ ſcripturæ, ſemotis imperfectionibus. Et hoc in primis docuit Apoſtolus ad Hebr. 6. inquiens, *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, Maiorem, iurauit per ſemetipſum*, dicẽs &c. & hinc Chriſoſt.hom.11.ſuper 6. ad Hebr.inquiens, *Quando vero ipſe,filius. iurat, Amen Amen dico vobis,idem.ſ.iuſiurandum, nonne manifeſtum eſt, quia non habet maiorem, per quem iuret,hoc illum pacto iurare? ſicut enim Pater iurauit, ſic & filius per ſemetipſum iurat,dicens, Amen, Amen dico vobis*. Ratio ſecundi, nempe quod humano more iuret, habetur ex Hieronymo ſuper Iſa.14 ad verba illa, *Iurauit Dominus exercituum*, vbi ſic ſcribit, *Hoc autem humano loquitur affectu, quod.ſ.non fallatur, qui falli non poteſt*. Atque Athanaſ.ſerm.de Paſſ.& Cruce Dom. *Hominibus autem loquens iurare dicitur, & hoc ipſum humano more efferunt ſancti, vt vnde ipſi loquentes fidem ſibi habere velint inde etiam Deo loquẽti fidem habeant*. Sed Petes, cur iurat Deus, & quiſnam iureiurando ipſum adſtringit, etenim ſufficit ſimplex promiſſio, & atteſtatio eius, eo maximè, cum ipſe ſit prima, & infallibilis veritas. Reſpondet Baſil.homil.29. de Pœnit.inquiens, *Iurat propter incredulitatem eorum qui pænitentiam tollunt: Viuo Ego,dicit Dominus*.& Auguſt.lib.16. de Ciu.c.32. *Quid autem eſt veri Dei, veraciſque iuratio, niſi promiſſi confirmatio, & Infideliũ quædam increpatio?*

Deus quare iurat per ſemetipſum.

Deus quare iurat.

Admittitur ergo iuramentum in Deo, ſemotis tamen imperfectionibus.

9 Ex hinc vero facilè eſt admittere etiam Veritatem, & *fidelitatem* in ipſo: Et quidem Deus eſt prima *veritas in dicendo*.quapropter mentiri non poteſt. Quod ſi mentiri non poteſt,ſequitur vt ſit fidelis in adimplẽdis promiſſis. Deum mentiri non poſſe eſt communis ſenſus Theologorum, tum in 3 d.23.tum cum D.Tho.2.2.q.1.ar.2.de qua re,præcipuè Auguſt.hæreſ.70. & lib aduerſ.mendac. c.2. contra Priſcillianiſtas, quorum Princeps Priſcillianus,aiebat Deum mentiri poſſe ſaltem per alios, ac de facto mentitum fuiſſe per quoſdam Apoſtolos,& Prophetas:a quo non diſtat Caluinus, docens Diabolum miſſum fuiſſe à Deo, vt Achab deciperet, idque nõ permiſſiuè ſolum,ſed cum certo mandato, vt deciperet:linquo, ex Theologis non deeſſe qui dixerint, poſſe tamen mentiri, ſaltem de potentia abſoluta, vt Gabr.in 3.d.12.q.1.art.3. & d.38.q.1. Petrus de Aliaco in 1. q.12. Quidam Hibernicus,& Adamus, quos Gregorius Arim.refert in 1.d.42.q.2.Aduerſos, quos militat idem Gregor.& Durand.in 3.d.24.q.2. Marſil. in 3. q.14. atque Canus lib.2. de loc. Theol. c.3. aſſerens,hæreticum eſſe, qui diceret Deum poſſe mentiri per ſeipſum,quãuis non hæreticum putet, qui aſſereret,Deum poſſe mentiri per alium: at hoc mirum videtur; etenim illud idem tribueretur eidem Deo mentienti per alterum;eſt enim lex,quod *qui per aliũ facit. per ſeipſum facere videtur*, ergo idem error,eademque infidelitas, ſiuè iuramenti,ſiuè promiſſi,ſiuè veritatis, attribueretur Deo.ſed de hoc, ſuo loco. Agunt autem de re hac,vt mentiri non poſſit Deus, Patres,Anſel.l.1.cur Deus homo c.13. Chriſoſt.l.1.de prouid.& homil.1. in Symb. Athanaſ.l.de Incarnat.Ver.Bernar.ſerm.de Cæna Dom.Auguſt. l.1. de Symb. & 22.de Ciu.c.25.

Veritas, & Fidelitas.

Mẽtiri nõ poteſt.

10 Ex eo autem, quòd Deus mẽtiri non poteſt,ſequitur,vt ſit *verax*,& omnino *fidelis* in ſuis promiſſionibus. ita Paulus 2.Timot.1.*fidelis Deus permanet,ſeipſum negare non poteſt*: ſenſũ vero horum verborum tradunt Anſel.

Veracitas.

& Athanaſios citati vna cum Cyrillo Alex. l. 2. in Ioan. c. 29. idem eſſe, *ſeipsũ negare non poſſe*, ac dicere, mentiri Deum, ita idem eſſe, ac *Deum non eſſe*. & Dionyſ. de diuin. nom. c. 8. *Negatio ſui, eſt à veritate prolapſio*. & infra, *Deus ab eo, quod eſt, prolabi non poteſt: neque id eſt quod non eſt, vt aliquis dicat, ac non poſſe non poteſt*. Item Rom. 6. *Eſt autem Deus verax*. & ad Hebr. 6. *Vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt, Deum mentiri, firmiſſimum ſolatium habeamus*. In hoc loco docet Apoſtolus *Deum* mentiri non poſſe, ex duplici capite, primum eſt ſimplex eius promiſſio: & ſecundum eſt eiuſdem *Dei* iuramentum, ſiuè iuramento firmata promiſſio. Promiſſio, quidem *Dei* ex ſe ſola reddit *Deum* fidelem, quia nequaquam mentiri, aut fallere poteſt: Iuramentum quoque firmat de ſui natura promiſſũ: ex hinc, inquit Paulus, impoſſibile eſt *Deum* mentiri; quia promiſſio eſt immobilis, Iuramentum quoque eſt immobile, igitur meritò, ait, *Vt per duas res immobiles. quibus impoſsibile eſt Deum mentiri, firmiſsimum ſolatiũ habeamus*. Idem quoq; 1. Cor. 1. *fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius*. 2. Cor 1. *fidelis autem Deus quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo, eſt, non*, 2. Theſſal. 3. *fidelis Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo*, Deuter. 32. *fidelis Deus, & abſque vlla iniquitate*. ac Pſal. 110. *fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi*. ſicut & Iacob 1. *fidelis Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*.

An Gratitudo.

11 *De* gratitudine verum ſit admittẽda, negant Suar. Releſt. de libert. de diſp. 2. ſect. 2. & tom. 3. de grat. lib. 12. c. 30. Coinch. de act. ſupernat. diſp. 8. dub. 1. atque Salas t. 2. t. 1. tract. 7. diſp 7. Affirmant ex oppoſito Lorcha 1. 2. diſp. 44. de grat. & Vaſq. 1. 2. diſp. 215. c. 1. & diſp. 223. 8. Hanc vero ſententiam ſuſtinent præcipuè illi, qui negãtes *Deum* ex iuſtitia præmium reddere pro meritis, aiunt, aliunde tamen præmiare, vt potè, ratione *gratitudinis*. *Dicimus* autem primò, *Deum*, ingratũ non eſſe. Hoc tantopere verum eſt, vt nedum præmia retribuat pro meritis, verum & præmiet ſupra condignum, Immo pro temporali obſequio cõfert vitam æternam: *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*. Marc. 20. *Dicendum* ſecundo, quòd ſumpta *gratitudinis* voce in ſuo rigore, nequaquam in *Deo eſt gratitudo*, ratio, quia ſtrictè loquendo, hæc vox plures ſert ſecum imperfectiones: Et quidem *gratitudo* præſupponit beneficij alicuius, ſiuè fauoris collationem: at quis quæſo *Deum* beneficauit? quiſnam *Deo* contulit beneficia, & fauores? Item *gratitudo* indicat collationem voluntariã, & liberam talis beneficij, vel obſequij, vel ſeruitutis, honoris, vel fauoris: at omnis creatura tenetur abſolutè obſequia, ſeruitutem, honorem, & amorem præſtare *Deo*, & ſi id non præſtat, punitur. Inſuper *gratitudo* indicat debitum recompenſandi, &c. creatura tenetur ſeruire *Deo*, & amare *Deum* ex tot capitibus, vtpotè, creationis, conſeruationis, redemptionis, &c. Nec quoque quidquam perfectionis accreſcit ipſi *Deo*, aut diuitiarum, aut eminentiæ, aut huiuſmodi, ex obſequijs creaturarum, niſi reſpectus quidam rationis; & probatur apertè ex Iob 22. *Quid prodes Deo, ſi iuſtus fueris: aut quid confers, ſi immaculata fuerit vita tua?* & clarius c. 35. *ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Cui conſonat illud Pſalm. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de Gregibus tuis hircos. quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, Iumenta in montibus, & Boues: Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt: ſi eſuriero non dicam tibi; meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius: Numquid mãducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Ac denique Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Obſtabis ex eod. Paul. 2. Timot. 2. *Si quis emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem, ſanctificatum, & vtile Domino*. ergo creatura aliquid vtilitatis confert Domino, vt meritò dicatur inde recompenſare titulo gratitudinis. Reſp. ly *vtile* referri ad conuerſionem peccatorũ, vt exponit Lyranus, & Gloſa interlinearis: cæterum ex Prouerbiorum nono concludendum, *ſi ſapiens fueris, tibimetipſi eris.*

&

& cum citato textu Iobi, *Quid prodes Deo, ſi iuſtus fueris, aut quid confers, ſi immaculata fuerit via tua?* Eo magis, quo ad benè viuendum requiritur etiã auxilium Dei.

12 Item inter Homines Dominus abſolutus nil debet Mancipio, titulo ſtricto gratitudinis, aut gratiarum actionis; Ratio, quia ſeruorum obſequia nõ cenſentur *beneficia*; licet vtilia ſint Dominis, ſed ſunt ſimpliciter debita. Eo minus obſequia creaturarum cenſebuntur fauores, & beneficia erga Deũ, quo magis creatura tenetur Creatori, quàm in temporalibus ſeruus Domino. Confirmatur ex ore Chriſti Luc.c.17. *Numquid gratiam habet*, nempe Dominus, *ſeruo illi, quia fecit quod imperauerat? Non puto: ſic vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus*, hinc Beda in Luc. cap. 68. *ſi homo*, inquit, *ab homine multiplex miniſterium exigit, nec tamen ei gratiam habet; quãto magis vos, qui ſine me nihil poteſtis facere.* Et demum accedit Ariſtot. qui lib.4. Ethic. c.3. ſic de Deo diſcurrit: *Eſt etiam talis, vt beneficia conferat & pudeat ipſum, ſi ſuſcipiat beneficia. Illud enim ſuperioris eſt, hoc inferioris: & in retribuendo, maiora beneficia conferat. hoc enim modo debitor inſuper fiet is, qui primus cõtulit: atq; ſuſcepit beneficium.* Et inde, *Eſt enim is, qui ſuſcipit, inferior eo, qui contulit beneficium. ipſe verò vult ſuperior eſſe.*

13 Et hinc Cicero lib. 1. de Nat. Deor. ait, *Deum hominibus gratificari, non gratum facere: quaſi gratificari ſit beneficia conferre: gratum facere, obſequi, & inſeruire.* Idemq; 3. de leg. *Gratificari, idem ſignificet, ac fauere &c.* Ex his verò, reſoluendo, dicimus vltimo, quòd ſpectando *gratitudinem*, quatenus relationem dicit ad reddendum debitum alteri, ratione fauoris, ac beneficij, vox iſta *gratitudinis* erit remouenda à Deo; ſpectando autem vocẽ ipſam pro quanto Deus eſt liberaliſſimus Remunerator, itant nec *capillus de capite veſtro peribit* Luc. 21. tunc quidẽ cenſendũ erit, vocẽ gratitudinis ſpectare ad liberalitatem, beneficentiam, amorem, atque munificentiam.

Gratitudo qualis in Deo.

& hoc probant vſq; modo recenſita.

14 Et hinc quoq; iuremerito admittimus in eo *liberalitatem*; quæ quidem, licet non reperiatur in ſcripturis quoad *vocem*, reperitur tamen quoad *rem ipſam*: vt Pſalm.103. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*: & Iac.1. *Dat omnibus affluenter, & non improperat*. Eamque propriè conuenire Deo docet S.Tho.1.par.q.21.art.1. & Auic.9.Met.cap.7. Et cõfirmatur, donatio, quo magis diſtat à debito, eo cenſetur liberalior: & habetur in l. *donari* ff. de reg iur. & inſuper in l. *donari* ff.de donat. vbi dicitur, *donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur*. ſuæ autẽ liberalitatis opus fuit nos creare, conſeruare, gubernare, gratiæ dona elargiri, atque noſmetipſos adiuuare, vt meritoriè operando, poſſimus ad æternam gloriam euolare. Sed obſtatur, quia videtur Ariſtoteles eſſe contrarius; ait.n. 4. Ethic.c.1. quòd *liberalitas videtur eſſe medietas quædam circa pecunias*: quomodo ergo poterit tantopere, & tot ex capitibus bona elargiẽs Deus vocari liberalis? Reſpond. ex eodem Ariſtot. ibid. *quod pecunias omnia dicimus, quorum dignitas numiſmate menſuratur*. & Auguſt. lib. de Diſciplin. Chriſt. c.1. ait, *totum quidquid homines in terra habent, & omnia, quorum ſunt Domini, pecunia vocatur; quia Antiqui quæ habebant, in pecoribus habebant*. Dat verò Deus diuitias hominibus; & totum, quod temporaliter poſſident, *numiſmate menſuratur*; quod ſi de bonis ſpiritualibus loquamur, ea clauduntur ſub theſauro cœleſtis gratiæ, & gloriæ Dei; *infinitus .n. theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Prouerb.8.

Vtrum liberalitas.

Pecunia cenſentur omnia ex Ariſtot. & Auguſt.

15 Temperantia, eiuſq; partes nõ ſunt in Deo: ita D.Th.3.p.q.21. art.1. Scot.4.d.46.q.1. ad 2. Durand. in 4.q.1. Henric. in ſumm. art.46. Ratio, quia verſatur circa paſſiones appetitus ſẽſitiui moderandas, inclinantes ad delectabile, & concupiſcibile ſecundùm ſenſum, quales ſunt cibus, potus, venerea, & huiuſmodi, quæ oppoſito tẽperantur per oppoſitas virtutes abſtinentiæ, caſtitatis &c. Temperantia namque medium conſtituit in delectatio-

tio-

tionibus concupiſcibilis. & hinc Ariſtot. 10 Ethic.cap.8. *Au temperantes? at quidnam fuerint? An laus importuna eſt, ſi prauas Dij cupiditates non habere dicantur?*

16 De fortitudine quoque, prout eſt virtus moralis, cõſimiliter; etenim ipſa conſtituit mediũ inter audaciã, & timorem in paſſione iraſcibilis, caret autem Deus his paſſionibus. Ponitur etiam in Deo ſub alia ratione, quatenus nulla creatura valet aduerſus Deum, & hoc, ſpectando eius ſummã potentiam, & virtutem, vnde 1. Reg. 2. *Non eſt fortis ſicut Deus noſter.* Pſal. 7. *Deus Iudex iuſtus, fortis &c.* Iob 9. *Sapiens corde eſt, & fortis robore.*

Mãſuetudo.

17 Mãſuetudo tribuitur ex ſcripturis Deo, vt Pſal. 89. *Quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur.* & Dan. 3. *fac nobiſcum ſecundùm manſuetudinem tuam.* at metaphoricè; ſiquidem ordinem dicit ad frænandam paſſionem iræ, quæ non eſt in Deo.

Clementia

18 Clementia, ſicut & miſericordia, ponenda eſt in Deo: & ita Exodi 34. *Deus miſericors, & clemens.* Ionæ 4. *Deus clemens, & miſericors.* de quo ex profeſſo diſp. ſeq.

Patientia.

19 Patientia, nonniſi metaphoricè Deo tribuitur, vt Pſal. 8. *Patiens, & multæ miſericordiæ.* & 144 *Patiens, & multum miſericors.* Nõ autem propriè, quia eius munus eſt frænare impetus iraſcibilis, triſtitiæ, doloris, malaq; tolerare: Deus autem paſſionibus nullis ſubiacet, *Nec accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Pſal. 111.

Lõganimitas.

20 Longanimitas eodem modo conuenit: vnde Pſal. 102. *longanimis, & multum miſericors.* Rom. 2. *An diuitias ſapientiæ, & longanimitatis eius contẽnis.* & 2. Pet. 3. *Domini noſtri lõganimitatem, ſalutem arbitremini*: differt verò à *Patientia*, quoniam ſupra patientiam addit *extenſionem Animi ad aliquid lõgè diſtans, vel ad exequendum poſt longum tempus.* Conſimiliter *Conſtantia*, & *Perſeuerantia*: illa quidem addit ſupra patientiam, *Arduitatem*, & iſta *Diuturnitatem*.

Conſtantia Perſeuerãtia.

Magnificentia.

21 Magnificentia, demptis imperfectionibus Deo conuenit: imperfectionem autem inde trahit, ex quo paſſiones præſupponit diſpendii bonorũ temporalium, propterea q; verſatur in ſuperanda hac paſſione. Nihilominus quatenus propenſionem dicit ad faciendas res magnas, & mirabiles, ſic Deo tribuitur, vt Pſal. 76. *Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter, tu es Deus faciens mirabilia.* & 8. *eleuata eſt magnificentia tua ſuper Cœlos.* Conſimilis videtur *Magnanimitas*, cuius munus eſt facere digna magno honore: & vt ſic, quia abſtrahit ab imperfectione, reponenda eſt in Deo, vnde Beatiſſima canit Virgo, *fecit mihi magna qui potens eſt.* & Pſal. 103. *quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.* licet, quatenus dicit ordinem moderandi inordinatos affectus honoris, qui ad præſumptionem, & ſuperbiam pertinent; ſicut è cõtrario, dũ minus iuſto, minuſq; rationabiliter retrahit ab operãdis rebus eximiæ virtutis, & magni honoris, propter arduitatem, pertinet ad *puſillanimitatem*: & vt ſic, dum inuoluunt imperfectionem, remouetur à Deo.

Magnanimitas.

Quales virtutes in Deo.

22 A primo autem ad vltimum; virtutes illæ ſunt remouendæ à Deo, quæ verſantur circa *paſſiones frænandas Iraſcibilis, ſiue Concupiſcibilis*, cùm tales paſſiones non cadant in Deum. Quòd ſi aliquæ ex ijs recenſentur in ſcripturis, prout attributæ Deo, dictũ etiam fuit, attribuendas eſſe non *propriè*, ſed *metaphoricè*: ſecundùm *effectum*, non ſecundùm *affectum*: ſeu quod ſit loquutio *figurata*, ſiue *figuratiuè* loquantur ſæpè ſcripturæ, vt inquit Scot. q. anteced. & dicetur amplius diſp. ſequenti: quæ verò abſtrahunt à talibus imperfectionibus, reponuntur in eo formaliter. Ex recenſitis autem virtutibus poterit conſimile iudicium ferri de cæteris, quæ ſupereſſent.

QVÆSTIO III.

Vtrum iuſtitia ſit diſtincta à voluntate Dei tanquam Regula eius, an verò Dei vluntas ſit ſui ipſius Regula.

Arguitur hinc inde.

1 RAtio dubitandi inde oritur, quia ſi iuſtitiæ attributũ eſſet diſtinctũ à voluntate, tanquam eius regula, vtique impetfectiſſima redderetur Dei voluntas, eſſet namq; ad inſtar voluntatis creatæ; Pob. noſtra voluntas indiget directiuo: id verò dicit imperfectionem. Item, depẽdere à dirigente, jnuoluit imperfectionem. Inſuper eſſe dirigibile, connotat defectibilitatem, obliquabilitatem, hæc verò longe eſſe debent à Dei voluntate, ne tot ſubiaceat imperfectionibus, ergo non erit iuſtitia diſtiucta, ſub ratione Regulæ, & directiuitatis. Ex alio autem capite videtur neceſſario ponẽda ſub ratioue Regulæ. Prob. *Voluntas eſt cæca*, ergo indiget illuminante, dirigente, dictante, regulante: cùm verò cæcus non poſſit ſibi ipſi eſſe lux, regula, directio, & Dux; merito eget Dirigente, Illuminante, Manuducente, ſiue ipſo Duce.

Scotus problematicus

2 Quæſitum ſubdubiè ſoluit Scotus in 4.d.46.q.1.litt.M. ac propterea ex eius mente non habemus quid certum, quid definitum; ait namque, *ſi voluntas ſit ſui regula, nec à iuſtitia diſtincta, non neceſſe erit ponere in Deo virtutes morales*, vt etiam retulimus ſupra. *quòd ſi ſit diſtincta, vtiq; ponentur virtutes tales morales*. Additio quædam Sco. ait eſſe idem, q.4.lit.N.

Iuſtitia in ratione attributi diſtinguitur à volũtate.

3 Nos primò dicimus, Iuſtitia in ratione *Attributi*, eſt quid formaliter diſtinctum à Dei voluntate. Aſſertio hæc non alia vltiori probatione eget quàm ea, qua probatur attributa diſtingui formaliter inter ſe, & à Deo, prout in vigeſima habebitur, de diſtinctione formali, diſputatione. hoc verò nunc ſupponimus, ideoq; non immoramur in ea.

In ratione Regulæ nõ diſtinguitur à volũtate.

4 Secundò dicimus, Iuſtitiam in ratione *Regulæ iuſtè operandi*, non eſſe quid vllo modo diſtinctum à Dei voluntate, ſed eſſe ipſam prorſus Dei voluntatem. Aſſertio hæc eſt diſtincta à prima; etenim in prima conſideramus iuſtitiam ſub ratione *Attributali*; in ſecunda ſub ratione *Regulæ*: primum conſtat, & ſecundum eſt probandum, aſſerimus enim voluntatem eſſe ſibi regulam, & regulare ſeipſam, non vero indigere alio principio regulatiuo.

Probatur ad Intra.

5 Probatur verò, & quidem vel loquimur de ipſa voluntate *ad intra*, vel *ad extra*: vtrumq; vtrobiq; erit verum. Ad *intra* quidem ſic, Voluntas diuina eſt eſſentialiter iuſta, & recta; ergo dum ſibi proponitur v. g. *Deus eſt ſuper omnia diligendus*, vtiq; ex ſe ſtatim, & continuo amat ſuper omnia ipſum Deum. Item non poteſt non amare Deum, ergo eſt eſſentialiter recta. Rurſus amat Deum toto conatu, inteſiſſimo, ac infinito amoris actu. Præterea non poteſt diuelli à tali amore, aliàs poſſet deficere ab amore Dei. Inſuper Dei voluntas eſt inobliquabilis, & indefectibilis; at directio, & directiuum ponendum eſt in potentia obliquabili, ac defectibili. Item intellectus diuinus oſtendit, veluti principio quoddam practico voluntati, Deũ

Voluntas non eſt regulabilis ab alio ad intra.

eſſe

eſſe ex iuſtitiæ debito amandum: quia tamen ipſa voluntas eſt de ſe rectiſſima, & iuſtiſſima, inde ſe continuo determinat ad iuſtitiæ, hoc amoris debitum, exoluẽdum. Nihil ergo relinquit, quod non agat, dum ex ſe, ſuaq; coeſſentiali rectitudine, non poteſt, non iuſtè, & rectè agere. Hæc de *ad intra*.

Probatur ad extra. 6 Quod verò nec *ad extra* determinetur, aut reguletur aliunde, quàm à ſeipſa, hoc facilius demonſtratur; Et quidem prima radix omnis contingẽtiæ ad extra eſt diuina Voluntas, vt modo ſupponimus; ergo prima itidẽ Regula *ad extra*, erit eadem Volũtas. Item ante decretum diuinæ Voluntatis nihil eſt determinatum ad extra, ergo nihil eſt regulatum ante voluntatem ad extra. quicquid verò euenit, contingit per decretum, ergo decretũ erit prima regula ad extra. Inſuper, ſi voluntas regulatur ab Alio aliquo ad extra, duo ſequuntur, tum quod non liberè, ſed neceſſario operaretur ad extra; tum quoq; quod non eſſet liberum Agens Deus, ſed ageret ex neceſſitate naturæ, iuxta Philoſ. ad extra: *Voluntas non eſt regulabilis ab alio ad extra.* prob. ſi Iuſtitia, ſeu intellectus, prout antecedens voluntatem, dictaret tanquã Regula, Petrum debere currere, vtique Dei voluntas neceſſario deberet velle, Petrum currere, ac neceſſario decretaret Petri curſum, neceſſarioq; præberet auxilium, & cooperationem ad Petri curſum: quæ cum ſint abſurda, non eſt danda aliqua regula regulans, & dirigens Dei voluntatem; ipſa enim eſt ſui, & aliorum Regula. Inſuper tolleretur omnis contingentia in entibus. prob. regula antecedẽs voluntatem ſe haberet per modum Naturæ, patet, quicquid namque voluntatem præcedit, ſe habet ad inſtar Naturæ; ergo quicquid à tali regula erit directum, dirigetur per modum Naturæ: dirigeretur autem proximè, & per prius ipſa voluntas, & inde res ad extra, ergo & voluntas neceſſario operabitur, & omnis tolletur contingentia ad extra. Rurſus iuſtitia eſt habitus inclinans voluntatem per modum Naturæ, ergo ſi iuſtitia eſſet regula vt diſtincta, voluntas operaretur per modum Naturę. Præterea iuſtitia, veluti regula, eſt habitus inclinans determinatè ad vnum, & non ad alterũ; nec potentiam relinquit indifferentẽ ad oppoſitum: at voluntas eſt de ſe eſſentialiter libera, atque ad extra obſeruat omnem modum libertatis, tùm contrariè, tùm contradictoriè, tùm diſparatè, agendi. Demum, obiectum iuſtitiæ eſt quoddam iuſtum neceſſarium, & ex natura rei, neceſſario ſoluendum: at ad extra Deus nullius eſt debitor ex natura rei, ſed ſolũ ex promiſſione, & pacto, vt ſequenti quæſt. habebitur. hinc cõcludamus ergo voluntatem ipſam eſſe ſibi, & ſui Regulam, non verò ex alia anteriori, dirigi, & moderari Regula. Accedit; quod *Rectum eſt Iudex ſui, & obliqui*: Dei voluntas eſt eſſentialiter recta, *quis.n. bonus, niſi ſolus Deus*; ideſt, bonus, & rectus *per eſſentiam*, cætera per participationem; Creaturæ enim ſunt prorſus obliquabiles; quapropter Dei voluntas erit Regula ſui, Iudex ſui, non egens anteriori regula, eritq; Iudex & obliqui, ſiue erit Regula omnis cõtingentiæ ad extra.

7 Hoc conſtito, Reſpondendum remanet ad rationem in oppoſitum. Et quidem an Dei voluntas ſit cæca; nequaquam eſt ita loquendum, tum ſecundùm veritatem, tum ex debito reuerentiæ. *Voluntas an, & qualiter cæca.* ſecundùm veritatem is dicitur cæcus, cui competit videre, vel ſimpliciter, vel pro determinato tempore, qui ſi inde non viderit, erit cenſendus cęcus: vt Catulus ante nonum diẽ non eſt cæcus, poſt verò, ſi nõ viderit, cenſebitur cæcus. Naſcitur Puer, qui ſi non viderit editus in lucem, erit à natiuitate cæcus: Item oculo, & menti contingit cęcitas, ſpiritualis hæc, corporalis illa; non autem cęcitas cõpetet auribus, aut naribus, nec enim os, auris, aut nares dicũtur aliquando cæci, cùm priuatio ſit in ſubiecto apto nato, hęc verò non ſunt ſubiecta viſionis, ergo nec cæcitatis, oppoſita namque contingunt fieri circa idem.

8 Hinc dicimus, nec voluntati competere poſſe, eſſe cæcam; eſt namque Animæ oculus intellectus, non voluntas, ideoq; voluntas appellabitur *non videns*; quod ſi *non eſt videns*, ergo nec erit cæca, iuxta naturam oppoſitorum circa idem ſubiectum. At, quid

quid ad commune aſſertum, *voluntas eſt cæca*: Reſp. loquitur de cęcitate, laxato nomine cęcitatis; & idem importat hic cęcitas, ac negatio viſionis: itaut ſit cæca *negatiuè*, non *priuatiuè*: priuatiuè cęcitas competit oculo impedito; negatiuè verò cęcitas competit omni non videnti: & vt ſic non magis dicetur voluntas, quàm manus, lingua, & omnis alia pars corporis cęca, nulla enim videt, ideo largè loquẽdo eſt cęca: cæterum de rigore voluntas eſt appellanda *non videns*: at quicquid ſit de voluntate creata, de qua ratione peccati, competere aliunde poteſt, vt nedum non ſit videns, verum & (ſuo modo) cæca; ad diuinam verò voluntatem deſcendendo, à qua longe eſt omne peccatũ, omniſq; imperfectio, ea nullatenus appellanda eſt cęca, ſed non videns.

Voluntas diuina, non cæca, ſed non vidẽs.

Intellectus diuinus præcedit diuinam voluntatem ſub ratione oſtẽſiui, non regulatiui.

9 Sed quid, dum non eſt videns, vtrum regulari indiget anteriori dictamine? minime, ſed ſufficit vt intellectus præmonſtret quid agendum; de ſe namque ſemetipſam determinat rectiſſimè ad id, quod eſt fiendum; ſi nãque reſpiciamus ad *intra*, ſufficit, vt intellectus Dei oſtendat ei, v. g. *Deum eſſe ſummè diligendum*; quo oſtenſo, ſtatim ex ſe, ſemetipſam determinat ad rectè, & infinitè ipſum Deum amãdum; vnde præcedit lumen intellectus diuini ſub ratione quidẽ *oſtenſiui*, non autem *regulatiui*. ſi verò reſpiciamus ad *extra*: ſufficit vt intellectus pręmõſtret ei terminos rerum: quibus præoſtenſis, copulat ipſa voluntas terminos, facitq; connexionem, decretando; ordinando, imperando quicquid ei placuerit: anteriori enim ſigno, oſtendit iam voluntati intellectus terminos ſimplices, vt *Petrus, Crux, Gloria, Apoſtolatus &c.* inde tamen voluntas copulauit gratiam vocationis, & Apoſtolatum cum Petro, inde Crucem, ac tandem Gloriam, definiuitq; Petrum vocare ad Apoſtolatum, inde ad Crucem, tandem ad Glotiam: ſicque dum ipſa eſt ſibi, & cæteris regula, intellectus præcedit eam ſub ratione oſtenſiui, non regulatiui. de hoc autem plenius habitũ fuit ſup. diſput. de ſcientia Dei, An ſit practica, vel ſpeculatiua.

QVÆSTIO IV.

Vtrum inter Deum, & Creaturam intercedat vera ratio iuſtitiæ.

ARTIC. I.

Aſſertur ſententia affirmans.

Pro ſentẽtia affirmatiua arguitur.

1 ESt aliquorum, licet paucorum, ſententia reperiri in Deo, in ordine ad Creaturam, veram rationem iuſtitiæ, tum commutatiuæ, tum diſtributiuę: inter quos Suar. opuſc. de iuſtitia, &c. Argumenta autem potiſſima hæc ſunt.

2 Primò, ex ſcripturis Deus appellatur *iuſtus*, quod ſignum eſt, verè iuſtitiã intercedere inter nos, & Deũ: Aſſumptum prob. tum Hebr. 6. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis noſtri*: tum Pſal. 108. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*: non ſunt autem intelligendæ ſcripturæ hæ, vel per tropos, vel per metaphoras. 2. Paulus 2. Timot. 4. de ſeipſo ita loquitur, *bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam*

adimpletorem promiſſionis ſuæ, ait enim Paulus 2.Tim.2.*fidelis eſt Deus, & ſeipſum negare non poteſt*: vt ſic tamen, præſcindimus à quæſtione de iuſtitia, & inquireremus de *fidelitate*, vtrum fidelis eſſet Deus; quod cum ſit de fide non eſt poſitum in controuerſia,& id attigimus qu. præced. Secundo autem modo inquirimus de iuſtitia, vtrum rigoroſè ſpectata quoad omnes ſui conditiones exerceat eam cum creaturis Deus.

Suarij opinio.

2 Aliqui, vt Suar. de iuſtitia loquentes, conſiderant eam ſolummodo quoad materiale eius, non quoad formale: illud conſiſtit in *dato*,& *accepto*, quod eſt materia commutatiuæ iuſtitiæ;hoc in *lege*, & *conditionib.ſeruandis* ex parte Dantis,& Recipientis. Verũ falluntur, etenim ſic ſumpta iuſtitia vtique nimis abuſiuè, impropriè, & imperfectè ſumitur;quia ſicut ordinatur materia ad ſuam formam in naturalib. & phyſicis; ita etiam in politicis,& moralib.ordinari debet materia *dati*, & *accepti* ad formam politicam, quæ eſt lex,& conditio dati, & accepti. Inſuper forma dat eſſe rei in phyſicis,ita lex eſt forma in moralib. & politicis. demum præſcindas formale legis à contractibus, remanẽte ſola materia,ruit ratio,& vis ipſius cõtractus. Accedit, quòd contractus ſpecificantur, & diuerſificantur nedum à materia,verum à forma,immo magis à forma; poterit namq; eadem materia deſeruire pluribus contractib. non autẽ eadem forma: vt pecunia deſeruit pro mutuo, & pro depoſito, & pro ſolutione pretij,& debiti varijs modis cõtracti: at contractus mutui,depoſiti, emptionis,venditionis, et huiuſmodi, non diuerſificantur penes pecuniam, ſed penes leges varias variorum contractuum,ex quib.legib.contractus ipſi formam, et ſpecificationem deſumunt;ergo iuſtitia materialiter tenta non potius erit illa, de qua loquimur, quam fidelitas,donatio,magnificentia, et promiſſio diuina creaturis facta, ſiuè huiuſmodi: vt ergo diſtinguatur ab his,neceſſe eſt conſiderare id, quod eſt formale in ea,vtpotè vim legis, ac cõditiones rigoroſè ſpectantes ad ipſam naturam iuſtitiæ, quod amplius patebit ex deſcriptione, tùm iuſtitiæ,tùm iuris,tum debiti.

Falluntur.

Iuſtitiæ definitiones plures ex Aug. Ariſtot. Vulpiano.

3 Hinc ſupponimus definitionem iuſtitiæ,tum ex Patrib.tùm ex Vulpiano,tùm ex Ariſt. Et quidem Ariſtoteles 5.Ethic.c.5.ait, *Iuſtitia eſt,qua Iuſtus, dicitur iuſtè operator ex electione, ac diſtributor,tam ſibi ad alterum,quam alteri ad alterũ.* Auguſtinus 19.de Ciu. Dei.c.21.*iuſtitia eſt virtus,quæ ſua cuique diſtribuit.*et Vulpianus in l.iuſtitia ff.de iuſt.et iur. *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas, ius ſuum vnicuiq; tribuens*. Primæ duæ diffinitiones explicant apertius rationem vtriuſque iuſtitiæ:tùm commutatiuæ, tùm diſtributiuæ; etenim illa Ariſtotelis apertè indicat diſtributiuam,cùm inquit, *tam ſibi ad alterum,quam alteri ad alterum*: ſicut etiam illa Auguſtini,dum vtendo verbo *diſtribuit*, apertè indicat iuſtitiã diſtributiuam: eſt vero natura diſtributiuæ iuſtitiæ habere relationem alterius ad alterum, vt ſicut alter excedit in dignitate,et merito alterum, ita et excedat in præmio,et honore; hæc vero Vulpiani quamuis vtatur verbo *tribuit*; nihilominus verbum hoc,potius iuſtitiam indicat commutatiuam, quam diſtributiuam; tribuere enim vnum pro altero eſt opus commutatiuæ, ſicut pretium pro re empta, etc. differt vero *tribuere à diſtribuere*; hoc namque proportionalem, iuxta locũ, et tempus,officia,merita, et dignitates in Republica,ſiuè domo, & Cõuentu, iudicat diſpẽſationem, ſiuè diſtinctam tributionem, dicitur enim diſtributio, quaſi diſtincta, ac diſpar retributio, quod colligitur ex Tull.2.Tuſcul. *profitentur ſe non diſtinctè, neque diſtributè ſcribere*. cùm tamen ex oppoſito verbum *tribuere* non indicet talem diſparem diſpenſationem,ſed abſolutam,ſiuè dationem, donationem, ſiuè collationem ex Ouid.2.de arte am.*hæc bona non tribuit primæ natura,Iuuentæ.*ideo fortè hæc aduertens Vulpianus, quaſi corrigens traditam, veluti mancam diffinitionem,inde ſubdidit, *iuris præcepta ſunt, honeſtè viuere, alterum non lædere,ſuum cuique tribuere.*Nec vrget ſi dicas, diſtributiuã iuſtitiam expreſſiſſe cùm dixit, *ius ſuum vnicuiq;* etenim etiam commutatiua tribuit ius

Quanam aptior.

ſuum vnicuique. quicquid tamen ſit, vel ſaltim implicitè comprehendit talem diſtributiuam iuſtitiam.

Iuſtitię obiectum ius.

4 Ex tradita diffinitione habemus obiectum iuſtitiæ eſſe *Ius*; quod ſi *ius*, ergo *iuſtum*, ergo *debitum*, ergo *æquale*. iuſtum namque, & debitũ, & æquale ſunt obiecta iuſtitiæ. *Ius* idem ſonat, ac *iuſtum*: eſt enim dictum per *Apocopen*, ideſt per amputationem vltimæ ſyllabæ. Super *iure*, ſiuè ſuper iuſto fundatur debitum, & debitum ęquale. Vtrumque expreſſit Plautus in Stic. *bonum ius dicis, imperare oportet, quia æquum poſtulas*.

Ius vnde nam dicitur.

Iuſtitiæ cõmutatiuæ, diſtributiuæ differẽtia.

5 Ex lege autem, ſiuè adimpleta, ſiuè lacerata, oritur debitum in Iudice, & in Ciuibus, vel punitionis, vel præmij: debitum vero æqualitatis fundatur ſuper duplici iuſtitia, commutatiua altera, & diſtributiua: ſiuè attenditur iuxta duplicem proportionem, Arithmeticam vnam, geometricam alteram: prima eſt inter rem, & rẽ: quantitatem, & quantitatem: inter acceptum, & datum, abſolutè, ſecundùm eorum naturas ſpectata, abſque relatione, & ordine ad merita, vel conditiones perſonæ: ſecunda fundatur ſuper duas æqualitates; ſiuè etiam in ordine ad Perſonas, habito reſpectu ad officia gradus, dignitates, merita, demerita, locum, tempus: vt ſicut ſe habent ſex ad tria, ita octo ad quatuor: ſed ſex excedunt tria in duplo, ergo tantundẽ octo quatuor. ſicut etiam in politicis ſe habet Dux ad Militem, & Princeps ad Ciuem, ita ſe habet ſtipẽdium Ducis ad ſtipẽdium Militis, atque honor, & reuerentia debita Principi, ad honorem debitũ priuato Ciui: at illi, ratione gradus, muneris, ſiuè officij excedunt illos, ergo honor, & ſtipendia illorum debet excedere ſtipendia illorum: De his dicendum, quod omnes æqualiter honorantur, omnes æquale ſtipendium trahunt, æqualitate tamen geometrica, non arithmetica. Et hinc deducitur duplex iuſtitia, ſiuè duplex modus exercendi iuſtitia, altera namque eſt commutatiua, altera diſtributiua: circa primam contingit arithmetica, penes ſecundam ſtat æqualitas geometrica: de prima Ariſt. 5. Ethic. c. 5. ait, *In commercijs ſeruatur ius quodam æquum, conſtans proportione arithmetica*: de ſecunda c. 3. inquit, *in diſtributionib. ſeruatur proportio geometrica*. Secunda ſupponit primam, vbi namque eſt geometrica eſt antecedenter arithmetica, at prima non fert neceſſariò ſecum ſecundam. Vtramq; ſeruat Summus omnium Princeps, & moderator Deus tum in ſuperna, tum naturali, ac mundiali Hierarchia: tum in naturalib. tum moralib. In naturalibus quidem, dum omnia conſtituit in *numero, pondere, & menſura*: in moralib. dum vnicuique diſtribuit flagitia, vel præmia iuxta mẽſuram meriti, vel delicti, *ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, Matt. 19. ecce commutatiua: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, Ioan. 14. ecce diſtributiua. *opera enim illorum ſequuntur illos*, en commutatiua. Apoc. 14. *ſecundum menſuram delicti erit, & plagarum modus*. Deut. 25. ecce diſtributiua. Et hinc, à primo ad vltimum, concludimus, obiectum materiale iuſtitiæ eſſe *datum, & acceptum*: obiectũ formale eſſe *æquale*, ſeu *æqualitatem*, ſiuè arithmeticam, ſiuè geometricam.. Attendendam vero eſſe iuſtitiam, nedum ex parte obiecti materialis, verum ex parte formalis; in hoc namq; diſtinguitur à cæteris virtutib. vt diximus: & vt ſic loquimur in præſentiarum de iuſtitia, quatenus vel pẽdet à lege, & ratione recta, vel quatenus eſt executiua legis, & rationis rectæ: qui modus eſt ſumendi eam ſtrictè, vt vidimus.

Proportio Arithmetica, Geometrica.

Iuſtitię cõditiones.

6 Ad iuſtitiam ſic ſtrictè ſumptam, multæ concurrunt conditiones, quæ ſi deſint claudicat rigoroſa acceptio iuſtitiæ. & quidem requiritur, vt Exercẽs eam, ſiuè pręmiatiuam, ſiuè punitiuam, ſit ſubiectus legibus, ita vt & ipſe teneatur obſeruare legem, tum in ordine ad ſe, tum ad Alios, exequendo (in præmiando, & puniendo) iudicium legis. alias ſi oppoſitum agere, non jam iuſtus, ſed iniuſtus cenſendus eſſet Iudex, non enim Iudex poteſt vllo modo agere cõtra legem. Inſuper vt ſit pars, & membrum Communitatis, & Reipublicæ, idcoque teneatur Rempublicam ſeruare indemnem per executionem legis, *in vindictam malorum, laudẽ vero bonorum*, vt Paulus loquitur. Item

exigitur, vt qui dat non det Accipiēti, de bonis ipſius Accipiētis, ſed de proprijs; alias vel non eſſet donatio, ſed redditio: vel nō mereretur præmium, qui namque mihi dat meum, ſeu de meo, quam mercedem meretur? ergo vt inſurgat obligatio ex iuſtitia ex parte Recipientis, obligatio, inquam, ad reddendum, ſiuè recompenſandum, opus eſt, vt quod datur, detur de proprijs Donantis, nō autem de Donatarij, ſeu Accipientis bonis. Rurſus exquiritur, vt id, quod datur, non debeatur accipienti aliquo alio titulo; ſi nāque alio debeatur iure, non vtique ex iuſtitia erit recompēſanda ei talis hæc datio; iam enim accipientis erat, eique debebatur aliunde, & alio titulo. Præterea, vt qui dat, ſit diſtinctus ab accipiente; ratio, quia iuſtitia attenditur ex Ariſt. ex dato, & accepto in ordine *ad alterum*: hinc ipſe docet loc. inſ. cit. inter Patrem, & filium, ſeruum, & Dominum: (ſicut inter creaturam, & Creatorem) non poſſe intercedere veram iuſtitiam; ratio, quia non ſe habent filius, & ſeruus, quaſi ad Alterū: quod ipſe probat, filius namq; cenſetur pars Patris, quandoquidem producitur *de ſubſtantia Patris*, deciſus è lumbis patris 8. Eth. 12. ſeruus non eſt alter à Domino, quia *eſt inſtrumentum domini 6.* Ethic. cap. 3. & creatura eſt ens *per participationem, Veſtigium Dei, Imago Dei*, inquiunt Theologi: ergo nec poterit inter eos eſſe rigoroſa iuſtitia, vnde concludit, 8. Ethic. 12. *Non poſſe ſeruum Domino; Patri filium, & creaturam Deo æquiualens reddere.* Itē poſtulatur, vt Retribuēs reddat æquale, ſiuè retribuat ad æqualitatem, tùm ſoluendo, tùm præmiando, tùm puniēdo; quòd ſi exceſſus interuenerit, vel defectus, non ſeruabitur ſtrictus rigor iuſtitiæ: Deus autem præmiat vltra condignum: punit citra condignum, quomodo igitur ſtare poterit æqualitas, & obſeruantia rigoroſæ iuſtitiæ inter eum, & creaturas. Deſideratur, & quidem, id, quod erat principalius, vt qui mercedis ſolutionem, ſeu ſtipēdium expectat, habeat ius ad illud, & ſit verum ius, quo ex rigore iuſtitiæ poſſit poſtulare, & quo ex iuſtitiæ vigore teneatur Creditor tùm opus, & mynifterium præſtitum acceptare, vel teneatur, ſaltem ex lege, & iuſtitia, cōpenſare. hæ ſunt conditiones, quibus conſtare debet erga Alterum ſeruanda iuſtitia: quarum altera ſi deficiat, claudicabit iuſtitia: videamus autem vtrum erga creaturam Deus exerceat iuſtitiam iuxta recenſitas conditiones iuſtitiæ.

ARTIC. III.

Non reperiri in Deo ad Creaturam, veram rationem debiti, aut iuſtitiæ.

1 IVxta traditas iuſtitiæ conditiones decidenda eſt quæſtio, illæ enim ſunt fundamenta quæſtionis. & propterea Primò dicimus, Dei ad creaturam non eſt rigoroſa, & vera iuſtitia; apertè ex Antiquioribus eam docet Scotus abſolutè in 4. d. 46. q. 1. & cum eo Dur. Richar. Palud. atque Sententiarij ad præd. diſt. D. Thom. 1. contra gen. c. 93. Sot. 3. de nat. & grat. cap. 7. & 3. de iuſt. & iur. q. 5. quib. accedunt Recentiores Valent. citand. Vaſq. 1. p. d. 85. & ferè omnes, eſt contra per paucos, qui tuentur dari talem iuſtitiam, ſiue commutatiuam, ſiue diſtributiuam, ex quibus Suar. opuſc. de iuſtitia. *Dei ad creaturam nō eſt ſtrictè ſumpta iuſtitia.*

2 Probatur autem, iuſtitia conſiſtit in æqualitate dati, & accepti: inter Deum, & creaturam non adeſt hæc æqualitas, ergo nec vera iuſtitia. antecedens patet ex artic. antec. minor autem de ſe eſt clara; ſed declaratur: tenetur creatura diligere Deum: at non poteſt de ſe ſola præſtare hoc, tantū, quantum requirit ipſa dilectio Dei; etenim eſt infinitus Deus, & ob id infinitè diligibilis; *finiti autem ad infinitum nulla eſt proportio.* Rurſus dilectio Dei erga creaturā, maior eſt dilectione creaturæ erga Creatorem: patet ex effectibus; etenim dat eſſe creaturæ, conſeruationem, dona, talenta, virtutes, *Creatura ad Deum nō eſt æqualitas.*

tes, gratiam, & gloriam: at quandiù creatura attinget ad dandum per recompenſationem Deo quoad eſſe, quoad conſeruari, quoad gratiam, & quoad gloriam? quæ enim non poteſt hæc ex ſe ſibi parare, nec poterit ipſi Deo comparare. Dices, reddet tantundem amoris, amando ipſum toto corde, vel hic, vel in Patria: ſed quicquid ſit, nihilominus etiam remanebit inęqualitas, cùm amor Dei tantopere ſuperet, & vndeqaq; totum conatum amoris, ſiue hic, ſiue in Patria, ipſius creaturæ. Item præmij ad meritum: ſiue pęnæ ad demeritũ nulla eſt æqualitas, ergo deeſt ſtricta ratio iuſtitiæ: vtrumq; aſſumptũ patet; etenim præmiat vltra condignum, & punit citra condignum: minus punit quam deberet; magis præmiat, quàm Iuſtus meretur: quæ ergo iuſtitia eſt iſta, dum relaxat de pæna, dum vltra meritum adauget coronam? non ergo currit æqualitas. Inſuper amor Dei erga creaturam non procedit ex affectione commodi ipſius Dei, nihil.n. Deus expectat à nobis, nec enim noſtris indiget, nec vtilitatis quicquã inde ſibi aduenit, iuxta illud Eliphas penes Iob 22. *quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris, aut quid ei confert ſi immaculata fuerit vita tua?* & illud Ehu, Iob 35. *ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid accipiet de manu tua:* ſiue iuxta Rom. 11. *quis prior dedit ei?* Creaturæ verò amor, eſt quandoq; amor commodi, vel ſaltim inclinatiuè, & motiuè, licet nõ ſemper terminatiuè iuxta illud Pſal. 112. *inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Ecce ergo quòd non æquiparantur amor Dei, & creaturæ: quòd ſi inter eos eſt æqualitas dati, & accepti, non poterit ex hoc capite interuenire vera iuſtitia.

3 Alterum caput eſt obligationis, requiritur enim vt Princeps, & Legiſlator teneatur veluti Reipublicę principalis pars, ſeruare iuſtitiam, vt eſt dictum: ex hinc autem nec oritur iuſtitia inter Deum, & creaturam. prob. Deus nulli ſubeſt legi, non enim tenetur legibus, quia ipſe eſt ſibi lex. Item lex eſt quid ſuperius ad Ciues, Deo nil ſuperius; eſt enim ipſe ſupremus omnium Monarcha, & primus Iudex; igitur ſtante vel merito, vel demerito creaturæ, non tenetur abſolutè, vel eã præmiare, vel punire; ergo non interuenit, ſic agendo vera iuſtitia. poterit namque merita huius non præmiare: poterit demerita illius nõ punire; ratio, quia non tenetur legibus, quòd ſi agit, voluntariè id agit, quia vult, agit. Dices, ageret cõtra iuſtitiam non obſeruando leges vel punitionis, vel pręmij. Reſp. licet non ageret ſecundùm legem potentiæ ordinatæ, ageret tamen id ſecundùm aliam legem potentiæ abſolutæ: de facto quidem leges ſeruat ſpectantes ad gubernium potẽtiæ ordinatæ, cæterum non ſeruando, non diceretur iniuſtè agere, cùm oppoſitum faceret de lege potentiæ ſuæ abſolutæ Scot. 1. d. 44 q. 1. de quo infr. Eſt verò diſcrimẽ inter Legiſlatorem, Iudicemq; creatum, & increatum: ille namque tenetur legibus, tenetur & Rempublicam cuſtodire, & ſeruare indemnem, Deus non ſic, (rationes verò cur Deus non eſſet iniuſtus, habentur ſup. q. 12. de Omnipot. & infra diſput. ſeq. q. 1. & 2.) poſſet namq; derelinquere eam, nec attendere, vtrum leges ſeruentur, an ne; vtrum boni pręmientur, an non. Item tenetur Princeps, & Iudex ſeruare indemnem Rẽpublicam, ex capite altero, quoniam eſt pars eius, licet principalis; parti autem incumbit ſeruare Corpus, ſicut & corpus conſeruat partem, etenim in corpore bene conſeruantur partes, quæ aliàs, extra corpus depereunt: Deus autem non eſt membrum, aut pars iſtius molis corporeæ, immo nec eſt in Genere, nec extra Genus, eſt namque Reſpublica hæc mundialis, corporea, limitata, & finita, Deus purus ſpiritus, & infinitus, atque traſcendit omne genus: nec cõſeruatur à Republica Mundi, cùm ante Mundi creationem, iam erat in ſemetipſo idem ac nũc, æquè infinitè perfectus; quaproprter nec ex hoc capite intercedit iuſtitia, nullatenùs enim pendet Deus, nec in fieri, nec in eſſe, nec in conſeruari à creatura.

Deus nulli ſubeſt legi.

Differẽtia Iudicis creati, & increati.

4 Ex capite vlterioris tituli id probatur: deſeruit Creatori creatura, amando, immo & aliquando ſanguine

Creatura titulis pluribus obſt... quia debet

pro

Creatori, etiã ſi nullatenus mercedem gloriæ paraſſet.

pro Creatore perfundendo: ſed vtrum hinc ex vera, & ſtricta iuſtitia debeat ſibi Deus mercedem? nequaquã, quoniam & ſi nuſquam gloriam paraſſet, nec Regnum cælorum certantib. promiſiſſet, nihilominus teneretur creatura deſeruire aliunde, & vitam profundere pro Creatore; vt pote, debet ei hæc omnia titulo Creationis, Conſeruationis, Redemptionis, diuturnę prouidentiæ, totq; tantorumq; donorum, ac beneficiorum, quæ in dies ab eo recipit; quapropter, poſſet Deus iure merito dicere Iuſtis, nolo vitam vobis conferre æternalem; etenim tum legũ obſeruantia, tum dilectio, & amor, tum ipſum etiam martyrium, mihi alio iure debebatur, titulo, nempè Creatoris, Gubernatoris, Redemptoris, vnde nõ eſt, quod vlteriorem hinc expectetis mercedem, dum aliunde mihi debebãtur hæc veſtra obſequia.

Debitum non eſt ſoluendum ex bonis creditoris.

5 Rurſus ad iuſtitiam exigitur; vt debitum non ſoluatur ex bonis creditoris, vt diximus. At quidquid agit creatura, pendet à Creatore. Et quidẽ in bono, quod agit, ſiuè conſideremus eſſe phyſicum, ſiuè morale, pendet id principaliter à Creatore; nam, Deus dat eſſe, virtutem operãdi, concurſum ad operandum, conſeruationem tum ipſius eſſe, tum virtutis, vt poſſit operari: Item dat quoad eſſe meritorium, & condignũ, præuiã motionẽ excitãtis gratiæ, præuenientis auxilij; dat vltro, gratiam concomitantẽ, ſubſequentem, & denique perſeuerantem; ita vt ſit verum, quòd ait Philoſ. quod *cauſa ſecunda in tantum agit, inquantum mouetur à prima*: quòd ſi quoad eſſe phyſicum, & morale, ac meritorium pendet à Deo, qui eſt prima cauſa ſiuè in ordine gratiæ, ſiuè naturalis prouidentiæ, & ſine his nil agere poſſet creatura, vt merito dicere poſſit cum Eſaia 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis Domine*, quomodo poterit ex vera iuſtitia ſoluere debitum ipſi creatori, dum de bonis ſoluit principaliter ipſius Dei creatoris.

Ad retributionem prę requiritur ius, & debitum.

6 Inſuper, requiritur Ius, & debitum ad retributionem, vt eſt dictum: at in creatura nullum reperitur ſtrictum ius ad gloriam: prob. opera creaturæ, vel conſideramus prout præſcindunt à gratia, vel prout procedunt ab ea: de primo iam conſtat nullum habere ius ad gloriam, eſſet enim Pelagianum id aſſerere: de ſecundo, ius, quod habet ad gloriam procedit à gratia, hanc vero gratuito confert Deus, & gratis, gratis enim excitat, vocat, cooperatur, comitatur, gratiſque perſeuerantiam confert vſque in finem: dicitur enim ei ab Apoſt. 1. Cor. 4. *quid habes, quod non accepiſti: ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ergo ius, quod habet ad gloriam eſt fundatum ſuper ipſa Dei gratia, ſuper gratiam inquam, Dei creditoris.

Dãs debet eſſe diſtinctũ aa Accipiente.

7 Præterea is, qui dat, debet eſſe diſtinctus, & totaliter aliud ab accipiente, quia *iuſtitia eſt ad alterum*, vt fuit deductum ex Ariſt. at creatura eſt quid Dei; eſt namque ens per participationem, dependens in fieri, eſſe, conſeruari, & operari ab ipſo Deo: eſt veſtigium, & Imago Dei: ſicut namque aiebat Ariſtot. *ſeruus non eſt aliud à Domino, cum ſit inſtrumentum eius: & filius non ſit aliud à Patre, cum ſit quaſi pars eius, deciſa è lumbis eis*, ac propterea inquiebat nec *ſeruum Domino, nec filium Patri poſſe æquiualens reddere*; multo magis homo erit quid Dei, habet enim eſſe, & conſeruari à Deo, multo perfectius & multo amplius, quam filius à Patre; quòd namque fęcundi, Parentes fuerint; quodue prodiderint partum in lucem, quòd educauerint, quòd neceſſaria alimẽta, & huius generis præſtiterint, id non ſine ſpeciali contigit prouidentia Dei; ſic enim pia illa Mater ſtrenuis filijs illis ſuis aiebat, *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis; neque enim ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compoſui: ſed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, qui omnium inuenit originem, &c.* 2. Machab. 7. eſt quoque creatura inſtrumentum Dei, vt de Aſſur, Iſa. 10. *Aſſur virga furoris mei*. Eſt ſubiecta Deo, veluti famulus Domino: eſtque filius Dei per gratiã, *filij excelſi omnes*. Pſal. 81. quapropter cùm ex Phil. nec ſeruus, nec filius poſſint æquale, ex iuſtitia, reddere Patri, & Domino, par ratio curret, immo maior, vt minus ex iuſtitia reddere poſſit

poſſit creatura, quæ eſt ſerua, filia, & opus manus Domini. ex his iuſtitiæ conditionib. elicitur vt non ſit vera iuſtitia in Deo.

Obiectio. 8 Dices, hinc ſolummodo ſequi, operi meritorio creaturæ non deberi ex iuſtitia mercedem, ea ſolum ratione, qua opus procedit à ſolo libero arbitrio, non autem prout procedit à libero arbitrio vna ſimul cum gratia; quia vt ſic, debetur ei merces ex iuſtitia.

Occurritur 9 Verum euaſio hæc retunditur, ſiquidem loquuntur Patres etiam de operib. prout procedunt à gratia. Inter cæteros autem D. Fulg. l. 1. ad Monim. ita ait, *Gratia autem, etiam ipſa glorificatio, ideo non iniuſtè dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus dona ſua reddit, ſed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter, atque ineffabiliter omne meritum quamuis bonæ, & ex Deo datæ humanæ voluntatis, atque operationis excedat:* ecce quomodo loquitur de exuperantia gratiæ, ſiuè de incomparatione, & inadæquatione præmij ad opera noſtra, etiam quatenus ſunt dona Dei, ſiuè procedentia ex gratia Dei. Apertius id docet Auguſt. qui tr. 3. in Ioan. ſic ſcribit. *ò homo ſi accepturus es vitam æternam, iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt: cui gratia eſt ipſa iuſtitia, tibi enim tanquam debita redderetur. ſi ex te tibi eſſet iuſtitia, cui debetur,* en Auguſt. loquitur de opere, vt meritorio, & prout contradiſtinguitur ab opere naturali, cui, inquit, deberetur ex iuſtitia, ſi tale eſſet; at quia meritum non eſt ex natura, ſed ex gratia, ideo, ſubdit, quod *debetur non ex iuſtitia, ſed ex gratia*. Ponderanda etiam ſunt verba illa, *cui gratia eſt ipſa iuſtitia*, nempè iuſtitia, ex qua dicitur Deus remunerare iuſtos, eſt iuſtitia gratuita, fundata ſuper gratia, non iuſtitia ex debito, abſolutè, ſed ex promiſſione, & gratia. Accedit Bern. l. de gr. & lib. arb. qui loquens de Paulo inquit, *Dei promiſſum appellat ſuum depoſitum: promiſſum quidem ex miſericordia, ſed iam ex iuſtitia perſoluendum.* Comprobatur quoq; ratione, quis namq; dubitat gloriam nõ deberi operib. naturæ? nonniſi Pelagius id diceret: at Patres explicantes vim gratiæ communiter docent cùm Paulo, Rom. 8. *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* attribuentes præmia vitæ æternæ etiam ex gratia operib. ipſis factis in ipſa gratia, quia eorum meritum fundatur in gratia: vnde interuenit vna cùm iuſtitia, ipſamet gratia.

Gloriæ retributio, tũ ex iuſtitia, tum ex gratia.

10 Confirmatur amplius ex doctrina Scoti, qui in 1. d. 17. q. 1. docet opus factum in gratia nõ propter hoc eſſe dignum vita æterna, niſi diuina accedat acceptatio, & ordinatio operis ad vitam æternam: niſi diuina accedat promiſſio acceptandi opus meritoriũ, vt glorificabile, & ordinabile ad vitam æternam. Secluſo igitur titulo promiſſionis nõ erit ſufficiens ad vitam æternam, vt patet ex illo Iacobi *quam repromiſit Dominus, &c.* & Trident. ſeſſ. 6. c. 16. vbi dicitur, *benè operantib. vſque in finem, & in Deo ſperantib. proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa,* vbi duo notantur, tum opera quatenus procedunt à gratia, ait enim, *bene operantib. vſque in finem,* tum promiſſio vitę æternæ: Ex quo fit, vt ad opus in gratia, accedere habeat acceptatio ipſa, quæ idem eſt, ac promiſſio, (vt dubitationem ſedemus Valentiæ) vitæ æternæ per Chriſtum. Et hinc deducimus, ſicut deducit etiam ipſe Valentia contra Caetanum, ex Scoto cit. loc. quod ſi per potentiam abſolutã non remuneraret Deus opera meritoria iuſtorum, negata promiſſione remunerandi, nõ vtique eſſet iniuſtus, ſecluſa namque promiſſione, nõ ſunt condignæ paſſiones huius temporis, etiam perpeſſæ in gratia, ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt amplius ibi probat Valent. t. 1. d. 8. q. 1. p. 4. ait enim Bern. *neque. n. ſunt talia hominum merita, vt Deus iniuriam faceret, niſi vitam æternam donaret* ſer. 1. de Annunc.

Vt opus ſit dignum, requiritur etiã acceptatio diuina.

Si Deus nõ premiaret, nec eſſet iniuſtus.

11 Comprobatur amplius principale intentum ex D. Anſel. qui Proſolog. c. 10. ait, *Iuſtus es, quia non reddis debitũ, ſed quia facis quod decet te ſummum bonum.* hinc Scot. iuſtitiam ſumit pro decentia, ſeu quadam condecentia, qua decet clementiam Dei præmia-

miare opera noſtra: facit enim quod ſuam decet pietatem, fidelitatem, clementiam; ex qua Anſelmi loquutione ſolui poſſunt omnia Aduerſariorum argumenta, ſumpta iuſtitia pro *decentia*. Item cap. 11. ſubdit, *illud ſolùm eſt iuſtum, quod vis, non iuſtum, quod non vis*: ideſt, illud opus ex iuſtitia meretur præmium, quod tu vis, vt ſit dignũ præmio, quod acceptas, & cui promittis præmium, aliàs non erit ex iuſtitia debitum ſibi præmium, Auguſt. lib. 1. Confeſſ. 4. *Reddis debita, nulli debens.* & ſerm. 16. de verb. Apoſt. *Debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi, & aliter dicimus, debes mihi, quia promiſiſti mihi*: vbi concludit, ideo dare Deum, quia promiſit, non quia aliquid à nobis prius accepit, *quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* De Apoſtolo inſuper loquens in pſalm. 83. inquit, ait Apoſtol. 1. Timot. 1. *miſericordiam à Deo conſecutus ſum, vt ſim fidelis*: & 1. Cor. 15. *gratia Dei ſum id, quod ſum*: poſtea vero 2. Timot. 4. *in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*: *Ecce videmus*, ait Aug. *quia tenet Deum debitorem Paulus: conſecutus eſt miſericordiam, exigit veritatem*. i. iuſtitiam: *reddet*, inquit, *mihi Dominus in illa die quid tibi reddet, niſi quod tibi debet? vnde tibi debet? quid ei dediſti? quis prior dedit ei, & retribuetur illi? debitorem Dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo: non ei dicitur, redde, quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti.* adeo apertè loquuntur hi Patres, vt meritò inde habeatur tota deciſio quæſtionis.

Iuſtitia ſumitur pro decentia diuinæ bonitatis.

Iuſtitia fũdata ſuper ſuper promiſſione, et pacto.

12 Hinc plura elicimus, immo potius iam elicita confirmamus: Primum, quòd ſi Deus merita non remuneraret, nulli iniuriam faceret, nec cõtra iuſtitiam, quæ erat doctrina Scoti, quem Valentia ibi explicat. probatur apertè ex Bern. ſerm. 1. de Annunt. *neque talia*, inquit, *ſunt hominis merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquã faceret, niſi eã donaret*. ſecundò, elicimus præmium non deberi ex iure ſtrictè, & rigoroſè ſumpto, ita clarè loquitur Bern. dicẽs, *neq; talia ſunt hominũ merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure*. tertiò, elicimus, deberi Deo alijs plurib. titulis obſequia hominum, quòd ſi ea remunerat, ex gratuita promiſſione remunerat: hinc Auguſt. ſer. 3. de Verb. Dom. *ò magna benignitas Dei, cui cùm pro conditione reddere debeamus obſequia, vt Serui Domino; Famuli Deo; Subiecti Potenti; Mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia promittit*. Tandẽ elicimus nõ ex debito præmia nobis deberi, ſed ex miſericordia, promiſsione, & munificentia Dei, ſic Baſyl. in pſalm. 114. *manet ſempiterna requies, illos, qui in hac vita legitimè certauerint, non ſecundùm debitum operũ, ſed ſecundum debitum Dei munificentiſſimi*. Bern. ſer. 61. in Cant. *meritum meũ miſeratio Domini*. Gregor. 9. mor. 14. *ſi opus virtutis exercuerò, ad vitam, non ex meritis, ſed ex venia conualeſco.* & vt ſingula concludamus, non nos Deum nobis fecimus debitorem, ſed ipſe ſemetipſum *ex pacto* fecit debitorem, ita Auguſt. ad pſalm. cit. *debitorem Dominus ipſe ſe fecit*. debitum verò id inſurgit ex ſua promiſſione, ex Auguſt. cit. *Debitor nobis factus eſt Deus non aliquid accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo.* Ex his autem verbis, dum ait, *non aliquid accipiendo*, non negat opera noſtra, quoniam ea neceſſaria ſunt ad coronam ex Paulo; ſed eatenus id dicit, quatenus Deus non fit diues ex eleemoſynis noſtris: non ſatur ex pane, cibo, & potu noſtro: non frigus expellit ex indumentis noſtris, *nõ enim bonorum noſtrorum indiges*, inquit Pſalm. 15. & alibi, *numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? meæ enim ſunt feræ ſyluarum; Iumenta in montibus; & Boues*: Vel penes Iob 22. *quid prodeſt Deo ſi Iuſtus fueris, aut quid ei confert ſi fuerit immaculata via tua?* & 35. *ſi iuſtus fueris quid donabis ei, aut quid accipiet de manu tua?* Concluditur igitur non eſſe rigoroſam iuſtitiam, ſed ſimilitudinem quandam, ſiue ſecundùm quid, ſiue iuſtitiam promiſſionis, & pacti, nõ Iuſtitiam abſolutè, & ſimpliciter, itaut teneatur ex iuſtitiæ lege ipſe Deus.

Deus debitor ex pacto, & promiſſione.

Iuſtitia qualis in Deo in prę miando.

13 Cum hoc tamen ſecundo dicimus, quòd iam de facto exercet munus iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtribu- ti-

Iuſtitia vtraque in Deo, tùm commutatiua, tũ diſtributiua.

tiuæ ad creaturas ipſe Deus : & hoc eſt, quod Scripturæ, Concilia, & Patres tantopere docent, reddendo ſingula ſingulis iuxta menſuram meriti, & delicti. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata* Matt. 19. *ecce cõmutatiua*; cõmutatur enim vita æterna pro obſeruatis mandatis. *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt* Ioan. 14. *ecce diſtributiua*, pro differentia enim meritorũ datur retributio manſionum, ſeu graduum gloriæ, & beatificæ viſionis. ſicut Deut. 25. *ſecundùm menſuram delicti erit, & plagarum modus*: quemadmodum & Apoc. 18. *quantum ſe glorificauit, & in delictis fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus*: quæ indicant iuſtitiam diſtributiuam. Ratio vtriuſque, quia Deus nullum malum relinquit impunitum, nullum bonum irremuneratum. Item, quia decet optimũ legislatorem præmiare bonos, & punire malos: præmia decernere iuſtis, & flagitia improbis, Deus autem eſt optimus legislator.

Deus ſibi ſoli ex vera, et rigoroſa iuſtitia, eſt debitor amãdo &c.

14 Dicimus vltimo, Deum ſoli ſibi debere ex rigoroſa *iuſtitia*: & ex vero iure. eſt Scoti vbi ſupra. Ratio, quia Deo debetur ſuper omnia amor: at Dei ipſius voluntas nulli debet amorem, niſi ſoli Deo, ergo ex vera iuſtitia Deus debet ſibi ſoli. Item in ſolo Deo reperitur antecedenter ad diuinam voluntatem, propoſitio hæc, *Deus eſt infinito amore, ex iuſtitia amãdus*: indeq; diuina voluntas confirmãdo ſe principio iſti practico, Deum ex iuſtitia infinitè amat. cæterum ante decretum talis voluntatis, non eſt in Deo principium hoc practicum, *Creatura eſt à voluntate Dei amanda*, etenim neceſſario eam diligeret, quæ nãque decretum antecedunt, neceſſaria ſunt, ſed reperitur poſt, ideoq; prius voluntas gratis determinat amare creaturam, & inde eam diligit, idque voluntariè, & gratuito, poſſet enim illam non amare: diuinam verò eſſentiam neceſſario amat, quia ex iuſtitia amat, & non poteſt non amare.

ARTIC. IV.

Reſpondetur argumentis in oppoſitum.

Iuſtiti[a] mitur fidelita[te]

1 PRo vniuerſorum, in contrariũ, ſolutione adhibenda eſt, quæ intelligentiæ Patrum, & Scripturarũ deſeruire poteſt, doctrina, Vt pro iuſtitia, ſiue à Patribus, ſiue à Scripturis prædicata, intelligatur *fidelitas* ipſius Dei; eſt enim fidelitas ſpecies iuſtitiæ: Et ita dicimus, ex fidelitate teneri, vt loquebatur Apoſt, fidelitas autẽ iſta fundatur ſuper promiſſis, quia tamen promiſit Iuſtis præmia, & Reprobis ſupplicia, inde eſt, vt fideliter agens, ſtare procuret promiſſis; nõ.n. Deus vel promiſſa negat, vt agere ſolent homines, vel promiſſa non ſeruat, ſed *fidelis eſt Deus*, inquit Paul. *et ipſum negare non poteſt*. pro Iuſtitia ergo ſumũt Scripturæ, & Patres *fidelitatem*, quæ ſpecies quædam eſt iuſtitiæ, oſtendentes fidelem eſſe Deum, ſi nos fideles itidem ſumus, vt præmia reddat, & gloriam. Item ſiſtendo in vi termini, ac nominis iuſtitiæ, dicendum iuſtitiam ſumi non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; quatenus ſeruat modum quendã iuſtitiæ, vtpotè reddendo ſingula ſingulis iuxta opera propria; cæterum deſunt conditiones plures ad rigoroſam iuſtitiam, Vel adeſt iuſtitia non ex natura rei, determinans, ſiue cogens Deum ad reddendam mercedem, & ſupplicia, ſed iuſtitia ſuppoſitionis, & pacti; ſuppoſito namque pacto ſiue obſeruationis, ſiue relaxationis legis fiendæ à Iuſtis, & Improbis, ſequitur inde, vt neceſſario ſeruet iuſtitiam Deus, neceſſitate tamen non abſoluta, & ſimpliciter, ſed ſuppoſitionis, & pacti. ſiue denique de iuſtitia loquuntur non ſtrictè ſumpta, ſed laxato nomine ipſius iuſtitię, largè, & impropriè ſumpta iuſtitia: Vel de iuſtitia loquũtur diſtributiua; nam cum vtramque exerceat, dicitur quadam maiori conſequentia exercere iſtam; quandoquidem ad commutatiuam nullatènus tenetur, at data commutatiua, ampliori nexu ſequitur diſtributiua; ſiquidem ſup-

Iuſtitia ſimplicit[er] ſumpta, e[t] ſecundùm quid.

Iuſtitia ſuppoſitionis, promiſſionis, & pacti.

ſuppoſito, quòd velit præmia Iuſtis, & Reprobis decernere ſupplicia, vtique id proportione Geometrica aget, attendo ſingulorum merita, ac demerita, vt eo magis præmiet, vel puniat, quo maius repererit meritum, aut demeritum. His medijs interpretandæ veniunt Scripturæ, & Patres; quapropter ſigillatim ad eas deſcendere non non eſt opus, dum ex his traditis ſic, facillimè, & abundè habeatur ſenſus Scripturarum, & Patrum. quæ etiam deſeruient omnibus, & ſingulis rationibus, & argumentis aliũde deductis. Sumitur etiam iuſtitia prout eſt decẽtia, inquit Scot. vt ſup. & ſecundũ hãc ſummam docet Dei bonitatem vt præmiet, immo nedum præmiet, ſed abundantius, & vltra condignum retribuat.

Iuſtitia declaratur ex Aug.

2 Ad illud verò Pauli, quod coronam expectet à Iudice, & iuſto Iudice, & coronam iuſtitiæ, reſpondetur vt ſup. iuſtitiã illã eſſe ex ſuppoſitione, & promiſſione, non ex natura rei, ſed ex fidelitate Dei, qui promiſit. ita Augu. qui ſuper pſal. 83. aduertit Apoſtolum 1. Timot. 1. dixiſſe, *miſericordiã à Domino conſecutus ſum, vt ſim fidelis*: & 1. Cor. 15. *gratia Dei ſum id, quod ſum*: poſtea verò 2. Timot. 4. addidiſſe, *in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*: ait inde Auguſt. *Ecce videmus quia tenet Deum debitorem Paulus: conſecutus eſt miſericordiam, exigit veritatem, ideſt iuſtitiam, reddet*, inquit, *mihi Dominus in illa die: quid tibi reddet; niſi quod tibi debet? vnde tibi debet? quid ei dediſti? quis prior dedit illi, & retribuetur ei? debitorem Dominus ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo: non ei dicitur redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti.* ecce doctrina tradita quomodo eſt expreſsè Auguſtini, qui nullum debitum cognoſcit in Deo abſolutè, niſi ex ſola ſua promiſſione: ac propterea cum Gloria appellatur *Merces*, *Corona, Præmium*, & huius generis, exponenda veniunt, non ex iuſtitia abſolutè, ſed ex iuſtitia fundata ſuper promiſſione: & hæc eſt iuſtitia Pauli, & talis eſt *iuſtus Iudex*, qui reddet coronã Paulo ex iuſtitia. & iuxta hæc remanent ſoluta prima tria capita argumẽtorum, vnà cum confirmatione argumenti noui.

3 Ad quartum verò, non tenetur niſi ex pacto, & promiſſo, veluti enim fidelis Adimpletor Deus, ſtat pactis, & promiſſis, at id voluntariè, nõ enim tenetur legibus cùm ſit ſupra omnem legem.

4 Ad quintum, iam negata eſt paritas, ſiquidem Contrahentes, licet ab initio ſponte id agant, vt promittendo, donando, nihilominus, inde ſtricto iure tenentur ſtare promiſsis, quia nõ ſunt ſupra legem, ſed infra legem, indeque puniuntur tranſgrediendo legem: at Deus nulli ſubditur legi, lex autem ipſius eſt ipſamet ſua voluntas, quæ pro libito operatur, vt placet: dũ ergo non tenetur ſtare legi, non ſeruat niſi ex fidelitate, & quadam decentia, legem.

5 Ad ſextum, eſt diſſimilis ratio; etenim legiſlator humanus eſt Miniſter Reipublicæ, & veluti pars eius: tenetur verò pars conſeruare totum: & Miniſter Rempublicam, aliàs aget iniuſtè: Deus non eſt pars huius mundialis machinæ, cùm ſit ſpiritus, non incluſus in genere, ſed extra genus; nec tenetur Mundum hunc conſeruare in ſuo eſſe, immo veluti ſupremus Dominus, poteſt ipſum annihilare, ſicut potuit nõ creare, quapropter ceſſat obligatio in eo hanc exercendi iuſtitiam.

6 Ad ſeptimum, poteſt Deus remittere offenſam honori ſuo illatam, loquimur autem de offenſa morali, nõ phyſica; non enim phyſicè offendi poteſt Deus; qui eſt impaſſibilis, & immortalis, vnde pſal. 90. *non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit Tabernaculo tuo*: & remittendo, nõ facit contra legem; quia lex ad extra eſt ſua voluntas: Dices, Iudex humanus agit contra iuſtitiam remittendo offenſam Alteri factam, quia tenetur Rempublicam ſeruare indemnem, ergo & Deus; Reſp. non eſſe paritatem, ille namque non eſt ſupra legem, nec eſt Dominus Reipublicæ, ſiue Ciuiũ, vt relaxare poſſit offenſas Ciuibus factas; Deus autem habet plenum dominium Reipublicæ, & Ciuium, vt ad libitum remittere poſſit offenſas ipſis Ciuibus illatas: ſicut enim eſt dominus bonorum, vitæ, ac honoris Ciuiũ,

Iudicis creati differentia, & increati.

ita relaxare poteſt iniurias bonis, vitæ, ac honori Ciuium illatas.

7 Ad octauum, ſi ſpectemus perſonam debitoris, vtique ita eſt, dum namque quis facit totum, quod poteſt, excuſatur inde, ſi in reliquo deficiat; at negari nõ poteſt, minimè ſeruari æqualitatem, dum iuſtitiæ debito non ſatisfit vndequaque: licet enim qui obligatur ad mille, ſi ſoluat tantummodo decem, quia vltra non poteſt, excuſetur à ſolutione reliqui, tamen nequaquam dici poteſt ſolutionem factam eſſe ad *pondus*, ad *æquale*, ad *debitum*, ad *rigoroſam iuſtitiam*, deſunt enim alia, & ob id non ſeruatur iuſtitia; Quod inde quoque probatur, ſiquidẽ hic tamen remanet nihilominus adſtrictus ad ſoluenda reliqua, ſi ad meliorem fortunam deueniat, ſicut & is, qui *cedit bonis* ex conceſſione Iudicis, tenetur nihilominus in foro Animæ, ex vera iuſtitia ſoluere debita cùm ad meliorem frugem peruenerit; remanet ergo ſemper inæqualitas ad iuſtitiam.

Cedens bonis ad meliorem frugem perueniens, tenetur reddere in foro Animæ.

8 Ad nonum, iam eſt reſponſum ex illo Pauli. & ad illud de *iure*: ius, quod creatura acquirit ad gloriam, eſt ius promiſſionis, & pacti inter Deum ipſum, & creaturam, vt *ſi hæc obſeruaueris, promitto tibi vitam æternam*: funfundatur verò ſuper gratuita Dei voluntate proponente tale pactum, & acceptante gratuito ſponſionem, & obſequium: non autem eſt ius *naturale*, quod ex ſui natura de iuſtitiæ rigore habeat Creatura in gloriam. cætera ex reſponſione primi arg.

9 Ad illud de Chriſto, id in controuerſia eſt poſitum: indeque negat Scotus fuiſſe de *toto rigore iuſtitiæ*: fuiſſe quidem rigoroſam illam Chriſti Domini ſatisfactionem, diuinæq; ſatisfeciſſe iuſtitiæ, idem Scotus docet: fuiſſe verò de *toto* ſatisfactoriam *rigore iuſtitiæ* id negat, ob rationes eaſdẽ, quibus & Alijs negat ſatisfactionem ex rigoroſa iuſtitia.

Chriſti ſatisfactio an de rigore iuſtitiæ.

10 Ad vndecimum, nihil extra Deum eſt neceſſariũ ſimpliciter, adeo vt poſſit Dei voluntas, pro libito, de cunctis diſponere, & vt placet: hinc eſt vt poſſit calorẽ remouere ab igne, frigiditatem ab aqua, grauitatem à Terra, & ſic de ſingulis: patet hoc, etenim, & ſi calorem non abſtulerit à fornace Babilonis in actu primo, abſtulit tamen in actu ſecundo, non concurrẽte Deo cum eo ad comburẽdum. Dices deperirent naturæ rerum, ſi v. g. ſepararet rationabilitatem ab homine, implicat namque eſſe hominem, & nõ rationalẽ: vtique ita eſt, nihilominus, neceſſitas, quæ inde ſequitur, non eſt neceſſitas *ſimpliciter*, inquit Scot. quia nihil eſt ſimpliciter neceſſe eſſe, pręter Deum; ſed *ſuppoſitionis*, quæ cõſequitur ipſam Naturã rei; quia, dato, quod velit Deus condere hominem, vtique condet eum cum ſua rationabilitate: dato quod velit creare ignem, terram, creabit vtique cum ſua caliditate, leuitate, grauitate, & huiuſmodi, & ſic de ſingulis: cæterum ſicut nec homo, nec ignis, nec vlla creatura eſt neceſſe eſſe ſimpliciter, ſic nec ea, quæ naturaliter conſequuntur naturam, ſunt neceſſe ex iuſtitia ſimpliciter, ſed ſunt debita naturæ ex iuſtitia ſuppoſitionis, Scot. 4. d. 46. litt. G. vide eundem in 1. d. 8. q. 4.

Nil extra Deum, eſt neceſſe ſimpliciter.

Vtrum cõſequentia Naturam Deus de neceſſitate prouideat.

DIS-

DISPVTATIO XIX.

De Miſericordia Dei.

QVÆSTIO I.

Vtrum in Deo ſit verè, & formaliter Miſericordia An diſtincta à Iuſtitia: An prior, & nobilior ea.

Sententia Alberti, & pluriũ negantium.

1 ALbertus 1.p.q.80. mem.2. negat miſericordiam propriè ſumptam, reperiri in Deo. Salmeron quoq; tom.13. in Epiſt. Paul.lib.1.par.2. diſp.4. metaphoricè miſericordiã attribuit Deo. idem adſtipulatur Nazarius ad 1.p.q.2. art.2. Ratio, quia includit imperfectionem repugnãtem infinitæ perfectioni Dei: nititurq; id confirmare ex D.Tho.

Rationib. arguitur.

2 Poteſt vero ſic aliunde probari: primò, ait Damaſc. *Miſericordia eſt cõpaſſio de malo alieno*: lib.2.c.13. at in Deo nec reperitur paſſio, nec compaſſio: ergo. Item ſecundo, Miſericors eſt promptus, & paratus ad tollendam miſeriam alterius: at Deus non videtur eſſe ſic paratus, quandoquidem, cũ auferre poſſet, & impedire omne malum, & miſeriam, nihilominus, nec impedit malum omne, nec tollit omnem miſeriam. Tertio, nil ponitur formaliter in Deo, quod eſſentialiter pendet à creatura, alias Deus, vel aliqua perfectio Dei dependeret ex creaturis; at miſericordia dicit eſſentialem ordinẽ ad creaturas, quoniam ordinatur ad tollendam miſeriam creaturarum.

Miſericordiæ Ethymolog.

3 Aſſeramus autem initio Ethymologiam, & deſcriptionem Miſericordiæ, indeque decidemus quæſtionem. Et quidem circa Ethymon Miſericordiæ, Scotus in 4.d.46. q.2. & D. Tho. ait, idem eſt Miſericordia, ſeu Miſericors, ac *miſerum cor habens*; Rationem affert, quia *compatiens miſeriæ alienæ in hoc habet cor miſerum, hoc eſt, communicans in miſeria*. hoc de Ethymologia.

Miſericordiæ deſcriptiones.

4 Circa deſcriptionem, Cicero 4. Tuſcul. *Miſericordia*, inquit, *eſt ægritudo ex triſtitia alterius, iniuria laborantis.* Seneca l.1. de Clement. *Miſericordia eſt ægritudo ob alienarum miſeriarum ſpeciem*. Auguſt. 9. de Ciu. Dei. c.5. *Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua, vtique, ſi poſſumus, ſubuenire compellimur*. Ac demũ Ariſt. 2. Rhetor. c.8. *Miſericordia eſt dolor ex apparente malo corruptiuo, ac dolorem inferente in non dignum, pati, &c.* hæ ſunt deſcriptiones Miſericordiæ.

Miſericordiæ acceptio duplex.

5 His ſuppoſitis, miſericordia dupliciter ſumenda eſt, vel quantum ad materiale, vel quantum ad formale: Primum dicit voluntatem nolentem miſeriam alterius, & actum volũtatis, quo voluntas vult alterius miſeriam auferre, ſiuè in partem, ſiuè in totum; ſiuè præſentem, ſiuè præſeruando in futurum. Secundùm dicit paſſionem ſubſequentem ad talem voluntatem; etenim dum voluntas non vult, vtique ſi id euenit, vel euenire poterit, triſtabitur voluntas; quo fit, vt ad talem no-

litio.

litionem ſequatur triſtitia in voluntate:dolor in corde : mæror in viſu:paſſiones plurimæ in ſenſibus.Ratio,quia teſte Auguſt.14.de Ciu.Dei.c.15.*triſtitia eſt de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt.* Vnde in Miſericordia duo ſunt, alterum dicens perfectionem, & alterum connotans imperfectionem : Primum dicit perfectionem, ſubuenire namque indigenti, & à miſeria liberare,opus eſt perfectionis:ſecundum,indicat imperfectionem,vtpotè ſubiacere paſſionibus triſtitiæ,mæroris,doloris,diſplicentiæ,&c.

Miſericordia verè in Deo.

6 Ex hinc primò dicimus, verè Miſericordia eſt in Deo.ita ex Pſalmo 102.habetur,de Deo, *Patiens,& multum miſericos.*Idipſum docent communiter Theologi, Scot.in 4.d.46.q.1.2.3.D.Tho.1.p.q.21.art.3.& Expoſitores eorundem ad citata loca. ibiq; D. Bonau. & Alex. 1.p.q.39. mem.1. Albert. vbi ſup. Dur.Richar. Carthuſ.ad citata loca Quarti ſent.

Miſericordia in Deo quoad materiale,non quoad formale.explicatur.

7 Dicimus ſecundò,Miſericordiã in Deo reperiri, dêptis tamen imperfectionibus:vnde reperitur in eo,quoad materiale, quod eſt voluntas ſubleuandi aliquẽ à miſeria: at hoc eſt opus perfectionis, quia eſt opus charitatis, & communicatio bonitatis, *Deus autem charitas eſt,*inquit, Ioannes : & ita loquitur Pſalmus, *Multum miſericors,* cæterum ſpectando paſſionem, & triſtitiam, quæ inde in creaturis ſubſequi ſolet,non reperitur vt ſic,miſericordia in Deo. ita Scot.Bonau.Alenſ.Albertus,cæterique:atque hoc ſenſu reconciliantur ſentẽtiæ oppoſitæ: Qui namque negant miſericordiam, loquuntur in ſenſu explicato: at conueniunt omnes de cætero, demendo imperfectiones: Et ad ſecundum ſenſum aſpicientes aduerſæ ſententiæ Doctores, dicere ſolent,reperiri impropriè, & metaphoricè, non propriè in Deo miſericordiam. Et ſuadet principale intentũ ratio, Miſericordia eſt perfectio ſimpliciter,ergo reperitur in Deo. Antecedens eſt iam declaratum, vt reponatur in Deo, ſemotis tamen imperfectionibus : vt ſic autem, eſt perfectio ſimpliciter, ergo erit in Deo.

8 Eſt & alter modus explicandi, vt miſericordia collocetur in Deo : is autem eſt, vt dicamus Miſericordiam eſſe in Deo ſecundùm *effectum,*non ſecundum *affectum.* Explicatio eſt eadẽ cùm præcedenti; quoniam *affectus* indicat animi paſſionem: & hæc non cadit in Deum: *Effectus* indicat voluntatem ſubleuandi hominem à miſeria, & hoc eſt in Deo. Doctrina hæc fuit antiquitus Anſelmi; ipſe namq; in Proſol.c.8.loquendo ad Deum, inquit, *Cũ reſpicis nos miſeros, nos ſentimus miſericordiæ effectum,tu non ſentis affectum.* reddenſquè rationem,ſubdit,*quia nulla miſeria compaſſione afficeris.* & c.11. *Miſericors es,non quia tu ſentias affectũ, ſed quia nos ſentimus effectum.* Ex Anſelmo vero ſumpſere inde Theologi cæteri loquendi modum, vt dicerent, eſſe in Deo miſericordiam, ſecundum *effectum,*non ſecundum *affectum*, ſicq; inter cæteros loquitur D. Tho. art.1. denique Scotus ſubdit Miſericordiam reperiri in Deo quoad effectũ remotum,non proximum:primus eſt voluntas ſubleuandi à miſeria : ſecundus eſt triſtitiæ paſſio ſequens.

Quoa fectum quoad ctum.

Quoad ctum ren tũ,non p ximum.

Miſerico dia an id ac charit

9 Quæri poſſet,vtrum Miſericordia ſit idem, ac Charitas : probabile exiſtimat Lorca 2.2.ſect.3.diſp.33.nu.11.Verum D.Tho.2.2. q.30.ad 3.art.4. de Miſericordia agit, tanquam de virtute ſpeciali.& q.28. & 32. artic.1. ait, Miſericordiam eſſe effectum Charitatis. Ego diſtingui aliqualiter putarem: probo, etenim Deo nos vnimur per Charitatem *formaliter,* non autem *formaliter* per miſericordiam; etenim virtus coniũgens nos Deo eſt Charitas, vt loquitur Ioannes, *Qui manet in Charitate in Deo manet:*at nõ vnimur formaliter per Miſericordiã: Dixi *formaliter*, quia dum actus miſericordiæ exercemus, dicimur quidem vniri Deo per miſeticordiã, *meritoriè,* quia meremur per eam aliquid: at verò principium formale vniẽs nos,præcedentibus operibus miſericordiæ,eſt forma Charitatis.Item,& hoc eſt validius, non dicimur habere miſericordiam erga Deum,nulla enim cadit miſeria in Deum, à qua ſit ſubleuandus Deus : dicimur verò habere amorem erga Deum:igitur Amor, & Charitas diſtinguũtur à miſericordia. Demum, latius patet Charitas,quàm miſericordia,

dia, ſiquidem hæc ad miſeriam aſpicit proximè ſubleuandam, illa, etſi nullam in proximo reperiat miſeriam, poterit tamen munus ſuum exercere, vtpotè, circa diuitem, & quam maximè locupletem, habere poſſum charitatem, cõplacendo mihi in eo, quòd ſuis ipſe fruatur theſauris: Complaceo quoq; in Viro ſancto de ſua ſanctitate, vtpote ab omni culpa immuni: deniq; cõplaceo in Beatis ipſis perfruentibus gloria Patriæ, circa hos autem, amoris, & charitatis munus exerceo, non tamen miſericordiæ, quia longe ſunt à miſerijs, igitur eſt differentia admittẽda aliqualis. quidquid vel Lorca dicat, vel Smyſingus tom. 1. tract. 3. diſp. 4. q. 6. num. 93.

Miſericordia an diſtincta à iuſtitia.

10 Dubitat Scotus q. 3. an Miſericordia, & Iuſtitia ad inuicem diſtinguantur. & reſpondet, Iuſtitiam dupliciter ſumi, primo, quatenus eſt condecentia diuinæ bonitàtis, & quatenus id iuſtum vocatur, quòd diuinam decet bonitatem: & vt ſic, ait non diſtingui à miſericordia, immo miſericordiã eſſe partem quandam iuſtitiæ; Ratio, quia decens eſt, Deum creaturis miſereri. ſecũdò ſumitur obiectiuè, quatenus miſericordia habet pro obiecto, creaturæ miſeriam ſubleuandam, & Iuſtitia habet pro obiecto, ipſum Deum, prout à ſua diuina voluntate iuſtè, & ſummè amandum: & vt ſic diſtinguuntur, ait Scot. Erit autem diſtinctio, vel rationis, vel formalis, iuxta placita Scotiſtarum, & Thomiſtarum. Item Iuſtitia ſumitur prout ſeruat modum aliquem æqualitatis Geometricæ, vtputa inter merita, ſeu demerita & punitionem, ac præmia: Miſericordia verò non reſpicit ad talem æqualitatem, quia tota pendet à charitate Dei ſubleuatio miſeriæ creaturæ, & vt ſic, vtiq; etiam diſtinguuntur.

Miſericordia an prior iuſtitia.

11 Dubitat inſuper Scotus, vtrũ Iuſtitia ſit prior miſericordia, & reſpondet ibid. quòd ſumendo iuſtitiam, & miſericordiam obiectiuè, illa eſt prior iſta; ratio, quia obiectum illius, ſumptę pro condecentia diuinæ bonitatis, eſt Deus, quia eſt ſummè bonus, ſummèq; amabilis: obiectum autem iſtius eſt creatura: Prior eſt autem ipſe Deus creatura: cæterum ſpectando iuſtitiã, & miſericordiam inter ſe, talis inter ipſas erit ordo, qualem poſtulant, qualemq; reperimus inter diuinas perfectiones inter ſe. Item aliũde poteſt reſponderi, quod ſumpta iuſtitia priori modo anterius recenſito, quatenus eſt condecentia diuinæ bonitatis, prior eſt iuſtitia, inde miſericordia, quoniã ideo miſeretur Deus, quia miſereri decet ſuam bonitatem, ſicque miſericordia erit pars quædam iuſtitiæ, & hinc Anſel. Proſolog. c. 11. inquit, *ſic ergo naſcitur de iuſtitia tua miſericordia tua, quia iuſtum eſt, te ſic eſſe bonum, vt parendo ſis bonus*. Vide Scot. ſup. & Richar. ibid. art. 2. q. 2. atque Alexandrum par. 1. quæſt. 39. m. 2. Apertius verò rem declarat idem Anſel. cap. 9. inquiens, *ſi miſericors es, quia ſummè bonus, & ſummè bonus non es, niſi quia es ſũmè iuſtus: verè miſericors, quia es ſummè iuſtus*. Inſuper reſpondetur, quod accipiendo iuſtitiam pro commutatiua, ſiuè diſtributiua, vtpotè largiendo Iuſtis præmia, & Iniuſtis ſupplicia; dicendum, eſſe priorem miſericordiã: Ratio, quia quod Deus miſericordiam præſtet, hoc prouenit ex natura Dei, nullo præcedente merito in Peccatore, vnde moueri habeat Deus ad miſerendum; à ſe namque, & miſericorditer id facit: quod verò Peccatorẽ puniat, præcedit ex parte creaturæ culpa, quæ Deum prouocat ad puniendum, igitur prior, vt ſic, erit miſericordia ad iuſtitiam. Patet hoc etiã in iuſtitia præmiatiua, quandoquidem præmia elargitur Deus, at præcedentibus meritis, Nam *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*. Rom. 16. igitur Iuſtitia, quoquomodo ſumpta, ſemper poſterior eſt ad merita, ſiuè demerita: At miſericordia, etiam in ipſa iuſtitia præmiatiua præcedit iuſtitiam; ratio, quoniam, quod Iuſtus opera exerceat meritoria, quibus lucretur gloriam, id primario pendet à miſericordia *Dei*, qui eſt primus in excitando peccatorẽ ad pænitentiam, proptereaque gratia hæc ſibi primitus immiſſa, vocatur *præueniens*, quia ipſe *Deus* eſt, qui præuenit peccatorem, & ipſe incipit; etenim *Non vos me elegiſtis, ſed Ego elegi vos*. Io. 16. Et quod inſuper peccator

iam

iam excitatus,& præuentus,benè operetur,& mereatur, id cùm eiuſdẽ Dei gratia exequitur, nam *ſine me nihil poteſtis facere*. Io.21. quo fit,vt ad Iuſtitiam,qua,tandem mortis tempore,coronam confert gloriæ, dicatur anteire ipſa miſericordia: ſic Gregor. in pſal. 14.vbi ponderans verba illa, *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam*. loquendo de retributione gloriæ,inquit, *Pro illis operibus datur, quæ ſine præuẽtu miſericordiæ Dei nemo aſſequitur*. & Confirmatur ex dictis diſput. præced. q.4.art.2. & per totam.

Miſericordia an perfectior iuſtitia.

12 Demum poſtulatur, vtrum Miſericordia ſit perfectior Iuſtitia, an vice verſa.Reſpondetur,ſpectando vtrãque perfectionem formaliter, non reperiri inter ipſas exceſſum vnius ſupra aliam,dum ambæ ſint infinitæ formaliter,& perfectiones ſimpliciter: Verum non adhunc ſenſum mouetur dubium. Igitur aliunde eſt reſpondendum, Miſericordiam eſſe perfectiorem Iuſtitia: probatur,Iuſtitiam punitiuam exercet Deus, at motus antecedenter ex demeritis creaturæ: Miſericordiam vero operatur Deus,non quidem præcedẽte aliquo merito peccatoris, cùm potius præcedant demerita, ſed miſericordiam operatur ex ſe,& à ſe, ſiuè ex ſui intrinſeco,ac proprio; proptereaque canit Eccleſia, *Deus,cui proprium eſt miſereri ſemper,& parcere*. vnde ad iuſtitiam trahitur veluti ab extrinſeco, ad miſericordiam ab intrinſeco:ad iuſtitiam, tanquam ab extraneo, à miſericordia vero,tanquam à ſibi proprio, *cui proprium eſt miſereri*. Quod ſi de iuſtitia quoque loquamur Iuſtorum præmiatiua,iam diximus, primum initium bonorum operum pręmiandorũ, incipere à diuina miſericordia.Confirmatur ex Iacob.2.*Superexaltat miſericordia iudicium*. Senſus autem horum verborum explicabitur amplius quęſt. ſequ. Ita Richar. in 4.d.46. art.2.q.2. D.Tho.4.46.q.2.art.2.Suar.1.lib.3.de Attrib.c.7.Carthuſian.4.46.q.3.

13 Ad argumenta, Ad primum reſpondet D.Tho. 1.p. q.21.art.3. ad primum, loqui Damaſcenum de miſericordia quantum ad paſſionis affectũ. ſeu ex dictis,eſſe eam in Deo quãtum ad *effectum*, non quoad *affectum*. Reſpondet Scot.eſſe in Dèo quantum ad effectum remotum, qui eſt paſſio,non quoad effectum proximũ,qui eſt nolle miſeriam.Dices,ex præſentatione miſeriæ conſurgit neceſſario in vidente paſſio triſtitiæ, ergo non poteſt remoueri ſub ratione paſſionis à Deo: Reſpond. primo, inſurgit in ſubiecto capaci, cuiuſmodi tamen non eſt Deus. ſecundo inſurgit in ſubiecto non valẽte impedire paſſionem,at Deus impedit. tertio, inſurgit ibi, vbi non inuenit contrarium, in Deo eſt ſummum gaudium,ac proinde non inſurgit paſſio triſtitiæ,cui gaudium, & beatitudo eſt contraria.

Miſe[ricor]dia p[arcens] quare tollit [...] pęnam

14 Ad ſecundum reſpondet Scot. miſericordiam reperiri in Deo,ſed cũ dictamine rectæ rationis: recta autem ratio dictat, vt ſimul cum miſericordia ſtet etiam & iuſtitia: & hinc eſt, vt non de toto parcat Deus,relinquit.n. locum iuſtitiæ:& hoc verum eſt de miſericordia *parcente*, non *liberante*; ſic namque miſeretur, vt parcat, nempe ex parte tollendo miſeriam, non autẽ de toto, hoc namque eſſet munus miſericordiæ liberãtis. Et totum currit de facto, & de potentia ordinata; nam de potentia abſoluta, vti poſſet miſericordia liberante, auferendo pęnam de toto. Dices, miſericordia eſt contraria iuſtitiæ. Reſponſionem quære quæſt.ſequenti.

Non mi[ſe]ricordia [...] creaturis, ſed creat[u]ræ pende[nt] ex miſer[i]cordia De[i]

15 Ad tertium, miſericordia non dependet à creaturis, ratio, quoniam eſt perfectio ſimpliciter: quemadmodum de Omnipotentia, & Scientia Dei diximus in propr.diſput.Item nõ miſericordia pendet ex creaturis, ſed creaturarum miſeria pendet à miſericordia Dei, expectans relaxationem, & condonationem ipſius miſeriæ: ſicut ſcibile creatum pendet à ſcientia Dei,& ordinatur ad illam, non autem Dei ſcientia pendet à ſcibili creaturarum, cùm non moueatur Deus ab obiecto creato: huiuſmodi ſe habent relatiua non mutua, vt ex parte creaturæ ſit relatio realis,ex parte Dei,rationis:& hęc pertinent ad tertium genus Relatiuorum.

QVÆSTIO II.

Vtrum in omnibus operibus Dei interueniat ſimul Miſericordia, & Iuſtitia.

Miſericordia ſimul, & Iuſtitia

1 IN omni opere Dei coniungũtur ſimul Iuſtitia, & Miſericordia. Ita Pſalm. 24. *omnes viæ Domini, miſericordia, & veritas*:& 144. *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis*:& infra, *miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Hinc Caſſiodor. in Pſal. 50. *Hæ duæ res in vijs Domini ſemper adiunctæ ſunt.* atque Aug. de Cõnſenſ. Euangeliſt. lib. 1. c. 14. *Res humanas iuſtè, & miſericorditer curat, itaut nec præcludat Iuſtitia Miſericordiam, nec impediat Miſericordia Iuſtitiam.* Conſentiunt omnes Theologi, Alexand. 1. p. q. 39. m. 3. Alber. 1. p. q. 8. m. 2. art. 4. D. Tho. 1. p. q. 21. ar. 4. & in 4. Sent. d. 46. q. 2. art. 2. Scot. in 4. d. 46. D. Bonau. ibid. cæterique ſententiarij vna cum Magiſtro ad eum locum.

Rationibus probatur à D. Tho.

2 Licet verò res ita ſit, tamen eſt aliqualis diſcrepantia inter Scotum, & D. Tho. circa probationem. Et quidem Scotus ſententiam D. Thomæ referẽs, refert ſimul & probationes eius, atque impugnat: Probatio autem prima eſt talis, Deus faciendo aliquod opus, format illud, ſecũdùm quod debet formari: in hoc autem apparet iuſtitia, quia exoluit id, quod operi debetur. Item excludit ab opere omnẽ defectum, & miſeriam, hoc autem pertinet ad miſericordiam; ergo ſimul interuenit in operibus Dei iuſtitia, & miſericordia. Aſſumptum patet de Artifice, qui opus efficit iuxta debitum ſuæ Artis: impedit verò omnem defectum ab opere, ergo dum agit conformiter ad regulam ſuæ Artis, exercet opus iuſtitiæ, dum verò excludit defectũ, & miſeriam ab opere, opus exercet miſericordiæ. Inſuper, opus eo eſt perfectius, quo ad ipſum concurrunt plures virtutes: Deus eſt artifex perfectiſſimus, ergo agit ſecũdùm omnes virtutes, quæ concurrere poſſunt ad tale opus: inter cæteras verò concurrere poteſt virtus Iuſtitiæ, & Miſericordiæ, ergo.

3 Deſcendendo autem ſpecialius ad opus punitionis, ſic probatur, non punire ſecundùm totum rigorem iuſtitiæ, ſed interuenire quoque miſericordiam. Damnatus non poteſt recipere totam pœnam, qualem Deus ex iuſtitia poteſt inferre: ergo oportet vt ibi interueniat miſericordia parcens, de illa pœna: Antecedens probatur, ſicut ſe habet Agens ad Patiens, ita ſe habet actio ad paſſionem: ſed Agens Deus infligens pœnam, excedit in infinitum, ipſum Peccatorem patientem, ergo actio Dei punientis excedit in infinitum paſſionem Peccatoris patiẽtis: at infiniti, & finiti nulla eſt proportio, ergo oportet per miſericordiã aliquid relaxari de pœna. Dices non oportere, quòd ſit talis proportio inter actionem, & paſſionem, qualis eſt inter Agens, & paſſum: quo ſit, vt licet Deus excedat in infinitum creaturam, non tamen actio punitiua ſuperaret in infinitum ipſam Peccatoris paſſionem. Contra, duo inuicem inæqualia in proportione inæquali, non poſſunt comparari ad aliqua duo, niſi quatenus ſunt inæqualia in proportione: exemplum de numero ſenario,

& quaternario, qui proportionantur ad inuicem ſecundùm proportionem inæqualitatis; vnde fit, vt non poſſint comparari ad alios numeros, niſi iuxta proportionem inæqualitatis: ergo ſi Agens, & Patiens comparantur ad inuicem in proportione inęqualitatis, vt Deus, & Creatura, vtique non poterunt comparari ad actionem, & paſſionem, niſi ſub ratione, etiam inæqualitatis. Denique arguit, Agens æquiuocum non poteſt agere in paſſum, ſecundùm totam actionem ſuam: nec paſſum poteſt recipere in ſe totam actionem Agentis ęquiuoci: eſt autem Deus Agens æquiuocum, ergo Peccator non poterit recipere totam actionem punitiuam iuſtitiæ diuinæ, igitur neceſſe eſt, vt interueniat miſericordia, & temperet iuſtitiam diuinam.

An rationes prædictæ concludant penes Scotum.

4 Rationes prædictas impugnat Scotus, & ad primam, ait primo, Deũ nullum habere debitum rigoroſè ſũptum ad ſic operandum, ratio, quia eſt Artifex liberum. ſecundò, circa illud de miſeria, argumentum ſupponit, omnem defectum eſſe miſeriam, quod eſt falſum, quia miſeria propriè dicta opponitur fęlicitati, & beatitudini: quod ipſe quoque D. Tho. concedit; vnde valde extenditur ipſum nomen miſericordiæ.

5 Ad ſecundum de virtute, ait Scotus eſſe dubium, vtrum in Deo ſit verè virtus moralis (de qua tamen re egimus diſput. præcedenti q. 1. 2.) Inſuper vel iuſtitia erit idem cum volũtate diuina, vel diſtincta, ſi detur primum vtiq; ſola Dei voluntas ſufficit, cùm ipſa ſit prima regula ſui, & aliorum, vt ibidem ex præcedẽti diſp. deduximus q. 3. quo fit, vt data identitate, minimè habeatur concurſus pluriũ virtutum, vt argumentum prætendit, quod ſi tamẽ ex oppoſito diſtinguantur, nec etiam requireretur concurſus virtutum plurium, maximè iuſtitiæ rigoroſè ſumptæ, cùm talis iuſtitia neceſſitet agens ad agendum, in Deo verò non reperitur neceſſitas talis. Adde minimè eſſe verum, actum aliquem produci poſſe à pluribus virtutibus formaliter, ratio, quoniam quanta eſt diſtinctio inter virtutes, tanta erit inter actus virtutum, at virtutes diſtinguuntur ſpecificè, ſiue genericè, ergo nõ poterit idẽ actus prodire ex concurſu plurium virtutum. quia tamẽ id nõ eſt abſolutè, & vniuerſaliter negandum, ideo inſuper dicimus actum imperatũ quidem, prodire poſſe ex concurſu plurium virtutum, & ita euęnit, quoniam voluntas charitate informata imperat elicitionem v.g. actus ieiunandi, pęnitendi, confitẽdi, eleemoſynas elargiendi, & ſimilia; hæc quoad ſecundum.

Actus idẽ an à pluribus virtutib.

Inter A[...] & Paſſ[...] non requ[...] ritur ad[...] quatio, [...] proporti[...] & propo[...] tio non [...] rithmetic[...] ſed Geom[...] trica.

6 Ad illud de Agente, & Paſſo, nõ eſt opus, vt cõparatio ſe teneat vndequaq; ſed ſufficit, vt inter vtramq; ſit proportiõ: conſiſtit autem proportio in hoc, quod ſicut Agens poteſt agere, ita & paſſum poſſit recipere, quapropter inter Deum, & Creaturam non reperitur æqualitas, cùm diſtent in infinitum, licet reperiatur proportio, quæ conſiſtit in ratione Dantis, & Recipientis. Applicando autẽ ad propoſitum, dum Deus punit, inter Deũ, & Creaturam reperiri poterit proportio in ratione actionis punitiuæ. Proportio etiam hæc vocanda erit Geometrica, nõn Aritmetica; ratio ſecundi, quia *finiti ad infinitum nulla eſt proportio*, Deus eſt infinitus, Creatura autem finita: ratio primi, quoniam *ſecundùm menſuram delicti erit & plagarum modus*, itaut peccato maiori debeatur pœna maior, & minor minori.

Licet non eſſet proportio inter Agens, et Paſſum, poſſet tamen reperiri inter actionem, et paſſionẽ.

7 Et hinc eſt, vt quamuis inter Deum, & Creaturam non reperiatur æqualitas, ſiuẽ vt loquitur argumentum, proportio, nihilominus reperiri poterit inter actionem, & paſsionem punitiuam, vt quantum Deus punit, tantum peccator recipere poſsit de punitione. Exemplum autem adductum de numero ſenario, & ternario, non confirmat intentum, quoniam licet ex vna parte alter excedat alterũ, etenim ſex continent quatuor & dimidium, ſicut tria continent duo & dimidiũ, vnde licet quoad hoc, ſit inter ipſos numeros proportio ſexquialtera, nihilominus aliunde reperitur exceſſus, ſex excedunt quatuor in duob. & tria excedunt duo in vno, vnde ſtat inæqualitas. A primo autem ad vltimum, licet inter Deum, & Creaturam nõ ſit æqualitas, nihilominus ſtat pro-

por-

portio, vt ſicut Deus poteſt agere, ita & creatura poſſit recipere, quemadmodum licet ſenarius, & ternarius nõ ſeruent inter ſeipſos æqualitatem, ſeruant nihilominus proportionem, quia ſicut ſenarij ad quaternarium eſt proportio ſexquialtera, ita erit proportio ſexquialtera ternarij ad binarium: & ita remanet clarè ſolutum argumentũ, & Scoti diſcurſus, alioqui obſcurus, dilucidatus.

Actio Dei attemperata creaturis, itaut agat iuxta capacitatẽ creaturæ.

8 Dices, actio Dei eſt infinita, ergo creatura finita non poteſt eſſe capax actionis Dei infiniti; igitur reperitur exceſſus vndequaq; tum ex parte Dei, quod eſt Agens infinitum, tum etiam ex parte actionis ſuæ infinitæ. Reſpondet Scotus, quòd licet Deus, & actio Dei formaliter ſpectata, quatenus eſt volitio ipſius Dei, ſit formaliter infinita, nihilominus non eſt neceſſe, vt Deus per actionem, ſiue per voluntatem infinitam agat infinitè, ſeù modo infinito; Ratio adduci poteſt, quia non eſt deſtructor Deus, ſed conſeruator naturæ, ideoq; modus agendi non excedit vires, & conditionem creaturæ, aliàs actionem ſuam ſuſtinere non poſſet creatura. Confirmatur, quoniam Deus ad extra agit liberè, vnde fit, vt eo modo agat, & tali, ac tãto actionis gradu, quantopere ſibi libuerit, & expedierit creaturæ: Argumentum verò militaret in ſententia Ariſt. docentis Deum agere ad extra neceſſario.

Actio Agẽtis æquiuoci an poſſit terminari ab effectu æquiuoco.

9 Denique, ad illud de Agente æquiuoco, id falſum reputat Scotus, ratio quoniam ſequeretur, quòd hoc, v.g. paſſum reciperet vnam ſolummodo partem effectus æquiuoci, & partẽ alteram reciperet alterum paſſum: vel quòd pars aliqua remaneret ſine ſuo ſubiecto: & hinc ſequeretur in hoc, v.g. ſubiecto diſpoſito ad recipiendum formã Ranæ, recipi tãtũmodo medietatẽ Ranæ, & medietatẽ alterã recipi debere altero in ſubiecto diſpoſito, quoniã per te effectus æquiuocus non poteſt recipi ſecundùm ſe totũ dependẽter ab Agẽte æquiuoco operãte ſecundùm ſuã totam virtutẽ æquiuocã.

10 Vltra hæc, Scotus reſpondens ad quæſt. inquit aliunde petendum eſſe aſſertionis fundamentum, nempe ex Iac. 2. *Miſericordia ſuperexaltat iudicium*. Qui quidem locus varias habet expoſitiones. Et primo Damaſc. 2. paralle. cap. 16. Catharin. & Salmer. hic, exponunt de *miſericordia humana*, itaut, qui miſericordiam fecerit, habebit iudicium mixtum cum magna miſericordia: iuxta illud Matt. 25. *beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiã conſequentur*. Communiter autẽ exponitur de miſericordia diuina: & apud Bedam Aliqui ſic exponunt, vt dicant, eatenus *miſericordia ſuperexaltat iudicium, quatenus plures ſunt qui ſaluantur, quàm qui damnentur*. At de hoc in mat. Prædeſtinationis D. Thom. *Miſericordia ſuperexaltat &c. quia maior eſt, veluti Curia miſericordiæ, quàm Curia iuſtitiæ & ſicut licet à minori Curia appellare ad maiorem, ita à Curia iuſtitiæ ad Curiam miſericordiæ*. Cyrill. lib. 4. in l. 5. in Io. c. 14. *ſupra iudicium exaltatur miſericordia, ſicut oleũ ſuper aquã*. Mariana, *Miſericordia iudicio ſuperior eſt*. Emanuel Sà, *Miſericordia collocat hominem ſupra iudiciũ, quia facit euadere cõdemnationem*. Oecumenius, *Miſericordiæ gloriatur*, ait, *contra iudicium*, quaſi illud ſuperans, & vincẽs. Verum, non recipitur ab omnibus ly *contra*, etenim inſolentiæ initium eſt, & maioritatis, à diuinis autem lõge ſunt hæc: niſi tamen intelligantur metaphoricè &c. Aug. ep. 29 legẽdum putat, *ſuperexultat iudicium*. & ep. 89. *ſuperexultat iudicio*. & Bed. hic, *ſicut in iudicio dolebit qui non fecit miſericordiam, ita qui fecit, remuneratus exultabit, atque gaudebit*. Elias Creten. orat. 10. Nazianz. *Miſericordia ſuperexaltat &c. quia miſericordiæ opera aſcendunt ad Deum, & exaltant miſericordẽ*. Ideoq; Chriſtus dicet in iudicio, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare &c.* Carthuſian. *Miſericordia eſt altior iudicio, quia relucet in Beatis in Cęlo, iudicium verò iacet in damnatis in Tartaro*: demum autem Scotus ait, *Miſericordia ſuperexaltat Iudiciũ, pro quanto perfectius eſt Iudicium ex miſericordia, quàm iuſtitia ex ſe ſola*: & confirmatur, quoniam opus eo eſt perfectius, quo proficiſcitur à pluribus virtutibus: ergo Iudicium eo erit perfe-

Miſericordia ſuperexaltat Iudicium. varij ſenſus.

ctius, quo promanabit tùm ex virtute iuſtitiæ, tùm miſericordiæ. Plura congerit Cornel. ad cit. loc. Iacobi.

Miſericordia, & Iuſtitia an in creaturis irrationabilibus.

11 His actis, deueniendum eſt ad principale intentum, quod erat oſtendere, Vtrum in omni opere Dei interueniat Miſericordia ſimul, & Iuſtitia. Et quidem primo dicimus, ſi per Iuſtitiam intelligamus affectum retribuendi bonis præmia, & malis ſupplicia: ac per Miſericordiam ſumamus affectum releuandi miſeriam propriè dictam quatenus opponitur veræ fęlicitati, ſiue quatenus viam impedit ad eã: nec Miſericordia, nec Iuſtitia reperitur in vniuerſis operibus Dei. Facilis eſt aſſertio, & aperta; etenim merita, & demerita, ſicut prȩmia, & ſupplicia, contingunt in ſolis creaturis rationabilibus, vt Homini, & Angelo, non autem in Brutis, plantis, mixtis, ſimplicibus, cæteriſq; ratione carentibus; ergo vt ſic, non eſt in omnibus operibus Dei: Miſericordia etiam, quatenus miſeriam excludit, ſiue culpæ, ſiue pęnæ, nec in prædictis creaturis ratione carẽtibus reperitur, ſed ſolùm in creaturis rationalibus, ergo non reperitur in ſingulis operibus Dei.

Miſericordia, & Iuſtitia qualiter in omnibus creaturis ſimpliciter.

12 Secundò dicimus, ſumendo iuſtitiam, vt ſupra ſæpius ſumptam, pro *condecentia diuinæ ſapientiæ, & bonitatis*: & Miſericordiam pro affectu remouendi miſeriam quamcunque, ſiue defectum: vtique in omnibus operib. interuenit Miſericordia, & Iuſtitia; Ratio, quoniam in vniuerſis operibus relucet ſapientia, & bonitas Dei, tribuendo creaturis vniuerſis quantum eſt de ſe, quidquid cuiuſq; exigit Natura: vt Sap. 11. *omnia in numero, pondere, & menſura operatus eſt Dominus.* & Pſal. 104. *Omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt Terra poſſeſſione tua.* Ita Scot. q. 4. D. Bonau. Richar. Durand. cæteriq; Sententiarij in 4. ſuper dicta diſt. 46. ac D. Thom. tùm ibidem, tùm 1. par. quæſt. 21. art. 4. Alenſ. 1. p. q. 39. m. 3. Albert. &c. & ita loquũtur ſcripturæ ſupra citatæ, *Omnes viæ Domini miſericordia, & veritas.* Pſal. 24. *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis &c. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Pſal. 144.

Iuſtitia & Miſericordia in præmiatione Iuſtorum.

13 Tertiò dicimus, in præmiatione iuſtorum interuenit ſimul Iuſtitia, & Miſericordia: citati Doctores ibid. aſſertio hæc probata, & explicata remanſit ad longum diſput. anteced. q. 4. ibiq. oſtenſum, qualis ſit illa iuſtitia. Circa verò Miſericordiam; fuit etiam ibi demonſtrata, dum præmiat vltra, ſeu ſupra *condignum*. Dices, ait Aug. in pſal. 32. *Cęlum non indigere Miſericordia, quia nulla eſt ibi miſeria.* Reſp. loquitur de Miſericordia, ſiue excitãte ad conuerſionem, & pęnitentiam: quæ nulla eſt, dum non ſunt ibi peccata: ſiue relaxante miſeriam, & pęnam, cùm nulla ſit ibi miſeria, nec timor pęnæ. De prima ait Ioann: *nihil coinquinatum intrabit &c.* & de ſecunda, *non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit Tabernaculo tuo.* Pſal. 108.

14 Quartò dicimus, quòd in punitione Reproborum interuenit quoque ſimul Iuſtitia cum Miſericordia. Et de hac eadem aſſertione actum fuit ibidem; eſtq; de ſe clara: Iuſtitia quidem dum punit: Miſericordia etiam, dum minus, quàm Iuſtitiæ rigor exigat, punit, vnde punit citra *cõdignum*. Citati Doctores ibid.

Etiam in punitione & reprobatione.

15 Quintò dicimus, in reprobatione Impiorum interuenit Iuſtitia, & Miſericordia: Iuſtitia quidem, quoniã datur cauſa reprobationis, quæ ſunt demerita præuiſa, vt modo ſupponimus ex mat. de reprobatione: Miſericordia quoq; quia punit citra *condignum*.

In prædeſtinatione Miſericordia, & iuſtitia.

16 Sextò dicimus, in prædeſtinatione interuenit Miſericordia, & Iuſtitia. De Miſericordia eſt certum, quia nõ datur cauſa prædeſtinationis, vnde Deus gratuito, & miſericorditer prædeſtinat, vt ſupponimus ex mat. de prædeſtinatione. De iuſtitia autem: dũ creatura non eſt cauſa ſuæ prædeſtinationis, quomodo interuenire poterit Iuſtitia? loquimur autem de prædeſtinatione, ordine intentionis ſolùmodo. Reſpondet Alenſ. 3. p. q. 3. m. 5. D. Tho. 3. p. q. 24. art. 4. Durand. in 3. d. 10. q. 3. atq; Medina, Chriſtum fuiſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis, & propterea infertur interuenire in prędeſtinatione, Iuſtitiam, quia debetur ex meritis Chriſti. ita ex Thomiſtis.

Inter

Quomodo in prædeſtinatione Iuſtitia, dum non ſit ex meritis.

Inter Scotiſtas quoque eodem modo reſpondet Vulpes in 1. par. 2. diſp. 44. art. 5. nu. 5. merita Chriſti Domini fuiſſe cauſam meritoriam electionis ad gloriã, ſubditque, *Merita, quæ præſcindunt à paſſione, & morte, fuiſſe cauſam prædeſtinationis*. De Thomiſtis modo nõ agimus; non. n. locus iſte expoſtulat hanc diſputationẽ: de Vuelps autem Scotiſta dicimus, non loqui conſequenter ad Scotum; ſiquidem Scotus in 3. d. 19. q. vn. §. *Ad ſecundam* ante argumenta principalia. negat apertè, Chriſtum meruiſſe Prædeſtinatis electionem ad gloriam. Docetq; inſuper Chriſti opera fuiſſe à Patre æterno acceptata, vt meritoria non ante, ſed poſt Paſſionem, & Incarnationem ſub carne mortali. Item docet ordine ſolummodo attento *executionis*, Chriſti opera fuiſſe acceptata, vt meritoria apertionis Ianuæ Paradiſi, & vt ſic fuiſſe executionis ordine cauſam noſtræ prædeſtinationis, non autem ordine *intentionis*, ita Expoſitores Scoti, Lych. Tatar. Fauẽt. &c. Et licet Aret. & Rad. 3. p. q. 5. faueant Vulpi, tamen id non probant ex Scoto: & Vulpes in diſp. 38. art. 8. verè extorquet Scotum: at ſenſum noſtrum aperiemus ſuo loco.

Vulpes redarguitur.

Qualis Iuſtitia in prædeſtinatione.

17 Facilis autem eſt reſponſio in via Scoti, vt ſaluemus etiam Iuſtitiam, etenim ſæpiſſimè Iuſtitia ex eod. Scoto in præced. quæſt. ſumpta fuit pro *condecentia diuinæ bonitatis*, hoc ſtante in prædeſtinatione interuenit etiam Iuſtitia ſic ſumpta: Et quidem condecens fuit infinitæ bonitati, & charitati Dei adaperire Theſauros gratiæ, & gloriæ ſuæ; & ad eam deſtinare creaturas; ait enim de Deo Paul. Efeſ. 2. *Vt oſtenderet abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate.*

Miſericordia an deſtruat iuſtitiam.

18 Dices aduerſus ſingulas aſſertiones, miſericordia deſtruit iuſtitiã, & ſunt inuicem cõtraria, quomodo ergo poſſunt interuenire ſimul, miſericordia, & iuſtitia. Reſponſio prima patet ex quæſt. præced. ad 1. Reſp. 2. ex q. 4. ſub lit. N. quod relaxãdo miſeriam per miſericordiam non facit Deus contra iuſtitiam, vnde ſubdit Riccardus facere præter iuſtitiam, ſiuè præter rigorẽ iuſtitiæ. Sco. autem inquit, quod cõferre bonum indebitum non eſt facere contra iuſtitiam, quia eſt actus liberalitatis; & actus vnius virtutis non repugnat alteri virtuti: tunc autem fit contra iuſtitiam, quando ſubtrahitur alicui bonum alioqui ſibi debitum, ſiuè quando infertur malum, vltra debitum: cùm vero Deus exercet miſericordiam, non infert malum ſupra debitum immo diminuit pœnam debiti: nec ſubtrahit bonum debitum, & proinde eſt, vt non faciat contra iuſtitiam. Reſp. 3. ibidem, quod relaxando pœnã debitam, non faceret contra iuſtitiam dum id ageret ſecundùm potentiam abſolutam: quę quidem abſoluta potẽtia etiã eſt iuſta, vnde quidquid Deus agit, ſiuè ſecundùm potentiam ordinatam, ſiuè abſolutam, non contra iuſtitiam facit, ſed iuſtè agit, vt amplius demonſtrauimus ſup. diſp. de Omnipotentia Dei. q. 12. Vide primam reſponſionem ad primum Argum. quæſt. antecedentis.

Vtrũ Deus poſſit inferre totã pœnam debitam Peccatori.

19 Quæres vtrum poſſit Deus inferre totam pœnam, de potentia abſoluta, reprobis, ſiuè, vtrum poſſit punire adæquatè tantum, quantum merentur ipſi reprobi. D. Bon. negat loc. cit. art. 2. q. 4. vna cùm Carthuſiano ibidem q. 3. Ratio, quia Deus, cùm ſit miſericors, *non poteſt negare ſeipſum*, iuxta locutionem Paul. Item quia homo non eſt capax totius pœnæ, quam meretur peccator. Nihilominus oppoſitum habet Sco. loco prædicto ſub lit. O. inquiens, poſſibile eſt Deo ſecundũ ſtrictum rigorem iuſtitiæ, taxare pœnam intenſam, ſecũdùm quod ſufficiẽter reſponderet culpæ: quàm ſententiam ſignificat etiam D. Tho. in 4. loc. cit. q. 2. art. 2. ad ſecundùm, & Alex. par. 1. q. 39. membro 3. atq; Scotus loco cit. 4. q. 4. Et quidem nulla videtur implicantia quare non poſſit fieri; & confirmo ex eo, quod accidit in pœna ſenſus, quandoquidem vehementiam pœnarum, & cruciatuũ Inferni, & Purgatorij nequaquam poſſet materialis, corruptibilis, & fragilis humana natura (præſertim ſiuè longo tempore in Purgatorio, ſiuè in æternum in Inferno) perferre, & ſuſtinere, niſi Deus in vita, de potentia ſua abſoluta, conſeruaret ipſos luctitantes in Purgatorio,

&

& in Inferno, igitur à pari, ſic ageret Deus conſeruando humanos ſenſus, & corpora, ne ex acerbitate tormentorũ de toto rigore infligibilium, perirent, ſuccumberent, & deficerent.

Quare peccato finito, & temporali correſpondet in Inferno pœna æternalis.

20 Dices Deuteronom. 25. habetur *ſecundum menſuram delicti, erit & plagarũ modus*, ſed delictum, & peccatum eſt finitum, atq; temporaneum: punit vero Deus pœna æternali, ergo non correſpõdet iuſtitia peccato, culpæ namq; temporali debetur ex iuſtitia, pœna temporalis. Reſp. D. Th. in 4. quod ſi malus perpetuò vixiſſet, vtiq; perpetuò peccaſſet, & ideo perpetuò punitur, quia perpetuò peccauit in voluntate, quæ reſpõſio elicitur ex Greg. lib. 34. mora. cap. 3. Dices, peccat quãdoq; aliquis, cùm propoſito tamen pænitendi, igitur in peccatore tali nulla reperitur voluntas, nec implicita, nec explicita perpetuò peccandi. Reſ. Sco. ſub litt. O. quod iſte talis exponit ſe perpetuitati peccãdi, dũ ſe exponit periculo, perpetuò in peccato manendi, neſcit. n. *diem defunctionis ſuæ*, & hinc punietur perpetuò. exemplum de voluntariè proijciente ſe in foueã, quandoquidem iſte talis exponeret ſe periculo moriendi in ipſa fouea, atq; derelinqui, & priuari externo adiutorio alterius extrahentis à fouea.

Reſpon. D. Tho.

Reſp. Scot.

Reſpon. ex Auguſt.

21 Eſt alter modus dicendi Aug. qui lib. 21. de Ciu. Dei. cap. 11. videtur dicere, quòd iuſtitia nõ requirit infligi pœnam perpetuam peccatori, ſed ideo pœna infligitur perpetua, quia perſona perpetuò manet in culpa, & vita eius poſt mortem erit perpetua: vnde ſubdit Scot. ꝙ licet poſſit culpæ infligi tota pœna inteſiua, etiã ſi natura eſſet ſtatim annihilabilis; nihilominus æternitas pœnæ non eſt de per ſe ratione iuſtitiæ punitiuæ, ſed id accidit propter æternitatem perſonæ punitæ, & culpæ remanentis, quæ durabunt in æternum. & iſtud, inquit, magis ſaluat quomodo *ſecundum menſuram delicti, erit & plagarum modus*, vnde intelligitur quoad intenſionem pęnę, quę quidem per ſe requiritur in pœna; ita vt culpæ maiori correſpondeat intenſior pœna, & minori, minus intenſa; ſed loquendo de extenſione infinitę pœnę, illa accidit ex cauſis prędictis, inquit Scot. Vide etiam in 3. d. 19. q. vn. lit. H. ad tertium.

Reſp. inſuper Scot.

Punitio ... dinatur ... correptionem ... de ... ratur.

22 Obſtabis, omnis punitio ex iuſtitia, fieri debet ad correptionem puniti, ſed nullus damnatus corripitur per punitionẽ, igitur fruſtra interuenit iuſtitia. Reſp. Sco. quòd ſicut medicina duplex eſt, curatiua, & pręſeruatiua, ita punitio eſt duplex, curatiua altera, & altera pręſeruatiua: loquendo de peccatore corrigibili, infligitur ei pœna, vt eum curet, & corrigat, atq; emendet: loquendo vero de incorrigibili, infligitur pœna quidem pręſeruatiua, quæ licet nõ ipſum pręſeruet, nec curet, veluti incorrigibilem, nihilominus deſeruit ad pręſeruationẽ aliorũ, ſiquidem pœna vnius eſt exemplum alterius, & ita vergit in bonum Communitatis.

Iudicium ſine miſericordia fiet &c. declaratur.

23 Obſtatur Iacobi 2. *iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam*, & Auguſt. ſup. Pſalm. 18. ait, *vbi non miſeretur Deus vindicta datur*: ex hinc vero colligitur in punitione non interuenire miſericordiam. Reſp. D. Iacobum, ſicut & Aug. loquitur de miſericordia *liberante*, quę appellatur *miſericordia in totum*, & hęc quidem non interuenit in damnatis: at loquendo de miſericordia *parcente*, nõ eam negat, ſiuè Scriptura, ſiuè Auguſtinus, eſt ergo ibi miſericordia parcens non liberans, quia parcit in partem Deus puniendo citra condignum, non autem liberat damnatos ab Inferno, *quia ibi nulla Redemptio*. ſic Scotus.

Quarum glorificauit ſe, tantum date ei etc. declaratur

24 Habetur in Apocalip. 18. *quãtum glorificauit ſe, & in delicijs fuerit, tantum datę ei tormentorum, & luctus*, igitur interuenit ſola iuſtitia ſine miſericordia. Reſp. Sco. ly *tantum*, non ſignificare *æqualitatem*, ſed *proportionem*; quandoquidem punit Deus proportionaliter ad menſuram delicti, nõ quidem infligendo totam pœnam, ſed maiori culpæ, maiorem, & minori minorem, vna cùm interuentu miſericordiæ, quia *dabit vnicuiq; ſecundum opera ſua*, ſiue reſpondetur, non loqui de iuſtitia commutatiua, quæ attenditur penes æqualitatem, ſed de iuſtitia diſtributiua, quæ attenditur penes proportionem demeritorum: ſiuè deniq; ly

ly *tantum*,& *quantum*, nõ attendi adęquatè,ſecundum proportionem arithmeticam,ſed geometricam, quę reſpicit diuerſitatem demeritorum.

In collatione prima gratia an interueniat Iuſtitia.

25 Obijcitur, collatio primæ gratiæ eſt opus ſolius miſericordiæ, non iuſtitię, dum nulla pręcedunt merita, *alias gratia non eſſet gratia* ex Apoſt. ergo miſericordia ſine iuſtitia. Reſpõdetur, relictis reſponſionibus alijs, etiã interuenire iuſtitiam, fundatam tamen ſuper merita Chriſti, quibus Chriſtus meruit gratiam, & gloriam: & meruit *vt non coniuncti, coniungeremur* per gratiam ex Sco. in 3. d. 19. q. vn.

In vnione hypoſtatica vtrum Iuſtitia.

26 Obſtatur vnio hypoſtatica humanitatis ad Verbum facta fuit ex ſola gratia; ſiuè ex ſola miſericordia, non autem ex iuſtitia; patet ex Auguſt. l. 13. de Trin. c. 19. *In rebus per tempus ortis ſumma gratia eſt hominem fieri Deum.* Cõfirmatur ex 1. ad Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam*, &c. Reſponderi poteſt, licet non interuenerit iuſtitia in ordine Incarnationis quoad *ſubſtantiam*, interuenit tamen quoad circumſtantiam *accelerationis*, cuiuſmodi fuerunt merita beatiſſimæ Virginis, inquit Scot. in 4. d. 2. q. 1. lit. M. Verum non ſoluitur argumẽtũ quoad *ſubſtantiam Incarnationis*; ſiquidem, dũ quoad ſubſtantiam non interceſſit meritum, nec vtique interuenit iuſtitia.

Reſpõderet Scotus, etiam quoad ſubſtantiam interueniſſe iuſtitiam, ſumpta iuſtitia pro condecentia diuinæ bonitatis, & Charitatis, quia *ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Io. in 3. prout diximus in quinta aſſertione de Prædeſtinatione. Dices, Scotus reſponſionem hanc non attingit loco citato Quarti. Reſpond. attingere in cõſimili in eod. 4. d. 46. per ſingulas quæſtiones. Nec ex eo, quod ibi non attingit, negat, quia *argumentum ab authoritate negatiuè, non tenet.*

In ijs, quæ naturę debentur, an interueniat Iuſtitia.

26 Obijcitur, calor eſt debitus igni: pondus graui; leuitas corpori leui: homini rationalitas: leoni rugibilitas: plantis vegetatio: animãtibus ſenſatio, & ſic de ſingulis; debentur inquã hæc, & ſimilia ex iuſtitia, & ex debito naturæ, vt porè tanquam conſentanea cuiuſque naturæ; ergo in his interuenit ſola iuſtitia. Reſpondet Scot. nihil ad extra eſſe neceſſarium ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ex pacto & ſuppoſitione: quapropter, cùm nulla creatura ſit ens neceſſe eſſe, ſequitur, vt nec calor, nec pondus, nec leuitas, nec cætera creaturarum, ſint neceſſe eſſe, aut neceſſaria ſimpliciter: licet *Deus* ea ratione, qua eſt Conſeruator naturæ, conferat vnicuique rei, liberè tamen, id, quod exigit natura cuiuſque rei: vide diſp. præced. q. 4. in fine.

DISPVTATIO XX.

De diuinis attributis in ſe.

QVÆSTIO I:

Quænam ſit ratio nominis, & naturæ Attributi in ſe.

Attributi vox, vtrũ antiqua.

1 DE Voce *Attributi*, non facilè reperitur ante Scholaſticos, penes Patres expreſſa mentio: Et quidē diuinas perfectiones Patres circumferebant ſub diuinis *Nominibus*: quomodo Dionyſius librum inſcripſit *de diuinis nominibus*. item Damaſcenus eas explicabat dicendo, *eſſe quæ circa diuinã Naturam ſunt*: qui verò expreſsè ex Patribus ea nominauit fuit Anſelmus, librum inſcribens *De Actib. Deo attributis*: atq; Cyrill. lib: 9. de Adorat. *neq; que aliquid in eo externum eſt, & aduentitiũ: tametſi diuinis attributis quodammodo haud ſimplex intelligatur.*

2 Penes Philoſophos autem antiquiores id reperitur, quod Auerr. 12. Met: Com: 39. diuinas perfectiones appellat *diſpoſitiones Primi entis*. Auicen. 8. met. cap. vlt. *Proprietates primi principij*. Algazel. 3. met. c. 1. *Deſignationes*, inquiens, *non attribuuntur ei, niſi hę ſolæ, quæ nullam faciunt multitudinē.* Quidquid tamē ſit de Antiquioribus, vtiq; penes Scholaſticos Theologos iam communiter recepta eſt vox *Attributi*, vt patet penes omnes.

Deriuatio, & impoſitio vocis attributi.

3 Hoc habito in primis expendenda eſt ratio, & natura Attributi in ſe, & videndum vnde deriuetur: ac inde declarabitur quid ſit, & qualis eius diffinitio. Dicimus ergo, quod cùm ob inæqualitatem intellectus creati ad obiectum diuinum non poſſimus immediatè concipere ipſum Deum, & perfectiones eius, vtputa, quia ipſe Deus eſt infinitus, & creatus intellectus finitus; ideo ex perfectionib. aliquibus repertis in creaturis, ſurgimus ad cognoſcēdũ ipsũ Creatorē, teſtãte Apoſtol. 1. Ro. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Quia verò perfectiones repertæ in creaturis ſunt plurimis imperfectionib. admixtæ, inde fit, vt remouendo ab illis ea, quę dicũt imperfectionem, referamus in Deum, & attribuamus ipſi Deo illa, quæ abſolutè dicunt perfectionem: & ita ſapientia, bonitas, prudentia, cęteręque perfectiones repertæ in creaturis, ſunt quidem admixtæ imperfectionibus, quia ſunt creatæ, dependentes, finitæ, limitatæ, contingētes, defectibiles, accidentales, & his ſimilia; ex alia verò parte quatenus abſtrahunt à finitate, dependentia, limitatione, & huiuſmodi, dicunt abſolutè perfectionem; & hinc eſt, vt applicando eas, & attribuendo Deo, attribuamus ei ſub ratione perfectionis, ſemota omni imperfectione; perfectio enim eſt, vt ſapientia, v.g. ſit quid increatum, independens, infinitum, illimitatum, ac inſeparabile à ſuo fundamento, & vt ſic; tribuitur ipſi Deo. & hinc quoq; conſtat, quod cùm non poſſimus cogno-

ſcere

ſcere Deum in hac vita, ſicuti eſt, cognoſcamus, ſaltem eo modo, quo poſſumus: cùm etiam cognoſcere eum nõ poſſimus à priori, cognoſcere tamen valeamus ex creaturarũ perfectionib. à poſteriori, conferendo illi ea, quæ ſunt perfectionis, & remouendo ea, quæ dicunt imperfectionem, & ita docet Auguſt. l. 2. de Trinit. cap. 3. *bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc, & illud, & vide ipſum bonum, ſi potes, ita ipſum Deum videbis, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni.*

Attributi Ethymon.

4 Verũ hoc non ſufficit ad explicãdã rationẽ, & naturam attributi. vnde ſciendum, quòd Ethymologia attributi hæc eſt, vt ideo appelletur attributum, quia *ſit aliquid alij ex alio tributũ.* & hoc ſtãte habemus in primis, quòd ſapientia in Deo eſt appellanda attributum, quia per viam innoteſcentiæ à poſteriori, ſapientiam, quam reperimus in creaturis, tribuimus Deo, arguendo à poſteriori, Deum eſſe ſapiẽtem, quia creatura eſt ſapiens; & hinc ſapientia eſt attributa Deo per ſapiẽtiam repertam in ipſamet creatura.

Attributũ importat conceptum communẽ Deo, et creatura.

5 Requiritur vltero ad rationem attributi, vt ſit aliquid cõmune Deo, & creaturis, prædicabile vniuoce, vel analogice de *Deo*, & creaturis. probatur, quia ſi nullus eſt conceptus communis Deo, & creaturæ, igitur non poterit haberi ratio attributi; quoniã dum aliquid ex creaturis tribuimus Deo, ſignum eſt, quod illud reperitur in Deo, & creaturis; ſi namque Deo tribuo ſapientiam, quæ eſt in creatura, ſignum eſt, quod conceptus ſapientiæ ſit communis Deo, & creaturis. da oppoſitum, & habebis intentum; cur quæſo inſipientia, & ignorantia non eſt Dei attributum, ratio, quoniam ea reperitur ſolum in creatura, nullo tamen pacto poteſt cõuenire Creatori, quo fit, vt dum conuenit vni ſoli, & nõ alteri, nequaquam conceptus inſipiẽtiæ erit attributum Deo, quia non poterit conuenire, nec eſſe communis Deo & creaturæ, competẽs ſoli creaturæ. ita à pari, & concluditur attributum importare conceptum aliquem communem Deo, & creaturæ, ac deſumptum à poſteriori ab ipſa creatura, ita Scotus, & D. Tho. in 1. d. 2. q. 1. art. 3. Verum tamen eſt, quòd vniuocatio iſta erit in conceptu vniuerſali, non particulari: vniuocantur namq; Deus, & creatura in conceptu ſapientiæ in ſe: non autem in conceptu contracto ſapientiæ creatæ, dum Dei ſapientia non eſt creata: nec in conceptu ſapientiæ increatæ, dum creaturæ ſapientia non eſt increata.

Attributi deſcriptio.

6 Hoc habito, poſſumus ita deſcribere attributum. *Attributum eſt perfectio ſimpliciter competens Deo ſecundario, ſiue quaſi ſecundario, communis Deo, & creaturæ attributa, & applicata ipſi Deo ex innoteſcentia, & inueſtigatione creaturarum.* hæc eſt communis acceptio attributi penes omnes Theologos, vt Greg. Arimin. in 1. d. 8. q. 2. Gabr. 1. d. 2. q. 2. Argentin. 1. d. 6. q. 1. ar. 1. Durand. 1. d. 2. q. 3. ar. 1. Bacol. 1. d. 32. q. 2 art. 1. D. Tho. de potent. q. 7. art. 7. & de verit. q. 2. art. 11. Scot. 1. d. 3. q. 1. d. 8. q. 4. quolib. 5. & 1. & 1. d. 25. ac report. 1. d. 35. 45.

Attributũ debet eſſe perfectio ſimpliciter

7 Ex hac deſcriptione primo habemus, attributum eſſe perfectionem ſimpliciter: hinc fit, vt in doctrina Scoti diuinæ relationes ad intra non ſint attributa, cùm abſtrahant à perfectione, & imperfectione. abſolutè autem loquendo quidquid perfectio ſimpliciter non eſt, attributum non eſt; ratio eſt, quia Deo attribuenda ſunt ea, quæ dicunt perfectionem. quo fit, vt eſſe corporeum, finitum, dependens, non poſſit eſſe Deo attributum, cùm dicant omnino imperfectionem; ideoque tale eſſe remanet in ſolis creaturis abſque attributione ad Deum.

Attributũ prædicatur in ſecundo modo dicẽdi per ſe.

8 Habemus ſecundò, vt attributum ſit id, quod competit Deo ſecundario, & in ſecundo modo dicendi per ſe. probatur, attributum non eſt de quidditate, nec de eſſentia Dei, non enim eſt conceptus primarius ipſius Dei, vt tùm Formaliſtæ, tũ Metaphyſicantes Theologi diſcurrunt; ergo competunt ſecundario ipſi *Deo*. Confirmatur authoritate Damaſceni lib. 1. de fid. Orthod. c. 4. dicentis; *Si iuſtũ, ſi ſapiens, ſi quodcunque aliud dixeris, non naturam dicis Dei, ſed quæ naturã eius circumſtant.* ex Auguſt. 15. de Trinit. c. 5. *ſi dicam æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, viuus, ſapiẽs, bea-*

beatus, ſpiritus, horum omnium nouiſſimum, quod poſui, videtur tantùm ſignificare ſubſtãtiam, cætera verò huius ſubſtantiæ qualitates.

Attributũ debet importare cõceptũ vniuocũ Deo, & creaturæ.

9 Habemus tertiò, attributum debere eſſe conceptum communem Deo, & creaturis, ex quibus deducitur talis conceptus referibilis in Deum, & prædicabilis de Deo, ſemotis tamẽ imperfectionibus. Hinc deducitur, vt ſapiens, bonus, prudens, & ſimilia, ſint propriè attributa, quia tàm de Deo prædicantur, quàm de creaturis, & ex creaturarum prudentia, bonitate, ac ſapientia deducimus Deum eſſe talẽ, propter quod conſimiliter attribuimus ei bonitatem, prudentiam, quod quidem alias nõ fieret, ſi hæc communia non eſſent Deo, & creaturis, vt eſt deductum. & inde fit, vt æternitas, immenſitas, infinitas, omnipotentia, omniſcientia, independentia, incorruptibilitas, immortalitas, & impaſſibilitas, & his ſimilia non ſint, ſtrictè loquendo, vocanda attributa; Ratio patet, attributum importat conceptum communem Deo, & creaturæ, ex qua creatura debet fieri deductio, illatio, & attributio ad ipſum Deũ; ſed æternitas, infinitas, immenſitas, independentia, & his ſimilia non competunt creaturæ, ergo non eſt in rigore attributum: ergo ad ſtrictam rationem attributi requiritur, vt id ſit commune Deo, & creaturis; aliàs non appellaretur rigorosè, ſed largè attributum: ita Henric. art. 32. quæſt. 1. Durand. 1. d. 2. q. 3.

Attributa non ſunt prædicata primi modi dicendi per ſe.

10 Hinc quoque infertur prædicata primi modi dicendi per ſe competentia Deo, vt Ens, Exiſtentia, Spiritus, Vita intellectualis, non eſſe in rigore attributa; licet namq; hæc eadem ſint communia creaturis, nihilominus non ſunt prędicata quaſi ſecundaria, quale debet eſſe attributum, vt diximus ex Auguſt. & Damaſc. hoc eſt contra Aegidium, qui in 1. d. 6. q. 1. inter attributa enumerat ſubſtantiam, eſſentiam, & ſubſiſtentiam.

Attributa largè ſumptum eſt tur de pluribus.

11 Nihilominus ſumendo nomen attributi largiori modo, poſſunt quidem hęc omnia ſub nomine contineri attributi: & ita perfectiones omnes, ac ſingula prædicata, dicta de Deo, poſſunt nomine circumferri attributi, ſic largè accepti: ſiue dicantur per viam negationis, vt infinitas, immenſitas, immortalitas, & ſimilia; ſiue per viam affirmationis, vt ſapientia, exiſtentia, ens, veritas, & huiuſmodi: ſiue per viã cauſalitatis in tempore, vt Creator, Dominus, Gubernator: ſiue ab æterno, vt præſcientia, prædeſtinatio, præfinitio, quæ quidem ab æterno fuere in Deo, cùm ab æterno prædeſtinauerit, præſciuerit, & præfinierit cuncta. ſiue quæ de eo dicuntur, abſoluta ſint, ſiue reſpectiua: quamuis aliqui, potius perfectiones appellare ſolẽt, quàm attributa, ea quæ vel ex creaturis non accipiuntur, dum non ſunt communia Deo, & creaturis: vel non dicuntur, niſi in primo modo dicendi per ſe, vt traſcendentia, quæ omnia claudi ſolẽt ſub titulo perfectionum *Dei*, & non attributorum. Hoc quidem verum eſt, ſiſtendo in ſtricta, & rigoroſa acceptatione attributi: cæterum non deſunt Theologi concludẽtes ea omnia ſub nomine attributi, latè, & largè tamen ſumpti, vt dixi. Conſentiunt Richard. in 1. d. 2. art. 1. Capreol. ibid. q. 4. Mayron. d. 8. q. 7. art. 3. claudentes perfectiones Dei omnes ſub voce attributi.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum Attributa reperiantur in Deo realiter, & formaliter.

1 DVo demonſtrabimus, primum, eſſe in Deo attributa realiter, & ſecundum, eſſe in eodem formaliter.

Sententia Rabbi Moyſis.

2 Circa primum, fuit opinio Rabbi Moyſis, non eſſe in Deo attributa realiter; ſed eatenus prædicari de eo, quatenus, vel per ea remouentur imperfectiones ab ipſo Deo; vel quatenus tales perfectiones attributales cauſat, & producit in creaturis; vel deniq; quatenus, more creaturarum, ſe gerit circa talia attributa. Exemplum primi, non eſt in Deo, inquit, realiter ſapientia, ſed in tantum dicitur ſapiens & bonus, inquantum non eſt *ignorans, & malus*: vel in quantum (& ſit exemplum ſecundi) cauſat bonitatem, & ſapientiam in creaturis: Exemplum tertij, in quantum dicatur volens, pius, iratus, placatus, induratus, ſed ad exēplum creaturarum. Refert *D.*Tho. in 1.d.2.q.1.art.3. & Henric. in ſum.art. 32.q.4. & in eadem fuiſſe videtur ſententia Auicen. 8.met.c.4.

Via remotionis imperfectionũ in Deo, ex Damaſcen. Dion.

3 Hæc ſententia, quatenus per viam negationis incedit, remouendo ignorantiam, & malitiam, vt inde dicatur ſapiens, & bonus, videtur eſſe Damaſceni l.1.de fid.orth.c.12. dicentis, *Omnia, quæ de Deo commemorantur, non quid, ſubſtantia ratione ſit, ſignificare, verum autem quid non ſit, explicare; ſunt porro nonnulla, quæ tametſi per affirmationem de Deo dicuntur, præcellentis tamen negationis vim habent*. Inſuper Dionyſ.c.2.de cæl.Hierar. *In diuinis rebus negationes quidem veræ ſunt, affirmationes autem nequaquam tantis arcanorum latebris congruunt*. hæc Patres.

De fide attributa eſſe realiter in Deo.

4 Nihilominus de fide eſt attributales perfectiones, verè, & *realiter* in Deo reperiri talis eſt communis conſenſus Theologorum, vt faciāt Deum realiter ſapientem, realiter bonum, & ſimilia, propter ſapientiam, & bonitatem verè, & realiter in ipſo Deo inexiſtentem. Faciilimè autem conuincitur, Deus eſt realiter perfectus, ergo habet realiter in ſe attributales perfectiones. antecedens etiam ab Ethnicis negantib. & deſtruentib. noſtram fidē, conceditur, & conſequens ſequitur; quia effectus formalis eſt à ſua forma, Deus autem eſt formaliter, & realiter perfectus, ergo à perfectione formali: ſed ſi operatio ſit immanens, neceſſe eſt, vt forma ſeu principium operandi, & effectus reperiantur ſimul in eod. ſubiecto, vt potē intellectio, & potentia intelligendi, quæ duo ſunt formaliter in homine; cùm autem ſapientia diuina, & bonitas contemplata ad intra, ſint affectiones, & operationes immanentes Dei, neceſſe eſt, ipſas quoq; attributales perfectiones, ſeu principia, *quibus*, intelligendi, ſeu eſſendi ſapientem, ac bonum, eſſe realiter in ipſo Deo.

Sunt quoque in Deo formaliter.

5 Hoc idem dicimus de eſſe *formaliter*, ita vt verũ ſit eſſe in *Deo* realiter, & formaliter. & probatur iterũ, non eſt per tē *Deus* ſapiens per ſapiētiām repertam in eo realiter, & formaliter, ergo eſt ſapiens per ſapientiā extra ipſum: vbi vero reperietur hæc

ſapiētia? vtique, vel in Deo, vel in creatura, non in Deo per tē, ergo in creatura; igitur Deus erit ſapiens, bonus, per ſapientiam, & bonitatem ipſius creaturæ; ergo Deus ſapientiam mendicabit à creatura; ergo creatura erit ſapiētior, & perfectior Deo, prob. quia ipſa ſapientiam habet in ſe, quam non habet Deus; immo cogetur Deus ſapientiam mutuo quærere à creatura. Inſuper quidquid perfectionis reperitur in creatura, multo magis debet reperiri in creatore; ſed in creatura reperitur realiter, & formaliter, ob quod appellatur realiter, & formaliter ſapiens, ergo multo excellentius appellabitur talis ipſe creator Deus. Addit Scot. non fore Deum ſimpliciter perfectum, quia non eſſet *quo maius cogitari non poſſet*, ex Anſelmo, cùm creatura excogitaretur magis perfecta, quā ipſe Deus, illa enim haberet realiter, & formaliter in ſe perfectiones attributales, quas ſic non haberet Deus. Scot. in 1. d. 8. q. 4. Arg. cont. 3. Op. Et D. Thomas vbi ſupra inquit, non poſſe nos quidquam cognoſcere de Deo ex creaturis, niſi de Deo, & creaturis prædicaretur aliquis conceptus communis vtriſq; non tantum communis in nomine, ſed etiam in re, ita quod realiter ſit in Deo, & creaturis.

Euaſio.

6 Dici poſſet, ſufficere reperiri in Deo perfectiones tales eminenter, & virtualiter. Verum loquendo de perfectionib. ſimpliciter, id falſū eſt, quia perfectius eſt continere realiter, quam virtualiter, & eminenter, Deo autem tribui debet id, quod maiorem dicit perfectionem: vtpotè continentia formalis, vbi poſſibilis eſt, perfectior eſt continentia cauſali, & eminentiali: eſt autem poſſibile, immo neceſſarium, vt in Deo ſint realiter, & formaliter hæ perfectiones, alias non eſſet formaliter perfectus. dato autem oppoſito, ſequitur Deum eſſe ſapientem, & his ſimilia, non verè, & realiter, ſed eatenus, quatenus ſapientiam perfectiori modo in ſe continet, ad eum finem, vt eam producat in creatura. At quæro, ab æterno Deus nō fuit creator, ſed creare incæpit in tempore; ergo in tempore incæpit eſſe realiter, & formaliter ſapiens, & bonus, quia in tēpore creauit, & creat bonitatem, & ſapientiam in creaturis; ergo in tempore recipit perfectionem aliquam abſolutam: ergo non fuit ab æterno vndequaq; perfectus, &c. Continentia realis perfectior eſt virtuali, & eminētiali, ibi quidem vbi poſſibilis eſt, vt in caſu noſtro: verum vbi poſſibilis non eſt, nec erit admittenda, non enim pulchritudo, color, & odor roſæ eſt in Deo formaliter, & realiter, id namq; implicat, cùm Deus ſit ſpiritus, non corpus, nec capax qualitatis corporeæ; ſed eſt in eo eminentius, quia ipſe eſt *flos campi, & lilium conuallium*, inquit de ipſo ſponſa cant. 10. igitur cùm perfectius eam contineat, & implicet continere formaliter, continentia realis, & formalis diceret in eo imperfectionem: ob quod, hæc omnia continet virtualiter, potens illa producere.

Occurritur

Perfectiones ſimpliciter nō ſufficit contineri in Deo eminenter, & virtualiter ſed poſtulatur, vt contineantur realiter, & formaliter.

Continen tia realis & form lis eſt perf ctior emi nentiali, & virtuali, ibi, vbi po ſſibilis eſt.

7 Deniq; Baſil. l. 1. contra Eunom. expreſsè intentum declarat, inquiens, *Bonum dicimus Deum, & iuſtum, & creatoren, & Iudicem, aliaq; huiuſmodi: ſicut igitur in illis* (nempè nominib. negatiuis) *reprobationem quandam, ac interdictionem alienorum à Deo, voces ſignificabant; ita hic poſitionem, & ſubſtantiam eorum, quæ propria Deo ſunt, & quæ decenter circa ipſum ſpeculamur, ſignificant.* quo in loco vtrumq; explicat, tum negationes, tum affirmationes. Nec difficultas oriri poterit adeſſe in Deo formaliter negationes, ſicut formaliter inſunt affirmationes; etenim realiter Deus non eſt lapis, lignum, creatura, & ſimilia; qua propter, verè tales negationes ſunt à parte rei, non enim ſunt entia rationis, ſed entia realia, licet *negatiua*: ſicut realiter à parte rei Pater eſt *ingenitus, improductus*, & *à ſe*, quod *negatiuè* explicari ſolet, ideſt, non ab alio, de quo ſuo loco.

Negationes sūt realiter in Deo &c.

8 Ad Patres vero in oppoſitum adductos, dicendum primo, velle oſtēdere, quod ex creaturis imperfectè cognoſcimus, & nominamus Deum, non eo, quidem modo, quo cognoſcibilis in ſe eſt; etenim non cognoſcimus per creaturas ea omnia, quæ cognoſcibilia ſunt de Deo, ideoq; modus iſte, ſic imperfectè cognoſcendi, appellari ſolet

Reſpondetur obiectis in oppoſitū.

let

ſet *negatiuus* à Patrib. & Theologis.

Ad Patres Dicendum ſecundò non negare abſolutè Patres cognoſci Deum affirmatiuè per creaturas, non enim cognoſcitur ex eis tantummodo per negationẽ, teſtante Apoſt. *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur*. Tertiò, quia perfectiones iſtæ creaturarum ſunt multis impermixtæ imperfectionibus, ideo non poſſumus, niſi imperfectè ex creaturis cognoſcere Deũ: quod ſi imperfectiones remoueremus, vtiq; aliter cognoſceremus Deum, abſtrahendo imperfectiones, & attribuendo Deo id, quod dicit perfectionẽ: quod vtiq; abſque obſtaculo facere poterimus Deo dante in Patria, *videbimus enim Deũ ſicuti eſt*.

Ad Auic. 9 Auicennã, ſicut & Rabbi Moyſen, ad bonum ſenſum trahit D. Thomas, vt loquantur more noſtro, modo hucuſque explicato; non enim negarent abſolutè Deum eſſe realiter, formaliterque, & vndequaque perfectum.

Attributa eſſe in Deo ſolum ſecundùm nomen, ex Okamo. 10 Fuit & ſententia Okami, qui attributa appoſuit quidem in Deo, ſed ſecundum nomen, itaut nomen Attributi ſit conceptus nominalis, nõ autem obiectiualis: Non obiectiualis, quoniã omnes Dei perfectiones ſunt vna ſimpliciſſima eſſentia: & circa tales perfectiones non cadit diſtinctio, vnde fit, vt dum à parte rei ſunt vnũ, & idem, vtiq; ſolo nomine gaudebunt attributi: quapropter eorum diſtinctiuus conceptus erit ſolum nominalis: atque infert etiam, neque diſtingui ratione; probat, quoniam ratio non poteſt diſtinguere extrinſecè id, quod eſt omnino indiſtinctũ intrinſecè: ſunt autem omnia idem intrinſecè in Deo, ergo & extrinſecè. ita in 1. d. 2. q. 2.

Impugnatur. 11 Verùm hæc ſententia pugnat cum vtraque ſchola, tùm D. Tho. tùm Scoti; omnes namque admittunt aliqualem inter ea diſtinctionem: ſiue quidem formalem, ſiue rationis; ſiue actualem formalem, ſiue radicalem, & virtualem. de qua infra.

Attributorum diſtinctio non eſt mẽdax, ſed fundata à parte rei. 12 Ad rationem verò eius reſpõdetur, negando aſſumptum, poteſt nãque intellectus diſtinguere, quantum eſt ex ſe, ea, quæ indiſtincta ſunt, *abſtrahentium namque non eſt mendaciũ*: Dices, mendax eſſet talis extrinſeca diſtinctio: Scotiſtæ aiunt, minime eſſe mẽdacem, cùm fundamentum habeat à parte rei, ob quod diſtinguuntur nedum ratione, ſed formaliter: Thomiſtæ verò inquiunt, fundamentum habere quoq; à parte rei, at virtuale, & radicale. ſed de hoc ſuo loco.

QVÆSTIO III.

De perfectione, atque ordine diuinorum attributorum.

Attributa ſunt formaliter infinita. 1 Attributa diuina dicunt perfectionem ſimpliciter. Hoc ſuppoſito, ſequitur neceſſario, vt dicamus ea eſſe formaliter infinita. loquimur autem, modo, de infinitate intenſiua. Aſſertio hæc eſt de fide, & communis Theologorum. ſuadetur autem primo, Attributa ſunt vnum, idemq; cum diuina eſſentia, at hæc eſt formaliter, & intenſiuè infinita. Dicerent Scotiſtæ, negando conſequens, diſtinguuntur enim formaliter attributa ab eſſentia, ergo talis diſtin-

ctio

Formalis diſtinctio nō impedit infinitatē.

ctio tollit infinitatem ab attributis. Verum occurritur, quòd licet diſtinguantur formaliter, quia tamen ſunt vnum, & idem realiter, cùm diuina eſſentia, ideo participando eſſentiæ infinitatem, dicuntur ipſa quoque infinita formaliter.

Obſtatur.

2 Sed obſtatur contra reſponſionem, inde quidem ſequitur eſſe ſolùm infinita *realiter*, & *identicè*, & prob. talem infinitatem habent ab eſſentia, quatenus identificantur cum eſſentia: ſed non identificantur formaliter, niſi ſolùm realiter, ergo non habent infinitatem formalem, ſed realem, & identicam. Ab argumento hoc facillimè ſe expedirent Thomiſtæ negando diſtinctionem formalem: qua negata, tollitur ipſa ratio dubitandi. Verùm quid reſponderent Scotiſtæ ponentes talem diſtinctionem formalem? Dicerent Formaliſtæ negandum eſſe antecedens; non.n. verū eſt, inquiūt, infinitatē formalē habere, quatenus identificantur realiter cum eſſentia: immo oppoſitum aſſerunt, quod nempe infinitatem formalem habeant, quatenus diſtinguūtur formaliter ab eſſentia: & rationem addunt, quia ſicut *res ſe habet ad eſſe, ita ad diſtingui*; ſed attributum quoad eſſe formale diſtinguitur formaliter ab eſſentia, ergo quoad tale eſſe, ſeu infinitum eſſe formaliter, diſtinguetur etiam ab eſsētia. hoc planum aiunt, eſſe in Scoti via, aliàs tueret ſua diſtinctio formalis, ideoq; Scotus dat illi infinitatem formalem, quia diſtinguitur formaliter ab eſſentia, ſicut è conuerſo, ideo dat ei infinitatē realem, quia identificatur realiter cū eſſentia. itaq; concludunt, quòd ſi loquitur antecedens de infinitate reali, concedatur, quòd ideo eſt attributum infinitum realiter, quia eſt realiter vnum cum diuina eſſentia: ſi loquatur de infinitate formali, negant ſub illa reduplicatione.

Reſponſio Formaliſtarum.

3 Et confirmari poteſt reſponſio, quia dum attributa emanant ab eſſentia, emanant talia, qualia debent eſſe formaliter in ſe, ſpectando ea iuxta ſuas naturas: ſed emanant, quatenus ſunt perfectiones ſimpliciter, & ſummæ ipſius Dei, ergo vt ſic, erunt de ſui natura, & ex ſuis intrinſecis rationib. formalib. inſtructa. Inſuper intellectus, voluntas, propriæq; paſſiones, penès eundem Scotū ſunt formaliter diſtinctæ ab eo, à quo emanant: quæro autē, vtrum intellectus, & voluntas, ac riſibilitas ideo vocantur formaliter intellectus, & voluntas, quia ſūt idem realiter cum Anima, an quia ſunt diſtincta formaliter ab ea? vtique quia ſunt diſtincta, nam quatenus ſunt idem realiter, nulla eſt differentia inter eſſentiam Animæ, & intellectum, ac voluntatem, ſunt namq; vna entitas, vnum, & idem realiter, & vna res; ergo à pari attributa emanant ab eſſentia, & emanant formaliter infinita; quia ſunt diſtincta formaliter.

Cōfutata reſpōſio, & reſpōdetur aliter.

4 Nihilominus hic diſcurſus non valet, quoniam in ſententia Thomiſtarum negantium diſtinctionem formalem, eſt etiam admittenda infinitas formalis: quę quidem non haberetur ex diſtinctione, quam negant, ſed aliunde. Ideoq; dicendum in vtraque opinione de diſtinctione, ſiue detur, ſiue negetur, dicēdum, inquam, quod licet diſtinguantur formaliter, vel ratione, nihilominus erunt infinita formaliter, ratio, quia ſūt perfectiones ſimpliciter, quidquid autē eſt perfectio ſimpliciter. eſt infinitum formaliter. Item dato, quòd nullo pacto ab eſſentia diſtinguatur, v. g. Sapientia, quæro aut erit finita, aut infinita formaliter, non finita; aliàs Deus, qui eſt ſumma ſapientia, eſſet formaliter finitus: ergo erit infinita formaliter: igitur non ex diſtinctione formali pendebit attributorum infinitas formalis: quia tamē attributa ſunt perfectiones ſimpliciter, ideò erunt infinita formaliter.

Non ideo attributa ſunt infinita formaliter, quia diſtincta formaliter, ſed quia perfectiones ſimpliciter.

5 Adde, quòd eſſentia Dei eſt infinita formaliter, attributa autē emanant ab eſſentia, ergo ſunt infinita formaliter. ſequitur conſequentia, & da oppoſitum, quare enim intellectus creatus, & paſſiones creatæ ſunt finita formaliter, quia emanant à ſubiecto creato, quod eſt finitum formaliter, eſt verò eſſentia diuina, à qua emanant, infinita formaliter, ergo & ipſa emanantia infinita formaliter. vnde ad argumentum eſt quoque reſpondendū, negando conſequentiam, quamuis.n.

Alia origo infinitatis.

non

non identificentur formaliter, nihilominus ſunt talis naturæ, vt in ſui emanatione emanēt ſic infinita formaliter: tùm quia principium, à quo emanant eſt infinitum formaliter; tùm quia ſunt perfectiones ſimpliciter, quibus competit eſſe infinita formaliter; tùm denique quia quicquid eſt in Deo eſt infinitum formaliter. quidquid ſit de relationibus.

Infinitatis triplex gradus.

6 Proſequamur autem principale quæſitum: Triplicem habemus gradum infinitatis, radicalis, formalis, & identicæ, ſiue realis. hæc omnia diſtinguenda, & ordinanda ſunt in diuinis. Et quidem, alicui competunt omnes tres gradus infinitatis: alicui ſolummodo duo: alteri ſolummodo vnus. explicemus ſingula, eſſentia diuina eſt triplici conſideratione infinitatis infinita, radicali, reali, & formali. patet de radicali, quia ex Damaſc. in c. 3. Exo: *Eſſentia eſt Pelagus infinitum diuinarū perfectionum.* Et quidem ab eſſentia emanant ſingula, quæ ſunt in diuinis, igitur ipſa eſt fundamentum, & radix omnium perfectionum, vnde merito perfectioens omnes in ſe hoc modo cōtinet primatenus radicaliter; ideoq; primo loco infinitas eius vocanda erit radicalis. Quia verò eſt inſuper verè, & realiter à parte rei infinita, ideo erit etiam infinita infinitate reali. Quia denique formalis ratio, & cōceptus eius eſt quoq; infinitus formaliter, ideo appellāda demum venit infinita formaliter, itaq; eſt triplici infinitate, ſiue triplici modo conſiderandi, infinita, radicaliter, & formaliter. Diuina inſuper attributa, cum modis intrinſecis, ſunt duplici conſideratione graduali infinita, infinitate reali, & infinitate formali. vtique non infinita infinitate radicali, cùm id ſolum competat eſſentiæ, à qua dimanant; igitur infinitate reali, quia à parte rei ſunt realiter perfectiones ſimpliciter, ob quod erunt & infinita realiter, & formaliter; etenim talis eſt natura perfectionis ſimpliciter, vt ſic infinita realiter, & formaliter. Relationes denìq, ſiue Notiones, in ſententia Scoti, non ſunt infinitæ formaliter; quia tamen identificantur cum eſſentia, ideo conceditur eis infinitas identica, ſiue realis, ob quod dicuntur, in eius ſententia, participare vnum gradum infinitatis, identicæ, ſeu realis, eſſentia namque ſibi identificat omnia ad intra, iuxta ſententiam Auguſt. *in diuinis omnia ſunt vnum &c.* vnitate ſaltem identica, & eſſentiali.

Alio modo eſt infinita Eßentia, alio modi intrinſeci, & attributa: alioque modo diuinæ relationes.

7 Porrò, infinitas hæc attributorum, dicenda eſt, vt differat ab infinitate eſſentæ; Ratio id poſtulat, quoniam, dum diſtinguuntur inter ſe attributa, & eſſentia, diſtinguuntur etiam eorum infinitates: id verò concedendum in omni ſentētia ſiue Thomiſtarum admittentium diſtinctionem virtualem, ſiue Scotiſtarum admittentiū actualem formalem. Item eſſentia eſt infinita quidem, ſed in genere *Entis,* quia ipſa eſt prima, & radicalis, atque fundamentalis entitas in diuinis, attributa ſunt infinita per modum circunſtantis eſſentiam, vt loquitur Damaſc. ſiue per modum quaſi qualitatis, vt Alij. Inſuper infinitas formalis vnius attributi diſtinguitur ab infinitate formali alterius attributi: ſequitur hoc ex diſtinctione attributorum, cùm namq; diſtinguātur attributa, neceſſum quoque eſt diſtinguantur inuicem ipſorū infinitates. Accedit, quod infinitas formalis vnius non imbibit formalem infinitatem alterius, ergo ſunt diſtinctæ infinitates: Antecedens de ſe notum eſt, quia ſapientia Dei non eſt infinita per infinitatem bonitatis ipſius Dei, ratio, quoniam Deus non eſt ſapiens per bonitatem, ergo ſapientia eius non erit infinita propter bonitatis infinitatem. de hoc autem actum fuit in diſputat. de Perfectione, & Infinitate Dei.

QVAE

QVÆSTIO IV.

Attributa diuina an ſint numero infinita.

Attributa diuina ſũt numero infinita.

1 CIrca numerum attributorum, ſtatuenda eſt aſſertio, *ipſa non eſſe numero infinita*. Hæc Concluſio eſt communis. vnde infertur eſſe numero finita, ſiue finita extenſiuè, cùm hucvſque oſtenſum fuerit eſſe infinita formaliter, & intenſiuè. probatur verò, *Natura abhorret infinitum*, loquitur autẽ Philoſophus de infinitate per ſe, & numerali, atque extenſiua: ergo idem in Deo eſt dicẽdum de ſuis attributis. Item Natura abhorret infinitum in creaturis, ergo etiam in Creatore, prob. conſeq. abhorret namque Natura infinitum in creatura propter imperfectiones, quæ ex tali extenſiuo, & numerali infinito ſequuntur; quod autem eſt imperfectionis, remouendum eſt à Deo. Inſuper Ariſtoteles vniuersã entiũ coordinationem reſtrinxit ad decem numero Genera: cur autem non ad infinita? Accedit quòd Porphyrius contentus fuit quinque illis Prędicabilib. Hi quidem, Alijq; Inuẽtores Artium, non proceſſerunt in infinitum, ſed ad determinata numero, ſiue genera, ſiue ſpecies, reduxerunt contenta in ſuis Artibus, quoſt amplius ſignum eſt Naturam abhorrere in omnib. infinitum: lege Scot. in 4. d. 13. q. 1. art. 2. litt. AA. & Salas 1.1. tract. 2. diſp. 4. ſect. 2. nu. 11. Suar. 1. p. tract. 1. lib. 2. c. 22. Molin. Bann. pluresq; ad 1. p. q. 12. art. 7.

Probatur.

Probatur inſuper.

2 Præterea vna eſt in Deo eſſentia, igitur ex oppoſito, deberent ipſo multiplicari in infinitum diuinæ eſſentiæ. Item tres ſunt diuinæ Hypoſtaſes, ergo deberent eſſe numero infinitæ perſonæ: quo dato, ſequeretur Deum non eſſe Trinum, & Vnum; nõ Vnum, ratione infinitarum eſſentiarum; non Trinum, ratione infinitarum Hypoſtaſum. Inſuper eſsẽtia communicatur per intellectum, & volũtatem, at quæro, quot intellectus in Deo ſunt, quot voluntates? ſi dicas, infinitas, ergo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus non intelligunt per vnum numero intellectum, nec per vnam numero intellectionem: ſicut nec vellent per vnam numero voluntatem, & per vnicam numero volitionem, ſed vel vnicuique proprius, & diſtinctus corresponderet intellectus, diſtinctaq; intellectio; voluntas, & volitio; vel infinitis Perſonis infinitæ correſponderent intellectiones, volitiones, intellectus, & voluntates. Ita demum, paſſiones, & proprietates, & perfectiones in creaturis ſunt numero finitæ, tot, & non plures; conſimiliter in Deo, vt perfectiones attributales, & modales, atq; eſſentiales, ſiue notionales, ſint ipſæ quoque numero finitæ. Et confirmatur, quia quæ de Deo ad intra habentur, vel ad eſſentiam pertinent, vel ad productiones notionales, vel ad emanationes: eſſentia quidem vnica eſt: cætera verò per intellectum habentur, vel per voluntatem: ſi de productionibus loquamur, vnicus habetur filius per intellectum, aliàs ſi plures filij, ergo vltra filios, haberentur etiam & nepotes in diuinis, ita arguente Auguſtino, quia haberentur filij filiorum, & citatur à Scot. quol. q. 1. Vnicus etiam Spiritus ſanctus per volũtatem: Quòd ſi loquamur de emanationib. eæ quidem, vel pertinent ad intellectum, vel ad volũtatem: primi generis ſunt veritas, ſapientia, prudentia, & ſimilia: ſecundi ne-

generis ſunt bonitas, miſericordia, charitas, clementia, & huius generis. natura autem contenta eſt non procedere in infinitum, nec in his, nec in illis, nec in creaturis, nec in diuinis ad intra. Ens quoque ſuas habet numero, extenſiuè, finitas paſſiones, ita ens infinitum intenſiuè Deus, ſiue diuina eſſentia, habet tot perfectiones, vt non ſint extenſiuè infinitæ. citatur in oppoſitum Torres 1.p.q.28.art.2.& Vega ab Ouando in 4.d.49.propoſ.2. & in 2.d.3.propoſ.8.citatus: idemq; ſentiũt qui ea ratione negãt poſſe à creatura obiectum beatificum comprehẽdi, quia in Deo ſunt, inquiunt, infinitæ, numero perfectiones: Verum ſufficit ad id, vt vnaquæque Dei perfectio ſit infinita intenſiuè ad hoc, vt ab intellectu creato nequeat comprehendi. de hoc autem actum fuit diſput. de ſcientia Dei.

Aduerſus Torres, & Vegam.

Obſtatur.

3 Dices connotare imperfectionem in Deo, vt eius perfectiones non ſint numero infinitæ. Verum hoc gratis dicitur; non enim perfectio rei cõſiſtit in multitudine, & numerali infinitate, ſed in habendo completè quidquid competit naturæ ipſius rei: vnde Homo non eſt ideo imperfectus, quia habet vnam ſolam Animam, & quinq; ſolummodo sẽſus corporis, ſiquidem ſi plures haberet rationales Animas, pluresq; ſenſus, vtique eſſet imperfectus, ſufficit autem ei vna Anima, vnus intellectus, vna voluntas, vnum corpus; et ſufficit ei, vt eo modo, forma, & diſpoſitione habeat, ſicut competit ſuæ naturæ, vt poſſit operari, alias ſi plura haberet, impedirent potius eius operationes vitales, quàm adiuuarẽt. nec enim ambulare, aut ægrè, poſſet, ſi quatuor pedes haberet: immo ſi eius naturæ neceſſarij forent, vtique naturæ Auctor ei dediſſet, quia *Deus, & natura non deficit in neceſſarijs,* ſicut in Quadrupedibus euenit: & ſi plures expoſceret, vtique natura præberet, ſicut de aliquibus nodoſis, & imperfectis Reptilib. ac Vermibus habemus, præcipuè de eo, quod vulgo dicitur *Centipeda*, vel *Multipeda*, vel *Millepeda*: quemadmodum & Ariſtoteles ait quod ſi Aſtris conueniret motus progreſſiuus, Natura dediſſet eis organa &c. Ergo Deo opus non ſunt infinitæ numero perfectiones: quod ſi ei conuenirent, vtiq; eas haberet: ſicut neq; reperiuntur Dij numero infiniti: ſufficit autem, vt id, quod habet Deus, eo modo habeat, quo ſibi conuenit: at verò conuenit vt habeat perfectiones, infinitas quidem intenſiuè, finitas verò extenſiuè, & numero. Immo addẽdo ei, quod ſibi non conuenit, imperfectum indicaret eſſe Deum, dum id ſibi conferretur, in ſupplementum illius, quod ſibi deficeret. Adde quod deſtrueret ipſum Deum, qui enim perſonas alias, ſiue perſonam alteram adderet Trinitati, deſtrueret Trinitatem, faciendo de Trinitate quaternitatem &c.

Perfectio rei an conſiſtat in multitudine, & numero.

4 De ordine reſtat loquendum attributorum. Et quidem neceſſe eſt dicere, ea eſſe in Deo ordinatè. prob. quia ſi nulllus ibi ordo, ergo confuſio: ſi autem *quæ à Deo ſunt*, teſte Scriptura, *ordinata ſunt*, loquitur verò de creaturis, de quibus ait Sapiens, *omnia in numero, pondere, & menſura feciſti*: quanto magis talis ordo reperietur in ipſo Creatore. Et licet Perſonæ diuinæ ſint vna in altera inuicem per *circumince ſſionem*, nihilominus ibi nulla adeſt confuſio inter eas, non enim habet locũ ibi Cahos illud Anaxagoræ: quapropter ordo, talis in Deo erit, vt primo loco concipiatur diuina eſſentia, quæ merito primarium obtinet locum, quia eſt radix, & fundamentum omnium ad intra. Inde ſequuntur modi intrinſeci: inde attributa. Pergit intellectus, & voluntas: indeque diuinæ Hypoſtaſes, ac perſonæ: & inter has, adeſt etiam ordo nempe originis; Pater namque dicitur prior, inde Filius, demum Spiritus ſanctus. Et quia natura amplectitur ordinem, quamuis omnia hæc ſint ſimul tempore, & æternitate in diuinis, tamen adeſt ibi ordo Naturæ, & ordo Originis; itaut reddendo ſingula ſingulis, inter abſoluta ſit ordo naturæ, & inter reſpectiua ſit ordo originis. Inter ipſa vero attributa, talis ſtatuitur ordo, qualem ipſa poſtulat Dei natura; equidem attributa ſpectantia ad intellectum, priora ſunt ſpectantibus ad voluntatem &c.

Attributa ſeruant ordinem in diuinis.

5 Dum autem in his enumeran-

dis, & ordinandis, nominauimus intellectum, voluntatem, ac Perſonas, non ob id inter attributa Perſonas connumeramus, non enim attributa ſunt ſuppoſita, nec Perſonæ; cùm illa ſint communia omnibus ad intra, perſonalitas autem non ſiet res enim clara eſt; ſed id egimus, vt oſtenderemus ordinem, quem debemus concipere in diuinis de hoc autem ſup.q.1.

6 De intellectu verò vtrum locum obtineat inter attributa, diſcuſſimus ſup. de Vita Dei.

Obſtatur. 7 Aduerſus numerum finitũ Perſonarum, ſicut & cæterorum obſtari poſſet ex Concil. Tolet. 11. de fidei Confeſſ. vbi dicitur, *Hæc Sancta Trinitas non recedit à numero, nec capitur numero.* ergo numerum habebit infinitum, dum Concilium inquit, *quod non capitur numero*, infinitum namque eſt id, quod non clauditur numero.

Occurritur 8 Reſpondetur autem, non velle Concilium, eſſe numero perſonas infinitas, ſed docet Perſonas Trinitatis non eſſe in prædicamento quantitatis diſcretæ, ſicut cæteræ res creatæ numerabiles, quæ eatenus reponuntur in genere prędicamentali; non ſic Trinitas, quæ, quoniam traſcendit omne genus, & ſupergreditur ſupra omne prædicamentum, ideo, inquit, Concil. *non capitur numero.* Et quidem infinitum in perfectione non clauditur, nec arctatur ſub genere prædicamentali finito, at Perſonæ ſunt perfectionis infinitæ. Inſuper loquitur de numero *mathematico*, non de numero *formali traſcendentali*; primo numero cõprehenduntur res creatæ; & finitæ. ſecundo comprehēduntur omnia entia, etenim omne ens de ſe eſt traſcendentali vnitate vnum; & in propoſito vnaquęque Perſona eſt vna de ſe, & Trinitas ex perſonis conſurgens, erit quoque vnitate tali vna, indeq; omnis perſona ſuam habebit formalem, ac traſcendētalem vnitatem, qua fit vna, præſcindendo ab vnitate, & numero prędicamentali, & mathematico, quo res finita, & creata ſolummodo erit multiplex, & vna, reddendo ſingula ſingulis. ſed de his ſermo amplior erit in tract. de Perſonis, cũ quæremus Vtrũ ſit numerus verus perſonarum in diuinis. *Numer. an in di- nis.*

QVÆSTIO V.

Vtrum diuina Attributa, & Relationes diſtinguantur formaliter à diuina eſſentia ante omnem actum noſtri intellectus.

ARTIC. I.
Proponuntur varię ſententiæ Theologorum.

Thomiſtarum ſententia. 1 THomiſtæ omnes vnanimiter cõſentiunt attributa inter ſe, & ab eſſentia diſtingui per operationem intellectus. Verũ quia argumenta Scoti in oppoſitum pugnātia, quam maximè vrgent; ideo aliqualem inueſtigarunt diſtinctionem, etiam ante opus intellectus. Inde autem fit, vt admittant inter ea, diſtinctionem quandam formalem, *virtualem* tamen, etſi non *actualem*: & per eam occurrere intendunt argumentis ſentẽtiæ Scoti. Eſſentia, aiunt, continet attributa, ex tali autem continentia deducunt diſtinctionem ipſorum virtualē à parte rei; Item intellectus in concipiendo attributa diſtingui inter ſe, habet fundamentum in ipſa re, quia attributa ſunt

ſunt formaliter actualiter in Dei eſſentia: Verũ quia diuina eſſentia eſt ſimpliciſſima, ideo ad vitandam compoſitionem nolũt diſtinctionem illam formalem eſſe actualem, ſed virtualem. Appellant inſuper diſtinctionem hanc, *rationis*, quia fit operante intellectu, quatenus vnum attributum ſecernit ab alio. Appellant demq; *rationis*, *ratiocinata*, quoniam reperit fundamentum à parte rei, ſaltem virtuale, ſi non actuale. Hi ſunt Caetan. de ente, & eſſent. q. 12. c. 6. Bann. alijque ſectatores D. Thomæ in 1. p. q. 28. art. 2. A' primo autem ad vltimum, faciunt ibi duo genera diſtinctionum formalium, actualis; & virtualis; fundamẽtalis, ſiuè eminentialis; actualem vocant rationis ratiocinantis; virtualem appellant rationis ratiocinatæ.

Ariminenſis, Gabr. Maior. & Durand. opinio.

2 Ariminenſis in 1. d. 8. q. 1. Gabriel 1. d. 2. q. 1. Maior d. 8. q. 1. diſtinctionem admittunt ibi ex natura rei: at diſtinctionem illam non accipiunt ab *intra*, ſed ab *extra*; nolunt enim cõparata attributa inter ſe, vllatenus à parte rei diſtingui; diſtingui autem penes *extrinſeca* eorum connotata, ſiuè effectus ad extra in ipſis creaturis; diſtinguitur namq; Miſericordia à Iuſtitia, quatenus illa comparata ad peccatores, dimittit peccata, iſta punit, & ſic de ſingulis, idem aſſerit Durand. 1. d. 2. q. 2. Marſil. 1. q. 12. art. 3.

Henrici ſententia.

3 Huius oppoſitum aſſerit Henric. quol. 5. q. 1. negãs talem diſtinctionem concipi per relationes, & in ordine ad creaturas; ait vero eſſe concipiẽda aliqua ad intra in ipſo Deo, vt inde habeatur diſtinctio attributorum: inquit autem, dum Pater concipit in ipſo Deo Trinitatem perſonarum, ad inuicem diſtinctarum, concipit etiam principia earum, vt intellectum, & voluntatem: ſed concipit, quod non per intellectum procedit Spiritus ſanctus; ſed Filius; & per voluntatem non filius, ſed Spiritus ſanctus; ergo inde infert diſtinctionem inter ſe ex natura rei.

4 Antiquior tamen fuit ſententia, ante iſtas, diſtingui ſola ratione, & nullatenus ex natura rei. taliſq; fuit antiquiorum Thomiſtarum trahentium illam ex *D*. Tho.

Opinio Iacobi de Viterbo, & Suar.

5 Accedit Iacobus de Viterbio, qui penes Toletanum in 1. d. 8. q. 1. ar. 2. concl. 1. addit diſtinctionem modalem, vt mediam inter diſtinctionẽ formalem ex natura rei, & rationis ex parte ſolius intellectus; eum ſequitur Suarez de Trin. l. 1. c. 10. & vltra.

Sententia Herreræ.

6 Alij contenti ſunt ſola non idẽtitate formali, negantes diſtinctionem formalem: & ex Scotiſtis Hezzera t. 1. d. 14. q. 1.

Gilbertus.

7 Gilbertus Porretanus, & Gualterus admiſit diſtinctionem realem inter eſſentiam, & relationes, ita ſentiũt de Gilberto Henric. quodl. 4. q. 7. Alẽſ. 1. p. q. 68. mem. 5. ar. 6. & D. Tho. 1. p. q. 28. art. 2. idemque de eſſentia, & attributis, eundem ſenſiſſe ait Fauentin. in 1. d. 2. diſp. 20. num. 76.

Aureolus.

8 Aureolus diſtingui ait ex natura rei non ſecundum id, quod dicunt in recto, ſed ſecundum id, quod dicunt in obliquo, nempè penes connotata, in 1. d. 8. 3. p. ar. 4.

9 Quidquid autem ſit, communis ſententia negat diſtinctionem formalem. Afferenda ergo veniunt argumenta id ipſum probantia, vt ſequ. artic.

ARTIC. II.

Probatur diſtingui ſola ratione.

1 PRobatur primo rationib. inde authoritatib. non diſtingui formaliter ex natura rei. Primò, pluralitas formalitatũ repugnat diuinæ ſimplicitati, ergo. Dices, non fieri compoſitionem, neque diuinam deſtrui ſimplicitatem, quoniam vnum non ſe habet vt actus, vel formà; & alterum, vt potentia, vel materia. Contra, vnum attributum eſt in alio, & omnia ſunt in diuina eſſentia: & eſſentia eſt ſapiens, ſiuè Deus eſt ſapiens mediante ſapiẽtia; hæc autem erit ratio qua Deus ſit ſapiens, ergo erit ratio formalis, ſiuè forma; igitur Deus ſe habebit, vt potẽtia, & vt materia; & ſapientia, vt actus, & forma; & conſequenter facient cõ-

poſitionem. Confirmatur, ſi non faciũt vnum per ſe, negando compoſitionẽ, ſaltem facient vnum aggregatione, vel ſaltim vnum per accidens.

2 Secundò arguitur ex fundamento Scotiſtarum: aiunt autem, quod Infinitas eſt ratio identificandi omnia in Deo: hoc ſtante arguitur, attributa, & eſſentia ſunt infinita intenſiuè, ergo identificantur ſibi inuicem. Reſponderi poſſet identificari ſolum realiter. Contra, infinitas realis eſt ratio identitatis realis, ergo infinitas formalis erit ratio identitatis formalis; etenim reddendo ſingula ſingulis, ſicut realis eſt cauſa identitatis realis; ſic formalis erit cauſa identitatis formalis.

3 Tertio ex communi axiomate Theologorum, *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*. ſed inter attributa nulla eſt oppoſitio, prob. non relatiua, quia ſunt abſoluta; in ſolis namque perſonis ſtat relatiua oppoſitio. non contraria oppoſitio, etenim ibi reperitur ſumma pax, ſumma identitas, & vnio: non contradictoria, nec priuatiua, quia in his oppoſitionib. alterum extremorum erit poſitiuum, alterum negatiuum: & licet ibi reperiantur etiam attributa negatiua, vt immutabilitas, immortalitas, nihilominus loquendo de poſitiuis, vt ſapientia, & bonitate, inter hæc nulla reperitur talis oppoſitio priuatiua, ſiuè contradictoria.

4 Quartò, inter ea, quæ diſtinguũtur formaliter, non currit prædicatio in abſtracto ad inuicem: vt falſum eſt dicere, actio eſt paſſio: in diuinis autẽ valet prædicatio in abſtracto, vt ſapiẽtia eſt bonitas: & hæc eadem prædicatio cõceditur à formaliſtis in via Scoti: omnes enim iſtæ ſunt veræ penes eos, *eſſentia diuina eſt bonitas: bonitas eſt eſſentia: ſapientia eſt iuſtitia*, & ſimiles: immo prædicatio in abſtracto non valet niſi in primo modo dicendi per ſe.

5 Quintò, quæ formaliter diſtinguuntur ſic ſe habent, vt vnum concipi poſſit ſine altero: ergo poteſt à creato intellectu Deus concipi ſine attributis, & vnum attributum concipi ſine altero; immo Deus ipſe poſſet ſemetipſum concipere abſque ſuis attributalib. perfectionib. ea autem conceptio eſſet imperfectiſſima, & repugnat vt Deus ſeipſum concipiat inadæquatè, & imperfectè.

6 Sextò omne ens diuiditur in ens reale, & rationis, ergo omnis diſtinctio vel erit realis, vel rationis, ſequitur conſequens, quia non datur ens medium inter reale, & rationis, ergo nec dabitur diſtinctio medians inter realẽ, & rationis: ſed non diſtinguuntur realiter, ergo ſola ratione. Dices inde ſequi, eſſe vnum cum eſſentia, quatenus conſtituunt vnum Deum, & propter hoc non diſtingui realiter, quia non ſunt plures res, ſed vna res. Contra, corpus, & anima conſtituunt vnum tertium, nempè hominem: & nihilominus inter ſe diſtinguũtur realiter, cùm vnum ſeparetur ab alio: ergo quia cõſtituunt vnum cũm eſſentia, non propter hoc vitabitur diſtinctio realis inter ea: ſed hoc non eſt dicendum, ergo negata diſtinctione reali, apponenda eſt diſtinctio ſolius rationis.

7 Septimo, *diſperſa in inferiorib. ſunt vnita in ſuperiorib.* ergo perfectiones diſperſæ in creaturis ſunt vnitæ in Creatore; & conſequenter erunt vnũ, idemq; in ipſo creatore. maior probatur de igne, in quo caliditas, & ſiccitas diſtinguuntur realiter: hæc vero quatenus vniuntur *in ſole*, erunt vnum, & idem, eſt namq, ſol quid ſuperius, in quo, ſicut in cæteris Aſtris, vniri debent qualitates diſperſæ in corporib. ſublunaribus: multo magis in Deo erunt vnum, idemq; perfectiones creaturarum, quæ vniuntur in ipſo tanquã in cauſa, & fundamento perfectiori, & omnino ſuperiori, quoniam caliditas, & ſiccitas in Sole sũt idem formaliter, ergo ſimiliter in Deo attributa.

8 Octauo, diſtinctio ex natura rei eſt maior diſtinctione reali: attributa non diſtinguuntur realiter, ergo nec formaliter ex natura rei. ſequela tenet ex negatione diſtinctionis minoris ad negationẽ diſtinctionis maioris. prob. maior, diſtinctio formalis datur per eſſentialia, ſiuè per intrinſeca, eſt namq; diſtinctio formalis, diſtinctio formarũ: maior vero eſt diſtinctio, quæ datur per intrinſeca. Confirmatur, ſequitur hoc, eſt diſtinctio formalis, ergo eſt diſtin-

ſtinctio formarũ; at forma dicit qniddiratem rei, ergo diſtinguuntur quidditatiuè ea, quæ diſtinguuntur formaliter.

9 Nono ablata diſtinctione formali ſequitur Deum eſſe magis vnum: ſed vnitas Dei eſt qnam maximè defendenda.prob.ſequela, multiplicitas opponitnr vnitati, & deſtruit vnitatẽ: taliter fit admittendo ibi tot formalitates actuales.

10 Decimò, Deus eſt ſummè ſimplex, ergo reſpuit multiplicitatem formalitatum. ſeqnitnr, quia multiplicitas opponitur ſimplicitati. Confirmatur, vnum dicitur ſimplex: duplum autem, & triplum non eſt ſimplex, qnia propter eorum multiplicitatem recedunt ab vno, & conſequenter recedunt ab vnitate, indeq; ſequitur vt faciant compoſitionem, addendo ſupra vnum, conceptus alios dupli, tripli, & ſimilium.

11 Quidquid autem dicerent Scotiſtæ negando ſequi compoſitionem; nihilominus negari non poterit, quod Deus eſſet magis, vnus, magiſq; ſimplex negando talem diſtinctionem, quàm admittendo eam, ac propterea videntur Thomiſtæ facere Deũ magis vnum, magis ſimplicem, immo ſummè ſimplicem.

12 Duodecimo, eſſentia non eſſet vndequaque perfecta, etenim dum diſtinguitur à perfectione ſapientiæ, bonitatis, & ſimilium, vtiq; non eſt perfectio earũ, immo perficeretur ab illis, eſſetq; per ſapientiam ſapiens, & non per ſeipſam.

13 Tertiodecimo, illud, quod diſtinguitur ab eſſentia diuina, in eo, in quo diſtinguitur, aut eſt Deus, aut nõ: ſi Deus, ergo non diſtinguitur: ſi non, ergo erit creatura, & ita in Deo erit aliquid, quod non eſt Deus. ſimili ratione argumentatur Bernardus contra Gilbert. ſerm. octuageſ. in Cant. *ſi ſapientia eſt aliquid aliud à Deitate, aut eſt major illa, aut minor, aut par: nõ maior, quia nihil eſt maius Deo, cum Deus ſit, id. quo maius cogitari non poſſit: non minor, quia eſſet creatnra: non par, qnia eſſent duo Dij.*

14 Quartodecimo, diſtinctio eſt relatio: eſt autem diſtinctio hæc ex natura rei, ergo eſt diſtinctio realis, igitur erit relatio realis; ergo inter eſsẽtiam, attributa, & relationes eſt relatio realis. nullus autem admittere ibi audet relationes alias reales, præter relationes hypoſtaticas perſonales, ergo neganda diſtinctio ex natura rei.

15 Quintodecimo, Auguſt. 7. de Trin. c. 1. 2. *Filius non eo Verbum, quo ſapientia, nec Pater eo Pater, quo Deus, ſed eo magnns, qno ſapiens.* hinc arguitur, qualem identitatem negat inter Deum, & Patrem: inter Verbnm, & ſapientiam, talem admittit inter ſapiẽtiam, & magnitudinem: ſed inter Deitatem, & paternitatem; ſapientiam, & Verbum, negat ſolummodo identitatem formalem, ergo illam admittit inter magnitudinem, & ſapientiam; ergo magnitudo, & ſapientia ſunt idem formaliter, & ita de cæteris attributis. Minor patet, quia Auguſt. non poteſt negare identitatem realem inter paternitatem, & eſſentiam, cùm ſint idem realiter, ergo negat formalem.

16 Anſelm. Monolog. c. 16. *Quemadmodnm id, qnod de ſnmma ſnbſtantia dicitur, eſt vnum eſſentialiter, ita ipſa, vno modo, vna conſideratione eſt quidquid eſt eſſentialiter.* Idem Auguſt. 6. de Trinit. cap. 7. *Deus mnltipliciter qnidem dicitnr, magnus, ſapiens, bonus, ſed eadem magnitudo eius eſt, quæ ſapientia, & eadem bonitas quæ ſapientia, & magnitudo.* Richard. de Sanct. Vict. 1. de Trinit. c. 15. *Dei ſapientia, & omnipotentia vnum, idemq; ſunt per omnia.* Bernard. 5. de conſid. ad Eugen. *Multa dicnntur eſſe in Deo, ſed multa vnnm ſnnt, alioquin, ſi diuerſa pntemus, non trinitatem habebis, ſed centeneitatem, verbi canſa, dicimns magnnm, bonnm, iuſtnm, & innnmerabilia, ſed niſi omnia vnum in Deo conſideres, habebis mnltiplicem Denm.*

17 Deniq; in Concil. Rhemenſ. ſub. Eugen. IV. tempore D. Bern. confutatus fuit Gilbertus negãs propoſitiones iſtas *Pater eſt veritas, Filins eſt veritas, Spiritns ſanctus eſt veritas*; ſed aiebat, eſſe ſic exponendas, *Pater eſt veritas*, ideſt, *Pater eſt verus*; *Filius, & Spiritus ſanctus ſnnt veritas*, ideſt, *Filius eſt verus, Spiritus ſãctns eſt verus*: negabat etiam iſtam, *Deus eſt eſſentia*, quia ſequeretur, quod eſſentia generaret,

raret, ſicut Deus generat: talem verò diſtinctionem etiam admittit Scotus, ergo coincidit cum Gilberto confutato in Concil. & à D. Bernar.

18 In Cõcilio etiam Florent. ſeſſ. 25. ita inter cætera dicitur: *ne ipſam ſubſtantiam re, non autem ſola ratione differre, credere videamur.* ergo ex Cõcil. ſola ratione differũt, nõ formaliter.

ARTIC. III.
Probatur dari diſtinctionẽ ex natura rei formalem ante opus intellectus.

1 OPpoſita Scotiſtarum ſententia eſt, dari ante opus intellectus talem diſtinctionem formalem. ex multis autem argumentis ipſorum, afferemus potiora: & Primo, negata tali diſtinctione ſequeretur Trinitatẽ eſſe quid imaginarium pendens à ratione, & intellectu; prob. principia Filij, & Spiritus ſancti ſunt intellectus, & voluntas: de iſtis autem quæro vel diſtinguuntur ante operationem intellectus, vel poſt: ſi primum, habeo intentum; ſi ſecundum, ergo generatio, & ſpiratio, prout fiunt per intellectũ, & voluntatem, erit quid imaginarium. prob. ſequ. per te intellectus, & volũtas non diſtinguuntur ante intellectũ, ergo nõ habetur ratio cur potius per intellectum producatur Filius, quàm Spiritus ſanctus; & cur magis per voluntatem procedat Spiritus ſanctus, quàm Filius: quòd ſi iſta pendent ſolummodo à cõſideratione intellectus, ſequitur vt talis modus conſtituendi Trinitatem, ſit fictitius. Item quæro à Thomiſtis cur potius intellectus eſt intellectus, & non eſt voluntas, dum formaliter ſunt vnum: & cur potius voluntas eſt voluntas, & non intellectus. diſcurſus ſequitur ex diſtinctione admiſſa poſt intellectus operationem: & ſic de Attributis ad inuicem, & cum eſſentia.

2 Inſuper *principia eſſendi ſunt principia diſtinguendi*: voluntas, & intellectus ſunt principia Filij, & Spiritus ſancti, qui ad inuicem diſtinguuntur; ergo erunt quoque principia diſtinguendi eos ab inuicem: ſed diſtinctio ipſorum eſt per opus intellectus, ergo eorum principia diſtinguentur per operationem intellectus. ergo etiã principiata diſtinguẽtur per opus intellectus, quod eſt imaginarium, ſicq; diſtinctio perſonarum non erit realis, ſed rationis, pendens ab intellectu.

3 Dices ad hoc, poſſe reperiri vnitatem in principijs, cum diſtinctione principiatorum; non enim neceſſe eſt, tantam diſtinctionem reperiri in principijs, quanta in principiatis; nam Spiritus ſanctus, & Filius diſtinguuntur realiter, ſed in cõmuni, & Catholica ſententia, voluntas, & intellectus non diſtinguuntur realiter. & confirmatur, quia, à cauſa æquiuoca promanant effectus realiter diſtincti, & eſsẽtialiter, vt ab Aſtris. Idem euenit in cauſis vniuocis, vt Pater in humanis; producendo plures filios realiter diſtinctos, remanet tamen in ſeipſo vnũ, idem, & indiſtinctum; ſic à pari.

4 Sed contra hoc arguitur, impoſſibile eſt, vt ab vno, eodemq; principio eiuſdem rationis, promanent effectus diuerſæ, & diuerſæ rationis: licet namq; à pluribus principijs alterius, & diuerſæ rationis emanẽt, vt par eſt, effectus alterius, & diuerſæ rationis; nihilominus impoſſibile eſt, vt ab eodẽ prĩcipio vnius rationis dimanẽt effectus diuerſæ, & alterius rationis. Declaratur amplius, diuerſę, alteriuſq; rationis ſpecificæ effectus requirunt principia alterius rationis ſpecificę, & ſpecificè diſtincti: patet per ſingula, & quidem ſenſus viſus à ſenſu auditus, cæteriſque diſtinguitur, & tanta eſt eorum diſtinctio, vt impoſſibile ſit vnum exercere miniſterium, & operationem alterius, non enim producit oculus auditionem, ſed viſionem, & auditus non efficit viſionẽ, ſed auditionem, ſicut de cæteris. Item potentiæ Animæ noſtræ, quia ſunt alterius rationis, euenit vt intellectus non eligat volitionem, nec voluntas producat intellectionem. linquo principia eiuſdem rationis, quæ cum eiuſdem rationis ſint, producent effectus eiuſdem rationis, vt intellectus intellectio-

Ab eodem principio eiuſdem rationis non prodeũt effectus alterius rationis.

lectiones, voluntas volitiones, cæterique ſenſns ſuas operationes eiuſdem rationis. Applicando ad rem, intellectus, & voluntas ſunt principia alterius, & diuerſæ rationis, etiam in diuinis, principiando, qnia filiatio, & ſpiratio ſunt alterius rationis; ergo à voluntate, prout eſt alterius rationis ab intellectu, non poteſt produci Filius; & ab intellectu, prout diuerſæ rationis à voluntate, non poteſt ſpirari Spiritus ſanctus; igitur cùm generatio, & ſpiratio, Filius, & Spiritus ſanctus diſtinguantur ante operationem inrellectus, ſignum erit, eorum quoq; principia diſtingui, licet non tanta diſtinctione, ante opus intellectus. Memoria inſuper fæcunda eſſet volnntas fǽcunda, nulla data diſtinctione à parte rei, & vice verſa, & non eſſent principia alrerius rationis.

Inconueniētia procedētia ex negatione diſtinctionis formalis.

5 Mirum etiã viderur, vt ex identitate formali ſequarur hæc prædicario, Deus per miſericordiam caſtigat, & punit: & per Iuſtitiam miſeretur, & parcit. Deus per volũtatem intelligir, & per intellectum amat, & vult. & his ſimilia: Item quod per intellectum ſolummodo inueſtigemus, vtrum effectus miſericordiæ ſit iraſci, quod eſt effectus inſtitiæ: & vtrum per punitiuam, & vindicatinam iuſtitiã miſereatur, & parcat, quod eſt effectus miſerieordiæ. hæc ſequũtur, negata diſtinctione anre intellectum: eſſer autem ſolnmmodo, fingere, quòd Deus per iram iraſcitur, & per miſericordiam parcit, & non quod verè tales effectus iræ, & miſericordiæ producat per irã, & miſericordiam. his ſimilia multa obijci poſſent, vnde prædicationes, alioqui veras, & à parte rei catholicas. eſſet facere imaginarias, fictitias, & nõ reales, vt viſũ eſt: Et quid apertins figmentum, quàm dicere intellectum velle, & voluntatem intelligere: intellectum ſpirare, & voluutatem generare: Miſericordiam pnnire, & Iuſtitiam parcere? negata namque diſtinctione anteeedenri, hæc ſequũtur, quæ tamen negantur poſita diſtinctione antecedenri formali.

6 Conſeqnētia probatur, etenim dum ſunr vnum, idemq; formaliter, ergo id, quod de vno dicitur, prædicatur de altero: intellectns. & volnntas per te, ſunt idem formaliter, ergo ſpirare, qnod prædicatur de voluntate, prædicabitur de inrellectu, & viceuerſa generare, quod dicitur de intellectu, dicetur de voluntate, & ita voluntas generabit, & intellectus ſpirabir: ita quoque per miſericordiam Deus iraſcetur, & per iuſtitiam miſerebitur. Confugere ad intellectum diſtinguentem, eſt cõfugere ad figmenta; etenim ſi ibi non adeſt diſtinctio inter hæc à parte rei, vtique ea, qnæ applicabitur, erit conficta ab intellectu: eo magis, quo eam vocant diſtinctionem rationis. & Confirmatur, teſte Ariſt. cap. de ſubſt. *Ab eo, quod res eſt, ratio dicitur vera, vel falſa*; igitur veritas non pendebit ab intellectu: ita à pari, verè à parte rei intellectus, & memoria fæcunda eſt illa, quæ eſt principium generandi, & non voluntas: & voluntas eſt principium ſpirandi, & nõ intellectus; igitur diſtinctio illorum erit à parte rei, & non per inrellectum, aliàs, vr adducit Ariſt. ea, quæ à ſolo intellectu dependenr, non ſunt vera, ſed ficta per intellectum, & talia eſſent multa, quæ dicuntur in diuinis, ſi eorum diſtinctio penderet à ſolo intellectu.

Ea, de quibus verificantur cõtradictoria non ſunt idem formaliter.

7 In vninerſum autem pro ſingulis, ſufficiat hæc probatio, quæ poreſt eſſe fundamentum multipliciter arguendi. Illa non ſunt idem formaliter, de quibus dno prædicata contradictoria verificantur: ſed de eſſentia, & relationibns diuinis: de intellectu, & volũtate: de Iuſtitia, & Miſericordia verificãtut dno contradictoria, ergo non ſunt idem formaliter. maior patet. prob. min. eſſentia commnnicatur, relatio nõ commnnicatur: illa à parte rei eſt pluribns communicabilis, hæc vt paternitas, filiatio, ſpiratio paſſiua eſt incõmunicabilis pluribus, & hoc quidem à parte rei ante opus intellectus; dum igitur contradictoria prædicantur de eis, non erit eorum diſtinctjo pendens ab intellectu. Item hæc eſt vera, *Pater generat*, hæc falſa, *eſſentia generat*. hæc vera, *Filus generatur*, hæc falſa, *eſſentia generatur*, quia eſſentia nec generat, nec generatur, etenim diſtingueretur realiter à Genito ſi generaret; & à Generante ſi generaretur. omnia

autem

autem in diuinis ſunt vnum propter eſſentiam: quòd ſi negantur prædicationes iſtæ ab eſſentia, ne detur diſtinctio realis inter Patrem & eſſentiam, inter Filium & eſſentiam, ergo verè à parte rei de eſſentia, & de Patre verificantur contradictoria, quod Pater generet, eſſentia non generet: at Pater & eſſentia ſunt idem realiter, ergo ad verificanda contradictoria, neceſſe eſt admittere inter illa, diſtinctionem aliquam: ſed nõ realem, ergo formalem: non ſufficit diſtinctio rationis, quia diſtinctio ficta per intellectum non eſt cauſa verificandi contradictoria.

Reſponſio Caetan. & Bann.

8 Reſpondent Caiet. Bann. & Alij eſſentiam, prout illimitatam, & infinitam, continere eminenter, & virtualiter communicabilitatem, & incommunicabilitatem, & vtrumque poſſe prædicari de ea. Reſpondet Vaſq. diſtingui ratione eſſentiam à relatione per intellectum in ordine ad varios conceptus noſtros repertos in ipſa re penes nos. Contra primum, mirabile eſt, vt dicatur, eſſentiam eſſe incommunicabilem, id verò ſequitur ex contientia eminentiali. Inde etiam ſequitur, vt verum ſit, eſſentiam generare, & generari, propter eandem rationẽ, quia eminenter continet incommunicabilitatem, & generationem: ſicut etiam ſequitur, paternitatem communicari, quia eſſentia continet eam, quod eſt apertè contra Concil. Flor. in litt. vnionis, *Pater omne quod habet, dedit Filio, præter eſſe Ingenitum.* Ecce in quantas anguſtias deueniunt, a quibus tamen liberi ſunt ponentes diſtinctionem à parte rei formalem.

Eliditur:

Vaſquez reſpondet, ſed redarguitur.

9 Contra ſecundum, inualida prorſus reſponſio, dato namq; nullum reperiri intellectum creatum formãtem conceptus tales penes nos, vtiq; non haberetur diſtinctio illa inter relationem, & eſſentiam, & ita communicabilitas, & generabilitas, & incommunicabilitas verè dicerentur de eodem, quia nullus eſſet intellectus admittens talem diſtinctionem, vnde nullo exiſtente, ſiue nullo cogitante intellectu, verum eſſet formaliter, eſſentiam generare, generari, eſſe communicabilem, & incommunicabilem, quia ceſſaret cauſa, ſiue intellectus faciens diſtinctionem inter relationem incommunicabilem, & eſſentiam cõmunicabilem: inter Patrem generantem, & Filium genitum, & eſſentiam nec generantem, nec genitam. Dices, ſi ceſſaret intellectus creatus, nõ ceſſaret intellectus increatus, qui poſſet admittere talem diſtinctionem: Contra, talem diſtinctionem admittũt Aduerſarij in ordine ad conceptus obiectiuales repertos in creaturis: demus autem nullam reperiri creaturam, tũc non haberetur vnde deſumeretur talis diſtinctio. Dices, ſi deficeret creatura in eſſe actuali, remaneret tamen in eſſe poſſibili: & inde inſurgeret Dei intellectus ad faciendam diſtinctionem. Contra, demus ex hypotheſi, nec in eſſe in actuali, nec poſſibili reperiri creaturas, vnde quæſo deduceretur diſtinctio? non ex creaturis actualib. & poſſibilibus, data hypotheſi; ergo à primo ad vltimum, deducitur ex ipſa natura rerum, vt eſſentia, quia de ſe eſt communicabilis, & relatio de ſe incommunicabilis, ideo de ſe ex ſuis rationibus formalibus nullo intellectu cogitante diſtinguantur. Reſpõſio hęc Vaſquij eſt omnino inutilis, & amplius conſtat, quia inquit, intellectum diuinum non diſtinguere inter eſſentiã, & relationem: ſed ſi nullus eſſet intellectus creatus, diſtinguens, quæro quis diſtingueret? non creatus, qui non extaret, non increatus per eum: ergo vera eſt propoſitio, eſſentia generat, ſicut vera eſt iſta, Pater generat, quia nõ eſſet qui diſtingueret illam ab iſta. illa autẽ Caietani eſt magis apparens, quia propter infinitatem, & illimitationem eſſentiæ, modo dicetur communicabilis, modo incommunicabilis, reddendo ſingula ſingulis: verum non effugit incõuenientia allata, quod inde ſequantur prædicationes illæ, *Eſſentia generat, generatur, eſt incommunicabilis,* vt deduximus.

Obſtatur.

Occurritur.

Vaſquez retunditur.

10 Subdit etiam Caet. & Sequaces, diſtingui ibi virtualiter formaliter, licet non actualiter. vnde admittit diſtinctionem virtualem formalem. loqudẽi modus vtique à ſolis ipſis inuentus, vt ſimul connectant formale cum virtuali: quæ quidem minus ſimul conueniunt; ſemper namque formale indi-

Caetanus reſponet aliter.

Impugnatur.

Impugnatur. indicat actuale: & formale dum formã præſtat rei, præſtat etiam actuale eſſe rei, ſiue intra cauſas, ſiue extra cauſas ſuas. ſicut ex oppoſito ex virtuali non ſequitur neceſſario nexus, ſine connexio formalis. prob. Sol eſt virtualiter calidus, magis, minuſq; iuxta acceſsũ, & receſſum à nobis, nullo tamen pacto dicitur formaliter talis. vtique calorem minorem producit in hyemali, ac brumali ſolſtitio, maiorem in æſtiuali, propter quod cognoſcitur eſſe virtualiter talis, nuſquam calidus formaliter. ſic de cæteris Aſtris. Item eſſe virtute tale, non eſt, eſſe tale formaliter. prob. etenim virtute eſſe tale, eſt eſſe tale in actu primo; & eſſe formaliter tale, eſt eſſe tale in actu ſecundo, ſed contradictio eſt eſſe ſimul in actu primo, & ſecundo, quia idem ſonaret, ac eſſe ſimul in potentia, & in actu: vtique forma eſt, quæ dat actum, ſiue eſſe actuale, quandoquidem ipſa eſt actus, & completio rei: implicat verò eſſe in potentia ad formam, & eſſe ſub forma; nam actus concludit potentiã, dum potentia terminatur per actum; igitur dum non ſunt ſimul potentia, & actus, neque erunt ſimul eſſe virtualiter, & eſſe formaliter: quapropter diſtinctio illa de eſſe virtuali formali eſt vana, & contra logicam. Quod ſi dicas, dicitur virtualis formalis, vt oſtẽdat verè, & formaliter adeſſe ibi tale eſſe virtuale. Verum inutilis laboratio, & futilis dubitatio, quis namque dubitabit quòd eſſe virtualiter aliquid in aliquo, ſit verè, ſic eſſe ibi, dum verè ibi reperitur tale eſſe virtuale: vt Sol habet virtutẽ producẽdi calorẽ, & eſt in ſe virtualiter calidus, hoc verè ibi eſt in ipſo Sole, vt verè eſt virtualiter talis: at dicere virtualiter formaliter, eſt idẽ ac dicere, virtualiter, actualiter: vt ſi dicam Sol eſt calidus virtualiter formaliter, ſenſus erit eſt calidus non ſolùm virtualiter, ſed actualiter, & formaliter, & ita erit etiam calidus formaliter, quod eſt falſum. Idem etiam importat calidus virtualiter formaliter, ac prædicatio formalis caloris de Sole, vt verum inde ſit, eſſe calidum formaliter, & calidum actualiter, nedũ virtualiter, & cauſaliter, ſeu potentialiter. Vel propoſitio iſta deſtruit ſeipſam, quia dicendo, *virtualiter formaliter*, vnum deſtruit alterum; etenim, *virtualiter*, vt eſt dictum, importat potentiam in actu primo; *formaliter*, importat formam, & actum ſecundum; ſed nihil eſt ſimul in potentia, & in actu, ergo propoſitio deſtruit ſeipſam: & ly *formaliter* eſt conditio diſtrahẽs omnino à *virtualiter*, quia eſſe inſimul in potentia, & actu implicat. ita quoq; ruit diſtinctio hæc Caetani de diſtinctione virtuali formali, ex dictis. ſufficiebat autem ſibi dixiſſe, *virtualiter*, abſq; additione, *formaliter*.

11 Præterea, in eo, quod ait, eſſentiam, quatenus infinitam, eſſe virtualiter formaliter communicabilem, & incommunicabilem, vt rationem ſoluat, quomodo erit eadem formaliter cum relatione, dum hæc eſt incommunicabilis, illa communicabilis; equidẽ dum vnum inconueniens nititur fugere, incidit in aliud. & arguitur, vt eſt mox argutum, quia dum ait, eſſentiam eſſe virtualiter formaliter etiam incõmunicabilem, apertè indicat eſſentiã eſſe formaliter actualiter incommunicabilem: Aſſumptum ſequitur ex mox dictis; quia idem eſt eſſe virtualiter formaliter tale, ac eſſe formaliter actualiter tale; vel propoſitio deſtruit ſeipſam: repugnat enim eſſe in virtute, & forma. ſeu ſub eſſe virtuali, & eſſe formali ſimul, quia idem eſſet in actu ſimul, & potentia; ergo dum aliquod eſt virtualiter formaliter tale, vel nullum faciet ſenſum propoſitio iſta, vel ſenſus erit pro eſſe actuali formali, quia forma ſupponit pro actu, cum forma ſit actus, & cõpletio rei, & det eſſe rei. Ad propoſitum, ſequitur, vt idem ſit dicere, eſſentiam, propter illimitationem eſſe nedum communicabilem, verum & incommunicabilem virtualiter formaliter, ac dicere abſolutè, eſſentiam eſſe actualiter, & formaliter communicabilem, & incommunicabilem: aliàs ſi ſenſum alium prætendunt vtẽdo tali modo loquendi, vel quidem minimè aptè explicant intentum, cum termini nõ ſint ad propoſitum, immo ad oppoſitum; vel mutare debent terminos; vel concedere abſolutè diſtinctionẽ ex natura rei, ne impingere cogantur in hęc incõmoda.

Nil reponitur in plurib. prædicamentis directè, licet indirectè.

12 Sed renertamur ad ſuperius inconueniens deductum ex contradictorijs. Eſſentia non includit in ſui ratione intrinſeca relationem; ergo relatio, & eſſentia diſtinguuntur formaliter: Antecedens de ſe patet, etenim nullum reſpectiuum eſt de intrinſeca ratione abſoluti, aliàs idem eſſet eſsẽtialiter abſolutum, & reſpectiuum, atque idem reponeretur directè in pluribus prædicamentis, abſoluto, & reſpectiuo, quod eſt falſum, quia ſolùm conceditur vt indirectè reponi qnid poſſit in pluribus prædicamẽtis, vltra proprium prædicamentum, in quo reperitur directè: modo autem abſtrahimus, ſic in vniuerſum loquendo, abſtrahendo à Deo, quia Deum non reponimus in prædicamento, vt ſup. ſuo loco fuit dictum. quòd ſi relatio non eſt de ratione intrinſeca eſſentiæ, diſtinguentur vtiq; formaliter. Item Paternitas eſt formaliter eadem cum eſſentia, ſed eſſentia eſt de intrinſeca ratione Filij, & Spiritus ſancti, ergo Paternitas erit de intrinſeca ratione cõſtitutiua Verbi, & Spiritus ſancti. Inſuper Pater communicat Filio, & Spiritui ſancto eſſentiam, & attributa, ac modos intrinſecos, vtpotè eoſdem numero, & realiter, quos Pater habet; ergo communicat etiam paternitatem, & ita Filius erit ingenitus, eritq; Pater: & commnnicabit Spiritui ſancto filiationem, & ita Spiritus ſanctus erit Filius, & natus, ac genitus; ſequuntur hæc omnia, qnia relationes per eos perſonales ſunt idem formaliter cum eſſentia, & attributis; ſed quæ ſunt formaliter eadem, ita ſe habent, vt quod de vno dicitur, dicatur de altero.

Relatio nõ eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ.

Caetanus occurrit.

13 Occurrit Caet. cum cæteris, hæc vera eſſe in creaturis, non in diuinis, vbi ratione infinitatis, & illimitationis omnia ſunt vnum formaliter, diſtincta virtualiter. Sed contra eos eſt aperta authoritas Auguſtini, loquitur verò Auguſt. in ſubiecta materia, vnde 7. de Trinit. ſic ait, *Pater non eo Pater, quo Deus, nec eo Deus, quo Pater; quia omne, quod relatiuè dicitur, eſt aliquid, excepto relatiuo*. quo in loco clarè oſtendit paternitatem non eſſe eſſentiam, nec è conuerſo, quia illa eſt relatio, hæc ſubſtantia: & in Patre, qui relatiuè dicitur, ait Auguſt. eſt aliquid excepto relatiuo, nempe eſt eſſentia, de genere abſoluti; & relatio, de genere reſpectiui. & eod. lib. cap. 1. 2. de Filio ſic inquit, *non eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum dicitur ad aliud, ſapientia ad ſe*. ecce quomodo Auguſtinus tanquam optimus Logicus, diſtinguere apprimè nouerat, etiam in diuinis, relationem ab eſſentia, & Deitate, & relatiuum ab abſoluto, vt Paternitatem à Deitate, & Verbum à ſapiẽtia, quæ eſt attributum abſolutum, & Verbum eſt ſuppoſitum reſpectiuum. Recurrere ad creaturas, & negare id in diuinis, eſt euertere ſenſum Auguſtini, qui de diuinis loquens docet apertiſſimè inter abſoluta, & reſpectiua reperiri diſtinctionem ex natura rei.

Impugnatur.

Ex Augu.

Ex Aug.

14 Idem Auguſt. 8. de Trinit. cap. 2. probans Patrem, & Filium non eſſe quid maius, vtitur hoc medio; *Pater, & Filius non ſunt quid verius, ergo Pater, & Filius non ſunt quid maius*. oſtẽdit quidem, ex quo Pater, & Filius ſũt duæ perſonæ, non propter hoc, quod ſunt duæ, debere dici quid maius; & vtitur medio *veritatis*, non *ſunt quid verius, ergo non quid maius*. ex diſcurſu Auguſtini arguitur, vel Auguſtinus errauit in logica, vel concludit noſtrũ intentum: non primum, cùm nefas ſit id dicere de tanto Doctore, & præcipuè de eius logica, de qua fertur D. Ambroſium in litanijs orandum præcepiſſe, *à logica Auguſtini libera nos Domine*; igitur dabitur ſecundũ, quod eſt intentum: & declaratur argumentatio Auguſtini, vel namq; penes Auguſtinum idem prorſus ſonabat veritas, & magnitudo, vel non importabat idem: ſi des primum, ergo fallitur in arguendo Auguſt. quia committit fallaciam nugationis: & idem probat per idem: non eſt vero dicendum Auguſtinum ignoraſſe regulas fallaciarum, & nugationis: ergo penes ipſũ importabãt hęc cõceptus diuerſos, vt alius ſit conceptus magnitudinis, alius veritatis: & per illũ concludatur ille, & ille ſit medium, & cauſa iſtius. Nec recurrere oportet ad creaturas; etenim loquitur in ſubiecta materia Auguſt. loquitur namq; in diuinis, vbi oſtendit

veritatem non eſſe magnitudinem; per quod à ſimili dicendum de attributis cæteris vt non ſint inuicem formaliter idem. Ipſe quoque 15. de Trinit. c. 5. ait, *ſi dicimus ſapiens, ſpecioſus, potens, ſpiritus: horum, quod nouiſſimum poſui, videtur ſubſtantiam ſignificare, cætera vero huius ſubſtantiæ qualitates.* Addimus Damaſcenum lib. 1. de fid. c. 4. 9. *Inter omnia nomina dicta de Deo, propriſſimum eſt, qui eſt; eſſe enim, dicit quoddam pelagus infinitæ ſubſtantiæ; cætera vero ſunt, quæ circumſtant eſſentiam.* Non video quomodo non apertè indicent hi Patres diſtinctionem ex natura rei; & ne dum virtualem, vt aiunt, verum, & actualem; quoniam apertè dicunt, vnum indicare eſſentiam, cætera circumſtare eſſentiam. vnum non eſſe aliud, cum vnum ſit abſolutum, alterum reſpectiuum, & ſimilia.

Occurrunt aliter. 15 Denique, vt ſoluant omnem nodum difficultatum, aiunt, attributa, & relationes diſtingui non actu, ſed virtute inter ſe: & id ſufficit ad verificanda contradictoria de eis. Sed obſtatur, ergo non magis procedit filius per intellectum, quam per voluntatem actu: ita de Spiritu ſancto non magis per voluntatem actu, quam per intellectum; prob. ſequ. quia per vos non diſtinguuntur actu, intellectus, & voluntas; ergo filius non magis procedit actualiter per intellectum, quam per voluntatem. *Redarguũtur.* Item per eos, intellectus virtualiter ſolum non eſt voluntas, quia virtualiter diſtinguitur à voluntate; ſed filius producitur per intellectum, quatenus diſtinguitur à voluntate: at diſtinguitur virtualiter, nõ actualiter, ergo procedit per intellectum nõ prout diſtinguitur actualiter à voluntate; ergo non magis producitur per intellectum, quam per volũtatem actu. Confirmatur, actualis, & diſtincta productio procedit ab actuali, & diſtincto principio: ſed intellectus non diſtinguitur actualiter à voluntate, ergo filius actualiter productus non magis producitur per intellectum, quam per voluntatem. Inſuper illa virtualis diſtinctio pendet à noſtro modo conſiderandi attributa, in ordine ad creaturas, vt loquuntur ſupra citati Authores; ergo productio filij, & Spiritus ſancti pendent, vt diſtincta, à noſtro modo concipiendi.

16 Præterea aiunt beatos, vt perfectè concipientes eſſentiam, & Deum ipſum, non poſſe diſtinctionem admittere inter attributa; quia talem diſtinctionem admittimus nos propter imperfectum modum concipiendi diuina ex creaturis. *Deus, & Beati quomodo diſtinguunt.* Contra hoc, igitur vt Deus diſtinctionem ponat inter intellectum, & voluntatem, neceſſe eſt vt recurrat ad noſtra figmenta, concipiẽdo noſtras conceptiones ſub vario, & vario modo concipiendi perfectiones creaturarum, quoniam de ſe non concipit illa vt diſtincta, & ideo, vt tanquam diſtincta concipiat, inquiunt, inſpicere ad noſtrum modum, variè, & diſtinctè concipiendi, ſic de Beatis. ſed quid magis gratis dictum quam hoc; etenim Deus vniuerſa cognoſcit à ſe, & independenter à creaturis, igitur neceſſitatem non habet recurrendi ad diſtinctionem repertam in creaturis, vt cognoſcat diſtinctionem inuentam in ſuis perfectionibus. *Impugnatur modus Aduerſariorum.* Item ipſe cognoſcit eſſentiam, & ſuas diuinas perfectiones à priori, ergo nõ indiget iſta poſterioriſtica cognitione, vt ex creaturarum diſtinctione ſurgat ad diſtinctionem ſuarum perfectionum, tanquã à poſteriori. Deniq; ipſe perfectiſſimè nouit omnia, & omnem naturam, & diſtinctionem perfectionũ omnium independenter à diſtinctione creaturarum: quapropter maximè viuificant diuinũ intellectum, vt diſtinctionem in diuinis apponat ex contemplatione noſtrorum figmentorum, quæ facimus in perfectionib. creaturarum. Idem dicimus de intellectu beatifico creato, quia cùm perfectè cognoſcat Deum beatificè, optimè etiam nouit intellectum non eſſe voluntatem, & relationem nõ eſſe eſſentiam: miſericordiam non eſſe iuſtitiam, ſed diſtingui ibi hęc omnia actualiter ex natura rei ex ſuis intrinſecis rationib. formalibus, abſq; recurſu ad diſtinctionem creaturarũ, quia teſte Apoſt. *Videbimus Deum ſicuti eſt:* ſed intellectus nõ eſt voluntas, & voluntas non eſt intellectus, & ſic de alijs, ergo vt ſic, illa videbunt, tanquam actualiter diſtincta.

Arguitur ex Contradictorijs.

17 Demum confirmatur principale intentum à Contradictorijs: Arguitur autem ſic, ea, de quibus verificantur contradictoria, non poſſunt eſſe idem ex natura rei: Inter attributa, & perfectiones diuinas verificantur contradictoria, ergo non erunt idem formaliter. Minor eſt Ariſtotelis 4. Met. cap. 9. *de quolibet eſt verum dicere, quod eſt, vel non eſt.* Minor autem probatur per multa contradictoria.

18 Et Primo, Filius procedit per intellectum, non per voluntatem: Spiritus ſanctus per voluntatem, non per intellectum, ergo intellectus non eſt voluntas, nec voluntas intellectus. Confirmatur, aliàs ſi voluntas, & intellectus eſſent idem, tūc verum eſſet dicere, Filium produci per voluntatem, & Spiritum ſanctum per intellectū.

19 Secundò, Deus intelligit ſe ſub ratione veri, amat autem ſe ſub ratione boni: ergo veritas, & bonitas in Deo diſtinguuntur ex natura rei. Antecedens patet, quia obiectum intellectus eſt verum, & voluntatis eſt bonum.

Diſcurſus hic tenet in ſententia communi, nam Scotus docet obiectū Intellectus eſſe ens, veritatem autem eſſe conditionem obiecti, vnde intelligit tùm verum, tùm bonū: at de hoc ſup. diſput. de veritate.

20 Tertiò, Deus eſt beatus per cognitionem eſſentiæ ſuæ diuinæ: non per cognitionem Creaturarum: ergo intellectio ſui non eſt eadem, cum intellectione creaturarū, loquimur autem obiectiuè, ſic namque diſtinguitur, etenim cognitio formaliter ſpectata, eſt vna, & eadem.

21 Quartò, in Deo reperitur actus fruendi, & vtendi: actu autem fruendi fruitur ſua diuina eſſentia: actu vtendi vtitur creaturis, ergo actus volūtatis, & intellectus, in ordine ad fruitionē, & vſum, diſtinguuntur formaliter: ſequitur, aliàs frueretur creaturis, & creaturæ eſſent obiecta, in quib. bearetur Deus.

22 Quintò, Iuſtitiæ competit vindicare, & punire: miſericordiæ parcere, & miſereri: ergo Iuſtitia, & Miſericordia diſtinguuntur formaliter: aliter Deus per Iuſtitiam parceret, & per Miſericordiam vlciſceretur, & puniret.

23 Sextò, Deus intelligit per intellectum, amat per voluntatem, ergo intellectio, & amor: intellectus, & voluntas diſtinguuntur formaliter: aliàs intellectione, & intellectu amaret: voluntate, & amore intelligeret.

24 Septimò, eſſentia diuina, diuinaq; Attributa, & modi intrinſeci ſunt communicabiles perſonis omnibus: nulla autem diuina Perſona eſt alteri communicabilis, ergo ſtat diſtinctio ex natura rei. aliàs eſſentia eſſet incōmunicabilis, & Perſonæ communicabiles.

25 Octauò, Menſura Deitatis, cęterorumq; ad intra, eſt æternitas, non eſt autē miſericordia, ſiue aliud attributum, ergò ſtat inter æternitatem, cęteraq; diſtinctio formalis; non enim Deus menſuratur per ſapientiam, bonitatem, paternitatem, filiationem, ſpirationem, & huiuſmodi, ergo ſtat diſtinctio ex natura rei.

26 Nonò in Patre ſtat fæcunditas productiua Filij: in Patre, & Filio ſtat fæcunditas in ordine ad Spiritum ſānctum: at in Spiritu ſancto nulla reperitur ſiue generatiua, ſiue ſpiratiua fæcunditas. ergo.

27 Decimò, perſonis communicatur neceſſitas ſimpliciter, cum cæteris attributis: non autem communicatur infinitas formalis relationū diuinarum; ergo ſtat diſtinctio formalis: Valet & hoc in via Scoti negantis relationes eſſe formaliter infinitas.

28 Vndecimò, Attributa negatiua non ſunt Attributa affirmatiua: illa enim ſunt, Immortalitas, Immutabilitas, Ineffabilitas &c. hæc, ſapientia, bonitas &c. ergo nō ſunt idem, aliàs idem eſſet formaliter propoſitiuum, & negatiuum.

29 Duodecimò, in Deo eſt ſcientia approbationis, & reprobationis: at hæc non ſunt idem: aliàs per ſcientiam approbationis reprobaret, & per ſcientiam reprobationis approbaret, & prædeſtinaret.

30 Denique, in Deo eſt voluntas efficax, & inefficax: voluntas beneplaciti, & voluntas ſigni: at vna diſtinguitur

tur ab alia. Plura afferri poſſent contradictoria, quæ tamen relinquuntur: Ex omnibus verò concluditur, quòd cùm in multis verificentur contradictoria, vtique ea diſtinguentur formaliter ex natura rei.

ARTIC. IV.

Diſtinctionem formalem non obſtare diuinæ ſimplicitati, nec facere compoſitionem in Deo.

1 Ratio, & dubietas incidendi in compoſitionem, penes Deũ, & diuinam deſtruendi ſimplicitatem, diſtrahit pleroſque à diſtinctione formali amplexanda. Verum hoc ſcrupulo non vrgentur Scotiſtæ, ſed omni ſemota dubitatione, aiunt, minimè deſtrui diuinam ſimplicitatẽ ob formalitatum multiplicium numerum, ſiue ob diſtinctionem formalem, immo magis ſimplicitatem perfici, et augeri.

Pluralitas conceptibilitatum nõ opponitur ſimplicitati.

2 Oſtendamus breuiter ſingula. In primis ex oppoſito. Et quidem arguendo ex oppoſito ſic dicimus. Oppoſitum ſimplicitatis, eſt compoſitio: multiplicitas autem conceptuum formalium actualium nõ opponitur ſimplicitati quantum eſt de ſe, niſi aliud addatur, quòd faciat aliunde compoſitionem; ergo ſimplicitati non obſtat formalis diſtinctio. Probatur aſſumptum, in diuinis reperitur triplicitas conceptuum realiter diſtinctorum actualiter, et tamen non deſtruunt ſimplicitatem, nec faciunt compoſitionẽ oppoſitam: antecedẽs patet, de Patre, Filio, et Spiritu ſancto, qui multiplicant conceptus perſonales actualiter, et diſtinguuntur realiter, et nihilominus ſunt vnus, ac ſimplex Deus; ergo falſum eſt dicere, quòd multiplicitas actualis, et diſtinctio formalis cõceptibilitatũ in diuinis, obeſt diuinæ ſimplicitati.

3 Immo arguo à maiori ad minus, maior eſt diſtinctio conceptuum formalium diuinarum hypoſtaſum, quàm diuinorum attributorum, quia illa eſt diſtinctio realis, ſuppoſitalis, hæc ex natura rei, et formalis, cum identitate reali: ſed illa non deſtruit ſimplicitatem, nec facit compoſitionem, ergo nec iſta. et quidem ſi alicui diſtinctioni competeret facere cõpoſitionem, et deſtruere ſimplicitatem, magis cõpeteret diſtinctioni reali, tanquã maiori, quàm diſtinctioni formali, tanquam minori; ſed illa non facit, ergo minus hæc faciet.

4 Item in compoſitis creatis, Anima diſtinguitur realiter à Corpore: forma realiter à materia: ſubiectũ ab accidente: fundamentum à termino, et relatione, et his ſimilia: quę quidem diſtinctio neceſſaria eſt ad compoſitionẽ: tollitur verò ab attributis, dũ admittimus ſolã diſtinctionẽ formalẽ, ergo non deſtruit ſimplicitatem.

5 Confirmatur, ideo ſimplicitas deſtruitur per diſtinctionem realem in creaturis, quia ea, quæ ſimul nectũtur, ſunt alterius rationis, & alterius naturæ, vt Anima rationalis, & corpus: ſubiectum, & accidens; fundamẽtum, & relatio: materia, & forma, vt conſtat; vel enim ſpectant ad diuerſa genera, vt ſubſtantia, & accidens; fundamentum, & relatio: vel differunt genere phyſico, vt materia, & forma: vel metapyſico, vt Anima, & corpus: at in diuinis attributa ſunt eiuſdem naturę, cùm ſint idem realiter cum eſſentia. Conceptus etiam perſonales, licet realiter diſtincti, quia ſunt vnum cũ eſſentia, ſtante conſubſtantialitate perperſonarum, hinc ex vnitate naturæ non deſtruitur ſimplicitas, nec fit compoſitio.

6 Inſuper ad compoſitionem requiritur, vt vnum componibilium ſe habeat vt actus, alterum vt potentia: vnum vt forma, alterum vt materia: negato hoc, non fiet vnum per ſe, nec vnum per accidens, quia ad vtramque vnitatem id requiritur, ſed fieret vnũ per aggregationem, in quo non eſt neceſſe ratio actus, & potentiæ; materiæ, & formæ, vt in aceruo lapidum, non enim vnus lapis informat alium: quo

Ad compoſitionẽ quis requiritur.

quo ſtante, eſſentia in diuinis non habet rationem materiæ, nec quaſi materiæ: nec rationem potentiæ, nec attributales perfectiones habent rationem informantis, & actuantis per informationem; & hinc fit, vt excludatur ratio compoſitionis, & diuina ſeruetur ſimplicitas.

Eſſētia cur non eſt in potētia ad actuari.

7 Ratio autem cur ceſſet ibi natura actus, vltra ea, quæ diximus in propria diſputat. de Dei ſimplicitate, oſtendendo Deum non eſſe compoſitum, hæc modo ſuppetere poteſt, quoniam diuina eſſentia eſt vndequaque infinita, & perfecta; ideoq; eſt in vltima actualitate ſuæ perfectionis, immo ſuarum perfectionum: vnde fit, vt non expectat actuari, & perfici aliunde. Cōfirmatur, quia eſſentia eſt perfecta, & infinita omni gradu infinitudinis perfectionalis, vt diximus ſup. diſput. præced. eſt namq; infinita fundamentaliter, radicaliter, realiter, & formaliter: quod ſi ita eſt, remanet, vt nullius egeat, à quo actuetur, & confirmatur etiā ex Damaſceno appellante eam, *pelagus infinitæ ſubſtantiæ.* Accedit, cùm infinitum ſit illud, *cui nihil deeſt perfectionis*, talis eſt eſſentia, ergo non eſt in potentia ad perfectionem vllam, & conſequenter nihil poterit actuare, & informare, ac perficere eam, vt faciat compoſitionem. Item, quia *eſſentia eſt de ſe hæc.*

Vide infra artic. 7. in reſp. ad. 12

8 Dices, attributa perficiunt eſſentiam, propterea enim vocātur perfectiones diuinæ eſſentiæ. ita de relationibus, quæ ſunt vltimus actus, & complementum eſſentiæ. Reſpondeo ad primum, verum eſſe, ſed ſine informatione, etenim attributa, ſeu perfectiones diuinæ emanant à diuina eſſētia, quia continentur in eſſentia: & in emanando oſtendunt quam ſit perfecta ipſa diuina eſſentia, quia perfectiōnes tàm eminentes, & infinitę, emanāt ab ipſa eſſentia: quod ſi eſſentia continet perfectiones has infinitas, quæ emanant ex ea, ſignum eſt, quod eſſentia eſt de ſe perfecta, & infinita, & non expectat aliunde actualitatem, & perfectionem. Relationes etiá, dato quod dicāt perfectionem, conſimiliter emanant à perfectiſſima eſſentia.

9 Si dicas, attributa, & relationes eſſe actus eſſentiæ, quia per ea terminatur, et adæquatur eius infinita perfectio. Reſpondeo id habere poſſe duplicem ſenſum, eſſe namque actum, idē eſt, ac eſſe formam perficientem materiam, ſiue ſubiectum, et hic ſenſus eſt falſus, vt eſt oſtenſum, quia perfectiones iſtæ continentur in eſſentia, et emanant ab eſſentia, et in emanando ſunt ſigna oſtenſiua perfectionis, et infinitatis eſſentiæ: eſſe inſuper actum, idem poteſt eſſe, ac eſſe terminū emanationis, ſiue productionis alicuius rei, ita vt connotet extrinſecam denominationem ſub ratione terminantis productionem, ſeu curſum, et ordinē alicuius rei: et vt ſic, poteſt habere catholicum ſenſum: et ita eſt, quia eſſentia per memoriam fæcundam, et voluntatem fæcundam; communicatur diuinis perſonis, quæ quidem ſunt vltimus terminus ſuæ cōmunicationis: quæ etiam perſonæ vocari ſolēt actus hypoſtatici: non quidem actus informantes eſſentiam, quia perſonæ ſunt in eſſentia, tanquam *ſuppoſitum in natura*, non tanquam *actus in materia*: et relatio eſt in eſſentia, *tanquam in fundamento*, non tanquā *in ſubiecto* actuabili, & informabili. habent igitur rationem actus vltimi, ſiue vltimi termini, quia ad perſonas vltimo terminatur, & ordinatur per memoriam, & volūtatem ipſa diuina eſſentia de hoc amplius tom. 2. de Trin. diſput. 2. ita quoque attributa habent rationem actus, nō quidem informantis, & perficientis, ſed ſpectando diuinas emanationes, ad ipſas terminatur emanatio perfectionum attributalium. itaq; à primo ad vltimum, ipſa cum nullo iſtorum facit compoſitionē, quia de ſe infinita eſt, & vndequaq; perfecta, non expectans perfici aliunde, cum ab ipſa, tanquam à fonte emanēt ipſæ perfectiones attributales, perficientes eſſentiam, ſed abſq; informatione.

Attributa an perficiant eſſentiam.

Ex multiplicitate formalium conceptuū diſtinctorū formaliter non ſequitur quod Deus ſit minus vnus.

10 Nec eſt dicendum, Deum eſſe magis vnum; ablata multiplicatione perfectionum formalium, quaſi eſſet magis vnus, ſi attributa, & eſſentia coaleſcerent in vnam prorſus rationē formalem, eſſentq; formaliter idē: non id dicendum, quandoquidē eſt impoſſibile vt in Deo non ſit illa multipli-

catio perfectionum, aliàs non eſſet Deus, æquè, & ſummè perfectus. Item illæ perfectiones non poſſunt coaleſcere vndequaque vt faciant vnũ omnino conceptum, & vnicam rationem formalem, cùm vna non ſit de ratione intrinſeca alterius, & diſtinguantur neceſſario ſuis formalibus rationibus formaliter. Inſuper ſi negarentur illæ multiplices perfectiones, vtique eſſet Deus magis vnus, non quidem in re, & ſubſtantia, ſed in realitate, & formalitate, quoniam ceſſarent illæ conceptibilitates, & formalitates ex ſuppoſitione: Cæterum, ſtante multiplicitate earum, Deus non eſt minus vnus, immo apprime, & veriſſimè vnus: ſicut ſtante multiplicitate perſonarũ, Deus non eſt minus vnus, quàm ſi vna, vel nulla in Deo eſſet perſona, quapropter multiplicitas diſtinctiua perfectionũ concludit nõ reperiri vnitatẽ formalem perfectionum diſtinctarum formaliter, non autem concludit Deum eſſe minus vnum, quia in re, verè perfectiones illæ multiplices, ſunt idem, & vnus Deus: à pari enim multiplicitas perſonarum deſtrueret vnitatem Dei: ſicut autem cum multiplicitate perſonarum ſtat vnitas Dei maxima, & ſumma; ita cum multiplicitate diſtinctiua formaliter perfectionum, ſtat ſumma veritas Dei: immo magis hinc probatur, quàm inde, quia perfectiones diſtinguuntur ſolùm formaliter, perſonæ diſtinguũtur ab inuicem realiter, ſed cum multiplicatione perſonarum ſtat vnitas Dei, ergo multo magis eadem vnitas conuincitur cum multiplicatione perfectionũ, quæ minus diſtinguuntur inter ſe, quàm perſonæ inter ſeipſas. ſed de hoc amplius in ſolut. noni argum.

ARTIC. V.
Opinionem Gilberti eſſe omnino diuerſam à ſententia Scoti.

Vaſquij calumnia in Scotum.

1 VAſquez ſuis figmentis imponit Scoto, quod inciderit in ſententiam Gilberti: & propterea cenſuram, tum Concilij, tum Patrum, militare, ait, etiam contra Scotum. ita 1. p. diſp. 120. c. 3. & diſput. 122. c. 1. inquit namq; ſicut Gilbertus admiſit diſtinctionem inter eſſentiam, & relationes, ita Scotus: & diſtinctio quam admiſit Gilbertus non erat realis, tanquã inter rem, & rem, ſed erat ex natura rei, prout Scotus ex natura rei formalem admittit ibi diſtinctionem: vnde concludit definitionem Eugenij factã contra Gilbertum, valere etiam contra Scotum de diſtinctione formali. Probat, quia Gilbertus aiebat, *Inter naturam, & perſonam non mathematica abſtractione, ſed theologica conſideratione, quoquo modo rationem diuidere*, vt refert Otho Frigienſis Epiſcopus l. 1. de Geſtis Friderici 1. Imp. c. 56. quo in loco per *theologicam conſiderationem* intelligenda venit diſtinctio vera ex natura rei; ſicut per *mathematicam abſtractionem* intelligũtur abſtractiones, & diſtinctiones confictæ per intellectum; intellectus enim eſt, qui ſecernit, abſtractione metaphyſica, & præciſina, quantitatem à materia. Cùm vero non dicat Gilbertus inter eſſentiam, & perſonam fieri realem diuiſionem, ſiue diſtinctionem, tanquam inter rem, & rem, ſequitur, vt diſtinctio, quam admittit, ſit ſolum ex natura rei formalis: cùm autem hæc ſit eadem cum ſententia Scoti, reſtat vt eadem cenſura notetur opinio Scoti, ac Gilberti.

Liberatur Scotus ab impoſtura Vaſquij, & aperitur intelligentia Gilberti.

2 Verum fallitur apertiſſimè Vaſquez, & ignorãter, ne dicam temerariè inurit Scoto hanc cenſuram. Et in primis non percepit ſenſum Gilberti, nã apertè conſtat, quod inter relationem, & eſſentiam admiſit Gilbertus veram diſtinctionem realem, tanquam ſi eſſet duæ res: Et quod talis ſit ſenſus eius, probatur primo authoritate Doctorũ ita ipſum explicantium, ij ſunt D. Th. 1. p. q. 28. ar. 3. & q. 39. ar. 6. Aleñſis 1. p. q. 68. m. 5. ar. 6. D. Bonau. 1. d. 23. q. 2. Henric. quol. 5. q. 7. &c. hi quidem tanquam, antiquiores, atque viciniores temporib. Gilberti, melius callere poterant opinionem eius, quam ipſe Vaſquez longè, lateq; diſtans ab ijs temporib. & intelligentia: talis etiam eſt communis intelligendi vſus, tum veterum, tum recentiorum Theologorum.

de

de Gilberto:& ipſe ſolus contra ſenſū communem audet ſenſum extorquere Gilberti, vt in vnum impingat Scotū, cuius ſententia de diſtinctione formali tantopere ſibi fuit inuiſa.

Vaſquez nō legit diſcurſum D. Bernardi contra Gilbertū: vel non percepit.

3 Sed ſi legiſſet diſcurſum diſputationis Bernardi, clarè inde elicuiſſet intentum de diſtinctione reali. Et quidem D. Bernardus l.5. de conſiderat. c.7. oſtendit Gilbertum poſuiſſe quaternitatem in Deo: quod ſignum eſt, appoſuiſſe diſtinctionem realem eſſentiæ à trib.perſonis. Item varia exempla,quib.ad eum confutandum vtitur, clarè cōuincunt loqui de diſtinctione reali, etenim ſerm. octuageſ.in Cant. contra eundem vtitur exemplo *niuis in albedine,nigredinis in Coruo*;& ait eſſentiam diuinam non eſſe in perſonis, tanquam formam,ſeu accidens in ſubiecto; etenim par ratio curreret inter eam,& perſonam,ac inter nigredinem, & Coruum:inter albedinem,& niuem: hæc vero accidentia informant ſubiecta, & diſtinguuntur realiter à ſubiectis,licet inſeparabilia ſint à ſubiectis. Vtitur quoq; exemplo *animæ, & magnitudinis*, quæ licet inſeparabilis ſit, nihilominus diuerſæ, inquit,ab inuicē ſunt.& ſubdit, concludendo identitatem,*ſola ſumma, & increata natura,quę eſt Trinitas Deus, hanc ſibi vendicat meram,ſingularemq; ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem,vt non aliud,& aliud, non alibi quoq; & alibi, ſed ne modo quidem, & modo inueniatur in ea*. ex quo deducit, quod licet accidentia aliqua ſint inſeparabilia in creaturis, nō per hoc erūt dicenda idē realiter,immo diſtinguuntur realiter: at in Deo adeo eſt ſimpliciſſima eius natura, vt nedum ſuæ perfectiones, & relationes ſint inſeparabiles ab ea, verum ſint idem realiter cum ea. Cōfirmatur,quoniam ipſemet Gilbertus vtitur nomine *diuiſionis*, cū dicit, *theologica conſideratione quoquo modo rationem diuidere*: diuiſio autem cadit ſuper diſtincta realiter,itaut partes diuiſæ, & ſeparatæ remaneant diſtinctæ realiter. liquido igitur conſtat longè eſſe alium ſenſum diſtinctionis Gilberti, & ipſius Scoti: quod ſi non aduertit Vaſquez, aduerterunt alij,inter quos Suarez qui de Trin. l.4. c.2. ait *ſe non dubitare,quin Gilbertus admiſerit diſtinctionem realem*: quod tamen non ait de Scoto:diſtinctio ergo Scoti eſt diſtinctio formalis: diſtinctio Gilberti eſt diſtinctio realis.

4 De attributis dubitari ſolet, vtrū idem Gilbertus eandem diſtinctionem appoſuerit inter attributa, & eſſentiā, negat Vaſquez ſup.loc.cit.colligens id ex multis locis eiuſdem, vt admiſerit identitatem realem. Affirmat Fauentin.1.d.20.nu.76.quidquid tamen ſit, ſufficiat conſtitiſſe non incidere cum eo Scotum circa diſtinctionem realē.

5 Ad probationem adductam de diſtinctione *non mathematica, ſed theologica*, dicendum,primo, Gilbertum intelligere per eam,diſtinctionem realem.& ſecundo, dum negat diſtinctionem mathematicam, vult dicere non poſſe ſeparari realiter relationes, & perſonas ab eſſentia, ſicut mathematicalia non poſſunt ſeparari à materia, niſi præciſiuè per abſtractionem intellectus: cum hoc tamen ſtat diſtinctio realis tūm quantitatis mathematicæ, tūm materiæ ſubiectæ, ab inuicem: & conſimiliter ex eodem Gilberto, inſeparabilitas quidem perſonarum ab eſſentia, ſed diſtinctio realis earumdem.

6 Item Gilbertus negabat iſtam *Deus eſt Deitas*, putans Deitatem diſtingui realiter à Deo;accipiēdo Deū hypoſtaticè pro perſona:vnde neſciēs ſoluere hunc ſyllogiſmum,*Deus generat, ſed Deus eſt eſſentia, ergo eſſentia generat*; negabat minorem:ignorabat verò, quod in maiori *Deus* ſe tenet hypoſtaticè; nam Deus Pater eſt, qui generat, non autem eſſentia generat. Intendebat etiam, quòd relationes perſonarum conſtitutiuæ, eſſent entitates extrinſecus affixæ, & diſtinctæ realiter ab eſſentia: nullum iſtorū concedebat Scotus, ſed admittebat ſolam diſtinctionem formalem inter relationes,& eſſentiam:& ita hāc, *Pater eſt eſſentia* concedit vt veram *realiter, & identicè* ſicut hanc *relatio eſt eſſentia*, non tamen formaliter, quia eſſentia generaret:ſicut nec iſta,*eſſentia eſt Pater,ſeu paternitas,formaliter*.

7 Dices,Scotus ad probandam diſtinctionem inter relationem, & eſſentiam, vtitur ratione Gilberti, nam

ſi

ſi ſunt idem,ergo ſi eſſentia communitur,communicabitur etiam, & relatio conſtitutiua cæteris perſonis.eandem ferè rationē cōficiebat Gilbertus, inquiens, ſi relatio,& eſſentia nō diſtinguuntur, ergo dum communicatur vna,communicatur & altera;igitur eſt eadem vtriuſq; ſententia. Reſp. nego ſequ.quia Scotus inde inferebat ſolam diſtinctionem formalē,Gilbertus verò colligebat diſtinctionem realem.

ARTIC. VI.

Vtrum verè Scotus admiſerit diſtinctionem formalem actualem,an virtualem inter attributa, & eſſētiam, ac Relationes.

Scotum admittere ſolam diſtinctionē virtualem ex Ariminēſi.

1 AN verò Scotus admiſerit verè diſtinctionem ex natura rei,actualem,an virtualem, non eſt indubitatum apud omnes. Et quidem Gregor.Arimin.1.d.8.q.1.art.5. refert quoſdam ſenſiſſe de Scoto, quòd ſolā diſtinctionem admiſerit virtualem; ſiquidem ad ſaluandas contradictiones, ſoluendaſq; emergentes difficultates ipſius Scoti, ea virtualis diſtinctio apprime ſufficientiſſima eſt, ſicq; non videbitur diſcrepare à Thomiſtis. in bonum ſenſum trahunt Scotum Iauellus 12.met.q.19. Rubio 1.d.8.q.3. art.2.& Suar.in met.diſp.30. ſect.6. In eadem ſententia eſt Herrera in 1.diſp. 14.q.1.docens eandem eſſe ſententiā Scoti, & Thomiſtarum, & præcipuè concluſ.3.negat de mēte Scoti diſtingui actualiter formaliter ante operationem intellectus: ac propterea nullatenus appellat diſtinctionem poſitiuam inter ea,ſed ſolùm negatiuā, quatenus non ſunt eadem formaliter inter ſe,& cum eſſentia. & deniq, in reſponſione ad argumenta Thomiſtarū ptoteſtatur ea ſoluere, ſolummodo,vt morem gerat alijs Scotiſtis oppoſitū

Herrera ponit non identitatē de mente Scoti: aitq; Scotiſtas non differre à Thomiſtis.

ſuſtinentibus, ſiquidem ipſe ait, argumenta Thomiſtarum non concludere contra noſtram ſententiam, quandoquidem eadem eſt ſententia Scotiſtarum,inquit,& Thomiſtarum.

2 Probari autem poteſt,quia Scot. 1.d.2.q.7.ſub dupl.G. loquendo de diſtinctione attributorū, *melius eſſe vti, ait,negatiua. dicendo hoc non eſt formaliter idem, quàm hoc diſtingui poſitiuè: vt melius explicetur per non identitatē, quàm per diſtinctionem.* Item ibidem ait,*diſtinctionem iſtam mediam inter diſtinctionem realem, & rationis, non eſſe propriè realem actualem.* ergo apertè docet eandem eſſe ſententiam ſuam cū Thomiſtis. Inſuper approbat opinionem dicentium, illam diſtinctionē *vel eſſe rationis.vel virtualem.* Deniq; quia videtur inconſtans, modo appellans eam, diſtinctionem rationis, modo ex natura rei formalem poſitiuam, modo negatiuam:, modo actualē, modo virtualem, vt meritò Aliqui dubitauerint de eius mente.

3 Nihilominus non eſt dubitandum de mente Scoti diſtinctionē hanc eſſe verè actualem ex natura rei, præcedentem omne opus intellectus. Ita in primis interpretātur eam communiter Scotiſtæ, paucis exceptis. ita quoq; alterius ſcholæ Sectatores in hunc ſenſum,eum adducunt,& præcipuè Gregorius de Arimino maximè laborat, trahendo eum ad hanc ſentētiam. Quod ſi hoc non eſſet,fruſtra laboraſſent formaliſtæ tantopere de hac controuerſia diſputantes.ſunt verò loca eius, paſſim apertiſſimè id indicantia,vt in 1.d.2.p.2.q.1. ſub dupl.F.vbi *diſtinctionem formalem docet præcedere omnem intellectum.* & in eod.1. d.2. q. 7. loc.cit. apertè eam vocat *actualem,* & nō vult eam appellare *potentialem*, quia nihil eſt ibi in potentia,quod non ſit in actu.quod ſi aliquando negat eſſe actualem,non id dicit,prout diſtinguitur contra *virtualem, & potentialem,* cùm expreſsè negauerit eſſe potentialem; ſed negat actualem in eo ſenſu, nempè quatenus actualis importat diſtinctionem realem inter rem, & rē; non autem quatenus diſtinguitur cōtra virtualem, & potentialem; in primo quidem ſenſu negat actualem, in

Verè Scotus admiſit diſtinctionē formalem, poſitiuam, actualem.

Diſtinctio formalis aliquo modo virtualis ex Scoto.

ſecundo concedit. Inſuper, aliquo modo, concedit eſſe *virtualem*, quatenus; inquit, *id, quod habet in ſe talem diſtinctionem, non habet rem, & rem, ſed eſt vna res, habens virtualiter, ſiuè eminenter, quaſi duas realitates*, hæc Scotus. itaq; eſt virtualis, quatenus cum eſſentia, vna cum attributis ſit vnum, & idẽ realiter; eademque eſſentia, propter ſuam infinitatem, *habet virtualiter, ſiue eminenter*, inquit Scotus. *quaſi duas realitates*. Et quia hæ duæ realitates, ſiuè formalitates ſũt ibi verè, & actualiter, ideo ſunt ibi actualiter diſtinctæ formaliter. & paulò infra ſubdit, *In eſſentia diuina ante actum intellectus eſt entitas A, & eſt entitas B, & hac non eſt formaliter illa, ita quod intellectus paternus conſiderans A, & conſiderans B, habet vnde iſta compoſitio ſit vera, A, non eſt formaliter B, non tamen præcisè ex aliquo actu intellectus circa A, & B.* ecce quomodo loquitur apertè Scotus. Item quodlib 5. artic. 2. ait *Paternitatem, & ſpirationem actiuam in eadem perſona differre ex natura rei præter conſiderationem intellectus*. ex hoc vero innuit non eſſe differentiam ſolũ virtualem, vt actualem faciat ſolus intellectus. idem habet 1. d. 8. q. 4. §. ad quæſt. & 4. 46. q. 3. ad 1. & 1. d. 13. q. 1. & alibi ſæpiſſimè, Et d. 2. q. 7. §. ſed hic reſtat: ait, *ſine aſſertione, & præiudicio ſententiæ melioris, dico quod ratio, qua formaliter ſuppoſitum eſt non communicabile, & ratio eſſentiæ, habent aliquam diſtinctionem præcedẽtem omnẽm actum intellectus*. Quod ſi ait id dicere *ſine aſſertione, & præiudicio*, vtique ſignum eſt ipſum recedere à ſentẽtia communi, quæ erat diſtingui per ſolam rationem.

Diſtinctionem formalem Scotus modo appellat non idẽtitatem, modo diſtinctionẽ, modo poſitiuam, modo negatiuam

4 Ad oppoſita, dicendum hanc diſtinctionem vocari à Scoto modo non identitatem, modo diſtinctionem. modo negatiuè explicari, modo poſitiuè: vtrumq; æquè benè: at differt modus vnus ab altero, modus namq; poſitiuus eſt magis adæquatus ad explicandam diſtinctionem, quã negatiuus: hic nãq; ſolam negat identitatem; vnde explicat inadæquatè; ille vero vltra negationem identitatis adiungit diſtinctionem, explicatq; adæquatè: & propterea in ipſomet Scoto, ſicut in Scotiſtis,

Reſp. ad oppoſita.

eſt magis vſitatus modus explicandi per diſtinctionem, quam per non identitatem.

Diſtinctio realis duplex.

5 Ad id, quod diſtinctio hæc non ſit propriè realis, actualis: ex doctrina eiuſdem Scoti reſpondetur, quod alia eſt diſtinctio realis, quæ eſt inter rem, & rem; alia, quæ eſt inter realitatem, & realitatem, ſiuè definitionem, & conceptibilitatem variam, & variam ipſiuſmet rei. prima vtiq; eſt neganda inter attributa, & eſſentiam, quia non ſunt duæ res, ſed vnum, & idem realiter, & vna res: ſecunda eſt concedenda. de prima autem Scotus ait, non eſſe talem diſtinctionem formalẽ, ideoq; in hoc ſenſu, inquit, non eſſe propriè realem: quod ſi non eſt in hoc ſenſu realis, nec etiam erit ſic actualis, quia eſſet diſtinctio realis actualis: eſt autẽ realis, quia formalis, & à parte rei, inter plures realitates, quarũ vna actualiter formaliter non eſt altera. nec eſt actualis rei, & rei, realiter diſtinctæ, vt communiter ſumi ſolet actualis realis; ſed actualis realis, quatenus eſt independens ab intellectu.

Diſtinctio formalis aliquo modo rationis

6 Ad illud, quod ſit rationis, vel virtualis, ad primum concedit ibidem Scotus, poſſe diſtinctionem formalem vocari diſtinctionem rationis, nõ quatenus pendeat ab intellectu, ſeu ratione, ſed quatenus ratio accipitur pro quidditate rei ſecundum, quod quidditas eſt obiectum intellectus. ita Scot. loc. cit. d. 2. q. 7. citans Varronem in 1. d. 3. q. 2. atque inquiens, vocari differentiam rationis; *non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, ſed vt ratio accipitur pro quidditate, ſecundum quod quidditas eſt obiectũ intellectus*. & ad ſecundum de virtuali, ſumit ibi, & vocat virtualem Scotus, quatenus diſtinguitur cõtra diſtinctionem realem vt ibi ſe explicat.

Appellatur quandoque rationis, virtualis: quandoq; negẽ eſſe actualem.

7 Ad vltimum, ita verum eſt, quod modo ſic, modo ſic eam appellat. & quidem ratio eorum redditur; ſiquidẽ vocat eam rationis, non quatenus pẽdens ab intellectu, & ratione, vt eſt dictum, ſed ſumpta ratione pro quidditate rei, ſeu natura rei, idem namq; ex phyſicis importare ſolet *ratio*, ac *natura rei*. Vocat virtualem, eo quod, id, quod habet in ſe talem diſtinctionem,

conti-

continet virtualiter illas quaſi plures realitates diſtinctas formaliter. negat eſſe actualem, quatenus negat eſſe inter rem, & rem, quomodo diſtinctio realis actualis ſumi ſolet pro diſtinctione reali, inter rem, & rem. & deniq; dicit eam eſſe actualem, quatenus non dependet ab intellectu, ſed ex natura rei verè, & actualiter vna perfectio nõ eſt alia formaliter. Verba autem Scoti prædictos ſenſus continentia, hæc ſunt. *Non eſt propriè realis actualis, intelligendo, ſicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ eſt differentia rerum, propter ſimplicitatem diuinam. Poteſt autem vocari differentia rationis, ſicut dicit quidam Doctor, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, ſed vt ratio accipitur pro quidditate rei, ſecundum quod quidditas eſt obiectum intellectus. vel alio modo poteſt vocari differẽtia virtualis, quia illud, quod habet talem diſtinctionem in ſe, non habet rem, & rem, ſed eſt vna res, habens virtualiter, ſeu eminenter quaſi duas realitates, quia vtriq; realitati, vt eſt in illa re, competit illud proprium, quod eſt in tali realitate, ac ſi ipſa eſſet res diſtincta; ita enim hæc realitas diſtinguit, & illa non diſtinguit, ſicut ſi iſta eſſet vna res, & illa alia*: hæc ipſe.

ARTIC. VII.

Vtrum Attributa, quatenus formaliter diſtincta, ſint Deus, an Creatura.

Sententia Aliquorũ. 1 QVæres autem, attributum v.g. bonitatis, quatenus diſtinguitur formaliter vt ſic, quid eſt, vtrum Deus, ân creatura? non Deus, quia formaliter non eſt eſſentia diuina, à qua diſtinguitur formaliter; ergo erit creatura: Reſpondent aliqui, quod nec ſic, nec ſic: nec enim eſt Deus, nec creatura in ſenſu reduplicatiuo, prout diſtincta formaliter: non Deus, quia iam diſtinguitur formaliter à Deo. Quod autem eſt diſtinctum ab aliquo, non eſt idem cum eo tali diſtinctione, qua diſtinguitur. Sed cur ſaltim nõ erit creatura? omne enim quod eſt in entib. aut eſt Deus, aut creatura. Reſpondent omne, quod eſt in vniuerſitate entium, aut eſt Deus, aut creatura, verum, aut realiter, aut formaliter: ſi non formaliter, ſaltem realiter, & ita bonitas, quæ nõ eſt Deus formaliter, erit Deus realiter. Cum dicis, ſi non eſt formaliter Deus, ergo creatura, negant hoc, quia eſt Deus realiter, & hoc impedit, aiũt, vt non ſit creatura vllo pacto.

2 Diſcurſus autẽ iſte eſt logicus; ſeu metaphyſicus, & ideo logicè, & metaphyſicè procedit, taliter abſtrahendo per intellectum, prout facere ſolent Formaliſtæ. Sed de cætero, loquendo Theologicè, & Catholicè, vt oportet, dicimus, quod bonitas *Dei*, ſicut & cætera attributa Dei, ſunt verè ipſe Deus; non enim logica, & Metaphyſica habent derogare ... ſed potius tanquam Ancillæ, debent obſequi, & famulari earum Dominæ Theologiæ, & Catholicæ veritati, quæ ſemper docuit, quòd ea, quæ ſunt ad intra in Deo, ſunt idem cum Deo, & ſunt ipſe Deus; *quidquid enim eſt in Deo, eſt ipſe Deus*: vnde concludimus, quòd attributa, etiam prout diſtincta formaliter à Deitate, ſunt verè Deus: dà oppoſitum, & ſenties cum Ario, aliquid ipſius Dei eſſe creaturam. *Aliter loquendũ logicè, aliter theologicè.*

3 Ad illud autem de diſtinctione, eſt dicendum, quòd diſtinctio formalis non ſufficit ad admittendam diſtinctionẽ realem, itavt ex tali diſtinctione ſequatur, bonitatem, prout diſtinctam, eſſe creaturam; poteſt namque ſtare identitas diuina realis, & eſſentialis cum diſtinctione formali: Quod ſi tamen vltra terminum *diſtinctionis* adderetur terminus *diuerſitatis*, vtique inde inferretur intentum, quod eſſet creatura; ſi namque diceretur, bonitas diuina eſt diuerſa ab eſſentia diuina: ergo quatenus diuerſa, erit vtiq; creatura; diuerſitas nãq; alietatẽ importat, & diuerſitatẽ naturæ, vnde fit, vt cùm eſſet alterius naturæ à natura diuina, vtique vt diuerſa, non foret Deus, ſed creatura: igitur vt inferatur argumenti intentum, oportet ſupra diſtinctio-

nem formalem addere diuerſitatem: vel diſtinctionem eſſentialem: quæ tamen cùm inter eſſentiam, & attributa non ſtet, non ſequitur, vt prout formaliter diſtincta, ſint creatura. Quidquid verò Formaliſtæ aliter diſcurrant, vt diximus, nihilominus oportet *captiuare intellectum in obſequium Deitatis*. atque vltra Formalizantium diſcurſus, neceſſe eſt vti communi phraſi Theologorum, dicentium, *quidquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus*, ne impingamus in Arrium, aſſerendo attributum prout formaliter diſtinctum non eſſe Deũ. daretur namq; occaſio inferendi eſſe creaturã, quia omne ens, aut eſt Deus, aut creatura; ſi negaueris primum impinges in ſecũdũ; ideò ſequi oportet conſilium Apoſtoli, *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. Vulpes t. 1. d. 8. art. 5. in fin. cõcedit ex diſtinctione formali ſequi, quod dabitur in Deo aliquid, quod nec ſit Deus, nec Deitas, de quo ipſe ait, *libenter, & ſine trepidatione concedimus*. Verum hoc non auſerim ego affirmare, non enim Scoti diſtinctio formalis præiudicare debet Deo, & Deitati, & vltra dicta, confirmamus amplius ex dicendis.

Vulpes reijcitur.

4 Vnde notanda eſt pro Scotiſtis doctrina, quod aliter ſe habet ſapientia ad bonitatem, & aliter Deitas ad ſapientiam, & ad cætera attributa; ratio, quia ſapientia non eſt conſtitutiua bonitatis, nec de eius quidditate, nec de intrinſeca ratione illius; ſapientia namque eſt tantum ſapientia, & bonitas eſt tantum bonitas, ſicut ex Auic. Equinitas eſt tantum Equinitas, &c. at Deitas eſt de quidditate, & de intrinſeca, eſſentialique ratione ſapientiæ, & bonitatis, ac cæterorum *in eſſe diuino*: non quidem in eſſe ſapientiæ, vt ſapiẽtia abſolutè eſt; nec in eſſe bonitatis, vt abſolutè bonitas eſt; ſic namque cõceptibilitas vnius, atque formalitas eſt prorſus diſtincta à ratione formali alterius: non ergo vt ſic, erit de quidditate eius ipſa Deitas, ſed erit de eſſentia eius in eſſe diuino, in ſenſu reduplicatiuo; ita vt ſit verum dicere, ſapientia, vt diuina, ſeu in eſſe diuino, conſtituitur quidditatiuè à Deitate, atque à Diuinitate: da oppoſitum, & ſequitur, ſapientiam diuinam, iam non eſſe diuinã, quia poſita, vel ablata ratione formali, ponitur, ſeù tollitur effectus formalis.

5 Hoc ſtante facilè ſoluuntur ſingula, quæ obſtare poterunt aduerſus dicta: poſſet namque argui: ſapientia diſtinguitur formaliter à Deo, ſeu Deitate: ergo non eſt formaliter Deus, ſeu Deitas. Item ideo ſapientia non eſt formaliter bonitas, quia diſtinguitur formaliter à bonitate. ergo nec ſapiẽtia erit formaliter Deus, ſeu Deitas, quia diſtinguitur formaliter à Deo, & Deitate. Denique tale eſſe negatur, quale diſtinguitur: ſed ſapientia à Deitate formaliter diſtinguitur, ergo non eſt formaliter Deus, aut Deitas.

6 Ad hæc, vltra reſponſiones allatas, dicendum ex doctrina nuper allata, quod aliter ſe habet ſapientia ad bonitatem, aliter ſapientia ad Deitatem: ſapientia namq; non eſt de intrinſeca ratione bonitatis; nec vice verſa, & ideo ſapientia diſtinguitur à bonitate, & non eſt bonitas formaliter; at Deitas eſt de intrinſeca ratione ſapientiæ diuinæ, quatenus diuina eſt, vt diximus, igitur hinc nullatenus poterit ſequi ſapientiam, vt diuinam, non eſſe Deum, neque Deitatem.

7 Demum, quidnam dicerent noſtræ fidei Hoſtes, ſi Scotiſtas docere audirent, in Deo eſſe aliquid, quod nõ ſit Deus, nec Deitas? quid diceret Arius, aſſerens ſapientiam genitam eſſe creaturam, & non Deum, nec Deitatem?

8 Et ſi Scotiſtæ, vel Scotus ipſe, aliquando ſic loqui viſi fuerint, diſtinctionem quidem admittere intendunt formalem, at nuſquam docuerunt, aliquid in Deo nec eſſe Deum, neque Deitatem.

ARTIC. VIII.

Soluuntur argumenta pugnantia contra diſtinctionem formalem.

Sapientia non informat Deũ.

1 AD primum de compoſitione contra diuinam ſimplicitatẽ, reſpõſio patet in Artic.4. cùm ex profeſſo oſtendimus non deſtrui ſimplicitatem. Ad id verò, quod ſubiungitur, attributũ eſſe formam, ſiue ſapientiam eſſe formam, qua Deus ſit formaliter ſapiens. Reſpond. per ſapientiam eſſe Deum formaliter ſapientem, at non per ſapientiam, tanquam per formam informantem Deum. & quidem non eſt neceſſe, vt ſemper id, quod dat eſſe alteri, informet illud, ſit exemplũ: homo dicitur formaliter animatus per Animam, at Anima non informat hominem, informat autem corpus, non hominem, quia dum homo habet eſſe hominis, habet etiam eſſe animatum, non enim poteſt dari homo, qui non ſit animatus, & propterea Chriſtus in triduo nõ erat homo, quia corpus non erat animatum: itaq; homo habet formaliter eſſe animatũ, attamen non informatur homo ab anima, cùm informetur ſolummodo corpus: homo autem reſultans ex Anima, & corpore, eſt quid formaliter viuẽs, & formaliter animatus: ita Deus eſt ſapiens formaliter per ſapientiã, at ſapientia non informat Deum: ſufficit autem dare ipſi Deo eſſe formaliter ſapientem, ſiue eſſendi rationem formalem, qua Deus ſit ſapiens. formæ inſuper plura competunt, dare eſſe quidditatiuè, ſiuè eſſe tale, & tale ſimpliciter: & dare illud eſſe per informationem: primum dicit perfectionem, ſecundum habet annexam imperfectionem, informandi, eſſendi partem, actuandi materiam, & ſimilia: in diuinis benè probat Scot. in 1.d.5. q.2. in corp. contra Henricum non dari materiam, nec quaſi materiam: ita nec dari formam: ac propterea relationes, & Hipoſtaſes ibi eſſe non tanquam actus, & forma in materia, ſed tãquam *ſubſiſtens in natura*, in qua ſubſiſtit, vt Sortes in natura humana: ita quoque relationes, & attributa ſunt in eſſentia, non tanquam in fundamento potẽtiali, informabili, & actuabili per ea, ſed tanquam in fundamento, præciſis imperfectionibus. Ad argumentum igitur reſpondetur negando informari per ſapientiam ipſum Deũ, ſed ſapientiam eſſe rationem formalem, qua Deus ſit formaliter ſapiens, ſed abſq; informatione.

Quod dat eſſe alteri non eſt neceſſe, vt ſemper informet illud.

Sapientia qualiter eſt in Deo.

Formę munera.

Attributa an faciant vnum aggregatione an per accident.

2 Cùm dicitur, ſi non faciunt vnũ per ſe, per compoſitionem, facient ſaltem vnum per accidẽs, ſeu per aggregationem, reſponſio patet ex eod. art. quia vnum aggregatione, requirit ſuppoſita realiter diſtincta, & ab inuicem ſeparabilia, vt cumulus lapidum: talia non ſunt attributa, & relationes cũ eſſentia, cùm ſint idem realiter, & ab inuicẽ inſeparabilia. Nec faciẽt vnum per accidens, ſiquidẽ etiam ad vnũ per accidens requiritur vt vnum ſe habeat per modũ actus, & alterũ, potentię, informãtis, & informabilis, ceſſant verò, vt dictum eſt, à diuinis hæc omnia. Inſuper ad vnum per accidens requirũtur entia diuerſorum generum, ſeu naturarum, vt vnum ſit ſubſtantia, alterũ accidens, ſintq; eſſentialiter & prædicamentaliter diſtincta, vt ſubſtantia, & accidens: in diuinis autem, licet eſſentia ſit abſoluta, & relationes reſpectiuæ, nihilominus ibi omnia ſunt vnum eſſentialiter, realiter, & identicè, & omnia ſunt vnus, idemq; Deus; quapropter, licet diſtinguãtur formaliter, ratione abſoluti, & reſpectiui, attamẽ omnia ſunt vnum, & idem cum diuina eſſentia, ideoq; ceſſante informatione, & diſtinctione eſſentiali, ceſſabit quoque vnitas per accidens.

Requiſita ad vnum aggregatione, & per accidens.

Infinitas eſt ratio idẽtificandi, declaratur

3 Ad ſecundùm nego conſequ. & ratio diſparitatis eſt, quia identificat eo modo, quo poteſt identificare: non enim eſt vndequaq; concedendum, infinitatem identificare ſecundùm omnem modum idẽtitatis: & ecce exemplum, iam diuinæ perſonæ ſunt diſtinctæ realiter ab inuicem: cur autem nõ identificãtur realiter? dic ſi potes: Itẽ Thomiſtæ tenent diuinas illas relationes eſſe infinitas formaliter, quod

ſi

ſi infinitas eſt ratio identificandi etiã formaliter, cur eſt, vt diuinæ perſonæ non ſint idem inter ſe formaliter, & realiter. hoc quidem maximè vrget Thomiſtas. hinc ergo verum eſt quod dixi, infinitatem identificare quidem, ſed non per omnem modum, ſed eo modo, quo poteſt, & quo cõueniẽs eſt: quòd ſi infinitas non eſt ratio idẽtificandi realiter perſonas inuicem inter eas, immo relinquit eas ab inuicẽ diſtinctas realiter, quid mirum eſt, ſi eadem infinitas relinquat attributa diſtincta formaliter ab inuicem, quod eſt minus, quàm diſtingui realiter. Dices, infinitatem eſſentiæ eſſe eam, qua fieri debeat identificatio. hoc gratis dicitur, quia infinitas eſſentiæ, & relationum, & attributorum eſt eiuſdem

Obijcitur.

rationis, differunt ſolummodo in modo habendi eam, quia ex ſupradictis, infinitas eſſentiæ eſt radicalis, fundamentalis, realis, identica, & formalis; attributorum verò eſt realis, & formalis,

Occurritur

cùm habere infinitatem fundamẽtaliter, & radicaliter competat, ſoli eſſentiæ, tanquam radici, & fundamento; Cùm ergo aliunde ſint eiuſdem rationis, ſi infinitas vnius eſt ratio identificandi, erit quoque idẽtificandi ratio infinitas alterius: ſed à primo ad vltimum, infinitas relationũ non identificat realiter, & formaliter diuinas perſonas inuicem conſtitutas per eaſdem relationes, ergo neq; infinitas attributalis, ſiue aliunde formalis, cuiuſuis ſit, identificabit formaliter relationes, & attributa inuicem, & cum eſſentia. Itaque infinitas eſt quidem ratio identificandi, ſed *ſuo modo*, reddendo ſingula ſingulis: identificandi quidem eſſentialiter, vt diuinas perſonas, quæ ſunt eſſentialiter idem propter infinitatem eſſentiæ: identificandi eſſentialiter, & realiter, vt attributa, & relationes, quæ nedum eſſentialiter, ſed etiam realiter ſunt idem cum eſsẽtia, & inter ſe: cùm tamen perſonæ ſint inter ſe idem ſolummodo eſsẽtialiter, nõ autem realiter, quia realiter diſtinctæ, licet cum eſſentia ſint idem eſsẽtialiter, & realiter, quia ſunt vna res ſubſtantialis, & vna eſſentia; attamen attributa ſic realiter idem inter ſe, nõ identificantur formaliter, quoniam nõ eo attingit infinitas, vt identificet formaliter, ſicut non eo attingit infinitas relationum, vt perſonas inuicem inter ſeipſas identificet realiter.

Reſponſio Aliorum.

4 Scotiſtæ vtuntur alia reſponſione, vt ideo infinitas nõ identificet formaliter ſapientiam v.g. cum bonitate, quia modus intrinſecus adueniens rei non variat rationem formalem illius; igitur infinitas, quæ eſt modus intrinſecus ſapientię non variabit rationem formalem ſapientiæ, & ita non faciet vt ſapientia euadat bonitas, & bonitas ſapientia, ſed obſtatur, quia infinitas realis eſt ratio identificandi realiter, ergo infinitas formalis erit ratio idẽtificandi formaliter; negant conſequentiam, quia in diuinis eſt vna natura, & vna eſſentia, ideo ex infinitate ſtat idẽtificatio realis: quia tamen ſunt ibi diſtinctæ rationes formales, ideo nõ poteſt ſtare identitas formalis. Nihilominus argumentum videtur concludere, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de altero; ergo ſi infinitas realis identificat realiter, infinitas formalis idẽtificabit formaliter: nec obſtat, quòd quia eſt ibi identitas naturæ, ideo ſtat identitas realis, ſiquidem etiam ſaluabitur identitas formalis cum identitate naturæ, immo magis, quia apponit ibi minus de diſtinctione. vtique argumentum vrget, ideo recurrendum magis ad primam reſponſionem.

Omnia sũt vnum vbi non obuiat &c. declaratur.

5 Ad tertium, inter attributa reperitur oppoſitio diſparata, opponũtur namq; diſparatè formaliter, ideoq; ſtat inter ea diſtinctio formalis, proueniens ex oppoſitione diſparata: ſicut namque perſonæ diſtinguuntur realiter inuicem ex oppoſitione inter eas relatiua, ita attributa ſunt quidem idẽ realiter, ſed opponũtur formaliter ex oppoſitione formali diſparata. ad axioma autem reſpondetur omnia, vt attributa, eſſe quidem vnum, & idem realiter, attamen quia inter ea obuiat oppoſitio diſparata, ideo diſtinguũtur formaliter. Gloſationes aliæ ipſius axiomatis ſpectant ad mat. Trinit.

Prædicatio in abſtracto non eſt uera, niſi in primo modo dicendi per ſe. declaratur.

6 Ad quartum, diſtinguendum de prædicatione, aut namq; loquimur de prædicatione identica, & reali, aut de prædicatione formali: loquendo de prima, verum eſt, de ſecunda falſum: &

&

& ita, ſapientia eſt bonitas, iſta eſt prędicatio identica, & identicè vera, non autē eſt prædicatio formalis, nec formaliter vera, quia diſtinguuntur formaliter. Cùm dicis, prædicatio in abſtracto nō eſt vera, niſi in primo modo dicendi per ſe; verum eſt de prædicatione formali, iſta namq; debet eſſe in primo modo dicendi per ſe, *homo eſt animal rationale*; eſt vera in ſenſu etiā, & prædicatione formali, quia eſt de primo modo, & animal eſt de intrinſeca ratione hominis: ita etiā iſta, Deus eſt ens, Pater eſt Deus, & ſimilia: vt etiam valeat in abſtracto, *Deus eſt entitas, Pater eſt Deitas*; quia entitas, & Deitas sūt de intrinſeca ratione Dei, Deitatis, & Patris, & ideo in primo modo valent in abſtracto etiam in sēſu formali: at iſta ſapientia eſt bonitas: Deitas eſt ſapientia, eſt quidem vera, ſed in ſenſu identico, & reali, quia sūt vnum, & idem realiter; cæterum quia ſapientia non eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ, ſicut nec bonitas, cùm ſit de ſecundo modo dicendi per ſe, ideo licet ſit in abſtracto, nihilominus erit vera in ſenſu reali, non formali, quia diſtinguitur formaliter.

Intellectus beatus, creatus, et diuinus an poſſit intelligere vnū ſine alio.

7 Ad quintum, nulla eſt implicatio poſſe vnum cōcipi ſine altero, quia ratio vnius non eſt formaliter ratio alterius, & vnum non eſt de intrinſeca ratione alterius: id verò fieri poteſt à quocunq; intellectu, etiam beato, etiā diuino. Cum dicis, inadæquatè Deus intelligeret, & imperfectè ſemetipſum. Reſpondetur, quod caſus iſte eſt metaphyſicus, non theologicus; etenim intellectus beatificus creatus non habet in poteſtate ſua intelligere hoc, & non illud, quia neceſſariò intelligit illud, quod ſibi oſtendit diuina eſſentia, tanquam obiectum beatificum: tum quia eſt potentia naturalis, quæ non poteſt quantum eſt de ſe, deſiſtere ab intelligendo; tum etiam, quia niteretur contra ordinem beatificum, qui eſt, vt intelligat ea, quæ ſibi repræſentat obiectum beatificum. Intellectus quoq; diuinus, ob ſui infinitam ſapientiam; omnia intelligit, adæquatè, & perfectiſſimè, quapropter in poteſtate ſui non eſt intelligere vnum, relinquendo aliud; tum quia eſſet ignorans, vel inſcius illius alterius; tum quia, cum ſit infinitæ ſapientiæ, omnia ſapit: tū quoniam non eſſet perfectè beatus, ſi vnā perfectionem deitatis intelligeret, & non alteram; tum deniq; quia eſt potentia naturalis, & neceſſario intelligens omnia, nec quidquam poteſt ipsū impedire, vel retardare ab intellectione. Inſuper per vnicam intellectionem intelligit ſingula, quia eius intellectio eſt formaliter infinita, vnde ſequitur, vt illa vnica, & infinita intellectio, dum intelligendo terminatur ad vnum, terminetur ſimul ad omnia, alias non eſſet comprehenſiua, & infinita; ex parte igitur intellectus non poterit euenire, vt Deus vnum intelligat, non intelligendo aliud, ob rationes dictas; nihilominus ex parte obiectorum; id metaphyſicè loquendo contingere poſſet, ratio, quia dum ſapientia formaliter non eſt bonitas, intelligendo vnum, nō neceſſariò intelligeretur, data hypotheſi, aliud, quia talis eſt natura eorū, quod vnum non eſt aliud; igitur vnum poterit, quantum ex ſe, terminare intellectionem ſine alio, dummodo ſint abſoluta, vt attributa; ſi vero ſint reſpectiua, minimè, cum relatiuum non poſſit concipi ſine correlatiuo: de facto autem ita nōn eſt, quia Deus ſimul adæquatè, & perfectiſſimè intelligit omnia. Nec etiam de poſſibili, accidere poterit, vt intelligat vnum ſine altero, ob rationes prędictas, & alias, quas attulimus in diſput. de ſciētia comprehenſiua Dei, ſed ſenſus noſter eſt, vt metaphyſicè loquendo, dicamus, quod ea, quæ formaliter diſtinguuntur, taliter ſe habent, vt quantum eſt ex parte eorum, non implicet vnum intelligi ſine alio, licet implicet aliunde. Intellectus quoq; creatus beatificus taliter ſe habet, vt ratione ſtatus beatifici, omnia ea intelligat, quæ obiectū oſtēdit beatificum; cæterum quantum eſt ex parte obiectorum formalium, ſiuè attributorum, quatenus diſtinguuntur, non implicat vnum poſſe terminare intellectum ſine alio, licet implicet aliunde.

Ex parte obiectorum non implicat, ſed aliunde.

Diſtinctio formalis, an realis, rationis, an media.

8 Ad ſextum, diſtinctionem formalem, ſiuè dixeris ſe tenere ex parte alterius extremi, ſiuè tenere locum medium, vtcunq; dixeris, benè dixeris. Et qui-

quidem mediat inter realem, & rationis; quatenus enim non pendet ab intellectu, non eſt rationis: quatenus nō eſt diſtinctio inter rem, & rem, qualis eſſe ſolet in rigore diſtinctio realis, neque ſic erit realis; igitur cum præſcindat, vt ſic, ab vtroq; extremo, negato ſibi receptaculo in locis extremis, dabitur ſibi locus medius, & propterea non vocatur diſtinctio rationis, vt fugiat ab hoc extremo: nec appellabitur diſtinctio realis, vt relinquat alterum extremum, ſed vocabitur diſtinctio formalis, vt locum teneat medium inter vtrumq; extremum. Inſuper adſcribi poteſt vtriq; extremo, vt de vtroq; participet extremo; etenim vocari poterit diſtinctio rationis, non quatenus pendens à ratione, & intellectu, ſed quatenus non eſt diſtinctio realis: appellari etiam poterit diſtinctio realis, quatenus eſt *ex natura rei*, & non dependēs à ratione, & propterea, vt exiſtens à parte rei, appellant eam, ex *natura rei*. Deniq; quia vt deueniamus in medium, quandoq; impingere ſolemus in alterum extremum, hinc fit, vt modo appellemus realem, modo rationis, reddendo ſingula ſingulis, & fortaſſè vt ſic, eam nominabant Antiquiores, antequam lis fuiſſet orta inter ſcholaſticos.

Aliter caliditas; & ſiccitas in Sole, & aliter attributa in Deo.

9 Ad ſeptimum, alio modo reperitur caliditas, & ſiccitas in Aſtris, & in Sole; & alio modo ſapientia, & bonitas in Deo: ibi quidem ſunt virtualiter, non formaliter, alias aſtra eſſent frigida, & calida formaliter: quo ſtante non diſtinguentur ibi ea formaliter, ſed virtualiter, quoniam eo modo, quo ibi ſunt, eo modo diſtinguuntur, ſed continentur ibi virtualiter, non formaliter, ergo diſtinguentur virtualiter, nō formaliter. in Deo autem attributa ſunt actualiter, & formaliter, quia eſt verè formaliter ſapiēs, formaliter bonus, ergo ſapientia, & bonitas diſtinguitur formaliter.

10 Ad octauum, tota ratio fundatur ſuper æquiuocatione. & quidem commiſcet diſtinctionem formalē, cū diſtinctione formarum. aitq; diſtinctionem ex natura rei dari per eſſentialia ipſius rei, ideoq; eſſe maiorem diſtinctione reali. ſignum autem eſt non bene percipi terminos: & quidem ſi confuſè loquamur de terminis iſtis, vtique diſtinctio ex natura rei, erit idē cum diſtinctione eſſentiarum, & formarum; nam forma indicat quidquid eſſe rei, & eſſentiam rei, inde autem fit, vt ex natura rei habeatur eſſentia, & forma rei, & idem prorſus importetur per diſtinctionem ex natura rei, ac per diſtinctionem eſſentialem, ſiuè eſſentiæ, ſicque in lata eius ſignificatione, erit idem ſignificatum importatū per ea: At in propoſito, preſſius, & ſtrictius ſumendo terminos iſtos, dicimus diſtinctionem ex natura rei, vel ſumi pro diſtinctione inter rem, & rem, vel pro diſtinctione, quæ eſt inter realitatem, & realitatem. Conſimiliter diſtinctio formalis, vel ſumitur pro diſtinctione formarum concretiuè; vel pro diſtinctione formalitatum abſtractiuè. primis modis, vtiq; diſtinctio erit realis, & eſſentialis, vt potè data per intrinſeca, & per intimas quidditates rerum; & de hac non loquuntur Scotiſtæ: ſecundis vero modis eſt formalis ſolummodo, & minor ipſa reali: Cùm ergo arguitur diſtinctio; ex natura rei eſt maior diſtinctione reali: ſumendo diſtinctionem ex natura rei, & formalem primo modo, tanta erit, quanta diſtinctio realis ad minus, eritq; eadem cum diſtinctione reali, & eſſentiali: ſecundo autem modo eſt falſa, quia eſt omnino minor. Reſpondetur inſuper eam eſſe diſtinctionem maiorem, quæ interuenit inter ea, quorum vnum minus conuenit cum alio, minuſq; includit de alio: & eam eſſe minorem, vbi vnum magis includit, & implicat de altero, ſic indiuidua, ſic ſpecies, ſic genera diſtinguuntur inter ſe, cum vnum valdè diſtet ab alio: attributa autem cū eſſentia ita ſe habent, vt habeant ſimul vnam, eandemq, numero entitatem realem, ſintq; vnum, vna res, vnaq; eſſentia realiter, licet diſtincta formaliter, ideoq; cum diſtinctione formali ſtat, vt vnum non diſtinguatur eſſentialiter ab altero.

Diſtinctio ex natura rei ſumitur uel prout eſt inter Rem, et Rē, vel prout eſt inter realitatem, et realitatem.

Diſtinctio formalis vel ſumitur pro diſtinctione formarum concretiuè; vel pro diſtinctione formalitatum abſtractiuè.

Ablata multiplicatione formalitatū, an Deus eſſet magis vnus.

11 Ad nonum ſequela negatur: & datur inſtātia de perſonis, quia ſequeretur Deum forè magis vnum ſi illi nō adeſſent perſonæ, vel ſi perſonæ inuicè non diſtinguerentur realiter: at cum

plur

pluralitate,& diſtinctione reali perſonarum ſtat verè vnitas Dei, & Deus nihil minus eſt verè vnus, ergo ſimiliter etiam erit eodem modo Deus vnus cum diſtinctione formali: immo cum diſtinctio formalis ſit minor diſtinctione ſuppoſitali reali, multo minus obſtabit Dei vnitati. Cum dicis, adeſt multiplicitas,quid inde? ſed multiplicitas erit non Deorum, non Deitatis, ſed perfectionum formalium: quod ſi inde inferas multiplicitatem Deorũ, falſa conſequentia,ſicut ex multiplicitate perſonarum falsò infers multiplicitatem Deorum. Si dicas, erit magis vnus ablata diſtinctione formali,nego conſequentiam, etenim ſtante multiplicitate perſonarum realiter diſtinctarum, Deus non eſt minus vnus,ſed verè maximè vnus. Quod ſi contendas,de multiplicitate,concedatur, ſed non abſolutè, quia Deus non eſt multiplex,ſed addendum,*formalitatum*, ita vt ſit Deus vnus, habens *multiplicitatem attributorum, & perfectionum formalium*, ſicut idem Deus eſt vnus, habens pluralitatem perſonarum. Cum inquis, multiplicitas opponitur vnitati,reddendo ſingula ſingulis, verum eſt; & ita multiplicitas perfectionum opponitur vnitati perfectionum, quis hoc ignorat; & quia Deus habet perfectiones plures, ideo in eo non eſt vnitas formalis perfectionum,ſed pluralitas earum: ſicut non eſt in Deo vnitas perſonarum, ſed multiplicitas earũ. Cum hoc tamen ſtat,vt iſta multiplicitas formalis perfectionum ſit aliunde vna realiter,identicè, & eſſentialiter, quia ſunt vnum, & idem cum ipſa diuina eſſentia, quemadmodum multiplicitas perſonarum eſt vna idêticè, & eſſentialiter cum eadem diuina eſſentia. Item cum dicit ablatis perfectionib.multiplicib. Deus eſſet magis vnus,vtiq; magis vnus,non *in entitate*, ſed *in formalitate*; at impoſſibile eſt, vt Deus habeat talem minorem vnitatem in formalitate, quia tot multiplices perfectiones in Deo ſunt omnino neceſſariæ, ſicut neceſſaria eſt in Deo multiplicitas perſonarum.

12 Ad illud de compoſitione, & de deſtructione ſimplicitatis: reſpõſio patet ſup. in Artic.4.

13 Ad vndecimum reſponſio patet ex prima reſponſione ad nonum: & ex artic.4.in fine.vnde fit vt non minus ſit vnus Deus per multiplicitatẽ perfectionum formaliter diſtinctarũ, quam per eaſdem, ſola ratione diſtinctas.

14 Ad duodecimum, ſequela teneret, ſi perfectiones attributales diſtinguerentur eſſentialiter à Deo, & eſſent alterius naturæ ab ipſo Deo, tunc vtique Deus eſſet talis, vt non eſſet adęquatè perfectus, ſed perfectiones expectaret ab extra, nempe aliunde ab habente eas in alteritate & diuerſitate, te naturæ; verum quia Deus & habet in ſe formaliter illas,& identicè, & realiter eſt vnũ cũ illis, ideo & ſi diſtinguantur formaliter, nihil obeſt, vt ſit infinitè perfectus. Reſpondetur ſecundo ex Scot. quolib.1. litt. C. quod *eſſentia includit vnitiuè, & identicè totam perfectionem diuinam, licet non formaliter comprehendat omnes perfectiones diuinas, & ſic intelligendus eſt*, inquit,Damaſc.vt patet in 1. d.8.q.3 circa finem, *perfectiones illæ, & ſi ſint identicè, eſſentia; tamen diſtinctæ ſunt ex natura rei, & formaliter. Ad confirmationem de Anſelm.patet pariter,quòd eſſentia eſt vnitiuè,& identicè omnis perfectio, non tamen formaliter, & ex natura rei: vnde licet quælibet perfectio ſimpliciter ſit infinita formaliter, non tamen radicaliter, cuiuſmodi eſt eſſentia* hęc Sco.quę verba licet notentur ſub Manula, ſeu Aſteriſco Additionis, nihilominus, quia ſunt conſona doctrinæ eiuſdem Scoti, ideo currere poſſunt tanquam de mente Scoti. Ait igitur, eſſentiam, ſiue Deum,identicè eſſe vndequaque, & infinitè perfectum, quia continet vnitiuè,& identicè, & radicaliter perfectiones omnes,immo realiter eſſentia eſt perfectiones omnes, igitur eſt infinitè perfecta; ex quo fit, prædicationem iſtam eſſe veram, Deus, ſiue diuina eſſentia eſt perfectiones omnes; ſiue eſſentia eſt omnis perfectio, vera autem in ſenſu radicali,reali,vnitiuo,& identico; Et hinc conſtat primo infinita eius perfectio, quia vt ſic, eſt omnis perfectio; Cæterum, cũ hoc ſtat, vt in ſenſu, & prædicatione for- *Ex diſtinctione formali perfectionũ, non ſequitur Deum eſſe minus perfectum.*

Sſſſ mali

mali non ſit, ait Scot. *omnis perfectio*, quia diſtinguitur formaliter: non tamen ſequitur vt careat illis perfectionibus. Vnde datur tertia reſponſio, quòd licet diſtinguatur formaliter, nō tamen eſt minus perfecta, quia diſtinctio formalis non cauſat diuiſionem, & ſeparationem perfectionum ab eſſentia, immo ſunt vnum, & idem realiter cum eſſentia. & quarto, negatur conſequentia, diſtinguitur realiter à perfectione ſapientiæ, ergo non habet ſapientiam, ergo non eſt idem realiter cum ſapientia, non valet; quapropter cum eadem ſapientia, ſicut & cætera, ſit perfectio formalis eſſentiæ, & eadē realiter cum eſſentia, erit eſſentia, & Deus vndequaque perfectus, tū quia eſſentia habet in ſe vnitiuè, radicaliter, realiter, & identicè omnes perfectiones; tùm etiam quia habens eas etiam formaliter, erit etiam formaliter perfecta per eas, licet diſtinguantur formaliter: ſemotis tamen imperfectionibus informantis, & informati, vt diximus ſup. art. 4. Dices, Deus nō eſſet ſapiens per ſeipſum, ſed per quid diſtinctum. Reſpond. verum eſſet, ſi ſapientia diſtingueretur realiter à Deo; ſed ſunt idem realiter.

Sapientia ſi diſtingueretur realiter à Deo Deus nō eſſet ſapiens per ſeipsū.

15 Ad decimum tertium, reſponſio patet ex toto artic. 7. Et argumentum Bernardi militat contra Gilbertum admittentem diſtinctionem realem, non contra Scotum adſtipulātem ſolam formalem.

Diſtinctio formalis an ſit relatio.

16 Ad quartumdecimum Fauentin. in 1. diſp. 20. c. 7. ad decimum, ait diſtinctionem non eſſe verè, & propriè relationem, ſed ſecundùm dici, quomodo ſubſtantia, & partes ſolent dici relatiuæ, ex Ariſt. in Prædicam. cap. de Relat. vnde concludit, quòd identitas, ſicut diſtinctio, ſunt tranſcendentia, & paſſiones entis, ſicut actus, & potētia, ac cæteræ paſſiones diſiunctæ. Smyſingus par. 1. tract. 2. d. 1. nu. 69. ait, diſtinctionem hanc eſſe relationem, & inter diſtincta formaliter eſſe relationem ex natura rei: quod ſi, inquit, non ita expreſsè tradiderint alij Doctores, ſatis id inſinuarunt ponendo in diuinis diſtinctionē ex natura rei. & Doctores ſolliciti fuerunt explicare relationes originis, quatenus conſtitutiuas perſonarum, de alijs verò nō meminerunt, licet eas non negauerint. & & ſubdit, opinionē Fauentini eſſe cōtra Scotum, vtpote docentem in 1. d. 31. q. 1. identitatem, ſicut & diſtinctionem, æqualitatem, & ſimilitudinem eſſe relationes reales inter diuinas perſonas: immo nō ſolùm inter perſonas, verum etiam ſuo modo, inter attributa. hæc ille.

Sententia Fauentini, et Smyſingi.

Denique Vulpes in 1. t. 1. d. 8. art. 6. num. 4. negare videtur omnino diſtinctionem ex natura rei dicere relationem; ait enim duobus modis poſſe intelligi vtrum diſtinctio formalis ſit ex natura rei actualis; aut enim intelligitur actualis ratione relationis formaliter per diſtinctionem importatæ, vel ratione extremorum: ſolùm intelligitur quæſtio in poſteriori ſenſu, cùm certum ſit diſtinctionem ex natura rei non præ ſe ferre in re relationem quandam actualem poſitiuam ex natura rei, vt Vallonus arbitratus eſt. negat igitur dicere relationem.

Sententia Vulpis.

17 Verum vt ab vltimo incipiamus, negari non poteſt, diſtinctionem dicere relationem. prob. oppoſitorum eadem diſciplina, ſed identitas eſt relatio, ergo diſtinctio erit quoq; relatio: illa quidem erit relatio conueniētiæ in entitate, ſeu identitate, hæc erit relatio diſconuenientiæ in entitate, ſeu identitate. Aſſumptum eſt Scoti in 1. d. 31. q. 1. & quol. 6. & cæterorum communiter, quapropter fallitur Vulpes negando diſtinctionem præ ſe ferre relationem.

Impugnatur.

18 De Fauentino non videtur dicendum, vt ea appellanda ſit trāſcendentalis, ſicut cæteræ paſſiones entis: & quidem identitas diuinarum perſonarum, quæ eſt vera relatio ex Scoto ibidem, non eſt tranſcendentalis, ſed contracta ad diuinas perſonas, ergo diſtinctio non erit trāſcendentalis; tenet ſequela, ſicut enim relatio identitatis non eſt tranſcendentalis, ita nec relatio diſtinctionis. Itē diſtinctio perſonarum non eſt tranſcendentalis, ſed contracta ad perſonas determinatè, & concretiuè diſtinctas, ergo nec relatio diſtinctionis erit tranſcendentalis. Inſuper relatio diſtinctionis perſonarum eſt à parte rei, ita etiam relatio diſtinctionis formalis attributorum eſt

Fauſtinus declaratur

eſt à parte rei, quia formalis ex natura rei. denique relatio identitatis, & diſtinctionis in diuinis eſt infinita idẽticè, quomodo ergo erit trãſcendentalis, cùm nullum trãſcendentale ſit infinitum, niſi contrahatur ad Deum: aſſumptum patet, quia identitas, ęqualitas, & ſimilitudo, quibus Perſonæ referuntur ad inuicem, ſunt identicè idẽ cum Deo, & conſequenter ratione identitatis, erunt quid infinitum, ergo non erunt trãſcendẽtale, quod abſtrahit à finito, & infinito. pariformiter relatio diſtinctionis perſonarum, & attributorum erit quid identicè infinitum. Verum hęc non obſtant: & quidem trãſcendentale ſumitur, vel prout diſtinguitur à prędicamentali: vel prout diſtinguitur contra id, quod eſt à parte rei: traſcendẽtalis appellabitur, quia non prædicamentalis, cùm Deus non ſit in genere: attamen erit etiam à parte rei: & ſic ſenſit Fauentinus.

Smyſingus impugnatur.

19 De Smyſingo diſplicet, quod nimis audacter concedit ibi abſolutè eſſe relationem realem, & quidem videtur eſſe contra communem ſenſum Theologorum, qui nullas relationes reales admittunt, præter perſonales: quomodo igitur ipſe ſolus relationem hanc adinuenit? Item nullus meminit de ea. Dices, ſunt ibi relationes aliæ reales, identitatis, æqualitatis, ſimilitudinis, ergo & iſta alia importata per diſtinctionem. Reſp. illas cõcedi, quia extrema ſunt realiter diſtincta, vt perſonæ, at verò attributa non diſtinguũtur realiter, quomodo igitur apponetur ibi iſta altera relatio realis.

Sententia Auctoris.

20 Mea ſententia eſt, diſtinctionẽ formalem eſſe quidem relationem realem, ſed inadæquatã, & incompletam. & per hoc ſoluitur argumentum. diſtinctionem importare relationem, eſt hucuſque oſtenſum ex dictis cõtra Vulpes, & Fauentinum, eſſe vero relationem incompletam, & inadæquatã, breuiter oſtendo. Ad relationem realem tria exigit Scotus 1.d.31.quæſt.1. primo vt extrema ſint realia: ſecundo vt ſint realiter diſtincta: & tertio vt diſtinctio oriatur ex natura extremorum: ſi aliqua ex his defecerit conditio, vtique claudicabit relatio, & erit inadæquata. applicemus ad noſtra, & videamus vtrum relatio diſtinctionis attributorum habeat hæc omnia, vtiq; reperiemus deficere ei conditionem alteram ex his requiſitam: sũt quidem extrema realia, quia à parte rei eſt ibi eſſentia, ſapientia, relationes, cęteraq; attributa. Item diſtinctio inter ea oritur ex natura rei, quia iam conſtat diſtingui formaliter ex natura rei, & ita relatio diſtinctionis oritur ibi ex natura rei. ecce hucuſque duæ conditiones: Verum deficit tertia conditio, nempe vt extrema ſint realiter diſtincta, ſiquidem attributa non diſtinguũtur realiter, ſed ſolũ formaliter, igitur relatio diſtinctionis erit quidem realis, ſed realis inadęquata, & incompleta, & ita ſoluitur argumentum. ex oppoſito autem relatio diſtinctionis inter perſonas erit adæquata, & cõpleta, quia oritur ex natura rei: extrema ſunt realia: & demum realiter diſtincta, non autem attributa ſic.

Diſtinctio formalis eſt relatio inadæquata, & incõpleta.

Exponitur Auguſt.

21 Ad quintũdecimum ex Auguſt. intentio eius fuit oſtẽdere differentiã inter abſoluta, & reſpectiua, itaut Pater nõ Deitate, ſed paternitate ſit formaliter Pater: & Verbum non ſapientia, ſed filiatione, & generatione ſit filius, & Verbum: aliud namq; eſt quærere, quonam Pater, & Verbum ſint Deus; & aliud, quo ſint Pater, & Verbum: vtique Deitate ſunt Deus; at Paternitate, & filiatione ſunt Pater, & Filius, quia ex eodem Auguſt. *omne, quod relatiuè dicitur eſt aliquid excepto relatiuo*. itaq; concludit Auguſt. differentiam eſſe inter Deitatem, & Paternitatem: inter Verbum, & ſapientiam, quia Deitas, & ſapientia ſunt abſoluta; Paternitas, & Verbum reſpectiua: cæterũ magnitudo, & ſapientia ſunt abſoluta. igitur inter magnitudinem, & ſapientiam, illam identitatem ponit', quam negat inter ſapientiam, & Verbum, inter Paternitatem, & Deitatem: identitas autem, quam negat, eſt in eo, vt vnũ ſit reſpectiuum, & alterum abſolutum: at vero identitatem hanc concedit inter magnitudinem, & ſapientiam, quatenus ambo ſunt abſoluta; non autem admittit hic identitatẽ formalem, quia eius intentum nõ eſt quærere de hoc, vtrum Verbum, & ſapientia; Paternitas, & Deitas ſint diſtincta formaliter:

aut ſapientia, & magnitudo ſint idem realiter? & quod ita ſit, elicitur ex verbis eiuſd. qui 7. de Trin. c. 2. ſic ait, *Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbũ, quo ſapientia: Verbum enim relatiuè, ſapientia vero eſſentialiter intelligitur*. & infra. *vterq; nempè Pater, & Filius, vna ſapientia, non autem ſimul vterq; Verbum, aut filius; quia non hoc eſt eſſe, quod Verbum eſſe*. Item bonitas, magnitudo ſapientia, & cætera eſſentialia dicunt perfectionem ſimpliciter, relationes vero abſtrahunt in via Scoti, &c.

Exponuntur Patres.

22 Ad cæteros Patres dicendum eſt; ſollicitos fuiſſe, vt contra Arrium defenderent vnitatem eſſentiæ, & conſubſtantialitatem mutuam diuinarum perſonarum, ac propterea tantopere affirmabant, eſſe vnam omnino eſſentiam, & indiuiſam, ſimplicem, non multiplicem, & ſimilia; cæterum, vtrum ibi reperiri poſſit diſtinctio aliqua perfectionum cum eſſentia, quæ ſit formalis, vel rationis, hoc non erat eorum principale intentum diſquirere: contenti enim erant de hoc, quod illa natura vna eſt in trib. abſq; diuiſione, & cum ſumma perſonarum vnione, ac conſubſtantialitate.

Exponuntur Concilia.

23 Cum vero ijdem Patres, & Cõcilia aiebant ſola ratione differre, id vel intelligendum de diſtinctione rationis ratiocinatæ actualis, vt Scotiſtæ: vel rationis ratiocinabilis in virtute, vt Thomiſtæ; vtraq; autem diſtinctio eſt formalis ex natura rei, ſiuè quidem actualis cũ Scotiſtis, ſiuè virtualis, & aptitudinalis cum Thomiſtis. Cæterum Concilia, & Patres non diſputabant de hoc, vtrum diſtinctio illa rationis ſit actualis, vel virtualis, ſed intentum principale fuit aſſerere vnam diuinitatem, vnicamq; naturam ſiuè eſſentiam, indiuiſam omnino reperiri in tribus, quæ quidem vnitas benè cõuenire poteſt cum diſtinctione formali ex natura rei, ſiuè actuali, ſiuè virtuali, & aptitudinali, vt eſt dictum.

A Gilberto lõge diſtat Scotus.

24 De Gilberto autem abundè viſum eſt ſup. præſertim artic. 5. valdè differre eius ſententiam à Scoto. quod ſi Eugenius determinauit, & Bernardus docuit, contra Gilbertum, hanc eſſe veram *Pater eſt veritas, filius, & Spiritus ſanctus eſt veritas*, vtiq; idipſum Scotus docuit, & dicit eſſe veram idẽticè, & realiter, admiſſa ſola diſtinctione formali: Gilbertus vero admittebat diſtinctionem realem. Conſimiliter de illa, *Deus eſt eſſentia*: fallebatur Gilbertus ignorans terminos; dum namq; dicimus, *Deus generat*, ibi Deus ſtat *perſonaliter*, vt ſenſus ſit, *Deus Pater generat*: ipſe autem ſumebat Deum *eſſentialiter*; prout importat ſolam eſſentiam, ita vt vltra eſſentiam nil aliud includeret, vnde fieret, vt iſta propoſitio ſit falſa, *Deus, ſiuè Deitas, ſiuè eſſentia generat*, vt vero ſe à difficultate expediret, negabat iſtam, *Deus eſt eſſentia*, nempè *Pater eſt eſſentia*, aiebatq; relationes eſſe quid extrinſecus affixas ipſi Deo, ob quod apponebat inter eas diſtinctionem realem: non ſic Scotus, qui ſolam admittit diſtinctionem formalem, cum identitate eſſentiali, & reali eiuſdem paternitatis, & eſſentiæ Dei: *Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum*. Amen.

PERORATIO

Ex D. Auguſt. in lib. de vera Relig. cap. 3.

Si quid, in meis literis, erroris inueniri poterit, hoc mihi eſt attribuendum: ſi quid autem bonum, expoſitum ſit omnium bonorum largitori.

Ac proinde memetipſum, hæc, & omnia mea, Correptioni, & pedibus ſubijcio Sanctæ Matris Romanę Eccleſiæ; quoniam ipſa eſt Columna, baſis, fundamentũ, & infallibilis Magiſtra veritatis

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM;

In quo numerus prior, Paginam; poſterior ipſa notabilia indicat.

A

Agens, Agere, Actio.

AGere in tēpore an dicat imperfectionem. 175.8.
Actiones ſunt ſuppoſitorum 107.11.
Non actio tranſit per medium, vbi non operatur, ſed virtus. 306.11.
Agentis vnio ad paſſum differens ab vnione hypoſtatica. 505.
Agendi rationes indiſtans, & remotum, vel non agendi. 291.1. ad 13.
Agens, & paſſum debent eſſe ſimul. 295.12. & 300.17.
Agens creatum non poteſt agere in extremum dato vacuo intermedio, non ſic Deus. 306.13.

Accidens.

Accidentis variæ acceptiones. 177.4.
Accidentis ampla deſcriptio. 177.5.
Accidens qualiter in Deo. 177.6.
Informatio vtrum de eſſentia Accidentis. 176.1.

Adam.

Repletus ſcientijs omnibus per infuſionem à Deo. 1.2.
Ab Adam traductæ ad poſteros ſcientiæ. ibid.

Affirmatio. Vide Negatio.

Sicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ſic negatio negationis. 431.21.
Qualis affirmatio, talis negatio.

Amor.

Qualiter ingrediatur in definitionem Philoſophiæ. 287.
Ens in potentia vtrum amabile. 251.16.
Amor eſt transformatiuus. 334.7.
Amor an ſit verè praxis. 493.15.
Amor Dei erga ſeipſum an ſit à prudentia, an ab arte. 491.6.
Amat Deus ſeipſum liberè, ſed non contingenter. 408.8.

Alexander.

Alexandri reuerentia erga ſummum Sacerdotem geſtantem diuinū nomen. 116.11.

Angelus.

Angeli an depingendi, & quare. 57.13.
Angelus diſcurrit, at non cum tanta mora. 222.10.
Qualiter immortalis. 386.2. ad 4.
Angelus ad Angelum loquitur, etiam in diſtantia. 301.20.
Non eſt in loco per operationem. 304.5.

Anima.

Quomodo immortalis. 386.2. ad 4.

Apoſtoli.

Clarius prędicabant, quā ſcribebant. 89.12.
Sunt lux mundi. ibid.

Ariſtoteles.

Vtrum cognouerit dari praxim circa vltimum finem. 16 11. & fol. 35.7.
Docuit Deum agere neceſſario ad extra. 174.7.
Contradictoria admiſit. 174.6. & fol. 360.3. & 388.11. ac 396.1. ad 6. & 399.5.6.
Collocauit Deum in loco determinato ſecundum Eſſentiam, at ſecundum potentiam, vbique. 293.5.
Quid ſenſerit de immutabilitate Dei. 377.1. ad 8.
Ex Ariſtot. Deus non agit immediatè. 347.15.
Dixit cælum mouendum cum fatigatione, ſi noua adderetur ſtella. 349.19.
Didicit ex Hebræorum libris multa fidei arcana. 348.22.
An admiſerit creationem. ibid. & fol. 391.4.3. & fol. 393.8.
Cognouit Deum eſſe infinitæ potentiæ, at non cognouit poſſe producere immediatè. 394.10.
Eius verba in ſua morte. 397.2.
Cur poſuit Intelligentias, Cælum, & materiam primam eſſe immediatè à Deo. 403.12. & 404.14.15.
Si ex Ariſt. Deus agit neceſſariò, cur non eueniūt omnia eiuſdem rationis. 403.13.

Ars.

Artis defectus non eſt Artis, ſed imperiti Artificis. 21.5.
Artis habitus aliter in Deo, aliter in creatura. 495.10.

Atheiſtæ.

Deum de medio tollunt. 138.2.

Eo-

Eorum fundamenta. ibid.3.4.

Attributa.

Attributi vox vtrum antiqua: 656.1.
Deriuatio vocis. 656.3.
Ethymologia. 657.4.
Importat conceptum vniuocum Deo, & creaturis. 657.5.& 658.9.
Deſcriptio. 657.6.
Debent eſſe perfectio ſimpliciter. 657.7.
Prædicantur in ſecundo modo dicendi per ſe. 657.8. & 658.10.
Sunt in Deo realiter,& formaliter. 659.1.
Eſſe in Deo ſolùm. ſecundum nomen ex Okam,impugn. 661.10.ad.12.
Sunt formaliter infinita 661.ad 663.
Infinitas eorum differt ab infinitate eſſentię 663.76.
Sunt numero finita 664.ad 666.& 354.14.
Seruant ordinem in diuinis 665.4.
An diſtincta formaliter ab eſſentia 666.ad 690.
An diſtincta virtualiter ex Sco. 681.ad 683.
An faciant vnum aggregatione,vel per accidens in Deo 685.2.
Aliter caliditas,& ſiccitas in Sole, aliter attributa in Deo 688.9.
Ablata multiplicatione formali, an Deus foret magis vnus 688.11.
Quatenus formaliter diſtincta à Deo, an ſint creatura,an Deus 683.

Æternitas.

Nota quoque Philoſophis 362.1. & probatur.2.
Æternitatē an inferat immutabilitas 363.3.
Radix æternitatis eſt neceſſe eſſe. 363.5.
Radix æternitatis non eſt immutabilitas. 364.8.
Neceſſitas eſſendi eſt principalis ratio ęternitatis 364.7.
Æternitas quomodo differat ab immutabilitate 364.9.
Æternitas, & immutabilitas ſolent à Patribus pro eodem accipi. 365.10.
Æternitati non ſufficit negatio inceptionis. 365.11.
Æternitas an poſſit competere creaturis. 365.1.
Æternitatis ſignificata varia. 366.2.
Æternitatis definitio ex Richar. Boet. Plat. 366.3.4.5.
Coexiſtit omni differentiæ temporis 367.6.
In inſtanti æternitatis vtrum verificentur contradictoria in creaturis. 367.7. ad 11.
Æternitas vnà cum tempore an maior ſeipſa ſola. 369.11.
Æternitatis ratio quænam ſit. 369.1.ad 4.
Eſt quid reale omni ſecluſa operatione intellectus. 370.4.& 374.8.
An addat quid poſitiuum, an conſiſtat in ſola negatione. 373.1.2.3.
In æternitate triplex negatio. 374.4. ad 7.
Quænam proxima ratio æternæ durationis. 374.7.
Æternitas an ſit modus intrinſecus Dei, ex Scotiſtis. 375.9.
Ambit omne tempus,declar. 534.12.
Eſt tota ſimul. 534.13.
Omnia coexiſtunt æternitati, ſed non totali &c. declaratur. 527.14.15.
Simultas ex parte æternitatis, non creaturarum. 533.10.
Æternitatis inſtans eſt vnicum,ſed habet latitudinem:declar. 526.
Æternum eſt neceſſarium,declar. 524.4.

B

Beatitudo. Vide fruitio.

Creaturarum viſio per accidens ſpectat ad beatitudinem. 515.5.

Bonum, Bonitas.

Boni diuiſio in bonum honeſt. vtile,& delectabile. 272.1.ad 6.
Boni diuiſio ex Aug. 275.6.
Boni diuiſio an vniuoca, an æquiuoca. 276.7.8.
Bonum an habeat rationem cauſæ, an effectus. 277.9.10.
Quomodo conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine. 278.11.
Bonitas creaturæ participata,& dependēs. 513.7.
Deus ſolus bonus per eſſentiā,non ſic creatura. 252.12.ad 18.
Bonitatem conſiſtere in ſola relatione varij modi dicendi. 256.& 257.1.ad 8.
Bonitas nulla abſque relatione conuenientiæ,ſiue honeſti,ſiue vtilis, ſiue delectabilis. 261.2.
Bonitas fundamentalis de genere abſoluti; formalis de genere reſpectiui. 264.11.
Bonitatis relatio eſt relatio ſecundum dici. 265.13.
Bonitas ſubſequitur ad omne ens. 267.1.
Bonitate in genere ſuo non ſunt priuanda entia ficta,& chimerica. 267.2.
Bonitas competit ipſi quoque eſſe eſſentiæ. 268.9.
Bonitate ſua nec eſt priuanda materia. 269.12.
Bonitas per ſingulas Cathegorias. 271.16.
Bonitas vtrum in mathematicalibus. 271.17. ad 21.

C

Caluinus.

Caluini blaſphemia negantis omnipoten-tiam Dei.438.16,

Caſus.

Caſus definitio ex Boet.578.3.

Habet cauſam per accidens. 579.5.

Prouenit ex defectu præcognitionis.ibid.

An detur reſpectu Dei caſus fortuitus.578. ad 582.

An caſus,& fortuna cadant ſub prouidentiã Dei.ibid.

Ad caſum fortuitum requiſita.581.13.

Caſus fortuiti, & miraculi differentia. 582. 18.

Cauſa.

Vt ſit perfectior effectu quid requiritur. 324.5.

Habere eſſe in cauſa vtrum ſit perfectius. 326.10.

Cauſa an, & quomodo perfectior effectu. 326.11.

Cauſa naturalis, eiuſq; cauſatio quomodo appellanda neceſſaria.388.13.

Quidquid poteſt cauſa prima cum ſecunda, poteſt de ſe ſola.394.11.

Aſſimilatio, & ſpecificatio effectus prouenit à cauſa inferiori, & proxima.395.13.

Cauſa ſecunda vtrum attemperet virtutem primæ ex Ariſt.399.5.

Cauſa prima neceſſario agente vtrum tollatur contingentia in entib.402.9.10.

Nec cauſa,nec cauſatio ad intra.48.7.

Idem effectus non poteſt dependere à plurib. cauſis totalib.191.10.; Vide effectus

Cæli.

An producant animas imperfectorum.463.

Primum mobile, an moueatur immediatè à Deo ex Ariſt.396.16.

Monẽdum Cęlũ cum fatigatione ſi adderetur nona ſtella,aiebat Ariſt.349.19.

Cælum eſſe immediatè à Deo, ratio Ariſt. 403 12.& 404.14.15.

Comprehenſio.

Intenſiua,extenſiua 488.13.

Quidquid ſcientia comprehenditur ſcientis comprehenſione fin tur.489.18.

Eſſentia diuina quatenus comprehenſa à Deo,vtrum finiatur.489.18.

Infinitum an poſſit comprehendi. 156. ad 160.

Concilia.

Quænam inter ſacram Scripturam, & Concilia differentia. 56.13.

Concluſio.

Concluſioni aſſentimur propter principia. 19.6.

Ex vna de fide, & altera naturali, ſequitur concluſio de fide.20.7.

Cõcluſio ſequitur debiliorem partem. ibid.

Cognitio, Cognitum.

Cognitum eſt in cognoſcente explic. 287. 13

Ad cognitionem intuitiuam an poſſit concurrere ſpecies 543.23.

Cognoſcere intuitiuè quid.532.2. & 340.7. & 554.11.

Conditiones cognitionis intuitiuæ. 340. 7. 9.& 541.& 543.21.

Cognoſcimus Deum hunc, ſed non vt hũc; naturaliter.declar. 136.37. & 145.

Continentia,Continere.

Continendi modus vnius in altero triplex. 329. 5.

Continere eminenter quid. 330. 6. & 416. 18.

Ex continentia eminentiali in Deo infertur continentia virtualis.330.7.

Ex continentia eminentiali in vna creatura non infertur continentia omnium perfectionum alterius creaturæ, ſicut in Deo. 331.8.

Quænam Deus continet eminẽter,quæ formaliter,& quæ virtualiter.331.9. & 332. 12.

Continendi modus Creaturarum in Deo. 381. 4.

Continentia eminentialis infert continentiam virtualem, materialiter, non formaliter.417.19.

Continentia virtualis qualisnam in Creaturis.510.12.

Continentia eminentialis diſtincta à virtuali.330.6.416.18.

Contingentia,Contingens.

Contingentia aliqua perfectiora neceſſarijs naturalibus.7.8.

Contingentes propoſitiones nõ cognoſcũtur vt veræ,niſi cognita vnione extremorum.9 14.

Contingens propoſitio vtrum,& quomodo cognoſcatur ante decretum in terminis ſimplicibus. 529.3.

De futuris contingentibus non eſt determinata veritas.563.13.14.& 402.11.

An concedendum, Deum cauſare ad extra contingenter.406.2.ad 9.

Per modum cauſandi liberè, & contingenter,oſtenditur libertas Dei, & contingẽtia creaturæ.407.5.8.

Differentia modorum producendi liberè,&

contingenter. 407.6.

Contradictoria.

Inter contradictoria eſt diſtantia infinita. Declar. 355.16.

Contradictoria an verificentur in inſtanti Æternitatis. 367.7. ad 11.

Credulitas.

Vide, fides.

Creatura.

An faciat quid melius cum Deo. 337.4.5. Et 40.41.42. & 339.9. & 253.20.21.

An cum Deo faciat quid maius. 336.1. ad 4.

Creaturæ mutabilitas pendet ex plurib. capitib. 379.1.

Creatura omnis mutabilis, Deus ſolus immutabilis. 385.1. ad 13.

An de facto detur creatura perfectiſſima poſſibilis. 444.10.

Creaturæ an dicantur viuere in Deo. 472.1.2.

An dicantur habere perfectius eſſe in Deo, quam in ſeipſis. 473.3. ad 5.

Habent perfectius eſſe in ſe, quam in intellectu creato. 473.6.

Creaturæ ad Deum nō eſt æqualitas. 637.2.

Debet amare Deum etiam ſi nuſquam ei gloriam Deus paraſſet. 638.4.

Creatura omnis de ſe defectibilis, tum phyſicè, tum moraliter. 235.17.

Compoſitum, Conſtitutum.

Compoſitionis varia genera. 163.11.

Compoſitionis requiſita. ibid. & 178.7.

Ad compoſitionem non ſufficit diſtinctio formalis. 180.3.

Compoſiti, & Conſtituti differentia. 180.4.

Compoſitioni opponitur ſimplicitas, vide ſimplicitas.

Creator, Creatio.

Si per impoſſibile nulla eſſet perſona ad intra, poſſet tamen Deus creare. 101.2.

Ad creandum cur de facto concurrant omnes diuinæ perſonæ. 101.4.

Creator poteſt abſtrahere à perſonis, non ſic ſpirator. 106.5.

Creator Deus trinus, ſed non vt trinus. 107.10.

Creationem vtrum admiſerat Ariſtoteles. 348.22. & 391.4.5. & 393.8.

Nomen Creatoris an connotet creaturas. 98.9.

Chriſtus.

An dicatur compoſitus. 162.8.

Charitas.

Vtrum diſtincta à miſericordia. Vide Miſericordia.

D.

Deus, Deitas.

Quinam negauerint Deum eſſe. 138.1.

Deorum multitudo penes varias Nationes. ibid.

Deum aliquem vniuerſæ Nationes ſemper ſibi præſtituerunt, vel Numen. 138.2. præter Atheiſtas. 2.3.4. pluresq; alios 139.5.

Ratione naturali poſſe demonſtrari Deum eſſe. 139.2. & 144. il ſecūdo, & 145. il primo, & affertur cenſura ſententiæ oppoſitæ. ibid.

Non poteſt autem à priori naturaliter demonſtrari. 140.4.

Deum eſſe eſt per ſe notum. 153.2. ad 7. & 158.8.

Quænam propoſitiones de Deo ſint per ſe notæ. 153.1.

Eſſe Deum infinitum, bonum, neceſſe eſſe, an per ſe notum. 155.7.

Si Deum eſſe eſt per ſe notum, cur cumulātur rationes probātes Deum eſſe. 156.9.

Si Deum eſſe eſt per ſe notum, cur *dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*. 158.14.

Deus eſt, quo maius cogitari nō poteſt. 157.12. & 319.9. & 326.9.

An ſit in genere, & prædicamento. Vide genus.

Qua ratione in operando ad extra vtitur tempore: & vtrum agere in tempore dicat imperfectionem. 175.8.

Cognoſcimus naturaliter Deum hunc, ſed non vt hunc. 192.13. & 145. il primo.

Eſt à ſenſu remotiſſimus. 13.5.

An cum creatura faciat quid maius. 336.1. ad 4.

An cum creatura ſit quid melius. 337.4.5. & 399.9. & 40.41.42.

Amat ſeipſum liberè, non tamen contingenter. 408.8.

Vtrum ſicut ad extra agit liberè, ita concedatur agere contingenter. 406.2 ad 9.

Vult omnes homines ſaluos fieri: at cur nō aufert omnia impedimenta ſalutis. 594.

Tāquam creaturæ ſupremus Dominus poteſt de illa facere quidquid voluerit. 586.8.

Habet æquiualenter, & eminentius creaturis virtutē audiendi, videndi &c. 564.3.4.

Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum ex Paul. declar. 564.3.4.

An dicatur à lōgè videre. ibid. & 51.3. ad 7.

An imperfectus quia producit quandoq, imperfecta. 341.15.

Eſt in omnibus per potētiā eſſentiā, & præſentiam. declar. 282.1. ad 19.

Deitas dicit conceptum formaliter diſtinctum

ctum à conceptu Perſonarum. 102.6.
Deitas non importat idem adæquatè, ac perſona.103.8.
Deitatis concretum eſt aliud à concreto perſonalitatis. 105. 1.
Deus neminem deſerit,niſi prius deſeratur. 597. 29.
Mentiri non poteſt. 627.9.
Nulli ſubeſt legi.638.3.
Si non præmiaret,an eſſet iniuſtus.640.10.
Dicitur iraſci,quomodo. 623.12.
Attemperat actionē ſuam creaturis. 651.8.
Verum ſit finis ſui ipſius. 324.3.
Eſſe cauſam totalem, explic. 325.5.

Dei Eſſentia, Exiſtentia.

Eſſentia poteſt terminare fruitionem abſque perſonis de pot. Dei. 136.40.
Eſſentia eſt in Patre, & Pater in eſſentia,declar. 180.6.7.
In eſſentia quomodo eſt relatio hypoſtatica,ſeu perſona.181.7.
Eſſentia quomodo habeat rationem fundamenti. 181.8.
Exiſtentia an ſit de quidditate Dei. 129. 1. & vltra.128.1.ad 9.& reſoluitur quęſtio, ad vtramque partem. 136.41.& vltr.
In creaturis exiſtentia cur modus intrinſecus. 131.18.
An aliquo modo in creaturis etiam ſit exiſtentia de quidditate. 132.21.& 129.11. ac 30.15.
In creaturis eſſentia concipi poteſt abſque exiſtentia,non ſic in *Deo*. 132.23.24.25. & vltr.
Exiſtentia Dei non habet rationem actus, nec eſſentia rationem potentiæ. 133.28.
De exiſtentia Dei vtrum poſſit haberi ſciētia.135.34.ad 36. & vltr.

Dei præſentia, Immēſitas, & vbiquitas.

Varia de Immenſitate Gentilium placita. 279.2.
Immenſitas Dei probatur. 280.3.& vltr.
Deus eſt neceſſario immēſus quoad actum primum.282.8.
Immenſitas,& infinitas differunt. 282.9.
Deum eſſe vbique infertur ex operatione cōſequētia materiali,nō formali:theologica,nō metaphyſica.296.13. & 299.11.
Deus non eſt alicubi præſens abſque operatione,non ſic ſemper creatura.304.4.
Dei præſentia ad creaturam, ex parte cuiuſnam eſt neceſſaria,an ex parte Dei, an creaturæ.304.4.& 322.12.
In omnibus eſt Deus per pręſentiam,eſſentiam,& potentiam.282.1.ad 19.
Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum ex Paul.declar.& quomodo dicatur in altis habitans videre quæ fiunt in terris. 564. 3.4.& 51.3. ad 7.
Ante orbis creationem vbinā erat. 315.17.
An pluribus mundis poſſet eſſe præſens, ſi vacuum inter eos intercipe retur. 316.1.
Creando v.g.nouum mundum diſtantem ab hoc,an moueretur ad illum,vt fieret pręſens. 316.2.
Deus vt hic,vtrum diſtet à ſeipſo, vt alibi. 318.6.
Loca imaginaria non coexiſtunt actualiter immenſitati, 318.7.
Immenſitatem non poſſe cōmunicari creaturæ opin.improbatur. Poteſt à Deo cōmunicari.320.1.ad 12.
Ad immenſitatem creatura nō habet inclinationem naturalem,ſed potentiam obedientialem. 321.9.
Immenſitas,& vbiquitas an idem.321.11.

Dei Infinitas, & perfectio.

De infinitate Dei quid ſenſerit Ariſt. 342. 1.ad 6.
Ex Ariſt.Deus eſt infinitus intenſiuè: & diſcutitur ratio eius.344.7.
Dei infinitas oſtenditur ex Theologis.349 ad 356.
Perfectiones *Dei* ſunt numero finitæ. 354. 14.& 664.ad 666. & 506.9.11.
Si perfectiones Dei ſunt numeraliter finitę, cur Deus eſt infinitus. 356.1.2.& ibid.
Infinita omnia ad intra,ſed non eodem modo.357.5.
Infinitates formales vtrum multiplicentur. ibid.& 359.12.
Infinitum bonum ſi neceſſariò ageret ad extra, an tolleret omne malum. 359. 2. 3.
Infinitas numeralis repugnat Deo. 506. 9. 11.& 354.14.& 664.ad 666.
Quinam negauerint perfectionem diuini eſſe.323 1.
Oſtenditur Dei perfectio.323.1. ad 12.
Deum continere cęterorum perfectiones prouenit ex pluribus capitibus. 328. 1. Vide verb.Continere.
An Deus imperfectus, quia producit entia finita,& imperfecta.341.15.

Dei Nomen.

Deus eſt multorum nominum ex Cyrill. 115.8.
Dei nominis generalis diuiſio.93.1.
Nomina alia competunt ab æterno, alia in tempore.91.2.
Nomē *Deus* quōdo ſit eſſentiale Deo. ibid.
Nomina, & prædicata Dei eſſentialia quænam.ibid.
Nominatur quandoque Deus excellentius via negationis.94.4.

Nomina Dei eſſe omnia negatiua opin. Rabi Moyſis impugnatur. 95.4.
Alia ſignificant ſubſtantiam, alia connotant accidens. 95.5.
Alia competunt Deo verè, & ſimilitudinariè creaturis, alia è conuerſo. 95.6.
Nomina, quæ verius competunt Deo, per prius dicuntur de Deo, quàm de creaturis; at quæ verius competunt creaturis, è conuersò. 96.7.
Nominis *Dei* Ethymologia ex Hebręis, ex Græcis, & Philoſophis. 96.1.
Dei nomen incommunicabile creaturis per naturam: communicabile nuncupatiuè, & quæ ratio huius. 97.5.6.
Nomen *Deus* vtrum ſit connotatiuum creaturarum. 97.7 & vltr.
Nomen Creatoris, Cōſeruatoris, Redēpt. &c. cōnotant creaturas reſpectiuè. 98.9.
Nomen *Deus* an cōnotet eſſentiam, an perſonas. 98.1. ad 9.
Nomen *Deus* in concreto ſpectatum, & primario, abſtrahit à perſonis. 101.3.
Nominis *Deus*, & Tetragrammaton differentia. 108.2.
De nomine *Qui eſt*, & Tetragrammaton. 109.3.4.5.
Nomen *Deus*, & Tetragrammaton differūt accidentaliter. 109.6.
De nomine Iehoua, & Ioa. 110.7.
An idem Iehouá, Ioa, Ioua. 110.8.
Tetragamm. quid ſignificet primario ex Lyrano. 111.10.
Significata alia nominis Tetagram. 110.9.
Tetragr. perfectius indicat Dei eſſe, quā nomen *Qui eſt* ex Lyrano, & Burg. 111.12.
Tetragramm. nil commune habet cū creaturis. 112.16.
Ex nomine Tetragamm. deducitur generatio in diuinis ex Galacin. 113.17.
Tetragram. ineffabile ob reuerentiam. 113.18.
Tetragram. cur ineffabile nūc Iudæis. ibid.
Verius commendatur ſilentio, quàm eloquio. 113.19.
Elohim nominis ſignificata. 114.1.
Elohim non caret ſingulari ex Perer. 114.2.
Ex Elohim deducitur myſterium Trinitatis. 114.4.5. vtrum verò deducatur inde neceſſario. ibid. 6.
De nomine Eſer, Helion, Sabaoth, El, Sabdai. 115.7.
De diuini nominis ineffabilitate, ſententia Auguſt. 116.10.
Alexandri reuerentia erga Summum Sacerdotem geſtantem inſculptum Dei nomen. 116.11.
Nomina Dei vniuoca, an æquiuoca. quid Aliqui ſentiant ex mente Scoti. ibid. 1. explicatur Scot. 2. An vniuoca. 117.3. Sunt æquiuoca analoga. 117.4. ad 9.
Nomina Dei an ſynonima. 18.10.
Nomina diuerſiuoca non ſunt ſynonima. 118.12.
Nomina ſymbolica nō ſunt ſynonima. ibid. 13.
Nominū ſynonimitas ſtare poteſt ratione identitatis eſſentiæ, non ratione proximè diſtinguendi. ibid. 14.
Nomina alia ex proprijs, alia ex communibus. 116.2.
An Deus poſſit perfectius nominari, quàm concipi. 120. ad 25.

Dei omnipotentia.

An ratione naturali poſſit demonſtrari de mente Ariſt. 389.1. ad 4.
Demonſtretur ax principijs fidei. 394.9.
Omnipotentia non ſiſtit in omniſcientia. 415.15.
In quo conſiſtat eius proxima ratio, & formalis. 418.23.
Quid poſſit, vel non poſſit cadere ſub omnipotentia. 433. opinio Soti improbatur. ibid. 1. ad 4. id cadit, quod non implicat contradictionem, & è conuerſo. 434.4. quomodo ſciri poterit non implicare contradictionem. 5.
Vtrum verſetur circa non ens. 435.6.
Deus an ſit terminus omnipotentiæ. ibid. 7.
Poſſe peccare, deficere, & mori non eſt potentia, ſed impotentia. 436.10.
Caluini blaſphemia negantis Dei omnipotentiam. 438.16.
An poſſit facere Deus vt præterita non ſint præterita. 439.440.
Vtrum impotens Deus, quia non poſſit facere impoſſibilia.
Vtrum quæ fecit, potuerit facere meliora. 441.1.2.
An producere poſſit ſpecies in infinitum perfectiores. 445.1. ad 15.
Eſt omnipotens Deus, non quia poſſit facere omnia ſimpliciter, quia facere poteſt omnia poſſibilia. 449.12.
An plura poſſit facere, & Mundum nouum creare. 451.1.3.5.
Omnipotentia, & voluntas in Deo an idem 519.13
An ſit in Deo potentia exequutiua. 419. ad 422.9.

Dei potentia ordinata & abſoluta.

Diſtinctionem potentiæ in ordinatam, & abſolutam negat in Deo Caluinus. 451.1.

Diſtinctionem hanc in Principe humano negat Knichen.459.10.
Oſtenditur dari vtramque.455.1.
Vtrum appellanda ordinaria, an ordinata. 455.1.
Vtraq; eſt ordinata,& quare.456.2.7.
Diſcrimen vtriuſq; ex alijs.456.2.ad 5.Scoti.7.

Dei immutabilitas.

Immutabilitas Dei an inferat æternitatem. 363.3.6.
An ſit radix æternitatis.364.8.
Radices immutabilitatis ſunt infinitas,ſimplicitas,neceſſe eſſe.463.4.
Immutabilitatis, & æternitatis diſcrimen, ibid.9.
Immutabilitas,& æternitas ſolent à Patrib. ſumi pro eodem.365.10.
De immutabilitate Dei quid ſenſerit Ariſt. 377.1.ad 8.
Oſtenditur immutabilitas ex Theologis. 379.1.ad 15.
Deus nec recto, nec circulariter mobilis. 380.3.
Motus moralis; & metaphoricus in Deo qualis.382.7.
In creatione noua nulla mutatio in Deo. 383.9.
Mutatio nulla in Verbo ex Incarnatione. 383.11.
Mutatio nulla in Dei voluntate.383.12.
An Deus mutetur quia expectat tempus. 384.14.
Solus Deus immutabilis. 385.1.13.

Dei ſimplicitas.

Circa Dei ſimplicitatem errores varij.159. 1.ad 5.& 168.31.& vlt.
Deus non eſt ſimpliciter ſimplex.153.10.& 262.5.8.9.
Deus non componitur ex materia, & forma.168.31.32.
Nec ex trina dimenſione.172.1.
Nec ex ſubiecto,& accidente.176.1.& vlt.
Nec ex natura,& ſuppoſito.179.1.& vlt.
Nec ex genere,& differentia.182.1.& vlt.
Deus eſt ſimplex,& ſummè ſimplex.262.5.

Dei Prouidētia.vide Prouidētia in ſe.

Quinā Dei negauerint prouidentiā.665.1.
De fide eſt prouidentiā dari.566.2.ad 568.
Vtrum etiam de minimis ſit prouidentia. 568.12.13.14.
Quare quandoque fruſtratur prouidentia Dei 576.4.ad 8.
Qualis prouidentia ſit infallibilis. 577.7.8.
Caſus, & fortuna vtrum cadāt ſub Dei prouidentiam.478.ad 582.
Monſtra an cadant ſub prouidentiam. 776. 6.7.8.
Aliter monſtra, aliter peccata cadunt ſub prouidentiam. 580.8.
Paruulis an prouiderit Deus de auxilijs,decedentibus ante baptiſmum.590.ad 597.
Adultis an ſemper prouideat de auxilijs tentationes vincendi,legē ſeruandi,peccata vitandi &c. 598.ad 601.

Dei intellectus. vide Dei ſcientia.

Dei intellectus præcedit diuinam voluntatem, non ſub ratione regulatiui,ſed præoſtenſiui.414.13. & 631.ad.633.491.8.
Nunquā in potētia, ſemper in actu.552.26.
Vileſceret ſi cognitionem ſumeret motiuè à rebus creatis.485.11.

Dei voluntas.

Nō eſt regulabilis à diuino intellectu. 631. ad 633.
Eſt eſſētialiter,& neceſſario recta.414.13.
Intellectus præcedit eam non ſub ratione regulatiui,ſed preoſtēſiui.414.13.& 631. ad 633.& 491.8.
Eſt prima regula tùm ſui,tùm cæterorum, inobliquabilis,& infallibilis.ibid.
Non eſt appellanda cæca, ſed non videns. 632.6.7.8.
Dei voluntas vtrum ſit idem,ac Dei omnipotentia.519.13.
Voluntas, vna cum eſſentia agit ad extra. 554.8 & 416.18.

Dei ſcientia,cognitio.

Creaturas poſſibiles cognoſcit Deus ex multiplici capite.516.2.ad 12.
Cognoſcit creaturas in eſſentia diuina, non tamen motiuè in ſeipſis.518.1.ad 8.
An cognoſcat creaturas adæquatè, & præciſè in diuina eſſentia.517.8.
An creaturas videat in ſeipſis.513. 8.9. 10. & 514.1. ad 3.
An cognoſcat in omnipotentia.518.2.
An cognoſcat in eſſentia, tāquam in ſpeculo.519.14.
Quomodo cognoſcit.520.8.& 521.
An cognouerit ab æterno vt præſētes æternitati.522.1.
An vt præſentes obiectiuè.523.1. ad 21. & 288.15.
An in Ideis.528.ad 531.
Vt creaturas ſciat an requirantur diſtincti reſpectus.337.12.
Dei ſcientia an diuidatur in intuitiuam, & abſtractiuam.338.1.2.
Nulla in Deo ſcientia abſtractiua, ſed omnis intuitiua.ibid.339.3.ad 13.& 238.15.
Non entia,impoſſibilia,negationes, priuationes,en rationis,ſalſum,& verum:quomodo cognoſcit.544.2.ad 6.& 545.10.
Poſitiua,negatiua:poſſibilia,impoſſibilia, cognoſcit eodem actu, ſed non eodem mo-

modo.547.12.
Veritatem quomodo cognoſcit.547.13.14.
Quomodo malitiam, & peccatum.548.2.
Malum an cognoſcat prout opponitur bonitati creatæ,an increatæ.548.ad 26.
Cognoſcit mala pænæ, & culpæ.549.5.7. & 550.
Monſtra.549.6.
An cognoſcat ſingularia ſecundum omnem condit.exiſt.552.
Contingẽtia an ſciat neceſſario.560.ad 563 &555.16.
Scientiæ neceſſitas vnde.561.8.
Scientia de contingentibus, an immutabilis.561.9.
An per ſuam ſcientiam comprehendat infinita.556.ad 560.
Scientia de aliquib.contingentib.eſt perfectior neceſſarijs creatis.6.8.
Dei ſcientia an actus primus, an ſecundus. 475.& 476. & 477.5.
Scientia an de quidditate Dei.478.6.
An ſit habitualis.479.1.
An vniuerſalis,an ſingularis.480.2.
An ſit propter quid.480.3.& 481.6.
Cognoſcit ſe per ſeipſum. 482.7. & 485.1. ad 17.
Vtrum ſit comprehenſiua.482.1.ad 12.
Vtrum Deus comprehẽdat ſeipſum.482.1.
An cognoſcat omnia, etiam viliora,& minima quid Hieron.quid Paul.quid Auguſtin. 484.9 10.
Non cognoſcit motiuè creaturas, ſed terminatiuè.485.11.& 504.40.& 511.1.ad 8
Fortunam bonam malorum quomodo non dicatur cognſcere ex Ariſt. 485.12.
Cur Ariſt. loquẽs de ſcientia Dei comprehenſiua omnium, reticuit elementum ignis.483.6.
Scientia de ſeipſo an practica, an ſpeculatiua.490.1.491.10.ad 15.
Scientia contingentium an practica,an ſpecul 493.& 494.
Scientia viſionis, & notitia ſimplicis intelligentiæ an practica,an ſpeculat.reſpectu contingentium.495.8.& 498.10.ad 16.& 499. ad 20.
Dei ſcientia an ſit cauſa rerum.ſent. Scotiſtarum.497.1.ad 6. Thomiſtarũ.498.6.ad 10. Palatij 11. ad 16. Reſolutio. 499.16. ad 20. & 500,20. ad 41. & 502.26.ad 32.
Sciẽtia viſionis an libera intrinſecè.503.33.
Quia res ſunt futuræ, ideo ſciuntur, declar. 503.36.39.
Scientiæ antecedenti decretum non competit ſcire: ſcientiæ conſequenti competit ſcire, non autem cauſare.503.36.
Scientia Dei à nullo obiecto creato cauſatur. 504.49. & 485. 11.
Scientia Dei vnde infinita.505.2.7.
Scientiȩ Dei obiecta primarium, & ſecundarium,quænam.508.1.ad 9.& 505.2.
Quænam ſpectant ad obiectum primarium: vtrum etiam relationes hypoſtaticæ ad intra de mente Scoti.508.3.
Sciuit omnia ab æterno, at non voluit ea pro æterno.503.17.
Scientia Dei eſt infallibilis.562.12.
Et cætera ibid.
Contingentia an ſciat ante decretum, vel quomodo: vide Contingentia. Contingens.
An cognoſcat infinitum.556.ad 560.

Dei Veritas, Veracitas, Fidelitas.

Deus eſt veritas in eſſendo.199.2.
In cauſando.199.2.
In dicendo.200.4.
In nominando. 201.5.
In cognoſcendo.201.6.
Verax,& fidelis.627.9.10.
Mentiri non poteſt.ibid.

Dei virtutes intellectuales,morales.

Vtrum in Deo ſint virtutes intellectuales
Vtrum Intellectus,
Scientia,
Sapientia,
Prudentia,
Ars,
Ratio,
Eubolia,
Gnome,
Syneſis,
Memoria,& oppoſita obliuio.
Iuſtitia,
Solertia &c. } 624.625.
Vtrum virtutes morales in genere. 620. ad 624.
Quales virtutes in Deo.630.22.
Vtrum virtutes morales in ſpecie. 626. ad 631.
Vtrum Religio.626.7.
Iuramẽtum 626.8.quare iurat Deus: & cur iurat per ſemetipſum.ibid.
Veritas,fidelitas,veracitas.627.9.10.
Gratitudo.628.11.629.12.13.
Liberalitas 629.14.
Temperantia.629.15.
Fortitudo
Manſuetudo
Clementia
Patientia
Longanimitas
Magnificentia } 630 16.ad 22.& 633.10.

De Iuſtitia.

Vtrum inter Deum, & creaturam intercedat vera ratio iuſtitiȩ.633.ad 644.

Quod

Quodnam obiectum iuſtitiæ.634.1.ad 6.
Quid ſit iuſtitia, ex Auguſt. Ariſt. Vulpian. & quænam aptior definitio.635.3.
Iuſtitiæ conditiones.636.6.
Iuſtitiæ diſtributiuæ, & commutatiuæ differentiæ. 636. 5. vtramq; eſſe in Deo. 641. 13.
Iuſtitia Dei ad creaturam præmiatiua fundatur ſuper promiſſione, & pacto.64 .11. 12.& 642.1.2.
De rigore iuſtitiæ ſoli ſibi Deus eſt debitor amandi ſeipſum.642.14.
Iuſtitia quandoque ſumitur pro fidelitate. 642.1.
Iuſtitia quandoque ſumitur pro condecentia diuinæ bonitatis.640.11.
Iuſtitia ſimpliciter, & ſecundum quid.642. 1.
De rigore iuſtitiæ an fuerit Chriſti ſatisfactio.644.9.
Iuſtitia an deſtruatur à miſericordia. vide Miſericordia.
Plura in V. Miſericordia.

Dei Miſericordia.

In *Deo* an ſit miſericordia.645.ad 748.
Miſericordiæ Ethymologia.645.3.
Miſericordiæ deſcriptiones.645.4.
Miſericordiæ acceptio duplex.ibid.5.
Eſt in *Deo* quoad materiale, nō quoad formale: ſecundùm effectum, non ſecundùm affectum: & quoad effectum remotum, nō proximum.646.7.8. & 648.13.
Miſericordia an idem cū charitate.646.9.
Miſericordia an diſtincta à iuſtitia. 647. 10.
An ſit prior iuſtitia.647.11.
An perfectior iuſtitia.648.
Miſericordia vtitur *Deus*, vt tamen locum relinquat etiam iuſtitiæ.648.14.
Miſericordia parcens, & liberans.ibid.
Verum in omnib. operib. interueniat miſericordia, & iuſtitia. 649.ad 655.
An in ijs, quæ naturæ debentur interueniat iuſtitia.655.26.
An miſericordia in creaturis irrationabilibus.652.11.
An in omnibus creaturis ſimpliciter. ibid. 12.
An in præmiatione iuſtorum.652.13.
An in punitione reproborum.ibid.14.
An in reprobatione.ibid.15.
An in collatione primæ gratiæ iuſtitia.655. 25.
An in prædeſtinatione.16.& 653.17.
An in vnione hypoſtatica iuſtitia. 655.26.
Miſericordia an deſtruat iuſtitiam. 653. 18.
Vtrum *Deus* poſſit inferre totam pœnam ex iuſtitia debitam peccatori.653.19.
Iudicium ſine miſericordia fiet &c. declar. 654.23.
Miſericordia ſuperexaltat iudicium, declaratur.651.10.

Dei vita, & operationes vitales.

Quinam negauerint *Deum* viuere 462.1. & vlt.
Oſtenditur *Deum* viuere.262.1.4.
Operationes ſentiendi, audiendi, & huiuſmodi, qualiter competunt *Deo*.464.6.& 624.ad 630.
Paſſiones iræ, vindictæ, & conſimiles qualiter in *Deo*.623.12.13.& 624.
Vita intellectualis in Deo in ſupremo gradu.469.7.
Vita intellectualis vtrum de quiditate Dei. 467.ad 648.4.5.
Vitæ Dei eſſentialis origo eſt diuina eſſentia.471.12.
Vt viuat Deus non eget Anima.470.9.
An creaturæ dicantur viuere in Deo. 472. 1.2.
Quod factum eſt in ipſo vita erat &c. explicatur.474.11.10.

Demonſtratio.

Debet procedere ex primis, vel ex ijs, quæ per prima fidem acceperunt. ex Ariſt. declar.10.18.

Differentiæ vltimæ rerum.

Vltimæ differentiæ rerum ſunt ſimpliciter ſimplices.163.10.

Diſtantia.

Diſtantia localis, & durationis.564.3.4.
Si Deus non longè eſt ab vnoquoque noſtrū, nec diſtat à nobis, cur loquutus fuit per epiſtolas, quaſi ad abſētes 51.3. ad 7.
Cur dicitur è Cœlo, quaſi è diſtanti loco reſpicere humilia in terra.564.3.4.
Creatura vt hic an diſtet à ſeipſa, vt alibi. 317.6.
Deus vt hic an diſtet à ſeipſo, vt alibi. 318. 6.

Digeſtio.

Digeſtio an ſit operatio immanens, an trāſiens.467.14.

Dubietas, dubius.

Dubius in fide eſt infidelis, declar. 21.8.
Dubietas non prouenit ex habitu fidei, ſed ex infidelis imbecillitate, & animi infirmitate. 21.5.
Dubietas an ſtare poſſit cum fide. vide V. fides.

Duratio.

Quod aliquid diutius duret, prouenit ex multiplici capite.364.6.

Al-

Albedo durans per annum non eſt perfectior durante per horam, 345.9.

Duratio eſt modus intrinſecus pro formali negatiuus. 376.12.

Duratio conuenit rei etiam in primo inſtãti, at verius, & proprius in ſequenti &c. 376.12.

Diſtinctio formalis.

An inter attributa, & eſſentiam reperiatur diſtinctio formalis, 666. ad 692.

Non impedit infinitatem. 661.1.

Non obſtat diuinæ ſimplicitati, nec facit compoſitionem. 677. ad 679.

Varijs nominibus eam appellat Scot. 682. 3. ad 7.

An verè eam Scotus admiſerit, 681. ad 683.

Alia inter rem, & rem, alia inter realitatem, realitatem, 688. 10.

An ſit diſtinctio formarum. 161.1.

E

Ens.

Ens inter, & non ens, an diſtantia infinita. 355.16.

Ens quomodo contrahatur ad Deum, & creaturas. 182.4.

Entis cõceptus an ſimpliciter ſimplex. 162. 39. & 281.2.

Ens formaliter, & poteſtatiuè ſumptum. 162.9.

Requiſita ad ens per participationem. 169. 33.

Error.

Error in iudicio conſiſtit, non ſimplici intellectus operat, 228.10.

Error, deceptio, & ignorantia intellectus creati ex multiplici capite. 335.18.

Error an contingat in prima operat. intellectus. 226.1. ad 4. & 227.6.7.

Vide falſitas, Veritas.

Eſſentia diuina. Vide Dei eſſentia.

Eſſentia diuina eſt ſpeculum voluntarium, ſi vult, videtur, ſi non vult, non videtur. 519.14.5.

Repræſentat contingentia, ſed poſt decretum. 534.15.

Eſt quid commune per illimitationem, non per vniuerſalitatem. 555.13.

De ſe ſola an contineat adæquatè creaturas. virtualiter, & eminenter. 416.18.

Eſſentia volens, ſeù vnà cum voluntate agit ad extra. ibid. & 554.8.

Effectus. vide Cauſa.

Effectus idem non poteſt pendere à plurib. cauſis totalibus. 191.10.

Effectus quo perfectior, eo immediatius procedit à prima cauſa. 395.14.

Effectus aſſimilatio, & ſpecificatio prouenit à cauſa proxima, & inferiori. 395.13.

Effectus vtrum commēnſurabilis cauſæ. 278.12.

Non eſſe, eſſe in potētia, & in actu, quomodo diſtinguuntur. 329.3.

F

Falſitas, vide Veritas.

Falſitas in prima operat. intellectus. Opinio: improbatur: in prima operat. poteſt adeſſe ſimplex neſcientia, non autem error rigoroſè ſumptus, aut falſitas ſtrictè ſumpta. 226.1. ad. 4. & fol. 227.7. poteſt autem haberi in prima operatione falſitas virtualiter. 227.6.

Falſitas quid ſit. 228.2.

Falſitatis materia. 229.3.

Non eſt falſitas naturalis paſſio entis. 229. 4.

Falſitas non eſt cognata omni enti. 231.5.

Falſitas, & veritas quomodo opponantur. 231.6. ad 8.

Falſitas non ſemper addit quid poſitiuum. 231.7.

Gradus multiplices oppoſitionis inter veritatem, & falſitatem. 232.9.

Opponitur veritati mediatè, an immediatè. 232.10.

Qualis oppoſitio falſitatis ad veritatem ex Ariſt. 233.11.

Falſitas ex varijs capitibus contemplanda. 233.12.

Falſitas nulla in intellectu Dei, ſiue practico, ſiuè ſpeculatiuo. 233.13.14.

Falſitas in naturalibus vnde. 237.21.

In artificialibus vnde. 237.22.

Per comparationem ad Ideam Artificis. 238.23.

Faſcinatio.

Aliqua de faſcinatione. 393.21. ad 24.

Fides. vide ver. Dubius, Dubietas.

Fidem aliter tuentur ſimplices, aliter ſapientiores. 4.4.

Rerum fidei haberi euidentiam aiebat Manichæus. 5.4.

Vtrum fides excludat omnem dubitationē. 15.7.

Fidei ineuidentia indicat eius eminentiam. 15.8.

Fides, & Theologia an ſint habitus diſtincti. 18.1.2.3.4.

Habet euidentiam ex parte Reuelantis. 15. 5.

Pro-

Propoſitio de fide in ſyllogiſmo an appellanda debilior pars argumenti, concurrente ſecum propoſitione naturali. 20.7.
Fidei infuſæ cur additur acquiſita. 21.6.
Quomodo differat ab opinione. 21.8.
Eſt habitus practicus. 35.5.
Cur de aliquib. naturaliter notis requiratur etiam fides. 145.11.
Dubius in fide eſt infidelis, declar. 21.8.

Fidelis.

Verus fidelis firmius aſſentitur propoſitioni contingenti de fide, quam propoſitioni naturali creatæ habitæ per ſcientiam naturalem. 14.6.
Fidelis, ſi opus foret, mallet negare ignem eſſe calidum, quam minima quæque in Sacra ſcriptura. 15.6.

Forma.

Deus à Boetio appellatur forma ſimplex. declar. 348.20.
Formæ munera plura ibid. & 685.1.
Vtrum omnis forma nouiter adueniens addat ſemper nouam perfectionem. 176.3.
Informare an ſit ſemper de eſſentia formæ. 176.1.

Fortuna.

Fortuiti euentus vtrum cadant ſub prouidentiam *Dei*. Vide. v. Caſus. Prouidentia.
De fortuna, Iuſtorum, & Impiorum, vide ibid. & 587. ad 590.
Quare impij proſperantur, & iuſti vexantur in hoc mundo. ibid.

Fruitio.

Terminari poteſt ad eſſentiam abſque perſonis de potentia abſoluta. 136, 40.

G.

Generatio.

Generatio an ſit operatio immanens, an tranſiens. 466.12.13.

Genus. vide prædicamentum.

Deus an ſit in genere, an extra genus. 182. & vltr. 184. 10.
Quænam collocentur in genere, ſeu prædicamento. 184.8.
In vnoquoque genere datur vnum, quod ſit metrum, & menſura omnium contentorum in tali genere. 185.12.

Gratia.

Gratiam præuenientem, ſeu excitantem; vtrum negauerit Scotus. 612. ad 619.
An omnibus paruulis prouiderit Deus de auxilijs ad ſalutem. 590. ad 597.
An puero enutrito in ſyluis prouideat Deus de auxilio ad ſalutem. 606.4.
An aliquibus magnis peccatoribus deneget Deus gratiam conuerſionis ad pænitentiam. 607. ad 611.
An infidelibus prouideat *Deus* de auxilijs ſalutis. 605. 606.
An data fuerit alicui gratia vitandi omnia peccata venialia. 602. ad 605.
Gratiam conuerſionis, pænitentiæ, & ad tentationes vincendas, atque legem implendam, & peccata vitandi, vtrum conferat ſemper Deus hominib. 598. ad 601.

H.

Homo.

Homini ex duplici capite, competit vita. 471. 11.
Prius viuit vita plantæ, inde bruti, inde &c. 330.7.
Adæquatè, & inadæquatè ſumptus quid importet. 107.8.
Homini vtrum melius foret eſſe Angelum. 442.5.

Habitus.

Habitibus an ſit eſſentialior certitudo, an euidentia. 15.8.
Habitus theologicus an diſtinctus ab habitu fidei. 18.1.2.3.
Habitus theologicus, an adhæſiuus. 20.1.3.
Habitus theologicus mediat inter ſcientiã, & opinionem. 21.4.
Habitus theologicus an adhæſiuus. 20. 1.3.
Habitus theologicus an diſtinctus à fide humana. 21.6.
Habitus acceptiones. 479.1.
Habitus generari poteſt ex vnico actu intenſo. 479.1.
Habitus ex quibus actib. generetur. 621.4.
Habitus in quibusnam generatur, & in quibus minimè. 621.4.

I.

Ideæ ſunt rationes, ſecundum quas vnumquodque eſt formabile ad extra. explic. 494. 5.
An Deus cognoſcat in Ideis. 528. ad 531.
Ideæ non ſunt magis poſſibilium, quam exiſtentium. 531.8.
Non magis repræſentant pro vno tempore, quam pro altero. 530.6.
Non conferunt de ſe ſolis eſſe completum Ideato. 530.5.
Infertur quandoque conſequentia formali, quandoque materiali. 296.13.
Illationis cauſæ non æquales. 298.10.
Incipit, & deſinit, interuenit vbi ſucceſſio, & mutatio. 562.11.
Indurari qualiter intelligitur peccatorem in ſcripturis. 583.6.

Induratio qualiter imputetur peccatori. 601. 21. 22.
Indeterminatum debet ab Alio determinari. 384. 15.
Indeterminatum actiuè, vel paſſiuè,& quid vtrumq; 338. 14.
Imago eſt ratio cognoſcẽdi, qualis. 338. 16.
Imaginationis motus qualis. 302. 22.
Imperium an ſpectet ad intellectum. 571. 12.

Infinitum.

An cognoſcatur à Deo. 556. 557. & 560.
Qualiter præſens Deo. 559. 15.
Infinitum eſt ſimul obiectiuè, non entitatiuè, in ordine ad ſcientiam Dei. 559. 16. 18.
In infinito nõ datur primum, nec vltimum. 559. t9.
Infiniti menſura qualis. 559. 20.
Infinitum nõ poteſt pertranſiri, explicatur. 560. 2t.
Infinitum eſt ignotum, an verum. 560. 12.
Infinitas de ſe ſolamen eſt principium producendi ſine potentijs. 410. 5.
In numeris an proceſſus in infinitum. 449. 13. t4.

Impoſſibile, Poſſibile.

Impoſſibilis alicuius ſuppoſitio prodeſt ad intelligendum. 70. 2.
Prima ratio impoſſibilitatis, vel poſſibilitatis vtrum ex parte Dei, an creaturæ. 423. ad 430.
Non erit impoſſibile apud Deu omne verbum. explic. 438. 15.
Ratio naturalis multa concipit vt impoſſibilia, quæ tamen ſunt poſſibilia reſpectu Dei 434. 3.
Impoſſibile id, quod implicat contradictionem, & quod non implicat poſſibile. 423. ad 430.
Impoſſibile, quãdoq; idẽ, ac difficile. 611. 6.

Intellectus.

Intellectui non competit imperare, ſed dirigere, & illuminare. 412. 8.
De ſe ſolo inſufficiens ad producendum extra, abſq; adminiculo cæterarum potentiarum. 412 9.
Intellectus obiectum quale ex Scot. 266. t4. 15.
Intellectus creatus tunc verus, aut falſos quando concordat, vel diſcedit à ratione regulatiui. 235. t6.
Intellectus creati ignorantia ex multiplici capite. vide Error.

Intelligentia.

Intelligentiæ an creatæ ſecundùm Ariſtot. 395. t2.
Mouerec Cælum cum fatigatione. & quare adderetur ſtella ex Ariſt. 349. t9.

Iudicium.

Vtrum in prima, & ſecunda operatione intellectus. 225. 8.
Quid de Brutis. ibid. 8. 9.
Error in iudicio, non in ſimplici apprehenſione. 228. x.
Circa primam operationem nõ habetur iudicium, ſed ſimplex apprehenſio. 226. 3.

L

Literæ ab Hebræis ad Græcos tranſlatæ. 2. 3.
Literarum quarundam græcarum cum Hebræis affinitas ibid.
Lumen medium inter lumen Gloriæ, & habitum fidei admiſit Henric. 3. 1.

Locus locatum.

Loci, & locati conditiones. 309. 2.
Termini Hic, & Ibi, ſumuntur poſitiuè, & negatiuè. 309. 3.
Intra, & extra, poſitiuè, & negatiuè. 310. 5.
Conuexum vltimæ ſpheræ non habet rationem loci continentis. 314. 15.
Loca imaginaria non coexiſtunt actualiter immenſitati. 318. 5.

M

Metaphoris vtitur etiam ſacra Scriptura. Vide Scriptura.
Metaphyſicales demonſtrationes ſunt reales. 194. 3.
Menſtruatæ actio qualis in Alios. 302. 21. ad 24.
Monſtrorum productio vnde. 200. 3. & 234. 14. Vtrum cadant ſub prouidentia Dei. vide Prouidentia D. i.
Miraculum an ſit caſus fortuitus. 582. 18.
Moyſes an viderit diuinã eſſentiã. 11 1. 11.
Modus rei eſt ſeparabilis ab ipſa re, in creaturiſ, minimè in Deo. t31. 19. 20.
Multitudo eſt quid poſitiuum. 195. 4. 5. & t96. 7.
Mortua, & inſenſibilia an dicantur aliquo modo videre, audire. 413. t.
Medium virtuti inferiori non eſt neceſſario medium ſuperiori. 299. t4. & 420. 3.
Motus ſucceſſiuitas vnde. 311. 9.
Ad mutari quid requiratur. 562. 9.
Mala culpæ, & pęnę. Vide peccatum, & pęnam.
Mala, culpæ, & pęnę. an cadant ſub prouidentia Dei. vide prouid. Dei.
Malum an afferat decorẽ Vniuerſo. 584. 9.
Malum pænę de ſe ſolo non eſt volitum: à Deo, ſed in ordine ad iuſtitiam punitiuam. 585. 3. & 586. 4.

Ma-

Malum pœnæ non vult antecedenter *Deus*, ſed ſubſequenter ad culpam.586.5.
Malum eſt priuatio ordinis,declaratur.584 11.
Peccatum an ſit infinitum.550.14.
Peccato finito quare in Inferno infligatur pœna infinita.654.20.21.

Mundus.

Contiguatio corporum inferiorum ad ſuperiora ſpectat per accidēs ad eſſentiam Mundi.317.3.
An potuerit fieri melior.441.3.ad 443.
Facta additione accidentali an perſeuera-ret in ſua concinnitate.442.7.
In Mundo ſunt tria, quibus nequeunt fieri meliora.444.12.
Mundus alter an poſſit creari.451.1.ad 5.
De facto vnicus, de poſſibili plures.453.6. ad 9.

N

Notitia ſimplicis intelligentiæ an abſtractiua.541.11.
Nabuchodonoſoris,& Pharaonis differentia.600.19.
Nutritio an operatio immanens.467.14.
Numerus debet reduci ad vnitatem, vel ad tantam paucitatem, ad quantam poteſt. 422.9.
In numeris an proceſſus in infinitum. 449. 13.14.

Natura.

Naturæ terminatio in genere naturæ differt à terminatione in genere ſuppoſiti. 104.13.
Terminatio per ſuppoſitum eſt extrinſeca Naturæ.104.14.
Naturæ abſtractio à ſuppoſito ex metaphyſica,non phyſica.ibid.
Natura adæquatè ſumpta poſtulat eſſe in ſuppoſitis.104.15.
Natura atoma ordine naturę pręcedit ſuppoſitum.107.8.
Natura diuina poteſt eſſe in pluribus, quia infinita, non ſic natura humana, cùm ſit finita;niſi per Dei potentiam.107.9.
Natura,quantum eſt de ſe,non eſt intrinſecè determinata ad certum numerum indiuiduorum,ſed extrinſecè.189.5.
Deus eleuando non deſtruit,ſed perficit naturam.449.10.

Negatio.

Negatio, ſicut & priuatio nulli conuenit, niſi per poſitiuum.196.8. & 204.2.
Non reddit ſubiectum perfectius,quàm ſua faciat affirmatio.196.9
Nil conſtituitur in eſſe veriori per ſolam negationem.204.3.
Negatiuum fundatur ſuper poſitiuum: 257.2.
Negatus dicitur lapis viſione,non priuatus ibid.
Negatio in genere,& extra genus,quęnam. 545.8.

Nomen.

Nomina conſequentia ſpeciem, & indiuidua,ſolent eſſe diuerſa.217.18.
Nomina diuerſiuoca non ſunt ſynonima. 118.12.
Nomina ſymbolica non ſunt ſynonima. 118.13.
Nominum ſynonimitas ſtare poteſt ratione identitatis eſſentiæ,non ratione proximè diſtinguendi.118.14.
Nomina ſunt ſigna conceptuum,explicatur 127.23.
Nomen à quonam habet, vt diſtinctè ſignificet.127.24.
Nomina an ſemper conſona rebus. 217, 18.
Plus contingit concipere, quàm nominare. explic.127.26.
Quia cognoſcimus, ideo nominamus,expl. 127.15.
An contingat perfectius concipere,quàm nominare.120.ad 125.

Neceſſitas.

Vtrum ſit abſolutè perfectior.387.8.
An in omni conditione entis, neceſſitas ſit perfectior contingentia.404.17.18.
Neceſſitas dicit perfectionem in ſubiecto capaci.404 18.
Neceſſitas in effectu an poſſit ſtare cum libertate in cauſa.405.20.
Modus cauſandi ad extra neceſſario non eſt perfectus, quia non liber.404.19.
Vtrum in cauſis, & effectibus naturalibus reperiatur verè neceſſitas.388.13.

Notitia.

Notitia practica an debeat eſſe in diuerſis ſuppoſitis.497.22.
Reliqua de notitia practica, & ſpeculatiua vide ver.Praxis,Speculatio.

O

Obduratio quomodo imputetur peccatori 601.21.22.&
Quid ſit obdurari peccatorem.583.6.
Opinio quid.21.7.quomodo differat à fide. 21.8.
Oppoſita habent fieri circa idem, declar. 229.4.

Ordo rerũ per ſingulas Cathegorias.101.1.
In creaturis eſt neceſſarius ordo potentiarum ad potentiam exequutiuam:non ſic in diuinis.421.6.
Ordinare ſpectat nedum ad intellectum,ſed etiam ad voluntatem.573.23.
Obiectum.
Obiectum primarium, & ſecundarium intellectus diuini. vide Scientia Dei.
Creaturæ cur vocentur obiectum ſecundarium.510.11.15.
Relationes hypoſtaticæ an ſpectent ad obiectum primarium ex Scoto.508.4.
Quænam ſpectent ad obiectum primariũ. 508.3.
Eſſentia abſque creaturis vtrum ſit obiectũ adæquatum intellectus diuini.510.10.
Obiectum eſt menſura cognitionis, ſed cuiuſnam.216.16.
Sed ſpeculabilibus obiectum eſt menſura cognitionis:in practicabilib.cognitio eſt obiecti menſura.216.17.
Obiectum intellectus, & voluntatis quale ex Scoto.266.14.15.
Operatio.
Ex operatione Agentis alicubi vtrum inferatur eius ſibi præſentialitas.289.ad 298.
Qua conſequentia inferatur præſentialitas ex operatione.296.1.ad 24.
Operatio non eſt prima radix præſentialitatis.299.12.

P.

Puero enutrito in ſyluis an conferat Deus auxilia ad ſalutem.606.4.
Paruulis decedentibus ante baptiſmum, an ſufficienter prouiſum de auxilijs ſalutis. 590.ad 597.
Parabolarum multiplex acceptio.69.1.
In parabolis duæ partes conſiderandæ. 70. 3.
Qualiſnam prædictarum partium parabolę erit ſenſus literalis.70.4.
Paſſiones entis ſimpliciter ſimplices 163. 10.
Paſſiones entis ſunt entia poſitiua. 194.2.
Paſſiones quænam circa idem ſubiectum 229.4.
Philoſophi multa tranſcripſerunt ex Prophetis.2.2.
Paſſio nulla animi,vel ſenſus in Deum. 2.5.
Si per impoſſibile eſſet ſolus Pater, adhuc ſpirare poſſe Spiritum S. 101.5.
Peccati quænam cauſa.234.14.
Peccatum vtrum cadat in prouidentiam Dei.582.ad 584.
Peccatori damnato an poſſit à Deo infligi tota pęna.653.19.
Peccatum eſt receſſus à ſummo bono. 551. 22.
Peccatum habet ſuam latitudinem. 550.16.
Peccatum an ſit infinitum.550.14.
Peccato finito quare in Inferno pęna infinita.854.20.21.
Punitio ordinatur ad correptionem : decl. 654.22.
Prius abſolutum, quantum eſt de ſe, poteſt eſſe abſq; poſteriori.206.8.
Poſterius an ſemper imperfectius. 178.8.
Perfectio an conſiſtat in multitudine. 665. 3.
Priuatio,vide Negatio.
Perſonarum ordo in diuinis.103.9.
Perſonæ plures ad intra eſſent quid maius extenſiuè, quàm ſi eſſet vna ſola. 338. 6. 7. 8.
Perſonæ productæ an cognitæ abſtractiuè à Deo ante productionem. 541. 12. ad 18.
Primum mobile an moueatur immediatè à Deo ex Ariſt.396.16.
Penetratio,vide Quantitas.
Propoſitio,arithmetica,& geometrica.636 5.
Principiorum ſcientiæ eſt ſcientia ; vel quid maius.decl.11.19.
Principium eſſendi an ſit principium operandi.418.22.
Prædicamentum,vide Genus.
Poſſibile,vide Impoſſibile.
Potentia.
Potentia exequutiua an detur in Deo.419. ad 422.8.
Potentia exequutiua non eſt perfectio ſimpliciter, ſed perfectio ſupplens imperfectionem.422.9.
Potentia logica non excluditur à Deo, ſed phyſica.133.29.& vlt.ac 171.38.
Potentia infinita non eſt in magnitudine, declar.173.1.ad 4.
Arguere à potentia ad actũ vbi valet.245.9.
Ens in potentia vtrum amabile.251.16.
Poſſe peccare, mentiri, mori &c.non eſt potentia, ſed impotentia.436.10.& 437.14.
Potentia abſoluta, & ordinaria. vide Dei potentia.
Vnicuique potentiæ ſenſitiuæ correſpõdet ſua cognitiua,& appetitiua.224.5.
Princeps.
Eſt ſolutus legib. à ſe conditis.459.9.
Leges à ſe conditas poteſt reuocare. ibid.
Princeps abſolutus non tenetur legibus vi coactiua.460.16.17.18.

An,

An, & quomodo teneatur vi directiua.460.16.ad 20.
Diſpenſare poteſt in lege.460.20.
Sed hac cum cauſa.ibid.21.Qualiter autem peccet ceſſante cauſa.22.

Propoſitio.

Propoſitio per ſe nota, quid in D.Th.146.2.quid ex alijs.147.3.4.quid ex Scoto.5.6.& 149.2.
Propoſitio per ſe nota Sapienti,& Ruſtico.148.6.
Per ſe nota Magiſtro, an benè impugnetur à Mayrone.ibid.
Per ſe nota, & per ſe noſcibilis impugnatur à Scoto.148.8.9.
Per ſe nota dicitur multipliciter.149.1.
Requiſita ad propoſitionem per ſe notam.150.3.4.
Debet eſſe clara,& immediata.150.5.6.
De propoſitione per ſe nota, mens Scoti.151.6.& 152.7 8.9.& vltr.
Quæ propoſitiones de Deo ſint per ſe notę 153.1.
Deum eſſe, an ſit per ſe notum.153.2. ad 7. vide verb.Deus.

Prouidentia in ſe. vide Dei prouidentia.

Prouidentiæ Ethymologia.564.2.& 565.5.& 571.10.11.
Prouidentiæ tria munera.565.6.
Prouidentia quid.569.
Quomodo differat à diſpoſitione,& gubernatione.569.2.
Prouidentia quoad quid rei, & ad quid nominis.569.3.
Prouidentia importat vtriuſque potentiæ actum intellectus,& voluntatis.ibid.
In quonam actu principalius conſiſtat, intellectus,an voluntatis.569.4.ad 573.
Prouidentia an ſit ſcientia approbationis, an viſionis, an notitia ſimplicis intellig.572.14.ad 20.
Prouidentiæ nomen non ſimplex, ſed compoſitum.573.20.
An verſetur circa media,& finem. 573.574.
Qualiter de medijs,qualiter de fine. ibid.
Aſſecutio finis an de ratione intrinſeca prouidentiæ.575.ad 578.
Quare,quandoq; fruſtratur.576.4. ad 8.
Quænam prouidentia ſit infallibilis. 577.7.8.
Qualiſnam Prouiſor teneatur impedire peccatum.584.12.
An dicatur Deus prouidere peccatum: 584.10.
Caſus,& fortuna an cadāt ſub prouidentia. vide Prouidentia Dei.
Bona Impiorum, & mala Iuſtorum in hoc mundo, fortuna, an cadat ſub prouidentiam.ibid.
Prouidentia Ethnycorum de cura rerum ſingularum ſuis Dijs demandata. 589.10.

Peccatum Peccator.

Peccatum quam cauſam haber.234.14.
Peccatum vtrum cadat ſub prouidentiam Dei.502.ad 584.
An dicatur Deus prouidere peccatum.584 10.
Peccatum eſt receſſus à ſummo bono. 551.22.
Peccatum haber ſuam latitudinem. 550.16.
Peccatum an ſit infinitum.550.14
Peccato finito, quare in Inferno pœna infinita 654.20.21.
Peccatori finali an poſſit Deus infligere totam pœnam debitam de rigore iuſtitiæ abſque interuentu miſericordiæ. 653.19.
Vtrum magnis peccatoribus deneget Deus gratiam conuerſionis.607.ad 611.
Peccatum in Spiritum ſanctum quidnam.610.5.
Peccatum ad mortem quid.4.
A peccato veniali an fuerit aliquis immunis.602.ad 605.

Pœna,Punitio.

Pęna:ſiue punitio ordinatur ad correptionem.declar.654 22.
Peccatori finali an poſſit Deus infligere totam pęnam debitam,ex toto rigore iuſtitiæ.653.19.
Peccato finito quare correſpondet in Inferno pęna infinita.654.20.21.
Pęna de ſe ſola non eſt intenta à Deo,ſed in ordine ad bonum iuſtitiæ punitiuæ. 585.3.& 586.4.
Pęnam non vult Deus antecedenter; ſed ſubſequenter ad culpam.586.5.
Pęnæ an cadant ſub prouidentiam Dei.vid. prouid. Dei.

Q

Quantitas,Quantum.

Quantitas non impedit præſentiam,ſed penetrationem.304.5.
Quantum contingit eſſe in potentia, tantū contingit eſſe in actu.declar.450.13.

R

Relatio.

Relationes diuinæ ad intra vtrum ſpectent

ad obiectum primarium ex Scot. 508.4.
Relationes diuinæ non ſunt de quidditate eſſentiæ.674.12.
Relationes diuinæ an quia ſimplices, ideo perfectæ.168.30.
Relatio ad res poſſibiles an realis.244.6.
Relatio ſimilitudinis, æqualitatis, & identitatis fundatur ſuper vnitatem. declarat. 258.4.
Requiſita ad relationem realem.263.10.
Relatio an poſſit inſurgere noua ſine ratione fundandi.264.12.
Relatio rationis in Deo ad extra, quale fũdamentum habet.ibid.
Relatio an dicat perfectionem. 166. 24. & 167.25.
Recipiens debet denudari à natura recepti.declar.237.20.

S

Sapientia.

Sapientiæ conditiones.12.2.
Ethymologia.12.3.
Acceptiones plures.17.15.
Qualiter differat à ſcientia.18.15.
An vniuoca Deo, & creaturis. 179.12. & 185.13.

Scientia.

Scientiæ multiplex acceptio.5.6.
Conditiones.5.6.
Conditio, Neceſſitas, & Euidentia ſunt perperfectionis in ea.5.
Cauſari per diſcurſum ſyllogiſticum eſt imimperfectionis.ibid.
Neceſſitas eſt conditio eſſentialis ſcientiæ. 6.7.
Neceſſitas ſcientiæ non ſufficit ad ſcientiam.ibid.
Cauſari per diſcurſum ſyllogiſticum an de intrinſeca ratione ſcientiæ. 7.9.
Diſcurſus ſyllogiſticus eſt conditio ſcientię intellectus creati.ibid.
Scientiæ an ſufficiat habere euidentiam in ſcientia ſuperiori.7.10.
Scientiam definit Ariſtot. ſummo rigore. 9.15.
Procedit ex euidentib.11.20.
Scientificus perſpectiuus non datur ſine Geometria.11.2.
Principiorum ſcientiæ eſt ſcientia, vel aliquid maius 11.20.
Excludit omnem dubitationem. 15.7.
Qualiter differat à ſapientia.18.15.
An probet ſuum ſubiectum.47.4.
Vtrum haberi poſſit de exiſtentia ſingulari. 235.34.36.

Scientia ſubalternans ſubalternata.

Vtriuſque ſcientiæ conditiones.22.2.
Vt ſubalternata ſit vera ſcientia quid requiritur.22.3
Subalternatę principia ſunt mutuata à ſubalternante.23.3.
Vbi definit ſubalternans, ibi incipit ſubalternata.ibid.
Cognoſcere clarius, vel minus clarè non eſt de eſſentia ſubalternantis.23.5.
Habẽs ſubalternantem habere poteſt ſubalternatam.24.9.
Scientia practica, & ſpeculatiua.
Vide Notitia practica.
Vide Practicum: Praxis.

Scientia Dei.

Vide Dei ſcientia.

Spirator.

Spiratoris nomẽ vtrum præcedat Patrem, & Filium, ex Vaſq.105.4.
Spirator non poteſt abſtrahere à Perſonis, ſic autem Creator.106.5.

Spiritus Sanctus.

Eſt ſacræ Scripturæ Author. 53.1. & vltra, & fol.91.7.
Qualiter ad ſcribendum mouebat ſacros Scriptores.55.6.
Differẽter aſſiſtebat Chriſto, & ſacris Scriptoribus 55.7.
Vtrum ſit Author omnium contentorum in Scripturis.68.13.
An in Scriptura poſſit intendere ſenſus infinitos: vel quot.76.14.
Poſſet produci à ſolo Patre, ſi per impoſſibile non eſſet Filius.101.5.
Spiritus ſancti principiũ quidnã ex Okam. 105.2.

Subiectum.

Subiectum ſcientiæ debet eſſe vniuerſale, declar.445.9.
Sufficit, vt habeat principium demonſtrandi, non eſt autem neceſſe, vt habeat principium eſſendi.48.7.
Subiecti ratio quomodo competat Deo. 47.5.

Suppoſitum.

Actiones ſunt ſuppoſitorum.107 11.
Ad multiplicationem ſuppoſitorum an multiplicetur exiſtentia.136.38.
Suppoſitio alicuius impoſſibilis prodeſt ad intelligendum.70.2.
Subſtantia prior accidente cognoſcibilitate.101.3.
Species poteſt dari abſtractiuè repræſentans diuinam eſſentiam.111.11.
In ſpecie Solis, & Lunæ, poſſunt multiplicari indiuidua per Dei potentiam. 183,6.

Su-

Superiora habent nobilius eſſe in ſeipſis, quàm in intellectu. ſecus inferiora. 473. 3.

Scriptores.

Inter Scriptores ſanctos, & prophanos differentia. 39.5.
Vtrum neceſſe fuerit prius ignoraſſe, quæ ſcripſerint. 54.4.
De iis, quę naturaliter ſciebant, vtrum egebant noua illuminatione. 54.4.
Vtrum indiguerint nouo Spiritus ſācti impulſu ad ſcribendum ea, quæ naturaliter nouerint. 57.15.
Vtrum nouerint ſenſus, de quibus ſcripſerint. 69.14.

Scriptura ſacra in ſe.

Eius nominis multiplex acceptio. 51.1.
Varijs titulis illuſtratur. 52.7.
Definitio. 51.2.
An ſit argumentatiua. 40.1.
Non ſemper arguit demonſtratiuè, ſed quãdoq; topicè. 86.7.
Si Deus eſt præſens hominibus, cur vtitur Epiſtolis Apoſtolorũ, & ſcripturis Prophetarum in loquendo ad nos. 52.3. ad 7.
Ex diuina pendet reuelatione. 54.3.
Eius Authorem eſſe *Deum*, multipliciter intelligitur. 35.2.3.
Negantes Spiritum ſanctum eſſe eius Authorem. 53.1.
Vtrum omnium in ſcriptura contentorum ſit Spiritus ſanctus Author. 68.13.
*S*cripturis detrahere mos eſt Hereticorum ibidem.
*S*i vel in minimo erret, poſſet de tota dubitari. 55.10.
Vtrum ſit *S*criptura ſacra illa, in qua ordo, & compoſitio verborum relinquitur induſtriæ ſcriptoris. 56.12.
Inter *S*cripturam, & Concilia, differentia. 56.13.
Cur non omnium librorum vnus, idemque ſtylus ſcribendi, ac phraſis. 58.17.
Phraſis, ac ſtyli diuerſitas vnde. 58.18.
Nihil inutile, & ſi minimum, in ea. 59.19.20.
Inconcinnitas grammaticalis in *S*criptura apparens, conciliatur. 114.3.
Nil myſterio vacat. 59.19.20.
*S*cripturæ libri quare aſcribuntur ſacris *S*criptoribus. 50.21.
In *S*criptura adſunt metaphoræ, Hyperbolæ, tropi, & Ironiæ. 70.5.
Vtrum vti debeat metaphoris. 71.8.
Metaphoræ an neceſſariæ in *S*criptura. 71.9.
Metaphoræ admodum vtiles. 72.11.
*S*criptura, & ſi obſcura, habet tamen ſuas elucidationes à *S*piritu ſancto, & Doctoribus Eccleſiæ. 76.12.
Nullam admittit æquiuocationem. 76.13.
Vtrum in omni loco reperiantur omnes quatuor ſenſus. 80.13.
*S*cripturæ mos vtendi nomine pro re. 112.14.
*S*criptura an adeo ſit clara, vt vnicuique liceat inde formare ſenſus. 87.1.
Hæreticorum error circa id. ibid.
Oſtenditur eius obſcuritas. 88.2. & vltra.
Cur Deus voluerit eam eſſe obſcuram. 88.6.7.8.
Commentariorum *S*cripturæ origo, & ordo. 90.14.
Exponenda *S*criptura iuxta ſenſum Eccleſiæ, & Patrum 90.2.
In exponendo, duo extrema vitanda. 90.3.
Interdum recurrendum ad tropos, metaphoras, & figuras. 91.4.
Exponenda iuxta propriũ ſenſum verborũ quoad fieri poteſt. 91.5.
Dicta, vel geſta pernicioſa in *S*criptura, ad quemnam referenda. 91.6.
Vbi locus eſt obſcurus, & dubius, quid agendum. 92.8.
*S*cripturarum lectio aſſidua neceſſaria ad interpretandas Scriptura. 92.9. & Dialectica, Philoſophia, cognitio linguarum, hiſtoriarum &c. 92.10.11.
Interpretationis Iudex optimus eſt Summus Pontifex 92.12.
Intelligentia expetenda à Deo. 92.13.14.

Scripturæ ſacræ ſenſus.

*S*enſus vox quid in *S*criptura importet. 60.1.
*S*enſuum *S*cripturæ ad ſenſus humanos ſymboleitas. 61.2.
Irridentur ab Hæreticis. 61.1.
Circa eorum adinuentionem error Porphyrij. 62.3.
Multiplices ſunt à Spiritu ſancto intenti. 61.2.
Illi ſunt de mente Spiritus ſancti, qui fundamentum habent in Scripturã. 62.4.
In quatuor ſenſibus floruerunt præcipui quatuor Eccleſiæ Doctores. 62.2.
Senſuum diuiſio ex Auguſt. Hieron. Scholaſticis. 63.1.2.3
*S*enſus myſtici triplicata diuiſio quid ſignificet. 64.4.5.
Diſtico comprehenſi à Lyrano. 64.6.
Omnium per exempla illuſtratio. 64.6.7.
An omniũ in Scriptura ſit vnicum ſubiectũ. 48.19.

Sen-

Senſus literalis quid ex Lyrano. 65. 1. Ex Abulenſi.2.Ex Alijs 3.4.
Senſus literalis verior deſcriptio.66.5.6.7.
Quando non poteſt haberi ſenſus literalis, ex ſignificatione vocum naturali, quid agendum.67.8.
Literalis,& myſtici differentia.76.10.
Literalem ſolum eſſe à Spiritu ſancto intẽtum ait Abul: confutatur.67.11.
In ſenſib.myſticis interuenit ordo.68.14.
Senſus Scripturæ an cogniti à ſacris Scriptoribus.69.14.
Senſus Literalis troporum.70.6.
De ſenſu literali, & myſtico regula Auguſtini.71.7.
Vtrum in omni Scripturæ loco adſit ſenſus literalis,negat Lyranus.72.1.2.
In omni loco adeſt ſenſus literalis 73. 3. & conciliatur Lyranus.4.
Idem Scripturæ locus habere poteſt plures ſenſus literales.74 1.& vltra. & quid ſentiendum de ſentientibus oppoſitum 75.10.
Concurrentib.pluribus ſenſibus literalibus quinam præferendus.75.9.
Quomodo cognoſcitur vnũ literalem eſſe magis altero intentum à Spiritu S. 75.9.
An Spiritus ſanctus poſſit intendere ſenſus infinitos:vel quot.76.14.
Datur ſenſus ſpiritualis, & myſticus. 77.1.
Myſtici ſenſus deſcriptio.77.2.
Myſtici,& literalis differentia.ibid.
Myſticus non eſt in omni Scripturæ loco, ſicut literalis.ibid.
Non omnis myſticus intẽditur à Spiritu S. ſed qui cohæret Scripturæ.78.3.
Myſtici,& ſpiritualis Ethymologia.78.4.
Myſticus ſenſus non eſt nouus.78.6.
Myſtici ſenſus interdum à Patribus confundũtur ſub allegoria, vel tropologia.78.7.
Myſticus ſenſus vtrum in ſolo veteri Teſtamento,an etiam in nouo.79.8.9.10.
Myſticus an fuerit à Patribus veteris Teſtamenti cognitus.79.11.
Patres Veteris Teſtamenti an cognouerint omnes Myſticos ſenſus.80.12.
Senſuum differentia verum eſſentialis, an accidentalis.78.5.
Senſus per accommodationem, an verus ſenſus. .& an à Spiritu S. intentus. 80.1. fol.81.2.3.
Senſus per accommodationem deſcriptio. 81.4.
Eſt frequens,& vtilis.81.5.
Exemplis illuſtratur.81.6.
Vtrum efficax ad fidem comprobandam. 81.7.
An aliqua loca ab Euangeliſtis, à Chriſto, cæteriſq; ſacris Scriptorib. citentur per accommodationem.82.1.ad 6.
Quinam ex ſenſibus ſit præſtantior. 83.1.2. 3.& fol.84.4.ad 9.
Litera occidit, ex Paulo, explicatur.85.9.
Vtrum ex ſolo ſenſu literali ſumatur efficax argumentum, an etiam ex myſtico.85. & 86.
Vnde conſtare poterit ſenſum aliquem eſſe à Spiritu S.intentum.86.5.
Senſus efformare an liceat vnicuiq; 87.1.
Hæreticorum error circa id. ibid.
De regulis eliciendi ſenſus.90.1.

Senſus, ſenſatio.

Nullo intellectu conſiderante ſenſus non impeditus percipit veritatem ſui obiecti. 224.4.
Percipit veritatem,& falſitatem.220.4.
Veritatem percipit directè ſenſus: intellectus directè,& reflexè.220.5.6.
Non eſt ſupra ſeipſum reflexiuus. 220.6. & fol.225.8.
Veritatem in ſenſu qualiter negat Ariſtot. 224.6.
In Ebrio,Infirmo,& Ruſtico vidente Solem ſolito minorem, & in præſtigiatis vtrum ſenſus fallantur,& errent.227.9.
Senſus deceptio vnde.236.19.20.
Vtrum decipiatur, ex Ariſt.273.19.20.

Simplicitas.

De ſe an dicat perfectionem, vel imperfectionem,opin.Caet. 164.12.Scotiſtarum, 16.17. propria.166.23.& fol.165.19.
Non dicit puram negationem. 165. 18. declaratur.
Quo aliquid ſimplicius,vtrum eo perfectius.167.28.
In ſimplicitate dantur gradus.167.29.
Simplicia etiam cauſant cognitionem ſui. 219.4.
Simpliciter ſimplex quid 162.9.
Summè ſimplex quidnam.162.8.
Simplex vel opponitur compoſitioni; vel componibilitati.160.6.
Simplex vel opponitur compoſito,vel mixto.161.7.
Vide Dei ſimplicitas.
Simplicitas an deſtruatur ex diſtinctione formali.677.ad 679.

T

In tempore agere an dicat imperfectionem 175.8.
Deus cur agit in tempore.ibid.
Totius variæ acceptiones.170.36.
Totius ratio quomodo cõpetat Deo. ibid.

Trinitatem confundebat Sabellius.108.12.
Tetragammaton.vide Dei nomen.
Teſtamenti noui, & veteris diſcrimen. 90. 13.

Theologia.

Theologiæ deriuatio, ſeu Ethymologia. 1.1.
Antiquitas.ibid.
Quia eſt de altiſſimis, ideo eſt nobilior ſcientia.10.16.
Eſt habitus conſtans,ex vna naturali, & altera reuelata.11.22.
In Theologia, an de ſingularibus habeatur ſcientia.10.17.
Diuiſio in myſticam phyſicam, & politicã. 2.4. in ſymbolicam, & demonſtratiuam. 2.5. in poſitiuam,& ſcholaſticam.3.6. in practicam,& ſpeculatiuam.3.7.
Theologia Dei de obiecto neceſſario eſt ſcientia.8.11.
Theologia Beatorum eſt ſcientia.8.12.
Theologia contingentium,in Deo, an vera ſcientia.9.14.
Theologia Viatorum an propriè ſcientia. 8.13.
Theologia Dei de contingentibus, magis aſſimilatur intellectui principiorum,quã ſcientiæ concluſionis.9.14.
Theologia Dei, & Viatorum de contingẽtibus, an ſit priuanda omnino, nomine ſcientiæ.9.15.
Theologia Viatorum non eſt propria ſciẽtia.8.13.
Theologica inductio innititur fidei.12.23.
Theologia nõ eſt ſolus habitus fidei.12.24
Theologia munus.ibid.
Theologia eſt ſapientia.12.1.
Theologia quia eſt de Deo,ideo eſt de omnibus.13.4.
Theologia quomodo certior cunctis ſcientijs.14.6.
An demonſtret per cauſas.15.9.
Quomodo cunctis aptior ad docendum. 16.10.
An ſit gratia ſui.16.11.
Preeſt cunctis ſcientijs.17.12.
Præcipit cæteris ſcientijs tanquam Domina Ancillis.ibid.
Vtitur miniſterio cęterarum ſcientiarum. 17.13.
Iudicat de cæteris ſcientijs.17.14.
Theologicus habitus. vide Habitus Theologicus.
Theologia an ſcientia ſubalternans,an ſubalternata.22.1.
Theologia in ſe,nec ſubalternans, nec ſubalternata 23.4.
Theologia in ſe nulli ſcientiæ ſubalternatur.23.5.6.
Theologia Viatorum, non ſubalternatur à Theologię Dei,& Beatorum.24.7.
Theologia an ſit practica,an ſpeculatiua. 26.1.
Theologia Viatorum,& Compreheñſorum, an practica, an ſpeculatiua. 31.1.
Theologia non eſt ſimul practica,& ſpeculatiua.32.5.
Non diuiditur in practicam, & ſpeculatiuã. 32.6.
Theologia Viatorum,& Comprehenſorum tùm neceſſariorum,tùm contingentium, eſt practica.33.7.
Theologia Dei, an practica, an ſpeculatiua. 34.
Theologia de contingentibus eſt certiſſima.36.8.
Theologia quare tradita.36.9.
Eius ſubiectum quidnam.37.38.& 39.
Subiectum materiale in ſe eſt Deus quoad veritates neceſſarias.40.1.
Theologia partim eſt ſcientia, partim ſapientia.40.2.
Subiectum adæquatum eſt Deus cum creaturis.40.3.
Subiectum formale *quod* eſt Deus ſub ratione Deitatis.41.3.il ſecondo.
Subiectum formale neceſſariorum eſt Deitas in Theologia Dei,& Beatorum.42.5.
Subiectum Theologiæ Viatorum reſpectu neceſſariorum eſt *Deus* ſub ratione entis infiniti.42.6.
Subiectum primum contingentium, & neceſſariorum eſt eſſentia.43.7.
Subiectum adæquatum eſt eſſentia vnà cũ voluntate.43.9.
Eſſentia ſola ſubiectum inadæquatum. ibid.
Eſſentia volens, eſt primum ſubiectum primitate adæquatæ reſolutionis contingẽtium.43.9.
Eſſentia eſt ſubiectum, primum primitate euidentiæ, non continentiæ contingentium.ibidem.
Deus eſt ſubiectum *quo* ſub ratione primæ veritatis in reuelando.44.11.
Deitas eſt obiectum formale, reuelatio eſt conditio obiecti.ibid.
Theologia an ſit argumentatiua.49.1.
Vt ſit argumentatiua oportet Diſputantes conuenire in aliquo principio fidei. 49. 2.
Theologia non probat ſua principia.494.
Theologia poteſt ſoluere per ſua principia argumenta oppoſita.ibid.
Theologicus habitus an ſit adhęſiuus.20.13.

Theologicus habitus an mediet inter ſciē-tiam,& opinionem.21.4.
Theologicus habitus an diſtinctus à fide humana.21.6.

V

Verbum non dicitur aſſumpſiſſe hominem, ſed naturam humanam,declar.107.8.
Voluntatis obiectum ex Scoto.266.14.
Virtus infinita ſi eſſet in magnitutine moueret in non tempore .declar.173.5.vid. ver. Potentia infinita non eſt in magnit.
Vulnus circulare tardè ſanatur , quare.22, 3.
Vniuocatio perfectionum diuinarum an detur penes intellectum Dei,& Beatorum. 118.11.
Vnicuique quo , correſpondet ſuum proprium,& adæquatum quod.102.7.
Vnitas vnum.
Vnitas an addat quid poſitiuum ſupra ens. 193. ad 197.
Vnius deſcriptio datur per negatiuum,tanquam per quid à poſteriori magis notū. 197.1.
Vnitas ex ſeipſa,& non alia vnitate,eſt vna. 197.2.
Paſſionis vnitas dicitur in recto de ſubiecto,de vnitate in obliquo.198.4.
Vnitas compoſitionis diuerſa ab vnitate conſtitutionis.180.4.
Veritas verum, vide Falſitas.
Veritatis diuiſio.199.2.
Nil poſitiuum dicere opinio. 202.1.2.
Conſiſtere in denominatione extrinſeca. 3. Addere quid poſitiuum ſupra ens; verius.204.1.& vltra.
Ens poteſt intelligi abſq; ratione veri. 206. 8.
Veritas eſt ſeipſa formaliter vera , & non per aliam veritatem.207.11.
Nullo intellectu cogitante ens eſt verum. 207.12.
Veritas primo fundatur in re , inde in intellectu.208.12.
Subiectari in re ipſa , an in intellectu varia placita.208.ad 210.
Primario fundatur in re ipſa 211. 3. ſecundario in intellectu.212.5.
Veritas formalis,& fundamentalis.212.5.
Veritas fundamentalis prior in cognitione ſpeculatiua.213.7. Veritas formalis prior in cognitione practica.214.11.
Obiectum prius verum in ſe,quàm in intellectu.214.16.
Veritas in omni operatione intellectus. 218.1.
Omne verum eſt ſcibile.218.3.
Veritas aliter percipitur à ſenſu , aliter ab intellectu.220.5.6.
Verum,& falſum in compoſitione,ex Ariſt. declar.221.8.
Veritas eſt in ſolo intellectu ex Ariſt. decl. ibidem.
Non eſt in ſimplici operatione intellectus. declar.221 8.
Eſt directè tantùm in prima operatione intellectus: at in ſecunda directè,& reflexè 221.8.& fol.223.
Veritas incomplexa in ſimplici operatione: complexa in compoſitione, & diuiſione.221.8.
In actu ſignato veritas,& falſitas in prima operatione intellectus,in actu exercito in compoſit.& diuiſione.222.9.
Veritas eſt obiectum etiam ſenſus.223.3.& fol.220.4.& fol.224.4.
Iudicium non eſt opus ſimplicis operationis,ſed compoſitionis,& diuiſionis.223. 2.
Veritas verum in ſimplici voce.225.10.
Veritas , & falſitas habetur per actum collatiuum, comparando ſubiectum,& prædicatum.226.3.
Omne ens in genere ſuo , ſiuè poſitiuum , ſiuè negatiuum,eſt verum.230.5.
Veritatis , & falſitatis oppoſitio , vide falſitas.
Per comparationem ad ideam Artificis. 238.23.
In ſola relatione conſiſtere. Opinio.improbatur.239.1.2.
Non in ſola entitate abſoluta , nec in ſola relatione conſiſtit, ſed in vtroq; 240.3.
Fundamentaliter eſt quid abſolutum, formaliter reſpectus.241.4.
Eſt relatiua ſecundùm dici.242.3.
Eſt relatio conformitatis ad obiectum , & qualis.242.4.
Veritatis relatio an ſemper realis.243.5.
Veritatis relatio qualis ex parte obiecti negatiui:& qualis ex parte realis.244.7.
Veritatis relatio an conſiſtat in eſſe actuali, an aptitudinali 244 9.
Veritas intellectus creati, qualis.244.8.

Finis Indicis rerum notabilium.

5-3-1